Digitized by Google

8
7 C
18

7-10

Digitized by Google

PAVLI COMITOLI PERVSINI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

RESPONSA MORALIA, IN VII LIBROS digeſta: quibus, quæ in Chriſtiani Officij rationibus videntur ardua ac difficilia, enucleantur.

- I Liber Quæſtiones complectitur de Sacrãmentis.
- II De Voto, & Iureiurando.
- III De Contractibus.
- IV De Criminibus, & Criminoſis.
- V. De Criminoſa Ignorantia, de Metu iuſto, ac de tuta eligenda Opinione.
- VI De Cenſuris, & Irregularitate.
- VII. De Teſtamentis, de Legatis piis, déque Vſucapione.

CVM INDICE RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ hoc volumine Reſponſorum Moralium continentur.

OPVS NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM.

Congr. Sacerd.



BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

AD LECTOREM.

SCire aueas fortaſſe lector, quam ipſi rationem in hiſce Chriſtiani officij explicandis controuerſiis perſecuti ſimus: ſic accipito. De quæſtionibus, quæ partim ſermone, partim literis conſulentiũ ad nos delatæ ſunt, & quas nunc multorum ſodalium perſuaſu & inductu ſinimus euulgari, non ſolùm finitè, ſed etiam infinitè, & vniuerſè diſſeruimus: id eſt, quæſtionem ipſam in certis perſonis, temporibus & locis locatam ab iis ſeiunctam ad generalem traduximus: quòd cenſeremus id, quod ante nos ſapiẽtes Magiſtri præceperunt, definitam quæſtionem ſine infinita rectè cognoſci non poſſe. Ita cùm neutrum quæſtionis genus prætermiſſum ſit, eodem tempore, & conſultorum vtilitati, & cupiditati cæterorum doctorum hominum obſecuti ſumus. In deligenda autem opinione eam, quæ tum pondere argumentorum, tum teſtium auctoritate, antiquitate, & multitudine vinceret, ſecuti ſumus. Hanc enim dumtaxat tutam, ab omníque metu culpæ exploratam eſſe putauimus. In Diui Thomæ veſtigiis ſemper inſtitimus. Pro chriſtiani cleri immunitate, pro Romanæ Eccleſiæ Principatu, próque Romani Pontificis auctoritate cunctis ingenij noſtri viribus propugnauimus: Cuius etiam harum noſtrarum conſultationum, diſputationum, & diiudicationum, arbitrium eſſe omne peroptamus. Vale.

Ad eundem Lectorem
Admonitum neceſſarium.

ILlud te, amice Lector, fugere nullo pacto decet, nos in depromendis teſtimoniis atque ſententiis è ſumma Theologica Alexandri Alenſis libris vſos eſſe Venetiis impreſsis apud Franciſcum Franciſcium 1575. Quum verò dicta Ioannis Maioris recitauimus, eúmque protulimus, codices recentiores fere eſſe ſecutos, interdum etiam vetuſtiores; qui cum recentioribus in numero quæſtionum minimè congruunt. Sanè autem cùm Martinum Nauarrum teſtem adduximus, vſui nobis fuerunt tum magis, tum minùs antiquæ impreſsionis exemplaria; ſed minùs antiquæ, quoties eius rei nobis eſt data facultas, ſtudioſè perquiſiuimus. Iterum Vale.

Cum

CVm volumen Reſponſorum Moralium P. Pauli Comitoli, Theologi ſocietatis noſtræ, in ſeptem libros diſtributum, Romæ à quatuor delectis Patribus Theologis diligenter recognitum approbatúmque fuerit, ego Bernardinus Cōfalonerius, ſocietatis Ieſu in Prouincia Veneta Præpoſitus Prouincialis, facultate à R. admodum P. Noſtro Generali Claudio Aquauiua mihi tributa, poteſtatem facio vt typis mandetur, atque ad huius chirographi fidem, noſtram manum, noſtræque ſocietatis ſignum adiecimus Bononiæ, X. Auguſti 1607.

BERN. CONFALONERIVS
Prouincialis.

¶ 3

Digitized by Google

EGo Petrus Maturus Sacerdos ſocietatis Ieſu, in Collegio Lugdunenſi, fidem facio me opus inſcriptum, *Pauli Comitoli Peruſini, è ſocietate Ieſu Theologi, Reſponſa Moralia in ſeptem libros diſtincta*, perlegiſſe, in quo nihil animaduerſum eſt, fidei Catholicæ contrarium Lugduni.19.Aprilis.1609.

Ita cenſeo Petrus Maturus.

HVnc R. P. Pauli Comitoli Peruſini, è Societate Ieſu Theologi, librum, qui inſcribitur, *Reſponſa Moralia, in ſeptem libros diſtincta*; eruditũ & dignum cenſuimus, qui prælo commiſſus publicæ vtilitatis cauſſa in lucem ederetur. Datum Lugduni die 3. Maij, 1609.

Chalom V. G. Lugd.

FACVLTAS. R. P.

PROVINCIALIS SOCIETATIS Ieſu, in prouincia Lugdunenſi.

LVdouicus Michaelis Prouincialis Collegiorũ Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Chriſtianiſsimo Henrico III. die X. menſis Maij, anni 1583. Et Henrico IIII. nunc regnante 20. Decembris 1606. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque illorum permiſsione imprimãt; permittit Horatio Cardon, Lugdunenſi Bibliopolę, vt *Pauli Comitoli Peruſini Theologi Societatis Ieſu Reſponſorum Moralium libros VII*, ad ſex proximos annos imprimere, ac libere diuendere poſsit. Datum Lugduni die 6. Maij 1609.

LVD. MICHAELIS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
A CHRISTIANISSIMO
Galliarum Rege obtenti.

HEnrici IIII. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautū eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſuppoſitis; intra proximos annos decē à die conceſsionis præſentiū inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmve quovis modo ac ratione conetur, librū, qui inſcribitur, *Pauli Comitoli Peruſini Theologi Societatis Ieſu, Reſponſorum Moraliū libri VII.* vno HORATIO CARDON, Bibliopola Lugdunenſi, excepto, cuive ipſe conceſſerit: Sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſsis. Datum Lutetiæ, die Februarij, vigeſima tertia. Anno MDCIX.

Sic ſignatum

De mandato Regis,

BRVLART.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVÆ HOC VOLVMINE
RESPONSORVM MORALIVM
continentur, quæ numero librorum,& quæſtionum, & earum particulis oſtenduntur.

A

ABBAS, ſeu Epiſcopus non debet recipi poſt adeptam incuriæ dignitatem,niſi litteras edat lib.1. q.106.num 5.

Abeſſe poteſt quis à ſua Eccleſia propter Chriſtianam caritatem ex Concilio Tridentino.lib.1.quæſt.59.num.2.

Abeſſe poteſt per annum quis à ſua Eccleſia propter inimicitias ex reſponſo illuſtriſſimæ Congregationis.lib.1.quæſt.60.num.3.Abeſſe etiam poteſt quis propter corporis ægritudinem,& morbum. lib.1.quæſt 60.num.1.

Abeſſe poteſt Canonicus ab ſua Eccleſia ob legitimam cauſſam cum facultate ſui Epiſcopi quatuor menſes. lib.1.q.59.num.2. Hoc autem ſpatium diuerſum ab eo quod eſt conceſſum à Concilio Tridentino. in ead. quæſt. num.3.

Abeſſe ne poſſit Canonicus à ſua Eccleſia Epiſcopi ſui aſſenſus, & alicui Principi ſacrificuli operam nauare. lib 1.quæſt.60.num.1. & ſeq. Inopia legitima cauſſa abſentiæ probatur in eadem quæſt.num.1.& ſeqq.

Abſenti Canonico pereunt quotidianæ diſtributiones,ſed non fructus beneficij.lib.1.q.59. num.5. Sed nec pereunt diſtributiones, cum propter emolumentum ſuæ Eccleſiæ abeſt. in eodem num.

Abſentiæ legitimæ ab Eccleſia quattuor exponuntur cauſſæ. l.1.q 60.num.5.

Ablutio ſacra Baptiſmi cur ſpiritualis Natiuitas dici queat.lib.1.q 123.num.5.

Abortionis atque homicidij cauſſa ne ſit, qui mulieri amatorium poculum propinat non eo conſilio,vt fetum eiiciat.lib.4 q.13.nu. 1.

Abortionis, & homicidij reus eſt, qui mulierem prægnantem aut percutit, aut terrore concutit,vnde fetum abigit.l.4.q.13 num.1.

Abortus eſt immaniſſimum delictum in Conſtitutione Xiſti V. & in Conſtitutione Gregor. XIIII. ſcelus grauiſſimum,& nefarium delictum.lib.4.quæſt.13.num.3.

Abortum procurare D.Thomas numerat in maleficiis; & ait peccatum eſſe contra naturam lib.4.q.13.num.3. Abortum procurare numquam licet, quamuis fetus ſit inanimatus. in ead.quæſt.num.3. Liceat ne aliquando ſalutari medicamento mulieri ſuccurrere, quamuis timeatur eiectio fetus non ſolùm inanimati, ſed etiam animati in ead.quæſt.num.6. & 7. Quando moriente matre etiam fetui moriendum eſſet, ſubueniri matri poteſt medicamento, quamuis ſit fetus interiturus n.7. Vbi non agitur de vita matris, eſt eius valetudini præferenda vita conceptus.num.8.Diſcindere ventrem prægnantis mulieris, dum ea ægrotat, vt ſeruetur fetus,immane eſt flagitium.num.8. Quicumque procurant abortionem animati fetus, ſunt rei homicidij voluntarij,& excommunicati; ſunt item irregulares.num.9. Mulier fundens fetum eſt homicidij rea,in ead.q.13.num.9. Pœnas iuris ciuilis in huius criminis reos, vide in ead. quæſt.num.9.

Abortus fetus animati eſt in reſeruatione epiſcoporum ex Conſtitutione Gregor. XVI. lib.1.q.25.num.13.

Abrogatio legis Pontificiæ non ita facilis, &

quid ea requirat. lib.6.quæſt.64.num.4.
Abſoluere ab excommunicatione minore quiſnam poſſit. lib.6.quæſt.36.
Abſoluere à peccatis iure diuino non poteſt quilibet Sacerdos.lib.1.quæſt.23.num.3.
Abſoluere poteſt à peccatis in articulo mortis quilibet Sacerdos quemlibet à qualibet culpa,& cenſura.lib.5.quæſt.14.num.3.
Abſoluere poteſt à peccatis in articulo mortis etiam excommunicatus ſententia iudicis, & propter notoriam clerici percuſſionem. lib.6. quæſt.27.num.1.& ſeqq.
Abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis numquam licet,niſi in mortis articulo.lib.1.q.25. num.11. Abſoluentes grauibus pœnis afficiuntur.eod.num.
Abſoluere ne poſſint Sacerdotes à caſibus iure, vel conſuetudine reſeruatis Epiſcopis, ſi eos non redigant ipſi in Album, quod euulgare ſolent,& Sacerdotibus palam ſignificare.lib 1. quæſt.25.num.13.& 14.
Abſoluere non debet Sacerdos, niſi actus pœnitentis illi noti ſint.lib.1.q.16.num.4.
Abſoluere poteſt à peccato veniali, & mortali, quod ſemel pœnitens legitimè confeſſus eſt, quilibet Sacerdos, etiam ſimplex. lib.1. q.31. num.1.& 2.
Abſoluere ne poſſit confeſſarius alienæ diœceſis pœnitentem à caſibus Epiſcopo illius reſeruatis; cui confeſſario largitus eſt facultatem abſoluēdi à ſibi reſeruatis proprius Epiſcopus.lib.1.q.28. Sacerdos non abſoluit niſi ligando ad aliquid faciendum ex D.Thom. lib.1.quæſt.39.
Abſoluere ne poſſit Sacerdos pœnitentem, quem certò credit iniuſtum cōtractum iniiſſe,quem tamen iuſtum credit eſſe pœnitens. lib.5.q. 16. Opinionem ſuam, vel ſententiam Sacerdos non poteſt imperare pœnitenti contra eam probabiliter opinanti. num.2. Sacerdos abſoluere debet, eum qui hæret in opinione non damnata; & quæ à viris eruditis, & piis non improbatur.num.2.Sacerdos contra conſcientiam ſuam numquam abſoluere debet pœnitentem. num.4. Sacerdos audiens confeſſionem pœnitentis ſecus opinantis duplicem gerere poteſt opinionem,duplicem item conſcientiam,quæ opinioni reſpondet: prior opinio eſt de qualitate rei:altera de qualitate perſonæ.Cùm pœnitentem abſoluit,contraria opinantem, vtitur opinione, & conſcientia, quæ faciet qualitati perſonæ,quæ non eſt indigna Sacramento.num.4.
Abſolui ne poſſit, qui ait ab ſe non tantùm culpæ contractæ ſuſcipi dolorem, quantùm eſſet opus.lib.1.q.32.num.6.
Abſolui non poteſt à veniali culpa, cui adiuncta eſt mortifera, hac non ſublata. lib.1. quæſt.29. num.6.
Abſolui non poteſt in Sacramento pœnitentiæ, qui negat ſe animo de peccato aut non dolere, aut dolere non poſſe. lib.1. quæſt.32. num.4.
Abſoluit Deus in Sacramento pœnitentiæ principaliter, abſoluente Sacerdote miniſterialiter.lib.1.quæſt.19.num.3.
Abſolutio eſt actus iudicialis, ideo requiritur iuriſdictio. lib.6.quæſt.36.num.1. vide etiam lib.1.quæſt.35.num.5.
Abſolutio à caſibus Pontificiis cui generi Sacerdotum largiatur Decretum de caſibus reſeruatis.lib.6.q.9.num.1.& ſeqq.
Abſolutio diuidi poteſt: verùm vni omnia ſunt indicanda peccata.Grauiſſimi,& multi Theologi hanc aiunt conſuetudinem eſſe Eccleſiæ, vt inferior abſoluat,à quibus poteſt,peccatorum omnium audita confeſſione. lib.1. q.29. num.2. & 4. Neque Sacerdoti, aut Eccleſiæ impoſita eſt neceſſitas integrè abſoluendi, ſicut pœnitenti integrè confitendi.nu.3. Nec tribuenda eſt abſolutio à peccato, cui eſt annexa excommunicatio,niſi prius remota cenſura excommunicationis num.6.
Abſolutione nemo priuandus,niſi qui ſua culpa eſt indignus.lib.5.q.15.num.2.
Accuſati quando poſſint Prælati, ex Alexandro Halenſi canones interpretante, qui videntur eſſe aduertit.lib 4.quæſt.4.num.5.
Actio omnis, & quidquid habet aliquam eſſentiam,eſt à Deo.lib.5.q.9.num.2.
Actio,& obligatio ſunt ad aliquid: ſi non datur actio,nec obligatio.lib.3.quæſt.5.num.6.
Actio facilius tollitur, quàm exceptio. lib.5. quæſt.144.num.2.
Actio locum habet in iudicio. lib.3.quæſt.10. num.7.
Actio perſecutoria datur contra heredes,ſed non pœnalis.lib.4.q.42.num.2.
Actio perſecutoria,& pœnalis, quæ dicatur. lib. 4.q.42.num.2.
Actionem ex improbitate ſua nemo conſequitur.lib.3.quæſt.5.num.6.
Actionem iniuriarum, & quod noſtra intereſt, non tenemur remittere inimicis. lib.4.q.32. num.12.Actio iniuriarum tam iuſta eſt,quam ablatæ pecuniæ repetitio, nec ad eius condonationem cogitur quiſquam ex Turrecremata, & multis aliis doctoribus in ead.quæſt. & num.
Actio iniuriarum quomodo aboleatur. in ead. quæſt.num.13.
Actioni vbi non eſt locus, ibi nec obligationi eſſe poteſt.lib 3.q.5.num.6.
Actio humana ſine cognitione,& deſiderio finis nequit ſuſcipi.lib.1.q.46.num.4.
Actiones quædam ſunt,& quidam ſunt effectus, qui ſtatim ipſo nomine prauitatem indicant. lib.5.q.7.num.3.

Actor idem, & iudex eſſe nemo debet. lib. 1. q. 141. num. 5.

Actus exterior moralis non eſt ſine interiore. lib. 4. quæſt. 6. num. 9.

Adam minus, quam Eua peccauit. lib. 4. quæſt. 52. num. 2.

Adoleſcentem hæc duo decent ex Platone, verecundia in turpibus, & ſtudium in rebus honeſtis. lib. 5. q. 11. num. 6.

Adoptatur etiam, qui non eſt compos mentis. lib. 1. q. 22. num. 7.

Adorans Dæmonem credens eſſe Angelum ſanctum peccat, ex Alexandro Halenſi. lib. 1. q 1. num. 5.

Adulter correctus adulteram non correctam recipere non cogitur. lib 1. q. 143. num. 3.

Adulteram quamuis pœnitentem recipere vir innocens iure conſcientiæ non cogitur. lib. 1. q. 144. num. 1 & ſeqq. ſed præcipuè. num. 4.

Adulteram recipere debet vir ſi mœchatur etiam ipſe, quamuis ſit adulterium occultum. lib. 1. q. 143 num. 2. ſi ſit inſanabilis, nec corrigi velit ad vſum tori admittere non debet. in ead. quæſt. num. 3 & lib. 1. q 144 num. 4.

Adulteræ, quamuis ſit Eccleſiæ iudicio condemnata, vir adulterans reconciliari debet iure conſcientiæ. lib. 1. q. 144. num. 5.

Adulteram tribus temporibus non cogitur vir eiicere ex Paludano. lib. 1. quæſt. 144. num. 6.

Adulterante altero coniuge alter innocens ingredi poteſt religionem, vel ſacris initiari, quamuis diſſentiat qui adulterauit lib. 1. q 144. num. 4.

Adulteræ nec alimenta, nec copula, nec conuictus debetur iure conſcientiæ. lib. 1. q. 141. nu. 1. Ceſſante ſcandalo dimitti ne poſſit. num. 1. & ſeqq. Quando abſque ſententia Eccleſiæ dimitti poſſit num. 5.

Adulterans occultè ius exigẽdi debitum non amittit. lib. 1. quæſt. 135.

Adulterium iure priuat exigendi debiti. lib. 1. quæſt. 139. num. 2.

Adulterium cum promiſſione futuri matrimonij, vt illud dirimat, requirit in vtroque adulterante legitimi viri ſuperſtitis notitiam. lib. 1. quæſt. 116. num. 3.

Adulterium, vt ſit impedimentum dirimens, quattuor requirit. lib 1. quæſt. 130. num. 3. Totidem requiruntur in eo, qui vxorem quampiam duxit, dum vir eius viueret. eod. num.

Aduocati quam culpam præſtent, cùm ſunt cauſſa damni lib. 4. quæſt. 44. num. 2.

Aduocatus qui ſuo patrocinio facit, vt mercatores cauſſa cadant exiſtimans eorum cauſſam iniquiorem eſſe; deinde intelligit eam ſolam iuſtam fuiſſe. Num quidpiam præſtare debeat mercatoribus. lib. 4. quæſt. 44.

Ædificans mala fide in alieno ſolo ædificium, materiæque proprietatem amittit. lib. 4. quæſt. 26. num. 3.

Æquipollentium ea natura eſt, vt de iis idem ſit iudicium. lib. 1. quæſt. 104 num. 12.

Æquitas ius primum diuinum. lib. 1. q. 93. num. 10.

Æquitas naturalis ſpectanda in foro Dei. lib. 4. q. 19. num. 2.

Æquitas ſuadet, vt nonnumquam liceat ſecus facere quam lex præſcribit. lib. 3. q. 4. num. 5.

Æquum, & bonum non tam pertinet ad finem legis, & legiſlatoris, quam ad legis ipſius eſſentiam lib. 7. quæſt. 17. num. 9.

Æs alienum contractum ab Abbate in morbi curatione ab eo non ſolutum poſt eius interitum à ſucceſſore diſſolui debet. lib. 1. quæſt. 87. num. 1. & ſeqq.

Ære alieno preſſus, ingredi ne poſſit religionem. lib. 2. quæſt. 16. num. 3. & ſeqq. Refelluntur argumenta Gerſonis num. 5. & 6 Propter eos, qui ære obruti alieno ingrediuntur religionem videnda eſt conſtitutio Xiſti V. quæ incipit, *Cum de omnibus Eccleſiaſticis*. § ceterum. num. 6 in fine.

Æſtimatio rei, quæ in ſocietatem confertur, non ſemper pro venditione habenda eſt. lib. 3. quæſt. 12. num. 4.

Æſtimata res habetur pro vendita ex ſententia multorum. lib. 3. q. 12. num. 2.

Affinitas ex fornicario coitu non contrahitur ſine ſeminis effuſione intra vas naturale mulieris. lib 1. quæſt 130. num. 1.

Affinitas nata ex legitimo matrimonio progreditur ad quartum gradum ex declaratione Pij V. num. 2. in ead quæſt.

Affinitas oritur ex cõcubitu viri, & mulieris, quamuis nihil emittat mulier, dummodo vir emittat. lib 1. quæſt. 130. num. 2.

Affinitatis genus primum dumtaxat dirimit matrimonium. lib. 1. quæſt. 119.

Affinitatis genera quemadmodum deſignentur. in ead. quæſt. num. 2.

Agentia phyſica requirunt in materia, quam tangere debent, diuerſum ſitum, ſi ſunt ipſa diuerſa. lib. 1. quæſt. 5 num. 4.

Agentia plura in eadem materia agere non poſſunt. lib. 1. quæſt. 5. num. 3.

Agit facilius vnum in multa, quàm multa in vnum, tum in phyſicis, tum in artificialibus, tum in politicis. lib. 1. quæſt. 5 num. 2. & 3.

Alchimiſtarum auro an liceat in ciuilibus commutationibus vti. lib. 3. q. 33. num. 1.

Alchymiſtæ verum aurum efficere non poſſunt. lib. 3. quæſt. 33. num. 1. & ſeqq.

Aleator clericus depoſitione, & excommunicatione dignus. lib. 1. quæſt. 92. num. 2. & mortiferum eſt crimen ludere alea. num. 3. Nouem peccata numerat Turrecremata ex Raymundo, quæ inſunt in ludo aleatorio. num. 3.

Aleatores ſunt malæ fidei poſſeſſores, & iniuſto titulo poſſident ex D. Bonau lib. 3 quæſt. 10. nu. 8.

Aleatorio in ludo amiſſum vendicare poteſt pàret, procurator, ſeu heres, his non acquirentibus, rem

amiſſam lucratur fiſcus.lib.1.quæſt.92.num.5.

Alearum ludum ſpectare non licet clericis. lib.1. quæſt.92.num.1.

Aleam ſequentes ſunt infames ex ſententia cuiuſdam doctoris.lib.1.quæſt.92.num.2.

Aleæ ludus lethalis, quando initur animo lucrandi rem magni momenti. lib.1. quæſt.92. num.2. In alea quot ſunt puncta, totidem ex ea naſcuntur crimina ex D.Ant.Eſt diuina,Eccleſiaſtica,& ciuili lege damnatus aleæ ludus. num. 3. Infamiam inurit.ibidem.Cogentis ad ludum aleatorium pœnæ. num.4. Vituperantur ab Ariſtotele huic ludo dediti.num.5.

Alexander magnus captis Thebis pepercit Sacerdotibus. lib. 1.quæſt.92.num 4.

Aliena tradi alteri non poſſunt.lib 4.q.1.num.6.

Alienare ne poſſint non mendicantes non conſulto Romano Pontifice bona immobilia,quibus ſunt mendicantium conceſſa priuilegia. lib. 3. q 20. num.1.& ſeqq.Probatur non poſſe.num 2.& ſeq. Multi Pontifices commemorantur, qui vetuerunt rerum Eccleſiaſticarum alienationem.nu.2. Vide in verbo Mendicantes.

Alienatio rei Eccleſiaſticæ ſine euidenti vtilitate nulla.lib.3.quæſt.19.num.1 & quæſt.4.num.4. & 5. Nulla etiam facta ſine Romani Pontificis auctoritate.ibid.

Altaria, & capellæ, quibus clericis conferri poſſint.lib.1.quæſt.91.num.1.& ſeq.

Ambiguitas triplex.lib 4.quæſt.47.num.4.

Amicitia aut virtus eſt, aut non ſine virtute ex Ariſtotele.lib.5.q 11.num 7.

Amor virtutum refertur in amorem Dei. lib.5.q 7. num.6.

Animæ plus iuris eſt commorandi in ſuo corpore, quàm iudici in extrahenda, aut illa ſegreganda à corpore, ex Henrico Gandauenſi. lib.4.q.15. num.2.

Anima ius habet proprietatis in corpus ſuum,iudex non habet ex eod.Theolog.eod num.

Animæ nec ad punctum temporis deſerere poſſunt ea loca, ad quæ diuino iuſſu migrarunt. lib.4. quæſt.5.num 1.

Animæ mortuorum latent quæ apud nos geruntur: tribus autem modis ſcire poſſunt. lib.4.q.5.nu.1.

Animæ defunctorum cùm apparent mortalibus inter miracula numerat D.Thomas.lib.4. q.5.n 3.

Animæ principatus in corde. lib.1.q 8.num. 1.

Apoſtaſia quotuplex, & quæ eius pœnæ. lib 7.q.5. num.4.Seueris pœnis Paulus 4. animaduertit in eum,qui ſuarum religionum apoſtatas, aut nutrit,aut illi fauet.eod num.

Apoſtoli locus ad Rom.13. *Omnis anima poteſtatibus,&c.* probatur non tantùm ad Principum,ſed etiam Prælatorum poteſtatem pertinere: eius interpretatio vera docetur.lib.1.quæſt 93.nu.25.

Appellare pro eo qui ducitur ad necem,poteſt quilibet etiam inuito reo. lib. 4.q.28.num. 3.

Appellari à quouis Principe ad Romanum Pontificem poteſt.lib.4.quæſt.36.num.2.

Appellatio datur etiam confeſſis: & ſi metuitur perſona Iudicis,appellare licet ad hominem honeſtum. lib.4.q.28.num.3. id priuilegium fauet reo intra dies decem à ſententia lata. ibidem.

Aqua naturalis in conſecrando corpore Chriſti requiritur neceſſitate præcepti, & Sacramenti: in conficiendo autem ſanguine neceſſitate tantùm præcepti.lib.1.q 40.num 4.Qui erratione mentis in conſecratione ſanguinis aquam omitteret, mortiferæ culpæ reus eſſet:ſi erratio è rebus vanis, nec licitis eſſet orta, vt ſcriptum reliquit Albertus magnus,in 4.ſent.diſt.12.art.7.

Arbitri Iuriſdictionem non habent,ſed tantùm notionem.lib.1.quæſt.101.num.6.

Archibuſettos, ſeu tormentula ænea qui retinent, rei ſunt maieſtatis ex Conſtitutione Pij IV: quam confirmauit Pius V. lib.6.q 12 nu.1. Magiſtratibus autem,qui facultatem dant deferendi hæc puſilla tormenta, pœnam infligit ſuſpenſionis à diuinis,atque excommunicatis latæ ſententiæ: quam tamen auctor Conſtitutionis non ſibi reſeruat.eod.nu. Hanc Conſtitutionem Pius V cùm ſuis pœnis porrexit ad eos,qui penſiones, aláve arma, quorum longitudo ſit tribus palmis contractior,deferunt ſeu retinent: & qui cultros habent vno palmo breuiores, & quorum non ſit acies retuſa, ſeu ſine cuſpide. Vtraque Conſtitutio eos tantum deuincit,qui ſunt in ditione Romanæ Eccleſiæ. ibid. Ambæ Conſtitutiones quoſdam iniiciunt ſcrupulos, qui eximuntur. num. 1.& ſeqq.

Arcta mulier diſtracta à primo viro,& habilis facta à ſecundo.num reddenda primo.lib 1.quæſt.118. num.3.4.& 5.

Argumentum à pari, & à maiori ad minus reſpiciunt cenſuræ: ſed illud negligere non debent,quod eſt à repugnantibus.lib.6. q. 11.nu.8.

Areopagitæ ſeueriùs animaduertebant in eum, qui munere, & per ſuam,quam qui vi alienam vxorem corrupiſſet.lib.3 q.6.num 5.

Armorum genere num gladioli, lapides, & quædam alia intelligantur.lib.6 q.10.num. 2.

Ars notoria quid ſit.lib.1.q 20.num.1.& 2.

Artaxerxes immunitatem conceſſit Miniſtris veri Dei.lib.1.q.93.num.8.

Articulus mortis id largitur, vt poſſit quilibet cuilibet Sacerdoti de ſuis peccatis confiteri.lib.6. quæſt.27.num.2.& 3. Probatur id multis argumentis.num.4. & ſeqq. Poteſt quis in eum articulum coniectus Sacerdoti etiam excommunicato,atque hæretico confiteri.lib.1.q.21.num.1. & ſeqq.& q.22. in eod.lib. In mortis articulo quilibet tenetur iure diuino confiteri peccata ſua Sacerdoti. lib. 1.q.21.num.3. In mortis articulo nulla eſt reſeruatio caſuum. lib.1.q.21. nu. 1.& ſeqq. Num in eod.articulo poſſit pœnitens abſolui etiam in foro exteriore à cenſuris reſeruatis.lib.6.q.27.num.6. In articulo mortis is qui

abſo

Digitized by Google

abſolutus eſt à caſibus reſeruatis, non eſt opus vt ſiſtat ſe reſeruatori pro abſolutione ſi conualeſcat.lib.1.q.30.num.2.

Artifices, qui tamquam periti artem exercent ſuam, ob damnum datum tenentur de leui culpa, atque etiam interdum de leuiſſima. lib.4.q.44.num.2.

Aſtra calefaciunt mortalia corpora, cum non ſint calida.lib.6.q.15.num.2.

Aſtrologicæ prædictionis nulla poteſt eſſe ſcientia.lib.4.q.33.num.5.

Aſtrologorum prædictiones ſacrarum litterarum teſtimoniis, & rationibus improbantur. lib.4.q.33.nu.3.& ſeqq. Quæ aſtrologi vera prædicunt, præ iis, quæ mentiuntur, vix partem eſſe milleſimam aiebat Phauorinus philoſophus. ibid. num.5.

Attentio neceſſaria canonicis horis adhibenda quænam ſit: quotuplex ea ſit; & quæ ſatisfaciat præcepto. lib.1. quæſt.63.num 1. & ſeq. eſt percepta in cap. Dolentes, de celebratione miſſarum. num.1.hypotheſi prima.

Attentio, & deuotio res duæ ſunt notione, & natura longè diuerſæ.lib.1 q.63 num.3. hypotheſi 2.

Attentio non eſt virtus, deuotio eſt virtus: illa eſt in animi intelligentia, hæc in voluntate.in ead. q.63.num.3.Attentio ſine deuotione eſſe poteſt, & deuotio ſine attentione.ibidem.

Attentiò duplex, item deuotio, vna interior, altera exterior lib.1.q.93.num.4. Vitium attentioni, & deuotioni oppoſitum item eſt duplex., vnum interius, alterum exterius ibidem. Cui orationi iure diuino ſit neceſſaria attentio. ibidem. Attentionem, quæ interior eſt, non potuit percipere Eccleſia num.5. Diſtractionem exteriorem, quæ cum animi attentione orantis Deum cohærere non poteſt, prohibet Eccleſia.eod.num. Quamuis ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, qui diſtinctionem in horis canonicis vitat exteriorem, tamen ſemper eſt in culpa, qui diſtractionem animi interiorem non repellit. nu.7. fieríque poteſt vt in ea diſtractione culpa ſuſcipiatur lethalis. ibid.

Attentionem triplicem vſurpare poteſt, qui orat, quibus ſingulis Deo ſatisfit, & Eccleſiæ. lib 1.q. 63.nu.7. Quænam attẽtio ſit maximè neceſſaria, quæ ipſa in rudibus etiam reperiri poteſt in eadem quæſt. & num.

Auctoritas rationi cedit.lib.5.q.15.num.8.

Auctoritate cum iuriſdictione nemo poteſt vti contra ſe, ſed pro ſe.lib 1.q 101.

Aurum, & argentum verum extra aluum terræ factum eſſe, nondum eſt animaduerſum. lib.3. q.33. num. 2.& 3.

Auri ramenta, quæ in fluuiis inueniuntur, vnde exiſtant.lib.3.q.33.num 4.

Aurum verum à ſolo Deo, cauſíſque naturalibus procreatur.lib.3.quæſt.33.num.1. eius cauſæ veræ quænam ſint.ibid.

Auſtris flantibus res multæ, quæ pondere veneunt, in venditione luctum gignunt; at iacturam faciunt, cum boreę flatibus eædem ſiccantur, fiúntque leuiores.lib.3.q.21.num.2.

B

BAptiſmus à Catholicis appellatur ſacramentum fidei; quia in eo profitemur fidem. lib. 3. q.10. num.1.

Baptiſmus ianua ſacramentorum. lib.1. quæſt.2. num.2.

Baptiſmus adminiſtrari poteſt tribus modis immerſione, aſperſione, effuſione. lib.1.q.4.num.3. Præcipiens Chriſtus baptizari *In Nomine Patris*, &c voce illa, *Nomine*, noluit intelligi aliquid commune tribus hypoſtaſibus, ſed earum nominationem ex interpretatione D.Baſilij, & Cyrilli. lib.1. q.10. num. 6. Vnius Baptiſmi numero, vnus debet eſſe miniſter, vna actio numero. q.11. num.2.

Baptiſmus totum Chriſtianæ legis iugum baptizato imponit.lib.1.q.122.num.6.

Baptiſmus opus eſt Dei, matrimonium à conſenſu hominum ex D.Bonau.lib.1.q.122 nu.7. In baptiſmo operatur Deus, adoperatur homo, ex Altiſſiodoro: in matrimonio operatur homo ex eod.lib.1.q.122.num.7. Diſcrimina alia inter baptiſmum, & matrimonium vide apud Scotum, de quo in ead.q.noſtra num.7.

Baptiſmi ſacramentum perficitur, ſi adſit inuocatio ſanctæ Trinitatis, & exprimatur actio miniſtri ex Concilio Florentino.lib.1.q.9.nu.5.& quæſt. 10.num 6.

Baptiſmi forma, ſi interrumpatur, non valet lib.1. quæſt.7. Ad formam baptiſmi non pertinent omnia, quæ ſunt in forma Latina.eod.lib. quæſt. 10.num.3.

Baptiſmi forma, qua vtuntur Latini, Chriſti verbis magis conſentanea eſt, quàm Græcorum. lib.1. q.9.num.3.

Baptiſmi miniſter vnus debet eſſe ex inſtitutione Chriſti, vt ait Scotus lib.1.quæſt.11.num.1.

Baptiſmi iteratio pendet veriùs ab iteratione materiæ, & formæ, quàm ab animo baptizantis, lib. 1.quæſt.1.num.6.

Baptiſmus recedente fictione incipit valere. lib.1. quæſt.19.num. 4.

Baptiſmus non ſoluit matrimonium contractum in infidelitate, altero coniuge conuerſo ad fidem. lib.1.q.126. num.2. ſed num ob eas tres cauſſas quæ ſunt in Decretali quantitate de diuortiis ipſo iure ſoluatur coniugium dubitari poteſt. num.3.& 4.

Baptiſmus id confert baptizato, vt nefas ſit de eo malè opinari, niſi conſtet eum poſtea peruerſè agere.lib.1.quæſt.123.num.6.

Baptiſmi dandi ignorantia in rudi, ruſticáve plebe qua via cognoſci poſſit.lib.1.quæſt.1.num.7.

Baptiſmus hac forma datus à muliere *Io ti battezzo col Padre, col Figliuolo, & con lo ſpirito ſancto.*

Digitized by Google

Vtrum ſit ſub conditione iterandus.lib.1.qu. 10. num.1. & ſeqq. In forma baptiſmi ſatis eſt exprimere actum,qui exercetur à miniſtro cum inuocatione diuinarum perſonarum in ead.q.num.6.

Baptiſmus in frõte ſuſceptus digito vel manu abluta,vel madefacta baptizantis,ratus eſt.lib.1.q.12.

Baptiſmus ex communi ſententia Theologorum non valet,niſi omnes diuinæ perſonæ exprimantur.lib.1.quæſt.6.num.3.

Baptiſmus appoſita conditione non eſt dandus infanti, qui baptiſmi recepti chirographum gerit. lib.1.quæſt.1.num.1.& ſeqq.

Baptizandum ne ſit monſtrum, quod excepto capite reliquis membris humanis prædirum eſt lib.1. quæſt.8.num.1. & ſeq.

Baptizandus eſſet infans cum conditione expoſitus in nemore abſque nota collati baptiſmi ex Paludano,& aliis. lib.1.quæſt.1.num.1.

Baptizandus non eſt cum conditione,qui ſui baptiſmi teſtem vnum habet, licet eſſet vetula ex Palud. & aliis.lib.1.qu 1.num.2.&.5.

Baptizanda ne fuerit cum conditione puella, quæ homini donata Chriſtiano ſæpius dixit Chriſtianam ſe eſſe;idque ad extremum negauit.lib.1. q.3.num.2.

Baptizanda abſque conditione erat mulier in matrimonium collocata, de cuius baptiſmo dubitauit mater Angeli adſpectu perterrefacta. lib. 1. quæſt.2.num.2.

Baptizans vſurpata hac forma verborum, *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filij, Ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti.* iterare ne debeat baptiſmum.lib.1 q.7.

Baptizans *in nominibus Patris Filij & Spiritus ſancti*,nihil efficiet.lib.1.q 10.num.2.

Baptizare vnum nõ poſſunt plures ita vt baptiſmus valeat. lib 1.q.5. vbi id multis confirmatur Argumentis.Baptizare nefas vno pronuntianti formam, altero abluẽre corpus:nec talis baptiſmus valet.lib.1.q.11.num.2.

Baptizari nequit infans in materna aluo totus incluſus lib.1.q.23.num.1.& ſeqq.

Baptizare ſimul plures ſine neceſſitate culpa eſt mortifera.lib.1.q.4.num.1.& 2.

Baptizare ſine venia eius, qui eius rei promittere poteſt poteſtatem tempore excepto neceſſitatis irregularem eum efficit, qui non eſt Sacerdos. lib.1.q 6.num.1.

Baptizare in Patrem, in Patre,cum Patre videntur eſſe paria. lib.1.q.10.num 4 & 7.

Baptizare cum conditione nõ licet, niſi ſit dubium veriſimile.lib.1.q.1.num.2. Baptizans extra articulum neceſſitatis ſi vir non Sacerdos ſit,fit irregularis.lib.1.q.6.num.1. Baptizans, omnes tres perſonas diuinas exprimere debet neceſſario. lib.1.q.6.num 2 & 3.& cur.num.3.

Baptizari debet monſtrum tot adhibitis baptiſmis, quot in eo ſunt corda, vel animæ.lib.1.q.8.nu.2.

Bartolus ad iudicium mercatorum, & opificum pleraque ſua elucubrauit.lib.5.q.15.num.6.

Baſilienſe decretum de vitandis excommunicatis, qui nam ſecuti ſint.lib.6.q.55.n.3.

Beneficiarius non reſidens, aut non recitans horas canonicas,non facit fructus ſuos lib.1.quæſt.57. num.5.

Beneficiarius patrimonio diues, ſi videt labantem Eccleſiam, cum diuini cultus detrimento non tantùm fructibus beneficij, ſed etiam bonis patrimonij reficere eam debet.lib.1.q.82.num.2.

Beneficiarij, qui impuris, & indignis Eccleſiarum bona largiuntur, reſtituere'ne Iuſtitiæ legibus cogantur Eccleſiis, aut pauperibus. lib.1.q.71.nu. 1.& ſeqq. Inter beneficiarium, & beneficium eſt quoddam ſpiritnale matrimonium.l.1.q.71.nu.8.

Beneficij Eccleſiaſtici definitio apud Panormitanum & Nauarrum requirit, vt dans,& recipiens beneficium perſona ſit Eccleſiaſtica. lib.1. quæſt. 78.num.7.

Beneficium datur propter officium ſeu obſequium lib.1.q.57.núm.5.& lib.1.q.73.num.5. & lib.6.q. 41. num.4. & propter minus obſequium, maius deferre beneficium eſt contra ius naturæ. lib. 1. quæſt.73.num.5.

Beneficium Eccleſiaſticum vitæ, & conditioni alicuius ſuſtinendæ quod nam ſit idoneum. lib.1. q.74. in qua hac de re copioſè diſputatur,& Maioris,& Nauarri opinio refellitur. num.4.5.6.verior conſtituitur.num.7. Concilij Baſilienſis.n.2. Pariſinorum ſententia.num.1.recitatur.

Beneficia adepti eccleſiaſtica per aſſimulatam virtutis ſpeciem, num dimittere ea debeant. lib. 1. quæſt.72.

Beneficia omnia vnius Prouinciæ poſſunt in vnum conferri, quando nemo alius dignus reperitur. lib.1.q.72.num.3.

Beneficia, & Eccleſiæ comparantur cum pupillis. lib.3.q.19.num.1.

Beneficium ſimplex de iure requirit reſidentiam ex Innocentio, aliiſque multis,ſed à conſuetudine impetratum eſt teſte Panormitano,vt per alium ei inſeruire quis poſſit.lib.1 q.61.num.3.

Beneficiorum pluralitas excuſatur propter neceſſitatem,aut vtilitatem.lib.1.q 73.num.2. Iure diuino, & naturali eſt interdicta in ead.quæſt.nu. 1. Cauſſæ legitimæ diſpenſandi exponuntur. nu. 2.3.4.5.& 6. In ea diſpenſare quis poſſit num.9. Qui non vnus, ſed plures eſt in beneficiis, non vnus, ſed plures erit in ſuppliciis ex D. Bern. num.8. Diſce exemplum auditu horribile in eadem quæſt. num.7. Plura beneficia habere licet interdum in ead.quæſt.num.9.

Beneficij fructus à die collationis ad Beneficiarium pertinẽt.lib.1.q.69.num.2.è beneficio ſterili non gignitur onus diuini officij perſoluendi.num.3.

Beneficij tenuis, quod pauper obtinet, quo ægrè vitam ſuam ſuſtinet: num fructus cum Eccleſia communicare debeat.lib.1.q 82.nu.1.& ſeqq.

Beneficij ſui fructibus viuere ne poſſit, qui patrimonio vitam commodè colere poteſt. lib.1. q.81.num.1.& ſeqq.

Beneficium adipiſcens animo non ducendæ vitæ clericalis,nec beneficium facit ſuum,nec fructus beneficij ſuos.lib.1.q.7.num 1.& 2.

Beneficium retinere non poteſt, qui nec tonſuram, nec habitum defert poſt Conſtitutionem Xiſti V. lib.1.q.79.num.2.

Beneficij poſſeſſor migraturus è vita aliquid dilargiri poteſt pauperibus atque iis, qui in eum officioſi extiterunt.lib.1.q.76.num.4.

Beneficio ſimplici quattuordecim annorum ætas eſt idonea.lib.1.q.91.num.1.Immò multi beneficium ſimplex in puerum ſeptem annorum cadere poſſe crediderunt.eod.num.

Beneficij, & virtutis præmium honos eſt, non vtilitas,ſeu lucrum ex Ariſt. lib.1.q.76.num.4.Qua ratione remunerandum ſit beneficium.eod.nu.

Beneficium naturalem parit obligationem in eo qui accipit.lib.1.q 76.num.1.

Beneficia paterna exæquari à filiis non poſſunt. lib. 1.q.76.num 3.

Beneficium à Principe indultum non eſt alicui auferendum.lib.1.q.109 num.6.

Bigamiæ ſpecies tres.lib 1.q.56.num.7.

Bigamiæ diſpenſatio ſpectare ne ad Epiſcopū poſſit: eum cum Religioſis diſpenſare poſſe magni Theologi ſenſerunt. Communis eſt Theologorum opinio epiſcopum non poſſe in maioribus ordinibus diſpenſare.lib.1.q.107.num.5. num in minoribus poſſit,diſputatur.num.6.

Bigamus eſſet,qui Virginem duceret vi corruptam, quamuis nec inferenti vim, nec congreſſus eſſet aſſenſa.lib.4.q.18.num.4.

Bigamus eſt,& irregularis qui ſuam vxorem adulteram cognoſcit, quamuis crimen ignoret vxoris.lib.1.q.107.num.3.

Blaſphemia quid ſit ex ſententia tum Patrum, tum Theologorum. lib.4. q.9.num.2.& 3. Ad rationem eius non pertinet ſentire falſa de Deo, ſed dicere falſa.num.3. Poteſt eſſe cum fide,& ſine fide.ibid. Contraria eſt confeſſioni fidei, non fidei eod. loco ex D.Thoma. Conſiſtit propriè in verbis,non in factis.ibid.

Blaſphemia eſt maximum peccatum pertinens ad genus infidelitatis,& illud aggrauās ex D.Thoma.lib.4.q.9.num.11. ex genere ſuo grauius eſt peccatum, quàm hæreſis, & cur. in ead. quæſt. num.12.

Blaſphemia, quæ odium habet Dei, ſine hæretica aſſertione eſt peior hæreſi. lib 4. q.9.num 12. Omnium grauiſſima quæ vituperatione Dei delectatur.num.11.

Blaſphemia quotuplex ſit.lib.4.q.9.num 4. & nu.8. Varij exponuntur modi blaſphemandi num.9.

Blaſphemiæ in Deum, in ſanctiſſimam Virginem, & in ſanctos ſpecie differunt. lib. 4. quæſt.9. num.7.

Blaſphemię damnatorum,& non damnatorum ſpecie differunt, ex D.Thoma, & Alex. Hal. lib.4. q.9.num.4.

Blaſphemia tam oris, quàm cordis triplex. lib.4 q.9.num.5.

Blaſphemia hæretica quæ nam ſit.lib.4 q.9.num.10. Quæ vehementem hæreſis ſuſpicionem habet, pertinet ad Inquiſitores.num.10.& 14.

Blaſphemantes Chriſtum regnantem in cælis non minus peccant, quàm qui crucifixerunt in terris. ex D.Auguſt.lib.4.q.9.num.11.

Blaſphemia publica quæ nam ſit.lib.4.q.9.num.15. Num ſit publica reſeruata Epiſcopo.num.16.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum quænam ſit. lib.4. q.9.num.18.Num condonari poſſit.ibid.Cur eius peccatum dicatur irremiſſibile. num.21.22.23. quæſtionem hanc magnam appellat D.Auguſtinus,eiſque ſoluendæ imparem ſe fatetur.nu.eod. ex eius ſententia quid ſit.num.18.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum non ſit ſine execrabili odio Dei: ex Richardo de ſancto Victore.lib.4.q.9.num.19.

Blaſphemiam ſiue peccatum in Spiritum ſanctum probat à reliquis peccatis eſſe diſtinctam D.Bonauent.lib.4.q 9.num.20.

Blaſphemia ſiue peccatum in Spiritum ſanctum de quo Chriſtus Dominus in Euang. ex Patrum interpretatione peccatum fuit Iudæorum opera Diuinitatis Chriſti Diabolo aſſignantium. lib.4. q.9.num.18.

Blaſphemus, ſi animaduertat ſignificationem verborum, cum blaſphemat, non vitat culpā mortiferam ex D.Thoma, aliiſque Doctoribus. lib.4. q.9.num.13.

Blaſphemans ex conſuetudine, quamuis ſignificationem verborum non percipiat, mortiferè peccat,num.13.

Blaſphemia adiunctum habens errorem intellectus hæreſis eſt cum excommunicatione reſeruata in bulla Cœnæ.lib 4.q.51.num.1. propter blaſphemias,fames,terræmotus,& peſtilentiæ eueniunt, vt eſt in Authent.lib.4.q.9.num.15.

Blaſphemiarum in Hiſpania iudices ſunt Inquiſitores. lib.4.q.9.num 10. In Bononienſi diœceſi blaſphemiæ contra articulos fidei reſeruantur Inquiſitori ex conſuetudine. lib. 4. quæſt. 9. num 10.

Blaſphemorum pœnæ quænam ſint. lib.4 quæſt.9. num.14.

Blaſphemus in foro Conſcientiæ ſine grauiſſima pœnitentia abſolui non debet ex Decreto Leonis X. in Concilio Lateranenſi. lib.4.q.9 nu.16. & lib 1.q.3.num.2. Qua pœnitentia in Sacramento confeſſionis auctor horum reſponſorum moralium afficere ſolitus ſit tanti flagitij reos. lib.4.q.9.num 17.in extremo.

Bona Matrimonij tria ſunt, quibus tres fines reſpondent.lib.1.q 133.num.2.Tribus bonis eſſentialibus matrimonij,qui in eo contrahendo con-

trarium

Digitized by Google

trarium animum gereret, illud eſſet nullum.lib. 4.q.13.num.5.

Bonum gratiæ maius eſt, quam bonum totius vniuerſi.lib.6.q.53.num.3.

Bonum commune,& diuinum eſt priuato bono,ex præſcriptione iuris diuini, ac naturalis præferendum.lib.4.q.8.num.5.

Bona fides excludit dubitationem. lib.7.q.17.nu.3. & lib.1.q.128.num.1. & lib.2. q.18.num.4. Cum mortifera culpa conſiſtere nequit. lib. 7. q. 17. num.3. Bonæ fidei nil tam contrarium, quàm ſcelus.lib.3.q 4.num.7.

Bona Eccleſiæ non ſunt dimittenda propter ſcandalum,ſicut nec alia.quæ ſunt,vt inquit D.Thomas,de neceſſitate ſalutis.lib.3.q.19.num.5.

Bona Eccleſiaſtica in Chriſti patrimonio ſunt.lib. 1.q.7.num 3.

Bona Eccleſiæ gentium ſunt vſibus attributa, ex Conc.Lateran.ſub Innocentio III. lib.1. q.70. num.2. illa pauperibus deberi,patrimonium eſſe Chriſti, & ſi in vſus non licitos inſumantur,furtum committi cum multis aliis Theologis dicit Alex.Halenſis:ſtatuitque hos neceſſariis reſtitutionis legibus adſtringi.lib.1.q.70.nu.6.7.& 8.

Bona Eccleſiæ fidelium oblationes ſunt ex can. Vrbani.lib.1.q.70.num.10. nulla poteſtate humana fieri poteſt,vt in alium vſum,quam Eccleſiaſticum & pauperum poſſint impendi. Contrarium aſſerere Petrus Sotus errorem credit eſſe grauiſſimum contra iuſtitiam,atque etiam contra Scripturam.in ead.quæſt.num 11.& communem opinionem, quæ rerum harum veritati fauet, putat Nauarrus poſt Concilium Tridentinum in fidei Catholicæ migraſſe articulum. in ead.quæſt.& eod.num.

Bonorum Eccleſiaſticorum Domini ſunt, qui ea poſſident. Locus hic tractatur vberrimè. lib.1. q.70.

Bonorum Eccleſiaſticorum pars,quæ perueniret ad Eccleſiam, ſi ea non egeat, migrat ad pauperes. lib 1.q.71.num.2. Nec humana lege fieri poteſt, vt ſua portione inopes defraudentur in ead. quæſt.num.2.

Bonorum Eccleſiaſticorum quænam vectigalia dici queant.lib.1.q 93.num.15.

Bona Eccleſiæ quæ prius, quàm ad peculium aggregarentur Eccleſiaſticum onus habebant fixum, & perpetuum, non varium, & mutabile, principi præſtare debent illud ipſum,quod antea tribuebant.lib.1.q.94.num.30.

Bonitas vitæ prima eſt in qualitatibus promouendorum.lib.1.q.72.num.5.

Bonus ſibi ipſi, & aliis perpendiculum eſt viuendi, & docendi.lib.5 q.15.num.4.

Bonus, ac virtute præditus eſt vniuſcuiuſque rei menſura: &, quod ei videtur,id eſt in omnibus ſimilibus ex Ariſt.lib 5.q.15.num.5.

Bonifacij VIII. Conſtitutio contra imponentes onera clericis,renouata eſt à Concil.Lateran.ſub Leone X. & nunc tranſlata eſt in bullam Cœnæ. lib.4.q.36.num.4.& lib.1.q.95.num.4.

Borea flante res multæ, quæ pondere venduntur, iacturam venditori adferunt; auſtro vero, quia humore opplentur, lucrum pariunt. lib.3.q.21. num.2.

Bullæ Cœnæ excõmunicationes pæne omnes ſunt propter ea irrogatæ,quæ iure diuino,ac naturali prohibentur.lib.5.q.4 num.4.

C

CÆlare aliud eſt, aliud tacere ex M.Tull. lib. 3. q.32.num.1.

Calix conſecrationem amittit, ſi ab eo ſciphus auellatur.lib.1.q.51.

Calliditas quid. lib.1.q.72.num.8.

Cancellariæ Regulæ, quæ non publicantur extra Curiam, obligant omnes extra eam degentes. lib.1.q.109.num.7.

Calor cæleſtis multas formas largitur materiæ, quas non habet ipſe.lib.6.q.25.num.2.

Calore cæleſti omnia oriuntur, & augeſcunt in terris.lib.3.q.33.n.1.

Calor ignis pullos nec generat, nec excludit. lib.3. q.33.num.3.

Cambium refertur ad contractum illum carentem nomine:do,vt des.lib.3.q.16 num.2.

Cambij materia eſt metallica, & ſubſtantia extra animum campſoris.lib.3 q.15.num.10. Materia proxima cambij eſt numeratio pecuniæ, at remota eſt pecunia.lib.3.q.16.num.2.

Cambium ſine rerum diuerſitate non conſiſtit. lib. 3.q.15.num.5. ratione ſecunda. Cambium reale vtrumque extremum habet reale. in ead.quæſt. num.6.arg.5.

Cambium Lugdunenſe, vel Biſuntinum multis argumentis, & teſtimoniis improbatur, quamuis nonnumquam iuſtè fieri poſſet lib.3. q.15.nu.2. & ſeqq.

Cambium Lugdunenſe, ſeu Biſuntinum, ſiue recurrentium ſchedarum, *Cambio della ricorſa*, vulgo appellatum ab Italis à decé, & ſeptem Theologis Societatis Ieſu, quo tempore Generalis Præpoſitus eiuſdem ſodalitatis erat Eberardus Mercurianus,condemnatum fuit.lib.3.quæſt.15. num.4.Hoc cambium nonnulla habet pro ſe argumenta,quæ refelluntur.in ead.quæſt.num.9.

Cambium recentium collybiſtarum dupliciter iniri ſolet: primo modo,cũ collybiſta,ſeu campſor ſcribit ad ſuum adminiſtrum, vt ſibi ſoluat: ſecundo modo, cùm ad communem campſoris,& campſuarij procuratorem, quem committentem appellant, dantur litteræ,nec vlla fit veræ pecuniæ ſolutio in eo loco, quo mittuntur litteræ. lib.3.q 15. & q.16. In prima quæſtione confutatur primus modus,in ſecũda ſecundus.In recenti Collybiſtarum ratione quid ſit, *Impieſtare, & trauagliare il credito*, *& ſtari del credere*. q.15. nu.10.

num.10. Cambium hoc repugnat Conſtitutioni Pij V. num.8.in ead.quæſt.
Canones ſe ad familiaris ſermonis conſuetudinem demittunt.lib.7.q.4.num.5.
Canonicatus quid.lib.1.q.61.num.2.& 3.
Canonicatus eſt beneficium ſimplex. lib.1.q.61. num.3.
Canonicus eſt beneficiarius.lib.1.q.61.num.3.
Canonicis peccatum eſt mortiferum non conuenire in templa ad diuinas laudes canendas. lib.1. q.61.num.4.
Canonicus poſſit ne parte ſuorum fructuum condonata reliquis canonicis obſequium deſerere Eccleſiæ lib.1.q.61.
Canonicis arctior eſt lex impoſita reſidendi, quam parochis ex Hoſtienſi.lib.1.q.61.num.2.
Canonicus num ſatisfaciat præcepto perſoluendi diuini officij in choro, ſi non clara voce illud recitet lib.1.q.62.num.2.
Canonico crimen eſt lethale non ſuſcipere ordinem, quem Tridentinum Concilium requirit. lib.1.q.61.num.1.
Canonicus à pſallendo magna voce, quando ceſſare queat lib.1.q.62.num.3.
Canonicus ſui Epiſcopi conceſſu poteſt certo ſpatio temporis alterius Eccleſiæ prælato inſeruire. lib.1.q.59.num.1 & 2.
Capitalis cauſſa, quæ dicatur.lib.6.q.21.num.1. In cauſſa capitali contra clericum interponiue poſſit perſona laica, prælati, iudicisue Eccleſiaſtici mandato, ſeu auctoritate num.3. Interpoſitionem huiuſmodi non licere conſtar ex litteris datis à Gregorio XIII. ad Robertum Saxatellum, quo tempore is moderabatur vicum, templúmque Lauretanum. num.4. quas literas ipſe legi.
Carcerem perfringere liceátne vinctis reis. lib 4. quæſt.15.num.1. & ſeqq. Reus carcere multatus à iudice, non impendente illi morte, illinc euadere non poteſt. num.2. Coniectus in vincula propter æs alienum ſuſtinere ea debet. num.3. prop.2. Vide exceptionem Nauarri.ibidem. Profeſſus religioſus in carcerem conditus, inde ſe eripere non poteſt.lib.4.quæſt.15.num.3.prop.3. Quod puto verè dici de carcere religioſo.
Carcerem publicum effringere nulli reo licere multifariam probatur.lib.4 q.15.num.7.& 8.
Cardinales in iis, quæ ad Pontificem Rom. pertinent repræſentant vices Eccleſiæ ex D. Ant.lib.1. q.100.num.2.
Caritas, & lex naturalis præcipit, vt quiſque ſui conſeruationem diligat.lib.4.q.10.num.5.
Caritas plus diligit vitam proximi, quàm omnia bona temporalia ex Paludano. lib.5. quæſt.8. num.8.
Caritatis ordo non ſecus quàm ipſa caritas præcipitur.lib.4.q.8.num.5.
Caritatis lege debet vnuſquiſque Dei offenſam tum ab ſe, tum ab altero remouere, quoad eius fieri poteſt.lib.4.q.56.num.3.
Carolus V. legem tulit aduerſus eos, qui credita pecunia ludunt, acquiſitionem amiſſæ irritans. lib.5.q.9.num.6.
Caſtimonia imperata clerico.lib.1.q.97.num.1.
Caſus quid valeat, & quæ ſit eius definitio. lib.1. q.23.num.1.& ſeqq.
Caſuum reſeruatio definitur.lib.1.q.23.num.4. Et refellitur definitio Nauarri num.3.
Caſus nomen tribus modis vſurpatur. lib.1.q.23. num 3.
Caſus nomine non intelligitur cenſura, ſed peccatum.lib.1.q.23.num.1.& 2. Quamquam Epiſcopi in ſuis reſeruationibus genus vtrumque nomine caſus ſignificent.num.2.
Caſus reſeruatus cùm occurrit in confeſſione, quid agendum ſit Sacerdoti.lib.1.q.29.num.1.& ſeqq. Audita omnium peccatorum confeſſione poteſt pœnitentem abſoluere, & remittere eum ad reſeruatorem; vt à reſeruatis ab eodem abſoluatur ex maximè communi Theologorum ſententia. num.1. & ſeqq. Abſoluit autem inferior Sacerdos audiens caſus reſeruatos à reatu inimicitiæ diuinæ, pœnæque æternæ; ſed ab obligatione adeundi ſuperiorem non abſoluit. num.5. Reſpondetur nonnullis dubitationibus. lib.1.q.29. num.5.
Caſus reſeruati Epiſcopis quinam ſint. lib.1. q.25. num.1.& ſeqq.
Caſus reſeruatos Epiſcopo tum iure, tum conſuetudine video.lib.1.q.25.num 4.& 5. Benedictus XI. in extrauaganti inter cunctos, de priuilegiis caſus expreſſit reſeruatos Epiſcopis: neque in hac parte fuit reuocata.lib.1.q.25.num.3.
Catechumenus non eſt aptus matrimonio Chriſtiano.lib.1.q.117.num.2.
Cathedram Romanam qui deſerit, in Eccleſia eſſe non poteſt lib.1.q.16.num.8.
Cauſſæ Eccleſiaſticæ quo iure tractandæ ſint.lib.7. q.4.num.10.
Cauſſæ piæ iure pontificio diiudicari debent.lib.7. q.14.num.5.
Celebrans coram eo, de quo dubitabat, eſſet ne publicè interdictus, qui reuera interdictus erat, incidetne in cenſuram capit.Epiſcoporum.lib.6. quæſt.47.nu.1.& ſeqq. Decretalis Epiſcopori m valet in omnes.num.5.
Cenſurarum depoſitiones, & irregularitatis ſinis qui.lib 1.q.53.num.4.
Cenſurarum ferendarum poſt Romanum Pontificem ordinariam iuriſdictionem habent Epiſcopi.lib.1.q.26.num 4. In genere cenſurarum argumentari à maiori ad minus, vel à pari parum eſt tutum. lib.6.q 49 num.2. In cenſuris durior interpretatio facienda ſi ſit tutior.num.3.
Cenſuræ non ſubeuntur niſi factum fuerit conſummatum.lib.6.quæſt.18 num.5. & lib.6. quæſt.48. num.1.
Cenſuræ magis pendent ex intentione proferentis,

tis, quàm à verbis ex Panormitano. lib.6. q. 18. num. 9. In iis durior facienda eſt interpretatio, quando dubia eſt mens ferentis cenſuram. eod. num.

Cenſuræ vires ſuas potiſſimè ſumunt à voluntate eius, qui eas infligit. lib.6.q.11. num.9. Reiiciunt argumētum à pari, & à maiori ad minus; ſed non à repugnantibus. num.8.

Cenſus formaliter quid ſit: ſubiectiuè eſt in emente. lib.3.q.14.num.7. fundamentaliter, & materialiter quid ſit. eod. num.

Cenſui propriè ſubiicitur ratio fructifera: & hæc venditur. lib.3.qu.28.num.4. fructifera ratio dupliciter ſpectari poteſt, in actu primo, & in actu ſecundo: hoc ſecundo modo ſubiicitur cenſui. lib.3.q.28.num.5. fructiferæ rationis æſtimatio indagatur in ead. quæſt. num 6. In cenſu introductum eſt conſuetudine, vt Dominus proprietatis pro fructu reddat pecuniæ annuā ſummam. lib 3. quæſt.28.num 7. Iuſtitia penſionis ſoluendæ domino cenſus perueſtigatur. num. 8 Iuſtitia hæc coaleſcit ex ſumma fructuum fundi, & æſtimatione onerum, quæ ſuſtinet dominus cenſus. n 8. conſideratione 3. Pius V. viuæ vocis oraculo de penſione Peruſini cenſus reſpondit ſeptem aureis maiorē eſſe non debere. n.10. conſid. 8. ſumma penſionis varia ſolet eſſe in cenſibus ob diſſimilem rationem fructiferam fundorū, in quibus reſident cenſus. num.11. conſid. 9.

Cenſus aliqua ſalutari lege eſſet ex orbe Chriſtiano exterminandus, quia alit otium, & patrimonia multorum euertit. lib. 3. quæſt.28. num.11. in extremo.

Cenſus eſt ſpecies emptionis; & quid ſit. lib.3.q.14. num 7.

Cenſus vitalitius certam habet amiſſionem ſortis, & certum vitæ periculum. lib.3.q.14.num.5. Ex cenſu vitalitio extincto eo, qui pecuniam tradit, fit eius dominus, qui penſionem ſoluit. lib. 3. qu.14.num.2.

Cenſus vitalitius iuſtus eſt. lib. 3.q.25.num. 1. & 6.

Cenſus vitalitij fundamentum eſt vſus pecuniæ cum tranſlatione dominij. lib 3.q.25.num.1. Niti ne debeat vita emptoris, an venditoris. num. 2. Cur iuſtè in emptoris vita conſtitui poſſit nu. 3.

Cenſus vitalitius qua ratione ab omni periculo exploratus erit. lib.3.q.25.num.4.

Cenſus omnes reales poſt Pij V. conſtitutionem perpetui ſunt ex parte eius qui emit. lib.3.q.26. num.1.

Cenſus ex cōſtitutione Pij V. vndecim exigit conditiones, quæ connumerantur. lib.3.q.26.num.2. & 3. Cautiones in eod. contractu adhibendæ ex eiuſdem Pij conſtitutione. num. 3. propè finem. Pij V. conſtitutio de cenſibus deuincit totum orbem Chriſtianum. lib.3.q 26. num.4. Quid agendum cum iis, qui aut Piam conſtitutionem nollēt recipere, aut cum iis qui cenſus non congruentes conſtitutioni celebrarunt. num.5.

Cenſus Pontificij iuſtum pretium, iuſtáque penſio inueſtigatur. lib.3.q.28.num.1. & ſeqq.

Cenſus inſtitui ne poſſit ea lege, vt poſt certum tempus repeti pecunia poſſit. lib.3.q.26.nu.1.

Cenſus ſoluendus Principi impoſitus agro, in quo conſtituunt cenſum ſuum contrahentes, ſolui ne debeat à venditore cenſus, an ab emptore. lib.3.quæſt.38.num.4.

Cenſus, & penſio non debetur in meliore pecunia, quæ earum inſtitutionem conſecuta eſt, ſed in ea, quæ erat, quo tempore inſtituebantur, aut in illius æſtimatione. lib.4.quæſt.44.num.12.

Ceremoniæ in cuiuſdam infantis baptiſmo prætermiſſæ, ſupplendæne ſint in eodem iam annos decem nato. lib.1.quæſt.12.

Certus qui eſt, vltra certiorari cum non oportet ex regula Iuris. lib.1.quæſt.109.num 8.

Character ordinis imprimitur in actu nobiliore, & magis principali. lib.1.q.52.num.2. Imprimitur ex ſententia antiquorum Theologorum in eo ſigno exteriore, in quo principalis poteſtas, quæ trahitur ordinando, ſignificatur. num.3. in ead. quæſt.

Character non impeditur propter vim, quæ non eſt abſoluta, ſed conditionata, aut inducens. lib. 1.q.55.num.1.

Choreas ducere, & haſtiludia exercere peccatum mortiferum ex Richardo. lib.5.q.11.num.5.

Chriſtus etiam vt homo Rex veriſſimus fuit: rerúmque omnium creatarum Dominus. lib.1.q. 93.num.15.

Chriſtus tributum ſoluit nulla neceſſitate coactus, ſed prorſus voluntarius. lib. q.93. num.14. quale fuerit illud tributum. ibid.

Chriſtus luce ſua colluſtrat eorum mentes, qui ad veritatem acquirendam viribus omnibus adnituntur. lib.5.q.15.num.5.

Chymiſtæ errant in materia auri. lib.3. quæſt.33. num.2.

Circumſtantia perſonæ indicanda eſt, quando non poſſumus de noſtris peccatis integrè confiteri ex communi Theologorum ſentētia. lib.1.q.18. num.2. & ſeqq.

Circumſtantia neceſſariò confitendáne ſit, cùm quis rem agit flagitioſam ſciens eſſe flagitioſam. lib.1.q.33. in qua hac de re diſceptatur.

Circumſtantiæ ſingulares infinitæ. lib.3.quæſt.28. num.15.

Ciues ſinguli non magis ſui ſunt, quàm Ciuitatis, & eorum bona non magis eorum, quam Ciuitatis ex Platone. lib.4.q.37.num.3.

Ciuitatis ſeu Reipub. Chriſtianæ, quæ conſtat è perſonis ſacris, & profanis Romanus tantum Pontifex eſt Rector, nullus ſeculi Princeps. lib.1. q.93. num.14.

Clandeſtinum matrimonium quot modis dicatur. lib.1.q.115.num.4.

Clemens VIII. opinionem aientium licere per litteras, aut per internuntium confiteri peccata,

vel

vel abſolucte non condemnauit tamquam hæreticam, ſed tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam. lib. 1. q. 16. num. 6. Verùm qui poſt Decretum illam aut defenderet, aut doceret, vti de auctoritate & doctrina Romanæ Cathedræ malè ſentiens à ſacræ Inquiſitionis Iudicibus coerceretur. lib. 1. q. 16 num. 8.

Clemens VIII. Conſtitutione ſua moderatus eſt Xiſti V. Conſtitutionem contra clericos malè promotos. lib. 6 q. 37. num. 2.

Clericorum vniuerſitas Chriſti familia eſt, cui omnis debetur immunitas. lib. 1. q. 92. num. 3.

Clerici propter Domini honorem tributa non ſoluunt. lib. 1. q. 93. num 10.

Clerici non poſſunt ſibi ſponte ſoluendi vectigalis onus imponere. lib. 1. q. 95. num. 1. & 3.

Clericis onus imponentes ſoluendi quidpiam, aut præſtandi ſine auctoritate Romani Pontificis excommunicati ſunt, ab eodem Pontifice tantùm abſoluendi, etiamſi recipiant à ſponte dantibus. lib. 1. quæſt 95. num. 4. Non tamen credimus clericos ſponte dantes hoc tempore in cenſuram incurrere excommunicationis. eod. num.

Clerici quomodo debeant iuſtis principum legibus parere: ſi non parent, non poſſunt ab iis puniri. lib. 1. quæſt. 93. num. 14.

Clericos poteſtati ſubiicere Principem cur non decuerit, quamuis Eccleſia clericos minorum ordinum patriæ manciparit poteſtati. lib. 1. quæſt. 93. num. 24.

Clerici maiorum ordinum in poteſtate vindicatrice patrum ſuorum non habentur. lib. 1. qu. 92. num. 24.

Clericus ſine auctoritate legitima prælati non poteſt conſentire in iudicem non ſuum. lib. 3. quæſt. 41. num 6. Non poteſt iuri ſuo renunciare. ibidem.

Clericus iurare non poteſt laico. lib. 3. q. 41. num. 6. in fine.

Clericorum genera quattuor ſunt. lib. 1. quæſt. 96. num. 5. Horum quinam potiantur priuilegio canonis, & fori; & qui neutro, & qui alterutro. num. 5. & 6.

Clericus ſi multitudine armata alienam inuadat ditionem, opituletur ne ei immunitas Eccleſiaſtica, vt nec comprehendi, nec occidi poſſit. lib. 1. quæſt. 96. num. 1. & ſeqq. Noſtra ſententia exponitur. num. 4.

Clericus negotians, vide in verbo Negotiatio.

Clerici delictum non nocet Eccleſiæ lib. 1. qu. 53. num. 4.

Clerici bona cenſentur eodem iure, quo bona Eccleſiæ quantum ad immunitatem. lib. 1. quæſt. 53. num. 4.

Clericus coniugatus quinam gaudeat priuilegio canonis. lib. 1. quæſt. 54. num. 3.

Clerici poſſint ne ſuis ſe abdicare priuilegiis. lib. 1. quæſt. 54. num. 3.

Clerici ſpectaculis intereſſe non poſſunt: à minorum mentis recedere debent. lib. 6. quæſt. 8. num. 3.

Clericus minoribus ordinibus præditus, niſi beneficium obtineat Eccleſiaſticum, ſine habitu, & tonſura incedens omni prætermiſſa admonitione priuilegio fori exuitur. lib. 6. quæſt. 20. num. 2. Retinet priuilegium canonis, *ſi quis ſuadente*. ibid. Item alia priuilegia, quæ clericis ius largitur. ibid. Quæ tria liquent ex reſponſo ſacræ congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium: quod adſcriptum eſt in ead. quæſtione. Vide etiam. lib. 1. quæſt. 54. num. 3.

Clerici cum quo genere feminarum habitare non poſſint. lib. 1. quæſt. 97. num. 2. & 3.

Clericus cohabitans mulieri, de qua, inquit Sylueſter, poſſit rationabilis eſſe ſuſpicio, peccat mortaliter, etiamſi ſit conſanguinea, vel affinis; & multò magis maſculus. Idem Angelus. lib. 1. q. 93. num. 3.

Clericus ſolus ad tabernaculum fœminæ non debet accedere ex decretali Lucij Papæ. lib. 1. q. 97. num. 4.

Coactio duplex vna ſufficiens, ſiue abſoluta, altera inducens, ſiue conditionata. lib. 3. q. 2. num. 3. & lib. 5. q. 7. num. 9. & 10.

Cogitare de abſente coniuge, vel de actu coniugij præterito, aut futuro cum ſenſu obſcœnæ voluptatis crimen eſt. lib. 1. quæſt. 134. numer. 2 & ſeq.

Cogitatio actus connubialis non eſt actus connubialis, ideo non licet ex ea quærere voluptatem. lib. 1. q. 134. num. 2. & 7.

Cogitatio rei malæ duplex eſt, vna ſpeculatiua, altera practica, cum affectu coniuncta, hæc peccatum eſt. lib. 4. q. 46. num. 4.

Cogitatio nullam humani iuris meretur pœnam. lib 3. q. 40. num. 2.

Cognatio ſpiritualis quid ſit. lib. 1. quæſt. 13. num. 2. & 3. Illic eſt, vbi eſt ſpiritualis generatio. num. 2.

Cognatio ſpiritualis eſt ex ſtatuto Eccleſiæ. lib. 1. q. 123. num. 2.

Cognatio ſpiritualis poſt Concilium Tridentinum non contrahitur cum vxore baptizati. lib. 1. q. 123. num. 6. Contrahitur inter virum, & vxorem, quamuis ſuadente neceſſitate alteruter filium aut baptizet, aut teneat, licet ſine ſolemnitate bapiiſmus præbeatur. lib. 1. quæſt. 7. num. 1. & ſeqq. Vtrum contrahatur ab eo, qui filium hominis non baptizati aut baptizat, aut tenet. lib. 1. q. 123. num. 1. & ſeqq. Hanc non contrahit non baptizatus, ſi baptizat. in ead. quæſt. num. 2. Vide in verbo Affinitas ſpiritualis.

Cognitio duplex: vna earum rerum, quæ non ſunt neceſſariæ ad ſalutem, quarum ignorantia non nocet; altera rerum credendarum, & agendarum, ſine quibus non conſiſtit ſalus: hac carere pernicies eſt animæ ex D. Bonau. lib. 5. q. 1. num. 4.

Cohabitationem clericorum, & mulierum leges Eccleſiaſticæ vetantes num culpa obligent mortifera clericos ſecus facientes. lib.1.q.97.num.4. & 5.

Coitum inchoatum interrumpere ſæpe eſt honeſtum lib.1.q 133.num.5.6.7.

Coitus cum vxore non ſemper eſt licitus. lib.1.q. 133.num.5.

Coitus coniugalis alius eſt licitus, alius permiſſus, alius prohibitus ex Alex.Hal.lib.1.q.133.nu 4.

Coitum inchoatum cum vxore non abſoluere, non eſt criminoſum illa non repugnante.lib.1 q.133. num.1.& ſeqq.

Collatio beneficiorum proficiſci debet non ex affectu carnis, ſed ex iudicio rationis:& quodnam ſit iudicium rationis.lib.1.q.72.num.3.

Collatio beneficij in perſonam dignam prætermiſſa digniore, rata ne ſit poſt Concilium Tridentinum, & Pij V. Conſtitutionem. lib.1.q.77. num.1.Dignior quinam exiſtimetur.num.3.Prætcrito digniore minus digno tribuere beneficium graue crimen eſt; neque contraria opinio eſt hoc tempore probabilis.num.2.

Collatio beneficij facta à laico nulla eſt, & quibus pœnis conſtringatur tam dans, quàm accipiens. lib.1.q.78.num.1.& ſeqq.Pœnæ clericorum colliguntur.num.4.& 5.laicorum verò.num.6.

Collatio beneficij,quod amittit clericus delinquẽs in Conſtitutionem Xiſti V. pertinet ad Romanum Pontificem.lib.1.q.79.num.3.

Collatio beneficij nulla etſi tribuatur ſuſpenſo, vel irregulari, vel interdicto, vel excommunicato. lib.6.q.61.num.1.

Collectæ fiunt per cenſum,& æſtimationem bonorum lib.4.q.39.num.2.Vnuſquiſque in eam confert ſuum, non alterius ibid.In iis plus tribuunt diuites,quàm pauperes ibid.

Collectarum immunes ſunt peregrini. lib.4.q.39. num.2.

Collectas ipſæ communitates ſibi imponere poſſunt, ſed vectigalia non poſſunt. lib 4 q.39.nu.1.

Comedere ſemel Angelorum, bis eodem die hominum, frequentius brutorum. lib.4.q.49.nu.1. ex Paludano.

Comicam, & poëticam imitationem,quæ non habet ſimplicem decori imitationem exterminat è rep.Plato.lib.5.q.11.num.9.

Cõmendanda Eccleſia quibus conditionibus egeat. lib.1.q.73.num.3.

Commerciorum realium extrema debent eſſe realia.lib.3.q.44 num 2.

Commodatum cùm ſit ob vtilitatẽ dumtaxat commodantis, in eo præſtatur dolus;cùm ob vtilitatem commodatarij; præſtatur etiam leuiſſima culpa; cum ob vtilitatem vtriuſque, dolus, lata, & leuis.lib.3.q.42.num 2. In ſecundo caſu præſtari etiam latam culpam communis affirmat opinio.num.2.Culpa lata,leuis,& leuiſſima quęnam ſit.eod.num.

Communicatio cum excommunicatis quando liceat.lib.6.quæſt.29.num.2.

Communicare cum excommunicatis extra caſus permiſſos an ſit lethale crimen.lib.1. quæſt.29. num.2. & 3.Vide in verbo participare.

Commutatio votorum,quæ laborem,& pericula,& expenſas habent itineris, & commorationis in loco,quo eundum eſt,cogit harum rerũ omnium rationem, & ſummam inire. lib.2.q.13. num.3. & ſeqq.

Commutationes votorum ad canones commutationum ciuilium exigendæ non ſunt.lib.2.q.13. num.4.

Commutatio voti,& redemptio verbo magis,quàm re differunt ex Gabriele.lib.2.q.13.num.4.

Comœdiarum obſcœnarum actores,& ſpectatores mortiferi criminis rei ſunt: quinque id viis oſtẽditur. lib.5.q.11.num.1.& ſeqq. Sacri canones huic hominum generi ſacram denegant Euchariſtiam,eoſque apoſtaticos appellant.nu.1. Eoſdem leges Romanæ notant infamia. eod.num. Hæc ipſa pœna probatur teſtimonio Ciceronis apud D. Auguſtinum, & Tertullian. eod. num. Exheredatur à lege ciuili.ibid. Actorum,& ſpectatorum peccatum par eſſe ait D.Ioan. Chryſoſtomus. num.3. Tertullianus decem rationibus perſuadet ſpectacula ſcenica, & impudica Chriſtianis interdicta eſſe. num.3.poſtrema verò ratio habet duo horrifera exempla.num.3. Theologi, & ſummarum ſcriptores, à quibus comœdiarum turpium actores,& ſpectatores condemnantur ſceleris, percenſentur.num.4. Rationes contra impudicos comœdos euoluuntur.num.6. & 7. Comœdi,ac mimi, de quibus eſt quæſtio, ciuitatibus eripiunt tria illa, quæ Plato legiſlatoribus propoſita eſſe ait.num.7. Rationes,contra ſpectatores turpium fabularum exponuntur. num.8. Poteſtatem non facit Plato auctoribus tragœdiarum in publicum prodeundi, niſi ante fuerint à legitimis magiſtratibus comprobatæ. num.9.

Compenſationis ius non datur in depoſito. lib.3. q.38.num.2.& lib.3.q.39.num.2.

Compenſatio locum habet in eo rerum genere quę conſiſtunt in pondere,numero,& menſura.lib.3. q.38.num.2.

Compenſatio quid ſit. lib.1.q.38.num.3. Indirecta etiam contra depoſitum datur. in ead. quæſt. & num.

Compenſationis ius eſt poſſeſſori bonorum creditoris, quamuis in iis bonis ius anterius habeant alij creditores.lib.3.q.39.num.2.

Compenſandi cauſſa debet eſſe liquida. lib.3.q.38. num.3.

Compenſandi ius datur in furto non ſeruato ordine creditorum. lib.3.q.39.num.3. Sententia Panormitani, qui non vult compenſationi locum eſſe,niſi in eo rerum genere,quæ in pondere,numero,&c. Æqua interpretatio exponitur,num.4.

Digitized by Google

Qui compenſationis ius ſibi dicunt, quid cuſtodite debeant.ibid.

Compenſare beneficia, & munera non tam eſt donare, quàm tem debitam perſoluere.lib.1.q.76. num.1.

Compenſari non poſſunt beneficia à Clerico ea parte bonorum, quæ debetur pauperibus. lib.1. quæſt.76.num.3.

Conatus, & factum non pari pœna plectuntur.lib. 6.q.18.num.4. Vide quæſt.24.nu.9.in eod.6.lib.

Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis diſputatio in vtramque partem in concionibus ad populum, & vbi tum viri, tum mulieres conuenite ſolent, à Pio V.vetita eſt,pœna propoſita ſuſpenſionis à diuinis, quæ ipſo facto incurritur;& inhabilitatis pœna adiecta ad dignitates obtinendas, priuat etiam adeptis. lib.6.q.40.num.2. Incidátne is, qui vnius partis expoſitis argumentis refutationis contrariorum iis non commemoratis iacit tantum fundamenta. lib.6.quæſt.40. num.1. & ſeqq.

Conceptionis ſigna quænam.lib.4.q.13.num.11.

Conceptus impediendi duplex eſt modus. lib.1. q.133.num.8.

Conceptus quid ſit ex ſententia Ariſt. lib.4.q.13. num.10.

Concilium generale conuocandi poteſtatem habet ſolus Romanus Pontifex. lib.1.q.93.nu.19. Illud iure poſſe cogere Imperatorem, qui dicit, hæreticus eſt.ibid. Ad Concilium generale conuocãdum Imperatores interdum Maximis Pontificibus operam nauarunt.ibidem.

Concilium Florentinum Græcè ſcriptum nonnullus ſchiſmate contaminatus ſcriptis tradidit.lib. 6.q.35.num.5.

Conciliorum multa decreta, & acta eulgari non ſolent, interdum etiam nec excipi. lib.6. q.35. num.5.

Conciliorum antiquorum canones libenter à poſterioribus renouantur,& comprobantur. lib.6. q.38.num.1.

Concubinariorum pœnæ.lib.1.q.57.

Concubinarij Sacerdotes ſunt ipſo iure ſuſpenſi;&, ſi celebrant,euadunt irregulares. lib.1.quæſt.57. nu.2.Omnes item clerici, qui notoriè ſunt concubinarij,ſunt ipſo iure ſuſpenſi. lib.6.quæſt.42. num.2.

Concubinarius notorius quinam dicatur. lib.1. q. 57.num.2.& lib 6.q.42.num.2.

Concubinarij ſuſpenſio num remoueri poſſit ab Epiſcopo.lib.1.quæſt.57.num.4. Horam irregularitas tantum remoueri poteſt à Rom. Pontifice.ibidem.

Concubinario clerico facta collatio nulla eſt.lib 1. q.57.num.4. Num poſt adeptum beneficium, ſi euadat concubinarius notorius, aut ſcortator, faciat fructus ſuos.nu.5.& 6. In vtroque.num.5. & 6 probatur non facere. Sed cui reſtituentur fructus percepti.Vide num.6.

Concubinarius clericus etiam ſuſpenſus eſt à beneficio.lib.1.q.57.num.7. Vide lib.6.q.42.nu.6. Iſtius,& ſimilium concubinariorum verum miſſæ audiri poſſint.num.8.

Concubinarij vno è tribus modis notorij vitari debent à cunctis.lib.1.q.57.num.11. Etiam vitandi diebus dominicis, nec eorum Miſſæ audiendæ. lib.6. q.42.num.9. Leges Eccleſiaſticæ quæ interdicunt, ne horum concubinariorum Chriſtianus populus interſit, ſacris æquæ ſunt.num.12.

Concubinarios publicos inducere ad Sacramenta adminiſtranda culpa eſt mortifera. lib.1.q.57. num.14.

Concubinarius clericus ſit ne ſepultura priuatus. lib.1.q.58.num.1.& lib.6.q.42.num.8.

Concubinarius poſt interitum concubinæ, qui ex ea ſuſceptos filios domi alit, poſſit ne abſolui. lib.1.q.58 num.2. Eſt ſuſpenſus,irregularis,fructus non facit ſuos, iure non tenet beneficium, ſi illud eſt adeptus, cùm eſſet concubinarius. eod.num.

Concubini domicilium cum concubina eſt maximè ab Eccleſia damnatum, nec ius largitur concubinæ ad Sacramenta.lib.1.q.110.num.2.

Concubitus cum coniuge ad explendam voluptatem quæ culpa ſit.lib.1.q.133.num.3.& 4. Vxorem cognoſcẽs ſicut meretricem mortiferè peccat.num.4. Nihil fœdius, quàm vxorem amare quaſi adulteram ex D.Hieronymo.num.4.

Concubitum, actúmve matrimonij non conſummare, niſi petat vxor, non videtur criminoſum. lib.1.q.140.num.4.

Concubitus alius licitus, alius permiſſus,alius prohibitus ex Alex.Halenſi.lib.1.q.140.num.5.

Concubitus coniugalis cauſſa ſatiandæ concupiſcentiæ leuis culpa ex ſententia D. Auguſtini. lib.1.q.13.num.3.& 4.

Condemnatus vt fame pereat, poteſt cibum quærere,& ſumere.lib.4.q.28.num.5 & 6.

Conditio quælibet in vltimas voluntates inſerta, quæ diuiniori bono aduerſatur, pro non adiecta haberi debet.lib.7.q.7.num.7.

Conditio turpis aut impoſſibilis adiecta legatis, & teſtamentis pro nulla habetur. lib.7.q.14.nu.9. Vide lib.1.q.113.num.4.

Conditio inſerta in teſtamento ad excludendam religionem eſt iuri contraria. lib.3.quæſt.41. num.8.

Conditio turpis eſt non ſolùm, quæ excludit religionem in vniuerſum, ſed etiam quæ in parte,& vnam aliquam lib.7.q.7.num.13.

Conditio adiecta matrimonio contra aliquem ex tribus matrimonij bonis, nullum reddit contractum.lib.1.q.140.num.2.

Conditio turpis cur vitiet votum; non item legata, teſtamenta, ac matrimonia. lib 2.quæſt.19.num. 3.& 4.

Conditio turpis in ſe, relata ad promiſſum illud reddit nullum.lib.2.q.18.num.2.

Conditio neceſſaria obligationem non mutatur. lib.1.q.145.num.3.

Conditio magis indicat diſſentionem, quam conſenſum ex Dur.lib.1.q.113.num.3.

Conditio futuri temporis adiecta matrimonio mutat illud in ſponſalia.lib.1.q.113.num.6.

Conditio hæc, *te duco, aut ducam, ſi es virgo*, ſit ne turpis.lib.1.q.113. num.13.

Conditio ſuſpendens matrimonium quattuor requirit.lib.1.q.113.num.5.hypotheſi 4. Eam non admittunt Sacramenta.ibid.

Conditio quælibet in foro conſcientiæ vitiat matrimonium, quando ea non exiſtente quis non aſſentitur matrimonio. lib.1.quæſt.113. num.5. hypoth.3.

Conditio impoſſibilis appoſita matrimonio habetur pro non appoſita. lib.1.q.113.num.3. Futuræ autem, honeſtæ, & contingentes ſuſpendunt matrimonium.ibid.

Conditiones turpes appoſitæ matrimonio niſi ſint contrariæ illius bonis, non vitiant matrimonium.lib.2.q.19.num.3.

Conditionum quot ſint genera. lib.1.q.113.num.2. hypotheſi 2. præteritæ, & præſentes non ſuſpendunt matrimonium; nec futuræ neceſſariæ, impoſſibiles habentur pro non adiectis.num.5.

Conditio poſſidentis melior eſt, quo modo intelligatur.lib.2.q.18.num.7.

Conductor non præſtat caſus fortuitos, & culpas leuiſſimas.lib.3.q.18.num.7.

Confeſſarij inquirentes circumſtantias peccati non neceſſarias, vt conſortem criminis agnoſcere poſſint, grauiter delinquunt. lib.1. quæſt.18. num.3.

Confeſſio Sacramentalis non ideo inſtituta eſt, vt homo vitam, aut exiſtimationem, aut honorem, aut rem familiarem perdat; ſed potiùs, vt ea omnia conſeruet. lib.1.q.18.num.5. Et quamuis periclitaretur alterius fama in noſtri delicti confeſſione, id pœnitens vſque déque poſſet habere. lib.1.q.18.num 6.

Confeſſio, quæ abſolutionem meretur, debet iis eſſe ornata conditionibus, quæ à Theologis exponuntur. lib.1.q.16.num.5.

Confeſſio per literas, & internuntium fieri non poteſt; nec eo modo à Sacerdote dari abſolutio, ex Decreto Clementis VIII. à quo excommunicantur, qui ſecus faciunt, quíve docent probabilem eſſe contrariam propoſitionem; reſeruatúrque excommunicatio Romano Pontifici.lib. 1.q.16.num.1. Huius rei quæſtio tractari non poteſt, niſi ad confutandum.in eod.num.

Confeſſio huiuſmodi eſt item iure diuino prohibita. lib 1.q.1.num.6.

Confeſſio per ſcripturam, ſeu interpretem non eſt neceſſaria. lib.1.q.16.num.2. Auctores opinionis damnatæ à Clemente VIII. commemorantur in ead.quæſt.num.2. Opinio à Clemente damnata multis argumentis confutata eſt à Paulo Comitolo ante Decretum. Argumenta habes in ead.quæſt.num.3. & 4.

Confeſſio informis iteraríne ſemper debeat. lib.1. q.19.num.1.& ſeqq.

Confeſſiones informes iterandas eſſe ſenſerunt antiqui Theologi teſte Diuo Bonau. lib.1. q.19. num.2. Sed non omnes eſſe iterandas probatur. num.5.in ead.quæſt. Quando iteranda ſit informis confeſſio docetur.lib. 1.q.19.num.7.& 8.

Confeſſione, quæ caret contritione, & integritate, cum quis poteſt integrè confiteri, non ſatisfit Eccleſiæ præcepto.num.7 9.& 10.

Confeſſio eius, qui non receſſit à ſtatu peccati, & ab occaſionibus proximis peccandi, eſt nulla. in ead.quæſt.num.8.

Confeſſionis annuæ initium ducendúmne ſit à poſtrema, an à Paſchate.lib.1.q.15.num.1.& 2.

Confeſſiones factæ irregulari, qui de ſua irregularitate luit, cum eas audiendi facultatem ab Epiſcopo impetrauit; valuerîntne, & num ratæ fuerint abſolutiones.lib.6.q.58.num.2.

Confeſſionis annuæ præcepto tenentur ij, qui poſt baptiſmum culpam contrahunt mortiferam.lib. 1.q.17.num. 1.& 2. Quo anno ætatis ex Eccleſiæ præcepto confitendum ſit. ibid. In Confeſſione crimen alterius patefacere ei non inurit infamiam.lib.1.q.18.num.4.

Confeſſio delicti in iudicio quot, & quæ exigat, vt noceat confitenti.lib.6.q.57.num.3.

Confiteri circumſtantiam perſonæ debet, qui aliter non poteſt integrè confiteri.lib.1.quæſt.18. num.1.& ſeqq.

Confiteri bis de eodem peccato quis cogi non poteſt præcepto Eccleſiæ.lib.1.q 31.num.1.

Confiteri tenetur peccator lege diuina, in quouis articulo neceſſitatis.lib.6.q.27 num.5.

Confitendi præcepto Eccleſiæ non ſatisfacit, qui peccata tantùm externa ad Sacerdotem deferret.lib.1.q.19.num.10.

Coniugalis ſeruitus qua ratione diſſoluatur. lib.1. q.93.num.13.

Coniux cogitans de coniuge abſente, déque actu coniugij, præterito, vel futuro, vt inde veneream capiat voluptatem, mortiferè peccat.lib.1.q.134. num.2.& ſeqq. Vide in verbo. Cogitatio.

Conſcientia non ſolùm certa notitia, ſed etiam probabili gubernatur.lib.2.q.18.num.6.

Conſcientia errans cur circumſtantia ſit neceſſariò confitenda, non item ea, quæ non errat.lib.1 q.33.num.4.

Conſcientia obligat non virtute propria, ſed virtute præcepti diuini, ex D.Thoma. lib.1.q.33. num.4. Idem eſt ligamen conſcientiæ erroneæ, & legis Dei ex eodem D.Thoma.num.eod.

Conſcientiam abiicere, aut contra eam agere, cùm eam aut fides Catholica, aut ſcientia, aut fides humana non ambigua informat, improbi eſt animi. lib.5 q.15.num.4.

Conſecrare intédens decem hoſtias è viginti, quas

coram

Digitized by Google

coram ſe habet, nullam conſecrat. lib. 1.q.45. num. 1.& 2. Intendens conſecrare eas vini guttas, quæ ad diuerſa latera calicis adhæreſcunt, non quidem omnes, ſed quæ commodè cum reliquo Christi ſanguine ſumi poſſunt, eas non conſecrat.in ead.quæſt.num. 1.

Cõſecrationis effectus ſequitur intentionem conſecrantis,non eius opinionem.lib.1.q.45.nu.2.

Conſenſus locum non habet,vbi metus intercedit, vel coactio ex Decretali Alexandro.lib.1.q.122. num.3.idem lib.3.q.2.num.2.

Conſenſus liber, qui vim, & metum excludat,requiritur iure humano, & diuino in matrimonio. lib.1.q.122.num.3.& cur.num.4.5.6.

Conſenſus conditionalis nullus eſt, donec extet conditio.lib.1.q.123.num.11.

Conſenſus quadruplex,negligentiæ,Conſilij,Cooperationis, & auctoritatis, ſeu defenſionis ex Gloſſa,& Hadrianis.lib.5.q.8.num 4.

Conſenſus priuatorum non poteſt largiri Iuriſdictionem ei,qui non habet.lib.1.q.101.num.6.

Conſenſum liberum quot ea ſint, quæ requirunt. lib.3.q.2.num.7.

Conſentiens alterius facinori conſenſu cooperationis,æquè peccat atque faciens: Conſenſu verò auctoritatis magis, quàm faciens.lib.5.q.8. num.4.

Conſentit qui deſinit facinori obuiare cum poteſt ex D Auguſtino.lib.4.q.10.num.20.

Conciliis Chriſti debent humana iura moderari. lib.7.q.6.num.2.in Conſiliis non multitudo,ſed maturitas requiritur: quæ res in paucis, quàm in multis faciliùs reperitur, ex Epiſtola Pij II. ad Ludouicum Galliarum Regem: neque enim honeſtas, aut Iuſtitia multitudine facilè ſuadetur,ex eod.Pont.lib.5.q.15.num.6.

à Conſilio difficilius receditur, quàm à mandato. lib.4.q.10.num.19.

Conſtans vir eſt medius inter pertinacem,& inconſtantem. lib.3.q.2.num 4. non quauis opinione mali, ſed vehementi vir conſtans mouetur.num.4. Quæ mala is metuat. eod.num. & lib.1 q.122.nu.2. Conſtans vir peccatum etiam leuiſſimum plus timet, quàm omnia alia mala. lib.3.q.2.num.6.

Conſtans vir,ac fortis numquam peccat, vt cetera mala effugiat.lib.5.q.7.num.4.

Conſtantienſis Concilij decretum de vitandis, aut non vitandis excommunicatis Doctores caſuum conſcientiæ, ac Theologi ferè cunctis ſequuntur, contenti exceptione illa de notoria in clericum violentæ manus iniectione. lib.6. q.35. num.6. Rationes, quamobrem decretum dumtaxat Conſtantienſis Concilij ſequi oporteat. num.8.

Conſtantienſis Concilij decreti, *ad euitanda*, iuſta forma deſcribitur à D. Antonino. lib.6. q.35. num.4.

Conſtantienſis Concilij decretum cum Concilij Baſilienſi decreto de vitandis excommunicatis confertur.lib.6.q.35.

Cõſtitutio Gregorij XIII.contra monomachiam lib 6.quæſt.13.num.5. Quæ in ea conſideranda ibidem.

Conſtitutio Gregorij XIII. contra duellum excommunicatione, aliiſque pœnis plectit eos,qui priuatum, nec ſolemne ineunt duellum. lib.6 quæſt.13.

Conſtitutio Clementis VIII.contra monomachiā diuiditur,& exponitur.lib.6.q.14. Puniuntur in ea non ſolùm duella, ſed etiam ſemina, & radices duellorum. ibid. An incidat in conſtitutionis excommunicatione, qui dicit alteri:*Tu mentiris*,in ead.quæſt.num.7.Vitat pœnam conſtitutionis,qui eam probabiliter ignorat.nu.8.Etiam poſt moderationem decreti de reſeruatione ca ſuum Romani Pontificis, atque ordinariorum vim obtinet, & excommunicatio in eo contenta reſeruatur Romano Pontifici:poſſunt tamen abſoluere ab ea, qui antea ex priuilegio abſoluebant ante decretum à cenſuris Pontificij. lib.6. quæſt.17.

Conſtitutio Clementis contra monomachiam pugnam minimè requirit.lib.6.q.1.num.3.

Conſtitutio Clementis VIII.interdicens munera, & donationem regularibus, quo tempore inceperit obligare.lib.1.q.109.

Conſtitutio Eccleſiæ ſatis eſt, ſi probabili ratione nitatur ex Scoto.lib.1.q.124.num.3.

Conſuetudo rationi, & veritati præponenda ex D. Auguſt.lib.5.q.15.num.7.

Conſuetudo Eccleſiæ firmiſſimè tenenda. lib.5.q 15.num.7.

Conſuetudo contra ſacros canones nulla. lib.4. q. 45.num.6.

Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt ex D. Cypriano.lib.5.q.15.num.7. Cedit rationi.ibid. Conſuetudini non temerè ſeruiendum ex D. Chryſoſtomo.ibid. Chriſtus non ſe conſuetudinem,ſed veritatem cognominauit ex Tertulliano. ibid.

Conſuetudo contra diuinam, & naturalem legem fœda corruptela exiſtimari debet.lib.3 q.10.n.4.

Conſuetudo inducens, aut fouens peccatum, aut procliniores homines reddens ad peccandum, non valet ex Panor.lib.3.q.10.num.3.

Conſuetudo largitur iuriſdictionem.lib.6.quæſt.61. num.2.

Conſuetudo appellari non debet, quæ contraria eſt legibus Eccleſiæ, & fomes peccati. lib.4. q.56. num.6.

Conſuetudinem eſſe iuſtam,& ex iuſta cauſſa manaſſe credendum eſt, niſi probetur contrarium. lib.4.q.50.num. 1.Mores diuturni cõſenſu vtentium approbati legem imitantur.ibidem. Quæ ſit longa conſuetudo.ibid.

Conſuetudo,& dare,& ampliare poteſt iuriſdictionem.lib.1.q.28.num. 1.

Conſuetudo curię congruit cum decretali, *ſuper litteris*, de reſernatione in iis, quæ pertinent ad gratiam impertandam. lib. 1. quæſt. 104. num. 13.

Contemnit facilè, quod quis non diligit. lib. 1. quæſt. 122. num. 5.

Contractui nulli aptus eſt homo ante ſeptennium. lib. 2. quæſt. 7. num. 2.

Contractus forma quænam ſit. lib. 5. q. 129. num. 3. lib. 1. quæſt. 120. num. 1.

Contractus forma ſita eſt in legitima contrahentium conſenſione. lib. 3. q. 4. num. 2. & q. 5. num. 7.

Contractus bonis moribus, & legibus contrarius nullam vim habet. lib. 3. quæſt. 41. num. 10.

Contractus initus contra humanam legem ſit ne ipſo iure nullus. lib. 3. quæſt. 4. num. 1. & ſeqq. In iudiciis probatur eſſe nullus auctoritate legum, canonum, & rationibus. num. 1. & 2. Probatur in foro etiam conſciētiæ eſſe nullus contractus, cui lex aduerſatur. num. 4.

Contractus cuius cauſſa fuit dolus, cur non firmatur iureiurando; firmatur autem, ſi eiuſdem non fuit cauſſa dolus? lib. 2. q. num. 5.

Contractus vis intima in animo eſt, non in verbis. lib. 3. quæſt. 12. num. 4.

Contractus obligandi vim non ſumunt ex quanis hominum voluntate: ſed ex ea, quæ non eſt iuſtis legibus contraria. lib. 3. quæſt. 32. num. 5.

Contractus præcipua proprietas eſt libertas, qua excluditur fraus, vis, metus, ignorantia. lib. 3. q. 3. num. 2.

Contractus metu initi, cum iure naturæ, & gentiū ſint nulli, cur officio iudicis reſcindantur. lib. 3. quæſt. 3. num. 2.

Contractus initi metu cadente in conſtantem virum, iure conſcientiæ nulli ſunt. l. 3. qu. 2. num. 8.

Contractus leui metu initos iure conſcientiæ effici nullos probatur. lib. 3. q. 3 multis teſtimoniis, & rationibus num. 2 Refelluntur contrariæ rationes. num. 3. & 4. Vide etiā. lib. 1. q. 122. num 6.

Contractus ſimulatus, & fictus, pro nullo habetur. lib. 2. quæſt. 3. num. 5. Contractus imaginarius iuris vinculum non habet. ibid. In contractibus rei veritas potiùs, quàm ſcriptura perſpici debet ibidem.

Contractus alius bonæ fidei, alius ſtricti iuris lib. 3. quæſt. 1. num. 1. Contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris quinam ſint. ibid. In contractibus bonæ fidei ea, quæ ſunt per accidens, & raro eueniunt æſtimari non ſolent lib. 3. q. 28. num 9.

Contractus quilibet propter ius, & obligationem poſſet dici perſonalis: nam ius, actio, obligatio hærent in perſona contrahentiū lib. 3. q. 14. n. 8.

Contractus diuiſio in realem, & perſonalem oritur ex materia. lib. 3. quæſt. 14. num. 8.

Contradictoriarum enunciationum ea vis eſt, vt ſi vna ſit impoſſibilis, altera ſit neceſſaria. lib. 1. quæſt. 145. num 3.

Contrahentes ex iuſtis legibus principum contrahere debent. lib. 1 quæſt. 113. num. 4.

Contrahens matrimonium conditione appoſita honeſta, ſi deinde contrahat cum alia abſolutè: hoc ſecundum eſt verum matrimonium. lib. 1. quæſt. 113. num. 8.

Contritio quantauis delet omnia peccata. lib. 1. quæſt. 32. num. 7. eius eſſentia in quo ſita ſit. n. 3.

Contumax eſt, non qui ignorat pœnam legis, ſed qui legi nō paret: immo fieri poteſt vt quis magni faciat legem, eius pœna contempta. lib. 5. q. 4. num. 3.

Cor apud homines penſatur ex verbis: apud Deum verò verba penſantur ex corde ex D. Gregorio. lib. 2. quæſt. 3. num. 1.

Cor principium vitæ, ſenſus, & motus ex Ariſtotele. lib. 1. quæſt 8 num. 1.

Cor eſt alterum animal ex Ariſtotele. lib. 1. quæſt. 8. num. 1.

Cor primum à natura fabricatum, & ipſum deinde reliquarum partium eſt opifex ex Ariſtotele. lib. 1. quæſt. 8. num. 1.

Correctio fraterna eſt duplex, vna obiurgans, altera rogans. lib. 4. qu. 48. num. 4. Eius lege tenetur etiam peccator. num. 3. Prælatus mortifera culpa irretitus, corrigens peccat lib. 4. quæſt. 48. num. 3. mortiferè peccat ex Paludano. num. 4.

Correctioni efficit præteritum peccatum ob tria ex D. Thoma. lib. 4. quæſt. 48. num. 2.

Corripere peccator num teneatur. lib. 4. quæſt. 48. num. 3.

Corrupta mulier conſecrari ne poſſit. lib. 4. q. 17. num. 6.

Creditor non obligatur pro fideiuſſione. lib. 3. q. 15. num. 11.

Creditor debet monetam, quamuis non ſit eiuſdem generis, recipere à debitore, cùm ex diuerſitate non eſt ſenſurus incommodum. lib. 3. q. 44 nu. 5.

Creditores præferuntur fiſco. lib. 4. q. 1. num. 6. Vide rationem in fine eius numeri.

Creditum cambij ius eſt non corporeum; & eſt accidens in animo creditoris lib. 3. qu. 15. num. 10.

Creditum quot modis ſumatur. lib. 3. q. 16. num. 2. formaliter ſumptum non poteſt eſſe materia cambij: fundamentaliter poteſt eius eſſe materia. ibid.

Creditum cambij mitti è loco ad locum non poſſe probatur. lib. 3. quæſt. 16. num. 3.

Creditum non ſoluitur, ſed debitum. lib. 3. q. 16 n. 3.

Cretenſes quibus moribus præditi ex Apoſtoli teſtimonio. lib. 1. quæſt. 117. num. 2.

Criminoſus eligi non poteſt. lib. 1. quæſt. 72. num. 1. 2. & 5.

Cubare cum infante puero, vel puella, an liceat matri. lib. 4. quæſt. 12. num. 1.

Culpa eſt corruptio actionis, pœna agentis ex D. Thom lib. 5. quæſt. 4. num. 2.

Culpa lata, leuis, leuiſſima quænam ſit. lib. 3. qu. 42. num. 2. Culpa leuiſſima præſtatur in omni contractu, qui alterius gratia tantùm initur, excepto precario.

Culpa

Culpa leuis ſatis eſt ad ſubeundam irregularitatem ex homicidio inuoluntario. lib.6. quæſt 52. num.4. Lata culpa, & leuiſſima quid ſit ex Bartolo ibid.

Cultus diuini tria genera lib 4.q 9.num.7.

Cultus diſpar reddit matrimonia nulla.lib.1.q.117. num.2.

Cultum non veri Dei numquam permiſſum eſt aſſimulare.lib.5.q.9.nu.5. Magiſque diſplicet Deo falſos Deos coli, quam ſe non coli.num.6. Tenemúrque magis non colere falſos Deos, quàm vero Deo cultum adhibere.ibid.

Cultros,cochlearia,lebetes,ſcutellas, ollas è ferro, alióve metallo deferentes ad Saracenos, ſeu Turcas incidántne in excommunicationem bullæ Cœnæ lib 6.quæſt.10.

Curiæ Romanæ poteſtas io Romano Pontifice ſita eſt.lib.3.q 14.num.8.erraro 7. Non dicitur à Romana Curia approbari,quod à Romano Pont. non approbatur.in ead.quæſt.& num.

D

DÆmonem innocanti,Chriſtianam religionem eiurauti,& ſanctiſſimæ matris Dei virginitatem neganti; vt mulierculæ ſtupro potiatur, quæ pœnitentia imponenda.lib 4 q.52.num.2.

Dæmones qua ratione à creaturis alliciantur ex D.Auguſtino.lib.4.q 3.num.3. Seducunt homines, priuſquam ſinant ſe ab illis illici ex eod. Doctore.num.4.

Damna.quæ in duobus aureis verſantur,digna,quę ad iudices deferantur,lex exiſtimat. lib.4.q.23. num.2.

Damni dati actio culpam punit latam, non item leuem ex Innocentio, quem multi ſequuntur. lib.3.q.12.num.5.

Damni auctor, ob quam culpam teneatur.lib.4.q. 24.num.1.& q.44.num.1.

Damni, ſeu necis occaſio, ab quopiam data, num eius ſarciendi eidem onus imponat. lib.4. q.28. num.6.

Damno aliquo poteſtas publica priuatum poteſt afficere,vt commune viretur.lib.3.q.38.num.3.

Damnum factum à ſeruo,reſarciri ne debeat à Domino.lib.4.q.25.num.1.& ſeqq.Dominus,ſi ſerui facinus autignorauit, aut prohibere non potuit, non præſtabit io ead.quæſt.num.1. Si Dominus potuit prohibere, & non prohibuit, teneturin ſolidum ex Gloſſa ciuili.num.2.

Damnum leue ſuum nemo debet graui alterius anteferre.lib.4.q.31.num.5.

*Damnum,quod quis ſua culpa ſentit,ſibi,non alteri debet imputare.*lib.4.q.28.num.6.

Damnum,quod remoratur reſtitutionem,debet eſſe non in lucro ceſſante; ſed io bonis, quæ habentur.lib.4.q.31.num.4.

Dare nemo poteſt,quod non habet,veréne dicatur. lib.6.q.21.num.2.

Dationis naturæ intimum eſt, vt ſit libera lib.1.q. 121.num.5.

Debitio pecuniæ, & gratiæ longè diſſimilis ex Cicerone. lib.1.q 76.num.4.

Debiti coniugalis exigendi ius, non perit propter occultum adulterium.lib 1.q.135.

Debiti coniugalis petendi ius non amittit, qui neceſſitate coactus vel ob probabilem ignorantiam prolem ſuam baptizandam,ſeu confirmandam ſuſcipit lib 1.q.137.num.5. Si tamen eſſet amiſſum,auctoritate epiſcopi recuperari poteſt. io ead.quæſt.num.6.

Debitum coniugale teneatúrne viro ſuo reddere mulier, ad quam certis temporibus vir accedit, vt eam cognoſcat, & eleemoſynas,quibus ea,& Filiæ ægrè ſuſtinentur, obligurit, deinde abit: æque re non leue periculum pudicitiæ tum vxori, tum Filiabus creatur. lib.1. q.136. num.1. & ſeqq.

Debitum reddere cum detrimento ſuæ ſalutis coniux non tenetur.lib.1.q.136.num.2.3.4.

Debitum non eſt reddendum cum damno inſigni prolis.lib.1.q.136.num.3.

Debiti redditio præceptum habet affirmatiuum, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper ex ſententia Theologorum.lib.1.q.136.num.2.

Debiti non reddendi coniugi tempora enumerantur. lib.1.q.136.num.7.8.9. & iterum colliguntur.num.10.

Debitum vxor viro ſecundo reddere debet dubitans de vita primi, exigere nullo modo poteſt. lib.1.q.132.num.2.

Debitum coniugale impeditur functione munerum herilium.lib.1.q.136.num.8.in fine.

Debitum, concubitúmve reddere viro, aut ab eo petere, ſit ne vxori criminoſum, quæ ſcit illum nefaria pollutione extra vas muliebre pollui, quoties cum ea corpus commiſcet.l.1.q.140. in qua multis probatur eſſe criminoſum.Coniugalis concubitus à fornicario non differt niſi per bona matrimonia. num.2. in ead.quæſt. Diuus Auguſtinus coniuges,quando non cauſſa propaganda prolis concumbitur, ſed libidinis cauſſa, negat eſſe cõiuges, nec ait vllam nuptiarum retinere veritatem.num.4.in ead.quæſt.

Debitum coniugale cogatur ne vxor reddere excommunicato.lib.6.q.34.num 2.

Decimæ tributa ſunt egentium animarum. lib.1. q.70.num.4.

Decimas impedientes,aut ſubtrahentes excommunicantur à Concilio Tridentino.lib.6.quæſt.23. num.2.

Decipi,aut falli nemo vult.lib.7.q.16.num.8.

Deciſiones rotæ ſingulare habent factum, non generalem doctrinam.lib 1.q.127.num.5. Deciſionibus Rotæ, quæ circumferuntur impreſſæ, non ea fides debetur, quæ haberi ſolet iis,quæ ab illius Iudicio proficiſcuntur.eod.num. nec magni ſiunt ab Rotæ Romanæ Auditoribus, quæ typis

Digitized by Google

excuſæ cernuntur deciſiones ipſorum.ibid.

Decreta Romanorum Pontificum,& Conciliorum, cùm rem magni ponderis iubent, ſine ſcelere negligi non poſſunt.lib.1.q.61.num.4.

Decretalis *Epiſcoporum* valet in omnes. lib.6.q.47. num.5.

Decretalis *Nauiganti* exponitur. lib. 3. quæſt. 25. num.5.

Decretum de reſeruatione caſuum poſt eius moderationem Sacerdotibus non plùs tribuit, quàm ante illam habebant,poteſtatis.lib.6.q.17.num 3. Quamquam Clemens tribuit iis, qui ex priuilegio abſoluebant à caſibus Romano Pontifici reſeruatis,vt poſſint abſoluere.

Decretum Clementis V I I I. contra abſoluentes à caſibus reſeruatis,quas pœnas infligat abſoluentibus.lib.6.q.9.num.3.Sex excipit caſus,à quibus nemo poteſt abſoluere.num.1.

Decretum Baſilienſis Concilij de vitandis excommunicatis editum ante ſchiſma tranſcripſit,Florentiæ Nicolaus auctori ſupplementi.lib.6.q.35. num.2.

Defectio ſolis cur in Paſſione Domini contigit. lib.1.q.49.num 4.& 5.

Defenſio ſui omittenda eſſet, quando ſi ſuſciperetur, infanti baptizando pereundum eſſet, ex D. Antonino.lib.4.q 10.num.9.

Delectationem capere ex peccato mortifero culpa mortifera eſt.lib.5.q.11 num.4.& 8.

Delectationem quærere ex vxore, non quia vxor, ſed quia mulier,crimen eſt. lib.1.q.140.num.10.

Delectatio talis eſt, qualis actio,cuius eſt proles. lib.4.q.20.num.5.

Demonſtratio, modus, cauſſa, conditio, quid ſint. lib.1.q.113.num.2. Addi poſſunt matrimonio,& cuilibet contractui.num.2. Tria priora non vitiant matrimonium, nec alium contractum,niſi fortè migrent in naturam conditionis.ibid.

Denarius tributum erat Imperatorium, didrachma ſacrum.lib.1.q.93.num.14. Sed poſtea etiam didrachma cœptum eſt ſolui Imperatoribus. ibid.

Denunciatio prætermitti poteſt ſeptem de cauſſis ex Nauarro, quamuis ea ab iudice præcipiatur. lib.6.q.4.num.4.

Denunciationis quattuor genera ex Ioanne Andrea.lib.6.q.4.num.3.

Deponentes pecuniam apud montes ſunt verè mutuantes,ex Nau.lib.3.q.3.nu.4. Quare nihil capere poſſunt.nu.5.Sed,quando poſſunt,vide ibid.

Deponens apud alium rem,quæ in numero pondere,& menſura conſiſtit,an pro eius vſu quidpiam accipere poſſit.lib.3.q.37.num.1.& ſeqq.

Depoſitum eſt contractus gratuitus. lib. 3. q.37. num.1.& q.35.num.4. Pro eius vſu an quidpiam accipi à depoſitario poſſit abſque vſura. ead.qu. 35 num.4. De fraude non præſtanda in depoſito ſtipulatio eſt nulla lib.3.q.5.nu.6. Vſus depoſitæ pecuniæ,& vſus terræ longè diuerſus.lib.3.q.36. num.2.

Depoſitionem quænam crimina mereantur. lib.6. q.58.num.7.

Depoſitus eſt Cardinalis, quia ſui tituli Eccleſiam deſeruit.lib.1.q.61.num.4.

Deus colitur obſeruatione præceptorum. lib.4.qu. 56 num.3.

Deus ex quolibet malo elicit aliquod bonum. lib. 5.q.10.num.1.& 5.

Deus facit, vt vnuſquiſque ſit humanæ naturæ indiniduum : ille, non pater terrenus, eſt cauſſa coniunctionis animæ,& corporis.lib.4 q.8.nu.4. De Deo,& creaturis nihil dicitur vniuocè.lib.4. quæſt 9.num.7.

Deo ſeruitur in Eccleſiis, non propter caducam mercedem.lib.1.q.61.num.1.

Deuotio quid ſit, & qua ratione differat ab attentione.lib.1.q.63.num.3. Deuotionis cauſſa ex D. Thoma duæ ſunt. ibidem.

Diabolo animam ſuam deuouet N. Chriſtianam religionem eiurat::ſanctiſſimæ Matris virginitatem negat. Quid cùm hoc dico Chriſtiani populi portento in Sacramento confeſſionis agi oporteat.lib.4.q.51.num.1 & 2.

Diabolum liceatne malis precibus execrari, atque ei maledicere.lib.4.q.43.num.1.& ſeqq. Diabolum maledicere abſolutè non eſt malum,ex Caietano.num.1.in fine.

Didrachma tributum erat ſacrum, denarius imperatorium,ex Ioſepho.lib.1.q.93.num.14.

Dies ciuilium contractuum incipit à media nocte; officij verò Eccleſiaſtici,& feſtorum Eccleſiaſticorum à veſpertinis horis, ex D. Thom. lib.1. q.50.num.4.

Dimidiata poteſt eſſe confeſſio earum culparum, de quibus eſt aliquis ſemel legitimè confeſſus. lib.1.q 31.num.2.

Diſpar cultus eſt impedimentum dirimens. lib.1. 1 q.114.num.3.

Diſpenſatio & abſolutio, quam initiandis largitur Epiſcopus, remouet vincula,quæ nexos latent,& quæ ad poteſtatem pertinent Epiſcoporum.lib.1. q.107.num.7.

Diſpenſatio reſtringenda, poteſtas autem diſpenſandi fauorabilis.lib.1.q.104.num.12.

Diſpenſationis beneficium an amplè interpretandum ſit, vbi perſonarum nomina,quibus beneficium datur,ſilentur. lib.1.q.107.num.4.

Diſputans de moribus aſſerere non debet,quod vix poteſt eſſe. lib.1.q.25.num.11.

Diſſoluitur vnum quodque naturaliter eo genere, quo colligatum eſt.lib.1.quæſt.100.num.4.

Diues præferendus eſt pauperi in beneficij collatione,quando rebus iis antecellit, quæ in adminiſtratione beneficij requiruntur.lib.1.quæſt.81. num.5.

Diuinum officium,quo priuari ſunt interdicti.quid ſit. lib.6.q.48.num.3. Audire confeſſionem Sacramentalem pertinet ad diuinum officium.nu.3.

Diuitiæ non obſunt religionibus, lib.7.q.7.nu.8.

Diuortia in lege Chriſti ſine iudicis auctoritate fieri non debent. lib. 1. q. 141. num. 5. in fine. Exceptionem, vide nu. 6. Dimitti vxor tamẽ ſine iudicio Eccleſiæ poteſt ob notorium adulterium. lib. 1. quæſt. 142. num. 2. 3. 4. Sed præcipuè. num. 5. idem in lib. 1. q. 143. num 2.

Diuortium fit propter vaſorum muliebrium anguſtias; & ſi vir ſecundus facit mulierem aptam primo viro, num ad primum redire debeat mulier. lib. 1. q. 118. num. 1 & ſeqq.

Docere non tenetur Sacerdos pœnitentem tunc, quando doctus fieret deterior. lib. 1. q. 57. nu. 10.

Dolor peccati, qui hæret in ſenſu, non eſt peccanti neceſſarius: quia nec in eius ſitus eſt arbitrio dolor animi, qui odium, & deteſtatio peccati, & abominatio peccati, notitio peccati, diſplicentia peccati, diſſenſus à peccato, à Theologis appellatur, neceſſarius eſt lib 1. q 23 num. 2.

Dolori peccati mortiferi certam quandam menſuram à Deo præſcriptam eſſe docent primarum patrium Theologi lib. 1. q. 32. num. 6.

Dolus quid ſit. lib. 1. q. 72. num. 8.

Dolus ne præſtetur, nulla pactione effici poteſt. lib. 3 q. 5 num. 4.

Doli actio non tollitur propter iuſiurandum adiunctum. lib 3 q. 41. nu. n. 7.

Dolus facit quemlibet contractum nullum. lib. 3. q 1. num. 1. & 2. & lib 3. q. 41. num. 9. Ex dolo tutoris datur actio in pupillum ob id, in quo factus eſt locupletior. lib 3. q. 1 nu 3. Si pupillus iã doli capax, dolo aſſentitur tutoris, quid præſtare debeat in eod. num Vide in verbo Contractus.

Dolus dolo compenſatur. lib 6 q. 38 num. 2.

Domicilia plura quis habere poteſt: probatur auctoritate legum, & doctorum. lib 6. q. 45. num 2. Clericus ibi habet domicilium, vbi habet beneficium. num. 3. & illud præcipuum cenſetur clerici domicilium, eo domicilium quot modis acquiratur num 4. Animus perpetuo alicubi commorandi parit ius domicilij, nullo ſpatio temporis interiecto, ſine tali animo nullũ temporis interuallum verè domiciliũ gignit eod nu Vnuſquiſque ſacros ordines ab eo Epiſcopo petere poteſt, qui præeſt loco, vbi qui petit, habet domicilium. n. 5. Clericus non ita ſubiectus eſt ſuo Epiſcopo, quominus poſſit aliò transferre domiciliũ, & accipere beneficium ſine Epiſcopi ſui licentia. n 6.

Domicilia duo quis habere poteſt in eadẽ ciuitate, ſi in vtroque æqualiter cõmoretur. lib. 1. q. 110. n. 5.

Domicilium quotuplex. lib. 5. q. 110. num. 5.

Domiciliũ parochi eſt, vbi is adminiſtrat Sacramẽta: Religioſi vbi eſt profeſſus. li. 1 q. 110. n. 5. in fin.

Dominicis diebus mortiferam culpam eſſe concludit Richardus, ex Magiſtrorum ſententia ducere choreas, & haſtiludia facere. lib. 5. q. 11. num. 5.

Dominicis diebus, & paſchali tempore nõ licet flexis genibus orare. lib. 1. q. 64. Et hæc traditio eſt Apoſtolica. n 2. Secus facere ſit ne peccatum. n 4.

Dominium quid ſit ex Gerſone. lib. 3. q. 8. num. 6.

Dominij cuiuſuis fundamentum eſſe caritatem error eſt. lib. 1. q. 72. num. 4.

Dominij tranſlatio vt rata ſit, quæ requirantur. lib 3. q 8. num. 5.

Dominus, & pater exæquantur in iis, quæ debent ob ea, quæ committuntur, à filiis, ſeu ſeruis. lib. 4. q. 25. num. 3. Ex facto familiæ num teneatur Dominus. ibid. In conſcientiæ foro flagitia præſtabit Dominus ſui ſerui, ſi, cùm ſit improbus, nec verbo, nec exemplo corrigat; aut ab reliqua familia non ſegreget. num. 4. Dominus, ſi ſit extra culpam latam, non tenetur actione illati damni à ſeruo. eod. num. 4.

Donans pro anima ſua, non pro commodo Sacerdotis donare videtur. lib. 1. q 82. num. 2.

Donatarius donatori naturaliter obligatur. lib. 1. q 76 num. 1.

Donatio pura inter virum, & vxorem, iure ciuili & Pontificio prohibita eſt. lib. 7. q. 3. num. 3. Permittitur ea, quæ neutrum conſortem ditiorem facit, aut pauperiorem. ibid. Donatio remunerandi, & compenſandi cauſſa non eſt interdicta. eod. nu. Si plebeius nobilem feminam in matrimonium duceret, poſſet ei ante matrimonium conſtituere dotem, vt poſt illud contractum eidem donaret. ibid. Donatio iure ciuili prohibita, iureiurando confirmatur num 4. Donatio pura confirmatur morte donatoris. num. 5.

Donatio, vt ſit firma, eget perfecta libertate, quæ apponitur coactioni. & errori. lib. 7. q. 16. num. 8.

Donatio facta religioni, etiamſi naſcatur filius, firma eſt, legitimáque portione bonorum debebit is eſſe contentus: potiórque eſt cauſſa pia, quàm cauſſa liberorum, ex Felino. lib. 7. q. 7. nu. 1. Donatio facta monaſterio, vel Eccleſiæ, dominium transfert: facta filio non transfert. eod num.

Donatio facta alteri ob meditatum maleficium ea cõditione, vt donatarius poſt admiſſum facinus, cibo veſtitúque ſubueniat donanti, an valeat lib. 3 q. 40. num. 1 & ſeqq. In terris Romano Pontifici ſubiectis donatio talis eſt nulla num. 3. Multorum Pontificum conſtitutiones commemorantur. Donatio poſt contractum capitale crimen num valeat lib. 3. q. 40 num. 4.

Donatio, quam pater à filio clerico, & cuiuſdam religionis tyrone extorſit partim vi, partim metu, partim fraude, propter multa argumenta fuit nulla: & in ea alienatione duodecim crimina admiſſa ſunt. lib. 3. q. 41 num. 4. & ſeqq.

Donatio ſummam libertatem requirit, quæ libertas, aut cum inſcitia, aut cum dolo, aut cum vi, vel metu conſiſtere non poteſt. lib. 3 q. 41. nu. 10.

Donum Dei eſt animus pœnitendi poſt malefactum: ergo & ante malefactum. lib. 4. q. 52. nu 3.

Dos puellarum pertinet ad piam cauſſam. lib. 7. q. 5. num. 2. Bona viri ſunt mulieri pro dote tacitè obligata. lib. 3 q 30. num. 4 Quo priuilegio non gaudent mulieris parapherna. ibid. Priuilegia dotis explicantur. ibid.

Digitized by Google

Dotalia iura filiis matris mortuæ tranſmittuntur lib.3.q.30.num.3.

Dotalium rerum dominium iure naturali eſt penes maritum.lib.4.q.25.num.3.

Dotari ne poſſint bonis Eccleſiaſticis filiæ ſpuriæ, aut ſorores. lib.1.q.75. nom.1.& ſeqq Num iis dotandis obſit Conſtitutio Pij V.oum.2.& 3.

Dubia in vita alterius in meliorem partem interpretanda lib.4.q.47.num.2. Id autem facere non tam ex virtute eſt, quàm ex vi quadam in humana natura inſita ex Alexandro Halenſi. ibid. Noſtra autem cogitata. dicta, facta, cùm dubia ſunt, in deteriorem partem debemus interpretari.num.2.

Dubia nonnulla quando poſſimus in deteriorem partem interpretari lib.4.q.47.nom.4 & 5.

Dubium probabile quidnam ſit. lib.1.q.1.num.2. Cùm in dubio eſt animus, ſemper eſt ad tutiorem partem flectendus.lib.5 q.17.num 4.

Dubitans probabiliter in animæ foro, ſe irregularem, aut ſuſpenſum, aut excommunicatum eſſe, in foro conſcientiæ talem ſe exiſtimare debet. lib.6 q 57.num.3.

Dubitans ſit ne alter excommunicatus quid agere debeat. lib.6 q.33.num.1.

Dubitans ſimilis eius eſt, qui vinctus eſt, nec incedere poteſt ex Ariſt lib.1.quæſt.1.num.2.

Dubitans teneatúrne aliquo præcepto Eccleſiæ, ad ſuperiorem adire debet. lib.2.q.18.num.3. Dubitans an res poſſeſſa ſua ſit, retinere eam non debet.ibid.

Dubitatio impedimenti publicæ honeſtatis impedit, & dirimit contractum.lib 2.q.18.oum.5.

Duellum quid ſit.lib.6.quæſt.17.num 1.

Duellum duplex vnum cruentum, alterum ludicrum ad exercendas vires, quod propriè non eſt duellum.lib.6.q.15.oom.1. Duellum cruentum, ſit ne aliquod ſua natura licitum.lib 6.q.16.

Duellum quodlibet ſpectans ad necem, iniuſtum eſſe oſtenditur auctoritate Theologorum veterum, & aliorum, & ſacrorum Conciliorum decretis, & Romanorum Pontificum Conſtitutionibus. lib.6.q.16. oum 5.& 6. Rationibus idem perſuadetur. num.7. In Duello tentatur Deus, quod eſt per ſe malum. num.7.

Duellum cauſſæ deteriori, tamquam meliori fauet. quæſt.16 nom.8. Sæpe Innocenti contra omne ius vitam eripit. eod.num. priuata auctoritate, quauis lege iuſta reſiſtente, inter ſe occidunt ſe pugnantes. ibid. Materiem præſtent duella potiùs ſchiſmatis, & iurgij, quàm concordiæ. ex Maiore.num.8. Non poteſt habere; quæ requirit iuſta hominis interfectio.nom.9. In duello vterque pugnans eſt aggreſſor, quod minimè licet. nom.9. Qui in duello alterum occidit, tenetur pœna homicidæ, & eſt infamis ex Concilio Tridentino & priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, ex eodem Concilio ou.9 Contra Duellum multa ſunt Romanorum Pontificum editæ conſtitutiones, quæ tum excommunicatione, tum variis pœnis monomachiam cõmittentes puniunt, quæ conſtitutiones recitantur, & magna ex parte declarantur in hoc 6.lib.q.13.& 14. .Conſtitutio Iulij II. quæſt.13 num.2. Clementis VII. eod.num. Pij IV. num.3. Gregorij XIII. on.5. Clementis VIII. eod.num. Sed de ea propriè diſſeritur.qu.14. Confirmauit Clemens VIII. Conſtitutiones ſuperiorum Pontificum aduerſus monomachiam editas.q.14.num.5. Punit autem Clemens non ſolùm duella, ſed etiam ſemina, & cauſſas propinquas duellorum. ibid. Cõſtitutio Iulij II. contra duellum. q.13. num.2. Conſtitutio Leonis X ibid. Clemẽtis VII.ibid. Horum trium Pontificum conſtitutiones non in cunctos Chriſtianos animaduertunt; ſed in ſubditos tantum Romanæ Eccleſiæ: neque cenſuram continent excommunicationis reſeruatæ. ibidem. Pij IV. Conſtitutio pœnam conſtituit perpetuæ infamiæ, & maieſtatis; Romanóque Pontifici reſeruat excommunicationem. num.3. & pœna quidem excommunicationis valet in ſubditos, & non ſubditos Romanæ Eccleſiæ, exceptis Imperatoribus, & Regibus: aliis pœnis afficit ſubditos. num.3. Conſtitutio Grego:.q.13. num.5. quæ in ea conſideranda. ibid. Concilij Tridentini decretum contra duella.q 13.num.4. Quæ in eo ſpectanda.ibid. Sed excommunicationem non reſeruauit.

Duellum cum Golia ſuſcepit Dauid iubente Deo. q.16.num.10. Duella ne conceſſerit aliquando S Ludouicus Rex Galliarum. num 14. quæſt 16. Poſt moderationem decreti de reſeruatione caſuum contra conſtitutionem Clementis VIII. peccantes poſſunt abſolui ab iis, qui antea ius habebant abſoluendi à caſibus Romano Pontifici reſeruatis: peccantes autem in legem Concilij Trident & Gregorij non poſſunt niſi à Romano Pontifice abſolutionem ſceleris impetrare.lib.6. quæſt.17.

E

Ebrietatem diuus Auguſtinus vocat *inſaniam voluntariam flagitiorum omnium matrem, culparum materiam, radicem criminum, originem vitiorum*. lib.5.q.5.nom.5. Et D Baſilius. *Ebrietas eſt dæmon voluntarius, vitij mater, virtutis oppoſitio.* num.5. Diuus item Chryſoſtomus ebrium appellat *voluntarium dæmonem, animatum mortuum, morbum non habentem veniam, ruinam carentem excuſatione, dignum infinita damnatione feram magis, quam hominem*. num.5. Et alibi probat ebrios peiores eſſe belluis, canibus, aſinis: & alibi negat quidquam gratias eſſe dæmoni ebrietate; quoniam omnium malorum eſt fons, & generatrix. num.5. Et D.Bernardus ebrietatem dixit eſſe *manifeſtiſſimum dæmonem*.oum.6.

Ebrietas quando cum culpa coniuncta ſit, aut ſine culpa:

culpa, & ſi cum culpa, quando cum leui, ſiue mortifera.lib 5.q.5.num.12.

Ebrietas ſi non prorſus extinguit lumen rationis, ex omnium ſententia conſequẽtem culpam non excuſat,niſi quadam ex parte.lib. 5.q.6 num.3.

Ebrius in omnem prauitatem ſe ſponte abiicit ex Platone.lib.5.q.5.num.3.

Ebrij ignoranter faciunt, ſed non per ignorantiam ex Gregor.Nyſſeno,& Damaſceno.lib.5.quæſt.5. num.6.

Ebrius peccat,cum eius voluntate ſopita vino actio contra rectam rationem erumpit. lib.5.quæſt.5. num.11.

Ebrios, & furioſos peccare in iis,quæ agunt in furore, & ebrietate probatur auctoritate philoſophorum, & Theologorum, & rationibus. lib.5. q.5.num.3. Ab ebriis duplicem pœnam repoſcit Ariſt.num.3. Quod Pittacus è ſeptem ſapientibus vnus multò antè lege ſanxerat.eod.num.

Ebriorum peccata, & furioſorum,ſint ne ebrietatis circumſtantiæ, an ſua propria vocabula, diſtinctáſque ſpecies retinentia.lib.5.q.6. Verior opinio eſt noua peccata peccare.num.2.

Ebriis,& furioſis, qui peccando ad ebrietatem, furorémque deducuntur, flagitiáque interim admittunt, vera ne ſint iis flagitia,atque ob ea ipſa pœna digni.lib.5.q.5.

Ebriorum peccata circumſtantias primi peccati nonnulli exiſtimarunt.lib.5.q.5 num 12.

Ebriorum peccata,quæ aut præuiderunt,aut præuidere potuerunt, diſtincta ſunt peccata in ſuis ſpeciebus:quæ præuideri non potuerunt circumſtantiæ fortaſſe dici poſſunt. lib.1. quæſt.6.nu.3. in fine.

Eccleſia in pueros iuriſdictionem habet diuinitus conceſſam: quare eius legibus debent obtemperare.lib.6.quæſt.18.num.6.Cuncti fideles magis ſunt in poteſtate Eccleſiæ, quàm ſuorum parentum.lib.6.q.19.num.5.

Eccleſia de arcanis humani cordis,noſtræque mentis abſtruſis motibus in foro exteriore non habet,neque cognitionem,neque iudicium, neque imperium, neque præmium, neque ſupplicium. lib.1.quæſt.63.num.5 hypotheſi 5. Multorum,& magnorum Theologorum teſtimoniis probatur occultas animi noſtri notiones, & appetitiones poteſtati Eccleſiæ non ſubiici.num.6.

Eccleſia non debet alicui laqueum inijcere ex D. Ant.lib.1.q.63.num.2.hypotheſi 1.

Eccleſia tenetur ad antidora. lib.1.q.76.num.1.

Eccleſia eſt in Epiſcopo.lib.1.quæſt.59.num 4.

Eccleſia falli poteſt in iudicio,quod facit de impedimenti perpetuitate.lib.1.q.118.num.3.Eccleſia cùm ſe deceptam eſſe animaduertit,reddit priori viro mulierem.num.eod.

Eccleſiaſtici ordinis vnus ſi peccat, eius peccatum ab indocta multitudine in totum ordinem conferri ſolet.lib.5.q.13.num.1.

Educatio liberorum multo plus habet difficultatis, quàm generatio ex Platone.lib.4.q.55.num.4.

Educationis,omníſque ciuilis inſtitutionis, nec nõ noſtri ortus, finis, mens, & ratio eſt. lib.5.q.15. num.8.

Educationis quale cuiuſque fuerit initium, apparet talia fore, quæ ſequuntur ex Platone.lib.5. q.11.num.6.

Effectus in actu requirit cauſſam in actu. lib.1. q.19.num.4.Nihil non poteſt eſſe cauſa alicuius rei.ibid.

Effectus ſuarum cauſarum naturam æmulantur.lib. 5.q.5.num.12.

Electio eſt proprius actus liberi arbitrij ex D.Th. lib 4.q.46.num.5.& lib.5.q.5.n.10.

Electionis peruerſitas eſt ſumere minus bonum maiore bono omiſſo.lib.5.q.15.num.3.

Electio quarumdam rerum, aliarum eſt reiectio. lib.1.q.25.num.14.

Electio eius, qui culpa mortifera publica tenetur eſt nulla: illam vitiat inuitia, improbitas, ætas non legitima.lib.1.q.72.num.2. Electioni repugnat triplex indignitas.ibid.

Electio facta metu ipſo iure nulla. lib.1.quæſt.78 num.4.

Electio fundamentum eſt confirmationis, & conſecrationis prælatorum.lib.1.quæſt.48.nu.10.

Eligens ſibi confeſſarium auctoritate Epiſcopi non poterit ab eo abſolui à caſibus reſeruatis Epiſcopo.lib.1.q.28.num.1.

Eligitur malum dupliciter, vel in ſe ipſo, vel in ſua cauſſa.lib.5.quæſt.15.num.5.

Eleemoſynam neceſſariò quis egenti tribuere debet, cum is non ſolùm in extrema eſt neceſſitate, verùm etiam in grauem coniectus eſt neceſſitatem, ſiue ea vitæ, ſiue perſonæ, ſtatúſve ſit. lib.4.q.31.num.3.

Eleemoſynam monachus facere poteſt abſente abbate de eius licentia expreſsè habita,vel probabiliter præſumpta ex D.Thom Richardo,& Durando. lib.4.q.27.num.1.prop.4. Ei,qui eſt in ſummam inopiam coniectus, etiam inuito abbate tribui debet eleemoſyna. num.2. prop.5. Num prius petenda facultas à ſuperiore. in ead. propoſitione.

Eleemoſynam de re non ſua facit, qui reſtituit.lib. 7.q.4.num.6.

Emere agrum pretio centum, qui æſtimatur centum quinquaginta,facta poteſtate venditori redimendi agrum intra quatuor annos, quem ob inopiam redempturum non eſſe ſcit emptor, & eundem venditori locat, poſt quadriennium, vt penſionem vberiorem, quam ſint fructus agri, ſoluat emptori:quæritur an liceat.lib.3.quæſt.30. num.1.& ſeqq.

Emit de muliere Chriſtiana Hebræus picturam nobilem pretij ignara, vix parte vigeſima pretij perſoluta: ad pictorem defertur tabula,qua pictor captus aliam oſtendit Hebræo. Quæritur pictor, peccaritne: quod ſi peccauit, quemadmo-

dum erratum corrigere poſſit.lib.3.q.23.nu.2.

Emptio ſine pretio conſiſtere nullo modo poteſt. lib.3 q.31.num.2.

Emptionis quidam contractus fœnere, & mendaciis, maculoſus oſtenditur.lib.3.q.31.num 2.

Emptionem perficit non pretij enumeratio, ſed conuentio. lib.1.q.18.num.7.& quæſt.

Emptor pluris voluntario emere non creditur, cùm minore poſſet.lib 4.q.37.num.1. Emptæ rei periculum ſpectat ad emptorem ad eumdem commodum', & incommodum, etiam ante traditionem. lib. 3.quæſt 18.num.9.

Epicurei fuerunt à Meſſenijs è ſuis finibus pulſi, à Romanis è Ciuitate emiſſi.lib.1.q.11.num.10.

Epiſcopatus eſt Patriarchatu antiquior. lib 1.q.48. num 16.

Epiſcoporum Decretalis, extra de priuilegijs valet in omnes.lib.6.q.47.num.5.

Epiſcopos è quauis gente delectos à Roman Pont. veros eſſe, & legitimos epiſcopos certa fide tenendum eſt lib.1 q 48.num.2.enunciato 4.

Epiſcopus, ſeu Abbas non debet recipi poſt in curia adeptam dignitatem, niſi litteras edat. lib.1. q 106.num 5.

Epiſcopus cuncta ſpiritualia regit. lib.1. quæſt.27. num.5.

Epiſcopus in quo genere irregularitatis diſpenſet, iure Concilij Tridentini. lib 6.q.44 num 1.

Epiſcopi, & Parochi nomen, hominis eſt publicam perſonam ſuſtinentis.lib.1 q.131.num.2.

Epiſcopus vt ordinari poſſet à paucioribus, quam à tribus epiſcopis diſpenſauit cum Britannis Gregorius Magnus.lib.1 q 48 num 14.

Epiſcopos ſentiunt graues Doctores poſſe in omni voto diſpenſare, & ea commutare. quæ Romanus ſibi Pontifex non reſeruat. lib.1.q 10. nu.3. Contra Canonem Concilij gener. & Papæ non diſpenſat. lib.1.q.137 num.6.

Epiſcopis interdictum eſt bonis Eccleſiæ locupletare conſanguineos, & familiares ſuos.lib.1.qu. 70.num 2.

Equitum Pij IV. officia remigrant ad Romanum Pontificem, non integra, ſed ex dimidia parte propter interitum equitum.lib.3.q.12.num.1.

Errantis non eſt conſenſus.lib 1.q.121 num.1.

Errantis non eſſe conſenſum, nec voluntatem probatur multis legibus lib.6.q.58 num 3.

Error efficit contractum nullum, cum cuius eſt cauſſa lib.1.q.121.num.1.

Erranti viam non monſtrare, Athenis execrationibus ſancitum erat lib.3.q.32.num.2.

Error contrarius conſenſui.lib.1 q.121.num.1.

Error cui non reſiſtitur, approbatur & erranti conſentire videtur, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit lib.4.q.25.num 4.

Error publicus cum ſuperioris auctoritate coniunctus ob publicam vtilitatem transferre poteſt auctoritatem in eum, qui illa eſt indignus.lib.6. q 58.num.9.

Error populi ius facit in Iudice ex Bartolo. lib.6. q.58.num.9. Error priuatæ perſonæ diſſenſu habetur.ibid.

Eſt nullam actionem, paſſionémve ſignificat, ſed tantum exiſtentiam. lib 6.q.24.num.5.

Et, particula vim habet interdum diſiungendi, ſic vſurpauit Ariſt.in definitione naturæ 2.phyſico. text.3.& in 2.de anima text.24.lib.7.q.9.num.4. vide idem.lib 1 q.9.num.2.

Et, pertinétne ad ſubſtantiam formæ baptiſmi.lib. 1.q.9.num.1. & ſeqq. probatur non pertinere in ead quæſt.num.4.& 5.

Eua grauiùs peccauit, quàm Adam.lib.4.quæſt.52. num.2.

Euangelium ſitum eſt, non in verbis, ſed in ſenſu: non in ſuperficie ſed in medulla: non in ſermonum ſiliis, ſed in radice rationis, ex Hieronymo. lib.6.q.11.num.9.

Eucharistia cibus eſt viuentis animæ, ac Deo gratæ. lib.1.q.43.num 1.& quæſt.44.num.2. Eſt Sacramentum vnionis.eod. num. Excommunicato dari non debet.eod num.

Euchariſtia peccatori occulto palàm poſcenti non eſt deneganda.lib.1.q.44.num.2.

Euchariſtiam ſumens debet eſſe contritus non tantùm attritus.lib.1.q 44.num 2.

Euchariſtiæ ſumendæ tempus præceptum ab Eccleſia Paſchatis tempore continetur quindecim diebus, quorum primus eſt Dominica Palmarum, poſtremus Dominica in Albis. lib.1.q.37. num.2.

Euchariſtiæ ſumendæ pro viatico, ſit ne ægrotanti ſine ſpe vitæ lex impoſita diuinitus, cui lex Eccleſiæ officere non poſſit. lib.1.q 43.num 1.& 2.

Euchariſtiæ materia non poteſt eſſe panis è frumento & aqua factitia, ſiue non naturali. lib.1. q.40. num.1. & 2 Aqua eſt de ſubſtantia panis. Cur decuerit Euchariſtiæ materiam eſſe è frumento, & aqua naturali concretam.in ead.quæſt. num 3.

Euchariſtiæ materia ſit ne panis tantum triticeus diſputatur 1 lib quæſt.41. Panis è Farre, ſiue ex ſpelta poſſit ne Euchariſtiæ eſſe materia.num.2. Probatur debere eſſe è tritico.num.9 & ſeqq.

Euictionem non præſtat venditor, ſi quid vendidit in aleæ ludo.lib.3. q 10.num.5.

Excommunicatio latæ ſententiæ, & ferendæ quibus notis internoſci queat, multis docetur. lib.6. q.24. Aduerbia, quæ temporis interuallum excludunt, cuiuſmodi hæc ſunt, *confeſtim*, *ſtatim*, *continuò*, *è veſtigio*, *repente*, *incunctanter*, *indilatè*, *immediatè*, continent latam ſententiam. num 2. Idem dicendum de aduerbio *mox*, num.3. Sed ſi addenentur participio ſignificanti actionem futuram, vt, *ſtatim erit* excommunicandus, ſignificat ſententiam ferendam. num.4. Hæ particulæ, *eo ipſo*, *ipſo iure*, *ipſo facto*, *auctoritate noſtra*, *auctoritate huius conſtitutionis*, *vel canonis*, *nulla alia expectata ſeu declaratione*, *ſine miniſterio iudicis*,

Digitized by Google

dicis, *vel hominis*, latam indicant ſententiam. num.1. Verba, quæ nullum munus, functionémve iudicis declarant, ad luendam pœnam, habent ſententiam latam, vt ſi dicatur: *Subiaceat*, *incurrat*, *ſuſtineat*, *& huiuſmodi*. num.5. Verbum *eſt* quamuis enuncietur in futuro tempore, *vt erit excommunicatus*, notat latam ſententiam. num.6. Tempus indicatiui præſens, & præteritum trahunt ad ſe pœnam latæ ſententiæ: vt, *excommunicamus*, *excommunicatus ſit*. num.7. Pœna ſententiæ latæ non ſubitur, niſi propter crimen perfectum, & conſummatum. num.9. Vide in verbo *Pœna*, & in verbo *Conatus*. Comminatio legis ſententiam habet ferendam: vt cùm dicitur, *ſub pœna*, *ſub interminatione*, *ſub anathemate*. num.10. Niſi fortè adderentur verba, quæ latam habent ſententiam. eod. num. Verba futuri temporis, & quæ actionem iudicis ſignificant exercendam, innuunt ſententiam ferendam: fallit autem regula quando copulatur cum modis, quibus diſſentitur lata ſententia. num.11. Verba imperatiui modi ſententiam habent ferendam. Excipe cùm in modum imperatiuum incidunt ea verba, quæ nullum officium relinquunt iudici. Excipe etiam modos illos, qui additi imperatiuæ ſententiæ flectunt ad latam. num 12. Vbi apponitur pœna negatiuè, ſignificatur ferenda cum antecedente admonitione ex Innocentio. num.13. Huic regulæ Innocentij adhibendæ ſunt nonnullæ cautiones, de quibus. nu. 14. Diſſidentibus doctoribus de ſententia an ſit lata, an ferenda, & paria vtrinque ſint rationum momenta: ferendam credere debemus. num.15.

Excommunicationes, quæ ſunt à iure, ij ferre poſſunt, qui poſſunt ius condere: eas verò, quæ ſunt ab homine, ij, qui iuriſdictionem habent. lib.6. q.51. num.1. Ita nec ſimplex Sacerdos, nec nudus parochus excommunicare poteſt. ibidem. Poſſunt tamen in nonnullis caſibus. num.2.

Excommunicatio Eccleſiæ generalis, quam conditor canonis ſibi non reſeruat, pertineat ne ad Epiſcopos tantùm. lib 1. q.26. num.1. & ſeqq. Si eiuſmodi excommunicationem ſibi reſeruet Epiſcopus, ex ſententia omnium ad eum pertinet. num.3.

Excommunicatio nec matrimonium vitiat, nec profeſſionem. lib.2. q.8. num.5.

Excommunicatione tenentur bullæ cœnæ laici, qui in cauſſis capitalibus contra Eccleſiaſticas perſonas ſe interponunt, eas aut capiendo, aut de eorum cauſſa cognoſcendo, &c. lib.1. q.96. num.4.

Excommunicantur in bulla cœnæ ſtatuentes, aut decernentes quidpiam contra Eccleſiaſticam libertatem. lib.3. q.41. num.5.

Excommunicatio minor à quibus auctoribus pertractata ſit. lib.6 q.28. num.1. Quid ſit. num.2. Peccet ne mortiferè, qui confert Sacramentum in minore excommunicatione. num.3. Efficiátne electionem paſſiuam excommunicati nullam. num.4. In quibus caſibus contrahatur excommunicatio minor. num.5.

Excommunicatio minor cùm ob culpam venialem contrahitur, à ſimplici Sacerdote eam remoueri poſſe multi credunt. lib. 6. quæſt. 36 num.2.

Excommunicationis minoris vinculũ tollere quiſnam poſſit. lib.6. q.36.

Excommunicatus occultus poſſit ne excommunicare. lib. 6. q.58. num.11. Non poſſe eſt communis opinio. ibid. Habetur pro mortuo excommunicatus ex Baldo. ibidem.

Excommunicatus publicè non reſtituitur publicæ communioni fidelium, niſi per publicam abſolutionem. lib.6. quæſt.6. num.1. Sacerdos, qui huiuſmodi excommunicatum, ſed ſecretò abſolutum, palam admitteret ad diuina, mortiferè peccaret, ſuſpenſúſque eſſet; non item irregularis. lib.6. q.6. num.3.

Excommunicatus eſt cædem clerici ſuo nomine factam ratam habens. lib.6. q.63. num.4.

Excommunicatus non toleratus vbique vitandus. lib 6. quæſt.32. num.4. Excommunicatorum fama negligenda eſt, quam ipſa Eccleſia iugulat. num 6.

Excommunicatus poſt mortem abſoluitur ab eo, à quo poterat viuus abſolui. lib.6. q.1. num.4.

Excommunicato impartitum Sacramentum pœnitentiæ, ſit ne ratum. lib.6. q.26.

Excommunicato ingrediente Eccleſiam non cauſſa precum, egredi non eſt neceſſe. lib.6. quæſt.31. num.3.

Excommunicato aſſurgere ne poſſimus, alióve honorifico geſtu eum decorare. lib.6. q.31. num.4.

Excommunicatum Pariſiis vitare ne debeam, ſi Bononiam ſe conferat. lib.6. quæſt. 32 num.1. Diſtinguitur de communione clandeſtina, & publica. num. eod.

Excommunicatum ſeruum non tenetur Dominus expellere. lib.1. quæſt.144. nu.6. Emancipati filij participare ne poſſint cum parentibus. quæſt.34. num.3.

Executores teſtamenti non ſolemnis cum iactura famæ, aut bonorum ſuorum; non tenentur exhaurire legata, ſed in Epiſcopum ea deonerare poſſunt. lib.7. q.8. num.3.

Exemptus non poteſt renunciare priuilegio libertatis ſine licentia eius, cui ſubeſt. lib.1. quæſt.95. num.2.

Exheredandi liberos quattuordecim cauſſæ numerantur in collatione nona. lib.5. q.11. num.2.

Exitiale facinus eſt, exitij cauſſam alteri adferre. lib.5. q.11. num.8.

Expenſæ factæ à malæ fidei poſſeſſore in re aliena præſtari debent à vero Domino. lib.4. quæſt.26. num.2.

Digitized by Google

F

Facta contra bonos mores, & quæ turpitudinem habent, nullius ſunt momenti. lib. 3. quæſt. 4. num. 2.
Factum non intelligitur, quod aliter factum eſt, ac debuit fieri. lib. 1. q. 27. num 3.
Falcidiæ non eſt locus in piis legatis. lib. 7. q. 10. num. 3.
Fallacia quid. lib. 1. q. 72. num. 8.
Fama quid. lib. 1. q. 127. num. 3. Non gignit certam cognitionem. ibidem. Oriri debet à viris fide dignis. num. 3. & 4. Oriri debet ex veriſimilibus cauſſis; alioqui erit vana vox populi. num. 4.
Fama eſt vita quædam ciuilis. lib. 1. q. 18. num. 4.
Fama eſt opinio, quæ de alterius vita habetur, voce, alióve ſigno externo teſtata. lib. 1. quæſt. 18. num. 4.
Fama ſola rem magni momenti non probat: qualis autem debeat eſſe fama, cum de re graui agitur; & quemadmodum probetur fama. lib. 1. q. 127. num. 3.
Fame vt ſe quis perimat, iudex præcipere non poteſt. lib. 4. q. 10. num. 6.
Famoſum quid. lib. 6. quæſt. 44. num. 2.
Fas, licitum, ius, neceſſitas, quomodo differant ex Henrico Gandauenſi. lib. 4. q. 15. num. 5. prop. 5.
Fecunditas eſt parens fructuum. lib. 3. quæſt. 36. num. 3.
Fera laqueo capta ſit ne eius, qui laqueum parauit; & tetendit; an eius, qui extraxit è laqueo. lib. 4. quæſt 29. num. 1. & ſeqq.
Feſtis diebus à quo operum genere ceſſare oporteat. lib. 4. quæſt. 58. & quæ ſeruilia ſint opera.
Feſtis diebus domicellæ opus acu, & filo facere non poſſunt. lib. 4. q. 58. num. 6.
Feſtos dies, ac præcipuè dominicos voluptatibus, ac ludis non ſiuit inquinari lex Codicis; grauéſque pœnas irrogat violatoribus. lib. 5. q. 11. num. 5. Vide in verbo Opus, & Opera.
Fetus quo tempore in aluo materna animetur. lib. 4. q. 13. num. 10.
Feudum ſi tamquam pignus in manu directi domini ponitur, poteſt ex eo percipere fructus, quibus non reficit ſortem. lib. 1. q. 94. nu. 2. & 4.
Feudi natura quænam ſit. lib. 1. quæſt. 94. num. 2.
Fideicommiſſum auitum, quod iuſſu patris nepotes aui, quia minus erat ſollemne, cutare debebant, vt auctoritate principis confirmaretur, nepotis minoris natu fraude extinctum eſt, quod à nepote maiore ſartum rectum poſteritati tradi oportebat. Quæritur, num maior natu nepos tranſigere cum fratre minore poſſit, vt exemplum Auiti Chirographi tabellionis manu confectum in Tabulario Principis aſſeruetur; nec vlla alia de re ſit ſollicitus. lib. 7. q. 15. num. 3. & ſeqq.
Fideicommiſſum per Religionis ingreſſum euaneſcit. lib. 7. q. 7. num. 2. & lib. 3. q. 41. nu. 8. Monaſterium pro filio habetur in ſucceſſione fideicommiſſi. lib. 7. quæſt. 7. num. 1. Per fraudem non interit fideicommiſſum aliquo religionem ingrediente. in ead. quæſt. num. 3. Teſtator non poteſt monaſterium, ſeu Religionem à ſucceſſione fideicommiſſi repellere. in ead. quæſt. num 6. & 7.
Fideiuſſio, vt vera ſit, quid requirat. lib. 3. quæſt. 16. num. 6.
Fideiuſſor obligatur creditori, non creditor illi. lib. 3. q. 16. num. 6.
Fideles, ideo fideles, quia in diuinis communicant, non in ciuilibus. lib. 6. q. 29. num. 8.
Fidelis conuerſus poteſt matrimonio iungi Chriſtiano, ſi infidelis coniux aut diſcedit, aut non vult fieri Chriſtianus. lib. 1. q. 124. num. 6.
Fides bona non habet comitem ancipitem cogitationem. lib. 6. q. 47. num. 3.
Fides non conſiſtit cum dubitatione. lib. 1. q. 18. num. 7.
Fides ad peccandum adhibita non eſt appellanda fides. lib. 5. num 3. & 16.
Fides non habenda ſuam allegantì turpitudinem. lib. 7. q 16. num. 13.
Fides duplex, vna pactionis, altera conſenſus ex D. Auguſt. lib. 1. q. 116. num. 2.
Filium N. ſuam eſſe ex quapiam aliena muliere ait Statius, negat mulier ipſa mater ipſius N. ægrotans: vtrius dicto ſtandum ſit, præſertim Statio mortuo. lib. 7. q. 11. num. 2.
Filiatio quo modo probetur. lib. 7. q. 16. num. 16.
Filius alicuius ex Concubina creditur is, cuius pater eam domi publicè habet. lib. 7. q. 16. num. 15.
Filius natus in domo ex vxore, præſumitur eſſe mariti, ſi tempore conceptionis maritus erat præſens. lib. 7. q. 16 num. 15.
Filius legitimus cenſetur ſuſceptus ex matrimonio, ob aliquod impedimentum, nullo, ſi vtrique, aut alterutri coniugi ignotum ſit impedimentum. lib. 7. q. 12. num. 3.
Filius debet magis commendatus eſſe patri, quàm matri. lib. 4. q. 55. num. 3.
Filius eſt membrum Patris ex Ariſtot. ibid. Ratio exigit, vt Filij patribus ſimiles generentur. ex Ariſt. eod. num.
Filius matri aienti eum non eſſe legitimum è patre legitimo ſuſceptum poteſt iure ciuili, pontificio, & naturali fidem abrogare. lib. 7. q. 16. num. 12. Immo nec vtrique parenti credere cogitur. eod. num. Theologi, qui dicunt matri non eſſe credendum citantur. num. 13.
Filios ſine matre intelligi poteſt, ſine patre nullo modo. lib. 7. q. 16. num. 14.
Filij debēt à prima ætate vſque ad extremam optimis diſciplinis, moribúſque imbui ex Platone. lib. 4. q. 55. num. 4. Quo pacto inſtituendi. ibid.
Filij eorum, qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, ſeruituti eius Eccleſiæ ſunt addicti, cui pater ipſorum ignominiæ fuit ex Concil. Tolet. lib. 1. quæſt. 56. num. 1.

Filij,

Filij, quibus annua ſtipendia ſoluunt patres, quantùm poſſint ludo exponere, ex ſententia Soti. lib. 3. q. num. 5.

Filiorum quatuor genera ex gloſſa. lib. 7. q. 16. num. 6. Et ex D. Thoma item quatuor genera: magiſquè cõcinna videtur partitio D. Thomæ. eod. numer.

Filij naturales auctoritate legum, quinam ſint. nu. 7.

Finis malus inficit medium, & medium prauum labefacit finem. lib. 2. q. 1. num. 7.

Finis legum, & rerump. eſt, vt ciues virtute imbuantur, felicitatémque adipiſcantur, ex Ariſtotele lib. 5. q. 21. nu. 7.

Finis eorum, qui regunt, & reguntur idem ex Ariſtotele. lib. 7. q. 17. num. 9.

Fiſcus in bonorum hæretici adeptione fit ne ſolus inquiſitor. lib. 7. q. 4. num. 2.

Fiſco ante ſententiam, vel certè ante ſuſceptum flagitium, flagitij auctor non debet. li. 3. q. 40. num. 3. & 4.

Fit determinatum ex determinato: non quodlibet ex quolibet. lib. 1. q. 5. num. 3.

Flexis genibus non orandi conſuetudo, diebus Dominicis, & qui ſunt inter Paſcha, & Pentecoſten ab Apoſtolis manauit. lib. 1. q. 64. num. 2. Huius conſuetudinis cauſſæ explicantur à Turrecremata. num 3.

Fluuiis inundantibus agri lætificantur, oblimantur, & conteruntur. lib. 3 q. 36. num. 2.

Fœnerator induci ne poſſit ad mutuãdum, cùm fœnore is ſemper tradat pecuniam. lib. 5. q. 10. num. 1. & ſeqq. Cùm impellit neceſſitas licet. num. 1. Extra tempus neceſſitatis multi aiunt eſſe culpam lethalem. num. 2. Ad vſuram accipere licet, vt paſcantur pauperes: vt opera exerceantur miſericordiæ. num. 2. ſepoſito tempore neceſſarij ſubſidij pecuniam fœnore accipere quàm multa pariat incommoda. num. 7.

Fœnori liceat ne mutuam pecuniam accipere mercatori ad vberiorem quæſtum, quàm erit vſura ſoluenda. lib. 5. q. 10. num. 6. ſplendidiſſimæ familiæ fœnore ſunt trucidatæ. num. 7.

Fœnore accipere pecuniam, quando liceat. lib. 5. q. 10. num. 1. 2. 3. 4. & 5.

Formæ ſacramentorum ſunt à Chriſto traditæ: & non licet eas immutare, augere, vel minuere. lib. 1. q. 10. num. 2.

Formæ æquipollentes ſacramentorum idem valent, & efficiunt. lib. 1. q. 10. num. 2.

Fori difficiliùs, quàm canonis amittitur priuilegiũ. lib. 6 q. 20. num. 1.

Fornicatio ſpiritualis maior eſt in corde, quàm corporalis in carne, ex Altiſſiodoro. lib. 1. quæſt. 124. num. 9.

Fornicatio non eſt tantùm ſtupri, ſed generaliter quæ à lege Dei aberrare facit, ex gloſſa. libr. 1. q. 140. num. 2.

Fornicatio cunctis mortalibus crimen eſt mortiferum, ex D. Thoma. lib. 5. quæſt. 1. numer. 7.

Nec vlla excuſari poſſunt iuſta inſcitia.

Forſan, fortaſſe, fieri poſſet, humanæ vitæ rationibus non moderantur, ſed veriſimili, & probabili gubernari debent. lib. 1. q. 124. num. 10.

Francus, moneta Gallica, quam habeat æſtimationem apud Italos lib. 1. q. 74. num. 1.

Fraternam correctionem deſpicientes olim communibus ſuffragiis in cœtu fidelium coram antiſtite damnabantur, auctore Tertulliano. lib. 5. q. 34 num. 5.

Fraudulentis litteris, quas ſiuit ſibi credere quiſpiam, qui cauſſa eſt, cur mercator iacturam faciat inſignem iis emendis, quas non emiſſet. An auctor litterarum reſtituere debeat mercatori damnum paſſo. lib. 3. q. 3. num. 6.

Fraus, & dolus nulli debet patrocinari. lib. 2. q. 3. num. 4.

Fraus, quæ contractum efficit nullum, ea eſt, quæ conſenſum tollit contrahentium. lib. 1. q. 114. num 3.

Fraudi leges tum humanæ, tum diuinæ maximè infeſtæ. lib. 3. q 4. num. 7.

Frigiditatis impedimentum humano modo curabile, non eſt perpetuum. lib. 1 q. 118. num 4.

Fructifera in re, licet non in qualibet, quinque ſpectari poſſunt, proprietas, ratio fructifera, fructus, vſus, vſusfructus. lib. 3. q. 28. num. 1. Harum quinque rerum prior à poſteriore ſeiungi poteſt, ſed non poſterior à priori: quod intellige de ſeparatione phyſica, non ciuili. num. 1.

Fructus ſunt, qui deductis expenſis ſuperſunt, vt ait Vlpianus. lib. 4. q. 16. num. 2.

Fructus ad eum pertinent, qui facit ſumptus in rem fructiferam. lib. 3. q. 18. num. 7.

Fructus percepti ex agro alterius, debentur domino agri, ſi per iniuſtitiam percepti ſint, quamuis minus vberes percepiſſet dominus. lib. 4. quæſt. 26. num. 1.

Fructus è re mea, meus eſt. lib. 3. quæſt. 18. numer. 11.

Fructus è terra ortus portio eſt terræ, & eius rei, quæ in terra ſata eſt. lib. 3. q. 18. num. 11.

Fructus percipere non poteſt venditor ex re vendita, tamquam ſuos ante ſolutum pretium. lib. 3. q. 18. num. 9.

Fructus capere ex re aliena iniquum. lib. 3. quæſt. 12. num. 2. & quæſt. 18. num. 4. eorum reſeruatio tanta eſſe debet, quanti ſunt fructus fundi. num. 6 fructum is capere debet, qui eius ſuſtinet periculum. num. 7. Poſt perfectam emptionem pertinent ad emptorem. Capere fructum ex pignore, & non conferre in ſortem vſura eſt. nu. 10.

Frumenti genera indicat Plinius. lib. 18. c. 7. & 8. lib. 1. q. 41. num. 6.

Frumentum propriè ſumptum vltra triticum non progreditur: ſed minùs propriè, & vniuersè multa ſeminum genera amplectitur. lib. 1. q. 41. num. 12.

Frumentum dici vniuocè de ſpelta, ſiligine, hordeo.

deo, ait Gabriel. lib. 1. quæſt. 41. numer. 3. ſed falſo.

Fugere poteſt reus iniuſtè miſſus in carcerem, atque etiam magiſtratui reſiſtere, modò ne cuiquam vulnus infligat, ex D. Thoma, & aliis. lib. 4. quæſt. 15. num. 23. propoſitione 4. Iniuſtè morti addictus fugere poteſt, atque etiam debet, nu. 4. propoſitione 5. Iuſtæ addictus neci fugere poteſt eod. num propoſ 5. ſed non cogitur. Verùm ſi reus certo ſciret iam reconciliatus cum Deo fugam è vinculis fore ſibi ad ſalutem animæ pernicioſam, manere neceſſario deberet in carcere: vltimúmque ſupplicium ſuſtinere. lib. 4. q. 15. num. 6. propoſitione 8.

Fugiens iuſtè è carcere ſi quid damni ex ſua fuga alicui orietur, ſarcire non cogitur. lib. 4. q. 15. num. 7. propoſitione 9.

Funeris quarta cui Eccleſiæ debeatur, alienæne, in qua moritur inquilinus, an ſuæ ciuitatis, in qua commorandi obtinet domicilium. lib. 1. quæ. 110. num. 5.

Fur ſiue nocturnus, ſiue diurnus occidine iuſtè poſſit. lib. 4 q. 10. num. 8.

Fur non eſt, qui iuſta, aut recta voluntate domini etiam tacita, quippiam aut accipit, aut retinet alienum, ex ſententia Doctorum. lib. 7. quæſt. 113. num 4.

Furanti tantumdem auferre poſſum occultè, quantùm is mihi abſtulit, cùm ſecus recuperare non poſſum. lib. 1. q. 141. num. 1.

Fures ipſos tuentur iura in rerum ablatarum poſſeſſionibus. lib. 3 q. 23. num. 3.

Furi non licet demonſtrare, vbi ſitum eſt alienum, quod vult auferre, niſi quando dominus recta, iuſtáque voluntate hoc velle deberet. lib. 5. q. 8. num. 3.

Furioſi, ſi lucida habent interualla, & præteritæ culpæ eos pœniteat, mala, quæ iterum arrepti furore agunt, eis non adſcribuntur. lib. 5. q. 5. num. 12.

Furioſum, qui ſua culpa in furorem incidit, cum pecude æquat Gulielmus Altiſſiodorenſis. li. 5. q. 5 num. 1.

Furtum eſt contrectatio rei alienæ inuito domino meritò, & iuſtè ex Alexandro Halenſi. lib 4. q. 31. nu. 6. ſiue, vt loquitur Scotus, *voluntate debita, & ordinata*. num 7.

Furtum etiam rei paruæ, ſi valde obſit domino, mortiferum exiſtimatur. lib. 4. q. 23. num. 4.

Furtum facit, qui ius meum eripit. lib. 4. quæſt. 34. num. 2.

Furtum non cõmittit, qui rem prodigi, vel aleatoris eo inuito retinet, vt ali poſſit familia eiuſdem prodigi. lib 4 q. 24. num 1.

Furtum ne ſit reſtitutioni obnoxium perpaullulum à multis auferre, quamuis collecta ſumma nemini valde noceat. lib. 4. q. 23. num. 8.

Furtum onus neceſſarium reſtituendi non habet, niſi mortiferum ſit. lib. 4. quæſt. 23. num. 7. in qua quæſt. de leuibus furtis famulorum, laniorum, cetariorum, & fraudantium pondera agitur. nu. 6. ſed magis propriè de laniis, cetariis, & aliis. n. 10. in extremo.

Furtum facit Petrus Ioanni: hic ſuſpicans de vernaculis ſeruis, dedit eos iudici: ſerui à ſcelere integri furtum ab ſe commiſſum eſſe victi tormentis falsò fatentur: neci adiudicantur. Quid Petro, & quid ſacerdoti, à quo conſilium petiit Petrus faciendum fuit. lib. 4. quæſt. 28. num. 2. & ſeqq. Num ſuadendum furi, vt furtum indici enunciet. num. 4. Non id imperari poſſe furi, teſtimoniis Doctorum, & rationibus probatur. eod. num. Furtum Petri cauſſam remotam fuiſſe necis illorum famulorum probatur. numer. 6.

Furti actionem denegare, & furtum non eſſe crimen mortiferum non reciprocantur. lib. 4. quæſt. 23. num 4. In furto non datur quantitas, quæ conſtituat rationem peccati mortiferi ad nullum dominum relata. ibid.

Furta minuta quando in lethalem culpam migrent. lib. 4. quæſt. 23. De mortiferæ ablationis quantitate variæ refelluntur opiniones. numer. 2. & ſeqq.

Furta mortifera ſunt, vel quæ incommodum magnum adferunt domino, vel quæ proficiſcuntur ab eo, qui rem magnam vellet ſubripere, aut ſimpliciter alteri nocere: reliqua leuia ſunt. lib. 4. quæſt. 23. num. 5.

G

GEnerandi præceptum, cum ſit affirmatiuum, quando obliget. lib. 1. q. 133. num. 7.

Gradus remotior propinquitatis trahit ad ſe propinquiorem: & cum diſpenſatio petitur, ſatis eſt exponere magis remotum ex cõſtitutione Pij V. lib. 7. q. 12 num 2.

Græci peccent ne, qui in baptizando vſurpare nolunt formam Eccleſiæ latinæ. lib. 1. quæſt. 9. numer. 3.

Græci putant à latinis non confici verum corpus Chriſti: lauant altaria, vbi latini ſacrificarunt. lib. 1. q. 48 num. 9.

Græcorum ſacrificio intereſſe crimen non eſt, ſi conſtat eos veros eſſe ſacerdotes, & quando timetur ſcandalum. lib. 1. q 47. num. 1.

Græcorum miſſas in eorum terris commorantes latini audire ne poſſent, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant: cum nec ſacerdos latini ritus illic reperiatur. lib. 1. quæſt. 47. num. 2. & 3. Apud Græcos extent ne vera ſacramenta, verique ſacerdotes, in vtramque partem diſſeritur. lib 1. q. 48.

Græcorum odium in latinos. lib. quæſt. 117. numer. 1.

Gratia eſt ſpiritualis natiuitatis vera cauſſa. lib. 1. q. 113. num. 5.

Gratia Pontificia valeat ne in diſpenſationibus, ſtatim, atque ab eius ore manauit ante litteras diſpenſa-

penſationis acceptas. lib. 1. quæ. 106. Non valere oſtenditur. num. 3. & ſeqq.

Gratia petita à Romano Pontifice redditur nulla, ſi aut narratione falſi, aut reticentia eius rei, quæ difficiliorem reddidiſſet gratiæ impetrationem, obtineatur. lib. 1 q 80. nu. 2. & q. 104. & 107. nu. 1.

Gratia obreptitia nulla eſt. lib. 6. q. 58. num. 12.

Gratioſæ litteræ vitientur ne per ignorantiam impetratæ, cum aut taceatur veritas, aut falſitas ſuggeritur. lib. 1. q. 104 num 8.

Gratitudinis gradus tres ſunt ex D. Thom. li. 1. q. 76. num. 3. Ad debitum gratitudinis reddendum ſatis eſt ſola voluntas ex D. Thom. num. 3.

Gregorij 13. conſtitutionis contra monomachiam, & decreti Concilij Tridentini poſt moderationẽ decreti excommunicatio contra duella, reſeruata eſt Romano Pontifici lib 6. q. 17.

Gregorij 13. conſtitutio contra eos, qui freti priuilegiis Regularium ingrediuntur monaſteria, valet etiam in non priuilegiatas perſonas. lib. 6. qu. 47. num. 5.

Gregorij 13. conſtitutio contra ineuntes duellum non percellit excommunicatione eos, inter quos eſt pugna condicta, niſi certent. lib. 6. q. 18. num. 8. Niſi ambo accedant. nu. 7. ſed qui auxiliati ſunt, & comitati, incidunt in excommunicationem ſi ambo acceſſerunt, nec per eos ſtetit, quominus pugnaretur. num. 8. Veriſimile tamen eſt non incidiſſe comites, & auxiliatores, ſi per eos eſt impedita certatio. num. 9.

H

HAbitare cum contumelia Creatoris quid ſit. lib. 1. q. 124. num. 5.

Habitibus non diſcernemur, ſed actibus. lib. 1. quæ. 140. num. 7.

Habitum religioſum perſonatus ſi deferat, culpam lethalem ſuſcipit. lib. 6 q 8. num. 2. pœnáque eſt in eos exilij conſtituta. ibid.

Habitum ſine iuſta cauſſa omittentes religioſi excommunicati ſunt. li 1. q. 140. nu. 6. Licet iis nonnullis temporibus illũ relinquere. nu. 7. incidunt in excommunicationem & ſi geſtent occultum. num. 8.

Hæreſis comparatur cum crimine læſæ maieſtatis à Bonifacio 8 lib 4 quæſt. 1. num. 3. In hæreſim labitur, qui dicit non parendum eſſe Romano Pontifici in iis, quæ ab eo inſtituuntur. lib. 1. quæ. 16. num. 8.

Hæreticus ſi eodem tempore à fide Catholica, & à ſuo Principe deſciſcat, legatum factum hæretico quis occupabit. lib. 7. q. 4. num. 11.

Hæreticus vendit ſua bona alteri ea conditione, vt ſi idem vendicare volet, illi reſtituat: valetne venditio? lib. 4. q. 1. num. 1. & ſeqq. Hæreticus ante condemnationem non eſt dominus bonorum ſuorum cum iure alienandi, ſed tantùm poſſidendi. num. 1. Hæreticum non obtinere ante condemnationem dominium bonorum ſuorum in foro conſcientiæ probatur auctoritate legum, & ſacrorum canonum, & pene omnium doctorum teſtimonio. num. 2. Emancipatio filij facta ab hæretico patre ante patefactam hęreſim nullam eſſe decernit decretalis Alexandri. 4. nu. 2. Ante ſententiam pater hæreticus amittit dominiũ in liberos: quanto magis dominium cæterarum rerum. num. 2. Eius bona alienata à die commiſſi criminis vendicantur per fiſcum nullo dato pretio. num. 3. Illius bona poſt eius mortem vendicat ſibi fiſcus. num. 3. Doctores citantur, qui ius alienandi ante condemnationem iudicis adimunt hęretico. num. 5. à fiſco non vendicantur bona niſi poſt cõdemnationem. nu. 7. manet tamen in ſuorum bonorum poſſeſſione hæreticus cum iure vendẽdi. nu. 7. Cõtractus igitur ille nõ valuit, de quo initio. nu. 6. Cõſenſu tacito, & benignitate Eccleſiæ fit, vt in prouinciis hæreticis bona hæreticorũ oneroſo titulo ad Catholicos potius veniant, quàm ſint apud ipſos. nu. 7. Innocentius 4. Peruſiæ cum eſſet, conſtitutionem edidit, qua ſuarum prouinciarum intra Italiam rectoribus præcepit, vt nullum patiantur hæreticum intra ſuæ ditionis fines eſſe: cunctiſque poteſtatem facit hæreticos capiendi, ſpoliandique ſuis bonis, quæ à capientibus, & ſpoliantibus pleno iure acquirantur: quam conſtitutionem Alexander 4. & Clem. 4. confirmarunt. num. 7.

Hæreticus, qui ſeptem annos palam hæreticus fuit, tempore Iubilæi ad pœnitentiæ ſacramentum accedit: quid cum eo aget ſacerdos. lib. 4. q. 2. num. 2.

Hæretici bona quis nam acquirat. lib. 7. q. 4. num. 2. Ad fidem rediens non recuperat bona ſua amiſſa. ibid. Inquiſitor non poteſt ei remittere bona, poteſt princeps. ibidem.

Hæreticorum ſerui, & liberti ſeruitutis legibus ſoluti ſunt. lib. 3. q. 43. num. 5.

Hebræa mulier Chriſtiano baptiſmo abluta iure ſuam repetit dotem. lib. 1. quæſt. 125. num. 4. Ius ſucceſſionis in bonis Hebræorum propinquorum, non amittit, in ead quæſt. num. 2. & 3. Excipe bona fœnore acquiſita. num. 3. Prolem quatuor annorum eripere marito Hebræo poteſt. in ead. q num. 2. & 3.

Hebræa, quæ amplexa eſt Chriſtianam religionem, poſſit ne cum homine Chriſtiano matrimonium contrahere non facta certior de morte Iudæi mariti, qui dixit velle ſe eſſe Chriſtianum, poſtea fugit. lib. 1. q. 124. num. 1. & ſeqq.

Hebræus & Chriſtianus ſi litigant, lis dirimenda, & æſtimanda eſt legibus Chriſtianis. lib. 1. qu. 125. num. 5. & 9.

Hebræo conuerſo ad fidem, non licet ritu Iudaico tradere libellum repudij vxori non conuerſæ. lib. 1. q. 126. num. 1.

Hebræi ſunt Chriſtianorum mancipia, & ad eorum tribunalia, quæ nulla ſunt, confugere non poſſunt

Chriſtiani.lib.1.quæſt.126.num.10 Hebræis omnes dignitates, & adminiſtrationes interdictæ. num. 11.

Hebræorum controuerſiæ apud Chriſtiana tribunalia dirimenda. lib. 1.q.126.num.11.

Hebræorum filij doli capaces, conuerſis parentibus ad fidem Chriſtianam, arbitrium habent religionis, quam ſequi malint.lib.1.q.125 num.3.

Hebræorum genus improbum, ſubdolum, è mendaciis, & fraudibus concretum, opibus ſemper inhians Chriſtianorum, alieni appetens.lib.3.q.22. num.2.

Hebræis reſtituere vſuras, eum ad Chriſtiana ſacra accedunt, iubet Paulus v. bona incerta addicit iis tanquam pauperibus.lib.1.q.125.num.3.

Helias rectè ne fecerit, cum ſacerdotes Baal induxit ad ſacrificandum.lib.5.q.9.num.5.

Heres num teneatur famam à teſtatore læſam, aliáque damna ſarcire eiuſdem teſtatoris culpa illata.lib.4.q.42. in qua tota de re copioſè diſceptatur.num.1.& ſeqq.

Heres num legitimus ex teſtamento vxoris ſuæ potuerit eſſe is, qui illam attingebat in ſecundo, & tertio, & quarto gradu affinitatis: cuius quarti gradus in ſupplici libello miſſo ad ſedẽ Apoſtolicam ideirco prætermiſſa eſt mentio: quia ignorabatur, & poſt vxoris mortem detectus eſt. lib.7. q.12. Iſte fuit legitimus heres, num.3. rationem illic vide.

Heres tenetur de delicto defuncti.lib.4.q.42. num. 3. ſed qua ratione non tranſeat ad heredes iniuriæ à defuncto factæ compenſatio. lib. 4 quæſt. 11. num.5.

Heri officium quod nam ſit.lib 4.q.56.num.4.

Hermaphroditus, in quo magis valet viri ſexus, quàm feminæ, profiteri eſt auſus Religionem in Sodalitio monialium: cum iis nefaria ſacrilegia admittit: Confitetur ſacerdoti. Quid enim huiuſmodi monſtro agendum. lib. 2. quæſt. 9. num.2.

Hierarchia Eccleſiaſtica eſt diuinitus inſtituta lib.1. q.61.num.1.& q.91.num.3.

Hiſtrionibus donare, immane vitium eſt, ex Diuo Auguſtino.lib.5.q.11.num.3.

Hiſtrionibus qui dat, immolat dæmoniis ex D.Hieronymo.lib.5.q 11. num.8. Ratione 2.

Homicida verus eſt, qui ſe ipſum interimit.l.4.q.10. num 5. neque tantum crimen vitaret, ſi iubente iudice mortem ſibi conſciſceret. num.6. Vide in verbo Occidere.

Homicida eſt, qui poteſt ſine nece alterius ſibi iniuriam inferentis caſtitatem tueri: in ead.quæſt. num. 18. Homicida eſt voluntarius, cuius mandato, & conſilio fit cædes, & qui in bello iniuſto reliquos cohortatur ad cædem aduerſariorum.eod. num. Homicidæ ſunt ſocij eius, qui fecit cædem, cum ipſi ad eandem eſſent expediti. num.20.

Homicida eſt, qui cum poſſit, ac debeat impedire homicidium, id non facit lib 4.q.10 num.20. Homicida eſt, qui audiens amicos, vel propinquos vleiſci velle eius iniuriam, necem non prohibet. in ead.q.num.21.

Homicida eſt, quicumque efficacem cauſſam attulit homicidij.in ead.q num 21.

Homicida eſt, qui lethale vulnus inflixit, quamuis poſtea ab alio ſauciatus fuerit interfectus. lib. 4. quæſt.10.num.21. Homicida pœnis non tenetur, qui aggredientem vulnerando occidit, quamuis vitam potuiſſet tueri ſuam non vulnerando.n.22. in ead.quæſt.

Homicida non eſt, qui hominis occidendi animum non gerit.lib.4.q.12 num.2.

Homicida non eſt clericus, qui iuriſdictionem obtinens temporalem, cauſſas ſanguinis aliis delegat.lib.4.q.10.num.21.

Homicida non eſt, qui mandauit, ſuaſitve homicidium, ſed poſtea mandatum, conſiliúmve reuocauit.lib.4.q.10.num.19.

Homicidæ pœnæ quæ ſint.lib.4.q 10.num.23.

Homicidarum, & proſcriptorum bona Gregorius 13. ipſo facto addicit cameræ Apoſtolicæ abſque vlla declaratione, aut Iudicis ſententia. lib.4.q.1. num.4.& lib.3.q.40.num.1.

Homicidas intra tres dies non indicantes, rei ſunt læſæ maieſtatis ex Conſtitutione Leonis 10. & Gregorij XIII. & Siſti V.lib.3.q 40.num.1.

Homicida quemadmodum reſtituere debeat. lib 4. q.10.& quæ, quótve damna compenſare.num.1.2. & ſeqq. propoſitione 1.2.3.& 4.

Homicida etiam pro iniuria ſatisfacere debet. lib.4. q.11. propoſitione 1. & 6.num.5. & 6. Homicida non liberatur à reſtitutione, quia mortem à Iudice inflictam patitur.in ead. q. num.7. propoſit.7. Onus reſtituendi non ſubit, qui iuſtè occidit. in ead.q.num.8.

Homicidæ quam pœnitentiam iniunget ſacerdos. lib.4.q.11.num.8.

Homicidium quid, & quotuplex. Vt ſit iuſtum, quot requirat.lib.4.q.10.num.3.

Homicidij rei ſunt, qui propter baptiſmum, vitámque prolis aluum ſcindunt viuæ mulieris lib.1.q. 14.num.1. Immane eſſe homicidium diſcindere mulierem ægrotantem, vt fœtus ſeruetur, docetur lib.4.q.13.num.8. Nec ventrem mulieris præcidere fas eſt, à Iudæo damnatæ ad cædem. lib.1.q. 14.num.3.

Homicidij ne reus ſit puer qui porci veſicam inflatam vi rumpit, & crepitu veſicæ illius perterrefacta mulier partum abiicit.lib 4.q 13.num 1.

Homicidiũ generali Eccleſiæ conſuetudine Epiſcopis reſeruatum eſt.li.4. quæſt.10. num. 1. V[illegible]tarium eſt iis reſeruatum, & iniuſtum. in ead. qu. num.7.

Homicidium quod fit caſu, quale ſit: & quod dicatur Voluntarium.lib.4.q.10.num.3.

Homicidium non dicitur iuſta hominis interfectio ex D. Thomæ.in ead.q.num.3.

Homo dicitur, non qui auctoritate, ſed qui ratione vtitur. lib. 5. quæſt. 15. num. 6. Hominis proprietas, quæ ab eo ſecerni non poſſit, non eſſe eam, quam finxit quidam Theologus, quod is ſit animal ciuili, id eſt, ciuili poteſtati, ac dominationi ſubiectus. lib. 1. quæſt. 93. num. 27.

Horæ canonicæ non habent ordinem neceſſarium, vt qui illum inuertit reus ſit lethalis culpæ. lib. 1. quæſt 50. num. 2. & 3. Quauis lingua recitentur, ſatisfit præcepto. in ead. q. num. 1.

Horæ canonicæ præceptæ recitari ne poſſint, cum miſſa præcepta ab Eccleſia auditur. lib. 1. q. 65. earum attentio cum attentione miſſæ cohærere poteſt. num. 5.

Horæ canonicæ cum adiunctis precibus extra chorum non flexis genibus etiam diebus Quadrageſimæ recitari poſſunt ſine culpa, modo ſcandalum abſit. lib. 1. q. 64. num. 1.

Horas canonicas non recitans beneficiarius fructus non facit ſuos. lib. 6. q. 42. num. 4.

Horis canonicis ſit ne attentio neceſſaria, & quæ. Vide in verbo Attentio. lib. 1. q. 63.

Horarum canonicarum obligatio oritur ex collatione, & poſſeſſione beneficij in beneficiariis. lib 1. q. 69. num. 3. neque oritur ex beneficio planè ſterili, è quo nulla percipitur merces. in ead. q. num. 1. Item qui non poſſunt è ſuis beneficiis, quamuis fructiferis capere fructus, horarum canonicarum ſunt lege ſoluti. lib. 1. q. 69. num. 3. intellige, quando ſunt ij culpa vacui. Humanæ vitæ rationes meliorum, & ſapientiórum iudicio gubernari debent. lib. 3. q. 8. num. 3.

Hypocriſis an faciat electionem nullam. lib. 1. q. 72. num. 6. & 7.

I

IDololatra eſt, qui falſo Deo honorem exhibet illum aut laudando, aut inuocando, aut corã eo ſe proſternendo lib. 4. quæſt 52. num. 1.

Idololatria quid ſit. lib. 4. q. 51. num. 1. in fine.

Ieiunij finis eſt petulantiam carnis compeſcere. lib. 4. q. 50. num. 5.

Ieiunium cum carnium vſu non conſiſtit; nec eſt ieiunium. lib 4. q. 49. num. 1.

Ieiunium magis corrumpitur eſu carnium, quàm bina comeſtione ex Paludano. lib. 4. q 49. n. 1. Cur eſu carnium, & non piſcium peccat ieiuniũ. ibid. Imbecilli, quibus conceditur carnis vſus, iis ſępius veſci poſſunt in die: quòd ſi robuſto ſint corpore, & verbi cauſſa laborent è renibus, ſemel. n. 2. Qui poſſunt commodè ieiunij cibos viginti quatuor horis ſuſtinere, iis veſci carnibus non licet. n. 3. Ij. qui carnibus veſcuntur ieiunij diebus, num [illegible]quando, & quatenus ieiunij cibos poſſint attingere. num. 3.

Ieiunij ſoluendi hora quæ ſit, exquiritur. lib. 9. q. 50. num. 1. & ſeqq. Magni interualli anticipatio ob æquam, & probabilem cauſſam culpa vacat. num. 2. Qui ſine cauſſa ſecus faciunt, mortiferam culpam contrahunt ex communi ſententia. num. 4. Hora ieiunij tẽpore D. Thomæ erat nona; hiſce temporibus migrauit ad meridiem. num. 4. Quæ hora ſoluendi ieiunij præſcribi queat incolis earũ regionum, vbi vnus dies, vnaque nox totum emetitur annum. num. 6. è patrio ſolo diſcedit quis eo die, quo illic ieiunandum erat, & peruenit Bononiam aliquot poſt dies in patriã rediturus; quæritur num Bononiæ ieiunare debeat. lib. 4. q. 57 num. 1. & 2. Patresfamilias, qui ſuis domeſticis, & tabernarij, & caupones, qui ad ſe diuertentibus hoſpitibus ſine vllo delectu, & diſcrimine perſonarum, ieiuniorum, quæ ab Eccleſia præcipiuntur, temporibus prandia, cœnas, cibóſque præbent, quibus comedentes violant ieiunium; num peccatum peccent æterno ſupplicio dignum. lib. 4. q. 56.

Ignaris conſtitutionis pontificiæ venia non datur à Beato Thoma, ſi ſcire potuerunt. lib. 5. q. 4. n. 4. Ab ignaris legum, quæ cognoſci potuerunt, iuſtas pœnas repeti ait Ariſtoteles. ibidem.

Ignis calor non habet vim formam vllam producendi, niſi ignis. lib. 1. q. 41. num. 4.

Ignis vim tantùm habet gignendi ignem, & cuncta, in quæ agit perdenda lib. 3. q. 33. num. 1.

Ignis ille, qui annos 70. Babylonicæ captiuitatis accenſus ſub aqua conſeruatus eſt, Antiocho Iaſoni vendente ſacerdotium extinctus eſt. lib. 1. q. 49. num. 3.

Ignorantia criminoſa quænam ſit. lib. 5. q. 1. ſinguli, qui aut fidei catholicæ, aut decalogi ignari ſunt, ignorationis ſuæ perpetuas pœnas dabunt. num. 2 in fine: ſentẽtia hæc ſubſcribitur à D Auguſtino, à D. Gregorio Nyſſeno, à D. Thoma & aliis theologis num. 3.

Ignorantia voluntaria eſt, cuius nos cauſſa ſumus. lib. 5. q. 5. num. 4.

Ignorantia iuſta non minus excuſationis habet, quàm neceſſitas. lib 3. q. 4 num 5.

Ignorantia iuſta, & probabilis, par eſt impotentiæ. lib. 7. q. 1 num. 5.

Ignorantia duplex; altera prauæ diſpoſitionis: altera puræ negationis lib. 7 q 7. num. 2.

Ignorantiæ ſpecies tres apud Magiſtrum ſententiarum: prima non tam peccatum eſt, quàm pœna peccati, quæ eſt in iis, qui ſcire vellent, ſed non poſſunt: ſecunda eſt eorum, qui, cum poſſent ſcire, nolunt; affectatam hanc ceteri appellant: potiúſque peccatum auget, quàm minuit: tertia illorum, qui nec volunt, nec non volunt ſcire, hanc vult vim habere extenuandi culpam: ad hanc ſpectat craſſa, & ſupina. lib. 5. q 2 num 1.

Ignorantiæ ſpecies tres ex D. Bonauentura, erronea, affectata, & ſupina, vel craſſa. lib. 5 quæſt. 52. num. 3.

Ignorantia ex Richardo duplex, vna in cõmittendo, altera in omittendo. lib. 5. q. 2. num. 3.

Ignorantia ſimplex quæ ſit apud Alexandrum.lib. 5.q.2.num. 1. Craſſa apud eumdem eſt, quando quis negligit ſcire, nec tamen vult ſe neſcire.n. 1.Hæc ex eius,& aliorum ſententia excuſat à tãto,ſed non à toto.ibid.
Ignorantia inuincibilis eſt in nobis, ſed non à nobis ex D Bonauentura. lib.5.q.2. n.5.
Ignorantia affectata, vt ignorantia; minuit peccatum, vt affectata auget. lib.5.q.2.num.2.Quamquam accidere poteſt, vt interdum minuat: exẽplum vide in eod. num.
Ignorantiæ Craſſæ definitio à Gloſſa allata redarguitur: & ſi nonnulli ſummarum Scriptores ſunt eam ſecuti.lib.5.q.2.n.5.Ignorantiæ craſſæ radix duplex, prima eſt onus ſciendi, quod abiicit ignorans, alterum facultas, & poteſtas ſciendi, quam neglexit. num. 6. Ignorantia craſſa,& ſupina, cur ſic fuerit appellata, in ead. q.n.6.errauit Gabriel in notione ſupini,& eius vocis euoluitur probabilior ratio.n.7.
Ignorantiam craſſam truſaticam vocat Scotus.lib. 5. q.2 nu.7.in extremo Ignorantia craſſa an culpa ſemper ſit in eo, in quo reperitur, & quando nouum ſit peccatum. lib.5. q.2.n 8.
Ignorantia craſſa, & ſupina æquatur cum dolo à Doctoribus. lib 1.q.115.n.4.& lib. 6. q.47.nu. 3. nec liberat à cenſuris in eod. lib. 6. eadem q. & eod.num. Ignorantia craſſa, & ſupina quæ.lib.6. q.51. n 3. æquiparatur latiſſimæ culpæ à Panormitano.ibid.
Ignorantia craſſa ſcientiæ æquipollet, vt ait Sotus in 4. ſent. diſt. 43.q.1.art.2. concl.3.
Ignorantia facti non iuris excuſat.lib.5.q. 1.nu. 8.
Ignorantia iuſta legis poſt lapſum temporis, quo inchoatur obligatio poteſt probari apud Iudicẽ. lib 1. quæſt. 109. num.9.
Ignorantia vbi in capitalem legem commiſſa eſt, humana tribunalia coërcere ſolent: præſertim cùm illam reus probare non poteſt. lib.6. quæſt. 1. num.4.
Ignorantia facti craſſa non excuſat participantem cum excommunicato lib.6. qu.47 n.3.
Ignorantia humanæ legis iuſta, & probabilis, quæ punit factum diuina naturali ve lege vetitum,nõ liberat à pœna eum, qui ignorat,quamuis ſit excommunicationis. lib.5.q.3.n.3. & ſeqq. idque multis teſtimoniis Doctorũ, & rationibus probatur. ibid.lib 6 q.1.n.4.
Ignorantia excommunicationis inflictæ ab humana lege,ob rem humanam tantùm, lege vetitam non facit, quò minùs ſubeatur excommunicatio ſi legis ipſius habeatur notitia.lib. 5. qu.4.n. 2.& ſeqq.
Ignorantiam vniuerſalium ſecundum electionem, non eſſe inuoluntariam, ſed particularium ait Gregorius Nyſſenus. lib.5.q 2.num. 3. Omnes tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta; ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, & officium pertinent ex D. Thoma. nu. 3. Vbicumque peccatum eſt, ignorantia eorum, quæ ad bonos mores & fidei veritatem pertinent: nec excuſatur, qui ſequitur erroneam opinionem alicuius magiſtri, ex D. Thomæ n.3. Par ſententia eſt D. Bonauenturæ, n.4. Infans, qui in cuſtodia habetur apud Sarracenos,ſine culpa ignorat,quæ neceſſaria ſunt ad ſalutẽ,ex Alexãdro, & aliis Theologis.n.4. Adorãs dæmonem credens Angelũ eſſe beatum peccat,ex Alexandro.n. 5.Culpabilis ignorantia iuris diuini non cadit in facientem illud, quod iu re eſt ex Gerſone. nu. 5.Idem doctor ait concordem eſſe ſententiam,non cadere ignorãtiam inuincibilem in iis, quæ legis diuinæ ſunt.num. 5. Is dicitur doceri non poſſe neceſſaria, qui nec extrinſecus, nec intrinſecus doceri poteſt; nec Deum,aliúmve docentem audire poteſt,ex Alexandro & Gabriele. num.6. Negat Adrianus reperiri in adulto iuſtam ignorantiam, aut decalogi, aut Incarnationis Chriſti, mortis eius, & reſurrectionis, reſurrectionis item mortuorum, & ſimilium. num. 6. Quatuor viæ ad vitandam pernicioſam inſcitiam ex Theologis.num.7.Errauit Sotus credẽs apud barbaras nationes quoſdam reperiri,qui credant ſine crimine peccatum non eſſe fornicationem. n. 7.
Ignorare poſſunt ſine peccato multa etiam docti, quæ diuina, naturalíque lege cõſtituta ſunt. lib. 5 q.1.num.8.
Ignorauerint ne per ſcelus duo quidam, alter ruſticus, qui parochi ſui reſponſo deceptus; alter opifex, qui exquirens duorum Theologorum ſententiam,cum inter ſe minimè cõgruerent, deteriorem eſt ſecutus in pecuaria ſocietate coeũda communi ſententia doctorum damnata. lib. 5. q.17.
Illegitimitas eſt iure poſitiuo introducta ex D. Thoma.l.7.q.16.n.11.
Imagines turpium rerum vetuit Plato exprimi in qualibet materia lib.5. q.11.n.9.
Immunitas Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtituta eſt, ex Conc. Trid.l. 1.q.92. n 3.
Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt iure pariter diuino, & humano introducta, ex concilio Colonienſi.l. 1.q. 92. n.3.
Immunitas ſacro ordini conceſſa teſtimonio probatur Stratonis Lampſaceni impij philoſophi, nec non Marci Tullij. l.1.q.92.n.2.
Immunitas data perſonis ſacris propriis argumentis probatur eſſe diuini iuris. lib.1. q. 93.num.1. & ſeqq.
Immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum probatur ex epi. Decretalibus B. Petri,& primorum Pontificum.lib.1.q 93.n.4.
Immunitas bonorum Eccleſiaſticorum probatur. lib.1.q.93.n.4.
Immunitatem clericorum à Tributis Principum eſſe iuris diuini multis argumentis probatur.lib.1. q.93.

Digitized by Google

q.93.n.6.& ſeqq.

Immunitatis Eccleſiaſticæ genus vniuerſum à lege diuina, & naturali manauit.lib. 1.q.92. num. 1. & ſeq.

Immunitatē credimus ad diuinas traditiones pertinere. lib. 1.q.93.n.15.

Immunitati clericorum in ſuis perſonis, & bonis, quamuis à iure diuino non eſſet, ei tamen cunctus Populus Chriſtianus aſſenſus eſt.lib. 1. qu. 93.n.4.potuitque, (vt inquit Sotus,) eā dare Romanus Pontifex inconſultis Principibus. in ead. quæſt. n.5.

Immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum, & bonorum Eccleſiaſticorum non eſt par.lib. 1. qu. 94. n. 2.Argumenta quorumdam,contra Immunitatem refelluntur.lib.1.q. 93.n.17.& ſeqq. ſoluitur Argumentum ex Greg.Nazianzeni oratione ad ciues metu perculſos. num. 18. Argumentum ex Conciliis pro auctoritate Imperatorum contra immunitatem Eccleſiaſticam diluitur. n. 19.Quo modo intelligatur Immunitas Eccleſiaſtica data à principibus cum eius non fuerint auctores.lib.1.q.93. num.11.

Impedimenti perpetuitatem tribus annis probat Eccleſia lib. 1. q.18.num.2. Num hoc tempus ſit ſatis.ibidem.

Imperatiuus modus totus ſpectat ad futurum tempus,ſed præſens ſignat tempus futurum propinquius; futurum autem remotum. lib. 6. quæſt. 24. num. 12.

Imperatorem poteſtate anteferre Romano Pontifici hæreticorum eſt.lib.1.q 93.n.20.

Imperatores,ſi quādo Eccleſiaſticorum cauſſas iudicarerunt, id vel tamquam miniſtri Romani Pontificis,vel Antiſtitum fecerunt, auctoritate ab iiſdem accepta, vel etiam interdum vſurpata iuriſdictione per vim, & iniuriam. lib. 1.quæſt. 93. num.19.

Imperatores Conciliis ad decorum, & ornamentum, atque ad ſedandas diſcordias intereſſe ſolent. lib.1.q.93. num.19.

Imperatores ius habere conuocandi concilia qui aſſerit,hæreticus eſt.l.1. q. 93. num. 19.

Imponentes clericis onus quidpiam ſoluendi, aut præſtandi ſine auctoritate Romani Pontificis excommunicati ſunt, ab eod. Pontifice tantùm abſoluendi,etiamſi recipiant à ſponte dantibus.lib. 1.q.95. n. 4. Non tamen creduntur clerici ſponte dantes hoc tempore in cenſuram incurrere excommunicationis.eod.n.

Imperatorum leges,quæ clericis multa præſcribūt; aut mandato Romani Pontificis conditæ ſunt, quæ ratæ ſunt;aut per vim, & iniuriam latæ,quæ nullius ſunt roboris. lib. 1.q.93.nu 20.

Impotentiæ non minus, imò magis ſuccurri debet, quàm ignorantiæ. lib. 7. q.17. nu 5.

Impotentia, quam legitimam excuſationem habet, quænam ſit. lib. 4.q.31.num. 4.

Impotentia coeundi impedimentum eſt diuina, & naturali lege inductum. lib. 1. q. 145.n.2.

Impotentia coeundi, niſi perpetua ſit, non dirimit matrimonium. lib.1. q. 118.n.1. & quando cenſendum ſit eſſe perpetua. n. 2.

Imprecari malum alteri, quando ſit culpa leuis, quando mortifera l.4.q. 43.n. 3.

Improbitas ſua,& fraus nulli debet eſſe emolumēto.lib. 1.quæſt.114.num.1.& 3.q.1.n.2.

Impuberum vota, quæ non ſunt irritata intra tempus pubertatis ab iis, quorum reguntur arbitrio, an irritari queant poſt elapſum tempus pubertatis,quamuis non ſint à vouentibus confirmata.l. 2. q.7. n.6.& 7.

Impuberis votum collatum in tempus, quo ſui iuris erit, à patre irritari non poteſt. lib.2. quæſt. 7. num.7.

Impulſiua cauſſa ceſſante regulariter non ceſſat diſpoſitio. lib. 1.q.104.num.8.ex Panormitano.

Inæqualitas omnium ſeditionum cauſſa ex Ariſt. lib. 1.q.74.num.6.

Inceſta proles quomodo dicatur apud Gloſſam ciuilem non habere patrem.lib.7. q 16 n.14.

Inceſtus cum affine in 3. 4. ve gradu num adimat ius exigendi debiti, & num cum inceſto coniuge diſpenſare potuit Epiſcopus. lib. 1.q.139.

Inceſtus in ſpeciebus luxuriæ naturalis, omnium peſſima.lib.1.q.139. n.2.

Inceſtus impedit ius exigendi non ſolum ratione affinitatis, ſed etiam criminis. lib. 1. quæſt.139. num. 3. Cum inceſto coniuge quando diſpenſet Epiſcopus. num. 5.

Inceſto coniugi non reſtituitur ius exigendi debiti, quamuis ab eo repoſcat vxor.lib. 1. qu.139. num. 5.

Indicare ne cogatur Dominus vulnera ſibi à ſeruo inflicta, cum eum verberaret. lib. 3. quæſt. 38. num.5.

Indifferens res,ſeu media non exiſtimatur, cui lex reſiſtit. lib.4. q. 56. n 6.

Indignitas, quæ electioni repugnat, triplex eſt.lib. 1. quæſt. 72.num.2.

Indulgentiæ, quantum eſt ex poteſtate dantis,tantùm valent,quantum promittunt ex D Bonauentura. lib.1.quæſt. 36.num.1.

Indulgentia conceſſa loco tamdiu durat,quamdiu durat locus ex Palud. & aliis. lib. 1. q. 107. nu. 1.& 2.

Indulgentia, & gratia ab Romano Pontifice, ſeu eius legato impetrata,num eorum morte concidat.lib.1.q.107. Probat non concidere. num. 1. & ſeqq.& q.108.n.3.

Indulgentia,ſeu gratia conceſſa à Romano Pontifice duplex.lib.1. q.108. n.3.

Indulgentia iis conceſſa,qui Nonis Auguſti Sacramentis confeſſionis, & Euchariſtiæ expiati ſanctiſſimæ Virginis templum inuiſerint, prodeſt quoque illis, qui Kalendis eiuſdem menſis eadem Sacramenta obierunt. lib. 1. quæſt.39.num. 1.& ſeq.

Indul

Digitized by Google

Indulgentiam concedentis qui nam finis ſit.lib. 1. q.59.num.2. Verbis illis(*Confeſſis, & vere pœnitẽtibus*) quæ adhiberi paſſim ſolent, quum indulgentiæ enunciantur non imperatur noua confeſſio; ſed ſatis eſt, ea quæ ſit iure ab Eccleſia conſtituta.num.3. Contritio neceſſaria eſt iis, qui indulgentiæ fructum capere volunt. ibid.

Inducere ne poſſit moribundus ſacerdotem concubinarium, vel hæreticum ad ſuam audiendam confeſſionem, præbendámque abſolutionem. lib. 5.q.14. Iuſtè induci poſſe oſtenditur. num.2.

Indus omnium fluminum maximus non ſolùm agros lætificat, & mitigat; ſed etiam conſerit. lib.3.q.55.num.2.

Infamia quælibet inducit irregularitatem. lib.7.q. 5.num.4.

Infamia facti traductione ad meliorem vitam eluitur. lib.6.q.57.num.1.

Infamia ſine voce teſtante noſtram, de quopiam malam, opinionem eſſe non poteſt. lib. 4. quæſt. 46.num.11.

Infamia propriè aſpergit vitium. lib. 4. quæſt. 46. num.14.

Infans in matris vtero non ſubiicitur foro Eccleſiæ.lib.1.q.13.num 3.

Infans nondum ſuæ mentis ſacris ordinibus præditus, legi obnoxius eſt continentiæ ex Paludano. lib.1.q.55.num.3.

Infantium oppreſſio, ſi leui accidit culpa, non reſeruatur: quando autem leuis ſit, aut grauis, vide. lib.4.q.12.num.2.

Infideles vera habent matrimonia. lib.1.q.126.numer.1.

Infideli non conuerſo denunciare, vt conuertatur ipſe, quando alter coniux factus eſt fidelis, non eſt neceſſe, ſi aliunde coniugis fidelis voluntas poteſt eſſe perſpecta, ex Panorm.lib.1.q.124. numer.12.

Infidelis his temporibus non permittitur cum coniuge fideli commorari, niſi conuerſionem promittat.lib 1.q.124.num.4.

Infidelis, ſi non ſpernat fidelem coniugem, & velit ſine contumelia Chriſti vitam agere cum fideli, & ſi fidelis recuſat habitare cum infideli: vitam ducat fidelis cælibem.lib.1.q.126.num.7.propoſitione 9.

Infidelis, qui non vult ſequi fidelem, non poteſt ſibi quærere bonum coniugium ex ſua gente. lib. 1. q.126.num.8.& 9.prop. 1. Idque iure diuino ſtatuente cuius eſt promulgatrix Eccleſia. numero 9.

Infidelium matrimonium conuerſo altero coniuge ad fidem, an ſoluatur ipſo iure ob tres illas cauſſas, de quibus loquitur decretalis, Quanto de diuortiis.lib.1.q.126.num.3.4.5.& 6.

Ingredi religionem tenetur is, qui putat ſe in mundo non poſſe è virtute vitam ducere, etiam ſi grauiter egeat pater, ex D.Thoma, & Alexandro Halenſi.lib.2.q.16.num.2.

Inimicum diligere, vt inimicum, peruerſum eſt, & vituperabile ex D. Thoma. lib.4.q.32. num.4. Idem ex Scoto elicitur.eod. num. Durandus ait nos potiùs debere odiſſe inimicum, vt inimicus eſt, quàm diligere: quia nec naturæ, nec caritatis impulſu diligi poteſt. ibi. Qui formaliter inimicum diligit, is inimicitias diligit, vt ait Toſtatus ibid. Inimico, vt particeps eſt beatitudinis, ea debentur vniuerſè, quæ cæteris debentur hominibus. num. 5. ſpecialia ſigna beneuolentiæ ei in caſu neceſſitatis impartienda. ibid. Effectus erga inimicũ affectui erga eundẽ reſpõdere debet. ibi. Ei ſunt optãda bona æterna ex neceſſitate; tẽporalia non item ex D. Thom. ibi. Inferre inimico malũ nõ licet, niſi ad impediendũ maius malum, vel ad promouendũ maius bonum. ibid. Diligere inimicũ dilectione affectus neceſſitatis eſt; diligere autẽ affectu & effectu perfectionis ex D. Bonau. Quod intellige extra caſum neceſſitatis. ibidem. Horum doctrina Magiſtrorum communem eſſe docetur ſeqq. numeris. Tribus modis poteſt optari inimicorum interitus ex Scoto. n.8. Actionem iniuriarum, & eius quod noſtra intereſt pulſo odio ex animo non tenemur remittere inimico. num. 12. Inimici iniuriam quando vlciſci liceat ex D.Thom. num.12. Tam iuſta eſt iniuriarum actio, quàm ablatæ pecuniæ repetitio; nec ad eius cõdonationẽ cogi quiſquã poteſt, ex Turrecremata, & aliis doctoribus. eod. num. Æger cùm ait ſacerdoti, remittere ſe iniuriam ab inimico acceptam, intelligitur remittere odium, non ſatisfactionem iniuriæ ex Bartolo, & aliis, qui eum ſequuntur. num.12. Publicas tabulas pacificationis præbere poſcenti inimico nonnumquam eſt pernicioſum. num.14. Incidunt autem nonnulla tempora, cum reconciliatæ gratiæ tabulæ concedendæ ſunt inimico. num. 17. Interdum ei, qui nos iniuria affecit etiam generalia ſigna beneuolentiæ ſubtrahi poſſe Theologi docent. num.18.

Iniquum eſt, vt, qui minùs meretur, plùs habeat. lib.1.q.86.num.1.

Iniuria iuris procreatrix eſſe non poteſt.lib. 1. q. 132.num.4.

Iniuriæ acceptæ non ſemper eſt dominus, qui eam accepit, vt monachus, filiusfamilias, vxor. lib.4. q.32.num.13.

Iniuriam pati peccatum non eſt, ſed facere. lib.1.q. 10.num.2.

Innocentem occidere numquam licet. lib.1.quæſt. 7.num.7.

Innocentius 4. ſuum commentarium in decretales elucubratus eſt gerens Pontificatum.lib.6. q.22. num.4.

Inſcitia alicuius legis Eccleſiaſticæ interdum non minùs periculoſa, quàm naturalis. lib. 1.q.57.numer.10.

Inſcitia tollit voluntarium.lib.3.q.41.num.9.

Inſtrumenta tua, quæ ius meum, continens, ſint ne mihi.

Digitized by Google

mihi edenda. lib. 4.q.34 num 1.& ſeqq. Probatur eſſe edenda. num.2.& ſeqq.

Intentio eſt actus voluntatis reſpectu finis ex D. Thom.lib.1.q.46. num.3.

Intentio nominat actum voluntatis, præſuppoſita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem,ex D.Thoma lib.1.q.46. num.3.

Intentio eſt principium vltimatum determinans intellectuale agens ad agendum ex Scoto. lib.1. q.46 num.1.

Intentio triplex,actualis,virtualis,habitualis.lib.1. q.46.num.8 9.& 10. Habitualis non eſt ſatis ad conficienda Sacramenta num.8.

Intentio actualis virtualis, habitualis quid. lib.1. q.46.num.10.& 11.

Intentio principalis in mutuo aliquid lucrandi habetur pro pacto. lib.3 q.34.num.2.

Intentioni particulari, & internæ miniſtri quodnam obiectum,& quinam finis reſpondeat.lib.1. quæſt.46.num.7.

Intentio in miniſtro Sacramenti debet eſſe diſtincta à pronunciatione verborum illa dirigens. lib.1.quæſt 46.num.3.

Intentionem miniſtri neceſſariam eſſe in conficiendis Sacramentis eſt articulus fidei. lib.1.q.46. num.1.

Intentionem habitualem cum D. Thomas dixit ſufficere ad conficiendum Sacramentum, ſine dubio habitualem pro virtuali ſumpſit. lib.1.q. 46.num.10.& 11. Alij etiam Theologi habitualem pro virtuali vſurparunt num.11.

Interdicti, & excommunicationis ſententiam pronuncians ſine ſcriptis, quam pœnam incurrat. lib.6.q 51.num.3.

Interdicti veri ſpecies eſt,quo quis prohibetur Eccleſiæ ingreſſu. lib.6.q.49.num 4. Et huic nullo tempore permittitur ingredi Eccleſiam, neque ad priuatam orationem.num.5.

Interdicti tempore Sacramentum pœnitentiæ non conceditur ei, qui cauſſam dedit interdicto. lib. 6.q.48.num.4.Num ingredi poſſit Eccleſiã extra tempora diuinorum, cui eſt interdictus eius ingreſſus num 4.

Interdicti ne violator extiterit, qui confeſſionem in quodam ſacello audiuit eius, cui Eccleſiæ ingreſſus interdictus erat, quamquam eum non abſoluerit.lib.6 q 48. Interdictus eſt,qui interdictum admittit ad diuina officia. num.2. Et, ſi poſtea celebret, ſit irregularis.num.2. Diuinum officium eſt audire Sacramentalem confeſſionem.num.3.

Interdicti violatores quibus pœnis afficiantur. lib. 6.q.50 num.2.& ſeq.

Interdictus ab Eccleſiæ ingreſſu an poſſit in loco ſacro ſepeliri,ſi eum pœniteat delicti.lib.6.q.50. num.4.

Interdictus clericus ingreſſu Eccleſiæ poteſt extra eam diuina celebrare.lib.6.q.49.num.1. Sed non licebit illi celebrare in cœmeterio.ibid.

Interdictus eſt Ioannes Eccleſiæ ingreſſu,& Eccleſiaſtica ſepultura: num extra Eccleſiam poſſint ei Sacramenta miniſtrari.lib 6 q.49.

Interdictum recipiente Sacerdote ad diuina, an egredi debeant,qui diuinis interſunt. lib.6.q.50. non peccant, ſi non diſcedunt.num.1. Eccleſia non omnibus impoſuit legem vitandi interdictos in diuinis,ſed tantùm clericis num.1.

Interdicti poſſunt templa ingredi extra tempora diuinorum officiorum, ad concionem audiendam, & ad precationem priuatam. lib.6.qu.48. num 3.

Interdictis Clemens VIII. & Xiſtus V. gratiam ademit Iubilæi.lib.6.q.49.num.3. Cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, non debent ei miniſtrari Sacramenta,aut diuina.num.4.

Interfectio iuſta hominis,quę quotve requirat.li.6. q 16 num.9.

Interpretari in meliorem partem debemus dicta, vel facta aliorum,vbi manifeſta indicia non apparent de malo eorum ex D.Thoma.lib 4.q 47. num.1.

Interpretatio in dubiis factis, ſeu dictis alterius, omitti poteſt,vt nihil in alterutram partem ſtatuatur.lib.4.q.47.num.3.

Intruſi acta non valent.lib.6.q.58.num.5. Intruſorum quot genera.ibid.

Ioannis Baptiſtæ mira innocentia ex ſcripturis:ex Eccleſiæ ſenſu, è Patrum teſtimoniis.lib.4.q.46. num.12. ad poſtremum argumentum, in eius lumbis ne motus quidem fuit vitioſus ex Origene num.13. In natura humana angelicam eſt ſanctitatem tranſgreſſus ex Chryſoſtomo.nu.13. Nihil in eius vita fuit detergendum ex Gregorio.num 13. In prima ſua ſanctificatione fuit in gratia confirmatus ad idem argumentum nu.13.

Iocularis ratio quidpiam agendi duplex. lib.1.qu. 46.num.6.

Irregularis ne ſit clericus occidens inuaſorem.lib. 6 q.54.Si potuit vitæ ſuæ conſulere,aut fuga,aut clamore, aut alia via,occidens euaſit irregularis.num.1. Occidens alterum, à quo inuaditur, carens omnem culpam in ſui defenſione,auctoritate antiquorum canonum, & veterum Theologorum erat irregularis.num.1.Sed ex Clementina vnica de homicidio, non fit amplius irregularis.num.2. Decretum Concilij Tridentini Clementinæ non derogauit.num.4.

Irregularis eſt quicumque ſiue iuſtæ, ſiue iniuſtæ cædis eſt cauſſa.lib 4.q. 10.num.22. Iuſta dumtaxat ſui defenſione excepta.ibid.

Irregularis ne ſit, qui ſuſpenſus primam miſſam cum Epiſcopo celebrat. lib.6. quæſt 43. num.2. & ſeq.

Irregularis ne ſit,qui crimen ſuum in iudicio confitetur. lib.6.q.57.num.2

Irregularis ob celebrationem Miſſæ non euadit, qui non celebrat Miſſam perfectam. lib. 6.q.43. num.4.

Digitized by Google

Irregularis ex homicidio, eius debet eſſe cauſſa. lib. 6. q. 63. num. 3.

Irregularis non is omnis eſt, qui necem alterius non prohibet. lib. 4. q. 30. num. 3.

Irregularis ne ſit Sacerdos, qui vxori reſpondet, non teneri ſuis bonis à ſuſpendio liberare virũ ſuum inſignem latronem, quamuis ſuſpendatur. lib. 4. q. 30 num 3 & 4.

Irregularis non efficitur pœna inflicta ab Iudice, qui ſententiam definitiuam non pronunciauit. lib. 6. q. 62. num. 2. Sit ne irregularis, qui ſuo nomine cædem factam ratam habet. lib. 6. q 63. nu. 1. & ſeqq. Ob ratihabitionem homicidij facti ſuo nomine non efficitur irregularis, qui eam in animo tantùm incluſam continet.

Irregularis ne fuerit frater natu minimus, qui de necanda nouerca cum duobus maioribus fratribus conſilium iniit, quamuis reuera non optaret nouercæ interitum, quæ poſt aliquanto eſt à maiore natu fratre interfecta. lib. 6. q. 61. num. 2. & ſeqq.

Irregularis ne fuerit Sacerdos, cuius conſilio ſauciatus quidam, dum ſuſtolleretur, animam egit. lib. 6 q. 52.

Irregularis non eſt capax beneficij. lib. 6. quæſt. 64. num. 1. & 2.

Irregularis eſt, qui ſacrorum ordinum munera ob aliquem defectum ritè exequi non poteſt. lib. 6 q. 55. num. 4.

Irregularis, qui ſiluit de ſua irregularitate, ius audiendi confeſſiones obtinuit. lib. 6. q. 58. num. 2. Multis id modis probatur. num. 3. neque ei ab epiſcopo ius tale conferri potuit. num. 6. Oſtenditur legem Barbarius, ſeu Barbatius non opitulari cauſſæ iſtius irregularis. num. 8. & ſeqq. iſti irregulari quid ſuaderi oporteat: quidve facturi ſint, qui ei confeſſi ſunt de ſuis peccatis. num. 12. Huic non fauet Decretum Concilij Conſtantienſis *ad eruendum*. in eod. num.

Irregularitas nõ contrahitur niſi in caſibus expreſſis in iure. lib. 6. q. 62 num. 3.

Irregularitas non ex animo, ſed ex natura facti ſpectatur. lib. 4 q 47. num. 6.

Irregularitatis, & cenſurarum finis qui. lib. 6. q. 53. num. 4.

Irregularitatis prima genera duo. lib. 6. quæſt. 55. num. 1.

Irregularitatis ex defectu corporis ſpecies quot ſint. lib. 6. q. 55 num. 2.

Irregularitatem quis incurrit ex homicidio caſuali ob peccatum veniale. lib. 6. q. 53. num. 2. & ſeqq.

Irregularitatem ex homicidio voluntario qui vult effugere, duo præſtare debet. lib. 6. q. 52. num. 3. Ob leuem culpam legalem contrahi poteſt. nu. 4. Clericus venator omni adhibita diligentia occidens hominem, quem aptum eſſe ſuſpicabatur, eſt irregularis. num. 5.

Irregularitatem propter homicidium caſuale quis ſuſcipit, cùm rei ſibi non licitæ operam dat: quamuis nullius negligentiæ ſit affinis. lib. 6. q. 53. num. 1.

Irregularitatem cõtrahit qui rixatur cum eo, quem aduenientes amici deformant. lib. 6. quæſt. 53. num. 3.

Irregularitatem qua ratione vitabit Theologus, qui conſulitur à Pompeio, num ei liceat à magiſtratu ſatellitium poſtulare ad ſuos perdendos inimicos. lib. 6. q. 59. num. 3.

Irrita ſunt acta contra legem, vbi effluxit tempus ob ea definitum, quamuis ignorata ſit. lib. 1. qu. 109. num. 9.

Irrita eſſe quæ contra legem fiunt, niſi aliqua alia lege ſuſtineantur, valde probabilis eſt ſententia lib. 3. q. 4. num. 4.

Irrita ſunt, quæ contra legem fiunt. lib. 3. quæſt. 14. nu. 3. Etiam ſi non addatur à legiſlatore, ſeu lege id, quod prohibetur fore nullum, ſi fiat. lib. 1. q. 91. num. 2.

Iubilæa habent fines, & media: commutandorum finium non tribuitur facultas Sacerdotibus, ſed mediorum dumtaxat. lib. 1. q. 108. num. 5.

Iubilæa, quæ ad rem Chriſtianam bene gerendam concedunt Romani Pontifices, intercidant ne cum eorum vita. lib. 1. q. 108.

Iubilæi beneficium non conſequitur, qui vel vnam conditionem in eo expreſſam omiſerit. lib. 1. q. 108. num. 2.

Iubilæi tempore, qui eleemoſynam dignam non tribuit ſuis opibus, nõ conſequitur Iubilæum. lib. 1. q 36. num. 2.

Iubilæi gratiam qui cupiunt adipiſci, debeant ne præſtare, quæ in eo iubentur, in gratia. lib. 1. q. 37. num. 1. 2. & 3. Debeant ne eadem præſtare merendo apud Deum. num. 3. Tempore Iubilæi ad flagitiorum veniam conſequendam ſatis eſt voluntas perficiendi omnia, dummodò ad voluntatem accedat contritio, ſeu attritio cum Sacramento pœnitentiæ, & abſolutionis: vt autem pœnæ omnis remiſſionem impetret, neceſſe eſt perfici omnia actu. lib. 1. q. 37. num. vlt.

Iubilæi tempore legitimè confeſſus de ſuis peccatis, ſi oblitus eſt alicuius caſus reſeruati, poteſt abſolui poſtea à quocumque, qui abſoluendi poteſtatem habet à peccato mortali. lib. 1. quæſt. 30. num 2. Quid de illo, qui caſum reſeruatum fictè confeſſus eſt tempore Iubilæi. Vide lib. 1. q 30. num. 2.

Iubilæo ſatisfacit quis, ſi illud cadens in maiorem hebdomadam feria quinta ſuſcipiat corpus Chriſti, vt eod. tempore Eccleſiæ pareat legi de ſumenda Euchariſtia in Paſchate. lib. 1. quæſt. 38. num. 1. & 2.

Iubilæum, quamuis ſit ampliſſimum, pœnarum tamen remiſſionem omnibus æqualem nõ largitur. lib. 1. q. 36. num. 1. & 2.

Iudæ, & Thamar inceſtus concubitus narratur: & num vterque in ea re ſceleratè egerit, diſſeritur. lib 3. quæſt. 5. num. 15.

Iudæus

Digitized by Google

Iudæus aut baptizatum, aut baptizari volentem emere non poteſt.lib.3.q.43.num.2 à Iudæo ſubtrahi debet emptus cauſſa mercimonij. ſi petat baptiſmum, datis pro eo duodecim ſolidis.ibid.

Iudæus ſeruum Chriſtianum adipiſci non poteſt. lib.3.q.43.num.3.

Iudæi ſeruus ſuſceptus ex aliqua eius ancilla ſi baptizetur, ſtatim nullo ſoluto pretio in libertatem vindicatur.lib 3.q 43.num.3.

Iudæo emente ſeruum Chriſtianum, nullo ſoluto pretio ſtatim efficitur liber. lib.3.q.43. num.3. Mancipium baptizandum quod redimitur duodecim ſolidis,id eſt,duodecim aureis, debet eſſe optimum.num.4. Idem valet in ſeruis Sarracenorum.ibid. Mancipium Iudæus circumcidere non poteſt.num.5.

Iudæi quibus legibus teneantur. lib.1.q 123 nu.3. & 4. Non poſſunt nouas exædificare ſynagogas, neque reficere veteres.num.3. Habitu diſcerni debent à Chriſtianis.nu.3.Si per fraudem Chriſtianæ mulieris occidit vxorem ſuam, non poteſt matrimonio iungi cum Chriſtiana muliere, ſi is ad fidem Chriſti conuertatur.num.4.In eum cadit bigamia.num.4.

Iudicare de facto, ſeu de dicto alicuius,ſit ne mortale peccatum, an ſecus, longè diſtat à iudicio, quod fit de perſona, ſiue de auctore dicti,vel facti.lib.4 q.46.num.9.

Iudicare poteſt malum proximi multis modis ex Lytano.lib.4.q.46.num.8.

Iudicat melius qui vtrimque rationes oppoſitas audit.lib.5.q.15.num.5.

Iudex ius eſt animarum. lib.3.q.3.num.2.

Iudex minus poteſtatis habet in corpus Rei, quàm in animam Rei.lib.4.q.15.num.2. Vide in verbo Anima.

Iudex nemo ſibi eſt,nec ius ſibi dicere debet. lib.4. q.35.num.5.

Iudex non poteſt præcipere reo, vt cibum ſuppeditatum ad vitam non ſumat.lib.4.q.15 num.2. Ita nec poteſt præcipere, vt ne fugiat is, cui parata eſt à carnifice certa nex.ibid.

Iudex poſtquam ſententiam tulit definitiuam,mutare,aut reuocare eam non poteſt, niſi contineat manifeſtum errorem,aut in aliis quibuſdam caſibus,de quibus.lib.1.q.28 num.2.

Iudex ſontibus impunitatem non debet largiri.lib. 6.q.16.num.11.

Iudices non ſeruantes ordinem iuris in interfectione hominum, ſunt rei voluntarij homicidij. lib.4.q.10 num.4.

Iudices non de lege, ſed ex lege iudicare debent. lib.6.q.46.num.3.

Iudici non ſunt credenda quædam, licet ſint vera, niſi certis indiciis demonſtrentur ex canone D. Auguſtini.lib.4.q.47.num.3.

Iudicibus quæ relinquenda ſint à legiſlatoribus ex Ariſtotele.lib 6.q.46.num.3.

Iudicis eſt ſiue magnum, ſiue paruum, reddere domino. lib.4.quæſt.23.num.3.

Iudiciales leges veteris teſtamenti poſſunt in nouo auctoritate principum reuiuiſcere. lib.4.qu.16. num.2.

Iudicium in vtroque foro idem eſt, vbi conſtat de facto.lib.3.q.4.num.4.

Iudicium non fit de rebus incertis, ſed de notis,atque perſpectis lib.2.q.18.num.7.

Iudicium coniecturale cedere debet iudicio veritatis.lib.7.q.1 num 11.

Iudicium ſignificat firmam ſententiam.lib.4.q.46. Vt ſit temerarium, & ſupplicio æterno dignum tria requirit.num.5.

Iudicium temerarium Deo diſplicet tres ob cauſſas.lib 4 q.47.num.1. Quantùm Deo diſpliceat duobus probatur exemplis è vitis patrum nu 6. Explanantur nonnullæ Salomonis ſentẽtiæ, quæ facultatem de altero iudicandi tribuere videntur.num.7.

Iuramentũ triplex ex D.Bonauentura.lib.2.q.1.n.3.

Iuramentum quid. lib.2.q.3 num.8. Fit Deo, non tantùm homini. num.8. Concipitur etiam ſolo animo.ibid. Minorem vim habet obligandi, quàm votum.num.7.Non obligat,quod derogat alicui præcepto,vel conſilio.num.9.& q.1.nu 2. Obligationem contrahit ex intentione iurantis. num.8 ſi fraudulentum ſit tribus temporibus eſt implendum lib 3.q.3.num.9.

Iuramentum dicitur vergere in deteriorem exitum,quando actus non eſt moraliter bonus. lib. 2.q.6.num 6.

Iuramentum ad nihil, quod ſit imprudens,obligat. lib.2.q.6.num 6.

Iuramentum tribus comitibus perficitur,ſi non adſint,non eſt obligatorium.lib.2.q.1.num.2.

Iuramentum non eſt obligatorium ex Richardo3. quod vel tollit opus ſupererogationis,vel perfectionis, vel eſt de non faciendis iis, quæ melius eſt facere,quàm nõ facere,vel de faciendo quod melius eſt non facere,quàm facere.lib.2.q.1.n.3. Par dictum in ead.quæſt ex D.Bonauentura.n.3.

Iuramentum non debet occaſionem præbere peccandi iuranti ex Conſtitutione Gregorij XIII. lib.2.q.1.num.4.Qui Gregorius grauibus pœnis, & excom Rom. Pontifici reſeruata animaduertit in illos, qui iuramenta illicita,impoſſibilia, damnoſa, & Eccleſiaſticæ libertati aut decretis Concilij Tridentini obuiantia exigere contenderint num.4.

Iuramentum contra bonos mores præſtitum non eſt obligatorium lib.3.q.41.num.11.

Iuramentum vi, metúque extortum ſit ne obligatorium.lib.2.q 1 num 1. & ſeqq Iure ciuili non obligat.num.1 Nec obligat iure canonico,& cur. num.1. Sed iure conſcientiæ valet.num.2. Non ſeruans iuramentum metu extortum peccat peccatum mortiferum.lib.2 q.2.num.3.

Iuramentum coactum cur ratum ſit, non item votum, lib.3.q.2.num.4.

Digitized by Google

Iuramentum ſeruandum ex Deo eſt, ex Paludano. lib.2.q.5 num.7.& lib.2.q.1.num.2.

Iuramentum non violat, qui illud in melius eſſe mutat.lib.2 q.16.num.6.

Iuramentum promiſſorium, doloſúmve in cõſcientiæ foro obliget ne iurantem. lib.2. quæſt.3.n.7.

Iuramentum promiſſorium, ſimulatum, ac mendax, ex vi promiſſionis,ſeu contractus,nullam in foro Dei habet obligationem.lib.2.q.3.n.5.

Iuramenti obligatio vnde naſcatur.lib.2 q 2 n 4.

Iuramenti coacti à quo petenda abſolutio lib. 2. quæſt. 2. num. 5. Quid ſi iurans iuraſſet ſe non denunciaturum eum, qui vi extorſit iuramentum,vel non petiturum abſolutionem. lib.2.q.2. num.5.

Iurandi modus duplex, prior per conteſtationem Dei,poſterior per execrationem. lib.2..q.6.nu.2. An in vtroq; modo neceſſe ſit nuncupare Deum. num.2.

Iura iuranda quædam,vt ſint talia,pendēt ex voluntate loquentium.lib.2.q.6.num.3.

Iuſiurandum fraude conceptum in Eccleſiæ foro vim habet obligandi lib 2.q 3 num 5.

Iuſiurandum doloſum verè promiſſionem non habet lib 2.q.3 num.7.

Iuſiurandum non ſeruare in re parua num ſit culpa lethalis.lib 2.q.4.num.1.& 2.

Iuſiurandum promiſſorium duplicem veritatem requirit.lib.2.q.3.num.2. & q.4.num.2. & q.6.nu 4.

Iuſiurandum doloſum an ſeruãdum ſit illius cauſſa, cui iuratur.in ead.q.num.2 & ſeqq.

Iuſiurandum non valet contra ius ſuperioris. lib. 3. q.41.num 11.

Iuſiurandum ab Infidelibus quemadmodum recipi poſſit.lib.5.q.9 num.3.& 4.

Iuſiurandum eius, quem ſcit Iudex falſum iuraturum,poſſit ne admittere.lib.5.q.9.num.4.

Iuſiurandum ſi recipit priuatus aliquis ab eo,qui ſcit falſum iuraturum, ſcelere vincit homicidam ex D.Auguſtino.lib.5.q.9.num 4

Iura omnia diuina, humana, naturalia æquitatem tuentur.lib 3.q 4 num.5.

Iure ſuo,qui vtitur,neminem lædit. lib.4.q.13.nu.7.

Iuri,in quo quis non eſt alteri obligatus,vel ei ſubditus,renunciare poteſt.li.1.q.100.num.2.

Iuris executio non habet iniuriam. lib.4. q.10.n.9.

Iuriſconſultus pœnam non infligit, quia non eſt Princeps.lib.4.q.26.num.3.

Iuriſdictio ſine coercitione nulla eſt. lib .1.q.35.n.5.

Iuriſdictionẽ nemo habet in ſe ipſum.li.1.q.101.n.1.

Ius quid.lib.4.q.15 nu.3 .Quid ſit ex Gerſone. lib.3. q 8.num 6.

Ius diuinum non ſolùm Scriptura ſacra, ſed etiam traditionibus continetur. lib.1.qu 93 num.15.

Ius naturale inter omnia iura primatum tenet dignitate,& tempore lib.1.q.75.n.3.benignitas agit: nititur magis veritate quàm ſubtilitate.ibid.

Ius diuinum humano impediri non debet. lib.1.q. 21.num.3.

Ius canonicum vigorem ſumit à iure naturali, ex Hoſtienſi.lib.1.q.75 num.3.

Ius ab humana Poteſtate conſtitutum tripartitam habet rationem.lib 7 q.17.num.10.

Ius non naſcitur ex iniuria. lib.3 quæſt.5. num 7.& q.41.num.11.

Ius ſuum alteri nemo donare cogitur,lib 4.quæ.32. num.13.

Iuſtificatio vniuſcuiuſque eſt in incerto. lib 1.qu.2. num.5.

Iuſtitia,& bonum commune præferendum eſt Animæ,& ſaluti vnius.lib 5 q.9.num.4.

Iuſtitia diuidi non poteſt lib.7.q.5.num.2.

Iuſtitia,in foro Dei,& hominum eſt eadem,vbi conſtat de facto.lib 7.q 1.num.2.

Iuſtitia diſtributiua ſita eſt in Geometrica proportione ex Ariſtotel.lib.1.q.73.num.5.& q.74. n.5.

Iuſtum quid ſit ex Diuo Thoma.lib.7.q.5 nu 3.

Iuſtum in rebus humanis aliquid dicitur ex eo, quòd eſt rectum ſecundum regulam rationis, ex D Thoma,lib.5.q.15.num.8.

L

LAici præſupponuntur infeſti eſſe clericis.lib.4. q 45.num.2.

Laici contra clericos ſuas,& ſuorum iniurias perſequi poſſunt.lib.4 q 45.num.4.

Laicis non eſt permiſſa actio criminoſa in clericos: Ciuilis eſt conceſſa.lib.4.quæſt 45. num.1. Vide exceptiones numer.1. & 2. Item quando teſtes contra clericos poſſunt eſſe.eod.num.& ſeqq.

Laruarum vſus interdictus eſt clericis ſacrorum ordinum,& monachis profeſſis.lib.6.q 8 Vide in verbo Perſonati.

Legans filiæ mille ſi nubat, ducentos ſi religionem ingrediatur:poterit mille petere ex ſententia Bartoli,& meliorum doctorum.lib 7.q.7.nu.15.

Legans rem alienam ſciens, & prudens, non legat, vt aliena eſt, ſed vt futuram ſuam iuſta ratione, boniſque artibus. lib.7 quæſt 6.num.10 Quam rem ſi conſequi non poterit heres à vero domino, præſtabit eius pretium legatario. num. 10.

Quæ in hac quæſt. 6. differuntur de legato rei alienæ.num.8 9.& 10.videto in q 4. eiuſdem lib. num.6 & ſeqq.

Legari res aliena poteſt iure ciuili ab eo,qui ſcit eſſe alienam,modò ſacra non ſit,nec principis, nec ad communem vſum comparata. lib. 7.quæſt. 6, num.8.ſecus dicendum,ſi credebat eſſe ſuam,niſi ſi res legabatur vxori, aut proximæ perſonæ. ibidem.

Legari ne res aliena poſſit iure canonum.lib.7.q.6. num.9.

Legari res Eccleſiaſtica non poteſt.lib.7.q.4.n.8.

Legare cupit herus famulo ducentos aureos:hortatu eiuſdem famuli, relinquit ei centum quinquaginta: cauſſa hortandi famulo ea fuit, quòd minutis furtis ab ſuo hero abſtulerat quinquaginta,

giota; atque illa deceſſione quinquaginta aureorum putauit hero reſtitutos alteros quinquaginta eſſe, quos ſurripuerat. Quæſitum an famulus adipiſci poſſit totum legatum: nos poſſe probauimus contra Nauarrum.lib.7.q.13.n.3.& ſeqq.

Legat quis fundum ſuum Paulo, deinde ſe legare dicit Ioanni: ad quem pertinebit fundus? lib.7.q.10.num 2.

Legat.N. nutu moribundus ancillæ ſuæ ducentos aureos, cui dum valebat, dixerat ſe relicturum centum: petunt heredes præſtare ne debeant ancillæ ducentos, an centum.lib.7.q.6.Debent ducentos.num.1.Quo iure quibúsve titulis ancilla poſſit petere ducentos ſibi relictos ab hero nutu tantùm.num.5.& 6.

Legat mercedes annuas locandæ domus apus feminis è ſua ſtirpe nupturis; agnatione extincta aliis extra familiam collocandis mulieribus. Quindecim ipſos annos conductæ domus fructibus dos eiuſdem familiæ feminis confecta eſt. At multis annis improbis artibus eius, qui demortuæ voluntati morigerare debebat, deſitum eſt fieri partitionem aliquam. Vnica eſt familiæ ſuperſtes, quæ cupit nubere, petitq; fructus pro dote omnes, qui annis multis collecti ſunt.lib.7.q 5.vbi quæritur iure ne petat.

Legat Pius certis quibuſdam religioſis ſodalitatibus ad conſtitutum annorum ſpatium ſummas quaſdam pecuniarum, quibus vtantur; & quotannis ſemel pro ſua vxore ſollemne officium, & pro ſe itẽ quo die è migrauit ei vita, anniuerſarium celebrari curent: exacto anno tota pecunia hæredibus repræſentetur. Præſtari ne debeat ab hæredibus hoc legatum quæſitum eſt: præſertim, quòd cùm iſthæc agerentur vox defecit Pium, nec teſtari, quemadmodum cupiebat, potuit. Quæritur quid de hoc genere legati ſtatui oporteat.lib.7.q.14. Oſtenditur eſſe pium legatum, & ratum. Hæredes, qui non præſtant legatum, triplici ſcelere alligantur.num.7. Non eſt infectum vſuræ labe, ſed piè interpretandũ. n.9.

Legaturus erat maritus vxori quinque millia aureorum nummum; voceq; & manu orbatus erat. Quæritur num nutu potuerit relinquere eam ſummã vxori; quibúsve titulis.lib.7.q 3.n.4.& 5.

Legauit Franciſcus diuerſis, ſed mandat, vt pro eius ſalute, & anima ſingulis annis 40. ſacrificia, & diuina officia celebrentur; cui oneri ſubeundo relicta pecunia non eſt ſatis. An reliqua poſſit detrahi ex aliis legatis.lib.7.q.10.num.1.& 2.

Legauit teſtator fundum conductum per quinquẽnium: hæres præſtabit tantùm quinquennalem penſionem.lib.7.q.4.num.9.

Legata pia iudicanda ſunt legibus naturalibus, diuinis, & canonicis: neque Imperatoribus fas huic libertati iura condere contraria ex Bartolo. lib. 7.q.16. num. 17. Nec debent huiuſmodi legata iudicari ſecundum leges ciuiles ex eod. ibidem.

Legata pia valent ſine codicillo, & teſtamento; nec vitiantur ob teſtamentum iure nullum. lib.7. quæſt.6.num.6.

Legata pia valent cum duobus teſtibus etiam ſi ambo mares non fuerint. lib.7.q.6.num.7. Quãuis non interſit presbyter. ibid.& q.14. num.4.

Legata, & inſtitutiones non vitiantur inhoneſtis conditionibus.lib 2.q.19.num.3.

Legata pia ob nullum teſtamentum non efficiuntur caduca.lib.7.q.8 num.3.

Legata quibus à flagitioſa vita pauperes, & infames mulieres reuocantur, aut reuocari poſſunt, pietate non carent.lib.7.q.16.num.4. ſunt item pia, quibus alterius neceſſitas ſubleuatur. ibid. ſunt item pia, quæ miſerabilibus perſonis opitulantur.ibid.

Legata non tuentur ordinem prioris, & poſterioris, vt perueniant ad legatarios.lib 7.q.10.nu.4. Potuit teſtator legatum, cuius eſt poſtrema mẽtio, pluris facere, quàm reliqua omnia, quæ ſunt priora.ibid.

Legatum pium eſt, quod pro dotandis puellis relinquitur.lib.7.q.5 num.1.

Legatum piũ à fiſco vendicari non poteſt ſiue is ciuilis, ſiue eccleſiaſticus ſit.lib.7.q 4. num.2.& 3. Quæ ſint legata pia.num.3. Legata pia gaudent eodem priuilegio, quo relictum Eccleſię.num.4. ſi non poſſunt impleri de iure, vel de facto, in alterum vſum commutari debent Eccleſiaſtica auctoritate.num.4.

Legatum pium poteſt in meliorem vſum conuerti: quamuis id teſtator prohibuiſſet.lib 7.q.9.nu.2.

Legatum pium commutari poteſt ab Epiſcopo, cùm ſubeſt cauſſa: à Romano verò Pontifice etiam ſine cauſſa,lib.7 q 5.

Legatum pium quo modo interpretandum lib.7 q. 7.num.2.

Legatum factum familiæ religioſæ ſeu Eccleſiæ eius rei, qua non eget, poſſit ne in alium vſum conuerti ab Epiſcopo aſſentiente eadem familia.lib 7 q 9.

Legatum factum diuiti non pertinet ad piam cauſſam lib 7.q.5.num 2.

Legatum rei alienæ domino reſtituendum erit: ſed eius æſtimatio præſtabitur legatario. lib. 7.q.4. num. 7. ſed tamen valebit ſi res legata ſit hæredis.num 9.& ſi legauit coniunctæ perſonæ.ibid.

Legatum politicum non vendicat ſibi princeps, quando illud ob hæreſis crimen legatario auferendum eſt: ſalua tamen contraria conſuetudine, ſi in nonnullis locis vigeat, & iuſtè præſcripta ſit.lib.7.q.4.num 2.

Legatum rei alienę nullum eſt, ſi is, qui legauit, credidit rem legatam eſſe ſuam.lib.7.q.4.nu 8. Valet tamẽ in vtroque foro, ſi ſciuit eſſe alienam. lib.6.quæſt. 6.num.9.

Legiſlatores vitare debent odia in condendis legibus.lib.6,q.47.num.4.

Legiſlatori tria propoſita eſſe debent ex Platone. lib.5.q.11.num.7.

Legiſlatoris prudentis eſt non præbere iudicibus occaſionem errandi.lib.6.q.46. num.3.

Lex eſt regula humanarum actionum. lib.1.q.109. num.6. Neceſſe eſt, vt vniuerſè præſcribat, & ratione quadã generali ad cunctos applicetur. n.6.
Lex eſt quidquid in ratione conſiſtit. lib.7.q.1.n.12.
Lex dun habet ad illius rationem pertinentia ex D. Thoma lib.6. q.19.num 5.
Lex diuina humana lege impediri, & perturbari non debet. lib.6.q. 27.num.5.
Lex non inſtituitur de rebus, quæ in conſultationem veniunt ex Ariſt. lib.1.q.74.num.5.
Lex iuſta vim habet in foro conſcientiæ. lib. 3.q. 41.num.4.
Lex eſt de vniuerſis; conſultatio de ſingulis. lib.1. q.74 num.5.
Lex non tenet eos, qui legem ſeruare non poſſunt. lib.7.q.1 nu.4.
Lex non eſt, quæ iuſta non eſt, ex D.Thoma, & D. Auguſtino. lib.7.q.6.num. 3.
Lex nulla Spiritui ſancto mouenti aduerſari debet lib.7.q.6.num.2.
Lex rem præcipiens magni ponderis negligi non poteſt ſine ſcelere. lib.1.q.62.num.1.
Lex iuſta, ſeu præceptum iuſtum ſuperioris laici, aut etiam Eccleſiaſtici ligat in foro conſcientiæ ſolùm ad metas rationis, ſeu cauſſæ finalis, quæ prætenditur, ex Adriano. lib 7.q.1 num.10.
Lex etiam inuitis imponitur. lib. 1.q.55.num.5.
Lex nullam largitur auctoritatem iis, qui in illã ipſam committunt; imò punit. lib.3.q.4.num.2.
Lex ciuilis contra ius diuinum, naturale, & canonicum error eſt. lib. 6.q.16.num.12.
Lex humana hactenus eſt lex, quatenus à lege naturæ manat. lib.7.q.6.num.3.& lib.5.q.15.num.8. ex D. Thom. A qua lege ſi diſceditur, non eſt lex, ſed corruptio legis, ex eod. li.5.iiſdem locis.
Lex ciuilis, quæ fouet lucrum proximo odioſum, aut rigorem quendam, non eſt ſeruanda in foro canonico, licet expreſsè non reprobetur, ex Panormitano. lib.7 q 6.num 9.
Lex humana non imperat pietati; ſed hæc humanæ legi præſcribit, ac præcipit. lib.7 q.6.num.2.
Lex, ratio, natura Deus, multò magis oderunt, puniúntque turpitudinem rei factæ quam faciendæ lib.3.q 5 num.7.
Lex omnis, & diſpoſitio hominis, per quam impeditur libertas matrimonij; eſt nulla, multò magis quæ impedit libertatem ingreſſus religionis. lib.7.q 7.num 9.
Lex non eſt, quæ fertur ob priuati hominis vtilitatem. lib.3.q 4.num.3.
Lex fundata in præſumptione non habet locum coram Deo, niſi ſeueritas ei non reſpondeat. lib. 3.quæſt.3. num.5.
Lex abrogatur actu contrario legi. lib.3.q 10 nu.4.
Lex *Barbarius* executitur. lib.6 q. 58.num 8.& ſeqq.
Legis vera interpretatio ex intimo fine, & voluntate legiſlatoris petenda. lib.6.q 11.num.4.
Legis nõ verba, ſed ſententia ſequenda. li.6 q.11.n.4.
Legis finis eſt homines virtute præditos reddere. ex Ariſt. lib.7.q.17.num.9.
Legis, & principis auctoritas tanta eſt, quantam vult eſſe populus, à quo eligitur princeps, eíque poteſtatem tribuit. lib.7.q.1.nu.4.& q.17.n.7. A legis præſcripto tunc iuſtè diſceditur, cùm volũtas, & benignitas legiſlatoris diſſenſui aſſentitur. lib.5.q.7.num.7.
Legem diuinam, & naturalem nulla conſuetudo minuere, aut conuellere poteſt. lib.3.q.14.nu.6.
Legem non ſeruare, quæ mortem infligit, culpa eſt mortifera. li.4.q.15.n.8. Cõtra legẽ facta, pro infectis haberi debent. lib.3.q.41.num.9. & lib.1. q.129.num.3.& lib.1.q.102.num.3.
Lege iubentur ea, quæ obſeruari poſſunt ab omnibus. lib.4.q.50.num.6.
Leges vniuerſæ tam diuinæ, quàm naturales, quæ nec rem purè malam vetant, nec purè bonam præcipiunt, recipiunt tempora, quibus ſecus agi poteſt. lib.7.q.17.num 6.& q.1.num 4.
Leges omnes intueri debent æquitatẽ. li.7.q.17.n.8.
Leges cunctis debent eſſe ſalutares. lib.6.q.47.nu.4.
Leges naturæ, & Dei quæ rem iubent ſemper bonam, aut interdicãt rem ſemper malam prætermitti nunquam poſſunt. li.1.q.7.num.7. A legibus etiam diuinis nonnumquam propter alias diuinas recedendum. lib.6.q.30.num.6.
Leges Eccleſiæ vnuſquiſque optare debet, vt ſciat & ſeruet. lib.1.q.57.num.10.
Leges, & conſuetudines, quæ odia, & lites fouent, iniuſtæ ſunt. lib.4.q.29.num.2.
Leges Eccleſiæ cum magno damno obligare non ſolent. lib.5.q 7.num.7.
Leges iuſtas principum violare flagitioſum eſt. lib. 1.q.102.num.1.
Leges Eccleſiæ debent eſſe certæ, ac fixæ; & fixa & certa habere tempora, quibus paſcatur eiſdem. 15.num.2.
Leges, & pontificię conſtitutiones cũ non præfigũt tempus, quo incipiant obſtringere, duos menſes requirunt ex communi ſententia doctorum. lib.1.q.109 num.5.
Leges quo tempore incipiant obligare. lib.1.q.109. num.1.& ſeqq.
Leges, quæ habent certum tempus, quo eis eſt obtemperandum, eo elapſo incipiunt obligare. li.1. q.109. n.5.6.& 7. Tempus verò inchoatur à promulgatione facta in curia in cõſtitutionibus Põtificiis: in Imperatoriis autem facta in prouinciis num.7.& 8.
Leges contra ludum aleatorium num cunctos populos deuinciant. lib 3.q.10.num.6.
Leges ciuiles prohibentes ludum alearum tollant ne retẽtionẽ lucri ante repetitionẽ. li.3.q.10.n.7.
Leges ciuiles interdicentes ludum aleatorium, an ſint antiquatæ. lib.3.q.10.n.2.& ſeqq.
Leges ciuiles contra matrimonij iura non ſunt audiendæ. lib.1.q.122.num.8.
Liberè aduerbiũ quot modis vſurpetur. l.1.q.141.n.4.
Liberi arbitrij perfectus vſus ferè reperiri ſolet in

ætate progreſſa ad 14. annũ ex D.Th.l.2.q.7.n.2.

Liberi hominis perſona propter pecuniam non obligatur.l.2.q.16.n.4.

Liberum corpus æſtimationem non recipit ex iure ciuili. lib.4.q 11.num.2.

Libertas Eccleſiaſtica quid ſit apud Theologos & ſacrarum ſanctionum Doctores oſtenditur. lib. 1.q.93.num. 28.

Libertatis Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ diſcrimen oſtenditur ex Io. Driedone.lib.1.q.93.n.28.pene in extremo. Ius, & conſuetudo contra Eccleſiaſticam libertatem non admittitur in Bulla Cœnæ.lib. 1.q.78.num.6.

Libertatem habet ingenuus poſt annos pubertatis eligendi vitæ ſtatum.lib.2.q.16 num.1.

Libido ſimpliciter dicta eam ſignificat voluptatem, quæ in obſcœnis partibus corporis excitatur. ex D. Auguſt.lib.4.q.20.n.5.iſtam libidinem variis vocabulis notat D. Aug. negat eſſe à Deo.ibid.

Licitum quid lib 4.q.15. num.5.

Liuellus concretus eſt ex duplici contractu, id eſt, ex cõtractu venditionis cum pacto retrouendẽdi,& ex contractu locationis lib. 3.q.29.n.1.diſcrimine 5.Iuſta Liuelli penſio eſt, quam fructus tamen fundi pariunt. n.1.diſcrimine 4. Cõditiones in liuello ſeruandæ exponuntur.nu.1. & n.2. Quantum debeat eſſe precium in liuelli Contractu.in ead q.num.3.

Liuelli & cenſus diſcrimina oſtenduntur multa.li. 3.q.29.n 1.& 2.in altero contractu liuelli, qui eſt locatio, quæ ineſſe debeant cõditiones.in ead.q. n.4. Corruptela non ferenda Tabellionũ, dum liuelli tabulas conficiunt.in ead.q.num.4.

Locatio quid ſit.lib. 3.q.12 num.4.

Locatio animalis colono nõ imponit caſus fortuitos, neque culpam leuiſſimam lib.3.q.12.num.4.

Locationes longas bonorum Eccleſiaſticorũ irritas decreuit Tridentina Synodus.lib.3 .q.20.num.7.

Locator debet rei ſuæ agnoſcere caſus fortuitos, culpam leuiſſimam, & diminutionem tum fructuum, tum penſionis.lib. 3.q.29.num.4.

Lot peccauerit ne cum ebrietatem inceſtúmque incidit. lib.5.q. 5.nu.8. & vtrum eius filiæ peccauerint cum Patre concumbentes.in ead q.n.9.

Lot an crimen admiſerit quando illis Pentapolitanis filias ſuas obtulit abutendas. lib.5.q 9.nu 7.

Lucri ceſſantis actio non conceditur à magiſtratibus Venetis: à magnis etiam Theologis negatur. l.3.q 35.n.6.ſed eã non negat auctor huius libri.

Lucri ceſſantis quando ducenda eſt ratio.lib.3.q.15. num.11.

Lucrum turpe quando ſit reſtitutioni obnoxium li.3.q.6.vbi de lucro meretricio, aleatorio, & eorũ, qui ob maleficiũ, flagitiúmve cõmittendum, pretium accipiunt, vel vt ea exequantur, quę gratis facere eos oportet. In turpi lucro iura magis fauent danti, quàm accipienti.nu. 4. Cur accipienti magis faueant leges. num.5.

Lucra turpia, excepto meretricio, facta ob aliquod ſcelus ſubiiciantúrne reſtitutioni. li.3.q 6.n.1.2 & 3. Cui hæc lucra eſſent reſtituenda.nu 2.in fine Exponitur.n.4.in principio noſtra ſententia. Reſtituenda ſunt ex ſententia multorũ.li.3.q.5.n.8.

Lucrum meretricium non eſt reſtitutioni obnoxiũ, ſi non ſit immoderatũ, & ſi careat fraude & mẽdacio; & ſi ſit factum dantibus iis, qui alienare poſſunt.lib 3 q.6 num.1.

Lucrum aleatorium ſubiectum eſſe reſtitutioni ſẽtiunt tum aliqui, tum principes explanatores ſacrarum ſanctionum.lib.3.q.8.n.1.2.& 3.

Lucrum aleatorium quando iure diuino, & naturali, reſtituendum ſit neceſſariò.lib 3.q.9 n.& ſeqq.

Lucrum ex alea retinerí ne poſſit ante repetitionẽ, ex iure ciuili. lib.3.q 10.nu. Probatur non poſſe. num.8.& ſeqq.

Lucrum comparatum ex ludo alearum, quibus pauperibus erogandum ſit.lib.3 q 10.num.9.

Lucra maleficiorum, quæ vendicare ſolet fiſcus, retineri poſſunt, donec is auferat lib.3.q.6 num.6.

Lucra, quorum datur repetitio per actionẽ de dolo, aut vi, aut metus cauſſa, ſiue per officium iudicis neceſſariò reſtituenda ex Gabr. li.3.q.6 n.8 & 9.

Lucrum ex re furtiua & vſuraria non eſt reſtituendum. lib.3.q.36.num.4.

Lucrum è latrunculorum ludo & ſubiiciunt magni doctores reſtitutioni. lib.3.q.8.nu.1.in fine,& 2. in principio.

Ludouicus Rex Galliarum conceſſerit ne aliquando duella lib.6.q.16.

Ludus inuentus ad exhilarandos animos. li. 3.q.8. num.3.

Ludus non eſt, vnde oriuntur crimina. lib.1.q.92 n.1.& lib.5.q.11.num.10.

Ludus quilibet, quo inſigniter noceatur proximo, mortiferum eſt crimen lib.3 q 7.num.4.

Ludus alearum quinam intelligatur. lib.3.q.7.n.1.

Ludus aleatorius cupiditate initus magni quæſtus, ſit ne culpa lethalis lib.3.q.7.num.1.

Ludus alearũ, qui tubis exercentur, tot habet adiuncta crimina, quot ſunt ipſi interpuncti notis ex D Ant lib.3.q.7.num.2.

Ludus aleatorius eſt tacitus contractus, qui reuocatur ad illum innominatum, facio, vt facias lib. 3.q.8.num.3.

Ludus in vtroque ludente parem requirit conditionem. lib.3 q.2.n.6. Ludens pecunia pacta, & promiſſa, ſed non expoſita ſoluere ne debeat illã vincenti. lib.3.q.9.n.6.& q.11.nu 3. Carolus V. legem tulit aduerſus lucrum factum ex pecunia credita.n.6. Leges ciuiles interdicẽtes aleatoriũ ludũ ſint ne antiquatæ. q.10.n.2.& ſeqq. Tranſactio facta in ludo non valet.n. 5. Venditor non tenetur de euictione, ſi quidpiam vendidit in aleæ ludo. lib.3.quæſt. 10.num.5. In ludo aleæ acquiſitum, qui pauperibus largitus eſſet, num iterum reddere repetenti colluſori teneatur. numero 9. Lucrum aleatorium rei modicæ non eſt obnoxium reſtitutioni. num. 10.

In

In quatuordecim theoremata conferuntur, quæ diſputata ſunt in tribus quæſtionibus de ludo aleatorio.num.10 & 11.

Ludus quidam expenditur aleatorius inter hominem patricium, & opificem, in quo à principio inſignem iacturam fecit opifex: deinde multo maiorem patricius. lib.3.quæ.11.num.2. & ſeqq. Attractio ad ludum, quæ neceſſitatem imponit reſtituendi: cuiuſmodi ea eſſe debeat.li.3.q.9.n.2. Attrahens alterum ad ludum. ſi vincit, cui reſtituet.num 3. Inductus ad ludum cui reſtituere debeat. numer.4 Filij, quibus ſoluunt patres annua ſtipendia, è centenis aureis, quantum ludo exponere poſſint ex Soto.num.5. Pupilli, & minores lucrum è ludo reſtituent pauperibus. num.5. exponere ea ludo, quæ neceſſaria ſunt ad alendam familiam, vel ad ſuſtinenda publica munera, vel ad implenda Dei præcepta, peccatum eſt mortiferum.lib.3 q 9.num.5.& q 11.num.2.

Ludi aleatorij S. Bernardinus Senenſis duodecim enumerat peccata, totidémque ludentium fatuitates. lib.3.q.7. num 3. Qui etiam ait malle ſe viuere pecunia publicorum prædonum, quàm iſtorum luſorum.ibid Idem D.Bernardinus affirmat in orbe terrarum nullum horribilius, immaniúſque eſſe fœnus quàm aleatorum. num.3. D.Raymundus nouem peccata memorat.eod. num. Ad illa ſancti Raymundi ſeptem addit Hoſtienſis. ibid. Alexander Halenſis nouem peccata numerat. ibid. Diabolicum hunc ludum appellat Angelus num.3. Illicitum eſſe iure ciuili, canonico, & naturali probat Turrecremata.eod.num.

Luſorem alearum ad prædones, & latrones aggregat Ariſtot.lib.3.q.7.num.4.in extremo.

M

MAieſtatis, ſeu perduellionis rei à die cogitati criminis priuantur iure alienandi res ſuas. li. 4.q.1.num.4.

Maledictum quadruplex eſt ex Alexandro Halenſi. lib 4.q.43.num.3.

Malefica mulier penè nulla reſipuit vnquam teſtimonio iudicum.lib.4.q 8.num.2.

Maleficam matrem, & ſagam num filia deferre debeat ad factam inquiſitionem fraterna correctione prætermiſſa. lib.4.q 8. ſi matris crimen manifeſtum ſit, vel etiamſi ſit occultum, nec ſperetur correctio, correptio fraterna eſt ſuperuacanea. num. 2. Multis argumentis oſtenditur debere filiam matris nomen deferre. num.3.

Maleficarum ſcelera, maxima & horribilia enumerantur.l 4 q 7.num.2.& 3.

Maleficarum, ſeu lamiarum ſecta ſapit hæreſim. lib. 4.q.8.num 7.

Maleficiorum ſocietas coiri nulla poteſt. lib.3. q 5. num.16.

Maleficium remunerari non poteſt ex Baldo, & communi opinione.lib.3.q 5.num.5. Rationibus probatur maleficium poſt factum nullam remunerationem mereri.lib.3 q 5.num.6.

Maleficia nullam aliam habent obligationem, quàm ad ſuſtinendam pœnam peccati, & maleficij lib. 2.q 19. num.2 In maleficiis ſpectatur voluntas, non exitus, in lege Diuus ad legem Corn. de ſicatiis.lib.6 quæ.18 num.2.Apud Ciceronem ead. ſententia habetur.ibidem.

Malitia nemini debet eſſe lucroſa. lib.1.quæſt.129. num.3.

Malitiis hominum non indulgendum. lib.1. q.110. num.3.

Malum minus ſuaderi poteſt, parato facere maius. lib 5 q.40.num.4.& 5. propoſitione 5. vbi multorum doctorum recitantur teſtimonia.

Manifeſtum quod nam dicatur. lib.6. quæſt.44. numer.2.

Manifeſtum & publicum crimen quod nam ſit. li. 1. q.57.num.3.

Marcus Bragadinus, vulgo Mammugnanus appellatus, qui verum artificium profitebatur faciendi auri, non alchymiſta, ſed planus improbiſſimus, ordinis religioſi transfuga, tandem eiurata arte à Bauariæ Duce morti adiudicatus ſuſpendio ſuarum fraudum pœnas luit lib.1.q.3) num.4.

Mater ſcire poteſt prolem eſſe ſuam, ſed eſſe ex hoc, vel illo patre non ſemper ſcire poteſt.lib.7.q.16. num 16.

Mater certiùs ſcit de prole, quàm pater.lib.7 qu.11. num. 5.

Materia vna ab vna forma informatur. lib.1.quæ.5. num.4. Inter materiam, & formam habitudo eſt eſſentialis.ibid.

Materia in ſacramento pœnitentiæ, & matrimonij ſunt actus humani.lib.1.q.19.num 6.

Materia peccati mortalis quænam ſit ex Richardo. lib.4 q.17.num.3.

Materiam præbere alteri ad facinus nunquam licet. lib.5 q 12.num.3.

Matrimonium quid.lib.1.q.113.num.10.

Matrimonium conſiſtit in mutua, & perfecta traditione corporum lib.1.q 113 num.12.

Matrimonium ſignificat coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ. lib.1.q.112.num.6.

Matrimonium eodem momento perficitur à Deo, quo complentur verba.lib.1.q.113.

Matrimonium eſt contractus humanus, qui reuocatur ad illud genus, do vt des. lib. 1. quæſt. 120. num.1.

Matrimonium poſt Conc. Tridentinum non eſt ratum, niſi adſint parochus, & minimùm duo teſtes. lib.1.q. 120.num. 1.

Matrimonium celebrari poteſt ſiue viri, ſiue mulieris præſente parocho in quacunque parocia ex reſponſo ſacræ Congregationis. lib.1.quæſt.121. num.2.

Matrimonium præſente parocho initum, ſed prohibente Epiſcopo, ne matrimonio intereſſet, fuerit ne ratum.lib.1.q.114.num.1.& ſeqq.

Matri

Matrimonij bona, quæ honeſtant illius actum, pertinent ad illius eſſentiam. lib. 1. q. 140. nu. 2. Hæc bona exequitur D. Auguſtinus lib. 9. in Gene. c. 7. & Theologi in 4. ſent. d. 31. Tria ſunt iſta bona: primum ſacramenti: 2. prolis: 3. fidei. nu. 2. & q. 133. num. 2. Conditio adiecta matrimonio contra aliquod ex his tribus bonis nullum reddit contractum. lib. 1. qu. 140. num. 2. Bona excuſantia actum matrimonij duo ſunt ex Durando, bonum prolis & fidei. num. 3. Intentam prolem D. Thomas ſcribit eſſe eſſentialiſſimam in matrimonio. num. 3.

Matrimonij vſus, & vxor, inſtituta ſunt ad prolem generandã quomodo intelligatur. li. 1. q. 133. n. 7.

Matrimonium quotuplex ex D. Bernardo. lib. 1. quæ. 124. num. 7. & ex Richardo & Gabriele. num. 8.

Matrimonium ratum, & legitimum eſt tantùm fidelium. lib. 1. q. 124. num. 7. & 8.

Matrimonium conditionatum non euadit matrimonium ſine nouo conſenſu: nec fit verum matrimonium adueniente conditione. lib. 1. quæſt. 113. nu. 9. Ex huiuſmodi matrimonio non oritur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis. nu. 9.

Matrimonium, cui alterius contrahentis defuit conſenſus, renouari in facie Eccleſiæ, nec clandeſtinè ſine auctoritate Romani Pontificis refici poteſt ex reſponſo Clementis 8. lib. 1. q. 120. num. 3. & q. 122. num. 10. Conſenſus in matrimonio requiritur, & quia contractus, & quia ſacramentum. lib. 1. q. 120. num. 2.

Matrimonium nõ poteſt præcipi à parentibus filiis. lib. q. 122. num. 7.

Matrimonium cuiuſdam per errorem contractum an fuerit ratum. lib. 1. q. 121. num. 1. & 2.

Matrimonium metu leui contractum, iure ciuili ratum. lib. 1. q. 112. nu. 2. In foro animæ videtur ſecus dicendum. ibid. Matrimonium iure diuino, & naturali ſummam libertatem requirit. num. 3. Metus, qui ſufficit ad reſcindendos reliquos contractus, matrimonium efficit nullum. num. 5.

Matrimonium contractum ob leuem metum in foro conſcientiæ eſt nullum. lib. 3. q. 3. num. 3.

Matrimonium nullum propter impedimentum poſitiui iuris impedimento ſublato, clandeſtinè abſque teſtibus renouari poteſt ex declaratione Pij V. ſecus ſi impedimentum eſſet iuris naturalis, vel diuini: tum enim corã parocho, & teſtibus renouandũ eſt ex reſponſo Clementis 8. l. 1. q. 106. n. 7.

Matrimonium per verba de præſenti cum conditione honeſta futuri temporis migrat in ſponſalia. lib. 1. qu. 113. num. 6. 7. & 8. Matrimonium eſt vinculi indiſſolubilis vnio. nu. 7.

Matrimonium ſubiectum conditioni honeſtæ futuri temporis non eſt matrimonium, ſed ſponſio matrimonij. lib. 1. q. 113. hypotheſi. 5.

Matrimonium honeſtæ conditionis adiunctione coniunctum ob copulam, quæ conſecuta eſt, efficit matrimonium, & potum reſpondit illuſtriſſima Cardinalium Congregatio in ead. q. in extremo. Poſt matrimonium conditionatum ſi quis contrahat cum alia abſolutè, cum hac valebit, in ead. q. hypotheſi 5.

Matrimonium infidelium non eſt ratum ita, vt diſſolui non poſſit ab Eccleſia, quamuis fuerit conſummatum. lib. 1. q. 124. num. 7.

Matrimonium contractum in infidelitate non ſoluitur per baptiſmum altero coniuge conuerſo ad fidem. lib. 1. q. 126. num. 2. ſed num ob tres cauſſas Decretalis quanto, de diuortiis ipſo iure ſoluatur coniugium dubitari poteſt. num. 3.

Matrimonium Hebræorum eſt verum matrimoniũ. li. 1. q. 125. nu. 6. Tribus cauſſis diſſoluitur alterutro coniuge conuerſo ad fidem. ibi. & q. 126. n. 2.

Matrimonium cum hæretico initum ratum eſt. lib. 1. q. 117. num. 1.

Matrimoniũ non initur cum furentibus. l. 2. q. 6. n. 7.

Matrimonium contrahentes ſiue cõſtituti in ſacris, ſiue religioſi, ſiue laicæ perſonæ, inter quas gradus affinitatis conſanguinitatiſve intercedit, excommunicati ſunt. lib. 1. q. 56. num. 1.

Matrimonium qui cum affine contraheret his verbis: *duco te, ſi Romanus Pontifex diſpenſet*: eo diſpenſante, nouus eſt adhibendus conſenſus. lib. 1. q. 145. num. 5. in fine.

Matrimoniũ bona fide contrahens cum ea, cuius vir eſt in vita, credens eum mortuum, huius vxorem ducere poterit poſt veri mariti mortem. lib. 1. qu. 128. num. 2.

Matrimonium ſecundũ propter ſolam famam mortis prioris mariti debet diſſolui. lib. 1. q. 128. nu. 2. & ſeqq.

Matrimonium ſecundum non conceditur, niſi conſtiterit de morte primi cõiugis: nec ſatis eſt multos annos præſtolatum eſſe coniugem, quæ nouũ optat connubium: quod ſi contractum fuerit, nullum erit. lib. 1. q. 129. & 128. Contrahens iuſto errore cum coniuge alterius, mortuo eius viro illam cogitur ducere. li. 1. q. 145. n. 3. In contrahendo ſecundo matrimonio non tanta requiritur notitia in contrahentibus, quanta in Eccleſia, auctoritate cuius ſecundum contrahi debet matrimonium. lib. 1. q. 132. num. 2.

Matrimoniũ inter patrem, & filiã bona fide initũ debuerit ne tolerari. li. 1. q. 112. n. 2. Quid idẽ de hoc altero ſtatuendũ ſit matrimonio. Filius ſacerdotis ſuſceptus ex vna femina, & eiuſdem ſacerdotis filia ſuſcepta ex alia muliere inter ſe nubunt: quod impedimentum eorum pater ſacrilegus, & amborum parochus ſolus norat, qui etiam matrimonio præfuit. Quæritur, potuerit ne illos coniungere matrimonio, & diſſimulare impedimentũ in primo gradu conſanguinitatis. ead. q. num. 3.

Matrimonium domi contractum concubini, inter puellam domo ſua abductam, & quendam alium præſente parocho, fuerit ne ratum. lib. 1. quæ. 110. Non fuit. num. 2. & ſeqq.

Matrimonium, cui aſſenſa eſt filia, quia niſi nuberet, monialium ſeptis claudẽdam eſſe minitabatur ei

Digitized by Google

pater, nullum fuit. lib 1. quæſt. 122. nu. 2. & ſeqq.
Matutinæ horæ inchoari poſſunt, cum ſol propius abeſt ab occaſu, quam à meridie. li. 1. q. 50. nu. 4.
Melior omni virtute certior. lib. 1. q. 15. num. 4.
Melior quis dicitur alter altero dupliciter. lib. 1. qu. 77. num. 3.
Melior, ſeu dignior in conferendis beneficiis non intelligitur, qui melior eſt ſimpliciter, ſed qui magis eſt idoneus ad tale munus. lib. 1. quæſt. 77. num. 3. & 4.
Mendacium quid ſit ex Auguſtino. lib. 1. q. 104. nu. 4.
Mendicantium priuilegia contra decreta Concilij Tridentini abrogata ſunt à Romanis Pontificibus. lib. 3. q. 20. nu. 1. & 6 Penes mendicantes non eſt ius alienandi bona Eccleſiaſtica. nu. 4. D Franciſci religio immobilia bona, nomine Romanæ Eccleſiæ poſſidet, nõ ſuo, illorúmque eſt procreatrix & adminiſtra. n. eod. ſodalitas Clericorũ Ieſu ius alienandi immobilia habet ex ſpeciali indulto ſedis Apoſtolicæ eod. num.
Menſuræ conuenit eſſe minimam, vt docent Philoſophi, & Ariſtot lib. 3. q 44. num. 3.
Mentiri, & promiſſum non ſeruare res longè diuerſæ lib. 3 q. 5. num. 16.
Mentiri ob tuendam vitam non eſt lethalis culpa ex Paludano. li 4 q. 54. n. 3. Ergo multo minus ſiquis mẽtiretur ne æternã animæ ſalutẽ amitteret, eod.
Mereri, & demereri pertinet ad ſtatum vitæ. lib. 4. q 9 num. 4.
Mereri voluntas humana ſola non poteſt, demereri poteſt lib. 3. q. 5. num. 10.
Meretrix turpiter facit in eo, quòd meretrix eſt, non tamen turpiter accipit. li. 3. q. 5. nu. 11. Turpiter acquirit, ſed non turpiter accipit, eod. nu. Inter meretricem, & ſcortatorem ſtipulatio, ſi qua intercedit, irrita, & nulla eſt. eod. num. Meretrix, & turpiter accipit, & non turpiter: turpiter, ſi vel propter ſtipulationem, quæ criminoſa fuit, vel propter ſcortationem, quòd crimen eſt: non turpiter accipit, ſi aut tanquam munus, aut tanquam quid gratuitum, aut tanquam quid derelictũ ex Nau. vel, ſicut nos cenſemus, tanquam lucrũ à lege ſibi tributum. nu. 12. Meretrici iuſtitiæ lege nihil tribui debere multis rationibus docet Nau. nu. 11. Refelluntur varij tituli, quibus aiunt nonnulli doctores pactam mercedem eam iure petere poſſe. eod. num. Noſter titulus explanatur. num. 13.
Meretrices cur permittantur à moderatoribus ciuitatũ. li. 3. q. 5. n. 13. lucrũ flagitij meretricij relinquitur meretrici, cęterorũ criminum vindicat fiſcus. ibidem. Pretium meretrici debetur non ex contractu aliquo iuſto, non propter peccatum eius, ſed ſcortatoris, quem cõmunis iudiciorum conſuetudo, & lex mulctat eo modo, vt dicitur in ead. q. num. 13.
Meretrices, quæ viros habent, tolerari non debent. lib. 3. q. 5 num. 13.
Meretrices priuatæ num teneantur lucrifacta reſtituere. lib. 3 q 6. num. 1.
Merlinus, de quo Diuus Antoninus, fuerit ne Filius diaboli. lib. 4 q. 18. num. 2.
Meſopotamiã fertilem efficit Euphrates, qui quotannis nouos agros inuehit. lib. 3. q. 35. num. 1.
Metuere quæ ſolitus ſit vir conſtans. li. 5. q 7. nu. 11.
Metus quod eſt Iuriſconſultis, id eſt Theologis conditionata coactio. lib. 5 q. 7. num. 11.
Metus cadens in conſtantem virum definitur. lib 3. q. 2 num. 7. & lib. 5 q 7. num. 11.
Metus efficiat ne contractus nullos. lib. 3. q. 2. nu. 1. & ſeqq. Quinam ea de re diſputauerint. in ead. q. nu. 1. Vbi metus intercedit, conſenſus locum non habet. nu. 2. Metus cauſſa geſtum ratum non habetur eod. num. efficit coactionem in voluntatis actu, qui eſt electio. nu. 3. ſed non eam, quæ vel abſoluta, vel ſufficiens nuncupatur coactio: verum illam, quæ conditionata, ſeu inducens vocat.
Metus duplex, vnus iuſtus cadens in virum conſtantem, alter leuis. lib. 3. q. 2. num. 4.
Metus iuſti æſtimator qui nam ſit. lib 3. q. 2 nu. 7.
Metus vehementis, & leuis eadem eſt vis in foro Conſcientiæ li. 3. q. 2. nu. 8. Vide quæſt. 3 de leui metu lib. 3. in qua multis probatur metu leui iure Conſcientiæ effici contractus nullos: idem eod. lib. q. 41. num 10. Cur non audiantur in iudiciis, qui cauſſantur metum leuem lib. 3. q. 3. nu. 3. Etiam Matrimoniũ ob leuem metum redditur nullum num. 4.
Metus quilibet maculans contractum reſtituendi, legem parit neceſſariam. lib. 1. q. 112. num 4.
Metu leui contractum matrimonium vtrum ſit ratum. lib. 1. q. 112. Vide in verbo matrimonium.
Metu nullo ſuſcipi poteſt quod per ſe malum eſt. lib. 6. q. 30. num. 2.
Metu cuiuſuis mali, nec leuis culpa, ne dum mortifera ſuſcipi poteſt, ab homine Conſtante. lib. 5. q. 7. num. 5.
Metu contrahentes matrimonium, illique aſſentientes nõ poſſunt concupiſcere actum coniugij, quod nullum tunc redditur. lib. 1. quæſt. 122. num. 9.
Metu ab exſulibus illato fractus. N. ruſticus Cornelij domum, quem ab iis ad necem quæri ſciebat, demonſtrat: Cornelius trucidatur: domus incenditur: Quæritur an ruſticus reus, ſit homicidij: damnaq; ſarcire debeat, iis, qui illa ſunt paſſi. lib. 5. qu. 7. Hic ruſticus reus eſt homicidij, & damna ſarcire debet.
Meum eſt, quod ex re mea ſit. lib. 3. quæſt. 18. numer. 12.
Meum eſt, quod è re mea ſupereſt. lib. 3. quæſt. 18. num. 11
Militaris vita ſpoliat clericum omni priuilegio. lib. 1. q 79 num. 3.
Miniſter ſacramenti eſt cauſſa non naturalis, ſed voluntaria: ergo ex intentione operans. lib. 1. qu. 46. num. 4.
Miniſtri ſacramentorum actio debet eſſe humana. lib. 1. q 46. num. 4.

Minorum

Minorum quæ cum inſigni damno fiunt, auctoritate legum, ac iudicum reſcinduntur omnino. lib. 3. q. 41. num. 10.

Miſſam ſine lumine celebrare lethalis eſt culpa. lib. 1. q. 49. num. 1. Nec diebus feſtis licet ſine lumine. eod. num.

Miſſam celebrare ante matutinas horas ſit ne culpa lethalis. lib. 1. q. 50 num. 2.

Miſſa concubinarij notorij audiri non poteſt. lib. 1. q 57. num. 8. & 9.

Miſſæ præcepto ſatisfit, & ſi verba non audiantur. lib. 1. q. 65. num. 1. & 4.

Miſſæ auditionem præcipientis Eccleſiæ intentio eſt, vt fideles interſint, & vacent Deo ex D. Ant. lib. 1 q 65. num. 3.

Miſſæ, & Chriſtianæ liturgiæ quæ nam vis, applicatio, & fructus exiſtat. lib. 1. q. 42. Ea de re quinam ſcripſerint. nu. 2. Miſſę ſacrificium offerentes tres ſunt, Chriſtus, Eccleſia, miniſter ſacerdos. num. 4. Huius ſacrificij fructus finitus eſt quatenus actio Eccleſiæ, & miniſtri. nu. 5. Valet ſacrificium nouæ legis ex ſententia Scoti tribus modis, generaliſſimè toti Eccleſiæ, ſpecialiſſimè offerenti ſacerdoti, medio modo cui applicatur. nu. 6. Triplex eſt in hoc ſacrificio virtus, quemadmodum in oratione, vna merendi, altera impetrandi, tertia ſatisfaciendi. nu. 7. Fructus merendi, ſatisfaciendi, impetrandi tantò ſunt in vnoquoque vberiores, quantò maior eſt fides, religio, & ſanctitas. nu. 8. Vide in verbo ſacrificium.

Monachi participare ne poſſint cum Abbate excommunicato. lib. 8. q. 34. num. 7.

Monaſterium carcer eſt intolerabilis iis mulieribus, quæ inuitæ in illud coniiciuntur. li. 1. q. 122. nu. 2. In monaſterium includi ad pœnitentiã agendam grauis eſt in Eccleſia pœna. lib. 1. q. 122. nu. 2.

Moniales recipientes intra ſepta trimum puerum, ſeu trimam puellam in excommunionem Conſtitutionis Gregorij 13. incidunt. lib. 6. q. 19. num. 6. in extremo, & quæ. 22. eiuſdem libri, vbi ea de re vbertimè diſſeritur.

Monetam, quam quis ſcit à Principe interdictum iri, num in præſentia diſtrahere poſſit. lib. 3. q. 37. num. 6.

Monſtrum, quod geminatis membris eſt, qua ratione ſit baptizandum. li. 1. q. 8. nu. 2 ſi duo habet corda, duæ ſunt perſonæ, duóque baptiſmi adhibendi, duo ei nomina imponenda. ibid. Cor vnum in monſtro vnã indicat animam ibid quando dubitatum vnum ſit ne, an multiplex ſuppoſitum, quid agendum ibid Vide in eod. l. q. 4. n. 2.

Monſtrum gerens duo capita, vel pectora, quæ ſuis cientur motibus, de duplici ſuppoſito, dubitandum non eſt: quare nec de duplici baptiſmo adhibendo lib. 1. qu. 8. num. 2. De quibuſdam monſtris, & eorum generatione vide apud Henricum Gandauenſem quodlib. 6. q. 14.

Mons pietatis non poteſt à mutuatariis recipere niſi quantum neceſſarium eſt pro ſoluenda mercede miniſtris ex litteris Pauli 2. lib. 3. quæſt. 31. num. 2.

Moralia recipiũt ſpeciem non ab iis, quæ per accidens eueniunt, præter intentionem, ſed ex eo, quod eſt per ſe intentum. ex Diuo Thom. lib. 5. quæſt. 5. num. 12. *Quæ contra bonos mores ſunt, impoſſibilia à iure cenſentur*, ex Pyno. lib. 3. quæ. 5. num. 3.

Morbus ex Galeno quid. lib. 6. q. 55. num. 4.

Mors oppeti ne poſſit honeſtè pro amico. lib. 4. qu. 10. num. 21.

Mortem ne potuerit eligere adoleſcentula, quæ ſuum partum, priuſquam baptiſmum ſuſciperet, necauit, ſuamque necem vitare poterat, ſi nubere cum carnifice voluiſſet. lib. 4. quæſt. 14. num. 1. & ſeqq. Mors iuſta vitæ flagitioſæ præferenda. ibidem.

Mortuorum apparitiones ipſorum ne ſint, an Angelorum dubitat Auguſtinus. lib. 4. quæſt. 5. numer. 2.

Moyſes apud Hebræos Poteſtate Agiam ac Pontificiam ſemper retinuit. lib. 1. q. 83. num. 22.

Mulier eſt humanæ generationis, & ſpeciei fundamentum: earumdémque rerum eſt fundamentum viri, & mulieris ſalus. lib. 1. quæſt. 136. numer. 5.

Mulier eſt ex genere animalium ſuperfetantium ex Ariſtotele. lib. 1. q. 133. num 5.

Mulierem cognoſcere tempore menſtruorum, crimen graue. lib. 1. q. 136. num. 7. & 8.

Muliere nihil leuius ex gloſſa canonica. lib. 7. quæ. 11. num. 4.

Mulier varium, & mutabile teſtimonium ſemper producit ex can. forus, de verborum ſignificat. in ead. q eodemque. num.

Mulier auariſſima. lib. 3. q. 24. num. 2.

Mulier Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ non eſt capax. lib. 1. q. 23. num. 5.

Mulier facta habilis à ſecundo marito, qui primi ſit ſimilis membrorum proportione, redditur primo ex omnium ſententia: lib. 1. quæſt. 118. num. 3.

Mulieris ſemen non eſt neceſſarium ad generationem ex Ariſtotele. lib. 1. q. 130. num. 2.

Mulieres gliſcente amoris illecebra multa amatoribus ſuis mentiuntur. lib. 7 q. 11. num. 3.

Mulieribus, [illegible] viris religioſis egredientibus monaſteria nõ parcit D. Antoninus, ſi ignorant eas leges, quæ promulgantur in locis, vbi commorantur. lib. 5. q. 4. num 4.

Multitudo imperita, ſicut non in intelligendo, ſic nec in agendo dux ſequenda eſt. lib. 4. quæſt. 56. num. 6.

Multoties quod fit, videtur ex deliberata ratione prouenire ex D. Thoma. lib. 1. quæſt. 124. numer. 2.

Munera capi poſſunt ad fungendum munus virtutis non tamquam pretia, ſed tamquam inuitamenta. lib. 3. q. 6. num. 9. in extremo.

Munera dantes, vel recipientes in ditione Romanæ Eccleſiæ pro iuſtitia, gratiáve obtinenda excommunicatione à diuerſis Romanis Pontificibus plectuntur. lib.6.q.6. Pœnam excommunicationis ad proxenetas,& ad eos, qui non reuelant criminoſos extendit Bonifacius: ad illos item, qui promittunt, ſeu paciſcuntur, vt quidpiam à ſede Apoſtolica adipiſcantur, ſpectat ad gratiam,ſeu iuſtitiam.lib.6.q.7.num.2.Alia non nulla in extrauag. Bonifacij omninò videto in eod.num. Excommunicatio reſeruatur Romano Pontifici.Quot actiones addiderit Gregorius ad conſtitutionem Bonifacij,& quot,quaſve pœnas videto.num.3. Nauarrus eruditum commentarium elucubratus eſt in Conſtitutionem Gregorianam.ibid.Qui doctor ait non committi in legem Gregorij in iudicio rerum temporalium, & extra curiam.num.4.Nec cenſet teneri pœna, qui poſt acceptam gratiam, & iuſtitiam munus daret.ibid. Nec,qui daret,ne retardaretur iudicium.ibid. Credit à Gregorio ea prohiberi,quæ iure diuino, & naturali antea interdicta erant. num.4. Et munus debet eſſe tantum,quòd poſſit flectere animum iudicis.ibid. Quot modis munus dari poſſit indici. ibidem. Ad redimendam vexationem dari poteſt.ibidem.

Munera, quæ xenia dicuntur, & diebus Natalitiis mitti ſolent, non ſunt prohibita ex Nau. lib.6. q.7.num.6. Qui illud ſciunt, quanto temporis interuallo indicare debeant. num. eod. Quas actiones addiderit Clemens VIII. ad Bonifacij,& Gregorij conſtitutiones.num.7. Habétque locum conſtitutio eius in quouis genere cauſſarum ſpiritualium,& temporalium; atque in cunctis Romanæ Eccleſiæ ſubiectis mediatè, vel immediatè. ibid. Pauli II. extrauagans de non dandis, accipiendíſque muneribus credi poteſt abrogata eſſe.num.7.

Munuſculum fraudulentum in canone D.Gregorij illud eſt, quod verborum pactione caret. lib.4. q.6.num.2.

Mutuum,depoſitum,commodatum ſunt ex eo contractuum genere, in quibus res ipſa declarat, in quo, & quanto contracta ſit obligatio.lib.3. qu. 44.num 2.

Mutuum quid ſit.lib.3.q.15.num.5.& q.18.num.5.

Mutuum iniri poteſt cum ſpe lucri, ſed non propter ſpem lucri.lib.3.q.34.num.4.& 5. Propter lucrum velle beneuolentiam principaliter,& ob eam velle tantùm mutuum dare vſura eſt. nu.2. in ead.quæſt. In mutuo principalis intentio habetur pro pacto.ibid. Spes lucri in mutuo antecedens fœdat mutuum, ſed concomitans non fœdat.lib.3.q 3.num.4.

Mutuam pecuniam gratis alteri dare, & ſecundariò, aut amicitiam, aut grati animi ſignificationem,aut etiam remunerationem quampiam ſperare non facit eum, qui pecuniam credit, fœneratorem.lib.7.q.14.num.8.

Mutuum à Contractu permutationis, ſeu cambij hac vna re maximè differt, quòd in permutatione neceſſe eſt res permutatas numero differre: cum nihil ſecum ipſum commutari queat: at in mutuo poteſt eadem res numero reddi.lib. 3.q.44.num.4.

Mutua pecunia cum reddenda eſt, ſpectandáne ſit æſtimatio, quæ erat tempore contractus initi, an eius temporis,quo redditur.lib.3.q.44.nu.2.

N

NAhaman Syrus peccauerítne, cum flectente genua clero ſuo in templo Remnon,famuli brachio innitente, ipſe quoque Nahaman genua flectebat.lib.5.q.9.num.6.

Natiuitas,ſeu generatio duplex,vna in vtero,altera ex vtero.lib.1.q.137.num.5.priori natiuitati reſpondet baptiſmus,poſteriori confirmatio. ibid.

Natiuitas duplex ex D.Auguſtino,vna prægnantis, altera parientis mulieris:vna in matre, altera ex matre.lib.1.q.13.num.2.

Natura, ars, & vis politica vna numero poteſt eodem tempore multas formas numero procreare.lib.1.q.4.num.2.

Natura inter homines coniuncta eſt Societas, ex M.Tullio.lib.3.q.3.num.1. Contra naturam eſt magis, quàm mors alterius incommodo ſuum augere commodum. ex eod.M.Tul. lib.1.q.71. num.3.

Neceſſitas quid.lib.4.q.15.num.5.

Neceſſitas vltima facit, vt rebus alterius vtamur etiam inuito Domino, ex D.Thom.lib.6.q.27. num.7.

Neceſſitas extrema quæ ſit.lib.4.q.31.num.3.

Neceſſitate graui conflictatus rem alterius retinere poteſt, ſi alter non pari neceſſitate prematur. lib.4.q.31.num.2.

Neceſſitati proximi opitulari potius ad iuſtitiam, quàm ad caritatem ſpectat ex D.Thoma. lib.4. q.31.num.9.

Neceſſitas ipſa diſpenſationem habet cùm ad ſuperiorem recurri non poteſt ex D.Thom. lib.3.q. 4.num.5. Neceſſitas non habet legem, ſed ipſa facit ſibi legem.ibid.

Neceſſitate coacta poteſt puella ad vitam corporis ſuſtentandam, ab impudico cibum petere. lib.5. q.14.num.2.

Negligentia nulla eſt ita leuis, quin fiat mortalis, ſi procedat ad contemptum ex Alex. Alenſi. lib. 4.q.50.num.2.

Negligentia quærendi viam veritatis vitioſa, & damnatione digniſſima.lib.5.q.1.num.1.

Negligentia craſſa propriè dolus ex Richardo. lib. 5.q.2.nu.3. Eſt indirectè voluntaria ex D.Tho. num.4. Vt, cum aliquis,inquit ipſe,propter laborem, vel propter aliquas occupationes negligit addiſcere id, per quod à peccato retraheretur.eod.num.

Nego

Digitized by Google

Negotiatio quid ſit ex Canone D. Chryſoſtomi. lib.1.q.53.num.1. Et quis ſit negotiator ex eodem Doctore. ibidem.

Negotiario clericis interdicta quænam ſit. lib.1. q.53. num.1.Cur clericis interdicta.ibidem.

Negotiantes clerici num priuilegia ſuorum bonorum,& alia amittant.lib.1.q.53.num.3.& 4. Et,ſi amittunt, vtrum ea recuperare queant. lib. 1. q.53.num.5.

Negotiator clericus tamquam peſtis fugiendus ex D.Hieronymó. lib.1.q.86.num.2.

Nemo dat quod non habet: hæc propoſitio quam exceptionem habeat.lib.1.q.101.num.4.& 8.

Nobiles veri,quinam ſint:nuſquam reperti centum nobiles ex Ariſtotele.lib.1.q.74.num.6.

Nobilitas hominum eccleſiaſticorum in quo ſita ſit.lib.1.quæſt.74.nu.7. Nobilitatis noua genera promereri, & facultatibus Eccleſiæ nouos titulos mundanæ dignitatis excitare non licet.n.7.

Nobilitas ſola non meretur ſtipendia Eccleſiaſtica. lib.1.q.74.num.6.

Nos,non eſt ſingularis numerus geminatus ego,& ego,ſed ego,& tu,vel ego,& ille. lib.1.q.5.nu.4. in fine.

Notorium quid.lib.6.q.44.num.2.& lib.1.q.57.nu. 2.Et quot eiuſmodi.lib.1.q.5.num.2.

Notorij ſpecies triplex. lib.6.q.42.num.3. In notoriis ordo Iuris non ſeruatur. lib.4.q.10.num.7. In notoriis delictis notorium eſt pro teſte, & accuſatore. lib.4.q.10.num.7.

Nouitius voto perſonali liberatur, reali non Item ex Paludano.lib.2.q.16.num.4.

Nubit fœmina viro conſanguineo parochi decepta reſponſo:cognoſcitur ab alio quodam, è quo ſuſcipit filium,qui cenſetur eſſe viri conſanguinei: ſpondet futuras nuptias adultero,viro conſanguineo mortuo. De eo genere quid ſentiendum ſit. lib.1. q.115.num.2. & ſeqq. Matrimonium fuit nullum,quia in gradu dirimente contractum.num.2. Excommunicatione Clementinæ de conſanguinitate, & affinit.mulier incurrit.num.3.& 4.Eius ignorantiæ ſupinæ,& craſſæ non fauit imperitia parochi.num.3.Proles è viro conſanguineo cenſetur legitima, ſi viro ignoratum fuit impedimentum.nu.4. Secundum connubium fuit verum matrimonium.num.5.

Nuncius certus requiritur ab Eccleſia de morte primi coniugis,vt ſecundum contrahi poſſit matrimonium.lib.1.q.129.num.2.& q.132.num.1.

O

Obligatio quid ſit.lib.3.q.3.num.5. Sine animo obligandi non contrahitur in priuatis obligationibus.lib.2.q.3.nu.4.Quæ contrahitur cum homine, ſit verbo externo: quæ vero cum Deo, verbo interno.num.6. Sola voluntate nemo alteri obligatur niſi ſoli Deo.num.6.Obligatio dicendi, faciendíve aliquid non oritur ex mendacio,ſed ex veritate.lib.2.q.3.num.7.

Obligatio eſt proles legitima contractus, & eius effectus formalis.lib.3.q.8.num.3.

Obligatio,& actio ſunt ad aliquid.lib.3.q.4.num.2.

Obligatio ſemel extincta numquam reuiuiſcit. lib. 3.q.5.num.7.

Obligatio reſpicit futurum,nubentium coniunctio præſens.lib.1.q.113.num.7.

Obligatio ſpeciei generis obligationem non extinguit.lib.2.q.17.num.2.

Obligatio antidotalis naſcitur ex accepto beneficio.lib.1.q.76.num.1.

Obligatio,quæ contrahitur ex delicto ad luendam pœnam,naturalis eſt.lib.5.q.4.num.3.

Obligatio fouens ſcelus tolerari non debet. lib. 3. q.5.num.7.

Obligationem in promiſſionibus,legatis,& contractibus, quæ ſunt hominis ad hominem,poſſunt, inquit Durandus,iura ponere.vel tollere in pœnam delinquentis, & in fauorem innocentis,ſeu in fauorem ſtatus contractus.lib.3 q.5.num.14.

Obedire nemo debet minori poteſtati cum iniuria maioris ex D.Thom.lib.6.q.31.num.2.

Obedire prælatis cum periculo amittendæ vitæ quis non tenetur,ex Syluestro & aliis nonnullis. lib.6.q.30.num.4.Excipiuntur nonnulla tempora.ibidem.

Obiurgare ne poſſit alterum, qui in pari eſt vitio. lib.4. q.48.num.1.& ſeqq. Accuſare vitia aliena officium eſt bonorum virorum,& beneuolorum. lib.4.q.48.num.1.

Obiurgator alterius quid ante obiurgationem ſecum cogitare debeat.lib.4.q.48.num.2.

Obſcœnitas verborum omninò per legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate ex Ariſtotele.lib.5. q.11.num.10.

Obſequio contra canones præſtito nulla merces debetur,ſed pœna.lib.1.q.57.num.5.

Obſeruantiæ ſingulares non conueniunt ſtatui religioſo ex D.Thom.lib.2.q.12.num.3.

Occidere homines indicta cauſſa intoleranda iniuſticia. lib.4 q.10.num.3.

Occidere alterum, cum non potes ſecus vitæ tuæ conſulere licet.lib.4.q.10.num.9. Hæc defenſio cunctis,& in omni loco permittitur, etiam clericis.eod.num.

Occidere, aut ſauciare eum,qui te vulnerauit,& in fugam ſe contulit, non licet, contra Nauarrum. lib.4.q.10.nu.12.Quot cautiones callere debeat is,qui iuſtè occidit alterum,ne is occidatur.n.11. Is, qui inuaditur, poteſt mortem pati, ſi vult,& parcere inuadenti.nu.14. Occidere ſe ipſum iubente Iudice.lib.4.q.10.Theoremate 6.Occidere licet adorientē,cum ei,cuius vita petitur turpis eſt fuga.n.16.quæ fuga nec clericis,nec contemptæ cōditionis hominibus eſt turpis. eod.nu.

Occidere alterum pro defenſione rerum ſuarū clericis non licet, nec laicis pro re parua,vel cùm alia via recuperari poteſt. lib.4.quæſt.10.nu.17.

Incidant ne tempora, cùm quis potius occidere alterum vim inferentem debeat, quàm ſinere, ab illo ſe occidi.lib.4.q.10 num.17.

Occidere licet eos, qui inuadunt noſtros amicos, conſanguineos, vel innocentes ex vera, & communi ſententia lib.4.q.10.num.18.

Occidens ſe ipſum iniuriam facit communitati. lib.4 q.10 num.5.

Occidere ſe ipſum nullo caſu licet lib.4 q.10.nu.5 Si ſe ipſos nonnulli occiderunt, id Deo iubente, ſeu impellente ſecerunt ibidem.

Occidere innocentem impium eſt homicidium, nec aliquando licet.lib 4,q.10.num.7. Innocentem num condemnare poſſit iudex ex allegatis, & probatis.ibidem.

Occidere criminoſos non licet niſi iis, qui publicam gerunt poteſtatem. lib.4.q.10.num 7. Sed quoddam genus facinoroſorum occidere auctoritate legis, ſeu principis licet nu.8. Reliqua vide in verbo Homicida, & homicidium.

Occultum in litteris diſpenſationum quod nam intelligatur.lib.6.q 44.num 4.

Occultum poteſt eſſe delictum, quamuis actio ſit publica.ibid.

Occupantes, in ſuos vſus conuertentes, impedientes ne percipiantur fructus ſeu emolumenta ab eo, ad quem pertinent, excommunicati ſunt à Concilio Tridentino: & excommunicatio eſt Romano Pont. reſeruata.lib.6.q.23.num.3.

Officium diuinum interrumpi ne poſſit: & quando, quaſve ob cauſſas lib.1.q 66 num. 1 & 2.

Officium diuinum integrè recitari debet, explanatè, non concidendo verba, aut ſyllabas. lib.1.qu. 67.num.1.

Officium diuinum recitare ne teneatur, qui de beneficio adepto litigat, & fructus ſunt apud ſequeſtrum.lib 1.q.69.

Officij diuini recitandi neceſſaria ne lege teneatur, qui beneficium per quam exile adeptus eſt. lib.1.q 68.

Officij diuini intermiſſio animo illud iterandi facit, vt neceſſario iterandum ſit.lib.1.q.66.num.2.

Officium ne diuinum poſſit ab homine Latino Græcæ, vel Hebraicæ, vel qua maluerit lingua, recitari.lib 1.q.10.

Officij diuini recitandi onus oritur vel ex ordine ſacro, vel ex pacata beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſione, fructuumq; perceptione.lib.1.q.69.n.1.

Officij dicendi lege non eſſet ſolutus, qui poſt collationem ante poſſeſſionem ex eo fructus perciperet. lib. 1.q.69.num.3.

Officia Romanæ Curiæ, quæ vendi ſolent, emptoris interitu redeunt ad Romanum Pont. lib.3 q. 13 num.1. Vendi poſſunt ab officij magiſtro, ſed non ſiunt ſecundi emptoris, niſi poſt venditionem quadraginta dies in vita maneat.ibidem. Si magiſter officij, Petri amici, ſui togato partem officij vendat Paulo, & pecuniam omnem eum omni iure transferat in Petrum, vt ſoluat Paulo, quod magiſter eidem ſoluturus erat, ſi pecunia potitus eſſet Pauli, magiſtro mortuo nihil poteſt Paulus petere amplius à Petro in ead.quæſt.n.2. Refellitur multis argumentis Theologi cuiuſdã ſententia, qui credidit abſque fœnore in ſocietatem officiorum Romanæ Curiæ recipi poſſe ſocialem pecuniam maiorem, quam ſit tota officij æſtimatio. Octo eius errores redarguuntur. lib.3.q. 4.num.6 & 7.

Onus perſoluendi diuina officia ciuilis eſt obligatio.lib.7 q 14.num.3.

Onus quodlibet pecunia æſtimabile vectigal cenſetur à Romanis Pontificibus in bulla Cœnæ. lib.4.q.39.num.3.

Onera annexa beneficiis, vt miſſas, aut euangelium, aut epiſtolam cantandi in cathedralibus, ſeu collegiatis Eccleſiis, per ſe ipſos qui exercere debent, intra annum ordinem, qui eſt oneri annexus, ex Concilij Tridentini Decreto ſuſcipere debent.lib 1 q. 1.num.3.

Opem, operam, conſilium, alterius facto, quod tum facienti, tum aliis inſigniter noceat, præſtare, flagitium eſt.lib.5.q.8.num.3.

Operationes reales ſunt circa ſingularia determinata.lib.1.q.45.num.1.

Opinari quid ex Ariſtotele.lib.4.q.46.num.3.

Opinans credit ea, quæ opinatur. lib.4.q.46.nu.3.

Opinari ſic, vel aliter non eſt in poteſtate opinantis.lib.5.q.16.num.2. Propter opinari non ſumus boni, vel mali in ead.quæſt.num.2.

Opinio ſine perſuaſione & ratione eſſe non poteſt. lib.4.q.46.num.3. Fides, quæ opinionem ſequitur firma, & infirma, hæſitans & non hæſitans eſſe poteſt.lib.4.q.46.num.3.

Opinio probabilis non poteſt eligi relicta probabiliore: id multis auctoritatibus, & rationibus probatur.lib 5.q.15.num.1.& 2. Vide idem in 1. lib q.1.num.2.

Opinio à veritate habet, vt ſit recta. ex Ariſt. lib.5. q.15.num.4.

Opinio tutior eſt, quæ certiora habet argumenta: nec eſt ſecurior ſemper, quæ factum ſuadet ſecurius lib.5.q.15 num.3.

Opinio eſt alteri altera præferenda ob octo cauſſas.in ead.quæſt.num.4.

Opinionẽ ſequi alicuius excellẽtis Doctoris quando liceat homini rudi.lib.5.q.17.num.2.& 3.

Opinionem ſequi errantis Doctoris non eſt criminoſum homini imperito in iis, quæ ſunt humani iuris, modo paratus ſit veritatem complecti cum ſibi fuerit patefacta ex Adriano,n.3.in ead.quæſt. Sunt tamẽ excipienda nõnulla iura humana, quæ ignorare homini Chriſtiano non licet.eod num.

Oppugnare veritatem vitæ in peccatis numeratur, quæ ſunt in Spiritum ſanctum. lib.4.q.53 nu.1.

Opus hominis eſt ex virtutis præſcriptione ſuſcepta actio.ex Ariſt.lib.5.q.11.num.7.

Opus relatum ad finem malum eſt formaliter malum.lib.2.q.15.num.2.& q.19.num.1.

Opus

Opus mechanicum, & ruſticum eſt ſeruile. lib. 4. q. 58. num. 1.
Opus ſeruile, quod licet exercere feſtis diebus. in ead. q. 2. ſit ne opus ſeruile tranſcribere. in ead. q. num. 3.
Opus ſeruile, & mercenarium differunt in ead. q. num. 5. & 6.
Opus non ſeruile per ſe, ſed feſtis diebus conceſſum, ſeruile non redditur, ſi fiat propter lucrum. in ead. q. num. 5. & 6.
Opus ſeruis, iuxta, atque ingenuis commune ſeruile non eſt. ex D. Thom. & aliis. lib. 4. q. 58. num. 1.
Opus corporale trium generum. ex Caietano. lib. 4. q. 58. num. 2.
Opus ſeruile tribus modis poteſt intelligi ex Richardo. lib. 4. q. 58. num. 4.
Opus ſpirituale duplex ex Caietano. lib. 4. q. 58. numer. 2.
Orandi conſuetudo non flexis genibus diebus Dominicis, & à Paſchate ad Pentecoſten manauit ab Apoſtolis. lib. 1. q. 64. num. 2. Huius cauſſæ explicantur à Turrecremata. num. 3. in ead. q.
Oratio, quæ adhibetur pro vniuerſitate, interdum impetrat perditis, quod eiſdem denegat Deus, cum propriè pro illis oratur. lib. 1. q. 42. num. 12.
Orationi quando iure diuino ſit neceſſaria attentio. lib. 1. q. 63. num. 4.
Oratio factorum ſimulachrum ex Solone. lib. 4. q. 9. num. 10.
Ordinaria iuriſdictio datur aut à canone, aut à Principe, aut ab vniuerſitate. lib. 5. q. 3. num. 6.
Ordinarius qui nam ſit. lib. 5. q. 3. num. 5. & 6.
Ordinarij vocabulum non propriè cadit in Romanum Pontificem. lib. 5 q. 3. num. 5. & 6.
Ordinarius iudex quis. lib. 5. q. 3. num. 6.
Ordinibus ſacris initiatus, ſi contrahat matrimonium, quibus Eccleſiæ pœnis ſit obnoxius. lib 1 q. 16. num. 1. & ſeqq. Pœnas octo ſubeunt. num. 3
Ordinatio Epiſcoporum, quæ requirat, tamquam ad eius eſſentiam ſpectantia. lib. 1. q. 48. nu. 12. & 13.
Ordinatus à non ſolectato quamuis impedimentum ordinantis ignoret, eget diſpenſatione. lib. 6. q. 25. num. 3.
Ordinatus ab excommunicato occulto, & cuius toleratur iuriſdictio, non eſt ſuſpenſus ab executione ordinum. lib. 6. q. 25. num. 1. & ſeqq.
Ordinatus metu cadente in conſtantem virum teneatúrne lege continentiæ ordini ſacro adiunctæ. lib. 1. q. 55. num. 2.
Ordinatus ſine licentia ſui Epiſcopi ab alieno Epiſcopo eſt ipſo iure ſuſpenſus. lib. 6. q. 46. num. 2.
Ordo homines à profana iuriſdictione in ſacram transfert, atque eius, qui eſt ordine initiatus conditionem commutat: quod non facit baptiſmus. lib. 1. q 93 num 12.
Ordo ſacer ex generali ſtatuto Eccleſiæ inhabiles facit ad contrahendum matrimonium, ſiue ordinati aſſentiant, ſiue diſſentiant. l. 1. q. 55. n. 3. 4. & 5. Apud latinos etiam irritat matrimonium propter votum ſollemne ei annexum. In ead. q. nu. 4. & 5. Num eiuſmodi lege, & voto teneātur, qui propter metum cadentem in conſtantem virū ad ſacros ordines acceſſit in ead. q. copiosè diſſeritur. Placet nonnullis Theologis cū ordine ſacro cohærere continentiā ideo, quia ſacer eſt. in ead. q. n. 5. & 6.
Ordinis poteſtatem perfectam accipit ſacerdos impoſitione manuum tribuente Epiſcopo facultatē remittendi peccata. lib. 6. q. 43. num 3.
Ordinem peruertere naturæ in iis quæ ad humanæ ſpeciei proprietatem pertinent, graue eſt crimen. lib. 1. q. 134. num. 3.
Oſcula, amplexus, & manus porrigere, & accipere, ac tenere, aut amicitiæ, aut beneuolentiæ ergo, aut more prouinciæ, vel patriæ nullum eſt peccatum. li. 4. q 20. n. 4. propr. 1. Relata ad turpes actus obſcœnámve voluptatē lethalia ſunt ea. n prop. 1.
Oſcula, tactus, amplexus, quando tum virtutis, tum meriti apud Deum rationem induant. lib. 4. q. 20. num. 6. in extremo.
Oſcula, tactus, complexus ſint ne iis, qui coniugij vinculo ſoluti ſunt, crimini danda. lib. 4. q 20. n. 1. & ſeqq.
Otho non abdicauit Pontificatu Ioannem 12. lib. 1. q. 93. num. 23.

P

PAciſci cum moribundo non licet, vt poſt obitum de ſtatu ſuo certiorem faciat amicum. lib. 4. q. 5. nu. 1. & ſeqq.
Pacta contra leges humanas, conſtitutionéſque, vel quæ contra bonos mores ſiunt, nullam vim habent ex iure Codicis. lib. 3. q. 5. nu. 4.
Pacta quænam aduerſari dicantur bonis moribus. lib. 3 q. 25. num. 3.
Pacta contra publicam vtilitatem non ſunt ſeruanda. lib. 3. q. 5. num. 4.
Pactio quid ſit. lib. 1. q. 116. num. 2.
Pactio de non præſtando dolo non valet. lib. 3. q. 4. 1. num. 7.
Pactionibus priuatis non læditur ius caeterorum. li. 7. q. 15. num. 4.
Pactum quid ſit. lib. 3. q. 9. num 4.
Pactum inducens votum captandæ mortis non valet. lib. 3. q. 25. n. 2. Contra bonos mores eſt nullū ibidem.
Pani ſi veram detrahas aquam, & humano ingenio ſubdas factam, feceris quidem panis genus quoddam non qui abſolutè, ſed cum adiunctione panis appellandus ſit. lib. 1. q. 40. num. 3.
Panis etiam poſt coctionem, non eſt quid re diuerſum ab iis, quæ miſcentur, contra Caietanum. lib. 1. q. 41. num. 4.
Papa iuriſdictionem in ſe poteſt alteri tribuere in foro conſcientiæ, in foro exteriore non poteſt. lib. 1. q. 110. num. 2.
Parens vterque nititur prolem trahere ad ſuam ſectam. lib. 1. q. 24. num. 5.

Parentes liberis magis debent Chriſtianam educationem, quàm alimenta.lib.4.q.55.Procreant filios,vt prudentes, ſapientéſque rationis legibus obtemperent;vt numen diuinum colant;vt æternam felicitatem aſſequantur. num.3.

Parentum ſermones,ac mores pro legibus debent eſſe domeſticis,ex Ariſt.lib.4.q.55.num.3.

Parochus tam ſponſi, quàm ſponſæ contrahendi matrimonij idoneus eſt miniſter. lib. 6. quæſt. 39.num.2.

Parochus proprius in perceptione ſacramentorum quiſnam cenſeatur. lib.1.q.110.num.4.

Parochiæ ius quis non aſſequitur per fraudem, & ſcelus.lib.1.q.110.n.2.Aſſequitur quis per annuam commorationem.n.4.nec propter domicilium illic extructum,ſed propter habitationem. lib.1.q 110.n.4.

Pars communitatis eſt vnuſquiſque, & id quod eſt communitatis eſt.lib.4.q. 10.n.5.

Parum de magis principali eſt, multo de minùs principali præferendum, ex Ioanne Maiore.lib. 1.q.81.num.5.

Participans ſcienter cum excommunicato non prodeſt ei,quidquid cum eo agit excommunicatus,ex Felino, & communi ſententia doctorum. lib.6.q.58.num.12.

Participans cum excommunicato in crimine,vt teneatur eadem excommunicatione quæ requirãtur.lib.6.q.29.nu.4. Participans crimínosè cum excommunicato in crimine toties incurrit excommunicationem, quoties participat ex Nau. eod.num.

Participans cum excommunicato nominatim à Papa,vt ſubeat excommunicationem maiorem, quinque requiruntur.lib.6.q.29.n.5.Laicus cum huiuſmodi excommunicato participans incurrit minorem,clericus autem maiorem.eod.n.Participare cum excommunicato prohibetur quis iure diuino in duobus caſibus ex Victoria.n.5. Participare in politicis,ſeu actibus ciuilibus per ſe,eſt culpa leuis.num.6.

Participans in humanis cum excommunicato maiore excommunicatione excommunicari non poteſt maiore excommunicatione, niſi ter admonitus, aut tribus interuallis vni admonitioni adiectis.lib.6.q.29.num.7.

Participare in diuinis cum excommunicato eſt cõtra præceptum,in ceteris præter, ex D. Thoma. lib.6.q.29. n. 8. Nam per excommunicationem quis ſeparatur à communione fidelium per ſe,à cõmunione verò hominũ per accidens ex eo.ibi.

Participans propter metum in diuinis cum excommunicato num peccet mortiferè.lib.6.q.30.

Participare in diuinis cum excommunicato quando graue ſit ſcelus. lib.6.q.30.num.7.

Participaréue liceat cum eo,de quo dubito probabiliter,an ſit excommunicatus. lib.6.q. 33. Dubitatio ſi nata ſit de criminoſa inſcitia,abiicienda eſt. numero 2.& pro ea ſumenda fides ſi prudens ſit , ſed vitatio iniurioſa ei , qui vitaretur, hæſitatione reiecta communicandum eſt, ſi excommunicatus poſt lapſum anni reuertatur,nec ſe gerit tanquam excommunicatum,credere rectum eſt eum eſſe abſolutum. nu.2.

Participare ne filij emancipati poſſint cum parentibus excommunicatis.lib.6.q.34.n.3.Participare ne poſſit pater non excommunicatus cum filio excommunicato, & dominus cum ſeruis , & vir cum vxore.num.4.& 5.Participare ne poſſint monachi cum Abbate ſuo excommunicato.lib. 6.q.34.num.7.

Paſtor,vt paſtor curat bonum gregis ex Plat.lib.4. q.38. num 3.

Paſtorali arti nihilaliud curæ eſt,quàm vt id,quod cuſtodit , optimè ſe habeat.ex Platone. lib. 4.q. 38.num. 3.

Patres plures qui habuerit nondum eſt repertus lib.1.q.5.num.3.

Patrum duo genera,vnum naturale,alterum ciuile. lib.7.q.16 .num.15.

Patriarcharum ordo potiùs dicendus eſt propagatio ordinis Epiſcopalis, quàm ordo Epiſcopalis ſtirps Patriarchalis ordinis. lib.1.q.48. num.16.

Patrini, ſeu ſuſceptores cur dati ab Eccleſia in ſuſceptione baptiſmi. lib.1.q.137.num.4.

Paulus ad Cæſarem non prouocauit tamquam ad ſuum legitimum iudicem.lib.1.q.93. num.26.

Pauperes in præcipua quadam ſunt Dei tutela. lib. 1.q.81.num.4.

Pauperum obſequia Deo ſunt ferè cariora , quàm diuitum.lib. 1.q.81.num.4.

Pauperum ſuſtentationi iure naturæ debentur,quæ aliis ſuperſunt ex D. Thom. lib.4.q.39.num. 4.

Peccare in fine multò ſceleratiùs eſt, quàm in mediis.lib.4.q.13.num.4.

Peccare animo reſipiſcendi,& confitendi ſcelus admiſſum peccatum minuit.li. 4.q.52.n.1.& ſeqq.

Peccator quilibet non ſolum æterna , ſed etiam temporali morte dignus eſt,ex D. Thom. lib.5. q.5.num.9.

Peccatoris pœna eſt non videre.ex D. Greg. lib.4. q.52.num. 3.

Peccata omnia mortifera à cunctis vitari debent, quamuis non ſit neceſſe ab omnibus cognoſci, ex Alex.Altiſſiodorenſi,multiſque aliis Theologis.lib.5.q.2.num.8.

Peccatum,vt eſt actio,à Deo eſt.lib.5.q. 9. n.1.& 2.

Peccata ſunt maxima malorum ex D. Thom.lib.5. q.7.num.4.

Peccatum non poteſt dici abſolutè à Deo, ſed cum additione,vt eſt ens, vt eſt actus.lib.5.q. 9.nu.1. Vt verò eſt deformitas, ſeu receſſus à iuſta lege, eſt à facultate deficiente liberi arbitrij.eo. num. Peccatum mortiferum quid ſit ex Richardo Victorino.lib. 5.q.11.num. 7.ratione 9.

Peccata omnia mortalia ad tria genera reuocat Richardus.lib.4.q.20.num.3. Videto .lib.4.q.9. num.11.

Peccatum nullum adeo paruum, quod non creſcat neglectum ex D.Auguſtino. lib.4.quæſt.53. numer.2.

Peccata magna è paruis naſcuntur ex Chryſoſtomo. lib.4.q 53.num 2.

Peccata leuia magna fiunt in peccatoribus negligentia ex D.Auguſtino.l.4.q.53 num.2.

Peccatum veniale qua ratione dicatur diſpoſitio ad mortale.lib.4.q.53.num.4. Qui finem ſuum conſtitueret in peccato veniali mortiferè peccaret. num.4.

Peccatum mortale ex genere eſt, non ſubiicere voluntatem ſuam ordini vltimi finis. lib.4.quæ.53. num.4.

Peccatum veniale diſponit ad mortale tam ratione ſuæ conuerſionis, quàm auerſionis. lib.4. qu.53. num.4.

Peccata venialia comitari ſolent animi ægritudines, & cruciatus conſcientiæ. lib.4. quæſt.53. num.5. Cunctæ creatæ naturæ extinctioni anteponenda eſt culpa leuis in Deum. lib.4. quæſt.53. numer.5.

Peccatum in Spiritum ſanctum cur delictum æternum appellatum ſit ab Euangeliſta. lib.4.quæ.9. num.19. Eius ſpecies. num.9. vide in verbo blaſphemia.

Peccatum in Spiritum ſanctum cur maximum peccatorum ex D.Bonauentura. num.20. Cur irremiſſibile dicatur.num.21.& 22.

Peccatum in Spiritum ſanctum, quo polluebantur Iudæi, agnoſcit D. Baſilius in eo hominum genere, qui virtutes, & benefacta aliorum oppoſitorum vitiorum nominibus inſectantur. lib. 4. q. 9.num.23.

Peccatum, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſſa peccati ſimul; & pœna peccati ex S.Gregorio.lib.4. quæſt.52.numer.3.

Peccatum ne ſit mortiferum ſic loqui. *Non laboro de corrigendis leuibus peccatis: illa contemno: nõ eſt quid magnum in iis hærere.* lib.4.quæ.53.num.1.& ſeqq. D. Bernardus ait blaſphemiam eſſe in Spiritum ſanctum.eod.num.

Peccata ignorantiũ, & ſcientium eiuſdem ſunt ſpeciei ex Caietano.lib.1.q.53.num.2.

Peccati opus nil meretur niſi pœnam æternam, nec vllius eſt pretij.lib.3.q.6.num.3. In peccato nihil eſt pretio dignum, non entitas, non voluptas, non moleſtia.lib.3.q.5.num.10.

Peccati alieni nõ is ſuſtinet cauſſam, qui facit quod iure prætermittere non poteſt. lib.1.quæſt.136. num.5.

Peccato vti alterius ad bonum licitum eſt. lib.5.qu. 10.num.1.

Peccato leuiſſimo, quod meum eſſet, non licet impedire grauiſſimum alterius. lib.5. quæſt.12. numer.4.

Pecunia pluris eſt præſens, quàm abſens. lib.3.q.19. num.3.

Pecunia locari, vendíque poteſt. lib.5. quæſt. 37. num.3.

Pecuniæ vſus conceſſus deponendi non ſemper cõuertit depoſitum in mutuum. lib.3. quæſt. 37. num.3.

Pecuniæ æſtimatio voluntate Principis, Trapezitæuè conſenſu, temporis interuallo, quo aut materia, aut pondere, aut re vtraque fit deterior, commutare ſolet.lib.3 q.44.num.1.

Pecuniæ mutatio poſt moram nocet debitori, in pecunia maiore, quæ minore pecunia æſtimari ſolet: num in minima etiam noceat, problema eſt. lib.3.q.44.num.3.

Penſionarius nactus eſt pẽſionem octingentorum: ei ad vitam honeſtè agendam ducenti ſunt ſatis, num reliquos ſexcentos diuidere debeat pauperibus.lib.1.q.86.num.1.& 2.

Penſionem concedentis quinam ſit finis. lib.1.q.86. num.1.

Penſionem obtinens, de qua Xiſtus V. in ſua Conſtitutione, aut beneficium ſimplex, habitum clericalem, & tonſuram deferre debet. lib. 1.q 61. num. 1. nonnullos excipit penſionarios in eadem Conſtitutione.

Penſiones, & cenſus non debentur in pecunia meliore, qua illorum inſtitutionem conſecuta eſt, ſed in ea, quæ erat, quo tempore inſtituebantur: aut illius ipſius æſtimatio.lib.4.q.44 nu.12.

Perduellionis crimen quot modis committatur.lib. 6.q.12.num.1.

Perduellionis rei bona ſunt ipſo iure adiudicata fiſco.lib.7.q.4.num.1.2.& 3.

Perduellionis reo debitores non poſſunt iure ſoluere.lib 4.q.1.num.4.

Perduellium, ac inceſtorum parentum ſcelera in liberis, ac poſteris vindicantur. lib. 6. quæſt. 46. num.7.

Perfugium deſperatiſſimum eſt teſte M.Tullio dicere imprudentem ſe feciſſe, exiſtimaſſe licere: additque perditiſſimam hanc eſſe definitionem. lib.5.q.3.num.3.

Peregrini, ac viatores nõ ſortiuntur forum loci, per quem tranſeunt.lib.4.q.57.num.2.

Periculo peccati mortalis qui ſe committit, peccat mortaliter.lib.1.p.140.num.8.

Periurium quid.lib.2.q.3.num.2.

Periuria, non iuramenta ab Innocentio 3. nominantur, quæ contra Eccleſiaſticam vtilitatem attentantur.lib.3.q.41.num.11.

Permiſſus, ſeu permiſſio, non idem, quod conceſſus: nam hic eſt rei iuſtæ, & honeſtæ, permiſſus non item.lib.6.q 16.num.14.

Permutatio ſine diuerſitate rerum non conſiſtit. lib. 3.q 15.num.5.

Permutata res perit permutanti: in ead. quæſt. numer.6.

Perſonati ſi incedant clerici in ſacris ordinibus conſtituti, vel religioſi profeſſi, culpam contrahunt mortiferam: & religioſi præter culpam,

Digitized by Google

etiam excommunicationem: multiſque hæc rationibus oſtenditur. lib 6.q.8.

Pharao ſacerdotes Ægypti reliquit immunes. lib. 1. quæſt. 93. num. 6. Cur Deus permiſerit ſacerdotibus illis impertiri immunitatem. in ead. quæſt. num. 7.

Pharmacopola peccauerit ne, & num alieni facinoris miniſtrator fuerit, cum homini poſcenti adamantinum puluerem ad necandum innocentem, pro puluere cinerem vendidit. lib. 5. q. 12. probatur peccauiſſe. num. 1. & ſeqq.

Pias voluntates teſtatorum piè interpretari debemus. lib. 7. q. 14. num. 9.

Pietas quid ſit ex Auguſtino, & quot modis vſurpetur. lib. 7 q. 4 num 5.

Pignori qui opponitur, fundo ſi pignoris poſſeſſor ingignat fertilitatem, poſſit ne ex eo fructus tamquam ſuos colligere à ſorte ſepoſitos. lib. 3. quæſt. 36. nu. 3. non fœneratur, qui tantùm impendit in pignus quantum ex eo capit vtilitatis: in ead q num. 4.

Pij V. Conſtitutio de Cambiis. lib. 3. quæſt. 15. num. 8.

Plinius Iunior, qui erat proconſul Bythiniæ, & Ponti teſtamentum non ſollemne ſollemni præferebat. lib. 7. quæſt. 1. num. 14. aiebátque voluntatē defuncti ſibi antiquiorem iure eſſe: num. 13. in ead q.

Pluralitas beneficiorum conceſſa à canonibus intelligitur in ſimplicibus. lib. 1 q. 73. nu. 4.

Poema amatorium componens criminoſè agit: lib. 1. q. 11. num 7.

Pœna non debet eſſe maior, quàm eſt culpa ex Cicerone. lib. 6. q. 46. nu. 1. quiſque in ſuo vitio plectator. ibid. quibus adhibenda pœna. num. 3.

Pœna ante ſententiam in foro Conſcientiæ non debetur. lib. 3. q. 10. num 7.

Pœna impoſita delicto non debetur niſi eo perfecto. lib. 6. quæſt. 18. num. 4. & quæſt. 24. num. 9, in eod. lib.

Pœna incurritur, quamuis ea ignoretur. lib. 1. q. 115. num 4.

Pœna eſt corruptio agentis, culpa actionis ex D. Thoma lib 5 quæſt. 4 num. 2. Ad rationem pœnæ ſpectat inuoluntarium, ad rationem verò culpam voluntarium, ex eodem D. Thom. ibid.

Pœna falſi quæ ſit. lib. 7. q. 16. num. 20.

Pœnæ ſtatutorum, quæ ſunt ab ordinariis, vt ſubeantur, maior requiritur incuria, quàm in ſubeunda pœna ſtatutorum generalium, & Romanorum Pontificum. lib. 5. q 3 num. 7.

Pœna, quæ ſolet ſolui à reis duplex: altera agente alio, & ipſo ſuſtinente: altera eodem reo agente, & patiente. lib 4. q. 15. num. 11.

Pœnalis conſtitutio debet extendi, & largo modo interpretari, inquit Panormitanus ex Ioanne Andrea, quando emanat, vt euitentur animarum pericula. lib 6. q. 11. num. 7.

Pœnitentia vera quæ ſit. lib. 1. q 32. num. 6.

Pœnitentiæ ſacramentum, eſt ſacramentum iuriſdictionis. lib. 1. q. 35. num 5.

Pœnitentiæ recompenſatio in tribus rebus conſiſtit ex D. Thom. lib. 1. q. 35 num 3.

Pœnitentiæ ſacramentum lapſis poſt baptiſmum eſt ad ſalutem neceſſarium. lib. 6. quæſt. 27. numer. 4.

Pœnitentia vera amputat omnes occaſiones peccati. lib. 1. q. 140. num. 2. & 3.

Pœnitentia non tollit actionem. lib. 1. quæſt. 144. num. 2.

Pœnitentiam ſalutarem ab ſacerdote impoſitam ob culpam mortiferam, pœnitens recuſare non poteſt: & ſuſceptam dependere debet omninò: id multifariam probatur. lib. 1. quæſt 35. num. 1. & ſeqq.

Poetas cogit Plato, vt imaginem boni viri exprimant, vel non ſcribant lib. 5. quæſt. 11. num. 9. Neque quæ componunt priuato vſu oſtendant, priuſquam delecti iudices legúmque cuſtodes viderint, & approbauerint. num 9.

Pollutio quando culpam adiunctam habeat mortiferam, quando leuem, quando nullam. lib. 4. q. 18. num. 2. & 3.

Pollutio nocturna, cuius cauſſa fuit culpa contracta in vigilia, tollat ne virginitatem. lib 4. quæſt. 18 num. 1.

Pollutio, quæ culpa eſt lethalis, ſola virginitatem corrumpit. lib. 4. q. 18. num. 2.

Pollutio, quæ dormienti accidit, ſi placet tantùm ob alleuamentum naturæ, aut mitigationem carnalium motuum, ſine procuratione, vt ait Syluester, non eſt peccatum. lib. 4. quæſt. 18. num. 2.

Pollutioni præteritæ, vel futuræ cum ſua vxore aſſentiens maritus, num peccet. lib. 1. quæſt. 154. num. 6. & 7.

Pontifex Romanus immediatè poteſtatem habet à Deo lib. 1. q. 103. num. 2. & lib. 5. q 3. num. 6. Reliqui principes à multitudine poteſtatem accipiunt. lib. 1. q. 113. num. 4.

Pontificem Romanum ab iis delectum, quibus ius eſt eligendi, & quem eſt Chriſtiana complexa Eccleſia, veriſſimum Chriſti eſſe Vicarium, ea fide, cui nullum falſum ſubeſſe poteſt, ab vnoquoque credi oportere tredecim argumētis probatur. lib. 1 q. 100. num. 1. 2. & 3. Contraria eliduntur argumenta. num. 4. 5. & 6.

Pontifex Romanus eſt verus paſtor, cuſtos, & iudex omium Chriſti. lib. 1. q. 23. num. 4.

Pontifex Romanus in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, errare non poteſt. li. 1. q. 113. n. 4. Reliqui legiſlatores falli poſſunt. ibid.

Pontifex Romanus ſalutares leges toti orbi Chriſtiano, vel repugnanti poteſt imponere. li. 4. q. 37. num. 1. & lib. 1. q 103. nu. 2. Idem poteſt cunctos reges, atque imperatores iuſtas ob cauſſas anathemare percellere, & pœnis ſpiritualibus variis afficere. lib. 3. q. 27. num. 2.

Pote

Digitized by Google

Potentiſſimi reges, ac principes ad eundem de grauibus controuerſiis, & iniuriis diſceptantes prouocare ſolent.ibidem.

Pontifex Romanus multiplicem perſonam ſuſtinet,doctoris,conſiliarij,medici, patris ſpiritualis,principis, legiſlatoris, iudicis: & ſacræ ſanctiones haſce perſonas omnes exprimunt lib.4. q.47.num.5.

Pontifex Romanus eùm eligit Sacerdotem, à quo abſoluitur,antequam ei confiteatur peccata, iuriſdictionem tribuit ei in actu primo:in actu verò ſecundo, cum eidem confitetur. lib.1.q.101. num.7.

Pontifex Romanus non poteſt alteri tradere ſuam Pontificiam poteſtatem;& quomodo tribuat Sacerdoti, à quo abſoluitur,poteſtatem. Iure concedente diuino in foro conſcientiæ, poteſt cui ſe maluerit,ſubiicere:qua de re copioſè. lib.1.q.101. num.3. De modo ſubiectionis, vide num.2. & ſeqq.

Pontifex Romanus pontificatu abdicare ſe poteſt: verùm, ſi non aſſentiãtur abdicationi hiſce temporibus Cardinales, abdicatio eſt núlla. lib.1.q. 100.num.2.

Pontifex Romanus non poteſt ſibi eligere ſucceſſorem. lib.1. q.98.num 1.& ſeqq. Petrus aſſentiente Eccleſia elegit ſibi ſucceſſorem, item diuina inſpiratione.num.2. Vide huius facti alias cauſſas.num.2.3.& 4.in ead.quæſt.

Pontificem Romanum eligendi ius eſt in Eccleſia.lib.1.q.98.num.1.& 3. Cur non poſſit ſibi eligere ſucceſſorem.num.1 3 & 4. Poteſt tamen,vt inquit Caietanus, determinare electores,& modum eligendi.num.4.

Pontifici Romano qui dicunt non parendum in iis, quæ ab eo inſtituuntur,in hæreſim labuntur.li.1. q.16.num.8. In Romani Pontificis, & Concilij generalis poteſtate cunctus eſt populus Chriſtianus.lib.4.q.36.num.4.

Pontifex Romanus non eſt dominus bonorum Eccleſiæ,ſed diſpenſator.lib.1.q.70.num.9.

Pontifices Romani ſeruos ſeruorum Dei appellare ſe conſueuerunt ante D.Gregorium. lib.1.q 93. num.20.

Pontificia dignitas, & quia Pontificia, & quia in Romana ſede locata,à ſolo Deo eſt.lib.1.q.100. num.4. Sed quatenus eſt in hoc,vel in illo conſtituta duplex humanum habet fundamentum; id eſt,hominem,qui eligitur,& electi,atque eligentium conſenſum.ibidem.

Pontificia dignitas ſoli, Imperatoria,& Regia Lunæ comparatur ex Innocentio III. lib.1.q.92. num.2.

Potentia duplex,vna iuris, altera facti. lib.1.q 84. num.3.

Potentia duplex,vna coniuncta cum actu, altera ab eo ſeiuncta.lib.1.q.26.num.6.

Populus in Sacramenta,& in euangelicos ſacrarum confeſſionum iudices poteſtatem nullam habet. lib.6.q.38.num.10.

Poſſeſſor bonæ fidei dici non poteſt, qui dubitat, num res poſſeſſa ſua ſit.lib.1.q.18.num.4.

Poteſtas Eccleſiaſtica diuino iure inſtituta eſt: totáque in Romano Pontifice collocata. lib.1. qu. 92.num.1. Ciuili poteſtati præeſt iure diuino. ibidem.

Poteſtas ſpiritualis temporali præficitur,tamquam cauſſa efficiens, & dirigens,& tamquam forma, & finis ex Driedone.lib.1.q.92.num.2.

Poteſtas iuriſdictionis non reſidet in vniuerſitate Eccleſiaſtica.lib 1.q.23.num 4.

Poteſtatis iuriſdictionis materia quænam ſit.lib.5. q.23.num.3.

Poteſtas ordinis, & iuriſdictionis vtraque iure diuino neceſſaria eſt ad remittenda peccata. lib.1. q.21.num 3.

Poteſtas ordinis æqualis in omnibus, non item iuriſdictionis. lib.1.q.101.num.1.

Poteſtas abſoluendi à peccatis, & à pœna æterna, & gratiam actiuè conferendi, applicando meritum paſſionis Chriſti, in charactere Sacerdotali fundata eſt:quamuis huiuſmodi poteſtas ab Eccleſia ligata ſit in hoc,vel illo.lib.1.quæſt.101. num.2.

Poteſtas abſoluendi Romanum Pontificem in foro pœnitentiæ, in confeſſario, qui abſoluit,non eſt immediatè à Deo lib.1.q.101.num.6.

Poteſtas publica, qualis eſt principis ad vindicanda delicta, moueri non poteſt, niſi à publicà ſcientia,& voluntate.lib.4.q.10.num.3.

Poteſtas patria quænam ſit.lib.7 q.16 num.15.

Præceptum minus concurrens cum maiore huic concedere debet.lib.8.q 30.num.5.

Præceptum Eccleſiæ qui perfectè obſeruare non poteſt,ex ea parte ſeruet,qua poteſt.lib.4 q.49. num.2.

Præcepti vinculum nectit mortifera culpa non obedientes, vt fermè cuncti ſentiunt, & docent: in lege non item.lib.6 q.29.num.8.

Præcepti primi decalogi duplex interpretatio. lib. 5.q.9 num.6.

Præcepto humano interiores actus minimè ſubiiciuntur.lib.1 q 63 num.2.

Præcepta iuris poſitiui non ſe extendunt vltra intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti: hæc autem eſt caritas ſecundum Apoſtolum ex D.Thom.lib 7.q 1.num.10.

Præcepta Eccleſiæ cum graui damno, Chriſti fideles non detinent.lib.1 q.47 num.1.

Præcepta non omnia, præſertim pœnalia, lethali culpa aſtringunt non obtemperantes ex Gabriele, & Adriano lib.6.q.29.num.8. Quanquam cautiùs ſcripſiſſent ſi pro præcepto legem poſuiſſent.ibid.

Prælatus promouens indignum, ſi promotus non eſt ſoluendo,ipſe tenetur.lib.1 q.72.num.2.

Prælatus ob damnum allatum Eccleſiæ ſua culpa, vt teneatur.lib.1.q.83.num.1.

Digitized by Google

Prælatus, qui rem Eccleſiæ adminiſtrat, æquatur cum tutore.lib.1.q.83.num.1.Tenetur de negligentia,& dolo.ibid. Quam culpam præſtet, videro.num.1.& ſeqq.

Prælatus tenetur inſtar tutoris, vtilitatẽ ſuam non debet præferre vtilitati Eccleſiæ.lib 3.q.19.num.7.& 8.Quam culpam præſter num.8.& 9.

Prælatus ex ſententia Hoſtienſis,ſucceſſor alterius Prælati, tenetur de omnibus,de quibus alter tenebatur,vt prælatus.lib.1.q.87.num.2.

Prælatus poſſit ne legatum Eccleſiæ repudiare.lib.1.q.84.

Prælatus poſsitne acquirere ſibi legatum, quod alter futurus erat Eccleſiæ. lib.1.q.85.num.1.

Prælati per abuſum poteſtatis ſecularis, conferentes dignitates, & beneficia,quas pœnas ſubeant.lib.1 q 78.num 6.

Prælati poteſtatem ſui abſoluendi tradere poſſunt, cui maluerint.lib.1.q.101.num.4.

Prælato præcipiente, vt participem cum excommunicato in diuinis, quem ille ignorat eſſe excommunicatum: ſed ego ſcio,non debeo obedire:quia nemo cum iniuria maioris poteſtatis minori obedire debet ex D.Thom.lib.6.q.3.nu.2.

Præſcriptio ignoranti non obeſt,niſi ignorantia eſſet craſſa,& ſupina.lib.7.q.17.num.5.

Præſcriptionis lex ciuilis,quæ poſt 40.annos omnẽ actionem ſuſtulit contra præſcribẽtem ait Henricus eſſe abrogatam.lib.7.q.17.num.11.

Præſumptio non eſt peccare cum animo pœnitendi ex D.Thom.lib.4.q.52 num.1.

Præſumptio, quæ neceſſitatem pœnitentiæ ad veniam, & meritorum ad ſalutem conſequendam, damnatur à D.Auguſtino, & D.Thoma. lib.4.q.52.num.4.Præſumptio hæc eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum ex D Thom ibid.

Præſumptio iuris, & de iure probationem contrariam non admittit.lib.3.q 43.num.3.

Precator mendax caret impetra u,ex Decretali Innoc. III. lib.1.q.104.num.4.& 9.

Precationes noſtrę ſint ne Deo caræ,an ſecus,ignorant Angeli niſi reueler iis Deus. lib.4 q.5.nu.3.

Preces noſtræ beatis animabus notæ ſunt.lib.4.q.5.num.2.

Pretium præſens,& futurum vnum, & idem eſt.lib.3.q.18.num 4.

Pretium ſoluendum intelligitur cum mutuo implicito.lib.3.q.18.nu.5. Duplicem rationem contrahendi,præſenti & futuro pretio, ſeu pecunia humanæ vitæ neceſſitas, & genus ipſum commerciorum inuenit lib 3.q 18.num.8.

Pretium conuentum ſatis eſt in conſenſu venditionis.lib.4.q 6.num.7.

Pretium acceptum pro eo,quod quis gratis præſtare debet reſtituendum eſt. lib.3.q 6.num.8. Reſtituitur autem danti.num.8.& 9.

Pretium rei tanto minus eſt in venditione quantò minus eſt dominium eius rei, quæ acquiritur, lib 3.q.29.num.3.

Pretium nondum receptum rei venditæ, nomine mutui intelligitur relictum emptori. lib.3.q.12.num.2.in fine.

Pretium pertinens ad emptorem: iuſtum rerum pretium ferre debent ſimiliter clerici, vt laici. lib.4 q 39.num.3.

Pretia aucta vectigalia ſolent à Doctoribus nominari lib.4.q.39.num.3. Idque confirmant multæ Xiſti V conſtitutiones.ibid.

Princeps ſpiritualium in terris eſt ſolus Romanus Pontifex. lib.6.q.38.num 12.

Princeps ciuilium dominiorum, quæ à ſuis ciuibus iuſtè poſſidentur,non eſt dominus,ſed conſeruator,& tutor.lib.7.q 17.num.7.

Princeps iniuriam faciens ciuibus.immanis,& perniciosa eſt bellua.lib.4.q 10.num.15.

Principes accipiunt ab hominibus auctoritatem, & iuriſdictionem.lib 1.q.103 num.2.

Principes grauius peccant vexantes ſubditos iniuſtis vectigalibus, quàm ſubditi iuſta fraudantes. lib.4.q 30.num.1.

Principes,ſubſidia cum poſtulant à clericis, debent conſulere Romanum Pontificem.lib.4.quæſt.46.num.3.& 4.

Principes adiungere ſibi debent beneuolentiam externarum nationum & benignitate, & humanitate animos ſibi alienorum conciliare. lib.4.q 41.num.1.

Principes ad fidem Chriſti conuerſi quod per vim, ac tyrannidem ereptum erat libertati Eccleſiaſticæ reddiderunt.lib.1.q 93 num.5.

Principes Chriſtiani Romani Pontificis nutus, & imperia,& leges, tamquam filij iuſſa parentum, & oues paſtorem intueri,ac ſequi debent. lib.1.q 92.num.3.

Principatus cuiuſlibet in eo,quòd principatus,nullius alterius bonum proſpicere poteſt, niſi eius, qui ſub ipſo eſt.lib.4.q.38.num.3.

Principali deſtructo deſtruitur acceſſorium, & omne quod ſequitur ex eo.lib.3.q.14.num.4.

Priuilegia ſingularia firmitatem habent tunc, cùm ad eum peruenerunt, cui conceduntur: ſecus de generalibus.lib.1.q.106.num 4.

Priuilegia, & ſtatuta debent eſſe perpauca ex Panor.& aliis.lib 1.q.107.num.2.

Priuilegium appellari non debet alicuius ordinis, quod eſt illi lex,& præceptum. lib.3.q.20.nu.4.

Priuilegium valde noxium Eccleſiæ, vel alicui non valet, niſi faciat mentionem de graui læſione. lib.1.q.103.num.3.

Priuilegium ſtatim amittitur cùm ſecus fit, quàm eſt in eo expreſſum.lib.1.q 102 num.2. Inſigniter lædens ius alterius inutile eſt num.2.Ceſſante cauſſa priuilegij ceſſat priuilegium num.2.

Priuilegium, ſeu reſcriptum non debet commiſſarius exequi,cùm à communi ſtylo,& ratione naturali abhorret.lib.1.q 103.num 3 De priuilegio, quod emanauit contra morem priuilegiorum, quid ſentiendum ex Panor.ibid.

Priuilegium, cùm nocet alteri priuilegio, prioris debet fieri mentio.lib.1.q.103.num.2.& 3.
Priuilegium conceſſum à ſede Apoſtolica, vt amitti non poſſit, niſi indiuidua eius mentio fiat, ob verba æquipollentia, nihilominus perit. lib. 1. q.103.num.1.& ſeqq.
Priuilegium canonis in multis caſibus amittitur. lib.1.q.96.num.1.& 2.
Priuilegium canonis, & fori amittit clericus, qui eſt perditæ vitæ, tabernas, ludos, & meretrices frequentans, nec videtur corrigi poſſe ex Hoſtienſi, & aliis. lib.1.q.96. num.2. Contrariam ſententiam multis aliis placet.num.3.
Priuilegio immunitatis non poteſt priuare ſe clericus.lib.1.q 95.num.1.Et cur.ibid.
Priuatus beneficio à iudice iure poſſidendi priuatur, non poſſeſſione.lib.1.q.80.num.4.
Probabile ſequi poteſt ſua in conſtitutione condenda Eccleſia ex Scoto.lib.1.q.124.num.3.
Probabile non idem eſt, quod veriſimile apud Ariſtotelē.lib.1.q.124.n.8. Quid ſit vtrumque.ibid.
Probabilis exiſtimatio de obſeruatione præceptorum, ſatis eſſe debet ad ſedandos tumultus conſcientiæ.lib.1.q.19.num.7.
Probabilius minus probabili ſemper debet anteferri. lib. 2.q ..num.6.
Probam vitam exigit beneficium etiam ſimplex. lib.1.q.72.num.1.
Probatio plena requiritur in rebus magni præiudicij ex Bartolo lib.1.q.27.num.4.
Procurator Cæſaris res eius alienare non poteſt. lib.1.q.70.num 3.
Profeſſio regularis cuncta vota tollit in ſeculo emiſſa.lib 2.q.12 num.1.& 2.& q.16.num.4. Extinguit perſonalia, realia verò in monaſterium transfert, ſi eſt ingredientis bona adeptum.lib.2. q.16 num.4.
Profeſſio non fit irrita propter excommunicationem. lib.2.q.8.num.5.
Profitens religionem nō intendens ſeruare ea, quæ ſunt religionis, verè profitetur, & ſe obligat.lib. 2.q 14.num.2.
Profitens religionem, vt in ea luxurioſè viuat, firmum votum emittit.lib.2 q.19 num.3.
Profitetur puella tria vota religionis in ſodalitio virorum, ementita illis multos annos ſexum: dein nubit, valueritne profeſſio, an matrimonium.lib.2.q.8.num.3.& ſeqq.
Proles dum viuat in vtero latet ſæpe, tum matres, tum obſtetrices.lib.1.q.13.num 4.
Proles vſque ad ſeptimum annum foris ali non debet ex Ariſtotele.lib.4.q.55.num.5.Ab aſpectu, & auditu rerum ſeruilium eam auertendam eſſe præcipit. ibid. Nullam turpium, obſcœnarúmve rerum ſeu picturam, ſeu geſtum intueatur ex eod.Philoſopho.ibid.
Proles orta ex matrimonio non legitimo, ſed bona fide contracto, cenſetur legitima, ſi in facie Eccleſiæ contractum ſit.lib.1.q.132.num.2.
Proles infidelis ſequitur parentem, qui conuertitur ad Chriſtianam fidem.lib.1.q.125.num.1.
Proles poſt triennium ali debet à patre; tribus primis annis à matre. lib.1.q.125.num.2.& 3. Sed nata ex coniugio infidelium traditur alēda conuerſo infideli. eod.num. Cauſſæ exponuntur ab Hoſtienſi quinque.ibid.
Proles intenta eſt eſſentialiſſimum in matrimonio ex D. Thoma.lib.1. q.140.num.3.& lib.4. q.13. num 5. Eam non impedire eſt ſub obligatione pro ſemper, & ad ſemper ex D.Bonauent lib.1. q.140.num.3.
Prolis perfectio duplex, vna naturæ, altera gratiæ. lib.1.q.124.num.8.
Prolem procurare non vbique, & ſemper eſt bonum.lib.1.q.133.num.5.
Promiſſio eſt actus rationis. lib.2. q.3.num.6. Ad promiſſionem interiorem nemo homini poteſt obligare.ibidem.
Promiſſio non facit dominum eum, cui res promittitur.lib.7.q.16.num.20.
Promiſſio impia eſt quæ ſcelere adimpletur.lib.3. q.5.num.3.
Promiſſio eſt nulla, niſi acceptetur ab eo, cui fit. lib.2.q.19.num.2.
Promiſſio futuri connubij inter hominem Latinum, & mulierem Græcam ſchiſmate, & religione corruptam nulla eſt. lib.1.q.117.nu.1 & ſeqq.
Promiſſio etiam iurata obligationem habere non poteſt ad malè agendum.lib.5.q.5.num.8.
Promiſſio, quod eſt impedimentum dirimens matrimonium inter adulterum, & adulteram eſt, vt inquit Syluester, diſpenſatio de futuro.lib.1.qu. 116.num.3.
Promiſſio de ducenda conſanguinea vel affini, ſi Romanus Pontifex diſpenſauerit, vtrum valeat. lib.1.q 145.num.1 & ſeqq.
Promiſſum iuratum, quominus efficiatur, quattuor modis impediri poteſt ex Caietano.lib.2.q.6.n.5.
Promoueri quis non poteſt ad beneficium Eccleſiaſticum, niſi in eo inſit probitas, quæ in promouēdorum qualitatibus eſt prima. lib.3.q.19.num 1.
Proprietas, vt plurimum regulatur à iure: poſſeſſio vt plurimùm regulatur à pacto ex Butrio. lib.1. q.80 num.4.in fine.
Proſcriptus, vide in verbo Homicida.
Puella trima apud matrem impudicam dimitti non poteſt à patre, qui cum vxore diuortium facit. lib.4 q.55.num.2 & ſeqq.
Puella poſt ſextum annum à cœtu virorum ſegreganda ex Platone.lib.4.q.55.num.5.
Puer decem, vndecímve annorum an incidat in cēſuram excommunicationis.lib.6.q.19.Sotus credit nec lege, nec cenſura Eccleſiæ teneri eiuſmodi puerum n.1.Errat Sotus.n.2. Nō vitat pœnam ſtatuti, ſi ſit doli capax ex Bartolo.n.2.Contrahit irregularitatem ex homicidio ſi ſit doli capax, n. 3.Sunt capaces interdicti pueri doli capaces n.3. Eccleſia in pueros habet iuriſdictionē legitimam

diuinitus conceſſam: quare eius legibus parere debent.n.6. Tenetur puer doli capax lege annuæ cõfeſſionis. n.6. Ingrediens monaſteria monialium incidit excommunicationem latam à Cõcilio Trident. eod.num.

Puer ante 14.annum completum facere ne poſſit teſtamentum.lib 7.q 2.

Puer omni beſtia intractabilior ex Platone. lib. 4. q.55. num.4.

Puer inſidioſiſſimus, acerrimúsque, & petulantiſſimus omnium beſtiarum ex Plat.lib. 4.q.55.n 4.

Pueri debent honeſtis lectionibus aſſueſcere ex Plat.lib.4 q.55.num.4.

Pueri abſque pædagogis viuere non debent ex Plat.lib.4.q.55 num.4

Pueri Perſarum non apud matres, ſed magiſtros cibos capiebant teſte Xenophonte.lib 4.q.55.n.4.

Pueri, vt viri boni euadant à primis annis, honeſtis in iocis aſſuefaciendi ex Platone.lib. 5.q.11.n.6.

Pueris, & iuuenibus fabulæ proponendæ ſunt, quæ ſint ad virtutem optimè inſtitutæ ex Plat. lib. 5. q. 11.nu.9.

Pueris non permittit Ariſtoteles. vt aut obſcœnas imagines adſpiciant, aut res inhoneſtas audiãt. lib.5.q 11. num.10.

Punire latentem animum non poteſt humana poteſtas. lib 4 q.10.nu.4.

Punitio malorum eſt de neceſſitate vitæ.lib.4.q.15. nu.8.& lib. 6.q.16.nu.11.

Pupillus repudiare non poteſt fundum ſibi legatũ ſine auctoritate prætoris.lib.1.q.84.nu.3.

Pupillus qua ætate obligari poſſit naturaliter.lib.3. q.4.n.6. Non omnia, quæ aguntur, contrahuntúrve cum pupillo, ſunt ipſo iure nulla.lib.3.q.4.n.6.

Q

QVarta funeris cui Eccleſiæ debeatur, alienæne, in qua moritur Inquilinus, an ſuæ ciuitatis, in qua commorandi obtinet domicilium. lib. 5.q. 110.num.5.

Quatuordecim annos natus obligationem earum ſubire poteſt, quæ ad eius perſonam pertinent.li. 2.q.7 num.2.in fine.

Quodlibet non fit ex quolibet; ſed determinatum ex determinato.lib.1.q.5.num. 3.

R

RAncor quid ſit ex Toſtato.lib.4. quæſt. 32.numer.12.

Rapere quod pauperibus, eſurientibúsq; erogari debet, omnium prædonum crudelitatem ſuperat ex D.Hieronymo. lib.7.q.16. num.19.

Ratihabitio quid, & quotuplex.lib.6 q.63.n.1. Ratihabitionem iura mandato comparant. nu.1. Valet in contractibus, & delictis. ibid. ſed non in quouis genere criminum.ibid.

Ratihabitio homicidij nomine meo facti, ſi lateat tantum in animo, non efficit irregularem. Ratum habens homicidium clerici ſuo nomine factum excommunicatus eſt. lib.6.q.63. num.4.

Ratihabitio cauſſa dici poteſt tum moralis, tum phyſica commiſſi homicidij lib.6.q.63.nu.5.& 6.

Ratihabitio cauſſa eſt maleficij non in conſciſcendo, & perficiendo; ſed in conſociando, communicando, conciliando.lib.6.q.63.num.6.

Ratio eſt regula, & menſura humanorum actuum ex D.Thom lib.5.q 15 num.8.

Rationis prima regula eſt lex naturæ ex D.Thom. lib.5.q.15.num.8.

Ratio æquiualet canoni.lib.7.q.1.n.12. *Ratio efficit ius ex* Baldo. eod.num. Ratio ſpectat ad eſſentiã legis.eod.num.

Ratio quando praua ſit lib.5.q.15.n.9. A ratione diſcedere nũquam licet: *malum eſt homini ſine ratione eſſe*, vt ait D. Dionyſius. *Nec ſecum quiſquam viuit, qui non ſecundum rationem viuit*, vt inquit D. Athanaſius lib.5.q.15. num 2.

Ratio exemplis anteponenda, ex Auguſt.li.4 q.10.n.5.

Rationis momenta in diſputando quærenda ſunt, nõ Auctores, ex M.Tullio.lib.5 q.15.num.8.

Ratio eadem in quibus militat ea eodem iure cenſenda ſunt.lib.3.q.37. num.2.

Rationis vſus non cunctis eodem tempore contingit.lib.1.q.17.n. 2. Nec rerum omnium bonarũ, & malarum iudicium ſimul aſſequimur. num.2. Quibus indiciis explorare poſſimus, rationis vſum in pueris.ibid.

Reconciliatio, quæ fit cũ Deo diuiſionẽ non admittit: admittit ea quæ fit cũ Eccleſia. lib.1.q.29.n.2.

Rector Eccleſiæ cum tutore pupilli à Doctoribus comparatur: vtilitatem ſuam non debet vtilitati Eccleſiæ præponere. lib.1.q.85. num.1.&2.

Rectores beneficiorum cum tutoribus comparantur.lib.3.q.19.num.1.

Rector, qui alienauit fundum Eccleſiaſticum cum euidenti damno Eccleſię, quid culpæ, quidve pœnarum Eccleſiaſticarum ſubierit.lib.3.q.19.n.6. Quantum damni reſtituere debeat monaſterio, cuius erat fundus.num.7.

Rectorem communitatis cum paſtore confert Plat. lib.4.q.38.num.3.

Rectum, ac legitimum eſt, quod legis conceſſu, ac ſapientum aſſenſione agitur lib.7.q.16. num.9.

Regeneratus ſpiritualiter non eſt is, qui baptiſmum ſuſcipit animo flagitioſo, quãuis velit eſſe Chriſtianus, & in eo imprimatur character. lib. 1.q. 123 num 5.

Regula prima rationis eſt lex naturæ.lib 7 q 6.n.3.

Regula fallit, vbi ratio naturalis aliud ſuadet. lib. 4.q. 45. num.2.ex Panorm.

Religionis eſſentia ſita eſt in obligatione ad vota, non ad eorum impletionem ex Paludano. lib.2. q.8.num.3.

Religionem quis propriè ingredi dicitur per profeſſionem: quamquam in ſocietate Ieſu verè quis ingredi dicatur, & verè effici religioſus, poſtquam tria vota ſimplicia nuncupauit finito biennio nouitiatus ex conſtitutionibus multorum Pontificum. lib.7.q.7.num.4.

Religionis ingreſſus quamnam irregularitatem tollat.lib.1.q.107. num.8.bigamiæ.& voluntarij homicidij non tollit.

Religionem ingredi an poſſint ij quorum aut parentes,aut filij graui conflictantur neceſſitate. lib.2.q.16.num 1.2.& 3.

Remiges Chriſtiani , qui aduerſus Chriſtianos innocentes Turcarum triremes impellũt, contrahántne culpam mortiferam , & excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam.lib.5.q.8. Ter ipſi de hoc genere diſtinctis interuallis diſſeruimus:quid in prima : quid in ſecunda diſputatione iudicij habuerimus exponitur.nu.2 & 3.

Remis incitare nauigium , aut dirigere triremem aduerſus innocentes , eorúmque ſalutem , & libertatem,per ſe eſt malum lib.5.q.8.n.5. Remigandi quatuor incidere poſſunt tempora aduerſus Chriſtianos:primum iuſti remigij,ſecundum iniuſti,tertium liberi,quartum partim liberi,partim non liberi.num.7.

Remittere debitum non poteſt nec adminiſtrator ciuitatis:nec tutor,nec curater,nec prælatus.lib. 7.q.15.num.4.

Remunerari ne poſſit clericus ex bonis Eccleſiaſticis & acceptando beneficia. lib. 1 q.76.

Renaſci ſpiritualiter non poteſt qui non eſt verè natus.lib.1.q. 13.nu.2.

Renunciatio facta ante præſcriptum tempus à Cõcilio Tridentino,& curata ,ſine licentia Epiſcopi,vel ſui vicarij nulla eſt. lib.3.q.41. num.9.

Renuncians,quod facit in manu ſuperioris facere debet.lib. 1.q.100.num.3.

Repetitio eorum,quæ ſunt arti neceſſaria,commẽdatur à Galeno.lib.1.q.63. num.1.

Repudiatio legati eſt ſpecies alienationis. lib.1.q. 84.num.3.

Repudium eſt contra legem naturæ. lib.1.q. 124.n. 13. Hebræis fuit quidem permiſſum , ſed à lege non approbatum tamquam licitum.ibid.

Res Eccleſiæ non minorem curam requirunt in adminiſtratore, quàm res ad Ciuitatẽ pertinentes. lib.1.q.83.num.2.

Res tanti valet quanti vendi poteſt,quam interpretationem habeat ex ſententia Henrici Gandauenſis.lib.1.q.84.num.2.

Rei familiari noſtræ non ſemper eſt alterius vita præferenda.lib.4.q 30.num.2.

Reſcriptum Principis impetratum, quod nec cum ratione,nec cum communi ſtylo curię conuenit, quale iudicari debeat. lib.1.q 103 num.3.

Reſcriptum contra ius,& vtilitatem publicam non valet.lib.1.q 104.num.6.

Reſcripta Principis vt valeãt clauſulam hanc exiguntſ *ſi preces veritate nitantur* ibid.Documenta dantur nõnulla in hoc genere.in ea.q.n.11.& 12.

Reſeruare ne poſſint Epiſcopi incertorum bonorũ reſtitutionem.lib.1.q.27.num.1 & ſeqq.

Reſeruare ne poſſint Epiſcopi alios caſus,quos illis nec ius nec cõſuetudo reſeruat,à quibus nequeãt regulares abſoluere. lib.1.q.25.nu.6.7.8.9 & 10 In quibus poſterioribus numeris vera ſententia explicatur.

Reſeruari ſolent caſus etiam abſque cenſura. lib. 1.q.23.num 1.

Reſeruari non poteſt peccatum veniale. lib. 1.q. 23.num.5.

Reſeruari non decet crimina mortifera quæ in animo dumtaxat latent incluſa lib.1.q.23. nu.5.

Reſeruatio caſuum non eſt impedimento, quo minùs ſacerdos inferior pœnitentem poſſit abſoluere à non reſeruatis omnium peccatorum audita confeſſione, cum remittendo ad reſeruatorem pro abſolutione à reſeruatis ex maximè cõmuni ſententia Theologorum. lib.1.q 28. nu. 2.

Reſeruatio caſuum Pontificia ferme numquam eſt ſine excommunicatione. lib.1.q.23.nu.2. amplectitur etiam caſus dubios.lib.1.q.24.

Reſeruatio Epiſcopalium Caſuum ſunt de actibus exterioribus.lib.1.q.23.num.5.

Reſeruatio Regularis à Clem.8.ordinibus præſcripta regularium,qualis ſit.lib.1.quæſt.34.num. 1. Nonnullæ explicãtur dubitationes ad hanc ſpeciem reſeruationis ſpectantes.num.2 & ſeqq.

Reſidentia propriæ Eccleſiæ interrumpi poteſt propter commodum eiuſdem Eccleſiæ, atque etiam alterius. lib.1.q.59.num.1.& 2.

Reſidentia duabus rebus conſtat.lib.1.q.62.num.3.

Reſidere quid ſit.lib.1.q.62.n.1.& lib.6.q.42 nu.4. Qui non reſidet,non facit fructus ſuos lib.6.q. 42.n.4. Non reſidentes in ſuis Eccleſiis,deponũtur.lib.1.q.61.num.4.

Reſtituenda res eſt,quæ iuſta lege nec dari,nec accipi poteſt lib.4.q.6.num.4.

Reſtituendum quo ordine ſit creditoribus. lib.3.q. 38.num.3.

Reſtituens malè etiam conſilio,& auctoritate Epiſcopi iterum reſtituere debet.lib. 1. quæſt.17.numer.3.

Reſtituere debet lege naturæ quod quis accipit ob eam rem,quæ ei ſine mercede præſtanda eſt.lib. 4.q 6.num.4.ex Adriano.

Reſtituere cogitur , qui rem poſſidet fraudulento, iniuſtóque titulo.lib.4.q 6.n.4.

Reſtituere non debet , qui lucratus eſt ex locatione torquis aurei quem à non domino vero emit. lib.3 q 36.num.4.

Reſtituere non eſt neceſſe, cuius acceptio non terminatur ad iniuſtum lib.3.q.6.num.5.

Reſtituere non cogitur creditori tunc , cùm debitori creditor largiri debet eleemoſynam. lib. 4.q.31.num.3.

Reſtituere quis non tenetur cum inferioris ordinis periculo amittendæ rei , quæ eſt ordinis ſuperioris. lib. 4. quæſt. 31. numer. 4. Reſtituendi neceſſitas adiunctam habere debet potentiam iuris , facti , & commoditatis , ex D. Antonino. num.eod.

Reſtituere non tenetur , qui rem alterius retinet

voluntate domini iuſta, debita, & ordinata.lib. 4.q.31.num.6.
Reſtitui eum ius ablata, aut aliena non poteſt, reſtituendum eſt id, quod ſit tantidem li 4.q.42.n.4.
Reſtitui debet, quod datur pro honeſta actione ſuſcipienda.lib.3.q.6.num.2.ſed præcipue 8.&9.
Reſtitutio eſt reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus ex D.Thom.lib.4.q.11.num.1
Reſtitutio, & ſatisfactio differunt.lib.4. quæſt.11. num.1.
Reſtitutio proprium locũ habet in rerũ externarũ ablatione: ſatisfactio verò in Iniuria, & contumelia.ex D.Thom.lib.4.q.11.num.1.
Reſtitutio incertorũ fieri deberet pauperibus loci, cuius erat dominus lib.1.q.27.n.1. Quatuor incidunt tempora, cùm Epiſcopus partes ſuſcipere debet reſtituendi nomine alterius.in ead.q.n.3.
Reſtitutio eſt conſilij, quoties certæ perſonæ non eſt reſtituendum. lib.3.q.6.nu.5. excipiuntur ea, quæ inuito Domino, aut ablata aut poſſeſſa ſunt. ibidem.
Reus vterque eſt, qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit ex D.Auguſt.lib.1.q.104.num.10.
Reus non cogitur ſui accuſator eſſe extra ſacramentum pœnitentiæ, lib 1.q 135.num.1.
Reus ſuſtinere debet probationes actoris, non ei ſuppeditare.lib. 4.q.34.nu.4 idque præcipuè intelligas in cauſſa capitali.
Reus cogendus non eſt de ſuo crimine confiteri, quum probabiliter dubitatur, num eum iudex legitimè interroget.lib.6.q.6.num.2.
Reus cur compedes perrũpere poſſit, & non carcerem.lib.4.q.15.num.11.
Reus eſt, qui citò criminibus aurem præbet ex can. 8. ſynodi lib.q.47.num.3.
Reus damnatus ad mortem plus habet iuris in conſeruanda anima intra corpus, quàm Iudex in excludenda, ex Henrico Gandauenſi.lib 4.q.15.n.6. Quid cum reo aget ſacerdos, eum ſuum in iudicio cõfiteri debet delictum. in ead. q. propoſitione ſecunda, quid cum eodem, cum hæſitat reus num debeat cõfiteri crimen propoſitione tertia Quid cum conſulitur à reo de re; quam ignorare non debet, & irregularitatis periculum ſacerdoti impendet. in ead. q. propoſitione quarta. num 6.
Reuelare non tenetur præcipienti Iudici, qui nomine compenſationis retinet rem alterius, quãuis propoſita pœna excommunicationis; nec is tenetur, qui hoc nomine ſcit ab alio rem alterius poſſideri.lib.6.q.4.num.1.& lib 3.q.39.num.5.
Reuelare quis rem furtiuam non tenetur, cum aut furis perſona retegenda foret, aut iudici graue malum impenderet.lib.6 q.4.n. 2. Reuelare non tenetur, qui ſolus ſcit, nec probare poteſt. ibid. Prælato tamen tamquam patri indicare poteſt. ibid. Probatio reuelandæ rei duos exigit conteſtes præter reuelantem.in ead.q.n.3. Committẽs furtum clandeſtinum, & non reuelans iubente iudice, cum cenſura excommunicationis nec peccat, nec incidit in excommunicationem. lib. 6.quæſt.5.
Reuelatio imperata à Iudice Euangelicæ correctioni officere non poteſt lib.6.q.4.num.4.
Reuelationem alicuius delicti præcipiente iudice ſeptem temporibus omittere poſſumus ex Nau. lib.6.q.4.num.4.
Rex à Tyranno, quibus rebus interſit apud Ariſt.li. 4.q.38.num.3.& apud D.Thom.num.4.
Rex eſt propter Regnum, non Regnum propter Regem. ex D.Thom.in ead.q.num.4.
Rogator beneficij eſt teſtis eorum quæ narrat, ideo non debet vti mendacijs.lib.1.q. 104.num.10.
Roma eſt patria communis.lib.1.q 59.num.4.
Romana Reſp.non fuit Reſp. vt probat D.Auguſt. lib.7.q.6 num.3.
Romanæ Eccleſiæ in perſona D.Petri tradita quænam ſint.lib.1.q.4 num.14 & 15.
Rota muris monaſteriorum inædificata duplicem partem habet, alteram, quæ ad ſepta pertinet, alteram, quæ ad extra ſepta.lib.6.q.9.n.3. Inter Rotam, & monaſterij ianuam permagnum eſt diſcrimen in ead.q.& eod.num.

S

SAcerdos, qui tribus hominibus tres Miſſas ſpopondit, ſingulis ſingulas, vnica miſſa fidem ſuã non liberat. lib.1.q.42 num.9.
Sacerdotis partes præcipuè eſſe debent, motum cõtritionis in corde pœnitentis auxilianti Deo ciere lib.1.q.32.num 8.
Sacerdotes, & leuitæ in antiqua lege num paruerint Regibus.lib.1.q.93.paruiſſe Regibus multi, magniq. Theologi dixerunt.in ead.q. num.22.
Sacerdotibus Alexander Magnus pepercit captis Thebis.lib.1.q.92.num.4.
Sacerdotibus Ægypti cur Deus permiſerit tribui immunitatem.lib.1.q.93.n.7.8.&9.Eorum mores, & ſtudia.num.7.
Sacerdotij fontes duos eſſe in Eccleſia Chriſti.repugnat inſtitutioni.lib.1.q.48 num.8.
Sacerdotij capax eſt etiam hæreticus. lib. 1. q. 48. num.10.
Sacerdotio tranſlato oportebat formam aſſumendę perſonæ ad ſacerdotium transferri.l.1.q.98.n.1.
Sacerdotium nouæ legis non origine, ſed electione mandatur.lib. 1.q.98.num.1.
Sacramenta tribus rebus perficiuntur ex Concilio Florentino materia, forma, & perſona miniſtri cũ intentione faciendi quod facit Eccleſia.lib. 1.q. 46.num.1.
Sacramenta non recipiunt conditionem ſuſpendentem.lib.1.q.113. num.8.
Sacramenta ſunt quædam fidei proteſtationes. lib. 1.q.48.num. 6.
Sacramenta ſunt naturæ ſalutis pignora, diuinæque noſtræ gratiæ inſtrumenta.lib.5.q.14.num.4.
Sacramenta ſua Chriſtus voluit ita ſalutaria eſſe animabus, vt non eſſent exitioſa corporibus.lib. 5.q.7.num.9.

Sa

Digitized by Google

Sacramenta euadunt nulla, ſi falſitas ſit in forma lib. 1.q.19.num 3.

Sacramenta præſentiam requirunt ſuſcipientium excepto matrimonio.lib.1 q.16.num.4.

Sacramenta Eccleſia non præbet niſi iis, qui in eius viſibili foro verſantur.lib.1.q.13.nu.4.

Sacrificium nouæ legis quatuor partibus conſtat. li. 6.q.43 num.2.

Sacrificij materia, qua vtuntur Latini, ad eam, quam conſecrauit Chriſtus Dominus, propius accedit, quàm Græcorum.lib.1.q.48.num.9.

Sacrificium ab ſacerdote collatum in perſonam vnā aliquam priuatam plus ei prodeſt, quàm in commune quodpiam deriuatum in pœnarum debito ſoluendo lib.1.q.42.num.11.

Sacrificia, & ſuffragia ad ſolatium, & gaudium proſunt omnibus, in quibus illa eſt maior. lib.1.q.42. num.12. Refellitur Præpoſitinus Theologus, qui abſolutè pronunciauit Miſſæ ſacrificium atque ſuffragium perinde valere vni ſoli, vt omnibus: & omnibus iuxta atque vni. num. 13.& 14.

Cùm ſacrificij fructum applicet Chriſtus, Eccleſia, & miniſter, hic non poteſt minuere Chriſti, Eccleſiæque applicationem.num.15. Qualis ſit applicatio Eccleſiæ.num.15. Nonnulli graues Doctores crediderunt, nullum fieri ſacrum, quo non plures animæ è pœnis emergant purgatorij. nu. 16. Huius ſacrificij non cruenti virtus, & fructus non videtur eſſe tantus, quantus illius cruenti, quod in cruce à Chriſto factum eſt. num. 17. Quamuis ſacrificium miſſæ ſit finiti valoris, fructu tamen, quem percipit vnus, non minuitur fructus alterius, neque res eſt eadem, valor ſeu dignitas ſacrificij, atque eius effectus, & fructus.nu. 17. ſacrificium noſtrum, qua rem oblatam continet, & qua actio eſt offerentis Chriſti, infiniti valoris eſt, ſeu pretij num. 18. Quamuis ſacrificij fructus ſit finitus, tamen nonnulli tantum, tamque vberem eſſe autumant, vt numquam à quopiam, nec à quantauis multitudine mortalium exhauriri queat.nu. 19. Fructus ſpiritualis, quem in viris, & mulieribus Chriſtianis ipſum ſacrificium progignit, quantitatem, ac vim, vis, & quantitas dimetitur caritatis, & deuotionis, quæ in offerente viget, vel in iis, pro quibus offertur.nu. 20. Effectus impetrandi finitus eſt ex fide, ſatisfaciendi autem ex deuotione.num.21. quare fieri poteſt, vt vna miſſa plus largiatur alicui, quàm triginta. num.21. Vbi non agitur de ratione ſatisfaciendi, ſed impetrandi, vnum ſacrificium, ſicut vnam eandem orationem non minus vni quam multis: nec minus multis, quam vni, valere communis eſt opinio. num. 23. Eum qui tribus, ſingulis ſingulas miſſas deſpondit, vnamque pro omnibus illis celebrat, quænam excuſare poſſint. num.24. Qua ratione conſulet ſibi ſacerdos, qui impar eſt tot ſoluendis ſuffragiis, reddendiſque ſacrificiis, quot ſe obſtrinxit. num. 24.& 25.

Sacrilegium eſt fraudare Eccleſiam ex D. Hieronymo.lib.7.quæſt.16 num.19.

Sagæ, & maleficæ ſunt Dæmonum pellices, & concubinæ.lib.4.q.7.num.2.& 3. Vbi atrociſſima harum mulierum flagitia commemorantur.

Salutem propriā magis, quis tenetur diligere, quàm debitum reddere coniugi.lib.1.q.136.nu.2.

Sanguinis effuſio non polluit Eccleſiam, niſi ſit iniurioſa.lib.4.q.10.num.9.

Sarracenis, & Turcis deferri non poſſunt phialæ, lances, cultri, atque id genus alia, quæ metalli materia conſtant, & ex quibus fabricare poſſunt arma aduerſus Chriſtianos. lib.6.q.10.num.3.& 4 & de gladiolis reſpōdit Clem.8. incidere in excommunicationem reſeruatam in Cœna Domini, qui eos deferunt ad Turcas.nu.3.

Sarracenis, ac Turcis qui vel donant, vel commodant, vel vendunt, quæ vetita ſunt in bulla Cœnæ, an incidant in excommunicationem in illa Romano Pontifici reſeruatam.li.6 q.11. copioſè probatur incidere.nu.3. & ſeq. In excommunicatione bullæ, qua prohibetur delatio.

Satisfacere Deo exteriore pœnitentia debemus, quamuis is nobiſcum in gratiam redierit. lib. 1. q.3.num.3.

Satisfactio toti homini imponitur, quia totus homo offendit Deum.lib 1.q 35.num.5.

Satisfactio pertinet ad integritatem ſacramenti pœnitentiæ.lib.1.q.35 num.5.

Satisfactio tollit occaſiones peccati: probatur Chriſti auctoritate, & patrum teſtimoniis.lib.1.q.140. num.1.2.& 3.

Satisfactionem iniuriæ nemo tenetur remittere.lib. 4.q.32.nu.12. Vide in verbo Inimicus.

Satisfactio *eſt reparatio in æqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus* ex D. Thoma.lib.4.q.11. num.1.

Satisfactio propriè locum habet in iniuria, & contumelia: reſtitutio verò in rerum externarum ablatione ex S.Thom.lib.4 q.11.num.1.

Satisfacere poteſt quis vno actu, diuerſis præceptis. lib.1.q.65.num.4.

Scaccorū, ſeu latrunculorum ludus num permiſſus clericis.lib.1.q.93.num.1.& ſeqq.

Scandalum actiuum quid ſit.lib.5.q.12.num.3. Nullus actus bonus, vel medius, vel interior dici poteſt ſcandalum.num.3.

Scandalum actiuum eſt, vel quando directè, vel per ſe quempiam inducimus ad peccandum, vel quādo factum eſt huiuſmodi, vt ob ſpeciem mali, vel quia verè malum eſt, alter inducitur ad culpam. lib.5.q.12.num.2.

Scandalum facit, vt recedatur à iure, & ab habitu regulari.lib.6 q.8 num.10.

Schiſmatici, & hæretici habeant ne vera ſacramenta Academicè diſputatur.lib.1 quæ.48. Apud eos vera ſacramenta, cum vero ſacerdotio eſſe poſſe, & re vera fuiſſe, non inficiantur Catholici.num.1. enunciatio.1. ſi carent ſacerdote, poſt Concilium

Tridentinum non contrahunt matrimonium legitimum, niſi fortè expreſsè, vel tacitè Romanus Pontifex diſpenſet. num. 2. enunciato. 3. Poſt longa annorum ſpatia: poſt deſertam Catholicæ religionis diſciplinam in multis orbis terræ prouinceis ſacramenta cum ſacerdotali ordine exularunt. num. 1. enunciato. 6.

Scientia eſt earum rerum, quæ ſemper, aut plerumque eueniunt. lib. 4 q 33. num. 5.

Scientia eadem cognoſcitur affirmatio, & negatio. lib. 4. q 9. num. 8.

Scientia in actu, & in habitu ſunt eiuſdem ſpeciei. lib. 1. q. 33. n. 3.

Scite quæ ſinguli teneantur ex D. Thom. lib. 5. q. 1. num 3.

Scire, & debere ſcite paria ſunt. lib. 4. q 16. nu. 3.

Scire nemo poteſt, impleat ne præceptum diligendi Deum ſuper omnia, aut pœnitendi quomodo oporteat de peccatis, aut paruerit ne toti legi. lib. 1. q. 19. num. 7.

Scriptum ad æquitatem, voluntatémque legiſlatoris dirigendum. lib 6. q. 11. nu. 4.

Scriptum ſequi calumniatoris eſt: boni iudicis voluntatem ſcriptoris, auctoritatémque defendere ex M. Tull. lib. 6. q. 11. nu. 9. In verbis tamen hærêdum, quando ſcriptoris, ſeu legiſlatoris voluntas eſt anceps. num. 11.

Scrutari non licet, quæ vult Deus à nobis vtiliter ignorari. lib. 4. q. 95. num. 1.

Scriptura nõ nocet apud Iudicem auctori, niſi ſuam illam eſſe fateatur. lib. 1. q. 16. nu. 5.

Semen nonnullæ mulieres non emittunt, quæ concipiunt, & pariunt. lib. 4. q. 17. nu. 6.

Sententia eſt legis applicatio ad ſingulare factum, lib 1. q. 41. num. 3.

Sententia non tenet non data à non ſuo iudice. li. 6. q. 46. num 6.

Sententiæ iudicum magis ſtandum, quàm aliis magis peritis: alias ſi non ſtaretur magnum eſſet nocumentum communis ſtatus hominum, ex D. Tho. loquitur de ſententia excommunicationis. lib. 6. q 33. num. 1.

Septennij ætas idonea ſponſalibus. lib. 1. q. 7. nu. 2.

Sepultura Eccleſiaſtica priuatur, qui ſingulis annis non confitetur, nec Euchariſtiam ſumit. li. 6. q. 42. num 7.

Sepulturæ Eccleſiaſticæ honore affici is poteſt, qui quamuis ſemel in anno nec confeſſus eſt, nec Euchariſtiam ſumpſit, pœnitentiæ tamẽ ſigna dedit. lib. 6 q 1. num. 2.

Serui Chriſtianorum propter baptiſmum libertatem non aſſequuntur. lib. 3. q. 43 nu. 2.

Seruiens Epiſcopo ſeruit Eccleſiæ. lib 1. q. 59. nu. 4.

Seruiens Romano Pontifici, ſeu Eccleſiæ Romanæ, cunctis intelligitur ſeruire ex Aſtenſi. lib. 1. q. 59. num 4.

Seruitus æquatur cum morte à legibus. li. 5. q. 8 n 8. Seruitus poſtremũ malorum omnium, non modo bello, ſed etiã morte repellendũ ex M. Tullio. ibi.

Seruitute nihil fœdius ex eodem. ibid. Et ex eodem: In repetenda libertate nõ eſt mors fugienda. ibid. Et in vndecima Philip. Mors ſeruituti anteponenda eſt. Et in 13. Vita, corpus, fortunæ, res familiaris, hæc ſapientia poſteriora libertate ducit: neque pro his libertatem, ſed pro libertate hæc proiicienda præcipit. ibidem.

Septa monaſterij quæ ſint. lib. 6 q 3. num. 3. Locus extra ſepta ex declaratione Gregorij q. 13. quinam dicatur. ibidem & num. 4.

Signa contritionis moribundi vnius teſtimonio probari poſſunt. lib. 6. q. 1. num. 2.

Signum naturale comitatur naturam, & propriã affectionem vniuſcuiuſque ex Ariſtot. l. 4. q. 47. n. 7.

Siligo à tritico non differt ex ſententia D. Thomæ quare in vtraque ſpecie confici poteſt corpus Chriſti: eſtque diui Thomæ opinio ſatis cõmunis. li. 1. q. 41. n. 9. Eſt enim ſiligo ſelectum frumentũ.

Simile ſemper ſimile prouocat ex Platone. lib. 5. qu. 11. num. 6.

Simonia eſt *rem ſacram vel profanam, ſeu quæ ciuilem habet æſtimationem emere, ſeu vendere.* lib. 5. q. 14. nu. 4 ſit ne ſimonia baptiſmum ſacramenti redimere ab eo pretio, qui illud ſine pecunia daturum ſe negat. eod. num. Probatur ſine ſimoniæ labe id fieri non poſſe eod num.

Simonia mentalis duplex, vna penitus incluſa in animo contrahentium, altera, quæ ſignum habet externum rei datæ, & acceptæ. lib. 4 qu 6. num. 1. Vtrum ſecunda, quamuis careat pactione verborum, obnoxia ſit reſtitutioni, & pœnis Eccleſiaſticis. Obnoxiam eſſe oſtenditur. nu. 2. & ſeqq.

Simonia Giezi, & Simonis apertam non habuit pactionem. lib. 4. q. 6. num. 3. Preces, quibus indigno procurantur beneficium vacant pacto, & tamen efficiunt eam ſimoniam, quæ exercetur ab Eccleſia. numer. 3. Decretalis Vrbani 3. conſuluit, de ſimonia mentali vera, ſententia enucleatur. num 6.

Simonia pacta, & conuenta ſubiaceatne pœnis Eccleſiæ re tradita tantum ſpirituali. lib. 4. q. 6. nu. 7. Oſtenditur ſubiacere. num. 7.

Simonia, vt eſt contractus emptionis, abſoluitur conſenſu contrahentium abſque traditione: verũ, vt eſt ſimoniacus, requirit ſaltem rei ſpiritualis traditionem. lib. 4. qu. 6. num. 8. Pretium in ſimonia eſt quodlibet commodum temporale ademptum, vel ſperatum, aut promiſſum; & obligatoria promiſſio eſt pro numiſmate in ſimonia ex Getione, & aliis. num. 8.

Simonia ne ſit familiari collatoris pecuniam dare, vt ad eum mihi pateant fores, vel vt ad eum merita tantùm mea commemoret. lib. 4. q. 6. nu. 9.

Simonia ne ſit pecuniam dare Petro, vt beneficium conferat: quod tamen is pro pecunia non confert. lib. 4. q 6 nu. 9. in calce.

Simonia in beneficio gignit ſuſpenſionem. lib. 6. qu. 64. num. 3. & 4. gignit quoque irregularitatem. Quinam diſpenſet cum ſimoniacè ordinato ſimoniam

Digitized by Google

moniam ignorante,quæ vel à ſuis conſanguineis admiſſa eſt, vel ab ordinatore. lib.6.q.41.num.1. propoſitione 2. ſi ſcelus ſimoniæ commiſſum eſt ab ordinato, quis cum eo diſpenſabit. eod. num. propoſitione 3. In minoribus ordinibus diſpenſat Epiſcopus. propoſitione 4.eod.num. Qui ſimplex beneficium obtinuit ſimoniacè, ſi crimen ſit occultum, & ipſe abdicet ſe beneficio, agátque pœnitentiá,poſt pœnitentiam vti poteſt ſuo ordine,aliiſque beneficiis legitimè impetratis.nu.3.

Simoniacus in ordine eſt ipſo iure ſuſpenſus,etiamſi occultũ ſit crimen,& abſolutio reſeruatur Romano Pontifici. lib.6.q.41.nu.2. Nec ſolum ſuſpenſus,ſed etiam excommunicatus eſt,& irregularis. lib.6.q.65.num.1.& ſeqq.

Simoniacus in beneficio ſit ne ipſo iure ſuſpenſus.li.6.q.41.num.1.Hic ſimoniacus,quamuis abſoluatur à culpa,& excommunicatione, tamen manet ſuſpenſus,& irregularis. lib.6.q.64.n.4. Quilibet Catholicus exorandus eſt, vt ſimoniæ crimen detegat ex Decretali,ſi Dominus. lib.4. qu.8 ſimoniacus non eſt,qui promittit pecuniam animo nõ eam ſoluendi 4.q.6.num.6.

Soceri ſui ſecũdam vxorem quis poteſt habere mortuo ſocero.lib.1.q.119.nu.3.

Societas maleficiorũ nulla coiri poteſt. li.3.q.5.n.16.

Societas officiaria non eſt cenſus perſonalis. lib. 3. q.14.num 6.

Societas quædam pecuaria Collarieum dicta à Peruſinis examinatur.lib.3.q.12. Tradens pecus,ſeu animal æſtimatum colono non poteſt ab eo lucrum aliquod petere.num.2.

Societas in Romanæ Curiæ officiis inita vſuraria eſt,ſi admittat ſocios,quorum pecunia ſuperet æſtimationem officij:nec per innominatum contractum,aut cenſum vitalitium excuſationem habet culpæ.lib.3.q.14.nu.3. Vide in verbo Officiũ.

Societatis facinoroſæ comes eſt,qui manifeſto facinori deſinit obuiare.lib.4 q.10.nu.10.

Socius criminis numquam in confeſſione nominandus,cùm peccati noſtri ſpecies intelligi poteſt eo tacito:neque eſt nominandus, quando ex ſignificatione graue aliquod ſcandalum oriri poſſet.lib. 1.q.18.num 4.

Solemnitas iuris ciuilis adhibenda in teſtamentis reuocata eſt,ex Syluestro. lib.7.q.14 nu.4.

Solemnitas teſtamentaria valet ad probationẽ teſtamenti,non ad illius ſubſtantiam.li.7 q.1.nu.11.

Soluere pro ſua opera aliquid contra naturam eſt. lib.3.q.37.num.1.

Soluitur recens pecunia ſeruata æſtimatione antiquæ, quando antiquæ intrinſeca bonitas mutata eſt,ſiue in materia ſiue in pondere. lib.3. quæ.44. num. 9. Cum extrinſecus puta voluntate principis, minorem pecunia nacta eſt æſtimationem, id nocet creditori ex communi ſententia doctorum num.11.

Solutio pecuniaria à ſtatuto impoſita delicto, fieri ne debeat in pecunia, quæ æſtimationem habebat tempore ſtatuti, an tempore, quo fit ſolutio. lib.3.q.44.num.4.

Solutio pecuniæ; cum eius mutata eſt æſtimatio, qualis eſſe debeat in contractu mutui.lib.3.q.44. num 2.

Solutio, quæ fieri debet ex teſtamento, in ea pecunia fit,quæ verſabatur in ciuilibus commutationibus,quo tempore condebatur teſtamentum. li. 3.q.44.num.13 ſolutio legatæ pecuniæ reuocanda ne ſit ad tempus legati, an eius, quo ſolui debet.num.14.ſi pecunia ſoluenda ſit alicui per gratiam beneficij mandato iudicis, vel alterius: cuius temporis æſtimatio habenda erit? num 15. Pecuniæ,quæ fugientem, & vagam prope in ſingulos dies ſolita eſt habere æſtimationem,modò maiorem,modò minorem,non ſolet ratio haberi in ſolutionibus: nec à creditoribus recuſari poteſt, videtur hæc propoſitio omnium probata conſenſu.num.16.

Somnia ex Ariſtotele alia ſunt cauſſæ, nonnulla ſunt ſigna,quædam ſunt accidentia fortuita. lib.4. qu. 4.num.1.

Somnia crebra eueniunt loquacibus,& melancholicis ex Ariſtot.lib.4.q 4.num.2.

Somnia acriter obſeruant medici. lib. 4. quæſt. 41. num.1.

Somniorum obſeruatio,ſit ne criminoſa. lib.4. q 4.

Somnia,quæ ſunt cauſſæ, & ſigna obſeruari poſſunt, quæ ſunt accidentia fortuita non poſſunt. lib. 4. q.4.num.2.

Somnia ea tantum obſeruare non licet, quæ in animis noſtris à dæmone cientur. lib. 4. quæſt. 4. num.3

Somniorum cauſſæ quænam ex D.Thom. lib.4.q.4. num.3.

Species non perimit genus.lib.2.q.17.nu.2.

Species vna non eſt intra aliam.lib.3.q.17.nu.2.

Spectaculis turpibus intereſſe clerici non poſſunt. lib.6.q.8.num 3.

Speltam, ſeu zeam ſpeciem eſſe hordei aliquando iudicatum eſt ab ſede Apoſtolica teſte Alberto Magno.lib.1.q.41 num.11.

Sperare aliud eſt, atque intendere. lib.3. quæſt.34. num.4.

Spiritualia tantò ſunt temporalibus digniora quantò anima præfertur corpori. lib.1. quæſt.92.numer.2.

Spolia ſunt Romani Pontificis, quæ clericus è penſionibus quærit. lib.1.qu.86.num.2. Vide exceptionem.ibidem.

Spolia clericorum ad cameram Apoſtolicam ſpectantia quænam ſint. lib.1.q.91.num.1.& ſeqq.& quæ non ſpectent ad eam.q.86.nu.1.

Sponſalia ſunt *futurarum nuptiarum promiſſio, & matrimonij inchoatio*.lib.1 q.123 nu 4.Poſſunt cõtrahi cum Iudæa perſona appoſita conditione, ſi conuertatur ad fidem Chriſtianam.ibid.

Sponſalia non habent traditionem rei.lib.1.9.q.123. num.12.

Sponſalia ciuilibus legibus metienda non ſunt. lib. 1.q.145.num.4.

Sponſalia poſt Concil. Trident. non migrant in matrimonium per ſubſequentem copulam. lib. 1.q.113.num.9.

Sponſalia iurata an ſit neceſſe impleri ab eo, qui vellet ingredi religionem.lib.4.q.5.num.1.

Sponſalia iurata ab vtroque contrahente, poſſunt ne eorum priuato conſenſu diſſolui. lib.4. q.5. num.2.& 3.

Sponſalia impediuntur multis rebus, quæ ea conſequuntur; quæ ſi antegrediantur, illa nec impediunt, nec perimunt.lib 1.q.145.num.5.

Sponſio iurata de ducenda hac euaneſcit propter fornicationem, aut corporis deformitatem, ſi poſt ſequatur, ex decretali Innocentij III. lib.2. q 6.num 7.

Spuriæ proli alimenta relinqui poſſunt, & dos, quæ ſuccedit in locum alimentorum. lib.6.quæſt.16. num.10.

Spurij filij ditari ne poſſint bonis Eccleſiaſticis à parentibus. lib.1.q.75.num.1.& ſeqq.

Spurij quinam dicantur.lib.7.q.16.num 6.& 7.

Spuriis alimenta negat lex ciuilis, concedit lex canonica lib 1.q.75.num.3.& lib.7.q.16.num.6.Iis alimenta lege diuina, ac naturali denegari non poſſunt.lib.7 q 16.num.6. Spurij inſtitui poſſunt heredes à fratre patris, & ab alienis.num.7.

Spurium nonnulli negant fieri poſſe legitimum. lib 7.q.16 num.7. Contraria ſententia eſt vera. num.11.

Spurius inſtitui poteſt heres à patre adiecta conditione, ſi, vel cùm à principe effectus fuerit legitimus.lib.7.q 16.num.10.& 11.

Statum honeſtum vitæ quiſque ſine conſenſu patris poteſt ſibi eligere.lib.1.q.122.num.7.

Status hominis triplex eſt ex Alexandro Haleuſi: 1. in quo notus eſt Deo tantùm. 2. Eccleſiæ. 3. vtrique, & ſibi. lib.1.q.13.num.3.

Status, & conditio beneficiatij, Eccleſiæ, cultuíque diuino concedere debet.lib.1.q.82.nu.2.concl 3.

Status, & conditio Eccleſiaſticæ perſonæ quænam cenſeri debeat.lib.1.q.82.num.2.in fine.

Statuta, & leges, quæ multos fines intuentur, non ad nihilum recidunt, quia aliquis finis ceſſat.lib. 1.q.108.num 3. Niſi finis, qui deſiuit, eſſet legi intimus.num.4.

Sterilitatis venena procurantes cõiuges negat Auguſtinus coniuges eſſe.lib.1.q.140.num.4.

Stipulatio eſt contractus ſitus in verbis. lib.3.q.5. num.7.

Stipulatio, pactio, promiſſio turpis, & contra bonos mores nullam parit obligationem, nec ante factum, nec poſt factum.lib.3.q.5.in qua hac de re vberrimè.num.1.& ſeqq.

Stipulatio, & promiſſio, quo alter prouocatur ad malum, & eiuſdem ſpeciei crimen eſt & alterius diuerſi ab eo, ad quod ſtipulationis ſocius inuitatur. lib.3 q.5.num.2. Argumenta contra ſententiam noſtram de turpi ſtipulatione, & promiſſo diluuntur.num.14.

Stipulatio inter ſcortatorem, & meretricem nulla eſt.lib.3.q.5.num.8.& 12.

Stipulationum ciuilium iura in ſtipulationes ſponſalium accommodati non poſſunt. lib.1.q.145. num 4. Multa notantur diſcrimina in eod.num. Ciuilis ſtipulatio non contrahitur nutibus, nec literis.

Stratonis Lampſaceni philoſophi impij teſtimonio ſacri ordinis comprobatur immunitas lib.1. q.92.num.4.

Stuprator promittens connubium virgini ducere eam debet vxorem lib.4.q 16.num.3. Quid de ſtupratore, qui dolo, aut mendacio, aut importunis precibus in ſtuprum illexit virginem. lib. 4.q 16.num.5.

Stuprator cognoſcens mulierem corruptam, quæ incorrupta habebatur, pro erepta fama ſatisfaciet. lib 4.q.16.num 7.

Stupratori ſi ſponte obſequitur virgo, nihil ei à ſtupratore debetur:ſic multi.lib 4.q.16.num.5. Sed D.Ant. vult placari debere pattem virginis: & Angelus eamdem in bono ſtatu locari. num.6. Caietanus putat contra iuſtitiam à ſtupratore agi, cùm virginem cognoſcit aſſentiente illa, & eius patre.num.eod.

Stupratori lex humana non ignoſcit: ſtupratæ virgini parcit lib.4.q.16.num.6.

Stupratores ſtupratis virginibus quid præſtare debeant.lib 4 q.10.num.1.& ſeqq.Promiſſio futuri connubij ad extorquendam copulam vim habet importunarum precum. lib.4.q.16.nu.4. Leges contra ſtupratores diuinæ, canonicæ, & ciuiles recitantur.ead.quæſt.num.1.

Stuprum peccatum eſt non ſolum luxuriæ, ſed etiam iniuſtitiæ: multíſque fit iniuria, dum ſtupratur virgo.lib.4 q.16.num.6.

Stuprum offertur virgini, quamuis virtutem ipſam virginitatis amiſerit, aut ſignum virginitatis perierit lib.4 q.16.num.7.

Subdiaconus quando recipiat characterem. lib.1. q.51.num.1.& ſeqq.

Subreptio doloſa vitiat omnia contenta in reſcripto, ſed non doloſa vitiat tantum eam partem, cuius eſt cauſſa.lib.1.q 104.num.6.Taciturnitas veri, & ſuggeſtio falſi ſunt paria.num.6. Litteræ tamen impetratæ ad lites non fiunt nullæ ex ſubreptione num.8. Refellitur opinio Nauarri, qui negauit reſcripta Epiſcoporum nulla reddi propter ſubreptionem, in eadem.q.9.& 15.Curiæ conſuetudo planè conſentit eum decretali ſuper literis de reſcriptis in ead quæſt.num.13.

Subuenire neceſſitati alterius non tam opus eſt caritatis, quam iuſtitiæ. lib.4.q.31.num.9.

Succeſſor in beneficio prædeceſſoris debita pro neceſſitate Eccleſiæ contracta ſoluere debet.lib.1. q 87.num.2.& 3.

Superſtitionibus, ſuperſtitioſiſq; hominibus, atque

ex aſtrorum inſpectione prædicentibus in iis, quæ ad Chriſtianam, politicámve vitam pertinent credere, & obtemperare graue flagitium eſt. lib.4.q.33.num.2. Diuinarum ſcripturarum teſtimoniis prædicta aſtrologorum confutátur, & rationibus. num. 3. & ſeqq. Vide in verbo Aſtrologus.

Superſtitionis ne culpa contracta à muliercula ſit, quæ placcntula conſperſa rore, qui collectus erat nocte D. Ioannis Baptiſtæ recitato Euangelio S. Ioannis, In principio, curabat morbos. lib. 4.q.3. Demonſtratur genus hoc eſſe ſuperſtitioſum multis modis num.2 & ſeqq.

Superſtitioſum ſignum, & pactio inita cum dæmonibus eſt adhibere cauſſas naturales ad effectus, quos ſuis viribus non queunt efficere ex D.Tho. lib. 4.q.3 num.3.

Supinum opponitur prono. lib. 5.q.2.num.7. Quot modis vſurpetur ſupinum. ibidem.

Surdaſter ſit ne irregularis. lib.6.q 55.nu.2.& 3.

Suſceptorum, ſeu ſponſorum quæ erant verba ex Dionyſio Areopagita. lib.1.q 537.num 4.

Suſpenſio ſubiri ne poſſit ſine culpa. lib 6.q.46.n.1. & ſeq Probatur ex nonnullis locis Concilij Tridentini ſubiri poſſe.num.3.& ſeq. Quando ſubitur ob culpam ſuam, vel alterius probabile eſt debere eſſe mortiferam.num.7.

Suſpenſionem parochus ſponſi non incurrit, qui ſponſum, & ſponſam benedixit, cum ea benedictio ex ſtatuto ſui Epiſcopi pertineret ad parochum ſponſæ. lib.1.q.19.num.2.

Suſpenſus eſt, qui in ætate non legitima ſuſcipit ordinem ſacrum. lib.6 q.43.num.1.

Suſpenſi ne ſint ipſo iure, qui extra tempora ſtatuta à iure; vel ſcientes ante legitimam ætatem: vel ſine legitima facultate ordines ſuſcipiunt. lib.6 q.37. Sunt ſuſpenſi ex conſtitutione Pij II. quam renouauit Xiſtus V. in conſtitutione ſua cõtra clericos malè promotos, & Clemẽs VIII. conſtitutione, qua moderatus eſt illam Xiſti V. contra clericos malè promotos.num.2.

Suſpenſus non poteſt percipere fructus beneficij. lib 6 q.42.num.3.

Suſpenſus ab officio per canonem, ſit ne ſuſpenſus à beneficio: nam ſi ſuſpenſus ſit per ſententiam, magnis doctoribus placet huius ſuſpenſi beneficium ipſo iure vacare.num.5.

Suſpenſus, & irregularis non eſt capax beneficij. lib.6.q.64.num.1. Item nec interdictus, nec excommunicatus.

Suſpenſus ne ſit, qui ementito titulo ſuffuratur ordines ab Epiſcopo: & num debeat eum Epiſcopus alere lib.6.q.38. Suſpenſus videtur ex Canone, Neminem Concilij Chalcedonenſis, ex Canone Vrbani II. ex conſtitutione Clementis VIII. num.5. Nec videtur cogi poſſe Epiſcopus victum præbere decipienti. num.2. Incidunt tamen nonnulla tempora, cùm Epiſcopus debet alimenta fallenti clerico. num.2. Nec ſolum ipſe, ſed etiam eius heredes.num.3. Debeat ne Epiſcopus cuiuis clerico, qui ſine vitio ſuo, ſine titulo ordinem ſuſcipit ſuppeditare victum. num.4. Toletus à Concil. Trident. ſcribit ex reſponſo ſacræ congregationis Cardinalium renouatum eſſe canonem tantum Innocentij III. Cum ſecundum Apoſtolum: ſed Nauarrus lib.1. ſuorum conſiliorum. conſil. 14. de temporibus ordinationum probat Canonem Neminem, & Canonem Sanctorum multò antiquiores renouatos eſſe ab eod. Concil. Mirum latuiſſe tantum Doctorem reſponſum illud, de quo teſtatur Toletus num.4.

Suſpicari de aliorum vita ex leuibus coniecturis non eſt culpa lethalis. lib.4.q.46.num.2.

Suſpicio *eſt opinio ex leuibus indiciis orta.* lib.4.q.46. num.3. Non reperitur abſque fide, & perſuaſione.num.2. Non eſt electio.num.5. Non eſt in noſtra poteſtate, ſicut nec opinari.num 5 Ad humanam tentationem pertinet, ſine qua hæc vita non ducitur.num.6. Triplex eius gradus ex D.Thoma nu.6 Gloſſa facit triplicem ſuſpicionem, temerariam, probabilem, violentam. num. 10.

Suſpicio conſiderari poteſt ſpeculatiuè, & practicè: hoc tantum ſecundo modo eſt peccatum. lib.4. q.46 nu.4. Suſpicio, quæ infirmum habet aſſenſum, non habet propriè vim contemnendi proximum, nec infamia eundem afficiendi num. 11.

Suſpicio ex leuibus coniecturis ad lenia peccata refertur à doctoribus. lib.4.q.46.num.6.

Syncopa, & ſyncopare, verba ſunt Græca, quid ſignificent. lib 1.q 67 num.1.& 2. Qui cum ſyncopa officium recitat, præcepto non ſatisfacit. num 2

Synodus VIII. typis impreſſa Latinis valde mutilata eſt, plenámque ipſe vidi in D. Marci bibliotheca inter libros Cardinalis Beſſarionis deſcriptam ab Anaſtaſio Vaticanę bibliothecæ pręfecto, atque ab eodem de Græco in Latinum conuerſam: nam neque integra in codicibus Gręcis habetur. lib 6 q 31.num 5

Synodorum particularium, & capitulorum conſtitutiones incipiunt obligare à die notitiæ habitæ. lib.1.q.109.num.8.

T

TAciturnitas in matrimonio habetur pro diſſenſu. lib.5.q.113.num.12.

Tactiones voluptarias coniugum inter ipſos, niſi referant ad exercendum actum coniugij, multi Doctores graui auctoritate credunt eſſe culpas mortiferas. lib.1.q.134.num.4.& 8.

Tactus impudicus dupliciter intelligitur. lib.1.q. 134.num.4.

Tactus, qui nec deformitatem, nec vllam turpitudinis ſpeciem habent propter dubium peccatum tangentis, aut oſculantis, non ſunt neceſſariò reſpuendi. lib.4.q.21.num.2.

Digitized by Google

diuinitus conceſſam; quare eius legibus parere debent.n.6. Tenetur puer doli capax lege annuæ cõfeſſionis. n.6. Ingrediens monaſteria monialium incidit excommunicationem latam à Cõcilio Trident. eod.num.

Puer ante 14.annum completum facere ne poſſit teſtamentum.lib 7.q 2.

Puer omni beſtia intractabilior ex Platone. lib. 4. q.55. num.4.

Puer inſidioſiſſimus,acerrimúſque,& petulantiſſimus omnium beſtiarum ex Plat.lib. 4.q.55.n 4.

Pueri debent honeſtis lectionibus aſſueſcere ex Plat.lib.4 q.55.num.4.

Pueri abſque pædagogis viuere non debent ex Plat.lib.4.q.55 num.4

Pueri Perſarum non apud matres,ſed magiſtros cibos capiebant teſte Xenophonte.lib 4.q.55.n.4.

Pueri,vt viri boni euadant à primis annis,honeſtis in iocis aſſuefaciendi ex Platone.lib. 5.q.11.n.6.

Pueris,& iuuẽnibus fabulæ proponendæ ſunt, quæ ſint ad virtutem optimè inſtitutæ ex Plat. lib. 5. q. 11.nu.9.

Pueris non permittit Ariſtoteles, vt aut obſcœnas imagines adſpiciant, aut res inhoneſtas audiãt. lib.5.q 11. num.10.

Punire latentem animum non poteſt humana poteſtas.lib 4 q.10.nu.4.

Punitio malorum eſt de neceſſitate vitæ.lib.4.q.15. nu.8.& lib. 6.q.16.nu.11.

Pupillus repudiare non poteſt fundum ſibi legatũ ſine auctoritate prætoris.lib.1.q.84.nu.3.

Pupillus qua ætate obligari poſſit naturaliter.lib.3. q.4.n.6. Non omnia,quæ aguntur,contrahuntúrve cum pupillo,ſunt ipſo iure nulla.lib.3.q.4.n.6.

Q

QVarta funeris cui Eccleſiæ debeatur, alienæne, in qua moritur Inquilinus, an ſuæ ciuitatis, In qua commorandi obtinet domicilium. lib. 5.q. 110.num.5.

Quatuordecim annos natus obligationem earum ſubire poteſt,quæ ad eius perſonam pertinent.li. 2.q.7 num.2.in fine.

Quodlibet non fit ex quolibet; ſed determinatum ex determinato.lib.1.q. 5.num. 3.

R

RAncor quid ſit ex Toſtato.lib.4. quæſt.32.numer. 12.

Rapere quod pauperibus, eſurientibúsq; erogari debet,omnium prædonum crudelitatem ſuperat ex D.Hieronymo. lib.7.q.16. num.19.

Ratihabitio quid,& quotuplex.lib.6 q.63.n.1. Ratihabitionem iura mandato comparant. nu.1. Valet in contractibus, & delictis. ibid. ſed non in quouis genere criminum.ibid.

Ratihabitio homicidij nomine meo facti, ſi lateat tantum in animo, non efficit irregularem. Ratum habens homicidium clerici ſuo nomine factum excommunicatus eſt.lib.6.q.63. num.4.

Ratihabitio cauſſa dici poteſt tum moralis, tum phyſica commiſſi homicidij lib.6.q.63.nu.5.& 6.

Ratihabitio cauſſa eſt maleficij non in conſciſcendo.& perficiendo; ſed in conſociando, communicando,conciliando.lib.6.q.63.num.6.

Ratio eſt regula, & menſura humanorum actuum ex D.Thom lib.5.q 15 num.8.

Rationis prima regula eſt lex naturæ ex D.Thom. lib.5.q.15.num.8.

Ratio æquiualet canoni.lib.7.q.1.n.12. *Ratio efficit ius ex* Baldo. eod.num. Ratio ſpectat ad eſſentiã legis.eod.num.

Ratio quando praua ſit lib.5.q. 15 n.9. A ratione diſcedere nũquam licet: *malum eſt homini ſine ratione eſſe*, vt ait D. Dionyſius. *Nec ſecum quiſquam viuit, qui non ſecundum rationem viuit*, vt inquit D. Athanaſius lib.5.q.15. num 2.

Ratio exemplis anteponenda, ex Auguſt.li.4 q.10.n.5.

Rationis momenta in diſputando quærenda ſunt, nõ Auctores, ex M.Tullio.lib.5 q.15.num.8.

Ratio eadem in quibus militat ea eodem iure cenſenda ſunt.lib.3.q.37. num.2.

Rationis vſus non cunctis eodem tempore contingit.lib.1.q.27.n.2. Nec rerum omnium bonarũ, & malarum iudicium ſimul aſſequimur. num.2. Quibus indiciis explorare poſſimus, rationis vſum in pueris.ibid.

Reconciliatio,quæ fit cũ Deo diuiſionẽ non admittit:admittit ea quæ fit cũ Eccleſia. lib.1.q.29.n.2.

Rector Eccleſiæ cum tutore pupilli à Doctoribus comparatur: vtilitatem ſuam non debet vtilitati Eccleſiæ præponere. lib.1.q.85. num.1.&2.

Rectores beneficiorum cum tutoribus comparantur.lib.3.q.19.num.1.

Rector, qui alienauit fundum Eccleſiaſticum cum euidenti damno Eccleſię,quid culpæ,quidve pœnarum Eccleſiaſticarum ſubierit.lib.3.q.29.n.6. Quantum damni reſtituere debeat monaſterio, cuius erat fundus.num.7.

Rectorem communitatis cum paſtore confert Plat. lib.4.q.38.num.3.

Rectum, ac legitimum eſt,quod legis conceſſu, ac ſapientum aſſenſione agitur lib.7.q.16. num.9.

Regeneratus ſpiritualiter non eſt is,qui baptiſmum ſuſcipit animo flagitioſo, quãuis velit eſſe Chriſtianus, & in eo imprimatur character. lib. 1.q. 123 num 5.

Regula prima rationis eſt lex naturæ.lib 7 q 6.n.3.

Regula fallit, vbi ratio naturalis aliud ſuadet. lib. 4.q. 45.num.2.ex Panorm.

Religionis eſſentia ſita eſt in obligatione ad vota, non ad eorum impletionem ex Paludano. lib.2. q.8.num.3.

Religionem quis propriè ingredi dicitur per profeſſionem: quamquam in ſocietate Ieſu verè quis ingredi dicatur,& verè effici religioſus, poſtquam tria vota ſimplicia nuncupauit finito biẽnio nouitiatus ex conſtitutionibus multorum Pontificum. lib.7.q.7.num.4.

Re

Religionis ingreſſus quamnam irregularitatem tollat.lib.1.q.107. num.8.bigamiæ,& voluntarij homicidij non tollit.

Religionem ingredi an poſſint ij quorum aut parentes,aut filij graui conflictantur neceſſitate. lib.2.q.16.num 1.2.& 3.

Remiges Chriſtiani , qui aduerſus Chriſtianos innocentes Turcarum triremes impellũt, contrahántne culpam mortiferam , & excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam.lib.5.q.8. Ter ipſi de hoc genere diſtinctis interuallis diſſeruimus:quid in prima : quid in ſecunda diſputatione iudicij habuerimus exponitur.nu.2 & 3.

Remis incitare nauigium , aut dirigere triremem aduerſus innocentes , corúmque ſalutem , & libertatem,per ſe eſt malum lib.5.q.8.n.5. Remigandi quatuor incidere poſſunt tempora aduerſus Chriſtianos:primum iuſti remigij,ſecundum iniuſti,tertium liberi,quartum partim liberi,partim non liberi.num.7.

Remittere debitum non poteſt nec adminiſtrator ciuitatis:nec tutor,nec curator,nec prælatus.lib. 7.q.15.num.4.

Remunerari ne poſſit clericus ex bonis Eccleſiaſticis & acceptando beneficia. lib. 1 q.76.

Renaſci ſpiritualiter non poteſt qui non eſt verè natus.lib.1.q. 13.nu.2.

Renunciatio facta ante præſcriptum tempus à Cõcilio Tridentino,& curata , ſine licentia Epiſcopi,vel ſui vicarij nulla eſt. lib.3.q.41. num.9.

Renuncians,quod facit in manu ſuperioris facere debet.lib 1.q.100.num.3.

Reperitio eorum,quæ ſunt arti neceſſaria,commẽdatur à Galeno.lib.1.q.63. num.1.

Repudiatio legati eſt ſpecies alienationis. lib.1.q. 84.num.3.

Repudium eſt contra legem naturæ. lib.1.q. 124.n. 13. Hebræis fuit quidem permiſſum , ſed à lege non approbatum tamquam licitum.ibid.

Res Eccleſiæ non minorem curam requirunt in adminiſtratore, quàm res ad Ciuitatẽ pertinentes. lib.1.q.83.num.1.

Res tanti valet quanti vendi poteſt,quam interpretationem habeat ex ſententia Henrici Gandauenſis.lib.1.q.84.num.2.

Rei familiari noſtræ non ſemper eſt alterius vita præferenda.lib.4.q 30.num.2.

Reſcriptum Principis impetratum, quod nec eum ratione,nec cum communi ſtylo curię conuenit, quale iudicari debeat. lib.1.q 103 num.3.

Reſcriptum contra ius,& vtilitatem publicam non valet.lib.1.q.104.num.6.

Reſcripta Principis vt valeãt clauſulam hanc exigunt,*ſi preces veritate nitantur* ibid.Documenta dantur nõnulla in hoc genere.in ea.q.n.11.& 12.

Reſeruare ne poſſint Epiſcopi incertorum bonorũ reſtitutionem.lib.1.q.27.num.1 & ſeqq.

Reſeruare ne poſſint Epiſcopi alios caſus,quos illis nec ius nec cõſuetudo reſeruat,à quibus nequeãt regulares abſoluere. lib.1.q.25.nu.6.7.8 9 & 10 In quibus poſterioribus numeris vera ſententia explicatur.

Reſeruari ſolent caſus etiam abſque cenſura. lib. 1.q.23.num 1.

Reſeruari non poteſt peccatum veniale lib. 1.q. 23.num.5.

Reſeruari non decet crimina mortifera quæ in animo dumtaxat latent incluſa lib.1.q.23. nu.5.

Reſeruatio caſuum non eſt impedimento, quo minùs ſacerdos inferior pœnitentem poſſit abſoluere à non reſeruatis omnium peccatorum audita confeſſione, cum remittendo ad reſeruatorem pro abſolutione à reſeruatis ex maximè cõmuni ſententia Theologorum. lib.1 q 28. nu. 2.

Reſeruatio caſuum Pontificia ferme numquam eſt ſine excommunicatione. lib.1 q.13.nu.2. amplectitur etiam caſus dubios.lib.1.q.14.

Reſeruatio Epiſcopalium Caſuum ſunt de actibus exterioribus.lib.1.q.13.num.5.

Reſeruatio Regularis à Clem.8.ordinibus præſcripta regularium,qualis ſit lib.1.quæſt.34.num. 1. Nonnullæ explicãtur dubitationes ad hanc ſpeciem reſeruationis ſpectantes.num.2 & ſeqq.

Reſidentia propriæ Eccleſiæ interrumpi poteſt propter commodum eiuſdem Eccleſiæ, atque etiam alterius. lib.1.q.59.num.1.& 2.

Reſidentia duabus rebus conſtat.lib.1.q.62.num 3.

Reſidere quid ſit.lib.1.q.62.n.1.& lib.6.q.42 nu.4. Qui non reſidet,non facit fructus ſuos lib. 6.q. 42.n.4. Non reſidentes in ſuis Eccleſiis,deponũtur.lib.1.q.61.num.4.

Reſtituenda res eſt,quæ iuſta lege nec dari,nec accipi poteſt lib.4.q.6.num.4.

Reſtituendum quo ordine ſit creditoribus. lib.3.q. 38.num.3.

Reſtituens malè etiam conſilio,& auctoritate Epiſcopi iterum reſtituere debet.lib. 1. quæſt.27.numer.5.

Reſtituere debet lege naturæ quod quis accipit ob eam rem,quæ ei ſine mercede præſtanda eſt.lib. 4.q 6.num.4.ex Adriano.

Reſtituere cogitur , qui rem poſſidet fraudulento, iniuſtóque titulo.lib.4.q 6.n.4.

Reſtituere non debet , qui lucratus eſt ex locatione torquis aurei quem à non domino vero emit. lib.3 q.36.num.4.

Reſtituere non eſt neceſſe, cuius acceptio non terminatur ad iniuſtum lib.3.q.6. num.5.

Reſtituere non cogitur creditori tunc , cùm debitori creditor largiri debet eleemoſynam. lib. 4.q.31.num.3.

Reſtituere quis non tenetur cum inferioris ordinis periculo amittendæ rei , quæ eſt ordinis ſuperioris. lib. 4. quæſt. 31. numer. 4. Reſtituendi neceſſitas adiunctam habere debet potentiam iuris , facti , & commoditatis , ex D. Antonino. num.eod.

Reſtituere non tenetur , qui rem alterius retinet

voluntate domini iuſta, debita, & ordinata.lib. 4.q.31.num.6.

Reſtitui eum ius ablata, aut aliena non poteſt, reſtitueudum eſt id, qnod ſit tantidem li 4.q.42.n.4.

Reſtitui debet, qnod datur pro honeſta actione ſuſcipienda.lib. 3.q.6.num.2. ſed præcipue 8.&9.

Reſtitutio eſt reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus ex D.Thom.lib. 4.q.11.num.1.

Reſtitutio, & ſatisfactio differunt.lib. 4. quæſt.11. num. 1.

Reſtitutio proprium locũ habet in rerũ externarũ ablatione: ſatisfactio verò in Iniuria, & contumelia. ex D.Thom.lib. 4.q.11.num.1.

Reſtitutio incertorũ fieri deberet pauperibus loci, cuius erat dominus lib.1.q.27.n.1. Quatuor incidunt tempora, cùm Epiſcopus partes ſuſcipere debet reſtituendi nomine alterius. in ead. q. n.3.

Reſtitutio eſt conſilij, quuties certæ perſonæ non eſt reſtituendum. lib.3.q.6 nu.5. excipiuntur ea, quæ inuito Domino, aut ablata aut poſſeſſa ſunt. ibidem.

Reus vterque eſt, qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit ex D.Auguſt.lib.1.q.104.num.10.

Reus non cogitur ſui accuſator eſſe extra ſacramentum pœnitentiæ, lib 1.q 135.num.1.

Reus ſuſtinere debet probationes actoris, non ei ſuppeditare.lib. 4.q.34.nu.4. idque præcipuè intelligas in cauſſa capitali.

Reus cogendus non eſt de ſuo crimine confiteri, quum probabiliter dubitatur, num eum iudex legitimè interroget.lib.6.q.6.num.2.

Reus cur compedes perrũpere poſſit, & non carcerem.lib.4.q.15.num.11.

Reus eſt, qui citò criminibus aurem prabet ex can. 8. ſynodi lib.q.47.num.3.

Reus damnatus ad mortem plus habet iuris in conſeruanda anima intra corpus, quàm Iudex in excludenda, ex Henrico Gandanenſi.lib 4.q.15.n.6. Quid cum reo aget ſacerdos, cum ſuum in iudicio cõfiteri debet delictum. in ead. q. propoſitione ſecunda, quid cum eodem, cum hæſitat reus num debeat cõfiteri crimen propoſitione tertia Quid cum conſulitur à reo de re; quam ignorare non debet, & irregularitatis periculum ſacerdoti impendet. in ead. q. propoſitione quarta. num 6.

Reuelare non tenetur præcipienti Iudici, qui nomine compenſationis retinet rem alterius, quãuis propoſita pœna excommunicationis; nec is tenetur, qui hoc nomine ſcit ab alio rem alterius poſſideri.lib.6.q.4.num.1.& lib.3.q.39.num.5.

Reuelare quis rem furtiuam non tenetur, cum aut furis perſona retegenda foret, aut iudici graue malum impenderet.lib.6 q.4.n. 2. Reuelare non tenetur, qui ſolus ſcit; nec probare poteſt. ibid. Prælato tamen tamquam patri indicare poteſt. ibid. Probatio reuelandæ rei duos exigit conteſtes præter reuelantem. in ead.q.n.3. Committẽs furtum clandeſtinum, & non reuelans iubente iudice, cum cenſura excommunicationis nec peccat, nec incidit in excommunicationem. lib. 6.quæſt.5.

Reuelatio imperata à Iudice Euangelicæ correctioni officere non poteſt lib.6.q.4.num.4.

Reuelationem alicuius delicti præcipiente iudice ſeptem temporibus omittere poſſumus ex Nau. lib.6.q.4.num.4.

Rex à Tyranno, quibus rebus interſit apud Ariſt.li. 4.q.38.num.3.& apud D.Thom.num.4.

Rex eſt propter Regnum, non Regnum propter Regem. ex D.Thom.in ead.q.num.4.

Rogator beneficij eſt teſtis eorum quæ narrat, ideo non debet vti mendaciis.lib.1.q. 104.num.10.

Roma eſt patria communis.lib.1.q 59.num.4.

Romana Reſp.non fuit Reſp. vt probat D.Auguſt. lib.7.q.6 num.3.

Romanæ Eccleſiæ in perſona D.Petri tradita quænam ſint.lib.1.q.4 num.14 & 15.

Rota muris monaſteriorum inædificata duplicem partem habet, alteram, quæ ad ſepta pertinet, alteram, quæ ad extra ſepta.lib.6.q.9.n.3. Inter Rotam, & monaſterij ianuam permagnum eſt diſcrimen in ead.q.& eod.num.

S

Sacerdos, qui tribus hominibus tres Miſſas ſpopondit, ſingulis ſingulas, vnica miſſa fidem ſuã non liberat. lib.1.q.42 num.9.

Sacerdotis partes præcipuè eſſe debent, motum cõtritionis in corde pœnitentis auxilianti Deo ciere lib.1.q.32.num 8.

Sacerdotes, & leuitæ in antiqua lege num paruerint Regibus.lib.1.q.93. paruiſſe Regibus multi, magniq. Theologi dixerunt.in ead.q. num.22.

Sacerdotibus Alexander Magnus pepercit captis Thebis.lib.1.q.92.num.4.

Sacerdotibus Ægypti cur Deus permiſerit tribui immunitatem.lib.1.q.93.n.7.8.& 9. Eorum mores, & ſtudia.num.7.

Sacerdotij fontes duos eſſe in Eccleſia Chriſti repugnat inſtitutioni.lib.1.q.48 num.8.

Sacerdotij capax eſt etiam hæreticus. lib. 1. q. 48. num.10.

Sacerdotio tranſlato oportebat formam aſſumendę perſonæ ad ſacerdotium transferri.l.1.q.98.n.1.

Sacerdotium nouæ legis non origine, ſed electione mandatur.lib. 1.q.98.num.1.

Sacramenta tribus rebus perficiuntur ex Concilio Florentino materia, forma, & perſona miniſtri cũ intentione faciendi quod facit Eccleſia.lib. 1.q. 46.num.1.

Sacramenta non recipiunt conditionem ſuſpendentem.lib.1.q.113. num.8.

Sacramenta ſunt quædam fidei proteſtationes.lib. 1.q.48.num.6.

Sacramenta ſunt naturæ ſalutis pignora, diuinæque noſtræ gratiæ inſtrumenta.lib.5.q.14.num.4.

Sacramenta ſua Chriſtus voluit ita ſalutaria eſſe animabus, vt non eſſent exitioſa corporibus.lib. 5.q.7.num.9.

Sa

Sacramenta euadunt nulla, ſi falſitas ſit in forma lib. 1.q.19.num 3.

Sacramenta præſentiam requirunt ſuſcipientium excepto matrimonio.lib.1 q.16.num.4.

Sacramenta Eccleſia non præbet niſi iis, qui in eius viſibili foro verſantur.lib.1.q.13.nu.4.

Sacrificium nouæ legis quatuor partibus conſtat. li. 6.q.43 num.2.

Sacrificij materia, qua vtuntur Latini, ad eam, quam conſecrauit Chriſtus Dominus, propius accedit, quàm Græcorum.lib.1.q.48.num.9.

Sacrificium ab ſacerdote collatum in perſonam vnā aliquam priuatam plus ei prodeſt, quàm in commune quodpiam deriuatum in pœnarum debito ſoluendo lib.1.q.42.num.11.

Sacrificia, & ſuffragia ad ſolatium, & gaudium proſunt omnibus, in quibus illa eſt maior. lib.1.q.42. num.12. Refellitur Præpoſitiuus Theologus, qui abſolutè pronunciauit Miſſæ ſacrificium atque ſuffragium perinde valerē vni ſoli, vt omnibus: & omnibus iuxta atque vni. num. 13.& 14.

Cùm ſacrificij fructum applicet Chriſtus, Eccleſia, & miniſter, hic non poteſt minuere Chriſti, Eccleſiæque applicationem.num.15. Qualis ſit applicatio Eccleſiæ.num. 15. Nonnulli graues Doctores crediderunt, nullum fieri ſacrum, quo non plores animæ è pœnis emergant purgatorij. nu. 16. Huius ſacrificij non cruenti virtus, & fructus non videtur eſſe tantus, quantus illius cruenti, quod in cruce à Chriſto factum eſt. num. 17. Quamuis ſacrificium miſſæ ſit finiti valoris, fructu tamen, quem percipit vnus, non minuitur fructus alterius, neque res eſt eadem, valor ſeu dignitas ſacrificij, atque eius effectus, & fructus.nu. 17. ſacrificium noſtrum, qua rem oblatam continet, & qua actio eſt offerentis Chriſti, infiniti valoris eſt, ſeu pretij num. 18. Quamuis ſacrificij fructus ſit finitus, tamen nonnulli tantum, tamque vberem eſſe autumant, vt numquam à quopiam, nec à quantauis multitudine mortalium exhauriri queat.nu. 19. Fructus ſpiritualis, quem in viris, & mulieribus Chriſtianis ipſum ſacrificium progignit, quantitatem, ac vim, vis, & quantitas dimetitur caritatis, & deuotionis, quæ in offerente viget, vel in iis, pro quibus offertur.nu. 20. Effectus impetrandi finitus eſt ex fide, ſatisfaciendi autem ex deuotione.num.21. quare fieri poteſt, vt vna miſſa plus largiatur alicui, quàm triginta. num.21. Vbi non agitur de ratione ſatisfaciendi, ſed impetrandi, vnum ſacrificium, ſicue vnam eandem orationem non minus vni quam multis: nec minus multis, quam vni, valere communis eſt opinio. num. 23. Eum qui tribus, ſingulis ſingulas miſſas deſpondit, vnamque pro omnibus illis celebrat, quænam excuſare poſſint. num.24. Qua ratione conſulet ſibi ſacerdos, qui impar eſt tot ſoluendis ſuffragiis, reddendiſque ſacrificiis, quot ſe obſtrinxit. num. 24.& 25.

Sacrilegium eſt fraudare Eccleſiam ex D. Hieronymo.lib.7.quæſt.16 num.19.

Sagæ, & maleficæ ſunt Dæmonum pellices, & concubinæ.lib.4.q.7.num.2.& 3. Vbi atrociſſima barum mulierum flagitla commemorantur.

Salutem propriā magis, quis tenetur diligere, quàm debitum reddere coniugi.lib.1.q.136.nu.2.

Sanguinis effuſio non polluit Eccleſiam, niſi ſit iniurioſa.lib.4.q.10.num.9.

Sarracenis, & Turcis deferri non poſſunt phialæ, lances, cultri, atque id genus alia, quæ metalli materia conſtant, & ex quibus fabricare poſſunt arma aduerſus Chriſtianos. lib.6. q.10. num. 3.& 4.& de gladiolis reſpōdit Clem.8.incidere in excommunicationem reſeruatam in Cœna Domini, qui eos deferunt ad Turcas.nu.3.

Sarracenis, ac Turcis qui vel donant, vel commodant, vel vendunt, quæ vetita ſunt in bulla Cœnæ; an incidant in excommunicationem in illa Romano Pontifici reſeruatam.li.6 q.11. copioſè probatur incidere.nu.3.& ſeq.In excommunicatione bullæ, qua prohibetur delatio.

Satisfacere Deo exteriore pœnitentia debemus, quamuis is nobiſcum in gratiam redierit. lib. 1. q.3.num.3.

Satisfactio toti homini imponitur, quia totus homo offendit Deum.lib.1.q 35.num.5.

Satisfactio pertinet ad integritatem ſacramenti pœnitentiæ.lib.1.q.35 num.5.

Satisfactio tollit occaſiones peccati: probatur Chriſti auctoritate, & patrum teſtimoniis.lib.1.q.140. num.1.2.& 3.

Satisfactionem iniuriæ nemo tenetur remittere.lib. 4.q.32.nu.12.Vide in verbo Inimicus.

Satisfactio *eſt reparatio in æqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus* ex D. Thoma.lib.4.q.11. num.1.

Satisfactio propriè locum habet in iniuria, & contumelia: reſtitutio verò in rerum externarum ablatione ex S.Thom.lib.4 q.11.num.1.

Satisfacere poteſt quis vno actu, diuerſis præceptis. lib.1.q.65.num.4.

Scaccorū, ſeu latrunculorum ludus num permiſſus clericis.lib.1.q.93.num.1.& ſeqq.

Scandalum actiuum quid ſit.lib.5.q.12.num.3. Nullus actus bonus, vel medius, vel interior dici poteſt ſcandalum.num.3.

Scandalum actiuum eſt, vel quando directè, vel per ſe quempiam inducimus ad peccandum, vel quādo factum eſt huiuſmodi, vt ob ſpeciem mali, vel quia verè malum eſt, alter inducitur ad culpam. lib.5.q.12.num.2.

Scandalum facit, vt recedatur à iure, & ab habitu regulari.lib.6 q.8 num.10.

Schiſmatici, & hæretici habeantne vera ſacramenta Academicè diſputatur.lib.1 quæ.48. Apud eos vera ſacramenta, cum vero ſacerdotio eſſe poſſe, & re vera fuiſſe, non inficiantur Catholici.num.1. enunciatio.1. ſi carent ſacerdote, poſt Concilium

Tridentinum non contrahunt matrimonium legitimum, niſi fortè expreſsè, vel tacitè Romanus Pontifex diſpenſet.num.2.enunciato. 3. Poſt longa annorum ſpatia: poſt deſertam Catholicæ religionis diſciplinam in multis orbis terræ prouinciis ſacramenta cum ſacerdotali ordine exularunt.num.2.enunciato.6.

Scientia eſt earum rerum, quæ ſemper, aut plerumque eueniunt.lib.4 q 33.num.5.

Scientia eadem cognoſcitur affirmatio, & negatio. lib.4.q 9.num.8.

Scientia in actu, & in habitu ſunt eiuſdem ſpeciei. lib.1.q.33.n.3.

Scire quæ ſinguli teneantur ex D. Thom. lib.5.q.1. num 3.

Scire.& debere ſcire paria ſunt.lib.4.q 16.nu. 3.

Scire nemo poteſt, impleat ne præceptum diligendi Deum ſuper omnia, aut pœnitendi quomodo oporteat de peccatis, aut paruerit ne toti legi.lib. 1.q.19.num.7.

Scriptum ad æquitatem, voluntatémque legiſlatoris dirigendum.lib 6.q.11.nu.4.

Scriptum ſequi calumniatoris eſt: boni iudicis voluntatem ſcriptoris, auctoritatémque defendere ex M.Tull.lib.6.q.11.nu.9. In verbis tamen hæredum, quando ſcriptoris, ſeu legiſlatoris voluntas eſt anceps.num.10.

Scrutari non licet, quæ vult Deus à nobis vtiliter ignorari.lib.4.q 95.num.1.

Scriptura nō nocet apud Iudicem auctori, niſi ſuam illam eſſe fateatur.lib.1.q.16.nu.5.

Semen nonnullæ mulieres non emittunt, quæ concipiunt, & pariunt.lib.4.q.17.nu.6.

Sententia eſt legis applicatio ad ſingulare factum. lib 1.q.141.num.3.

Sententia non tenet non data à non ſuo iudice. li. 6. q.46.num 6.

Sententiæ iudicum magis ſtandum, quàm aliis magis peritis: alias ſi non ſtaretur magnum eſſet nocumentum communis ſtatus hominum, ex D. Tho. loquitur de ſententia excommunicationis. lib.6.q.33.num.1.

Septennij ætas idonea ſponſalibus.lib.2.q.7.nu.2.

Sepultura Eccleſiaſtica priuatur, qui ſingulis annis non confitetur, nec Euchariſtiam ſumit.li.6.q.42. num 7.

Sepulturæ Eccleſiaſticæ honore affici is poteſt, qui quamuis ſemel in anno nec confeſſus eſt, nec Euchariſtiam ſumpſit, pœnitentiæ tamē ſigna dedit. lib.6 q 1.num.2.

Serui Chriſtianorum propter baptiſmum libertatem non aſſequuntur.lib.3.q.43.nu 2.

Seruiens Epiſcopo ſeruit Eccleſiæ.lib 1.q.59.nu.4.

Seruiens Romano Pontifici, ſeu Eccleſiæ Romanæ, cunctis intelligitur ſeruire ex Aſtenſi. lib.1.q.59. num 4.

Seruitus æquatur cum morte à legibus. li.5.q.8 n 8. Seruitus poſtremū malorum omnium, non modo bello, ſed etiā morte repellendū ex M.Tullio.ibi.

Seruitute nihil fœdius ex eodem.ibid. Et ex eodem: In repetenda libertate nō eſt mors fugienda.ibid. Et in vndecima Philip. Mors ſeruituti anteponenda eſt. Et in 13. Vita, corpus, fortunæ, res familiaris, hæc ſapientia poſteriora libertate ducit: neque pro his libertatem, ſed pro libertate hæc proiicienda præcipit.ibidem.

Septa monaſterij quæ ſint. lib. 6 q 3. num.3. Locus extra ſepta ex declaratione Gregorij q. 13. quinam dicatur.ibidem & num.4.

Signa contritionis moribundi vnius teſtimonio probari poſſunt.lib.6.q.1.num.2.

Signum naturale comitatur naturam, & propriā affectionem vniuſcuiuſque ex Ariſtot.l.4.q.47.n.7.

Siligo à tritico non differt ex ſententia D. Thomæ quare in vtraque ſpecie confici poteſt corpus Chriſti: eſtque diui Thomæ opinio ſatis cōmunis. li.1.q.41.n. 9. Eſt enim ſiligo ſelectum frumentū.

Simile ſemper ſimile prouocat ex Platone.lib.5.qu. 11.num.6.

Simonia eſt *rem ſacram vel profanā, ſeu quæ ciuilem habet æſtimationem emere, ſeu vendere.* lib.5.q.14.nu. 4 ſit ne ſimonia baptiſmum ſacramenti redimere ab eo pretio, qui illud ſine pecunia daturum ſe negat. eod. num. Probatur ſine ſimoniæ labe id fieri non poſſe eod num.

Simonia mentalis duplex, vna penitus incluſa in animo contrahentium, altera, quæ ſignum habet externum rei datæ, & acceptæ. lib.4 qu 6.num.1. Vtrum ſecunda, quamuis careat pactione verborum, obnoxia ſit reſtitutioni, & pœnis Eccleſiaſticis. Obnoxiam eſſe oſtenditur.nu.2.& ſeqq.

Simonia Giezi, & Simonis apertam non habuit pactionem.lib.4.q.6.num.3. Preces, quibus indigno procuratur beneficium vacant pacto, & tamen efficiunt eam ſimoniam, quæ coercetur ab Eccleſia. numer. 3. Decretalis Vrbani 3. conſuluit, de ſimonia mentali vera, ſententia enucleatur. num.6.

Simonia pacta, & conuenta ſubiaceatne pœnis Eccleſiæ re tradita tantum ſpirituali. lib.4.q.6.nu.7. Oſtenditur ſubiacere.num.7.

Simonia, vt eſt contractus emptionis, abſoluitur conſenſu contrahentium abſque traditione: verū, vt eſt ſimoniacus, requirit ſaltem rei ſpiritualis traditionem. lib.4.qu.6.num.8. Pretium in ſimonia eſt quodlibet commodum temporale adeptum, vel ſperatum, aut promiſſum; & obligatoria promiſſio eſt pro numiſmate in ſimonia ex Gerſone, & aliis.num.8.

Simonia ne ſit familiari collatoris pecuniam dare, vt ad eum mihi pateant fores, vel vt ad eum merita tantùm mea commemoret.lib. 4.q. 6.nu.9.

Simonia ne ſit pecuniam dare Petro, vt beneficium conferat: quod tamen is pro pecunia non confert. lib.4.q 6 nu.9.in calce.

Simonia in beneficio gignit ſuſpenſionem. lib.6.qu. 64. num. 3. & 4. gignit quoque irregularitatem. Quinam diſpenſet cum ſimoniacè ordinato ſimoniam

moniam ignorante, quæ vel à ſuis conſanguineis admiſſa eſt, vel ab ordinatore. lib.6.q 41.num.1. propoſitione 2. ſi ſcelus ſimoniæ commiſſum eſt ab ordinato, quis eum eo diſpenſabit. eod. num. propoſitione 3. In minoribus ordinibus diſpenſat Epiſcopus propoſitione 4.eod.num. Qui ſimplex beneficium obtinuit ſimoniacè, ſi crimen ſit occultum, & ipſe abdicet ſe beneficio, agátque pœnitentiá, poſt pœnitentiam vti poteſt ſuo ordine, aliiſque beneficiis legitimè impetratis.nu.3.

Simoniacus in ordine eſt ipſo iure ſuſpenſus, etiamſi occultũ ſit crimen, & abſolutio reſeruatur Romano Pontifici. lib.6.q.41.nu.2. Nec ſolum ſuſpenſus, ſed etiam excommunicatus eſt, & irregularis. lib.6.q.65.num.1.& ſeqq.

Simoniacus in beneficio ſit ne ipſo iure ſuſpenſus.li. 6.q.41.num.1. Hic ſimoniacus, quamuis abſoluatur à culpa, & excommunicatione, tamen manet ſuſpenſus, & irregularis. lib.6.q.64.n.4. Quilibet Catholicus exorandus eſt, vt ſimoniæ crimen detegat ex Decretali, ſi Dominus. lib.4. qu.8 ſimoniacus non eſt, qui promittit pecuniam animo nõ eam ſoluendi 4.q.6.num.6.

Soceri ſui ſecũdam vxorem quis poteſt habere mortuo ſocero.lib.1.q.119.nu.3.

Societas maleficiorũ nulla coiri poteſt. li.3.q.5.n.16.

Societas officiaria non eſt cenſus perſonalis. lib. 3. q.14.num 6.

Societas quædam pecuaria Collatieum dicta à Peruſinis examinatur.lib.3.q.12. Tradens pecus, ſeu animal æſtimatum colono non poteſt ab eo lucrum aliquod petere.num.2.

Societas in Romanæ Curiæ officiis inita vſuraria eſt, ſi admittat ſocios, quorum pecunia ſuperet æſtimationem officij: nec per innominatum contractum, aut cenſum vitalitium excuſationem habet culpæ.lib.3.q.14.nu.3. Vide in verbo Officiũ.

Societatis facinoroſæ comes eſt, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.lib.4 q.10.nu.20.

Socius criminis numquam in confeſſione nominandus, cùm peccati noſtri ſpecies intelligi poteſt eo tacito: neque eſt nominandus, quando ex ſignificatione graue aliquod ſcandalum oriri poſſet.lib. 1.q.18.num 4.

Solemnitas iuris ciuilis adhibenda in teſtamentis reuocata eſt, ex Sylueſtro.lib.7.q.14 nu.4.

Solemnitas teſtamentaria valet ad probationẽ teſtamenti, non ad illius ſubſtantiam.li.7 q.1.nu.11.

Soluere pro ſua opera aliquid contra naturam eſt. lib.3.q.37.num.1.

Soluitur recens pecunia ſeruata æſtimatione antiquæ, quando antiquæ intrinſeca bonitas mutata eſt, ſiue in materia ſiue in pondere. lib.3. quæ.44. num. 9. Cum extrinſecus puta voluntate principis, minorem pecunia nacta eſt æſtimationem, id nocet creditori ex communi ſententia doctorum.num.11.

Solutio pecuniaria à ſtatuto impoſita delicto, fieri ne debeat in pecunia, quæ æſtimationem habebat tempore ſtatuti, an tempore, quo fit ſolutio. lib.3.q.44.num.4.

Solutio pecuniæ; cum eius mutata eſt æſtimatio, qualis eſſe debeat in contractu mutui.lib.3.q.44. num 2.

Solutio, quæ fieri debet ex teſtamento, in ea pecunia fit, quæ verſabatur in ciuilibus commutationibus, quo tempore condebatur teſtamentum. li. 3.q.44.num.13 ſolutio legatæ pecuniæ reuocanda ne ſit ad tempus legati, an eius, quo ſolui debet.num.14 ſi pecunia ſoluenda ſit alicui per gratiam beneficij mandato iudicis, vel alterius: cuius temporis æſtimatio habenda erit? num 15. Pecuniæ, quæ fugientem, & vagam prope in ſingulos dies ſolita eſt habere æſtimationem, modò maiorem, modò minorem, non ſolet ratio haberi in ſolutionibus: nec à creditoribus recuſari poteſt, videtur hæc propoſitio omnium probata conſenſu.num.16.

Somnia ex Ariſtotele alia ſunt cauſſæ, nonnulla ſunt ſigna, quædam ſunt accidentia fortuita. lib.4. qu. 4.num.1.

Somnia crebra eueniunt loquacibus, & melancholicis ex Ariſtot.lib.4.q 4.num.2.

Somnia acriter obſeruant medici. lib. 4. quæſt. 41. num.1.

Somniorum obſeruatio, ſit ne criminoſa. lib.4. q 4.

Somnia, quæ ſunt cauſſæ, & ſigna obſeruari poſſunt, quæ ſunt accidentia fortuita non poſſunt. lib. 4. q.4.num.2.

Somnia ea tantum obſeruare non licet, quæ in animis noſtris à dæmone cientur. lib. 4. quæſt. 4. num.3

Somniorum cauſſæ quænam ex D.Thom. lib.4.q.4. num.3.

Species non perimit genus.lib.2.q.17.nu.2.

Species vna non eſt intra aliam.lib.3.q.17.nu.2.

Spectaculis turpibus intereſſe clerici non poſſunt. lib.6.q.8.num 3.

Speltam, ſeu zeam ſpeciem eſſe hordei aliquando iudicatum eſt ab ſede Apoſtolica teſte Alberto Magno.lib.1.q.41 num.11.

Sperare aliud eſt, atque intendere. lib.3. quæſt.34. num.4.

Spiritualia tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori. lib.1. quæſt.92.numer.2.

Spolia ſunt Romani Pontificis, quæ clericus è penſionibus quæſiit. lib.1.qu.86.num.2. Vide exceptionem.ibidem.

Spolia clericorum ad cameram Apoſtolicam ſpectantia quænam ſint. lib.1.q.91.num.1.& ſeqq.& quæ non ſpectent ad eam.q.86.nu.1.

Sponſalia ſunt *futurarum nuptiarum promiſſio, & matrimonij inchoatio*.lib.1 q.123 nu 4. Poſſunt cõtrahi cum Iudæa perſona appoſita conditione, ſi conuertatur ad fidem Chriſtianam.ibid.

Sponſalia non habent traditionem rei.lib.1.9.q.123. num.12.

Digitized by Google

Sponſalia ciuilibus legibus metienda non ſunt. lib. 1.q.145.num.4.

Sponſalia poſt Concil. Trident. non migrant in matrimonium per ſubſequentem copulam. lib. 1.q.113.num.9.

Sponſalia iurata an ſit neceſſe impleri ab eo, qui vellet ingredi religionem.lib.2.q.5.num.1.

Sponſalia iurata ab vtroque contrahente, poſsíntne eorum priuato conſenſu diſſolui. lib.2. q.5. num.2.& 3.

Sponſalia impediuntur multis rebus,quæ ea conſequuntur; quæ ſi antegrediantur, illa nec impediunt,nec perimunt.lib 1.q.145.num.5.

Sponſio iurata de ducenda hac euaneſcit propter fornicationem, aut corporis deformitatem, ſi poſt ſequatur,ex decretali Innocentij III. lib.2. q 6.num 7.

Spuriæ proli alimenta relinqui poſſunt,& dos,quæ ſuccedit in locum alimentorum. lib.6.quæſt.16. num.10.

Spurij filij ditari ne poſſint bonis Eccleſiaſticis à parentibus. lib.1.q.75.num.1.& ſeqq.

Spurij quinam dicantur.lib.7.q.16.num 6.& 7.

Spuriis alimenta negat lex ciuilis,concedit lex canonica lib 1.q.75.num.5.& lib.7.q.16.num.6.Iis alimenta lege diuina, ac naturali denegari non poſſunt.lib.7 q 16.num.6. Spurij inſtitui poſſunt heredes à fratre patris,& ab alienis.num.7.

Spurium nonnulli negant fieri poſſe legitimum. lib.7.q.16 num.7. Contraria ſententia eſt vera. num.11.

Spurius inſtitui poteſt heres à patre adiecta conditione, ſi,vel cùm à principe effectus fuerit legitimus.lib.7.q.16.num.10.& 11.

Statum honeſtum vitæ quiſquè ſine conſenſu patris poteſt ſibi eligere.lib.1.q.122.num.7.

Status hominis triplex eſt ex Alexandro Halenſi: 1. in quo notus eſt Deo tantùm. 2. Eccleſiæ. 3. vtrique,& ſibi. lib.1.q.13.num.3.

Status, & conditio beneficiarij, Eccleſiæ,cultuíque diuino concedere debet.lib.1.q.82.nu.2.concl 3.

Status, & conditio Eccleſiaſticæ perſonæ quænam cenſeri debeat.lib.1.q.82.num.2.in fine.

Statuta, & leges, quæ multos fines intuentur, non ad nihilum recidunt,quia aliquis finis ceſſat.lib. 1.q.108.num 3. Niſi finis, qui deſinit,eſſet legi intimus.num.4.

Sterilitatis venena procurantes cóiuges negat Auguſtinus coniuges eſſe.lib.1.q.140.num.4.

Stipulatio eſt contractus ſitus in verbis. lib.3.q.5. num.7.

Stipulatio,pactio,promiſſio turpis,& contra bonos mores nullam parit obligationem, nec ante factum,nec poſt factum.lib.3.q.5.in qua hac de re vberrimè.num.2.& ſeqq.

Stipulatio, & promiſſio, quo alter prouocatur ad malum,& eiuſdem ſpeciei crimen eſt & alterius diuerſi ab eo, ad quod ſtipulationis ſocius inuitatur. lib.3 q.5.num.2. Argumenta contra ſententiam noſtram de turpi ſtipulatione, & promiſſo diluuntur.num.14.

Stipulatio inter ſcortatorem, & meretricem nulla eſt.lib.3.q.5.num.8.& 12.

Stipulationum ciuilium iura in ſtipulationes ſponſalium accommodari non poſſunt. lib.1.q.145. num 4. Multa notantur diſcrimina in eod.num. Ciuilis ſtipulatio non contrahitur nutibus, nec literis.

Stratonis Lampſaceni philoſophi impij teſtimonio ſacri ordinis comprobatur immunitas lib.1. q.92.num.4.

Stuprator promittens connubium virgini ducere eam debet vxorem lib.4.q 16.num.3. Quid de ſtupratore, qui dolo, aut mendacio, aut importunis precibus in ſtuprum illexit virginem. lib. 4.q 16.num.5.

Stuprator cognoſcens mulierem corruptam, quæ incorrupta habebatur, pro erepta fama ſatisfaciet. lib 4.q.16.num 7.

Stupratori ſi ſponte obſequitur virgo,nihil ei à ſtupratore debetur:ſic multi. lib.4.q.16.num.5. Sed D.Ant. vult placari debere patrem virginis: & Angelus eamdem in bono ſtatu locari. num.6. Caietanus putat contra iuſtitiam à ſtupratore agi, cùm virginem cognoſcit aſſentiente illa,& eius patre.num.eod.

Stupratori lex humana non ignoſcit: ſtupratæ virgini parcit lib.4.q.16.num.6.

Stupratores ſtupratis virginibus quid præſtare debeant.lib 4 q.10.num.1.& ſeqq. Promiſſio futuri connubij ad extorquendam copulam vim habet importunarum precum. lib.4.q.16.nu.4. Leges contra ſtupratores diuinæ,canonicæ,& ciuiles recitantur.ead.quæſt.num.1.

Stuprum peccatum eſt non ſolum luxuriæ, ſed etiam iniuſtitiæ: multiſque fit iniuria,dum ſtupratur virgo.lib.4 q.16.num.6.

Stuprum offertur virgini, quamuis virtutem ipſam virginitatis amiſerit,aut ſignum virginitatis perierit lib.4 q.16.num.7.

Subdiaconus quando recipiat characterem. lib.1. q.52.num.1.& ſeqq.

Subreptio doloſa vitiat omnia contenta in reſcripto, ſed non doloſa vitiat tantum eam partem, cuius eſt cauſſa.lib.1.q 104.num.6.Taciturnitas veri,& ſuggeſtio falſi ſunt paria.num.6. Litteræ tamen impetratæ ad lites non fiunt nullæ ex ſubreptione num.8. Refellitur opinio Nauarri, qui negauit reſcripta Epiſcoporum nulla reddi propter ſubreptionem,in eadem.q.9.& 15.Curiæ conſuetudo planè conſentit cum decretali ſuper literis de reſcriptis in ead quæſt.num.13.

Subuenire neceſſitati alterius non tam opus eſt caritatis,quam iuſtitiæ.lib.4.q.31.num.9.

Succeſſor in beneficio prædeceſſoris debita pro neceſſitate Eccleſiæ contracta ſoluere debet.lib.1. q.87.num.2.& 3.

Superſtitionibus, ſuperſtitioſiſq; hominibus, atque ex

Digitized by Google

ex aſtrorum inſpectione prædicentibus in iis, quæ ad Chriſtianam, politicámve vitam pertinent credere, & obtemperare graue flagitium eſt. lib.4.q.33.num.2. Diuinarum ſcripturarum teſtimoniis prædicta aſtrologorum confutãtur, & rationibus. num. 3. & ſeqq. Vide in verbo Aſtrologus.

Superſtitionis ne culpa contracta à muliercula ſit, quæ placentula conſperſa rore, qui collectus erat nocte D. Ioannis Baptiſtæ recitato Euangelio S. Ioannis, In principio, curabat morbos. lib. 4.q.3. Demonſtratur genus hoc eſſe ſuperſtitioſum multis modis num.2 & ſeqq.

Superſtitioſum ſignum, & pactio inita cum dæmonibus eſt adhibere cauſſas naturales ad effectus, quos ſuis viribus non queunt efficere ex D.Tho. lib. 4.q.3 num.3.

Supinum opponitur prono. lib. 5.q.2.num.7. Quot modis vſurpetur ſupinum. ibidem.

Sordaſter ſit ne irregularis. lib.6.q 55.nu.2.& 3.

Suſceptorum, ſeu ſponſorum quæ erant verba ex Dionyſio Areopagita. lib.1.q 137.num 4.

Suſpenſio ſubiri ne poſſit ſine culpa. lib. 6.q.46.n.1. & ſeq Probatur ex nonnullis locis Concilij Tridentini ſubiri poſſe. num.3.& ſeq. Quando ſubitur ob culpam ſuam, vel alterius probabile eſt debere eſſe mortiferam. num.7.

Suſpenſionem parochus ſponſi non incurrit, qui ſponſum, & ſponſam benedixit, cum ea benedictio ex ſtatuto ſui Epiſcopi pertineret ad parochum ſponſæ. lib.1.q.19.num.2.

Suſpenſus eſt, qui in ætate non legitima ſuſcipit ordinem ſacrum. lib.6 q.43.num.1.

Suſpenſi ne ſint ipſo iure, qui extra tempora ſtatuta à iure; vel ſcienter ante legitimam ætatem: vel ſine legitima facultate ordines ſuſcipiunt. lib.6.q.37. Sunt ſuſpenſi ex conſtitutione Pij II. quam renouauit Xiſtus V. in conſtitutione ſua cõtra clericos malè promotos, & Clemẽs VIII. conſtitutione, qua moderatus eſt illam Xiſti V. contra clericos malè promotos. num.2.

Suſpenſus non poteſt percipere fructus beneficij. lib 6 q.42.num.3.

Suſpenſus ab officio per canonem, ſit ne ſuſpenſus à beneficio: nam ſi ſuſpenſus ſit per ſententiam, magnis doctoribus placet huius ſuſpenſi beneficium ipſo iure vacare. num.5.

Suſpenſus, & irregularis non eſt capax beneficij. lib.6.q.64.num.1. Item nec interdictus, nec excommunicatus.

Suſpenſus ne ſit, qui ementito titulo ſuffuratur ordines ab Epiſcopo: & num debeat eum Epiſcopus alere lib.6.q.38. Suſpenſus videtur ex Canone, Neminem Concilij Chalcedonenſis, ex Canone Vrbani II. ex conſtitutione Clementis VIII. num.1. Nec videtur cogi poſſe Epiſcopus victum præbere decipienti. num.2. Incidunt tamen nonnulla tempora, cùm Epiſcopus debet alimenta fallenti clerico. num.2. Nec ſolum ipſe, ſed etiam eius heredes. num.3. Debeat ne Epiſcopus cuiuis clerico, qui ſine vitio ſuo, ſine titulo ordinem ſuſcipit ſuppeditare victum. num.4. Toletus à Concil. Trident. ſcribit ex reſponſo factæ congregationis Cardinalium renouatum eſſe canonem tantum Innocentij III. Cum ſecundum Apoſtolum: ſed Nauarrus lib.1. ſuorum conſiliorum. conſil. 14. de temporibus ordinationum probat Canonem Neminem, & Canonem Sanctorum multò antiquiores renouatos eſſe ab eod. Concil. Mirum latuiſſe tantum Doctorem reſponſum illud, de quo teſtatur Toletus num.4.

Suſpicari de aliorum vita ex leuibus coniecturis non eſt culpa lethalis. lib.4.q.46.num.2.

Suſpicio *eſt opinio ex leuibus indiciis orta.* lib.4.q.46. num.3. Non reperitur abſque fide, & perſuaſione. num.3. Non eſt electio. num.5. Non eſt in noſtra poteſtate, ſicut nec opinari. num 5 Ad humanam tentationem pertinet, ſine qua hæc vita non ducitur. num.6. Triplex eius gradus ex D.Thoma. nu.6. Gloſſa facit triplicem ſuſpicionem, temerariam, probabilem, violentam. num. 10.

Suſpicio conſiderari poteſt ſpeculatiuè, & practicè: hoc tantum ſecundo modo eſt peccatum lib.4. q.46 nu.4. Suſpicio, quæ infirmum habet aſſenſum, non habet propriè vim contemnendi proximum, nec infamia eundem afficiendi num. 11.

Suſpicio ex leuibus coniecturis ad leuia peccata refertur à doctoribus. lib.4.q.46.num.6.

Syncopa, & ſyncopare, verba ſunt Græca, quid ſignificent. lib 1.q 67 num.1.& 2. Qui cum ſyncopa officium recitat, præcepto non ſatisfacit. num 2.

Synodus VIII. typis impreſſa Latinis valde mutilata eſt, plenámque ipſe vidi in D. Marci bibliotheca inter libros Cardinalis Beſſarionis deſcriptam ab Anaſtaſio Vaticanę bibliothecæ præfecto, atque ab eodem ex Græco in Latinum conuerſam: nam neque integra in codicibus Græcis habetur. lib 6 q 35.num 5.

Synodorum particularium, & capitulorum conſtitutiones incipiunt obligare à die notitiæ habitæ. lib.1.q.109.num.8.

T

Taciturnitas in matrimonio habetur pro diſſenſu. lib.1.q.113.num.12.

Tactiones voluptarias coniugum inter ipſos, niſi referant ad exercendum actum coniugij, multi Doctores graui auctoritate credunt eſſe culpas mortiferas. lib.1.q.134.num.4.& 8.

Tactus impudicus dupliciter intelligitur. lib.1.q. 134.num.4.

Tactus, qui nec deformitatem, nec vllam turpitudinis ſpeciem habent propter dubium peccatum tangentis, aut oſculantis, non ſunt neceſſariò reſpuendi. lib.4.q.21.num.2.

Tactus,oſcula, amplexus teſte D.Thoma ſecũdum ſuam ſpeciem peccata non ſunt lib 4.q.20.nu.2. Peccata euadunt mortifera cùm ſunt libidinoſa, ex eodem,aliíſque Theologis.num.3.

Tactus venerei,& voluptates ; quæ ad coniugalem actum non referuntur,ſunt ne inter coniuges flagitia, æterno ſupplicio digna.lib.4.q.22. enunciato 1.& 2.

Tactus in Sacramentis baptiſmi, & confirmationis pertinent ad eſſentiam cognationis ſpiritualis inter ſuſcipientem, & ſuſceptum.lib.1.q.137.n.4.

Telemachus apud Homerum dixit *nondum cuiquam notum ſuum eſſe patrem*.lib.7.q.11.num.3.

Temeritas, & arrogans fiducia eſt, media ſalutis optare, ſibíque promittere veluti è noſtræ naturæ viribus aptata lib.4.q.52.num.2.

Tentare Deum numquàm licet : nam id eſt protenſtari,vt inquit D.Thomas,dubitationem diuinæ excellentiæ lib 6.q.16.num.7. Tentatur autem dupliciter,expreſsè,aut interpretatiuè.ibid Tentatur, cùm reſpuuntur cauſſæ ſecundæ ſine vtilitate,& neceſſitate ex Caietano.ibidem.

Teſtamentúmne condere poſſit puer tredecim annos,& quattuor menſes natus.lib.7 q.2.nu.1.& 2. Non poteſt,ibidem. Sufficiat ne compleſſe quartuordecim annos,an ſit neceſſe exceſſiſſe.nu.2.

Teſtamentum ob piam cauſſam factum, nutu valet.lib.7.q 7.num 11.

Teſtamentum ſolemne,ſi poſt ſe habeat aliud non ſolemne, nec eſt, nec dici poteſt teſtamentum. lib.7 q.8.num.1.Vide quæſt.1. eiuſdem lib. vbi vberrimè de tota re.

Teſtamentum non ſolemne, præſertim cùm ſolemnia non fuerunt in manu teſtatoris, valere multis auctoritatibus, & rationibus oſtenditur. lib.7.q.1.

Teſtamentum ob piam cauſſam factum præſentibus duobus teſtibus fixum, & ratum. lib.7. q.1. num.3.

Teſtamentum ſciens qui condit,quod à iure naturæ,vel gentium more non recedit,legitimum, & perfectum eſt iure conſcientiæ. lib.7.q.1. num.5. & ſeqq.

Teſtamentum *eſt vltima voluntas, ſiue adſit,ſiue abſit ſolemnitas*.lib.7.q.1.num.8.

Teſtamentum non ſolemne, teſtamentorum executores,ſi ſciant illud eſſe vltimum, exequi debent ex D.Ant.lib.7 q.1.num.9. Solemnitas teſtamenti pertinet ad eius tantum probationem, non item ad ſubſtantiam.num.11. Verba teſtamenta condentium non reperta ſunt, quæ impediant voluntates teſtantium,ſed quæ indicent ex M.Tullio.num.13. Voluntas teſtantium antiquior eſt iure ex Plinio iuniore.num.13. Indicium Plinij iunioris de teſtamento non ſolemni idem quod noſtrum.num.14.Plinij ſententia eadem,quæ Imperatoris Traiani,ad quem ſcribere ſolitus erat.num.14.

Teſtamenti corruptorum pœna, quænam ſit.lib.7. quæſt. 16. num.20.

Teſtamentum perfectum facere cupiens linguæ, manuúmque orbatus muneribus,illud vſque ad hæredis inſtitutionem perduxit : Quæritur an ratum ſit teſtamentum. lib. 7.q.3. Ratum fuit. num. 1. & 2. Venetiis huiuſmodi teſtamenta quotidie conualeſcunt.num 2.

Teſtamento hæc omnia cauet Sempronius,vt Berta ſpuria, ſeu non ex legitimo connubio ſuſcepta,ſibi ſit heres ; cùm à principe effecta fuerit legitima:Bertæ ſubſtituit loca pia : nonnullis aliis perſonis turpibus certam ſummæ pecuniam legat : Antiochus frater Sempronij ementito quodam teſtamento totam mentem, & quidquid geſtum eſt à Sempronio corrumpit. Quæſit idem Antiochus quid ab ſe agi oporteat.lib. 7.q.16.De tota re longiſſimè diſſeritur. Peccata multa Antiochi numerantur.nu.18. Omnia iure feciſſe Sempronium probatur:Bertam fuiſſe heredem : Ad loca pia peruenire debere hereditatem,ſi eam non eſt Berta adepta.

Teſtatoris mens debet attendi, & ſeruari:poteſtq; colligi ex probabilibus coniecturis. lib.7.q.8.n. 4.& talibus coniecturis eam interpretari debemus. eod.lib.q.13.num 4.

Teſtatorum voluntatibus morigerati debemus, cùm iuſtæ ſunt,nec legibus contrariæ. lib.7.q. 7. num. 13.

Teſtatorum,legantiúmque mentem iugulare,hominis eſt impij.lib.1.q.70.num.10.

ſi Teſtator relinquat Ordini religioſo minorum, qui hereditatem capere non poſſunt, & iis ſubſtituat alium : hic aſſequetur hereditatem. Nec non totam aſſequeretur, ſi fuiſſet ex teſtamento eorundem religioſorum coheres.lib.7.quæſt.16. num.17.

Teſtes minus digni pro Reo præferendi ſunt minùs dignis contra Reum ex Felino. lib.4.q.45. num.3.

Teſtis falſus eſt, non ſolùm, qui mentitur, ſed etiam,qui veritatem occultat, quam eloqui debet.lib.1.q.104.num.4.

Teſti vni ſæpe creditur, præſertim,cum aut de peccato, aut de non legitimo matrimonio impediendo agitur.lib.1.q.112.num.3.

Titulus de reſcriptis non ſolum Pontificis Romani,ſed aliorum etiam epiſcoporum,maiorúmque Prælatorum amplectitur reſcripta. lib.1 q 104. num 9.& 10.

Toleratus in excommunicatione qui nam dicatur. lib.6.q.25.num.3.

Tonſura prima quæ nam habet priuilegia. lib.1. q.54.num.2.

Tractu temporis non firmatur, quod de iure ab initio non ſubſiſtit, ex regula iuris. lib.3. quæſt. 40. num.3.

Traditiones quoque ius efficiunt diuinum. lib.1. q.3.num.15.

Tranſactio ſit de re dubia.lib.7.q.15.num.3.

Tranſa

Tranſactio, cui fraus, & calumnia cauſſam adfert eſt nulla. eod. num.
Tranſactio inualida non validatur iuramento ex Panormitano. li.7.q.15.num.5. Tranſactio perimit iura omnia propria tranſigentium. num.4.
Tranſactio de futuris alimentis ſine auctoritate præſidis, vel iudicis eſt nulla. lib.7.q.15. num.5.
Tranſactio facta in ludo alearum non valet. lib. 5. q.10.num.5.
Tranſigens aliquid donare videtur. lib.7.q.15.n.5.
Tributum ne ſolui debeat Principi è bonis Eccleſiæ. lib.1.q.94.num.3.
Tritico pane in conſecrando Chriſti corpore apud Iaponios ſemper ſunt vſi Chriſtiani ſacerdotes. lib.1.q.41.num.14.
Tutela, & procuratio Reip. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa, gerenda eſt. lib.1.q.85 num.1.
Turcarum Rex eſt verus Tyrannus. lib.4.q.40.n.1.
Tutor quam culpam præſtet ob damnum datum pupillo, & ad quæ teneatur curator ob damnum allatum minori. lib.1 q.83.num.2.& q.84.
Tutoribus, & curatoribus non imputantur caſus fortuiti, ſed de negligentia, & dolo tenentur. lib.5.q.19.num.7.
Tyrannus non habet legitimum ius imperandi aliis. lib.4.q.40.num.1.

V

VAcans beneficium non legitimè impetratur à Romano Pontifice, niſi ei ſignificetur vacare quoque de facto. lib.1.q.80.num.1.
Vaſalli num onere ſubiectionis liberentur propter excommunicationem dominorum. lib. 6 quæſt. 54.num.6.
Vectigal iuſtum quod nam exiſtimari poſſit. lib.4. q.36.num.2.
Vectigal iuſtum imponere quis nam poſſit. in ead. q.num.2.
Vectigalium finis iuſtus, qui nam ſit. lib.4.q.36.nu. 4. Forma iuſti vectigalis in geometrica proportione conſiſtit: hæc exigit, vt, qui plura poſſident, ac minus egent, plura conferant; pauciora auté, qui minus habent, & pluribus egent. n.5. Materia iuſtorum vectigalium quæ nam ſit n.6. Conſuetudo imponendi vectigalia in rebus ad victum ſpectantibus defendi ne poſſit. num.7.
Vectigal pæne omne à canone improbatur: quia difficile eſt vnum aliquod reperire, quod ſit omnium quatuor cauſſarum iuſtitiæ communitum. lib.4.q.36.num.8.
Vectigal Clericis nullus profanus Princeps imponere poteſt. lib.4.q.36.num.3. & q.30. num.4.
Vectigal à veteribus Romanis imponebatur per æs, & libram. lib.4.q.36.num.5.
Vectigal cenſendum ne ſit iuſtum, in quod plus conferunt exteri homines, quàm indigenæ. lib.4. q.41.n.1.& ſeqq probatur eſſe iniuſtum iiſdé nu.
Vectigal iuſtum ſine peccato fraudari non poteſt. lib.4.q.35.num.1.
Vectigal iuſtum fraudantes reſtituere debent. in ead.q.& eod.num.
Vectigal, quod dubiam iuſtitiam habet ſoluere nemo cogitur. lib.4.q.35 num.2.& ſeqq.
Vectigalis iuſtitiam inueſtigare debent ſacerdotes, vt admonet Angelus. lib.4. quæſt.35.num.4. Vectigalia quæ fraudari poſſunt ſine peccato. in ead.q. num.4.
Vectigalia etiam iuſta fraudare poſſunt ij, quibus illatum eſt damnum à Principe. lib.4. quæſt.35. num.4.
Vectigalia, & tributa ſtipendia ſunt, quæ debentur moderatori Communitatis, communiáque ſunt neceſſitatum ſubſidia. lib.4.q.35 num.1. in fine.
Vectigal imponere ne potuerit Princeps ciuibus ſuis inuitis ad ſuum ipſorum æs alienum diſſoluendum. & num clerici voluntarij poſſint id oneris ſuſtinere. lib.4.q.37.n.1. Clerici ſine Romani Pontificis aſſenſu nequeunt illud onus ſubire, in eod. n. quale deberet eſſe iſtud vectigal, vt ciues illud repudiare non poſſint. nu. 2. Hoc vectigal externi, & peregrini non poſſunt cogi, vt ſoluãt. in eod.num.
Vectigalis ſoluendi onus num ſibi poſſint clerici ſponte imponere. lib.1.q.95. num 1.& 3.
Vectigal conceſſum fuit Dynaſtæ à ſuo ſummo Principe librarum centum mille, quæ tunc maiorem, quàm nunc efficiebant ſummam aureorum nummûm. Quæſitum eſt, poſſit ne Dynaſta immutare æſtimationem antea, vt veterem ſummam aureorum recuperet. lib 4.q.38.n.1.& ſeqq. oſtenditur iure à Dynaſta fieri non poſſe num.1, & ſeqq.
Vectigal ad egentium neceſſitates ſublenandas nũ ſic iuſtitui à Regulo poſſit, vt in ſingulas olei libras pretium quadrante augeatur. lib.4.q.39.n.1. & ſeqq. Oſtenditur iniuſtum hoc eſſe vectigal multis argumentis. n.4. probatur non eſſe collectam, ſeu auctum pretium. num.2.& 3.
Vectigalia impoſita à Romano Pontifice pro iuſtis habenda ſunt. lib.4.q.35. num.5.
Vectigalia imponentes Principes vetita à Romanis Pontificibus in canone 5. bullæ cœnæ, excommunicationem incurrunt Romano Pontifici reſeruatam. lib. 4.q 36.num,1.
Vectigalia, & Tributa impoſita à Rege Turcarum poſſint ne iuſtè à Chriſtianis fraudari. li.4.q. 40. num. 1. & ſequentibus. probatur fraudari poſſe iiſdem num.
Vela, quæ traduntur monialibus, quinque. lib.4.q. 19.num.1.
Velum ſtuprata Virgo ingrediens religionem ſumere nequit. lib.4.q 19.n.1.& quamuis eſſet violenter ſine ſua culpa corrupta. li.4 q.18.n.4. neq; externi ſigni. Virginalis cuſtodum ſatis eſt ad Virginum ſacrum velum capeſſendum. n.3. Epiſcopus conſecrans occultè corruptam, mutare

poteſt nomen Virginitatis in nomen caſtitatis.n. 3. Verum,ſi is ſcit in ſacramento pœnitentiæ eſſe corruptam, Virginum velum ei negare non poteſt.eod.num.

Vendere nunc oleum pondere,aliàs menſura,ſecus aliquanto quàm lex præſcribit Venetiis num liceat.lib.3.q.21.

Vendere num tibi liceat fundum tuum, cuius eſt pretium mille:& quia non ſoluitur nunc, niſi dimidiũ pretij poſſis alterius partis venditæ fructus reſeruare tibi,donec reliqua pecunia ab emptore numeretur.lib.3.q.18.n.1.& ſequ. Oſtenditur non licere.num.3.& ſeqq.

Vendere ne mercator poſſit frumentum eo precio, quo nunc emitur, admonitus literis amici, frumenti pretium breui multo vilius futurum.lib 3. q 32.n. 1. & ſeqq.probatur mercatorem vendere poſſe præſenti pretio.num.4.

Vendibilis res non eſt, quia ſit ens,ſed quia vtilis.l. 3.q.5.num.10.

Vendicare rem noſtram priuato iure non licet.lib.3. q.23 num 2.

Venditor non debet ex natura contractus in rem emptoris expenſas facere. lib.3.q 28.num.7.

Venditori liceat ne pretium non receptum tradere emptori tamquam mutuum petens ab eo, vt eam pecuniam tamquam mutuam ſibi datam ſcripto publico fateatur. lib. 3.q.17.num.1. & ſeqq. Non licere id probatur.

*Venditio, & emptio commutatio eſt rei vtilis cum numiſmate.*lib 3.q.18.num.11.

Veneficæ ſacrum oleum poſcenti ad ſuperſtitionis flagitium profanum, & vulgare dat clericus: an hic peccauerit. lib.3. q. 13. Docetur multifariam clericum peccaſſe grauiter.num 1.& 2.

Veneficas, & ſagas qui ad ſacræ inquiſitionis Indices deferre nolunt,abſolui ne poſſint in ſacramẽto pœnitentiæ.lib.4.q.7. Abſolui non poſſunt. n. 1.& ſeqq. Quid conſilij dandum ſit monialibus, quibus malefica femina nota eſt. num.3.

Veniæ ſpe peccare, & voluntate pœnitendi augeat, an minuat potius peccatum.lib.4.quæſt.52.num. 1.& ſeqq.

Verba intentioni ſeruire debent, non intentio verbis ex D. Greg.lib.6.q.11.num.9.

Verba vim,& ſpeciem animi,non ſecus quàm rerum formas ſpecula effingunt.lib.4.q.9. num. 10.

Veriſimile, & quod fere fieri ſolet, & non rarò, in humanæ vitæ rationibus ſequi debemus. lib. 9 q. 1.num.3.

Veriſimile non idem quod probabile apud Ariſt. li. 1.q.124.num.10.Quid vtrumque.ibid.

Veritatis indagandæ obſtruere ſibi vias in motum diſciplina, grauis eſt culpa. lib.5.q.15.n.2.Nemo poteſt eligere longiùs abeſſe, quàm propius abeſſe à veritate.ibid. Ad veritatem nati ſumus ex Ariſtotele. ibid. Quibus coniecturis aſſequimur veriſimile, iiſdem ad veritatem peruenimus ex eodem ibidem.

Venationis redemptio locum non habet in re ſpirituali, in qua redimenti non eſt ius aliquod acquiſitum.lib.1.q.80. num 2. Pro iniuſta tantùm vexatione, & pro iure ſuo retinendo licitum eſt pecuniam dare. eod.num.

Viatici ſumẽdi in articulo mortis neceſſitate exſoluitur is,qui Chriſti corpus ſuſcepiſſet,paullò antequam in morbum incidiſſet. lib. 1.q.43.nu. 1.& 2.

Vim vi repellere omnes leges,omniáque iura permittunt ex decretali Alexandri 3.lib.4 q 10.num.9.

Vinum nigrum, & album ſpecie non differunt.lib. 1.q.4 .num.14.

Virginitas quid ſit.lib.4.q.10.num.2.

Virginitas virtus eſt.lib 4.q 18.n.2.etiam ſine voto.q. 17.num.4.

Virginitas conſiderari poteſt dupliciter, naturaliter.& moraliter ex Caietano.lib.4.quæſt.17.numer.4.

Virginitatis materia quænam ſit. lib. 4. q.17. nu. 1. & 3.

Virginitatis forma cùm perit, recuperari poteſt pœnitentia,cum perit materia,non recuperatur. lib.4.q 17. num.3.

Virginitati integritas vaſorum nec materiam, nec formam præbet ex D. Thom.lib.4.quæſt.18.numer.3.

Virginitas num amittatur propter pollutionem,in qua non ſuſcipitur culpa mortifera.lib.4 q.18.n. 2 In eius amiſſione non ſemper eſt neceſſaria ſeminis reſolutio. n.6. Mulieres quot modis eam amittant.num.5.

Virginitas perit ob voluntariam ſeminis reſolutionem ex D.Thom lib.4 q.10.num. 1. & 3. Ita vt recuperari non poſſit. ibidem. Eius eſſentia ſita eſt in anima n.2.& q.18.num.2.Integritas inſtrumentorum per accidens ſe habet ad virginitatem.lib.4.q.10.n. 2.& 3. Puer non capax doli eã non amittit.num. 1. Vtrum amittatur per impudicos actus,& concubitus in iis, qui non poſſunt emittere ſemen.num.5.

Virginitatem feminæ, antequam mares, poſſunt amittere.lib.4.q.17.num.4.

Virginitatem non amittit puer, qui nequit effundere ſemen,quin recuperare poſſit. l.4.q.17.n.5. Quis ſecus ſenſerit vide in eod.num.Num ebria mulier, num vigilans qui optauit pollutionem, num qui obſcœni alicuius flagitij cupiditate cõmaculatus proficiſcitur ad quietem, virginitatẽ amittant,ſi dormientes polluantur. lib.4.quæſt. 18 num.5.

Virginitatis certa ſigna an dentur.lib.1.q.113.nu. 13.

Virginitatem corrumpentia tria ſunt. lib.4. q.17. num.2.

Virginitate non amiſſa poteſt quis effici pater, aut mater ex D.Aur.lib.4.q.18.num.3.

Virgo ſignaculi virginalis non eſt domina. li.4.q. 16.num.6.

Digitized by Google

Virgo, vt in domicilium corruptarum mulierum cooptaretur, ſalutis æternæ adipiſcendæ, pudicitiæque tuendæ cauſſa, mentitur ſe fuiſſe corruptam. Quæritur num reuocare ſe debeat, tútſque ei ſit in earum mulierum domicilium commorandi. lib.4.q.54.

Virtus naturalis, & moralis quid. lib. 6. quæſt. 55. num. 3.

Virtus omni arte certior, & melior. lib.5. quæſt. 10. num.2.

Virtus non vult ſe mercede conduci. lib.3.quæſt.6. num 8.

Virtus ſe ipſam, & prauitatem intelligit: prauitas neque virtutem neque ſe ipſam agnoſcit ex Platone. lib.5.q.11 num.10.

Virtutis proſapia probati viri eſt genus ex D. Amb. lib.4.q.46.num.14.

Virtutis eiuſdem eſt operari ſecundum eam, & canere contraria.lib.4.q.56.num.3.

Virtutis opus eſt pœnam ſuis flagitiis impoſitam ſuſtinere.lib.4.quæ.14.num 2. Vitæ præferri debet. num.2. Eius amor ad Dei caritatem refertur ab Origene num.2.

Virtuoſus eſt menſura in omnibus operibus humanis.lib.1 q 22.num.4.

Virum noluit Deus vxori obligari in iis, quæ ſunt contra rectam naturæ inclinationem ex Richardo & Durando.lib.1.q 136 num.3.

Vita æſtimationem non recipit.lib.4.quæſt.11. numer.2.

Vita corporis amittenda, ne amittatur animæ.lib.1. q.140.num.2.

Vita noſtra non ſemper pluris, quàm alterius æſtimanda eſt. lib 5.quæſt.7. num.6. Neque conſeruanda eſt cum iniuria alterius: debéſque alterius vitam magis diligere, quàm tuam cum iniuria alterius, atque iniuſtitia coniunctam. eod.num.

Vitium naturæ, & moris quid ex Ariſtot. lib.6.q 55. num 3.

Vitium corporis, aut defectus natalium repellit à dignitatibus, & ſacerdotiis.lib.1.q.72.nu.5.

Vitium, flagitium, peccatum nomen eſt non circumſtantiæ, ſed prauæ qualitatis, ſeu actionis, cui circumſtantiæ adueniunt.lib.5.q.5.nu.2.

Vitiati corpore promoueri non poſſunt. lib.6. q. 55. num.3.

Viuere centum annos quis præſumitur ex Bartolo. lib. 1.q.127.num.4.

Vlciſci nemo ſe debet lib.1.q.142.nu.5.

Vnctionem extremam, & Euchariſtiam poſſit ne miniſtrare religioſus ſacerdos ægroto, cuius eſt deſperata ſalus.lib.1.quæ.44.nu.1. Probatur non poſſe.num.2. & ſeqq.

Vnio beneficiorum quando cenſetur legitima. lib.1. q.73 num.3.

Vltima voluntas teſtatoris quamuis non ſit legibus ciuilibus munita ſeruanda eſt. lib.7.q.16.nu.17.

Vltimarum voluntatum commutatio iuſtam, & neceſſariam ob cauſſam fieri debet.lib.7.q.9.num.2. ex Concilio Tridentino. Eius commutandæ quãdo ademptum ſit ius Epiſcopo. num. 3. In commutatione iuſta vltimarum voluntatum virtualem, & interpretatiuam teſtatorum mentem ſequuntur Epiſcopi num.4.

Voces Eccleſiæ ſunt non ſolum eius iuſſa, ſed etiam Dei, & naturæ.lib. 5.q.3.nu.5.

Voluntarium quid ſit.lib.6.q.58.nu 3.

Voluntarium ſine cognitione, & appetitu non conſiſtit.lib.1.q 33.num.2.

Voluntarium tollitur per errorem. lib. 3. quæſt.1. num.2.

Voluntatem diuinam ſeptem nobis enunciant. lib. 5.q.15.nu 9. Quibus ſeptem ratio priuata vniuſcuiuſque credere debet.ibid.

Voluntatis, & actionis humanæ duplex norma: vna remota, quæ Dei eſt voluntas: altera homogenea, quæ eſt humana ratio. ex D.Thoma. lib.5.qu.15. num.8.

Voluntas humana eſt erratica, & vaga. lib. 4.qu.33. num.4.

Voluntatis interioris actus latent angelos. li.4.q.33. num.4.

Voluntas cogi non poteſt coactione abſoluta, ſed conditionata.lib.3 q 2.nu.3.

Voluntas dupliciter declaratur ex D. Thom. tum verbis, tum factis: & factis quando multiplicantur, efficaciùs indicatur.lib.1 q.124.nu.2.

Voluntas pręcipientis explorata per ſe obiectum eſt obedientiæ ex D.Thom.lib.6.qu.31.num.2.

Voluntas vltima teſtatoris violari nullo modo debet: multis canonibus probatur. lib.7.q.14.nu. 5. Cur id faciat Eccleſia.num.6. Cui etiam leges ciuiles adſtipulantur. eod.num.

Voluntas vltima defuncti omnibus modis conſeruari debet ex canone D.Gregorij. lib.7.q.1.nu.8.&.q.6. num. 4.& q.8.nu.2.

Voluntas teſtantium antiquior eſt iure ex Plinio iuniore.lib.7.q.1 num.13.

Voluptas talis eſt, qualis actus, à quo fluit. lib.1.qu. 134.num.1.

Voluptates ſuarum actionum naturam ſequuntur. lib.3 q.5.num.10.

Voluptas ita cum actione hæret, vt actio eſſe videatur ex Ariſtot.lib.3.q.5.nu.10.

Voluptati actionis nemo pretium pendet, ſed ipſi actioni.lib.3.q.5.num.10.

Voluptas libidinoſa quænam ſit. lib.5.q.20. num.5. propoſitione 3.

Voluptas venerea comparata eſt à natura ad licitam generationem.lib.1.q 134.n.3. Criminoſa eſt, niſi referatur ad legitimam corporum commiſtionem.num.4.

Voluptas venerea fabricata à natura ad concubitum maris, & fœminæ, atque ad ſpeciem propagandam.lib.4.q.22.num.2.

Voluptuoſum opus malum non præmium, ſed ſupplicium apud Deum, & homines meretur. lib. 3. q.5.num.10.

Votum eſt actus latriæ, & virtutis religionis. lib. 2. q. 19. num. 1.

Votum eſt promiſſio rei, quæ accepta eſt Deo, & eſt actus religionis. lib. 2. q. 14. n. 1.

Votum eſt rei futuræ, non præteritæ. lib. 1. q. 19. n. 3.

Voti finis eſt acquiſitio rei, quæ ad vouendum animum vouentis impulit. lib. 2. q. 15. nu. 2. Medium acquiſitioni debet eſſe honeſtum. ibidem.

Voti obligatio vnde oriatur lib. 2. q. 2. nu. 4.

Votum requirit materiam honeſtam, & finem honeſtum. lib. 2. q. 1. nu. 7. Vide q. 19. nu. 1.

Votū debet eſſe de actu virtutis. li. 2. q. 1. n. 5. & q. 19. n. 1. Debet habere eoſdem comites quos iuramentum, veritatem, iudicium, & iuſtitiam. eod. num.

Votum debet eſſe actus meritorius ex Franc. Mairone. lib. 2. q. 1. num. 5.

Votum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. lib. 2. q. 14. num. 1.

Votum ſimplex conſiſtit in ſola promiſſione Deo facta; ex iure diuino efficaciam habet, quod humano iure tolli non poteſt ex D. Thoma. lib. . . q. 7. num. 2. Quæ ætas apta voto ſit num. 1 & ſeqq. Ad voti obligationem, quæ deliberatio ſit ſatis. num. 1. & ſeqq.

Vota vitioſa ſunt, quæ vitioſum finem habent. lib. 2. q. 19. num. 1. & ſeqq.

Votum magis pendet à fine, quàm à materia ex Richardo lib. 1. q. 19. nu. 1. & lib. 2. q. 1. n. 6. Conditio inhoneſta informans promiſſum, vitiat votum ex Durando. num. eod.

Voti obligatio maior eſt quam iuriſiurandi. l. 2. q. 2. nu. 4. & q. 3. nu 7. & cur eod. 7. num.

Vota, & iuramenta, in quibus peccatur à iurante, ſi culpa ſint infecta mortifera nullam habent obligationem, niſi ad peccatum, & pœnam æternam. lib. 2. q. 1. num. 5.

Votum ſimplex cur praua mente efficiatur nullum, votum ſolemne non item. lib. 2. q. 19. nu. 4.

Votum continentiæ non ſolemne non dirimit matrimonium, excipe votum continentiæ ſimplex in Religioſis Societatis Ieſu non profeſſis. lib. 1. q. 121. num. 6.

Vota in ſeculo emiſſa euaneſcunt, cum quis Religionem profitetur. lib. 2. q. 12. nu. 1. & 2. V. de in verbo Profeſſus.

Vota perſonalia teſtatorum ad hæredes non tranſmittuntur, realia tranſmittuntur. lib. 1. q. 13. nu. 1. & lib. 2. q. 10. num. 2.

Votum non certum num promiſſo coniugio obſtet. lib. 2. q. 18. num. 2. & ſeqq.

Votum, de quo à vouente dubitatur, obligationis vinculum habet. lib. 2. quæſt. 18. num. 2. & ſeqq. In votiuis obligationibus magis fauendum eſt voto quàm vouenti: & cum ambigua eſt quæſtio, eſſet Apoſtolica ſedes conſulenda. lib. 1. q. 7. num. 4.

Votum ingrediendi Religionem à puero ſeptenni nuncupatum, poſſit ne à Patre poſt quartum decimum annum irritari. lib. 2. q. 7. nu. 5. & ſeqq.

Vota impuberum poſſunt ab iis irrita fieri, in quorum ſunt poteſtate. lib. 2. q. 7. num. 4.

Votum coactum, & matrimonium coactum, ſi comitem haberent iuſiurandum, egerent diſpenſatione lib. 2. q. 2. num. 5.

Vota quę habent expenſas itineris quomodo commutanda. lib. 2. q. 13. In qua hac de re iuſta habetur diſputatio. Videto num 2 & ſeqq.

Votum factum à matre mille aureos donandi Virgini Lauretanæ, ſi filia non nupta, ſed prægnans moriatur, valeat ne. lib. 2. q. 15. num. 1. & 2.

Votum factum à filia non nubendi cum vllo alio, niſi cum eo, cuius compreſſu grauida fuit, ſit ne firmum, & ratum. lib. 2. q. 15. num. 3 & ſeqq.

Vota, quæ ab Epiſcopis, quæ item à Romano Pontifice ſolo diſpenſentur, & commutentur. lib. 2. q. 10. num. 3. & 4.

Votorum diſpenſatio, quæ ſunt perpetua, ad Romanum pertinent Pontificem ex D. Thom. lib. 2. q. 10. num. 3.

Vota maiora ad Romanum Pontificem ſpectant. lib. 2. q. 18. num. 4.

Vouens de non contrahendo matrimonio, vt vouens licentius voluptatum illecebris fruatur, an valeat. lib. 2. q. 14. num. 1. & 2.

Vouens religionem vniuerſè votum non implet, ſi vnam quampiam experiatur, & ab ea recedit. lib. 2. q. 17. num. 2. Nec ſecus reſpondit Illuſtriſſima congregatio Cardinalium. num. 3.

Vouens ſi ex concubina prolem ſuſceperit, ſe largiturum eleemoſynam, cur valeat votum: ſit autem irritum ſi idem promittit Deo interfecto inimico lib. 2. q. 19. num 4. vide lib. 2. q. 1. num. 8.

Vouere poteſt puer ante pubertatem. lib. 2. q. 7. n. 4. Poteſt ante eam ætatem Hieroſolymitanam peregrinationem ſuſcipere. ibidem.

Vouet Commune ruſticum qualibet ſexta feria Iulij ceſſaturum ſe ab opere. Deuinciat ne votum omnes, qui cōſequentur, eiuſdem Communis ruſticos. lib. 2. q. 10. n. 2. Et de qua ceſſatione operis ſit votum intelligendum. num. 2. Et num ab Epiſcopo aut diſpenſari, aut cōmutari poſſit. n. 3. & 4.

Vſucapio etiam pro præſcriptione à veteribus Romanis, & Iuriſconſultis vſurpatur lib 7. q. 17. n. 1.

Vſucapio nocet negligentibus tantùm. lib. 7. q. 17. Quare impleta præſcriptione res reddenda eſt priori poſſeſſori, vel domino, niſi ei culpa obſit negligentiæ. num. 5. & ſeqq.

Vſucapio interrumpitur, cum quis probabiliter dubitare incipit, ſit ne ſua res, quam poſſidet: nam illa dubitatio perimit bonam fidem, quæ ſuapte natura dubitationem excludit: quæ quidem dubitatio neceſſarium onus reſtituendi poſſeſſori imponit. lib 7. q. 17. num. 3.

Vſucapionis lex ea tempora admittere debet, quæ ſuadet æquitas, vt ad ſuum dominum res, quæ præſcribitur, redire poſſit. lib. 7. q. 17. n. 6. Citantur Theologi, qui aiunt vſucapionem in negligentes valere, atque eorum punire deſidiam. num. 10.

Vſuca

Vſucspionis finis eſt vt innocentia indemnis conſeruetur ex Henrico Gandauenſi. l.7.q.17.n.10.

vſucapione completa quatuor anni dantur à iudice rei domino ad purgandam negligentiæ culpam. lib.7.q.17.num.5.

Vſura triplex, mentalis, pactionalis, exactionalis, vt loquitur Medina. lib.3.q 34.num.5.

Vſura dupliciter accipitur, primum pro peccato vſuræ, deinde pro lucro, ſeu commodo vſurario.l. 3 q.34.num.5.

Vſura ſemper per ſe mala.lib.5.q.10 num. 4. Vide in verbo fœnerator, & fœnus. Pactum de vſura ſoluenda non valet. lib. 1.q.94.num.4.

Vſura ne ſit cenſum tradere ciuitati ea lege, vt, ſi Lucretia ad quintum, & decimum annũ peruenerit, illi ciuitas quingentos in dotem attribuat: ſi antea moriatur, centum lucretur ciuitas. lib.3.q. 25 num.4.& 5.

Vſura eſt, ſi venditor pretium ſibi ab emptore ſoluendum in mutuum conuertat, ne illud amittat. lib.3.q.17 num.2.

Vſura eſt fructus capere ex pignore, & non conferre in ſortem lib.3. q.18.num.5.

Vſuram ne commiſerit cella frumentaria, quæ mutuum dat frumentum egentibus reſtituendum menſe Auguſto cum duodecima parte in ſingulos modios, vt ſit, vnde merces ſoluatur miniſtris cellæ cui ſolutis mercedibus miniſtris poſt centum annos ſuperſunt nunc ad ſeptingentos modios.lib 3.q 35.num.1. & ſeqq. vſuram mons cõmiſit.n.2. Reſtituet autem iis, qui vſuras ſoluerunt, aut eorum heredibus.n 3. Quid remedij excogitandum, ne mons, ſeu horreum publicum pereat.n.3. Papa ſuper vſuram diſpenſare non poteſt. lib.3.q 35.num.5.

Vſus, & vſusfructus qua ratione differant. lib. 3.q. 28.num.1.

Vſus, & vſusfructus ſpectantur in perſona. lib.3.q. 28.n.3. Proprietas, ratio fructifera, & fructus inſunt in fundo, non in perſona.ibid.

Vſum habens fundi non poteſt alienare, quæ percipit: qui habet vſumfructum poteſt. li.3.q.28.n.2.

Vſus aſſiduus vni rei deditus ingenium, & artem ſæpe vincit ex Cic.li.5.q.15.num.6.

Vtilitas vniuſcuiuſque, & vniuerſorum vt eadem ſit, cunctis debet eſſe propoſitum. ex M. Tullio. lib.1.q.71. num.4.

Vviclefſus damnatus eſt in Concilio Conſtantienſi, quia aiebat à poteſtate ciuili Eccleſiaſticos non eſſe exemptos in ciuilibus, & criminalibus.l.1.q. 93.num.2.

Vulnus qui inflixit lethale, ſi ad pœnitentiæ ſacramentum accedat, tamquam homicida audiendus eſt: & ad ſuperiorem mittendus, ſi homicidium ſit reſeruatum. lib.4.q 1 .num.22.

Vxor magis viro ſuo obnoxia eſt, quàm ſeruus Domino ex Palud.lib 1.q.144.num 6.

Vxor poteſt interdum dimitti non expectata Eccleſiæ ſententia lib. 1.q.141.

Vxorem cognoſcens, ſicut meretricem mortiferè peccat.lib.1.q.133.n.4. Nil fœdius, quàm amare vxorem quaſi adulteram ex D. Hier. num 4.

Vxor, quæ ad flagitium impellitur à viro, poteſt ab eo diſcedere, quamuis non poſſit viri culpã probare Eccleſiæ.l.1.q.140.n.1.& ſeqq.& q.115.n.6.

Vxor clam viro ſubducere poteſt, quæ ad ſe, & familiã alendam ſunt neceſſaria.li.4.q.24.n.1. Etiã ignato viro, & inuito poteſt multis temporibus eleemoſynas largiri. num 2.

Vxor, & filia teneantur ne maritum, & patrem à ſuſpendio liberare bona ſua tradentes fiſco.lib.4.q. 30.n.1.& 2. Oſtenditur non teneri. Hæc eſt irregularis ſacerdos, qui mulieribus ſuaderet, vt ſua bona retineant.num 3.& 4.

X

XEnia natalitia more curiæ Romanæ licet mittere indiebus, neq; huic conſuetudini obſunt conſtitutiones Romanorũ Pontificũ.l.6.q.7.n.6.

Xiſti V. conſtitutio aduerſus facinoroſos, homicidas, & proſcriptos irregularitatem non remouet niſi ab iis, qui præſunt Eccleſiæ ciuitatibus, ſeu terris, publicíſve iudiciis lib.6.q 59.num.3.

Xiſti conſtitutio de contrahenda ſocietate animalium noluit prohibere niſi iniuſtitiam contractus.lib.3.q.12.num.3.

Z

ZEno linguam ſibi mordicus arreptam abſcidit, atque expuit prius quã arcana ſibi credita enunciaret ex Euſtratio.lib.5.q.7 num.3.

Zopyrus phyſiognomico vtens ſyllogiſmo multa vitia notauit in Socrate.lib 4.q.47.num.7.

DEO IESV CHRISTO AETERNI DEI coaeterno filio laus & gloria.

Digitized by Google

PAVLI COMITOLI,

PERVSINI, SOCIETATIS IESV, THEOLOGI,

RESPONSORVM MORALIVM LIBER PRIMVS.

De Sacramentis.

AD Patriarcham Venetum, Laurentium Priulum, Cardinalem ampliſſimum, hęc delata eſt quæſtio; de qua in Theologorum cœtu varietate ſententiarum acriter diſceptatum eſt.

1. Vtrúmne expoſitus infans cum chirographo, quod de eius Baptiſmo fidem faciebat; appoſita conditione baptizandus foret à ſacerdote, ne infantis ſalus periclitaretur. Mihi ea mens & ſententia fuit, nõ eſſe cum conditione vlla repetendum Baptiſmum: nec ſecus in hac controuerſia ſenſiſſe Theologos, qui ea de re in 4. ſent. diſſerunt, neque aliter Summarum ſcriptores. Richardus enim in 4. ſent. d. 4. art. 4. caſu 1. ſcribit his verbis: Quandò infantulus eſt expoſitus, & à quo vel à quibus ſit expoſitus, ignoratur: nec cum eo ſignum inuenitur, ſeu teſtimonium, quòd ſit baptizatus, eſt ſub conditione baptizandus: ergo ex huius Doctoris ſententia, ſi infans teſtimonium ſcriptum ſuę ſacræ ablutionis gerat, nulla alia ablutione egebit. Quod Richardus ait, Gabriel quoque affirmat in eandem diſt. q. 2. art. 3. dub. 4. Scotum citans, & Olchot. Paludanus in 4. diſt. 6. quæſt. 4. art. 1. concl. 1. vult, puerum, in nemore expoſitum, ſine vllo ſigno, aut nota collati Baptiſmi, cum conditione baptizandum eſſe. D. Ant. in 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12. proferens Paludanum, & Richardum, eoſdẽ ſequitur. Syluester in Summa, in verbo Baptiſmus 4. q. 9. Si inuenitur, inquit, in nemore expoſitus; nec apparet aliqua ſcriptúra, quòd ſit baptizatus, baptizandus cum conditione. Tabiena in verbo Baptiſmus 4. nu. 7. Sin erit probabiliter dubium; quia puer in nemore expoſitus inuenitur; nec apparet aliqua ſcriptura de Baptiſmo, baptizandus eſt ſub conditione quæ habetur extra, eodem, cap. 2. præmiſſa negatiua *ſi non es baptizatus.* Roſella in verbo Baptiſmus 4. num. 7. Infans expoſitus, ſi nullũ ſignum vel teſtimonium apparet, quòd baptizatus ſit, baptizari debet ſub conditione hac, *ſi non es baptizatus, &c.* Angelus eod. tit. 4. §. 8. Cùm dubium eſt facti probabile; vt quia puer eſt proiectus, nec apparet quòd ſit baptizatus, tunc baptizandus eſt

cum conditione: ex alio dubio non debet quis baptizari. Sotus autem planiſſimè omnium in 4. diſt. 3. q. vnica, art. 9. ad 4.
» arg. Expoſiti verò infantuli, inquit, ſi in-
» ſcriptum ferant fuiſſe baptizatos, quam-
» uis nomen teſtis non prodatur, nullate-
» nus ſunt rebaptizandi. Imò verò ſi per
» ætatem, iudicarentur, ante menſem, aut
» viginti dies nati, ego neutiquam eos au-
» derem baptizare: ætas enim ſufficiens eſ-
» ſet teſtimonium ſuſcepti baptiſmatis in-
» ter Chriſtianos; niſi ex colore, vel alio in-
» dicio, ſuſpicio oriretur vehemẽs eſſe pro-
» lem infidelis ſerui. Quare in tanta cauſſa à tot tantiſque doctoribus diſcedere, nimiùm periculoſum eſt, ac temerarium.

2. Rationum haud leuiora momẽta ſunt, quàm teſtimoniorum. Prima ratio. Dubium, quod Baptiſmum permittit, conditione affectum, verum debet eſſe, & probabile dubium: at huius facti, de quo controuertitur, non eſt verum & probabile dubium; quare, &c. Maior propoſitio nota eſt ex Scoto in 4. ſent. d. 3. q. 3. ex Paludano in 4. d. 6. q. 4. art. 1. concl. 1. ex D. Antonino, Angelo, Tabiena, Soto, citatis locis: ex Victoria in Sum. Sacram. quæſito 36. Minor perfacilem probationẽ habet: illud enim eſt verum ac proprium dubiũ; quum mens noſtra ob paria rationũ pondera in neutram partem propendet, ſed quaſi iniecta compede progredi nequit. nam homo dubitans, ſimilis eius eſt, qui vinctus eſt, nec ei eſt vlla incedendi facultas, quemadmodum ſcripſit Ariſtot. in 3. Metaph. text. 1. & D. Thom. in 3. ſent. diſt. 17. art. vlt. Quocirca Sotus in 4. ſent. d. 3. q. vn. art. 9. in ſolutione 4. argum. cùm à ſe ipſe quæſiſſet, quale debeat eſſe dubium, vt (verba ſunt eius) baptizatio conditio-
» nalis fiat, hoc pacto reſpondit: Dum præ-
» miſſa ſolerti indagine, neutri parti poſſit
» aſſentiri, ſed ſuſpenſus ſemper maneat
» animus, ſit ne baptizatus infans, nec ne,
» tunc res eſt dubia, conditionalem bapti-
» zationem expoſtulans. Si verò aſſenſus ſit
» probabilis partis affirmatiuæ, & nullus
» negatiuæ: nec cum conditione licet ba-
ptizare. Quare bene ait Paludanus in 4. «
d. 6. q. 4. Vnum teſtem ſufficere, vt vetu- «
lam, quæ baptizauit, vt non ſit licitum «
puerum ampliùs baptizare. Hæc totidem «
verbis Sotus. Nos autem in diſputatione quadam noſtra de opinione deligenda, multis argumẽtis & teſtibus demonſtrauimus, opinionem probabiliorem, minùs probabili relicta, neceſſariò ſequendam eſſe. Atqui in hoc genere, de quo diſſeritur, chirographi fides noſtram tantùm opinionem probabilem facit; contrariam verò improbabilem.

Quod idem perſpicuum facit hæc ſe- 3.
cunda ratio. Scheda enim illa ad infantẽ puerum deligata, ideo deligata fuit, vt ne iterum baptizaretur, nec cuiquam licitum eſſet ea de re dubitare: ergo à Chriſtianæ mentis intelligentia remota debet eſſe dubitatio. Hæc ipſa ratio hac tertia corroborabitur. Permagnum debet eſſe diſcrimen inter puerum cum teſtificatione ſcripta ſui Baptiſmi expoſitũ, atque eum, qui ſine teſtificatione proiectus iacet: ſed hic, qui nota ſui baptiſmatis caret, ex omnium ſententia ſub conditione baptizatur: ergò ille, qui præ ſe fert teſtimonium ablutionis ſuæ ſacræ, nullo modo Baptiſmi aqua ablui debet. Quæ ſanè ratio vim habet perſuadendi neceſſariam. Quarta ratio. Si vnius anus teſtimonio impeditur Baptiſmus, qui adiecta conditione interdum præberi ſolet, vt aſſeueranter dicũt Paludanus, D. Anton. Sotus, iis quos indicauimus locis, cur non impediatur Scripturæ teſtimonio? quia (reſpondebat nonnullus ex eo conſeſſu) potuit ab aliquo vel Iudæo, vel Turca, fidei noſtræ odio affingi, affigique puero: at potuit etiam vetula pecuniâ corrumpi, vt falsò teſtaretur de infantis Baptiſmo. Deinde, quid aut Iudæi, aut Turcæ intereſſe poterat de infantis Baptiſmo, non ſui ſed Chriſtiani hominis, ſi nihil aut ſancti, aut ad ſalutem neceſſarij ſitum putant in noſtro Baptiſmo? Poſtremò, in humanæ vitæ rationibus, & factis, non quid fieri perraró poſſit, ſed quid fieri ſoleat, & veriſimile

riſimile eſt agi, ſequi debemus, ex ſapientum hominum, & Sacrorum canonum reſponſis.

4. Quinta ratio qua cuncti viſi ſunt permoueri. Fingat, dicebam ego, vnuſquiſque noſtrum ſe expoſitum fuiſſe infanté, ſuique Baptiſmi chirographum è collo ſuſpenſum geſtaſſe, nec vllum Baptiſmum poſt inſpectum chirographum recepiſſe: id ſumus ætatis ſacerdotes: ſacrificiũ fermè quotidie facimus: multorũ ſacras confeſſiones excipimus; multos abſoluimus: ſolẽnia vota Deo in diuerſis familiis religioſis nuncupauimus: Vtrùm vellemus hæc omnia irrita eſſe, & nouum Baptiſmum cum conditione ſuſcipere, an credere nos verè baptizatos fuiſſe? Quòd ſi de noſtro Baptiſmo obeundo nihil cogitare debemus, neque de dando alteri ſolliciti eſſe debemus: nam quæ lex cogit alteri dare, eadem nos cogit accipere.

Sexta. Si quiſpiam teſtaretur interfuiſſe ſe Baptiſmo infantis, cùm tribueretur à muliere; quæ poſt baptizatum infantem exceſſiſſet è vita; eidem infanti alius Baptiſmus neque abſolutè, neque cum conditione quærendus eſſet: ergo neque huic expoſito quæratur, cùm de illius Sacramento Scriptura teſtetur. Septima. Baptiſmi Sacramentum cùm factum cõſtat, nec fuiſſe irritum ſciri poteſt, neque conditione remota, neque adiecta iterari poteſt: at hic conſtat de facto: &, quòd nullum ſit factum, non conſtat. Audi S. Leonem in epiſt. 9. ad Ruſticum, cap. 15. his verbis ſcribentem: Si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati doceantur; agendum eſt, vt renaſcantur; ne manifeſtè pereant: in quibus, quod non oſtenditur geſtum, non ſinit, vt videatur iteratum; habetúrque de conſecr. d. 4. c. Nulla. Sed diſſoluenda ſunt argumenta contraria.

5. Primùm igitur argumentabantur. Vni teſti, cùm fraudi poteſt eſſe alteri, credere ius non eſt: quia *dictum vnius dictum nullius eſt*, vt in ore eſt iuriſperitorũ: quanto igitur minùs fas eſt fruſtro inanimatæ chartæ credere contra vnius infantis ſalutem; qui fieri poteſt vt non ſit baptizatus? Reſpondi, hoc argumento primùm concidere tot Theologorum, quorum ſunt recitata nomina, firmam ſententiam. Deinde addidi falſum eſſe non incidere tempora, quibus non vni fides habeatur teſti: namque ſeptem Syluester in verbo Teſtis q. 5. perſequitur tempora, cùm vnico creditur teſti: quod item ab aliis caſuum explicatoribus diſcere potes, in verbo Teſtis. etenim ſi vni litigãti cum altero cõuenit, vt vni credatur teſti, vnius teſtimonium fixum erit. Ad impediendum etiam matrimonium, aut quodpiam delictum, ſatis eſt vnicus teſtis: atque in hoc ipſo, de quo agitur, ne repetatur Baptiſmus cum conditione, vnius vetulæ ſatis eſt teſtimonium, vt apertè docet Paludanus in 4. d. 6. q. 4. ar. 1. concl. 1. D. Anton. in 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. Sotus in 4. d. 3. q. vn. ar. 9. ad 4. arg. Syluester in verbo Teſtis q. 5. & ſecuritaté Baptiſmi, vnius teſtimoniũ adferre confirmant, etiam in cap. Paruulos, de conſecrat. d. 4. Turrecremata, Hugo, & Gloſſa. Secundum argumentum. Ergo (inquiebat nonnullus ex eo numero) anceps, & dubia illius infantis ſalus relinquenda erit? Reſpondi, nulli dubio hęrere illius ſalutem, ſed in incerto, ſicut etiã noſtra vniuſcuiuſque iuſtificatio, & ſacramẽtorũ ſalutares effectus. Cõuerſus enim ad eum, qui auctor erat argumenti, hac hominem vrgebã oratione: Qui ſcis ipſe, mi Pater, te eſſe baptizatum, aut te baptizandi animum geſſiſſe illum, à quo es baptizatus? aut ab eodem neceſſariam Baptiſmi materiam, & formam rite adhibitam eſſe? Ergo ſicut ego, & tu, atque adeo omnes probabili ſui Baptiſmi fide contenti eſſe debemus; ſic maiorem fidem in relicto, de quo eſt diſceptatio, infantis Baptiſmo requirere minimè debemus. Malléque debemus prolem Baptiſmo regeneratam non eſſe, quàm Sacramento Baptiſmi ſacrilega iteratione iniuriam fieri: cùm in iteratione inexpiabile facinus cõ-

mittatur, vt inquit D. Leo in epiſt. ad Leonem Rauennatem 35. q. 1. ſitque ſcelus immaniſſimum, Christianum rebaptizare, teſte D. Auguſtino in epiſt. 203. ad Maximinum; extatque D. Auguſt. ſententia in diſt. 4. de conſecrat. can. Rebaptizare: & Leonis, in ead. cap. Cum itaque.

6. Dices; At mihi non eſt animus geminare Baptiſmũ. Quid tum? quaſi à tuo conſilio iteratio pendeat, ac non veriùs à noua materiæ & formæ applicatione. Poſtremò, cuiuſdam concilij Mediolanenſis allata eſt auctoritas, quod decernit, vt quãdo infans proiectus cum colligata ſcheda reperitur, inquiratur de baptizante diligenter: quòd ſi à quo quáve baptizatus, aut quemadmodum baptizatus ſit, ſciri nequit, & dubitatio perſeueret, tunc adhibita conditione baptizatur. Reſpondi, non pluris faciendum eſſe illud decretum, quàm tot Theologorum & magnorum auctorum ſuffragia. Deinde ne Concilij, quamuis à Romano Pontifice probatum nõ ſit, contempta videretur auctoritas, dixi defendi poſſe, cùm conditio loci vel perſonarum, apud quas exponitur infans, ſuſpicionem grauem mouet, aut non eſſe, aut non rectè fuiſſe baptizatum: vt ſi formæ rationiſve conferendi Baptiſmi, aut omnes, aut fermè omnes eſſent ignari. Quòd ſi aut omnes, aut penè omnes neceſſarium ritum baptizandi tenerent, non fore cum conditione puerum, puellámve baptizandam.

7. Quæſitum eſt in eodem conuentu, quî cognoſci poſſet, aut omnes, aut maiorem partem Baptiſmi conferendi rationem non ignorare. Reſpondi, hoc modo poſſe cognoſci. Parochus, aut ruris, aut alterius loci, vicinos viros, vicinaſque mulieres ducat in gyrum; atque è ſingulis baptizandi rationem ſciſcitetur: ſi in viginti viris, & fœminis, decem & octo, aut quindecim reperiantur, qui eius rei, de qua quæritur, ſint gnari, infantem nullo Baptiſmo expiandum eſſe: ſi ſecus accidat, eſſe omnino Baptiſmi aqua procurandum conditionis adiunctione. Atque in hanc ſententiam approbante & iubente illuſtriſſimo Patriarcha eſt itum ab omnibus. Nunc illud item addo: quando ruri, aut quatuor, aut quinque eſſent viri, & mulieres, quibus baptizandi neceſſarius ritus ignoratus non eſſet, iidemque viri, ſeu mulieres ad natam prolem baptizandam ſemper aduocarentur: neque tunc depoſitum infantem baptizandum eſſe, ſi Baptiſmi notam ferret: ſemper enim de iſto loquimur. Venetiis in eiuſdem Patriarchæ ædibus, cùm eſſet hæc ipſa quæſtio diſceptãda, in cuiuſdam Villæ parochum incidi, qui omni aſſeueratione affirmabat, in ſua ruſtica parœcia, in centum vix reperiri vnum qui baptizandi peritus eſſet; quod ſi ita erat, ſine dubitatione vlla infans baptizãdus fuiſſet; & mea quidem ſentẽtia ſine cõditione: quoniã veriſimile eſſet illũ vero caruiſſe Baptiſmo. Quamquam mihi dubium erat, veráne de ſuorum parœciorum inſcitia parochus ille narraret; procliue enim ad res exaggerandas iuuenis ingenium videbatur. Ruri enim inueni quamplurimos, qui cùm S. Trinitatis myſterium ignorarent, baptizandi tamen rationem *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, præceptam haberet.

QVÆSTIO II.

Fœmina primaria, è primo viro filiam ſuſcipit: in certo matrimonio, vt ipſa 1.
rebatur, locat: cum ſecundo marito in conuiuio accumbens, atque cum filia, de qua loquimur, viſa ſibi eſt Angelum videre adſpectu terribilem: perterrefacta mater, illam Angeli horribilem ſpeciem eò pertinere arbitrata eſt, quòd in Baptiſmo filiæ negligentior fuiſſet, eáque ſua ſocordia ipſos viginti quinque, aut etiam triginta annos Sacramenti Baptiſmi expertem eſſe ſiuiſſet. Itaq; cœpit de Baptiſmo filiæ acriùs cogitare: inuenítque, ratiocinando, perquàm probabile eſſe, cùm eius infantis Baptiſmum vrgeret, rémque viro illi ſuo commendaret, ad ſalutarem fontem delatam non eſſe. Primùm, quia vir

ille

ille prior de Chriſtiana religione minùs rectè ſentiebat:Deinde, quia quo tempore de natæ Baptiſmo inter virum & coniugem agebatur (ruri enim vterque erant) ac de Sacerdote aduocando è loco paullo longinquiore ; maritus aliò neſcio quò vxorem abduxit ; vt tam breui tempore, quod diſceſſum præcucurrit, non potuerint omnia adminiſtrari, quæ ad filiæ Baptiſmum pertinebant. Vtraque coniectura ſatis grauis accumbentis mulieris animum perculit vehementer : In tantáque mentis perturbatione,atque cogitatione, quid de filia nupta deliberandum ei eſſet, à viro religioſo , & concionandi laude inſigni conſultus ſum, ſed ſerò, id eſt, re geſta:iam enim ille nuptam iuuenem baptizauerat.

2. Reſpondi , quatuor in re tanta facienda fuiſſe. Primùm, Parochi codicem, in quem baptizatorum nomina referri ſolent, conſulendum fuiſſe : illicque puellæ nomen requirendum : quòd ſi nullus codex, incuria parochi, extabat ; à domeſticis,ſi qui erant ſuperſtites,indicia inquirẽda eſſe:ſi vel mortua codicis , vel viua domeſticorum memoria pręterito baptiſmo ſuffragata eſſet , filiam nullo pacto baptizandam fuiſſe ; ſi non eſſet ſuffragata, ſine conditione vlla meo quidem animo fore baptizandam : nam coniecturæ adeo perſpicuæ erant, vt vix dubitationi locum relinquerent.

Illud ſecundo loco agi oportuit , vt Baptiſmus non palam,ſed clam domi ageretur : ſi enim ſecus actum eſſet , multorum animi eſſent videlicet non mediocriter offenſi. Atque hanc cautionem in baptizanda fœmina prætermiſſam non eſſe, mihi ille ipſe concionator affirmabat.

Tertium erat de renouando matrimonio,quod nullum erat,ſiue ante, ſiue poſt Tridentini Concilij confirmationem initum eſſet:cùm enim Baptiſmi Sacramentum cęterorum ómniũ ſit ianua,& abſque illo nequeant reliqua ſuſcipi ; nec inter baptizatum & non baptizatam velit Eccleſia rata eſſe matrimonia ; nimirum nuptiarum fœdera iterum fieri oportebat: perinde quaſi nunquam inter coniuges icta fuiſſent.

Poſtremò , ſi poſt Concilij Tridentini confirmationem nouo vetóq; matrimonio coniuges copulandi erant , id quod clandeſtinè, hoc eſt, ſine teſtium,& parochi præſentia agi par erat, ius ſic contrahendi ab Romano Pontifice impetrandum erat ; neque ſine eius auctoritate ſolemnitas à Tridentino Concilio præſcripta ſeſſ.24.c.1. de reformatione matrimonij omitti vllo modo potuiſſet.Ac de matrimonij vitio , incolumi fama mulieris, vir admonendus erat , vt tam ipſe quàm fœmina nouum matrimonio,legitimúmque conſenſum præberent.

QVÆSTIO III.

1. CAptiuam puellam quatuordecim annos natam donat Turca quidam homini Chriſtiano,Conſtantinopoli;quã in nobiliſſimam Italiæ Vrbem ſeducit. Hæc hero ſuo ſæpius dixit ſe Chriſtianam eſſe ; ſæpe item Sacramenta Confeſſionis & Euchariſtiæ ſuſcepit. Denique eidem ſuo hero aperuit, Turcam ſe eſſe:atque in Maomethi impuriſſimi latronis perfidia educatam. In tanta inconſtantia puellæ, ſermoniſque eius repugnantia,quid agere eius Dominus debeat, non eſt illi conſtitutum : præſertim quòd eius contrariis confeſſionibus credi nec debet, nec poteſt ; eſſétne Sacramento fidei regeneranda,ambigebat : & quibuſdam videbatur, Baptiſmo, qui adiunctã haberet conditionem, initiandam eſſe.

Rogatus ipſe ſententiam meam de ſtatu puellæ, atque heri officiis, hæc ſenſi,nõ eſſe illi Baptiſmi Sacramentum priùs impartiendum,quàm Conſtantinopolim ad Conſulem , legatúmve Venetum, litteræ ſcriberentur;vt is omnibus veſtigiis puellæ Baptiſmum , ſi quem fortè recepiſſet, odoraretur, & perueſtigaret : ante litteras Conſtantinopoli allatas, nihil de Baptiſmo decerneretur:ſi allatæ litteræ nuntia- 2.

rent de miniſtrato puellæ Baptiſmo, à ſecundo Baptiſmo eſſe prorſus abſtinendum. Si eam baptizatam non eſſe teſtarentur, abſolutè baptizandam eſſe: ſi rem tanquam dubiam ſignificarent, cum conditione baptizandam. Ac ſi Domino fieret veriſimilius, Mahometana ſuperſtitione illam inquinatam eſſe, nec aqua Chriſtiani Baptiſmatis perpurgatam eſſe, quod mihi verius videbatur, veluti Catechumenam tractandam eſſe. Quamquam, ſi ſuus puellæ Baptiſmus exploratus foret, ei cuncta Eccleſiæ iura, & leges, quæ cunctum populum Chriſtianum deuinciunt, ſeruandæ eſſent omnino, ne ſua illi fraus, & dolus, quo herum fallere cogitaſſet, vlli eſſet emolumento.

QVÆSTIO IV.

AN vnus eodem tempore poſſit baptizare plures, hac vſurpata forma verborum, *Ego vos Baptizo, &c* dubitatum eſt à quopiam: fieri id non poſſe, dupliciter oſtendi poteſt.

1. Primùm, quia & Sacramentorum adminiſtrationem rationem ab Eccleſia inſtitutam deſerere mortifera eſt culpa, vt inquiunt Gabriel in 4. ſent. d. 6. q. 1. ar. 2. concl. 7. vbi hæc noſtra ab eo quæſtio pertractatur: verùm Eccleſia numero vtitur Vnius, cùm alicui Sacramentum miniſtrat, & vnicuique ſingillatim ſuum præbet Baptiſmum: ergo idem facere quilibet alius miniſter debet.

Deinde, quia eſt communis Theologorum ſententia, monſtra, quæ præcipuas partes præ ſe gerunt, vt duo capita, duo pectora, eſſe item diſtinctis Baptiſmis baptizanda, vt D. Thom. in quodlib. ait, vt Henricus Gandau. in quodlib. 6. q. 15. vt Scotus in 4. d. 6. q. 2. §. de quarto mẽbr. vt D. Anton. à quo D. Thom. in quodlibeto citatur, in 1. par. tit. 14. c. 13. §. 6. vt Gabriel in 4. ſent. d. 6. q. 1. a. 3. d. 1. vt Angelus in verbo Baptiſmus, tit. 6. §. 3. à quo citatur Landul. in 4. d. 6. q. 2. & Henricus: vt Sylueſter in verbo Baptiſmus 3. q. 10. vt Ioannes Tabienſis in verbo Baptiſmus 6. §. Poſtremò; vt Roſella in verbo Baptiſmus 4. nu. 8. vt Sotus in 4. d. 3. q. vn. ar. 9. ad quartum argumẽtum: vt Cardinalis Toletus in ſumma caſuum lib. 2. c. 21.

Poſtremò, quia ſi reliqua Sacramenta ſingulis ſingula damus, id ipſum in Sacramento regenerationis ſpiritualis facere conuenit.

Huius quæſtionis vera explicatio ad duplicem propoſitionem reuocari poteſt. 2.
Prior propoſitio. Non ſuadente, impellentéve neceſſitate, vnus plures ſimul baptizare, ſine ſcelere non poteſt. Poſterior ſuadente & hortante neceſſitate poteſt, & tunc quidẽ numero multitudinis pronuntianda eſſet forma Baptiſmi: *Ego vos baptizo, &c.* quemadmodum à D. Petro die Pentecoſtes factum eſſe credunt magni Theologi. Poſteriori verò propoſitioni omnes propemodum Theologi aſſentiuntur. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 5. ad 4. & q. 67. art. 6. ad 2. Vbi tic, in caſu neceſſitatis, vnus poſſet ſimul plures baptizare ſub hac forma, *Ego vos baptizo*, puta ſi immineat ruina aut gladius, aut aliquod huiuſmodi; quod omnino moram non pateretur, vt ſingillatim omnes baptizarentur: neceſſitatem autem eiuſmodi formæ adhibendæ vult eſſe magnam, in 4. ſent. diſt. 3. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 2. Alex. Hal. in 4. p. q. 8. memb. 6. art. 7. Scotus in 4. d. 6. q. 2. §. de tertio membro. Richard. in 4. ſent. d. 3. art. 4. q. 1. ad 2. Gabriel in 4. d. 6. q. 1. art. 2. concl. 7. Caiet. in 3. p. q. 66. art. 5. Sotus in 4. d. 4. q. vn. art. 4. Toletus in Summa de inſtruct. Sacerd. lib. 2. c. 21.

Ad auctoritatem Theologorum hæc firma accedit ratio: quòd non minùs efficacitatis habet regeneratrix gratia Baptiſmi, quę ſpiritualis eſt, quàm quæuis creata generatrix poteſtas, ſiue ea naturæ ſit, ſiue artis, ſiue politica. Verùm natura, ars, & vis politica vna numero poteſt eodem tempore multas formas numero procreare: ergo id multò magis poterit efficere vna forma Baptiſmi. Prima ſyllogiſmi propoſitio probationis non indiget. Secundæ veritatem ſenſu atque experientia tenemus.

Digitized by Google

tenemus. Nam in natura cernimus ex vno grano tritici multas oriri ſpicas, nedum grana: in genere animantium ex vno ſemine multos edi fœtus; quod ipſum videmus in hominibus: ſimul vnica conceptione ſeminis, multos in mulieris vtero proſeminari. Iam verò ab arte id ipſum præſtari non ignoramus: cùm vnus idémque artifex, vt librorum impreſſor, tam diuerſas literas, tam multos verſus ſimul imprimit. Vna item atque eadem ciuilis poteſtas ſimul multos creat iudices, duces, milites, magiſtratus.

Quare de forma Baptiſmi, & de eo qui eius miniſter eſt, quin poſſit multos Chriſtianos milites parere, & aſſignare Chriſto, eiúſque Eccleſiæ, dubitari non debet.

3. Cúmque tribus modis ad eius corpus, qui Baptiſmum petit, Sacraméti aqua peruenire poſſit, immerſione, aſperſione, effuſione, vt docet D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 7. omnibus his modis poteſt huius Sacramenti miniſter ſimul plures baptizare; ſed ita, vt caput aqua madefiat, vt oſtendit D. Thomas in ead. quæſt. & in eod. art. ad 3. arg.

Tribus porrò argumentis allatis initio hac breui reſponſione occurritur. Generalis Eccleſiæ conſuetudo, mares ſingulos & fœminas ſingillatim baptizandi, eſt conſeruanda omnino, niſi magna cogat neceſſitas eam deſerere. Et quod ob eam neceſſitatem conceditur in hominũ corporibus non monſtroſis, idem in monſtroſis permittitur. Hoc tamẽ diſcrimine, quòd monſtro, niſi conſtaret de duplice anima rationali, non adhiberetur duplex Baptiſmus abſolutus, ſed abſolutus vnus, alter cum conditione: at in corporibus, quæ ſimplicibus membris coagmentata ſunt, nec quidquam portenti habent, ſingulis, & abſolutis ablutionibus vti ſolemus. Quòd autem non poſſint reliqua Sacramenta ab vno pluribus eodem tempore dari, ita vt vera Sacramenta ſint, gratis ſumitur ab iis qui veræ huic ſententiæ obſiſtere vellent. Nam ſi Sacerdos vtraque manu duobus ſimul Euchariſtiam porrigeret, verum Sacramentum præberet; &, ſi Sacerdos, duorũ, qui de ſuis peccatis integrè confeſſi eſſent, eos ſimul abſolueret, non video cur vitioſum, aut nullum redderetur Sacramentum pœnitentiæ: adeſſent enim omnia quæ ad eius Sacramenti eſſentiam requiruntur, materia, forma, poteſtas, atque intentio miniſtri. In Sacramento ordinis Epiſcopus ſubdiaconis ſimul tangentibus librum epiſtolarum, ſimul item tradit poteſtatem eas legendi in Eccleſia tam pro viuis quàm pro defunctis: & Diaconos ſimul multos conſecrat tradito libro Euangeliorum, quem multi ſimul tangunt; in quo cõtactu characterem accipiunt ſui ordinis. Itaque neque in Sacramento ordinis verum eſt, quod in 3. arg. ſumi videbatur. Idem doceri poſſet in Sacramento confirmationis, & extremæ vnctionis, quando eodem tempore plures vngerentur, & Sacramentorum forma à legitimo miniſtro proferretur: nam vt diſtincta numero ſint Sacramenta, ſatis eſt ſi ſuſcipientes numero diſtinguantur, & actiones Sacramentales, quæ in ſuſcipientibus à legitimo miniſtro recipiuntur: vt verò, forma, miniſter, eiúſque intentio diſtinguatur numero, minimè neceſſarium eſt ad veritatem & eſſentiam Sacramentorum.

QVÆSTIO V.

Hvic contraria exoritur quæſtio. An, ſicut vnus ſimul baptizare poteſt plures, ita poſſint ſimul plures baptizare vnum, hac forma vtentes: *Nos baptizamus te in nomine Patris, &c.* Non poſtremarum partiũ nonnulli Theologi dixerunt, eiuſmodi Baptiſmum valere; vt Durandus, in 4. ſent. d. 3. q. 3. Paludanus in eandem d. q. 2. art. 3. idémque velle videtur Hadrianus in 4. q. de confeſſione. §. Sed dubium occurrit in extremo: in eadem eſt ſententia Marſ. in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. 1.

Horum hæc videtur eſſe firmiſſima ratio: Quòd difficilius agit vnum agens in plura, quàm plura in vnum: Ergo ſi vnus

vnus baptizare poteſt ſimul plures, multo magis poterunt plures vnâ baptizare vnũ. Verùm quorum maior eſt auctoritas, & numerus, eorum verior item imò ſola vera nobis debet eſſe ſententia. D. igitur Thomas ſummus Theologus, & omniũ princeps, irritũ habet Baptiſmum illum, quem illo modo conferunt plures quàm vnus: in 3.p.q.67.art.6. & in 4.ſent. diſt.6. q.2. art. 2. D. Bonau. aſſentitur D. Thom. in 4.d.5. art.1. q. 1. vbi diſſerens de Baptiſmi Sacramẽto, dicit, illud vnum eſſe debere, & verum, & integrũ, & quia vnum, debet tradi ab vno diſpenſatore, non à pluribus: & in calce, ex prædictis patet; quòd vnus poteſt ſimul plures baptizare, non plures vnum; cuius ſententiæ plures cauſſas exponit, de quibus nos infrà. Vt permirum ſit, à Tabiena Diuum Bon. coniectum eſſe in claſſem eorum qui aliter ſunt, atque oportebat, opinati. Sed Tabienſis non vidit D. Bonau. aut, ſi vidit, cùm ſcriberet, memoria lapſus eſt: nec minùs errauit in Richardo: quod etiã fecit Roſella in verbo Baptiſmus 3. §. Poſtremo. Richardus enim in 4. d. 3. art. 4. q. 1. probat, ad neceſſitatem vnius actus baptizandi requiri miniſtri vnitatem. In hanc ipſam ſententiam venit Alex. Hal. in 4.part.q.8. memb.6. art.6. & 7. & Scotus in 4.d.6.q.2. in extremo, vbi ſic vnitas efficientis, vel miniſtri requiritur in Baptiſmo propter ordinationem principalis agentis, & inſtituentis. Gabr. in 4.d.6.q.1. art.2. concl.6. Caietanus in 3.p.q.67.art.7. Sotus in 4. d. q. vn. art. 4 Syluester in verbo Baptiſmus 3. quæſt. 7. Ang. eod. tit. §. 2. Tabiena in verbo Baptiſmus 6. num. 2.

2. Non tamen eſſet negandum valere Baptiſmum, quando plures eundem baptizarent, non vt plures, ſed quaſi ſinguli totũ perficiẽtes Sacramentũ, dicẽtes, *Ego te baptizo*: tunc Baptiſmus ab eo eſſet, qui priùs abſoluiſſet formam, & ablutionem: id quod à D. Thom. in 3. p. loc. cit. atque ab omnibus ferè conceditur.

Tres autem à S. Bonau. in 4. d. 5. art. 1. quæſt. 1. explicantur rationes, cur ſpiritualis regeneratio plures repudiet miniſtros. Prima eſt: Quia immutationem habet formæ. Secunda: Quia non poteſt incidere tempus vllum neceſſarium, in quo duo, aut plures miniſtri debeant vnum baptizare; cùm vnus ad dandum Baptiſmum ſufficiat. Tertia, quæ ab aliis affertur Theologis. Quia miniſter Baptiſmi perſonam ſuſtinet Chriſti, qui Chriſtus vnus eſt vnitate ſuppoſiti. Quas omnes rationes mutuatus eſt D. Bonau. ab Alexandro Halenſi in 4. part. quæſt. 8. memb. 6.

Reſtat vt argumenti quo prior ſe tuetur opinio, neruos incidamus. Difficilius, inquiunt, eſt, vt vnus agat in multa, quàm multa in vnum: Sed vnus multos baptizare poteſt: ergo multo magis vnum poterunt plures. Huiuſce probationis maiorem propoſitionem tamquam veram Sotus admittit in rebus naturalibus, in ſupra naturalibus non item: ego verò contendo falſam eſſe in agentibus phyſicis, in artificialibus, in moralibus, ſiue politicis.

Ordiamur à poſtremis: Poteſtas dominandi, atque imperandi, qualis eſt Regia, quia eſt vnius agentis, atque in vno collocata, citiùs & faciliùs creat iudices, duces, milites, & magiſtratus; quàm poteſtas plurium, ſeu populi; cuius ſtudia & voluntates, atque ſententiæ quia multorum ſunt, difficillimè, & tardiſſimè etiam conglutinantur: quod duris etiam temporibus vſuuenit non rarò. Idipſum doceamus in agente ex arte. Vnus pictor, qui artificio multis excellat, faciliùs & perfectiùs eandem tabulam pinget, eandémque ſpeciem coloribus ſuis, & penicillo exprimet, quàm multi pictores, è quorum pluribus ideis vna aliqua perfecta, è qua imago, & opus ducatur, hauriri non poteſt: quia vna mens, in qua imprimi idea abſoluta deberet, ab illis multis mentibus ſeiuncta, neque dari, neque cogitari poteſt. Diſtinctæ autem ideæ eandem ad numerum imaginem effingere minimè poſſunt.

Veniamus ad naturam: ſi mas fœcun- 3.

dua ſit.

dus ſit, & fœmina pariter fœcũda, in quouis animalium genere multo faciliùs prolem vberem profundet ex vtero fœminæ, quàm ex eadem mares multi, ſi cum ea congrediantur. Primò, ſi vna fœmina cognoſcatur à multis eodem tempore, ob ſeminum permiſtionem, vix, aut ne vix quidem, concipere poterit: quod ipſum in iis mulieribus, quæ corpore quæſtum faciunt, promptum eſt: ſteriles enim ſunt: (de iis loquor quæ vulgaria ſunt ſcorta.)

Peruincamus id non captioſis argumentis: Primum argumentum. Nondum eſt quiſquam inuentus, qui plùs quàm vnum patrem, & vnam matrem agnouerit; ergo certo eſt argumento à diuerſis principiis generantibus, & propinquis, non poſſe exiſtere prolem.

Secundum Axioma eſt Peripateticum: non quodlibet fieri ex quolibet, ſed determinatum ex determinato. Itaque nullam videas formam è materia educi, niſi à certo agente præparata: at fieri nõ poteſt, vt in vnam eandémque materiam numero, duo agentia numero phyſica, & corporea agant: cùm enim per contactum, vel non ſine contactu agant; & cùm contingentia diſcretas quantitates habeant; diſcretas etiam materias, quas tangant, neceſſe eſt: quare vna numero materia non videtur pati poſſe niſi ab vno agente. Neque fieri poteſt, vt idem ſanguis mẽſtruus indiuiduas duorũ ſeminum, aut generantium qualitates ſuſcipiat: conſequẽs enim eſſet, vt ex eadem materia duæ formæ orirentur diſtinctæ numero, vt duorum equorum, duorum leonum, aut canum animæ: atque ita non multiplicatis materiis, ſeu ſubiectis animarum, naſcerentur plura ſuppoſita corporea: quod ſtultum eſt, vel cogitatione informare.

4. Tertium. Quemadmodum inter materiam & formam habitudo eſt eſſentialis: vnáque materia ab vna forma informatur: ſic in viuẽtium generatione vnum agens cum vno patiente proportionem naturalem habere debet.

Quintum. Si duæ virtutes generatrices poſſunt eundem gignere effectum, alterutra virtus eſt otioſa: neque effectus vnius potiùs quàm alterius virtutis gignẽtis deberet imaginem gerere: à quibus ſanè rebus natura abhorret vehemẽter: præſertim, ſicut dictum eſt, cùm non poſſint agentia Phyſica, & corporea, cùm ſint quanta, immutare, & afficere eandem numero materiam, & requirant diuerſum ſitum in re quæ tangi debet.

Ex his fœdus error Paludani exploditur, qui finxit, non ſecus in pluribus baptizãtibus ineſſe virtutem regenerandi ſpiritualiter, quã in duobus ſeminibus è duobus hominibus deciſis, & permiſtis, vim generatricem vnius indiuidui. & licèt, vt ait Syluester, id in corporea generatione verum eſſet, in ſpirituali locum habere non poteſt: quia ſpirituales virtutes non commiſcentur. In eo etiam grammaticè errauit Paludanus; quòd exiſtimauit, *nos*, idẽ valere quod *ego, & ego*, nec quidquam eſſe aliud, niſi ſingularem numerum geminarum: id quod negat D. Thom. in 3. par. q. 67. articul. 5. D. Bon. Richar. locis citatis, & Alex. Hal. in 4. par. q. 8. memb. 6. artic. 7. à quo Alexandro nominatur Priſcianus, qui tradidit, *nos*, non eſſe ſingularem numerum geminatum *ego & ego*: ſed *ego, & ille*. at D. Thom. cenſet eſſe, *ego, & tu*.

QVÆSTIO VI.

PRolem à matris aluo recentem Sacerdos alienus ſolléni ritu baptizat ruri; 1.
ad eam rem nulla ſibi à ruris parocho facta poteſtate: neque rei illius gerendæ tũc vlla oſtendebatur neceſſitas. Hic, dum in illius ſacri muneris functione verſatur, incipit dubitare, num partes parochi ſibi vſurpans, cenſuram aliquam, ſeu irregularitatem contraheret. Ancipiti cogitatione diſtractus, verba proferens formæ dicit, *Ego te Baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis*: & cùm filij nomen non ſuccurreret, ex ijs, qui aderant, ſuggerente vno, illud etiam pronuntiauit. Re perfecta æſtuat animo; veretur ne Spiritus ſancti nomen

non expreſſerit: itaque ad me adiit, hæc duo ſcire auens: primum fuit, an in irregularitatem cenſurámve vllam incidiſſet: ſecundum, an Baptiſmus cum conditione iterandus eſſet.

De primo reſpondi, me non credere, præter culpam aliquam ei cenſuram vel irregularitatem contractam fuiſſe: quamuis de irregularitate ſecus iudicaret Armilla in verbo Baptiſmus, num. 50. Probat enim ex cap.1. de Clerico non ordinato miniſtrante, eum, qui ſine conceſſu aut parochi, aut cuius intereſt, baptizat alienæ parœciæ incolam, irregularem euadere. Verùm ille canon non id decernit: Sed in eum tantùm animaduertit, qui alicuius ordinis actū exercet, expers ordinis quem eiuſmodi actus depoſcit. Quare Syluestrum rectiùs ſenſiſſe affirmaui, qui in verbo Baptiſmus tertio, q.1. extrà irregularitatem ait eum eſſe, qui non, permittente tempore neceſſitatis, eum, quem iure non
„ poteſt, baptizat: Nullus, inquit ipſe, extra
„ caſum neceſſitatis licitè baptizat, niſi Sa-
„ cerdos, cuius eſt hoc proprium, etiam ſi
„ eſſet Diaconus Cardinalis: alioquin o-
„ mnis talis ſi ſit vir, eſt irregularis, vt in c.1.
„ de Clerico non ordin. miniſtr. Imò nec
„ Sacerdos debet baptizare, niſi parochia-
„ num ſuum, vel de licentia curati, aut ex
„ priuilegio ſuperioris, vel licentia Epiſcopi:
„ quia ſacramenta à ſuis presbyteris paro-
„ chialibus ſunt recipiēda, 16.q.1. Interdici-
„ mus: non tamē efficitur irregularis Sacer-
„ dos contrà faciens: quia non eſt expreſ-
„ ſum in iure. Totidem verbis ille. Mihi verò nulla ſentētia aut excommunicationis, aut ſuſpenſionis, aut interdicti in eum occurrit, qui ſic deliquit, à iure promulgata.

2\. De ſecundo, quod ab illo ipſo Sacerdote quærebatur, dixi, ei multùm etiam atque etiam conſiderandum eſſe, eſſet ne in baptizando perſona tertia diuina à ſe prætcrita. Quòd ſi in eius rei certam memoriam redire non poſſet, & veriſimilis dubitatio eius animum percelleret, ad Baptiſmum cum vſurpatione conditionis veniendum eſſe: ideo quòd in forma Baptiſmi, qua Eccleſia vtitur, trium perſonarum diuinarum diſtincta appellatio neceſſariò requiratur. Vna ſi omittatur, ex communi ſenſu Theologorum, imò ex Eccleſiæ decreto non confici Sacramentum Baptiſmi: Si quis, inquit Alex.3. in ſua decret. quæ incipit, Si quis, de Baptiſmo & eius effectu, puerum ter in aqua immerſerit *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Amen*; & non dixerit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Amen*, non eſt puer baptizatus. Et Zacharias Papa in epiſtola Decretali ad Bonifacium Epiſcopum, cuius ſunt prima verba, *Sacris liminibus*, cuiuſdam Anglicani Concilij approbat decretum de tribus perſonis diuinis in adminiſtratione Baptiſmi neceſſariò nominandis. Hoc quoque (verba ſunt Romani Pontificis) obſeruari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, vt, qui vel vnam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe verum nō poſſit: quod pro certo verum eſt: quia, qui vnam ex ſancta Trinitate confeſſus non fuerit, perfectus Chriſtianus eſſe non poteſt. Et quoniam in Baptiſmo plenā ſanctiſſimæ Trinitatis fidē profitemur, ideo, ſicut omnes tres perſonas credere oportet, ſic eaſdem ſuis nominibus profiteri in Baptiſmi Sacramento neceſſe eſt, vt inquit Turrecremata, Canonem illum explanans Zachariæ, in Synodo de Conſecrat. d.4. quæ ratio eſt D. Bonau. in 4. d.3. art.2. q.2.

Porro autem tres in eius capitis explanatione ex Alexandro Hal. cauſſas colligit Turrecremata, cur nulla in forma Baptiſmi diuinarū perſonarum poſſit omitti. 3.

Prima eſt, Quia noſtræ ſalutis beneficium auctori illius potiùs quā mediatori referri debet acceptum: auctor autem eſt Deus trinus, & vnus.

Secunda. Quia ea forma quæ ſuis nominibus exprimit tres perſonas diuinas, maximè eſt fidei noſtræ conſentanea, &
neceſſaria: Si enim, addit Turrecremata, «
fieret Baptiſmus in nomine Chriſti, poſſet «
virtus reparationis credi eſſe à Chriſto, «
non

Digitized by Google

» non à Trinitate: præcipua autem cauſſa
» legis Euangelij fuit, vt fides Trinitatis ma-
» nifeſtaretur: vt autē dicitur Matt. 5. Chri-
» ſtus venit legem adimplere: hæc autem
» adimpletio legis, vt dicit Aug. in lib. qq.
» noui Teſtam. fuit in manifeſtatione Tri-
» nitatis. Hæc ille.

Tertia cauſſa. Quoniam in Baptiſmo, Trinitatis imago redintegratur: ergo in trium perſonarum nuncupatione Baptiſmum perfici oportebat.

Mihi ſanè duo ſunt certa: Vnū eſt, vſitatā formā Eccleſię quæ eius aut præcepto, aut conſuetudine vim præcepti obtinēte ſeruanda eſt in Eccleſia Latina, hanc eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.* Alterum in hac eadem vſitata forma, ſi nomen vnius perſonæ reticeretur, inane futurum Baptiſmi Sacramentum: niſi fortè in moriente puero, vel puella, cùm non potuerit forma abſolui, Deus ſua clemētia ſuppleret: quod ipſum credit D. Thom. in 3. d. 4. q. 2. art. 2. q. 3. ad 4. & D. Bonau. in eamdem diſt. art. 2. q. 2. & Richardus in eamdem diſt. art. 2. q. 3. ad 2. arg. & Altiſiod. in 4. par. in tract. de formæ Baptiſmi ſubtractione, aliique priſci Theologi, vt declarat D. Thom. in eo quem indicauimus loco.

QVÆSTIO VII.

1. CVm baptizaret infantem, dixit; *Ego te baptizo in nomine Patris: ego te baptizo in nomine Filij; ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti.* Per litteras è longinquo miſſas rogatus ſum quid de hoc genere Baptiſmi ipſe ſentirem. Reſpondi, videri mihi tres fuiſſe ablutiones cum tribus formis omnibus imperfectis: quare ſub conditione infantem baptizandum: ſalua ſemper meliore ſentētia. Neque enim ſatis diſpicere poteram, cùm vnus debeat eſſe Baptiſmus, quemadmodum tres illæ ablutiones coire poſſent in vnam; & tres illæ formæ imperfectæ vnam poſſent efficere perfectam. Non me latet, trinam immerſionem, quando hoc modo celebratur Baptiſma, ad vnam pertinere immerſionem, vnúmque efficere Baptiſmum: quando verba formæ non conſumerentur in vna immerſione, ſed tres omnes comitarentur verba formæ, & in poſtrema poſtremum verbum conſideret: nam, ſi tota forma proferretur dum primùm immergitur pueri caput, reliquæ duæ eſſent ſuperuacaneæ; & in prima perfectum eſſet Sacramentum: & cum ſacrilegio repeteretur in reliquis duabus forma. Adde; quòd cùm omnes tres perſonę copulatiuè efferri debeant, in hac ratione baptizandi non fit. Quòd ſi illa coniunctio, &, pertinet ad eſſentiam formæ, vt nonnulli defendūt, neque ex horum ſententia fuiſſet hoc verum Baptiſma: cùm numquam in trina ablutione eiuſmodi coniunctio interpoſita ſit. Præterea non manet forma, quando eius vnitas interrumpitur, vt inquit Scot. in 4. d. 3. q. 2. art. 3.

QVÆSTIO VIII.

MOnſtrū naſcitur membris humani 1. corporis omnibus ornatum, excepto capite; quod nullam humani capitis effigiem prę ſe gerit. Conſultus ſum, eſſēt-ne Baptiſmus huic monſtro tribuendus; &, ſi tribuendus, cum conditione ne, an abſque conditione. Iudicaui, ſi ex pectore certa coniectura capi poſſet humani cordis, de anima humana non eſſe ambigendum; ita ſine conditione baptizari poſſe: verùm, ſi probabiliter id addubitari poſſet, cum conditione Baptiſmum adhibendum eſſe hac forma vſurpata verborum: *Si non es capax Baptiſmi, ego te non baptizo: ſi capax, baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* & aqua, non caput quod nō apparet, ſed pectus ipſum, quod videtur humanum, perfunderem.

Quamquam, verè vt dicam, vix licet dubitare de monſtro, ſit ne humanæ naturæ ſuppoſitum, ſi ortum ſit è mare & fœmina humanæ ſpeciei, cunctis partibus

corporis humani præter caput inſtructũ. Præſertim cùm ex Ariſtotelis ſententia, quę Theologi noſtrates ſequuntur, animę principatus ſit in corde: ſitque cor principium vitæ, ſenſus, & motus, vt inquit ille in 2. de par. animalium cap. 3. & c. 4. ait cor eſſe velut alterum animal: quod item vult ptimùm à natura fabricari, & ipſum deinde reliquarum partium eſſe opificem. Quæret hoc loco quiſpiam, qua ratione baptizandum monſtrum foret, quod geminatis membris eſſet. Hac de re nemo curioſiùs & ſubtiliùs diſputauit Henrico Gandau. in quodlib. 6. q. 14. qui his verbis diſputationem concludit.

2. Dico ergo ad quæſtionem, quòd, ſi poteſt percipi, duo corda eſſe in monſtro, duæ perſonæ ſunt reuera, & duo nomina eis imponenda. Si verò ex aliquo indicio percipi poſſit, quòd non ſit ampliùs quàm vnũ cor: tunc proculdubio non eſt ibi niſi anima vna, & non eſt niſi vna perſona: & nõ niſi vno nomine nominanda. Quando verò palàm duo eſſent, duplici Baptiſmo eſſent baptizandi.

Addit idem Doct. in eod. quodlib. qu. 15. quòd ſi animus baptizantis eſſet vnam perſonam baptizare, quòd vnam putaret, & re vera eſſent duæ, neutra eſſet baptizata. Cùm autem dubitatur, ſint ne bina ſuppoſita, an vnum, exiſtimat Henricus ſingillatim vtrique dandum baptiſmum. Sotus in 4. d. 3. q. vnic. art. 9. §. Ad hunc locum: ſcribit rarò accidere poſſe, vt mõſtrum ſit duplex ſuppoſitum: eſſet autem duplex, ſi duo gereret capita, & pectora: & tunc duplex eſſet adhibendus Baptiſmus. Sed nimirum ſi duo eſſent pectora, & thoraces, qui ſuis, & diſtinctis cierentur motibus, de gemino ſuppoſito dubitandum non eſſet: quare neque de duplici Baptiſmo adhibendo. Toletus in inſtructione Sacerdotum lib. 2 cap. 21. eiuſmodi monſtrum, in quo duo pectora, & capita ineſſent, cẽſet baptizandũ ſic eſſe, vt vnus Baptiſmus ſine cõditione, alter cum conditione miniſtretur. Sed veriſſima eſt Hẽrici Gand. ſententia, baptizandum eſſe tamquam duplex ſuppoſitum cum duplici anima rationali: atque ob id ipſum, duo Baptiſmata diſtinctis ablutionibus, atque integris formis diſtinctis, tradenda.

Duo enim ſuppoſita coniungi poſſe in vno monſtroſo corpore, quamuis id perrarò fieri affirmet Sotus eo loco, nihilominus factum eſſe ſæpe non mentitur hiſtoria. 3.

Henricus in illo quodlib. 6. q. 14. narrat, quandoque conſpectum monſtrum eſſe, in quo capita, & ſuperiores partes diſcretæ erant, inferiores autem copulatæ; illúdque ipſum prouectæ ætatis; & bina capita eiuſdem monſtri viſa eſſe inter ſe propè inimicitias gerere, altercari; & vno appetente cibum, alterũ ieiunare voluiſſe; & vno comedente, alterum conqueſtum eſſe, quòd alterius eſca ſibi eſſet moleſta, & grauis; & cùm vnum vellet Deum orare, alterũ iocari voluiſſe; facítque cuiuſdam monſtri mentionem, in quo eodem modo duarum fœminarum corpora coaluerant: earum alteram ad libidinem, turpémque voluptatem incitatam eſſe, vitámque mollem, & diſſolutam adamaſſe; alteram, religioſam ſe eſſe voluiſſe: vnámque alteri longo tempore præmortuam eſſe; & cum viua mortuam diu cohæſiſſe. Rationes item perſequitur in illa quęſtione Henricus, quemadmodum in matrum vteris monſtra generentur; & eorum generationis quæ ſint veræ cauſſæ, & proximæ. Sanè Philoſopho ac Theologo eſt digna diſputatio.

QVÆSTIO IX.

1. Confeſſus eſt ſua ſpõte Sacerdos nõnullus, ab ſe baptizatos eſſe permultos ea forma ſiue per incuriã ſiue per inſcitiã, coniungẽte particula dẽpta, dicẽs *In nomine Pat. Fil. Spiritus ſancti*, optabátq; doceri, fuiſſet ne verus Baptiſmus, quem ſic largitus eſſet, an iterum abluendi eſſent ſaltem adiecta conditione. Quidam Magiſter haud dubitanter reſpondit, palámque

que in Gymnaſio apud ſuos auditores profeſſus eſt, Sacerdotem iſtum non baptizaſſe: quòd de forma verbum ad illius pertinens eſſentiam detraxerit: nam dictionem, *&*, ad eſſentiam ſpectare formæ pro comperto habuit. Primò, quia copulatiuè appellari debent perſonæ diuinæ; at eo modo non appellantur copulante particula ſubtracta. Deinde, quia Alexander 3. in decretali, ſi quis de Baptiſmo, & eius effectu, præcidere videtur facultatem aliter opinandi. Sancit enim his verbis: *Si quis puerum ter in aquam immerſerit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen: & non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen: non eſt puer baptizatus.* Et ne noua, ac inſolens hæc videatur opinio, è iuris Pontificij, atque è Theologiæ doctoribus nobilis huic ſententiæ patronos adoptabimus. Gloſſa in illam decretalem Alexandri, & Panormitanus, obſeruant, vbi aliqua verba ſunt de ſubſtantia, vel forma ſubſtantiali alicuius actus, omiſſione alicuius verbi, vitiari totum actum: neque aliud viſum eſt Innocentio eandem decretalem interpretanti num. 5. ſui commentarij; additque valiturum Baptiſma, ſi in locum, *&*, ſufficiatur, *que*, vt ſi diceretur, *In nomine Patris, Filiique, Spiritúſque ſancti.* Hoc dictum Innocentij à multis auctoribus ſummarũ recitatur, tamquam Innocentij, nec refellitur, vt ab Angelo in verbo Baptiſmus, tit. 2. §. 11. à Sylueſt. in verbo Baptiſmus primo, q. 11. à Ioáne Tabienſi in verbo eodem, tit. 3. num. 8. ex Theologis Maior in 4. diſt. 2. q. vnica, in reſp. ad 2. argum. in antiquioribus, in recentioribus verò quæſt. 1. col. 5. illam præpoſitionem, *in*, & illam coniunctionem, *&*, eſſe intimas formæ, & ad illius eſſentiam pertinentes credidit: nam particula, *&*, ait diſtinctionem indicari perſonarũ.

2. Verùm cùm Maior ſubtilis videri voluit Theologus, minùs acutus factus eſt Grammaticus: nam, *&*, cùm ſit coniunctio, vim propriam habet copulandi, non diſtinguendi; coniungendi, non ſeiungendi: atque hanc ob rem cõiunctio, non diſiunctio appellata eſt. Gabriel in 4. d. 3. quæſt. vn. art. 3. dub. 3. *in*, inquit, ſi omittitur, dicitur quòd non eſt Baptiſmus; & citat Aſtenſem: *&*, ſi omittitur, dicitur quòd nihil fit, & hæc ipſa, quæ dici ait, minimè redarguit; vt iſtud ipſum creditum videatur eſſe à Gabriele. Ablatione, *in*, interire formam, ex ſententia Valdenſis referunt Sylueſt. & Tabien. citatis locis, & Angelus in verbo Baptiſmus ſecundo. §. 6. Eiuſdem ſententiæ comprobator videtur eſſe Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 2. art. 3. §. De ſecunda variatione per ſubtractionem. Cùm enim in forma Latina docuiſſet verba quædam eſſe principalia, quæ item in Græcorum forma inſunt: nonnulla minùs principalia, quibus Græcorum Baptiſmus perficitur; principalia dixit eſſe hæc, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ac ſubiunxit: » Si autem de » principalibus aliquod ſubtrahatur, nihil » fit: quodlibet verborum illorum eſt per ſe » neceſſarium ad formam, atque in illis » principalibus verbis ſunt, *in*, atque coniunctio, *&*. hæc igitur ſi ſibi conuenit Scotus, eſt intra eſſentiam formæ. Et Paludanus in 4. d. 3. q. 1. art. 3. in forma Baptiſmi præter pronomen *ego*, reliqua omnia verba conſtituere ſubſtantiam formæ iudicauit. Sic enim ille: In forma, *ego*, eſt de » præcepto Eccleſiæ: quidquid autem aliud » tolleretur, Sacramentum nullum eſſet: » ergo, qui tollit, *&*, non perficit Baptiſmi » Sacramentum. Quod affirmat Palud. aſ» ſeuerat etiam Durand. in eandem diſt. q. 2. num. 7.

3. Hæc in hac parte ſunt: & quoniam in hac ipſa controuerſia mea ſententia flagitata eſt; eam nonnullis propoſitionibus complectar. Prima propoſitio in Romana forma, *ego*, & *amen*, creditur ab omnibus non eſſe de eſſentia. Secunda, in eadem forma illa, *baptizo*, &, *te*, non pertinere ad eſſentiam probat conſuetudo baptizandi Græcorum: qui *baptizo*, commutant in *baptizetur*, &, *te*, in *ſeruus Chriſti*; quos verè baptizare, poſt Florentinum

Concilium, nulli facultas eſt inficiandi: dixi, poſt Conc. Flor. quoniam ante illud pluſquàm dubium aliquibus antiquorum Theologorum fuit, eſſétne verus apud Græcos Baptiſmus. Quinetiam proditum eſt ab Alberto Magno in 4. ſent. d. 3. art. 2. ad quæſtiunculam 2. Tres è Sancti Dominici familia religioſos viros, qui more Græcorum Baptiſmum ſuſceperant: ſeu Dalmatarum, qui perinde vt Græci, eo tempore baptizabant, iuſſos eſſe Romæ Romani Pont. auctoritate rebaptizari. Quamquam dici poteſt in illorum Baptiſmo aliquid ad eſſentiam Baptiſmi ſpectans, deſideratum eſſe; quod Pontifici Romano notum eſſe potuit, ignotum Alberto. Peccéntne Græci, qui Latinæ Eccleſiæ reſpuunt formam, nécne, non eſt meum decernere. Alphonſus à Caſtro, aduerſus hæreſes lib. 3. in verbo Baptiſmus, hęreſi 2. peccare eos dicit, atque etiã eſſe hæreticos: peccare quidem; quoniam ob ritum hunc baptizandi ab Romanæ Eccleſiæ poteſtate deſciuerunt; atque ob id ipſum ſchiſmatici ſunt; hæreticos autẽ ideo eſſe quòd Latinæ Eccleſiæ Baptiſmũ ratum non habent. Cùm tamen multis rationibus à noſtris Theologis probetur, formam qua nos Latini vtimur, eſſe Chriſti verbis magis conſentaneam.

Tertia propoſitio. Eximere è forma præpoſitionem *in* cenſeo nemini licere: concideret enim ſententia, & mens, vt puto Chriſti, qui id tantùm voluit decernere, vt in alia quæſtione probaturi ſumus; illis verbis *in nomine*, ſingillatim omnes tres diuinas perſonas in Baptiſmo nuncupandas eſſe. At ſi detracta præpoſitione dicas, te *nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, baptizare, oſtendis te vel auctoritate, vel poteſtate, vel imperio trium perſonarum diuinarum id facere. Cùm re vera imperante, & inſtituente Chriſto baptizentur homines: quamuis trium perſonarum virtute regenerentur, peccatóque liberentur.

Quocirca Innocentius, in caput illud, Si quis, de Baptiſmo & eius effectu, negat mutari poſſe, *in nomine, in virtute*, & Sot. in 4. d. 3. q. vn. a. 5. §. Collige, ſcriptũ reliquit, cum conditione nouo Baptiſmo initiandum eſſe eũ, qui baptizatus eſſet in virtute, vel auctoritate. Gabriel in 4. d. 3. q. vn. art. 3. dub. 3. quum ſcribit, *in* ſi omittitur, dicitur, quòd non eſt Baptiſmus; citátque Aſtenſem, oſtendit opinionem eſſe communem. Tribuunt eandem ſententiam cuidam Gualdenſi, Syluest. Tabien. citatis locis: quam illi minimè improbant. In hanc ipſam ſententiam diſceſſionem facit Maior in 4. d. 2. q. vnica, in reſp. ad 2. arg. in vetuſtioribus cod. in recentioribus verò, q. 1. col. 5. & Palud. in 4. d. 3. q. 2. art. 2. eodem propendet Scotus in eandem diſt. quæſt. 2. art. 3. §. De ſecunda variatione: idem ſequitur Toletus in 2. lib. de inſtr. Sacerd. c. 19. itaque meo quidem animo parum cautè recens quidam Theologus ſcripſit, tria hæc, *ego, in, amen*, pertinere ad ſubſtantiam formæ: debuerat enim excipere *in*, vt fermè omnes excipiunt.

Quarta propoſitio, neque ex Latina, neque è Græcorum forma poteſt remoueri illud *in nomine*, quin tota ſententia pereat, fiátque oratio ineptiſſima, vt inde nihil colligi poſſit: ſi enim dicas, *Baptizo te*, vel *baptizetur talis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. An non vides ſtultiſſimo te vti ſermone, nec quidquam certi ſignificante? Verùm, ſi quis per inſcitiam, aliámve cauſſam non flagitioſam omiſſo *in nomine*, diceret, *Baptizo te in Patrem, in Filium, & in Spiritum ſanctum, vel, in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto*, quibus verbis conſeruatur eadem ſententia, & rite cauſſa principalis Baptiſmi exprimitur, non video cur non ratum eiuſmodi eſſet habendum Baptiſma, de quo in alio facto diſputaturi ſumus.

Quinta propoſitio, & coniunctio ſi tollatur à forma, ea non vitiatur; neque inane redditur Baptiſmi Sacramentum, vt confirmat Cardinalis Toletus in 2. lib. de Inſtruct. Sacerd. cap. 19. quoniam nihil detrimenti capit ſententia formæ. Tanto viro ego libenter meam trado ſententiam,

quæ

quæ mirum in modũ congruit cum magnorum Doctorum, & Concilij Florentini verbis, atque decretis. Sic enim Concilium Florentinum præcipiens de Sacramento Baptiſmi.

5. *Forma autem eſt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* non tamen negamus, quin per illa verba, *baptizetur talis ſeruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cùm principalis cauſſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit Sancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentũ.

Verùm in forma, quæ caret coniunctione, &, ſignificatur & inuocatur tota Trinitas: & exprimitur actio miniſtri: ergo eſt veriſſimum Baptiſmi Sacramentum. Minor perſpicua eſt: ſi enim ex te quæram, quæ ſit ſanctiſſima Trinitas, vel, quæ ſint Perſonæ diuinæ; rectiſſimè & Catholicè reſpondebis, *Pater, Filius, Spiritus ſanctus*; neque hæc tua profeſſio, Catholicáque reſponſio vlla eget particula coniungente. & D. Thom. in 4. diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. ad 2. quæſtiunculam. Inuocatio Trinitatis eſt de eſſentia formæ, idque ſecundùm omnes, vel omnium iudicio, vt inquit Albert. in eandem diſt. art. 2. ad 1. quæſtiunculam. nec ſecus Palud. in eandem diſt. quæſt. 1. art. 3. & Scotus in eandem quæſt. 2. art. 3. & in nomine Trinitatis, vt idem docet D. Thom. ex Magiſtro in eod. loco, quæſtiunc. 3. idem eſt quod inuocatio Trinitatis. Sed perfectè Trinitas inuocatur ſine copulante dictione, vt probatum eſt: quare, &c.

Ad quæſtiunculam autem tertiam, inuocatio eſt de eſſentia, & expreſſio actus, & expreſſio perſonæ baptizatæ, & ideo aliquid horum ſubtrahere, tollit veritatẽ Sacramenti. At qui tollit, &, nihil illorum trium tollit: ergo non eſt de eſſentia. & D. Bonau. in eandem diſt. art. 2. q. 1. num. 24. Si notitia, inquit, ſeu inuocatio Trinitatis plena ſit in corde, & in ore, tunc ſecundùm omnes plenum eſt Sacramentũ. Sed relicta coniunctione, quis corde, & ore plenè inuocat Sanctam Trinitatem, tréſque perſonas diuinas: ergo verè, & plenè baptizat. Alexander Halenſis in 4. p. quæſt. 8. art. 3. §. 1. quæſtiuncula, conſequenter quæritur, de variatione per diminutionem. Diminutio quæ non tollit intellectum primum, ſeu accommodatum ſermonis, non vitiat Sacramentum, ſed qui diminuit formam ſubtrahens, &, nec primum, nec accommodatum intellectum tollit trium perſonarum diuinarum: ergo non vitiat Sacramentum. Hadrianus quæſt. 1. de Baptiſmo, ar. 3. memb. 2. Videndum eſt, §. Dico igitur. Hoc habet, inquit, fides matris Eccleſiæ, ſi per ignorantiam omiſſum fuerit aliquid ex ſubſtãtialibus formæ, puta expreſſio actus baptizandi, vel perſonarum, rebaptizatur: at qui omittit particulam, &, nihil ſubſtantialium omittit: ergo. Alphonſus à Caſtro in 3. lib. contra hæreſes, c. de Baptiſmo, hæreſi 2. ex Canonibus Apoſtolorum, atque adeo ex Euangelio, exactæ formæ Baptiſmi tria ait eſſe neceſſaria, videlicet verbum explicans actum baptizandi (verba ſunt Alphonſi) & nomen exprimens perſonam baptizatam, & totius Trinitatis per propria perſonarum nomina expreſſionem: verùm, adempta coniunctio horum trium nihil tollit; ergo exactæ formæ non officit.

Summa confeſſorum in ſummis ſatis antiqua, nec poſtremæ auctoritatis, lib. 3. tit. 24. quæſt. 10. duplicem formam in Sacramẽto Baptiſmi diſtinguit: quod ipſum priſci Theologi nonnulli fecerunt, vnam intelligibilem, quæ in rebus, quæ ſignificantur, ſpectatur; atque huius mutatione perire ait veram formam Sacramẽti, quia determinata eſt: alteram ſenſibilem, quæ in vocibus conſiſtit, & hanc non adeo definitam eſſe ait: quare hanc non obeſſe, ſi intelligibilis ſeruetur. forma autem intelligibilis, nihil eſt aliud, quàm quæ ad eſſentiam pertinent formæ, ex Conciliis, &

iis

iis qui in hac ipſa quinta propoſitione nominati ſunt, doctoribus. Sotus in 4.d. » 3.q.vnica,art.5. §. Collige. Collige ergo, » inquit, de eſſentia Baptiſmi eſſe, vt expri- » matur actus, qui exercetur à miniſtro cũ » inuocatione Trinitatis, vt habetur in Cõ- » cilio Florentino: at huic eſſentiæ ſæpius eſt iam dictum, ablatam coniunctionem non obeſſe. Denique Victoria in libello de Sacramentis, quæſito 13. apertè ſcribit, variationem, quæ non mutat ſenſum formæ, non tollere Sacramentum; quæ fuit ratio doctiſſimi Cardinalis Toleti: Sed nimirum pro vnius ſyllabæ verbo, quod per ſe ipſum leuiſſimam notitiam habet, haud erat tam acris contentio ſuſcipienda. Verùm omnis hic labor neceſſarius futurus eſt ei quæ hanc ſubſequi debet quæſtioni.

6. Quæ igitur ſunt allata principio, diluamus. Si ex decretali Alexandri, hoc effici, cogíque poſſet, *&*, eſſe partem eſſentiæ formæ, efficeretur pariter eſſe partes eiuſdem formæ eſſentiales, *ego*, & *amen*: ambas enim ponit Pontifex in illa ſententia ſua. Ne igitur ad tantam abſurditatem, quam cuncti Theologi vitarunt, ipſi delabamur, dicendum videtur cum Adriano in 1.q. de Baptiſmo, art.3. p.2. quæſtionis, quæ incipit, Videndum eſt. §. Duo igitur, ad 4.argum. & cum Soto in 4. diſt. 3. quæſt.vnica, art. 5. & cum Alphonſo de Caſtro in 3. de hæreſibus in verbo Baptiſmus, quæſt. 5. hoc vnum tantùm fuiſſe propoſitum Romano Pontifici, irritum pronuntiare illum Baptiſmum cum trina immerſione, & inuocatione Trinitatis datum; propterea quòd caruit verbo actũ baptizantis declarante: quam declarationem ad eſſentiam formæ à Conciliis, & ſacris Theologis referri in hac diſputatione, iterum & ſæpius eſt repetitum. Iam verò copulatiuè efferendas eſſe perſonas diuinas non negamus: ſed neceſſariam eſſe ad eam rem coniungentem particulam, hoc verò dicere ridiculum eſt. Quis enim ignorat, me affirmante tres in ciuitate eſſe mihi gratia & familiaritate coniunctos, Antonium, Petrum, Ioannem, tres omnes coniunctè efferri, quamuis nota coniungẽs nulla ſit quæſita? & cùm dico nobis in hac controuerſia, vel illa, tres quatuórve adeſſe Theologos, eóſque non ſecundarum, D. Thom. D. Bonau. Alex. Halenſem, Albert. Magnum, an nõ ſingulos ſuis diſtinctiſq; nominibus coniungo? nam quod Maior ait, illud, *&*, vim diſtinguendi habere, hoc iam eiectũ eſt Grammaticè: Philoſophicè etiam & Theologicè eiiciendum eſt. Quoniã non coniunctiones Grammaticæ excogitatæ ſunt ad diuinas humanáſque perſonas diſtinguendas, ſed nomina.

Sed nimis multa de re leuiculis etiam Grammaticis notiſſima. De Scoto reſpondendum: ipſum in principalibus vocabulis non, *&*, numeraſſe, ſed aut diuinas perſonas, aut aliud quidpiam, quo ſublato neceſſe eſt ſententiam perimi formæ. Hæc à nobis non fingi ſatis ſigni illud eſſe debet: quòd cùm negaſſet ex hac oratione, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, nihil demi poſſe, addidit: Sed ſi ſubtrahatur aliqua ſyllaba per ſyn- » copam, nõ per hoc deſtruitur forma; non » enim voluit Deus omnino determinare » hominem ad verba in Sacramentis vltra » illum modum, quo verba ſufficiunt ad » exprimendum conceptum; ſed cum ſyn- » copa bene intelligit, audiens conceptum » loquentis; & Hadrianus in loco ſæpius ci- » tato, in reſp. ad 4. argum. Ex bonitate, » inquit, intelligentium fit, vt dictiones re- » tineant gratia partium ſignificationem » repugnantem toti. »

Ad Paludanum reſpondeo, primùm, illum inconſtanter locutũ: nam de hæretico antea loquens, dixerat, eum verum præbiturum Baptiſma, ſi intendiſſet facere quod facit Eccleſia, quidquid vel addidiſſet, vel detraxiſſet: quod verum non eſt, ſi id detrahit, vel addit, quod & fidem & intentionem tollit Eccleſiæ. Deinde, in eo deceptus eſt Paludanus, quòd in hac forma: *Ego te baptizo in nomine, &c.* excepto pronomine *ego*, reliqua omnia credidit

dir de eſſentia : id quod dici non poſſe, nec debere, cogit Concilium Florentinũ, & forma Græcorum ab eodem probata Concilio : eodémque errore captum eſſe Durandum palam eſt. Et ſanè nihil habet probabilitatis, corpus Chriſti conſecrari poſſe ſine illa dictione, *enim*, quamuis grauiter peccaret qui eam amoueret: & non conſecrari Baptiſmum, *&*, ſublato. Eſt igitur extra formæ eſſentiam coniunctio, *&*, *què*, *atque*, *ac*.

QVÆSTIO X.

1. Mulier domi infantem baptizat, Italicè hæc verba pronuntians : ***Io te battezo col Patre, col Figlio, & con lo Spiritu ſanto.*** Dubitatum eſt à nonnullis; ſit ne iis verbis perfectum Baptiſmi Sacramentũ. Quę in vtraque parte probabilia ſunt, ipſi indicabimus : Non fuiſſe igitur lauacrum regenerationis cum ſalute infantis adhibitum probant hæc omnia.

Primùm, Baptiſmus à Catholicis Doctoribus appellatur Sacramentum fidei: quia in eo profitemur fidem in ſanctam Trinitatem, & in vnum Deum: Vnitatem Dei oſtendit forma, cùm dicit *in nomine:* perſonarum diſtinctionem, cùm additur, » *Patris, Filij, & Spiritus ſancti.* Non ba- » ptizamur, inquit Diuus Hieron. in epiſt. » ad Epheſios lib. 2. cap. 4. in nominibus » Patris, & Filij, & Spiritus ſancti : ſed in » vno nomine, quod intelligitur Deus: & habetur de conſecrat. diſtinct. 4. c. eodem modo. Et Altiſiodorus, Theologus perantiquus, in 4. p. ſummæ tract. 3. c. 4. q. 4. ſcribit, Baptiſmum mundare per fidem; & ideo perfici vocibus ſignificantibus Vnitatem Dei, & Trinitatem perſonarum: & Albertus ad eſſentiam refert *in nomine*, in 4. diſt. 3. art. 2. ad quæſtiunc. 3. Verùm ſi è forma dematur, *in nomine*, non relinquitur vox declarans vnitatem eſſentiæ diuinæ: quare nullum erit Sacramentum.

Reſpondeo, apud Catholicos nomen ipſum Trinitatis, eſſe nomen vnius, ac trium Dei; vnius eſſentialiter, trium perſonaliter. Quare qui tres nominat perſonas diuinas, vnum etiam Deum in tribus perſonis cõfitetur. Ad hæc, cùm vna ſit ablutio omnis culpæ per lauacrum regenerationis in aqua, vnum etiam teſtamur eſſe principium illam efficiens, id eſt, diuinam virtutem, atque potentiam vnam atque eandem, in tribus perſonis diuinis operantem. Adde quòd, vt non multo pòſt intelligetur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptizari*, idem valet, quod, in fide, ſeu notitia, ſeu confeſſione, ſeu inuocatione Trinitatis: quæ omnia retinentur cùm inuocatur S. Trinitas, ad hunc modum, *cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu ſancto*. Homini verò à noſtris ſacris abhorrenti, illarum vocum prolatione, *in nomine*, non magis ſignificatur vnitas Dei, quàm ſi omnino non adderetur.

Secunda ratio. Formæ Sacramẽtorum 2.
ſunt à Chriſto traditæ: ergo nulli licet eas immutare, augere, vel minuere. At mulier imminuit, prætermiſſo *in nomine*: ergo non contulit Sacramentum. Reſpondeo; ſicut Euangelium, vt inquit Diuus Auguſtinus, ſitum eſt in rebus, non in verbis: ita formæ Sacramẽtorum Euangelicæ. Quoties igitur conſeruata eſt eſſentia formæ, quibuſcumque ea verbis declaratur, ſatiſfactum eſt menti Chriſti, qui auctor eſt Sacramentorum, atque ipſi etiam Sacramento. Cùm ergo voluerit Chriſtus beneficium ſpiritualis regenerationis in verbo Vitæ acceptum referri, nõ vni, ſed tribus perſonis diuinis, illius planè intentioni inſeruitur; cùm Baptiſmi effectum ab omnibus ſimul perſonis proficiſci teſtamur; id autem teſtata eſt mulier, cùm dixit, *cum Patre*, &c. ergo verum largita eſt Sacramentum.

Tertia ratio : Qui baptizans, diceret, *in nominibus*, ex Theologorum ſententia, nihil efficeret: ergo vt fiat, & ſit Sacramẽtum, dici debet *in nomine*. Reſpondeo, cùm apud multos Catholicos illud, *in nomine*, idem ſit, quod in virtute, in auctoritate, in fide; qui diceret, *in nominibus*,

per errorem pernicioſum multiplicaret virtutem, auctoritatem, fidem perſonarum diuinarum: id quod non fit ab eo qui dicit, *cum Patre, cum Filio, cum Spiritu ſancto*: confitetur enim vnam eandémque trium perſonarum fidem, virtutem, atque auctoritatem.

Quarta ratio. Cùm pars hæc formæ manſerit ſemper in Eccleſia tam Latina quàm Græca; ergo nullum ex ea verbum tolli poteſt, ſalua ſubſtantia Sacramenti. Reſpondeo; cùm axioma ſit Theologorum, formas æquipollentes Sacramentorum idem valere, & efficere; me non videre, cur Sacramentum Baptiſmi, datum *in nomine Patris*, vel *cum Patre, Filio, &c.* cùm idem ſit, non idem valere & efficere debeat.

3. Fatentur omnes Theologi hanc eſſe legitimam formam abſoluendi in Sacramento Pœnitentiæ: *abſoluo te*: & hæc eſt recepta, & ſolemnis in tota Eccleſia. at qui diceret, *Remitto tibi, condono tibi peccata; remittantur tibi peccata*, idem efficeret: verúmque impertiretur Sacramentum.

Quinta & poſtrema ratio: Magni, & multi Theologi crediderunt ex hoc numero verborum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, nullum poſſe eximi verbum, quin pereat Sacramentum. Scotus in 4. d. 3. q. 2. §. De variatione principali. Richardus in 4. eadem diſt. art. 2. quæſt. 3. Durand. in eandem diſt. quæſt. 2. num. 7. Palud. in eandem q. 1. artic. 3. §. Quarto fieri poteſt mutatio. Sotus in eandem d. q. vn. art. 5. §. Vt ergo ad dubium reſpondeamus. Imò Paludanus & Durandus, *Baptizo te in nomine, &c.* pertinere volunt ad neceſſitatem & eſſentiam Sacramenti: in quo falluntur. Nam Græci verè baptizant, vt eſt in Concilio Florentino: à quibus omittitur, *te*, & pro *te* dicunt *ſeruus Chriſti*. & pro *baptizo, baptizetur*, ſummutatione verbi actiui in paſſiuum, & primæ perſonæ in tertiam, & modi indicatiui in imperatiuum, ſeu optatiuum.

Dupliciter refellitur argumentum. Vel enim dicere poſſumus, contrariam ſententiam, de qua mox, maiorum, & plurium auctoritate niti doctorum: Vel, in forma vſitata, cùm nomen perſonarum diuinarum in ſecundo caſu collocetur, ſi omittatur, *in nomine*, relinqui formam ſine vlla vi ſignificandi. Quid enim ſignificet hæc ineptiſſima oratio, *Ego te baptizo Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*? At forma & eſt ſacra, & vim plenam habet ſignificandi, ſi nomina perſonarum in ſexto caſu cum propoſitione *cum*, efferantur.

Nunc quæ in altera parte veriſimilia ſunt, perſequamur. Primum argumentum. Baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ex ſententia Magiſtri in 4. ſent. d. 3. cap. Ex his apertè: valet in inuocatione, vel confeſſione Trinitatis: ergo qui inuocat in forma Baptiſmi, ſeu confitetur perſonas Trinitatis, in earum nomine confert Baptiſmum, & valet. D. etiam Thom. in 4. d. 3. q. 2. art. 2. quæſtiun. 1. ad nonum argumentum, *in nomine*, interpretatur *in inuocatione*: & in eod. artic. quæſtiunc. 2. & 3. ar. inuocationem Trinitatis eſſe de eſſentia formæ apud omnes. *In nomine Trinitatis*, id eſt, *in profeſſione, notitia*, ſeu *fide*, exponit Alex. Halenſis in 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. §. Item quæritur de hoc. vbi citat etiã Hugonem. Sed mulier in forma inuocauit Trinitatem in perſonis diſtinctis: profeſſa eſt Trinitatis fidem ac notitiam: cur ergo non verè baptizauit? 4.

Secundum argumentum. Baptizare *in Patrem, in Patre, cum Patre*, idem videtur eſſe, quod, *in nomine*. Itaque D. Hieron. in c. 4. epiſt. ad Epheſ. *In Patrem*, inquit, *& in Filium, & in Spiritum ſanctum*, baptizamur; & ter mergimur: vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum. & baptizari in Chriſto, & in Spiritu ſancto, docet etiam diuinæ Scripturæ: in Chriſto, diuus Paulus ad Rom. cap. 6. & ad Gal. cap. 3. in Spiritu ſancto, 3. c. Matth. & c. 1. Ioan. & Act. c. 19. *In quo ergo baptizati eſtis?* Verba ſunt Pauli ad eos, qui dixerant, *neque, ſi Spiritus ſanctus ſit, audiuimus*. Igitur qui baptizaret *in Patre, Filio, & Spiritu ſancto*, modum loquendi ſequẽs Scripturarum,

verè

verè baptizaret: cur ergo non verè baptizet, qui dicit *cum Patre, & Filio, &c.* cum par ſit ſententia? & confirmatur hoc ſecundum argumentum. Æquipollẽtes formæ Sacramentorum, parem eandémque efficacitatem habent: ſed *baptizare in Patre, vel in Patrem, vel cum Patre*, vel *in nomine Patris*, idem planè videtur ſignificare, ergo idem efficere.

5. Tertium argumentum: cùm, ex Magnorum auctorum interpretatione, præcipiens Chriſtus baptizari *in nomine Patris, &c.* nil aliud voluerit, quàm perſonas Trinitatis ſuis vocabulis appellari, & inuocari, ſanè cùm nominatæ fuerint, & inuocatæ, & ſignificatum ſit etiam earundem virtute Baptiſmum dari, quin verum datum ſit Sacramentũ, negari non debet.

Quartum: Placuiſſe hæc videtur opinio multis Theologis: quorum clarius eſt nomen ingenij atque doctrinæ. Nam D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 5. nihil aliud requirit ad perficiendum Sacramentum Baptiſmi, quàm vt exprimatur actus exercitus per miniſtrum cum inuocatione Trinitatis: & in 4. ſent. d. 3. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. & 3. ſcribit, inuocationem Trinitatis apud omnes eſſe de eſſentia formæ. & S. Bonau. in 4. d. 3. art. 1. q. 2. » Notitia, inquit, Trinitatis, ſiue nominatio, ſi ſit plena in corde, » & in ore, tunc ſecundùm omnes plenum » eſſet Sacramentum. Quis autem neget » in Baptiſmo, de quo diſputatur, fuiſſe ple- » nam nominationẽ Trinitatis, cùm omnes » tres perſonæ ſint ſuis ac propriis nomini- » bus expreſſæ? Idem Doctor. Qualiter- » cumque (loquitur de Baptiſmi miniſtro) » credat; ſi totam exprimat Trinitatem, » baptizatus eſt: ſi autem non totam, reba- » ptizandus eſt: & hoc communiter, & » certitudinaliter aſſerunt Magiſtri: Quid à D. Bonau. illuſtrius adferri poterat? ad quem item eius Magiſter accedit Alexan. Hal. in 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. §. Conſequenter quæritur de variatione per diminutionem.

Quocirca his omnibus Theologis antiquior Altiſiodorus, vbi diſputat de mutatione formæ, quæ fit per ſubtractionem, ſentit, tunc irritari Sacramentum, cùm vna aliqua de perſonis diuinis omittitur, in 4. p. tract. 3. c. 4. q. 2. quamuis negari non poſſit, nec ipſe negaſſet, quin nonnullorum aliorum verborum prætermiſſione vis intereat Sacramenti.

Poſtremum argumentũ. Antiquorum Eccleſiæ Doctorum, Canonum, & Conciliorum auctoritate eadẽ ſententia confirmatur. 6. D. Amb. lib. 1. de Spiritu S. c. 3. ait plenum eſſe Sacramentum, ſi Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum fateare: Sed mulier faſſa eſt Patrẽ, & Filiũ, & Spiritum S. ergo plenum fuit Sacramentum. S. Athanaſius, oratione 3. contra Arianos, poſt mediam, apertis verbis docet, ab eo donari legitimum Baptiſma, qui nomen exprimit diuinarum perſonarum: & qui fidem rectam habet: Mulier nomen expreſſit perſonarum, fidémque rectam habuit; legitimum igitur donauit Baptiſmũ. S. Baſilius epiſt. 64. ad doctiores Eccleſiæ Neocæſarianæ, iis verbis, *Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, negat, à Chriſto traditum eſſe nomen commune tribus hypoſtaſibus: ſed præceptum datum coniungendi, ac ſimul nominandi diuinas perſonas. Cyrillus non ſecus quàm Baſil. *nomine Patris*, &c. intelligit nomina propria hypoſtaſeωn, non proprium aliquod, ſeu commune: & in lib. de recta fide ad Reginas, ex epiſt. ad Epheſ. ait baptizari *in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*. D. Auguſtinus in lib. de Eccleſiaſticis dogmat. cap. 52. hæreticos baptizatos in S. Trinitatis inuocatione, cùm ad Catholicam ſe recipiunt Eccleſiam, nullo modo vult rebaptizari: Ne ſancta, inquit, Trinitatis in- » uocatio, vel cõfeſſio, annulletur. & habe- » tur de conſecr. d. 4. c. ij qui: & in Can. ſiue hæreticus, ead. d. qui ſumptus eſt ex hom. Bedæ 36. in c. 3. Ioan. eſt his verbis: Siue hæreticus, ſiue ſchiſmaticus, ſiue fa- » cinoroſus quiſque in confeſſione Sanctæ » Trinitatis baptizet, non valet ille qui ita » baptizatus eſt, à bonis Catholicis rebapti- » zari;

zari,ne confeſſio, vel inuocatio tanti noſtris videatur annullari. Et Leo,epiſt.90. aliàs 92. ad Ruſticum, c.16. reſpondet his verbis, conſultus quid cum iis agendum eſſet, qui ſe baptizatos eſſe ſciebant, ſed cuius fidei eſſent Baptiſmi miniſtri, ignorabant: Quolibet,inquit,modo formam Baptiſmi acceperint, rebaptizandi non ſunt. Habeturque eadem d.c.hi, quibus. Poſtremo in Concilio Florentino,definitur his verbis:Si exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum S.Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum (loquitur de Baptiſmo) ſed in Baptiſmo dato à muliere expreſſus eſt actus baptizandi; inuocata eſt Sancta Trinitas: ergo perfectum eſt Sacramentum.

7. Ad ſummam; ſi,vt aiunt D.Hieron. ac S.Cyrillus,aliique Doctores, baptizamur *in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum*, ſi idem eſt baptizari *in Patrem, cum Patre, & in Patre*, &c. Si Chriſtus nihil præcipit aliud, quàm inuocari, & ſuis nominibus vocari diuinas perſonas, vt doctiſſimis, & ſanctiſſimis viris placuit: ſi actum,quem exercet miniſter,ſatis eſt exprimi cum trium perſonarum inuocatione, ex doctrina Concilij Florentini:Si Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnius eiuſdémque ſubſtantię inſeparabili æqualitate diuinam inſinuant Vnitatem, vt ſe loqui ait Auguſtinus in lib.1. de Trinit. c. 4. à ſenſu ſcripturarum: cuius Auguſtini ſententia relata eſt in Can. omnes quos d.3. de conſecr. non video, cur de Baptiſmo, cuius miniſtra fuit illa fœmina, ambigi debeat.

Porro auctoritas illa D. Auguſtini in epiſt. 203. ad Maximinum Donatiſtam, perterrefacere vnumquemque deberet. Baptizare hæreticum hominem, qui hæc ſanctitatis ſigna perceperit, quæ Chriſtiana tradidit diſciplina, omnino peccatum eſt: rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt. Adeóque in iterandis dubiis Baptiſmis aliquando æſtuauit idem D. Auguſt. vt in lib. 7. de vnico Baptiſmo, c.53. approbandúſne ſit eius Baptiſmus qui inimicè baptizatus eſt, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum (verba ſunt eius) concordi oratione, & impenſis ſupplici deuotione gemitibus implorandũ eſſe cenſuerit. Quæ ſententia extat etiam in decretis de conſecrat.d.4. canone. Solet etiam quæri.

QVÆSTIO XI.

1. DVm pareret mater, verita ne prius extingueretur proles, quàm tota eſſet edita,eius baptizandæ hæc illi eſt ratio excogitata. Mulierē arceſſit: & obſecrat, vt partem infantis vtero iam egreſſam, aqua abluat: nam ipſa, inquit, verba pronuntiabo. Ita matre enatum membrum tenente,& formam pronuntiante, baptizatus eſt infans. Ratumne & verum illud eſſet Baptiſma vt dicerem,rogatus ſum.In principum Theologorũ, communiſque ſententiæ veſtigiis hærens, negaui illud fuiſſe verum Baptiſmi Sacramētum. Hoc ipſum negant hi omnes D. Thom. in 3. p. q.66. art.5. ad 4. argum. vbi his verbis decernit: Vnde, ſi conuenirent duo, quorum vnus eſſet mutus,qui non poſſet proferre verba: & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum; non poſſunt ambo ſimul baptizare, vno dicente verba, & alio exercente actum: iterátque eandem ſententiam in ead. p. q.67. art.6. ad 3. D. Bonau. in 4.d.5. art.1.q.1. §. Solet etiam poni. Alex. Halen. in 4. p. q.8. memb.6. art.6. vbi docet, immerſionem, & prolationem,ab vno fieri debere. Scot. in 4.diſt. 6. q.2. §. De ſecundo membro. Sic enim loquitur. Dico, quòd vtroque ſeorſum aliquid faciente, & neutro totum ſimul, ſic abluente, & proferēte verba,nihil fit,nec eſt alia ratio,niſi inſtitutio Dei,qui ſicut voluit eſſe vnum principale agens,ita voluit habere vnum miniſtrum in collatione integra Sacramēti. Hoc etiã apparet accipiendo iſtam formam, qua nos vtimur: nam per verba illa, proferens ea,ſignificat ſe abluere: non autem debet oratio

„ oratio eſſe falſa quæ eſt forma Sacramen-
„ torum verorum. Hactenus ille.

2. Richardus in 4. d. 3. art. 4. quæſt. 1. ad 1. Gabriel in 4. d. 6. quæſt. 1. art. 2. coroll. 2. & concl. 6. Aureolus, quem citat Angelus in verbo Baptiſmus, quinto, num. 2. quem idem Angelus ſequitur, &, quod nos dicimus, ſentit num. 6. & Syluester in Verbo Baptiſmus, tertio, queſt. 8. vt merito Sotus in 4. d. 4. quæſt. vnic. artic. 3. ſcripſerit, Diui Thomæ opinionem fermè cũctos Theologos eſſe complexos.

Duplici hæc ſententia approbari videtur argumento. Alterum eſt: quòd cum forma verborum conſecretur Baptiſma, vt inquit D. Aug. in l. de vnico Baptiſmo, quem citat: & ſequitur D. Thom. in 3. par. quæſt. 66. art. 5. nam D. Paul. ad Ephes. c. 5. inquit, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*; efficitur, vt forma ipſa debeat eſſe ſacra, & vera, id efficiens, quod ſignificat: at mulier, quæ profert verba Baptiſmi, ſignificat ſe abluere: quod tamen non præſtat: ergo modo ritúque ſacrilego forma illa adhibetur: nec quidquam proficit.

Alterum illud eſt argumentum, quòd vnius numero Baptiſmi vna debet eſſe numero actio. Vnus Miniſter: vt iam in quadã alia queſtione multis oſtendimus. Veræ huic, & pene omnium Theologorum ſententiæ obſiſtit Caiet. in 3. par. qu. 67. art. 6. Commentarij ſui. §. In hac difficultate, atque in extremo. Marſilius in 4. ſen. d. 4. art. 4. dub. 11. ad quam propendere videtur in d. 3. quæſt. 2. art. 2. Palud. verùm in extremo ſcribit his verbis: Secu-
„ rius tamen eſt tenere, quòd nullo modo
„ mutus poteſt baptizare, nec ſolus, nec cũ
„ manco. D. Anton. in 1. part. tit. 14. cap. 13. §. 7. recitat tum Diui Thomæ tum Palud. opinionem, nec certi quidquam conſtituit. Sed tamen de prima ſententia, quæ veriſſima eſt, nihil demendum.

* *
*

QVÆSTIO XII.

NAſcitur patri proles deformis; is propter deformitatem non ſinit ad ſacrum & publicum fontem deferri, ſed eam domi baptizari mandat; exorciſmis, multiſque alijs prætermiſſis in ea re Eccleſiæ cæremonijs; cùm proles propè decimum annum ageret, cruciari cœpit animus patris, mittendáne ad templum eſſet, quo ſolemni ceremonia, & ritu, qui in Baptiſmo omiſſus fuit, procuraretur. 1.

Percunctabatur quoque mulier quædam, num baptizatus eſſet infans, quem moribũdum baptizauit ſigno Crucis impreſſo in fronte, digito aqua madefacto.

Priori dubitationi reſpondi, puerum illum decem annorum non fuiſſe ad templum ducendum ad explenda ſolemnia, quibus caruit domi impertitus Baptiſmus: nouitas enim, atque inſolentia facti in nobiliſſima, & celeberrima ciuitate Catholica, nõ ſolùm admirabilitatẽ fecisſet, verũ etiã multorũ animos grauiter offendiſſet: ſuſpicari enim potuiſsẽt, aut pueri parẽtes, aut eos, quorum intererat baptizari infantem, de noſtræ ſalutis Sacramentis peruersè ſentire; quòd proles, nec eo tempore, nec eo ritu, quo reliqui baptizantur inter Catholicos, regenerationis ſpiritualis Sacramentum ſuſcepiſſet. Adde quòd non pauci credidiſſent, puerum non tam ceremoniis, quàm Sacramento expiari, dati domi Baptiſmi omnino ignari. Adde, quòd rudi parocho occaſio oblata eſſet, cæremonias, quæ Baptiſmum antecedunt, vſurpandi cũm maxima iniuria Sacramenti, & ſacrilegio: neque enim licuiſſet exorciſmos attingere, vel ea, quæ aduerſus dæmonem profligãdum piè ab Eccleſia Catholica adhibentur ante Baptiſmum. Gratia enim Baptiſmi iam dæmon ex anima pueri erat exactus.

De poſteriore quæſtiuncula illud mihi iudicatum eſt, integrum illud fuiſſe Baptiſma, ſi legitimè formam proferente

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

muliere, frons pueri verè in ea parte, quæ tacta eſt, irrigata fuit. Victoria in ſumma Sacramentorum quæſt. 19. ait, hoc tempore minimè neceſſarium eſſe prolem immergere, cùm baptizatur; teſtatúrque, in Germania, aquæ guttulam adhiberi.

QVÆSTIO XIII.

1\. INfantis caput abluitur in matris vtero, pronuntiata tota forma Baptiſmi. Quæritur, an ſit ille verè baptizatus, néc ne. Iſtum infantem baptizatum eſſe credit Gabriel in 4.d.4.q.2.art.3.dub.2.vbi ſcribit, communem doctorum eſſe opinionem, Baptiſmũ tribui poſſe infanti, cùm eius pars aliqua apparet. Quod verò addit, ideo D. Thom. Alex. Hal. & cæteros negaſſe intra vterum baptizari infantem poſſe, quia aqua tangi nequit, quaſi hæc aut ſola, aut potiſſima cauſſa fuerit; in eo parum eſt Gabriel conſideratè locutus: cùm apud contrariæ ſententiæ auctores, aliæ ſint cauſſæ veriores, & potiores, vt poſtea intelligetur. Victoria ſtat à Gabriele in ſumma Sacramentorum, quæſt. 32. nam ſi manu obſtetricis immitti potuit aqua, quæ infantem contingat, & verba proferantur, vult verum eſſe Baptiſmum. Patronos hæc ipſa opinio habet duos recentes Theologos, qui nuper ſuas ſapientes cogitationes ſcriptis ac typis mandauerunt.

Triplex eſſe poteſt huius opinionis ratio præcipua. Prima, quia ratio potiſſima cur infantes in maternis vteris baptizari non poſſint, hæc eſt; quia illic aqua attingi non poſſunt: ergo ſi poterunt attingi, poterunt etiam baptizari.

Secunda: Quia, vbi nihil eſſentiale deeſt Baptiſmo, illic neceſſe eſt eſſe Baptiſmum verum, cùm quatuor eſſentialia in Baptiſmo ſpectentur, materia, forma, miniſter cum intentione Eccleſiæ, & humanum ſuppoſitum recipiens Sacramentum: hic reperiuntur iſta quatuor: ergo de Baptiſmo dubitari non debet.

Tertia: Si non eſt Sacramentum, ideo non eſt, quia neceſſaria eſt natiuitas ex vtero. at hanc nón eſſe neceſſariam neceſſitate eſſentiali, hinc liquet: quia puer mortuæ matris vtero concluſus, diſſecta matre baptizatur: qui puer non poteſt dici propriè natus.

Sententia contraria videtur ſola poſſe defendi: quam Sotus in 4. d.5.q.vn.art.11. ait ſacris eſſe canonibus definitam: infantem non eſſe capacem Baptiſmi, niſi in lucem editum, & vitam cum reliquis degẽtem hominibus, à quibus iuuari poſſit. Id ſubtiliter conficit D. Auguſt. in epiſt. 57. ad Dardanum. vbi diſtinguit duplicem natiuitatem; alteram, ob quam mulier eſt concipiens & prægnans; alteram, propter quam eſt pariens: quæ à Theologis natiuitas dicitur ex vtero, & eſt propriè natiuitas: & hanc neceſſariò ait debere antecedere: ſi quis Baptiſmi gratia renaſci debeat. Vt ne quis dicatur renatus, antequam natus. Ipſum audiamus, *Niſi quis*, inquit, *renatus fuerit* denuò, eam ſcilicet computans primam natiuitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ fit in eam: neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit; tamquam iterum natus ſit, qui iam ſemel natus fuerat in vtero: Sed illa natiuitate non computata, quæ grauidam facit, natus dicitur homo partu, vt poſſit renaſci ex aqua, & Spiritu. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in vtero poteſt, quoniam reſtat illi adhuc naſci; renaſcitur ergo antequam naſcitur: quod fieri nullo modo poteſt: Hæc totidem verbis Auguſtinus. Parem huic ſententiam expreſſit Iſidorus in lib.1.de ſummo bono.cap.24.habetúrque de Conſecrat. d.4. c.qui in maternis; quem Canonem ſecutus eſt Magiſter in 4.ſent.d.6.c. 2.

3\. Hoc etiam ſciendum eſt. D. Thom. in eamd. diſt.q.1.articu.1. quæſt.1. apertè ſcribit, puerum, quamdiu eſt in vtero matris, non ſubijci actioni miniſtrorum Eccleſiæ: idémque repetit in 3.p.q.68.art.11. vbi ſic,

» ſic. Et ita relinquitur, inquit, quòd nullo
» modo infantes in maternis vteris exiſten-
» tes baptizari poſſunt. Alex. Hal. in 4. p. q. 8.
» memb. 7. artic. 2. §. 1. Dicendum, inquit,
» quòd paruulus, dum eſt in vtero matris,
» non eſt ſuſceptibilis Sacramenti Bapti-
» ſmalis, nec per ſe, nec ratione matris. Vſurpatque canonem Iſidori, qui in maternis, nec non tres hominis ſtatus diſtinguit: Vnum, intra vterum, in quo Deo tantùm eſt notus: alterum, extra vterum, atque infantiæ, in quo eſt notus Eccleſiæ: tertiũ, adultæ ætatis, in quo & Deo & Eccleſiæ & ſibi eſt notus. In primo ait à ſolo Deo poſſe adiuuari; in ſecūdo, à Deo & ab Eccleſia; in tertio, à Deo, ab Eccleſia, & à ſe ipſo, fidei religioniſque promente actum.

Totam verò ſententiam, atque orationem ſui magiſtri Alexandri D. Bonau. tranſtulit in q. 1. artic. 1. diſt. 6. 4. ſent. Alex. Hal. & D. Bonau. egreſſionem ex vtero requirunt neceſſariò in puero, qui ſuſcepturus ſit Baptiſmi Sacramentum; & ex inſtitutione aiunt eſſe diuina, vt puer in vtero baptizari non poſſit. Tuentur eamdem ſententiam Richar. in 4. d. 6. ar. 2. q. 1. Durand. in eamd. quæſt. 1. Turrecremata in Can. qui in maternis. de conſecr. d. 4. articul. 1. ſubiiciens tres illos ſtatus, de quibus Alexand. & D. Bonau. Maior in 4. d. 2. q. vnic. col. 13. §. Ad confirmationē ſunt opiniones: ſed in recentioribus. q. 2. col. 4. eod. §. Perſpicuis verbis ſcribit, quamuis in vtero tāgi poſſet aqua infans, non futurum tamen Baptiſmum. Sotus in 4. d. 5. quæſt. vnic. art. 11. D. Anton. in 3. par. tit. 14. cap. 15. §. 1. Viguerius in inſtitutionibus. c. 16. §. 1. Ver. 8. ſumma Confeſſ. lib. 3. tit. 24. q. 32. Supplementum in verbo Baptiſmus 4. quæſt. 2. Syluester in Verbo Baptiſmus 4. num. 2. Angelus in verbo Baptiſmus 6. num. 3. vbi indicat D. Thomæ opinionem eſſe, etiā Landulphi in 4. ſent. diſp. 4. quæſt. 1. Armilla in verbo Baptiſmus, num. 38. Omnes hi nolunt baptizari puerum poſſe niſi ſaltem aliqua eius pars ex vtero prodierit: aiunt enim egredi, aut emitti foras debere.

Præcipua huius ſententiæ præſidia duo ſunt. Alterum, Diuina auctoritas, Ioã. c. 3. *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Et non multis interiectis verbis; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non poteſt introire in Regnum Dei.* Quem locum & patres, & Theologi doctrinæ gloria, & antiquitate inſignes, ita ſunt interpretati, vt nemo natiuitatem ſpiritualem queat adipiſci per Baptiſmum, qui è materna aluo antea non prodierit, ſeu omnino, ſeu ex parte. 4

Alterum Firmamentum. Quòd Eccleſia legitima Sacramētorum diſpenſatrix, & adminiſtra, iis dumtaxat hominibus ea præbet, qui communem vitam ingrediūtur, atque in eius foro, notitiaque verſantur; at puer materni vteri tenebris circumfuſus, non poteſt eſſe notus Eccleſiæ, ſed ſoli Deo: nam licèt aperiatur oſtium vteri, quando paritura eſt mulier, & manibus tangi poſſit obſtetricis; qui in eo incluſus eſt infans, cerni tamen oculis nequit; vti mihi pro certo narrauit perantiqua, atque experientiſſima obſtetrix: quæ illud item affirmauit, ſæpe tum parienti matri tum obſtetrici ignoratum eſſe, viuátne proles: vt ob id ipſum valdè periculoſa ſit ratio in vtero baptizandi.

Facilè euertūtur contraria: ſi dicamus, inter ea, quæ neceſſitate abſoluta expoſcit Baptiſmi Sacramentum, hoc item eſſe; vt proles baptizanda ſit nata: hoc eſt, materna aluo egreſſa: egrediatur autem, ſiue adnitente, & protrudēte matre, ſiue ex aluo educentibus, vel extrahentibus aliis, nihil intereſt. Namque in vitam venire, introire, & ingredi, in lucem edi, aut ſuſcipi, & naſci, Synonyma ſunt etiam apud Grammaticos.

Oppones. Si peccatum Adæ nocet infantibus in vtero, cur Baptiſmus contra idem peccatum inſtitutus non prodeſt in vtero? Ex Deo id quærendum eſt: & diſcendum. Cur parentalem labem cuncti in matrum vteris contrahentes, non poſſunt illam extra vterum deponere? illud etiam diſcendum eſſet, cur innumeris in aluo

aluo extinctis infantibus nullum ſit comparatum ſalutis remedium. Verùm pij & religioſi eſt animi arcanas diuinæ prouidentiæ rationes non perquirere, ſed in Dei ſacratiſſimo conſilio conditas venerari: Caluinianæ autem impietatis vitare ſcopulum; quæ fideliū infantibus in vtero tribuit ſanctitatem, ipſiſque Baptiſmo delendarum culparum omnem adimit efficacitatem.

QVÆSTIO XIV.

1. PRægnantis mulieris, grauique morbo oppreſſæ ſalus in deſperatis habetur: ſi mulieris expectetur interitus, proles vtero clauſa, vita tum corporis, tum ſpirituali animæ, priuabitur: quia ſine Baptiſmo decedet: Dubitatum eſt à nonnullis; num matris perſecari aluus poſſit ſine parricidij ſcelere, vt Baptiſmi gratiam, æternámque felicitatem infans adipiſcatur. Id poſſe fieri ea ratio ſuadere videtur; quoniam vita animæ, & æterna ſalus vnius, vitæ corporeæ alterius eſt anteponenda: ergo vitæ corporis materni iam pene extincti anteferenda eſt vita ſpiritualis infantis: ergo ne hanc is amittat, mater corporis ſui vitam debet amittere. Verumenim reos eſſe homicidij, qui propter baptiſmum, vitamque prolis, viuam diſcindunt mulierem, cuncti affirmant Theologi, qui ſunt in hac quæſtione verſati. Vt D. Thom. in 4. ſent. d. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 4. ad 4. & in 3. part. qu. 68. art. 11. Verba eius in illa quæſt. 1. ad 4. „ hæc ſunt. Ideo homo potiùs debet dimit- „ tere perire infantem, quàm ipſe pereat, „ homicidij crimen in matre committens. Sentit idem Alex. Hal. in 4. par. quæſt. 8. membr. 7. art. 1. §. 4. Et Palud. in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. & Gabriel in 4. d. 4. quæſt. 2. art. 3. dub. 2. & D. Anton. in 3. p. ſuæ ſummæ tit. 14. ca. 13. §. 1. Et Victoria in ſumma de Sacram. quæſt. 33. vbi inuehitur in quemdam medicum, qui ſuo tempore ſuaſit incidendum ventrem eſſe mulieris; vt infans extractus Baptiſmum reciperet: cuius peſſimum dicit fuiſſe conſilium: aitque immane ſacrilegium eſſe viuentem aperire mulierem: propterea quòd nihil aliud ſit, quàm eamdem occidere. Idem ſcelus execratur Sotus in 4. d. 5. quæſt. vnica, art. 11. ſumma Confeſſorum in 3. lib. tit. 24. quæſt. 32. Sylueſter in Verbo Baptiſmus 4. num. 2. Angelus in verbo Baptiſmus 6. numer. 2. Tab. in verbo Baptiſmus 5. num. 5. Armilla in verbo Baptiſmus, num. 38. Viguerius in Inſtitutionibus, cap. 16. §. 1. Verſu 8.

Ad hanc maximè veram ſententiam 2.
firmandam teſtimonio vtuntur Apoſtoli ad Rom. cap. 3. *Non ſunt facienda mala vt veniant bona.* At maximum malum eſt innocentem occidere; cui vitam adimere nunquam licet: quamuis ex eius interfectione ad vniuerſam quampiam Prouinciam certa ſalus dimanaret. Quis enim tanto mentis errore captus ſit, vt credat innocentiæ vllo tempore noceri poſſe? quid autem intereſt Innocentíne, an Innocentiæ iniuriam facias? Adde, quòd in matris morte violenta, ſemper vita periclitatur infantis: ita eodem tempore, & matri afferunt necem, & proh exhauriūt vitam: duplicíſque homicidij maculam ſuſcipiunt.

Porrò illud axioma; *Vita animæ alterius magis diligenda eſt, quàm mea, aut aliena corporis,* non eam vim habet; vt aut ipſe mihi, aut alteri mortem conciſcere poſſim pro vita ſpirituali & anima alterius: ſed hanc potiſſimè, vt ſæpe mihi mors perpetienda ſit pro alterius ſpirituali ſalute: nāque, vt virtutis eſt, pro alterius æterna ſalute mortem ſuſtinere; ita ſibi afferre, deteſtabile eſt flagitium. Quorundam igitur medicorum ſententiam, opinantium, vbi matris grauidæ ſalus deſperata eſt, ventrem eius licere diſcindi, vt proles ſeruetur, Chriſtianæ aures auerſari debent: quā tamen quidam medicus ſeptuaginta annos natus, impudentiſſima altercatione mecum habita, & magnis clamoribus propugnabat: ſed eius audaciam, & feroeien

cien

cientes ſpiritus Theologicæ rationis auctoritate compreſſi; eúmque pro officio monui, vt cædium, quarum in diſſecandis mulierum vteris aut auctor, aut ſuaſor extitiſſet, veniam à Deo ſupplex deprecaretur: opinioniſque erratum, & cædium impietatem pœnitentiæ Sacramento, & voluntaria pœna expiaret: monito paruerit nécne, prorſus me latet.

3. Hîc mihi Sacrarum Confeſſionum arbitri prorſus admonendi ſunt; vt, cùm ad eorum tribunalia iſti matrum & puerorum carnifices accedunt, peracerba illos oratione caſtigent, grauíque pœnitentia multent.

Multo plus difficultatis in illa altera quæſtione videtur ineſſe: an mulier quum ſententia iudicis vltimo ſupplicio afficiēda eſt, atque ex dilatione ſupplicij, infantíque qui eſt vtero circumſeptus matris, mors impendeat, è præciſa aluo poſſit educi. Nouus Theologus nonnullus, qui eruditis diſputationibus tertiam partem D.Thom. illuſtrauit, in articulum 11. q. 68. exiſtimauit, ſine culpa homicidij ſcindi tunc poſſe mulierem. Sed noui Theologi opinionem condemnat communis opinio. Id enim fieri non poſſe ait Sot. in 4. d. 5. q. 7. art. 11. quia credit, occiſione matris facilè necari poſſe infantem: & Palud. in 4. d. 6. quęſt. 1. art. 1. concl. 2. & D. Anton. & Gabriel, & Victoria. Tab. & Armilla locis in priore parte quæſtionis citatis.

Hoc ipſum lex iubet, prægnantis. ff. de pœnis his verbis perſcripta: *Prægnātis mulieris conſumendæ damnatæ pœna differtur, quoad pariat.*. In quo iuriſconſultus certæ rationi, æquitatique naturali obſecutus eſt: namque haud ignorabat, in maximum diſcrimen ſalutem partus adduci, ſi è viuentis matris vtero excidendus eſſet: nam fere exciſione matri illata, tum illam tum conceptum extingui accepimus. Quocirca idem ipſe nouus Theologus, cùm videret, interfectione matris necis periculum creari proli ſemper ſolere, ſcripſit, propter prolis periculum matris ſupplicium differendum eſſe, nec ſecus practicè, & moraliter, vt is loquitur, agendum eſſe.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVÆSTIO XV.

Annuæ confeſſionis, ſiue anni, quo 1. quis de ſuis peccatis confiteri debet, initium ſumendúmne ſit ab extrema confeſſione, an à tempore Paſchatis, à doctis quæſitum & diſputatum eſt; & à me nonnunquam petitum. Sotus in 4. d. 18. q. 1. art. 4. conc. 1. annum confeſſionis exorditur à poſtrema. S. verò Ant. in 3. part. tit. 14. c. 19. §. 3. Confitendi tempus vult eſſe Paſcha; quo tempore ex Eccleſiæ præcepto eſt ſacra Euchariſtia ſumenda; quam opinionem tamquam probabiliorem tribuit D. Thom. Richardo, Durando: eſſeque D. Thom. confirmat etiam Medina in C. de confeſſione, quæſt. 14. cap. vlt. eamdem ſequitur Nauar. in ſumma cap. 21. num. 45. Neque obſtat Decretalis, Omnis vtriuſque ſexus, de pœn. & remiſſ. quæ iubet vt ſaltem ſemel in anno quis confiteatur; neque enim ea lege dilationem concedit, ſed negligētiam prohibet in maiore dilatione, vt inquit D. Thom. in 4. d. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 4.

Poſterior ſententia verior exiſtimari 2. debet, non ſolùm numero & auctoritate Doctorum, ſed etiā potiſſimùm ratione. Quia Eccleſiæ leges, quæ generales ſunt, debent eſſe certæ & fixæ, & certa & fixa habere tempora; vt & ij, qui parere debēt, ſciant quando parendum ſit: & iudices, qui, non obedientes coercere debent, intelligere poſſint, quando iis obtemperatum non eſt: id quod fieri non poſſet, ſi à poſtrema confeſſione, quæ arbitraria cuique eſſe poteſt, anni initium ducendum foret.

QVÆSTIO XVI.

Liccátne, per litteras, & nuntium, de 1. ſuis peccatis abſenti ſacerdoti confi-

teri; & ,valeát ne ea confeſſio pœnitenti; vt eum ſacerdos abſoluere queat, multis ab hinc annis quæri & diſceptari conſueuit. Ante Clem. V I I I. Decretum hæc à nobis controuerſia diſceptata fuit; nec ſecus quæ ab ipſo Romano Pontifice diiudicata. Verùm,cùm ij,quorum ipſe ductu & imperio regor,ad Pontificij Decreti formam, huius generis diſputationem velint eſſe expreſſam , libens eorum voluntati morigerabor.

Porrò diſſerendi ratio ita à nobis inſtituetur;vt primùm quid de re tota, quæ in controuerſiam antea adducta eſt, conſtituerit Romanus Pontifex , oſtendamus. Deinde;quinam ſecus antea opinati ſunt, ſignificemus. Poſtremò , non rectè eos opinatos eſſe,multifariàm doceamus.

Primo capiti huius diſputationis cumulatè à nobis ſatisfactum erit , ſi fideliter verba , quibus Decretum perſcriptum eſt,recitauerimus. Illud autem eſt huiuſ-
» modi: Die vigeſima menſis Iunij anno à
» Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti
» MDCII,in generali Cõgregatione ſanctę
» Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis, ha-
» bita in Palatio Apoſtolico, in mõte Qui-
» rinali, coram ſanctiſſimo Domino noſtro
» D. Clemente , diuina Prouidentia Papa
» V I I I.Propoſita quæſtione, vtrùm liceat,
» per litteras,ſeu internuntium,confeſſario
» abſenti peccata ſacramentaliter confiteri,
» & ab eodem abſente abſolutionem obti-
» nere:Sanctiſſimus Dominus noſter,audi-
» tis votis Patrum Theologorum,& re cum
» Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis Domi-
» nis Cardinalibus, contra hæreticam pra-
» uitatem generalibus Inquiſitoribus, ma-
» turè ac diligenter conſiderata, hanc pro-
» poſitionem,ſcilicet , licere per literas, ſeu
» internuntium,confeſſario abſenti pecca-
» ta Sacramentaliter confiteri,& ab eodem
» abſente abſolutionem obtinere ; ad mi-
» nus, vti falſam, temerariam, & ſcandalo-
» ſam,damnauit,ac prohibuit;præcepitque
» ne deinceps iſta propoſitio publicis pri-
» uatíſve lectionibus, concionibus,& con-
» greſſibus doceatur:néve vmquam tam-
quam aliquo caſu probabilis defendatur, »
imprimatur : aut ad praxim quouis mo- »
do deducatur. Quòd ſi quis illam docue- »
rit, defenderit, imprimi fecerit,aut etiam »
de ea diſputatiuè tractauerit , niſi forſan »
impugnando; vel ad praxim directè, ſeu »
indirectè deduxerit , præter ex commu- »
nicationem latæ ſententiæ, quam ipſo fa- »
cto incurrat; & à qua non poſſit, præter- »
quam in articulo mortis, ab alio quocun- »
que & dignitate fulgente , & Sanctæ »
Romanæ Eccleſiæ maiori pœnitentiario, »
niſi à pro tempore exiſtente Rom. Pont. »
abſolui , aliis etiam pœnis arbitrio infli- »
gendis ſubiaceat. »

2. Hoc eſt totum Decretum. Ac licèt,confeſſionem, ad quã, vel interpres vel Scriptura adhibetur , non eſſe cuiquam neceſſariam conſtet penè inter omnes ; illam tamen, de qua nunc agitur; & quam prohibet Decretum , non fuiſſe quouis tempore repudiandam, ac pro nulla habendam , ſcriptis tradiderunt hi omnes: Paludanus in 4. ſent. d. 17. qu. 2. art. 1. Hadrianus in prima quæſt. de confeſsione, §. Sed oritur ex his dubium: Ioannes Medina C. de confeſsione , quæſt. 15. Verùm hi tres putant tunc eiuſmodi valere confeſsionem,quum non poteſt adiri Sacerdos. Eamdem rationem confitendi per litteras,& nuntium, Alex. Hal. in 4. p. 1. q. 18. membr. 4. art. 5. §. 9. permittit muto, aliis non item:quod idem facit Turrecremata in cap. quem pœnitet. d. 1. de pœnit. art. 1. concl. 2. ſed ſine vlla exceptione confeſsionem , de qua quæritur , ratam eſſe ſcripſerunt Syluester in Verb. confeſſio Sacramentalis 1. quæſt. 15. ſeu num. 16. in fine; Petrus Sotus in Inſtit. Sacerd. lect. 11. de Confeſsione, §. Tertium iſtud; Nauarrus in ſumma, cap. 21. num. 36. & Armilla in verbo, Cõfeſsio, conditione 11. & nonnullus recens Theologus ad hanc ſententiam propendet; Dominicus Sotus in lib. de ratione tegendi ſecretum, mem. 3. quæſt. 4. concl. 5. dub. 4. Eiuſdem ſententiæ patronum nonnullis placet Richardum eſſe: verùm hic in 4. d. 17. art. 9.

quæſt.

Digitized by Google

quæſt.5.id nuſquam affirmatè dicit.

Patrocinari his videtur Canon, qualis, 30. quæſt. 5. qui de adultera loquens, *Pœnitentia*, inquit, *illius per ſcripturam recipienda*. Verùm neque ille Canon de Sacramentali cõfeſſione ſtatuit quidquam: &, ſi ſtatueret, interpretandus eſſet de ſcriptura, quæ à præſente muliere exhibetur, vt affirmat Gloſſa, & Scotus in 4.d. 17.quæſt.1.ar.3. in reſp.ad argumenta. Adde, Quòd ſcholium à correctoribus decreti elimatum, in illum canonem, admonet legi in quibuſdam libris, *illi per Scripturam pœnitentia recipienda*, id eſt, abſenti pœna per ſcripturam imponenda: pœnam autem intellige, quæ nec eſt ſatisfactio Sacramentalis, neque Sacramentalis abſolutio à peccatis: quæ abſolutio pœna appellari non poteſt.

3. Vt igitur tertium diſputationis caput exequamur: & decreto pareamus, quod tractationem quæſtionis non concedit niſi ad confutandum, confutationẽ ipſam tum grauibus teſtimoniis, & auctoritatibus; tum non fallacibus argumentis inſtruemus. Ex quo perſpicuum erit, quàm rectè & ſapienter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente VIII. ſuperius Decretum fuerit interpoſitum. Ergo, qui ſunt ingenio, ſapientia, ſanctitate, & numero abundantiores, veram ſententiam attulerunt; non licere per litteras, & nuntium apud abſentem Sacerdotem confiteri. Quam ſententiam his verbis Catechiſmus Romanus ſubſcripſit: vbi de confeſſione, & eius conditionibus præcipit. » Illud verò tum confitenti tum Sacerdoti » maximè laborandum eſt; vt eorum Ser» mo in cõfeſſione ſecretò habeatur. Qua» re fit, vt nemini omnino, neque per nun» tium, neque per litteras, quoniam ea ra» tione nihil iam occultè agi poteſt, pecca» ta confiteri liceat. D.Auguſt.in lib.de ve» ra & falſa pœnitentia cap. 10. Præcepit » Dominus mundandis (ſic legitur in cano» ne, quem pœnit.&c. apud Magiſtrum) vt » oſtenderent ora ſacerdotibus: docens, » corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum ma» nifeſtanda. Et paullo pòſt: Qui per vos » peccaſtis, per vos erubeſcatis. Quæ ſen» tentia Auguſtini extat in canone, quem pœnitet, de pœnit. d. 1. Heſychius in cap. 27. Leuit. in ea verba, *Homo, qui domum ſuam, aut agrum Deo vouerit*: euidétiſſimè, inquit, apparet ſine confeſſione propriæ vocis peccata non dimitti. Quam auctoritatẽ vſurpat Alex.Hal.eo loco quem antea citauimus. Magiſter ſententiarum, & reliqui Theologi, ſecuti ſunt canonem illum Auguſtini. Magiſter in 4.ſent. diſt.17. cap. Sed quod Sacerdotibus confiteri oportet. Princeps principum Theologorum D.Thomas in eamd.diſt.q.3. art.4.q. 4. & 3. non vult ſatis eſſe confiteri ſcripto. D.Bonau.in eamd.d.art.1.q.3.num.113. ex Decretali Innocentij. 3. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. colligit, confeſſionem Sacramentalem Sacerdoti ſoli (verba ſunt huius ſancti Doctoris) & in » ſecreto debere fieri, niſi ſit peccatum ali» quod enorme, quod totam commouerit » vrbem, vel etiã totum orbem: quod qui» dem quis debet confiteri in publico; vt in » publico pœnitentia publica imponatur: » vt oſtendat, & recognoſcat ſe reum, vt pu» ta ſi ſit hæreticus manifeſtus. Quantùm » verò eſt ſecundùm legem communem, » debet vnico Sacerdoti fieri in priuato; ſic» vt expreſsè dicit illa Decretalis. Hæc D. » Bonauentura. »

Certum eſt autem, quæ litteris cõmittuntur, per ſe arcana non eſſe. Scotus in eamd. d. 17. quæſt. 1. art. 3. in reſp. ad argumenta huius ſententię, eſt comes. Alex. Hal.in part. 4.quæſt.18. membr.art. 5. §. 9. Dicendum, inquit, quòd nulli habenti » vſum ſenſuum, & copiam Sacerdotis, ſufficit confiteri per ſcriptum, vel nuntium, tantùm excipit mutum; cui exceptioni poſt Decretum Clementis. VIII. non eſt locus. Turrecremata in canonem, quem pœnit.d. 1.art.1.concl.1.idem prorſus, & iiſdem verbis, quibus Alexander. Richardus in 4. diſt. 17. art. 2. quæſt. 4. ad 4. argumentum, citat Magiſtrum, & ſequitur.

D .2 Gabriel

Gabriel in 4.d.17.q.1.art.2.concl.3.citans Scotum.Maior in eamd.d. quæſt.1.concl. 3.in antiquioribus: & in recentioribus q. 1. §.Tertio arguitur: Albertum in eamd. d.art.54. Caietanus in ſumma,verb. confeſsio, conditione 11. Victoria in libello de ſumma Sacram. quæſito 173. negat ex ſcripto poſſe aliquem confiteri, niſi annuentem ſcripto.Sotus in 4. d. 18. q. 2.at. 6.ad 2.recitans ſententiam D.Thomæ,& refellens Paludanum, idem confirmat.
» Toletus lib.3.de Inſt.Sacerd.c.6.Per nun-
» tiũ verò, inquit,aut per litteras, abſen-
» te pœnitente confeſsio non eſt. S.Ant.in 3.par.tit.14.cap.19. §. 17. Debet ſecretò,
» inquit,confiteri, & ſecretò imponi pœni-
» tentia ſumma Confeſſorum,lib.3.tit. 34. quæſt. 76. ſententiam hanc probat teſtimonio D.Thomæ,Alberti, & Innocentij in c. Omnis cuiuſq; ſexus, de pœnit.& remiſſ. Supplementum in verbo confeſsio primo;nitens auctoritate D.Thomæ.Rozella in verbo confeſsio tit. 1. §. 8.& 9. confirmans hanc ſententiam præclaris argumentis. Angelus, in verbo confeſsio tit.1.num.32.&33. qui cum Scoto permittit, vt, qui ſcripſit peccata ſua,idem legat: & admonet Angelus, communem ſententiam eſſe Theologorum,quę nunc tot teſtibus comprobatur.

4\. Firma autem argumenta huius ſecundæ ſententiæ,quæ ſola defendi poteſt,expoſita ſunt à D.Bonauentura,à Turrecremata, à Caietano, à Soto, à Roſella, iis quæ indicauimus locis. Sed hæc videntur eſſe præcipua.

Primum. Quòd omnia Sacramenta, quorum materia & forma eſt à Chriſto Domino inſtituta, præſentiam requirunt eorum qui ea ſuſcipiunt: id quod exploratum eſt in omnibus Sacramentis, excepto matrimonio:cui Chriſtus nec nouam formam, nec nouam materiam attulit,ſed vim duntaxat Sacrami ſanctificandi.

Secundum: Quia in forma abſolutionis dicimus:*te abſoluo*. Quare eum,qui cõfitetur, & abſoluitur, ſcire debemus eſſe in rerum natura: id autem ex litteris, & nuntiis certum ſciri non poteſt.

Tertium. Quia actus pœnitentis eos eſſe pœnitentis notum debet eſſe Sacerdoti.At confeſsio, quæ litteris mandatur, poteſt eſſe ficta:aliena manu,& mentiente, & alterius manum imitante.

Quartum. Quia ſcripta, & ad abſentem Sacerdotem miſſa confeſsio eſt ſuapte natura plena periculi:poteſt enim aut interire; aut ab eo, qui perfert, aperiri; aut intercipi; aut etiam ab aliquo nefario Sacerdote ſcripturæ auctor prodi, vt argumentatur Richardus in 4.ſent.d.17.ar. 9.qu.5. Atqui enunciata peccata ingens poſſunt eſſe malorum incendium:præſertim ſi cædis,ſi adulterij, ſi inceſtus, ſi ſtupri crimina teſtaretur ſcriptura: vnde ad auctorem ſcripturæ infamia ac dedecus, & capitis periculum, certáque pernicies, atque ad nobiliſsimas familias probrum, æternáque nominis labes permanaret. Quis autem ſuſpicari poſsit conceſſiſſe Chriſtum Dominum, vt ab eo inſtituta confeſsio tot incommodorum vllo tempore cauſſa poſſet exiſtere?Longiſsimè id quidem abeſt.

Quintum. Confeſsio, quæ abſolutionem meretur,iis debet eſſe ornata conditionibus, quæ à Sacris Theologis exponuntur:in quibus eſt, vt ſit humilis,verecunda,integra,ſecreta,lacrymabilis, parere parata; quarum conditionum non ſolùm certa indicia ex confeſsione ſcripta capere non poſſumus;ſed nonnullas deſiderari non dubitamus:neque enim eſt ſecreta,neque eſt verecunda: epiſtola enim non erubeſcit: neque charta lacrymatur: neque certum quidpiam de integritate pollicetur ſacerdoti: neque interroganti ſacerdoti,atque ea, quæ latere ſolent pœnitentẽ, exquirenti, de numero peccatorum,ſpecie,circumſtantiis,de tempore,& conſuetudine peccandi, aut reſpondere, aut ſuggerere poteſt.Denique non poteſt ea præſtare epiſtola, vel ſcriptura, quæ in primis à pœnitente neceſſariò requiruntur. 5.

Sit igitur ſextum Argumentum,quinto & lo

Digitized by Google

& loco, & genere finitimum. Sacerdoti, qui confitenti peccata condonat, notæ debent eſſe eo modo, vt ab eo cognoſci poſſunt, partes eæ quæ in Sacramento pœnitentiæ propriæ ſunt pœnitentis, vt viuat, vt vigilet, vt ſuæ ſit mentis; vt peccati materiem, & occaſiones propinquas amputet: vt ſcelera, quæ conſciuit, vehementer oderit: vt nolit ea ampliùs admittere: vt mulctam à Sacerdote inflictam non recuſet: vt remedia ad nouam ruinam vitandam libenti animo amplectatur: quæ omnia fugiunt Sacerdotem, ſi abſentis per epiſtolam confeſsionem ſuſcipere velit, eíque abſolutionis gratiam impertiri.

Septimum. Nullus iudex ob Scripturam alterius ad ſe, non ab auctore delatam, quempiam aut abſoluet, aut condemnabit; niſi, qui ſcripſit, ſuam eſſe fateatur: ergo, cùm abſolutio Sacerdotis actus ſit iudicialis, vt definitum eſt à Tridentino Concilio ſeſſ. 14. can. 9. non poteſt abſoluere, niſi voce confitentis dantíſque literas, compertũ ſit miſſam ſchedam, ſeu epiſtolam ſuam eſſe.

Octauum eſt Turrecrematæ in commentario capitis, quem pœnitet, d. 1. de pœnit. artic. 1. concl. 1. Sicut quis tenetur confiteri Deum: ita ſua peccata confiteri: ſed Deum tenetur quiſque ore confiteri, ***ore enim confeſſio fit ad ſalutem***; ad Roman. cap. 10. Ergo ore quoque tenetur peccata confiteri.

6. Nonum. Eandem confeſſionem prohibitam eſſe iure diuino hinc conſtare poſſet. Quoniam accidere facilè poteſt, vt abſolutio, quæ per litteras confitenti traditur, & inuoluntaria ſit, & ſacrilega: atque ob id ipſum nulla. Si enim, cùm Sacerdos aut ſcribit, aut pronuntiat formam abſolutionis, mortuus ſit is, qui ſuorum ſcelerum confeſſionem miſit; aut animo flagitium quodpiam meditetur, vel etiam rem nefariã committat, quod fere euenire ſolet ei qui diuturna peccandi conſuetudine eſt implicatus; ſi tũc, inquam, Sacerdos gnarus eſſet ſtatus pœnitentis, nullo modo in animo haberet eum abſoluere: &, ſi abſolueret, neceſſe eſſet abſolutionem eſſe ſacrilegam: ſignificaret enim id, quod nullo modo efficeret, id eſt, abſolui eum, qui abſolui non poteſt; quandoquidem nec mortuo, nec ſcelus quodpiam edenti, aut à Deo aut ab eius miniſtro, venia abſolutióque aliqua tribuitur.

Poſtremum argumentum. Concilium Florentinum in actibus pœnitentis, quæ materia eſt in Sacramento pœnitentiæ, numerat oris confeſſionem: ergo, qui ore vti poteſt, non poteſt alio modo legitimè confiteri, id eſt, per nuntium, vel per literas.

Tantus igitur Conciliorum, & ſacrorum Canonum, & decreti Pontificij, & Romani Catechiſmi, & tot antiquorum & doctiſſimorum Theologorũ concurſus, tantúſque argumentorum aceruus facit, vt his temporibus nulla alia quàm hæc ſecunda valere debeat ſententia.

Quæres, num contraria tamquam hæretica à Clemente VIII. exploſa ſit. Minimè, meo quidẽ animo. Primùm. Quia fieri aliquando per literas confeſſionem poſſe, viri, & pietatis & doctrinæ Theologicæ laude clari dixerunt: nam de muto, cui aut natura, aut morbus linguæ vſum ademit, poſt Alexandrum fatetur Turrecremata, qui Concilio Florentino interfuit: quem tamen caſum tollit Decretum Clementis VIII. 7.

Deinde. Quia Concilium Tridentinum, quod de partibus pœnitentiæ ſubtiliter & enucleatè præcepit, de materia huius Sacramenti loquens, inquit, Sunt » quaſi materia huius Sacramenti ipſius » pœnitentis actus, nempe contritio, con- » feſſio, & ſatisfactio. Confeſſio dixit abſo- » lutè, non adiunxit, oris, quemadmodum eſt in Concilio Florentino, quod ipſum non crediderim tamquam rem de fide Florentinũ Concilium ſtatuere voluiſſe.

Poſtea. Quia D. Thomas, cuius doctrinam Florentinum & Tridentinum Concilium tanto ſtudio æmulata ſunt, in

Digitized by Google

quodlib. 1. art. 10. quærens vtrùm ſcripto ſatis ſit confiteri (quamuis ſcripti nomine non intelligat genus litterarum, quę dantur ad abſentes) cõfirmat, ex inſtitutione Eccleſiæ eſſe, vt quis ore confiteatur peccata ſua, cùm poteſt.

8. Poſtremò. Quia Clementis VIII. Decretum, eam, non tamquam hæreticam, ſed vti falſam, temerariã, & ſcandaloſam, damnauit. Illa enim verba, ad minùs vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, ſatis declarant, noluiſſe, propoſitionem, & opinionem illam, vti hæreticam, condemnare. Iterum enim, qui poſt Pontificiũ Decretum, damnatámque opinionẽ, aut ſequeretur, aut probabilẽ eſſe doceret, non ſolùm graui ſe ſcelere, & excõmunicationis Romano Põtifici reſeruatæ ſe vinculo obſtringeret: verùm etiã à Sacroſanctæ Inquiſitionis iudicibus veluti de doctrina, & Decretis Romanæ Cathedræ malè ſentiens meritò plecteretur. Etenim cunctis Romanæ Eccleſiæ filiis ex D. Cypriani voces in lib. de vnitate Eccleſiæ debent eſſe præceptæ. *Qui cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat.* Quam D. Cypriani ſententiam ſua conſtitutione, cuius eſt initium, Paſtor æternus, in poſtremo Concilio Lateranenſi probatam Leo X. confirmauit, cùm his verbis ſanxit: *In Eccleſia eſſe non poteſt, qui Romani Pontificis cathedram deſerit:* cuius cathedræ auctoritatem omnibus in rebus ſecutum ſe eſſe profitetur D. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. cùm minimè tantum Doctorem lateret, in pernicioſam hæreſim labi ſolere eum, qui Romano Pontifici in iis parendum eſſe negat, quæ eius imperio ac iudicio inſtituuntur, ac decernuntur: id quod illuſtri ac luculento D. Thomæ teſtimonio comprobatur, in tractatu contra impugnantes Religionem, cap. 3. non longè ab extremo. Quo ipſo ſanctiſſimi iuxta atque ſapientiſſimi Magiſtri teſtimonio vſus eſt D. Anton. in 3. p. ſummæ tit. 22. cap. 6. §. 5. ac Ioannes à Turrecremata in 2. lib. de Eccleſia, c. 50.

QVÆSTIO XVII.

Conſtat inter omnes Theologos annuæ confeſſionis neceſſario iure teneri, quicunque mortiferam culpam contrahere poſſunt; illámque contraxerunt poſt Baptiſmum: quæ lex planis verbis perſcripta eſt in c. omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſſ. ab Innocentio III. in generali Concilio Lateranenſi promulgata. Verùm, cùm lex illa tangat doli capaces, id eſt, qui rationis ſunt compotes, dubitari ſolet quam ætatem, & quem annum agens dici quiſpiam poſſit, doli & rationis capax. Viſum eſt nonnullis, poſt annũ ſeptimum lumen rationis fulgere pueris: id probatur Sylueſtro in verbo, Cõfeſſio, ſect. 2. quæſt. 5. laudátque Gloſſam in c. 1. de delictis puerorum: ſed D. Antoninus in 2. p. tit. 9. c. 8. §. 2. ſcribit, temerarium videri aſſeuerare, palámque enuntiare populis, crimen incurrere pueros, ſi de ſuis peccatis poſt ſeptimum annum non confiteantur, paríque ſcelere parentes irretiri, ſi filios ſuos id ætatis ad Pœnitentiæ Sacramentum obeundum non impellant. Itaque idem D. Antoninus variis opinionibus recitatis in eam propendet; vt, cùm puerorũ ætas ad decimum vndecimúmve annum progreſſa fuerit, ſacra confeſſione peccata poſt Baptiſmum admiſſa expiare ij debeant. 1.

Mihi ex communi Theologorum ſententia videtur dicendum; pueros eodem tempore onus ſubire annuæ confeſſionis, quo neceſſarium erit iis remedium poſt Baptiſmum ad DEI gratiam recuperandam, æternámque ſalutem conſequendam; licèt illos ipſos Eccleſia ſuis cenſuris non mulctet ante duodecimum, vel etiam decimumquartum annũ, quos antè peccare non ignorat; id totum docet Dominicus Sotus in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. conc. 5. vbi addit, pueros ab Eccleſia ante duodecimũ, quartumdecimúmve annum diuinæ legis poteſtati tradi; ſed tamen ipſos, quo tempore iure diuino confi

Digitized by Google

confiteri debent, illo ipſo debere Eccleſiæ, humano. Et quia experientia eruditi ſcimus, rationis vſum tardiorem eſſe in nonnullis, in aliis celeriorẽ, quod ipſum prudenter admonet Richardus in 4. diſt. 17. art. 2. q. 4. Illud item verè à Victoria ſcriptum eſt in libello de Sacramentis q. 139. non vnum aliquem eodem tempore rationis vſum, ſeu iudicium conſequi omnium rerum bonarum, & malarum; idcirco Scoti regula vtendum eſt, quam is tradit in 4. ſentent. quæſt. vnica, artic. 2. diſtin. 17. litera l. Etenim ſi interrogatus puer ordine, rectéque reſpondeat quid ex diuina lege iuſtum, iniuſtúmque ſit, ſatis declarat ea ſe mente inſtructum eſſe; qua aut bene, aut improbè agere poſſit: ex quo fit vt ſicut diuina lege peccata ſua apud Sacerdotẽ accuſare debet: ſic etiam Eccleſiæ illa ipſa quotannis confiteri ei neceſſe ſit. Hoc documentum Scoti probat, & amplectitur Angelus, confeſſio 2. num. 3. Roſella eodem titulo, p. 2. num. 4. Gabriel in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. conc. 2. Aliique non pauci. Congruit cum regula Scoti, illa Maioris in eandem diſt. 17. 4. ſent. quæſt. 1. colum. 3. in antiquis, ſed in recentioribus quæſt. 2. col. 2. Cùm enim ordine interrogatus puer cognoſcit, quid conſentaneum, quídve diſſentaneum rationi ſit; & ob malè facta verecundatur, nimirum ſignum dat certum animi deliberantis, & ratione vtentis. Modum à Maiore præſcriptum iudicij explorandi in pueris ſequitur Nauarrus in Summa, cap. 21. num. 31.

QVÆSTIO XVIII.

1. CIrcumſtantia perſonæ, cum qua ſcelus admiſſum eſt, cùm peccati ſpeciem mutat, num in confeſſione retegi poſſit, ac debeat; quando non occurrit Sacerdos, cui ſit perſona ignota, quæſitũ eſt, & quotidie quæri ſolet à multis. Nullo modo indicari poſſe dixerunt hi: Marſilius in 4. q. 12. art. 1. p. 4. non longè ab extremo, in ſolutione 1. arg. Caietanus in Summa, verbo, Confeſſio, condit. 3. Nauarrus in Summa, cap. 7. num. 1. & ſeq. & in c. conſideret, diſt. 5. de pœnitent. num. 103. & 104. ſui Commentarij 1 eôdem propendet Viguerius in Theologicis inſtitutionibus, cap. 16. §. 4. verſu 17. Melchior Canus in 5. part. relectionis de pœnitentia, patefieri poſſe ſocium criminis ſcribit, quoties, aut nulla, aut minima eſt famæ iactura.

Vera, & fermè omniũ Theologorum inſignium ſententia eſt, non eſſe perſonæ circumſtantiam reticendam, quando aliter integrè confiteri non poſſumus. Diui Thomæ ratio, quam alij ſequuntur, hæc eſt; quoniam ſua cuique ſaluti fama alterius debet eſſe poſterior: ſalus autem noſtra pendet è neceſſario iure integrè confitendi peccata. Adde tu, quòd quilibet ſuam famam magis diligere debet, quàm alterius, vt à nobis & multorum, magnorúmque Theologorum teſtimonio, & non leuibus argumentis in noſtra diſputatione de neceſſitate tuendæ famæ demonſtratum eſt; ergo ſi mea fama legi integre confitendi cedit, cedere etiam debet fama aliena: præterquam quòd confeſſionis tribunal, vt poſtea oſtenſuri ſumus, neminẽ infamia vlla notare poteſt. 2.

Quocirca huius veriſſimæ ſententiæ princeps eſt D. Bernard. In tractatu enim de formula vitæ honeſtæ, p. 2. cui eſt inſcriptio: Eiuſdẽ materiæ notabile documentũ, loquitur his verbis: De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris, quantumcunque ſit verum, aut manifeſtum, niſi in confeſſione: & hoc, vbi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum. Cum Bernardo faciunt hi primarum partium Theologi. D. Thomas in 4. ſent. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 5. ad 5. S. Bonau. in 4. diſt. 21. art. 1. quæſt. 3. num. 54. Alex. Halen. in 4. part. q. 18. memb. 4. art. 2. §. 4. Palud. in 4. diſt. 16. q. 3. art. 3. in calce, & planiùs d. 21. quæſt. 3. art. 2. concl. 2. vbi, inquit, pro neceſſitate confeſſionis debet alium nominare, non pro vtilitate.

Richar

3. Richardus in 4. diſt.21. artic.5. q.2. qui exiſtimat, nominari etiam poſſe criminis conſortem pro illius ſalute; & ne iterum ad interitum animæ ruat. Durandus in 4. d.16.q.4. hæc item hiſque verbis addens;
„ ex quo patet quòd curioſi Confeſſores,
„ qui inquirunt de circumſtantiis peccati,
„ etiam non neceſſariis ad confitendum, vt
„ deueniant in cognitionem perſonæ, cum
„ qua aliquis, vel aliqua peccauit, grauiter
„ delinquunt: & debentes alios mundare,
„ ſe ipſos fœdant. Henricus Gandauenſis quodlib. 3. q.23. Gerſon Alphabeto 41. litera F. & alphabeto 32. eadem littera: qui etiam putat, cùm vtile eſt ſocio criminis, eum poſſe nominari in confeſſione: ſed præſtātiores eo Magiſtri id ipſum inficiantur. Maior in 4. d. 21. q. 2. in extremo. Gabriel in 4. diſt. 17. q. 1. artic. 2. concl. 5. qui illud idem ſignificat, quod Gerſon, cùm agitur de vtilitate ſocij, eum poſſe retegi in confeſſione; profertque D. Bonauenturam auctorem. Qui tamen Sanctus ait, rectiùs extra cōfeſſionem affinem delicti nuncupari. Adrianus in 4. q. 1. de confeſſione. §. Sed oritur ex his dubium aliud: & quodlib. 10. col. 10. folió maiore in medio; aſſignátque ſententiam hanc reliquis Doctoribus: qui ſcripſerunt in 4. ſent. diſt. 17. quanquam ex hoc noſtro, quem teximus catalogo, apparet, ea de re Theologos in diuerſis diſtinctionibus quarti diſſeruiſſe. Almainus in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. §. Circa hanc materiam ſunt difficultates.

Sotus in 4. d.18. q.2. art.5. ad 4. argum. excipit vnum tempus. Cùm quis aut matrem, aut ſororem inceſtè cognouiſſet, & fratri confiteretur, qui id illis exprobraturus eſſet. Ioannes Medina. C. de confeſſione quæſt. 9. de circumſtantia loci, & temporis dummodo ne quodpiam ſcandalum timeatur: nam tale malum neceſſariò ait eſſe cauendum in q. 10. Victoria in Summa Sacrament. q. 174. Petrus Sotus lectione 10. de confeſſione, pag. 1. de ſcandalo, admonēs idem quod Medina. D. Anton. in 3. part. tit. 14. c. 19. §. 11. Syluester in verbo Confeſſio. 1. q. 24. Angelus in verbo Confeſſio. 1. num. 3. Ecquis tantorum lacertorum ſit, vt cum tot tāmque fortibus aduerſariis cōtēdere poſſit?

Sic igitur conſtituamus, ſocium criminis numquam in confeſſione nominandum, cùm peccati noſtri ſpecies intelligi poteſt eo tacito: neque etiam tunc nominandum quando ex iudicio, & ſignificatione graue aliquod ſcandalum oriri poſſet: quod malum ſuſpicionem probabilem non habet, cùm apud probum & religioſum ſacerdotem confitemur; qui non minùs noſtrum quàm ſocij peccatum ſilentio obruet ſempiterno. Quod monitum eſt Petri Soti in ea lect. 10. Neque illud aut Nauarro, aut cuiuis alij concedendum eſt, crimen in Sacra confeſſione enuntiatum, enuntianti infamiam vllam adferre; quod idem ante nos Victoria, & Sotus indicatis locis affirmarunt. 4.

Ad hanc rem argumenta ſuppeditant minimè captioſa. Primùm. Quia fama eſt vita quædam ciuilis: at peccatum in Sacramento Pœnitentiæ indicatur Sacerdoti non ex ea parte, quatenus ciuilem vitam viuit, ſed quatenus, vt Chriſti Vicarius eſt, vitæque ſupranaturalis miniſter.

Deinde. Quia fama nihil eſt aliud, quàm opinio, quæ de alterius vita habetur, voce, aliòve ſigno externo teſtata. At Sacramenti Pœnitentiæ forum adeo arcanum eſt, & tectum, vt in eo cognita peccata nullo vmquam tempore à quopiam vel minimo indicio proferri, aut ſignificari poſſint. Imò verò poſt perditiſſimi hominis auditam confeſſionem verecundam, mœſtam, ac luctuoſam, dicere poſſet Sacerdos ipſum illum eſſe hominem frugi, ac Deo carum.

Poſtremò. Non ea vis, ac poteſtas huius diuini arcaníque Sacramenti eſt, vt hominū aut vitam, aut exiſtimationem, aut honorem, aut rem familiarem affligat, & perdat; ſed multo maximè, vt iſthæc omnia bona ſarta tecta conſeruet. Non ſinit huius Tribunalis auctoritas, quem- 5.

quemquam, aut ſuam famam, aut alterius vitam iniuſtè prodere: prohibet omnem iniuriam; vindicat ſecreta pœna quamlibet culpam, vnde turpitudo, vel exiſtimationis vera labes alicui poſſet oriri. Sed fac, ob tuorum criminum confeſſionem, quibus alij fuerunt adiuncti, ſocios interdum neceſſariò indicari, atque ob eam cauſſam eiſdem infamiam apud Sacerdotem inuri; idcircóne illis parcendum erit? minimè verò.

Primùm. Quia nec mihi ipſi ignoſco; qui tamen mihimet in primis, à Deo atque à natura commendor. Deinde: Quia potior mihi mea ſalus, cuius inſtrumentum eſt integra confeſſio, quàm alterius exiſtimatio eſſe debet. Denique: Quia integræ abſolutæque Confeſſionis Sacramentum, eſt cœleſtis gratiæ inſtrumentum, ad placandum Deum, æternámque ſalutem conſequendam maximum præſidium: quo non vnius, aut quinque, aut decem, aut centum, aut mille hominum, ſed totius humani generis ſalus continetur, ſi poſt Baptiſmi Sacramentum ſumptum in ſcelus aliquod prolabitur.

6. Denique incorruptæ religionis, qua verum Deum veneramur, eſt teſtificatio; & quia animæ ſaluti, & fama & honos, & vita ipſa concedit; & quia bono maximè communi priuatum vniuſcuiuſque obſequitur; & quia lex religionis erga diuinum numen cunctas alias leges, quæ humanum & caducum bonum intuentur, premit & ſubiicit. Et quia pro tuenda religione, etiam regna & imperia, atque exercitus maximos amittere debemus; quid mirum, ſi priuata vnius, aut etiam duorum fama negligenda foret pro noſtra ſalute procurãda, & pro tanti Sacramenti maieſtate retinenda?

Vide quanti ſit Sacramenti Pœnitentiæ lex, & num anteponenda ſit legi alterius famam tuendi; ſi extra Sacramẽtum ſciam aliquem, aut ciuitati, aut etiam toti Prouinciæ vaſtitatem illaturum, diuina & naturali lege cogor hunc hominem indicare, ſi ſecus pernicies auerti nõ poſſit: at verò ſi in Sacramẽto Pœnitentiæ id mihi cognitũ ſit, imperatũ eſt mihi diuino iure ſilentium; nec proditorem nominare mihi licet: quamuis vniuersè monere poſſim magiſtratum, vt in ſeruanda ciuitate, ſeu Prouincia excubet. Ex quo perſpici poteſt, quàm flacceſcat Nauarri argumentum: quo fuit in contrariam ſententiam abreptus, & captioſa probabilitate deceptus.

De Confeßione informi.

QVÆSTIO XIX.

CVm vſuueniat ſæpenumero, vt qui ſua peccata Sacerdoti in confeſsione Sacra aperiunt, eorum veniam minimè conſequantur à Deo, meritò ſcire auent tum Sacerdotes, tum pœnitentes, vtrúmne cõfeſsio omnis informis iteranda ſit neceſſario; aut verò ſit ſatis in alia quapiam confeſſione fictionis, ſiue cauſſæ, quæ confeſſionem effecit informem, pœnitere, eámque præteritæ confeſſionis culpis non repetitis Sacerdoti indicare. 1.

Nemo inficiatus fuerit, quæſtionem hanc ob differentium Doctorum diſſidiũ eſſe perdifficilẽ. Neque Petro Soto aſſentiri poſſum, qui in ſeptima & octaua lectione de confeſſione, vbi locum hunc tractat, cenſet, controuerſiam hanc in verbo potiùs quàm in re poſitam eſſe. Eſt enim illud exploratè perceptum, Theologos eſſe multos, qui negant, confeſſionem aliquam informem, ſeu fictam diuino præcepto ſatisfacere, vel valituram eo tempore quo fictio, ſeu culpa confeſſionis informis ceſſabit. At verò non pauci contra iſthæc dicunt.

In prima doctorum claſſe, qui quamuis informem confeſſionem reſpuunt, Petrus Sotus, numerat Scotum; verum locum in Scoti ſcriptis nequaquam indicat; ſed fortè ſententia hæc Scoti ab eo ſignificata eſt in 4. diſt. 17. quæſt. 1. artic. 7.

vbi in præcepto confeſſionis vnum ex capitibus neceſſariis ait eſſe qualiter, quia, inquit, cū diſplicentia peccati commiſſi & cum propoſito abſtinendi à peccato,& obedienди Eccleſiæ in ſatisfactione pro iſto peccato fieri debet.

2. Palam eandem ſententiam defenſitarunt, & apertiùs quàm Scotus perſuadere conantur hi omnes. D. Bonauentura in 4.ſent.diſt.17. in 2.part. diſt. Magiſtri art. » 2. quæſt.3. num.91. Confeſsio, inquit, eſt » opus Sacramentale ad iuſtificationem in» ſtitutum, vnde hæc confeſsio ad abſolu» tionē eſt ordinata. Concedo igitur, quòd non eſt neceſſarium, nec obligatur quis confiteri ex caritate: ſed tenetur confiteri, vel ex caritate, vel ex diſpoſitione ad caritatem diſponente ſufficienter; vel ſecundùm probabilitatem, vel ſecundùm veritatem: ſi ſecus fiat, tenetur iterum confiteri: quia Sacramentum irritum fecit. Interpretans autem verba illius diſtinctionis quæſtione poſtrema, omnes Doctores ad hanc ipſam ſententiam aggregat. Durandus in eandem diſt.17. q.13. & 14. tametſi q.13. de re problematicè diſſerat, nihilominùs num.14. opinionem, quæ informes confeſsiones reperendas ait, iudicat eſſe pro animarum ſalute tutiorem.. Adrianus in 4. quæſt.5. de confeſsione dubio 5. quamuis fateatur Diui Thomæ opinionem eſſe communem, de qua mox. Maior in 4.diſt.17. q.1. de confeſsione. Gabriel in eandem diſt. q.1.art. 3.dubio 2. contrariam opinionem oppugnat. Almain. in 4.d. 17.q.1. de confeſſ. Medina C.de confeſsione q.20. Dionyſius Carthuſianus in 4.diſt. 17. q.8. §. Inſuper Angelus, in Summa, verbo, Confeſſio. 1. §.14. Syluester, in verbo, Confeſsio. 1. quæſt. 22. hanc ipſam tribuit Canoniſtis, Durandus ordinis minorum, Olchot & Vincentius in ſpeculo. Ego verò animaduerto doctos etiā è D.Thomæ ſchola Theologos, non eſſe auſos inficiari diſpoſitiones neceſſarias in hoc Sacramento pœnitentiæ, vt verum ſit Sacramentū. Vide Caietanum in Summa, vbi loquitur de iteranda confeſsione, & in 2. tomo opuſc. tract. 50. q.5. & Sotum in 4. d. 18. q.3. art. 2. Victoriam in libro de Summa Sacramentorum, q.157.

Porrò autem hiſce haud captioſis argumentis hæc ſe tueri poteſt opinio. Primum: quia Sacramentum, quod eſt nullum, iterandum eſt; ſed Sacramentum carens ſua materia eſt nullum: ergo iterandum. at materia Sacramenti pœnitentiæ ſunt tres actus pœnitentis, qui complectuntur omnes diſpoſitiones neceſſarias ad remiſsionem peccati: quare, ſi illæ deſint diſpoſitiones, nullum & irritum fit Sacramentum. Confirmatur hæc ipſa ratio, quod ab initio nullum eſt & irritum, numquam fieri poteſt legitimum, per regulam iuris; non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non ſubſiſtit. 3.

Secundum argumentum. Cùm aliquis ſuarum antecedentiū confeſsionum incipit agnoſcere vitium, vel tunc abſoluitur à peccatis, vel certè, cùm eum pœnitet fictionis: verùm pœnitentia non habet vim delendæ culpæ, niſi quia votum continet confeſsionis: ſed confeſsio, quæ habetur in voto, non eſt præterita neque facta, ſed futura, & facienda: quia votum rei eſt futuræ, non præteritæ. Igitur confeſsio, quæ Deo non reconciliauit peccatorem, iteranda eſt.

Tertium argumentum. Si falſitas ſit in Sacramentorum formis, ipſa Sacramenta nulla ſunt: ſed, ſi confeſsio non ſit ornata diſpoſitionibus neceſſariis ad gratiā, redditur falſa, & mendax forma abſolutionis: nam ſignificat aliquid fieri, quod reuera non fit, id eſt, pœnitenti condonari peccata, quæ tamen non condonantur. Quare, &c.

Quartum argumentum. Non abſoluit Deus principaliter in Sacramento pœnitentiæ, niſi quia Sacerdos miniſterialiter abſoluit: verùm Sacerdos non abſoluit miniſterialiter niſi per nouam formā, & per nouum Sacramentum, quod verum ſit Sacramentum: ergo Sacramentum eſt iterandum.

Quintum

4. Quintum argumentum. Effectus in actu requirit cauſſam in actu: ſed remiſsio peccatorum eſt effectus nouus, & in actu: ergo eius cauſſa debet eſſe in actu. At ſuperiora Sacramenta, quæ informia fuerunt, non ſunt actu: ergo noua peccati remiſsio, nouum item requirit pœnitentiæ Sacramentum. Confirmatur, Quod nihil eſt, non poteſt eſſe cauſſa alicuius rei: ſed confeſsiones informes præcedentes cum ſuis abſolutionibus, nihil fuerunt, quia habuerunt eſſe in fieri; nihilque earum factum eſt reliqui, quod re ipſa exiſtat, tamquam Sacramentum, aut cauſſa remiſsionis peccati: eſt igitur noua confeſſio vſurpanda.

Quòd ſi obiicias, Baptiſmum recedente fictione incipere valere, baptizatóque prodeſſe, vt affirmat D. Auguſt. in lib. de Baptiſmo paruulorũ, habeturque de conſecratione diſt. 4. & in 4. ſent. diſt. 4. Reſpondent ſententiæ huius patroni, id conuenire Baptiſmo, aut ex diuino pacto, quia eſt regeneratio ſpiritualis, & remedium vnicum, & ſemel contra peccatum originale; vel quia in animo reliquit characterem, qui, vel eſt diſpoſitio, vt ſignificat D. Thom. in 4. d. 4. q. 3. art. 2. quæſtiun. 3. vel quia eſt forma, ad quam ſequitur effectus, remoto impedimento, vt idem D. Thomas ait in 3. p. q. 69. art. 10. quorum neutrum conuenit in Sacramentum pœnitentiæ, præterquam quòd Scotus opinatus eſt in 4. diſt. 4. q. 5. poſt acceptum Baptiſmum cum fictione, pœnitẽtia duntaxat eius, qui fictionem adhibuit, tolli peccatum; à cuius ſententia non videtur recedere Adrianus in 5. quæſt. de confeſſione dubio 5. certè ante Scotum idem Gloſſa tradidit in illum canonem, tunc valere: de conſecratione diſt. 4. quæ Gloſſa videtur eſſe Io. Andreæ, vt Durandus ſignificat in 4. ſent. diſt. 4. q. 4.

Argumenta verò, quæ ex contraria parte afferuntur, haud maiore negotio refelluntur; quorum argumentorum expoſitionem & reprehenſionem ſubijcimus, vbi contrariæ ſententiæ auctores enumerauerimus.

5. Quòd igitur non quælibet informis confeſſio renouanda ſit, defendunt Doctores numero & auctoritate minimè inferiores. D. Thomas in 4. ſent. diſtinct. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiunc. 1. Altiſiodorus in 4. libro Summæ Theologicæ, in tractatu de Sacramento confeſſionis, cui titulus eſt de effectu contritionis: Alexander Halen. in 4. p. quæſt. 18. membro 4. art. 4. §. 7. cuius verba ad rem apta hæc ſunt. Tenemur confiteri ex caritate, vt confeſſio eſt meritoria, aut ſatisfactoria; non autem, vt eſt ab Eccleſia inſtituta, & præcepta: & quamuis ab homine non contrito expleatur præceptum, vt eſt ab Eccleſia, ſed non expletur quatenus eſt Sacramentalis & ſatisfactoria. Sed, ſi, quod res eſt, fateri volumus, Alexander, & Altiſiodorus non negant confeſſionem quatenus Sacramentalis eſt, & à Deo imperata, iterandam eſſe, ſi fuerit informis. Cum D. Thoma Paludanus facit diſt. 17. quæſt. 8. art. 1. qui de re diſputat in vtramque partem: & vtriuſque partis argumenta diſſoluit; dátque ſe in illam D. Thomæ: tribúſque modis eius opinionem moderatur, vt poſtea intelligetur. Gerſon tractatu 34. littera I, Caietanus in 1. tomo opuſculor. tract. 5. qui eſt de confeſſione, quæſt. 5. & in Summa, in verbo, confeſſio. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. Melchior Canus in 5. parte, relectionis de pœnit. fol. 114. §. Dupliciter itaque. Ledeſma 2. 4. quæſt. 8. art. 1. dubio 3. Petrus Sotus de inſtitutione Sacerdotum tract. de confeſſione, lectione 7. & 8. Victoria in parua ſumma Sacramentorum, quæſito 117. Capreolus in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. & 3. Sylueſter in verbo, confeſsio. 1. quæſt. 22. Nauarrus in Summa, cap. 9. num. 13. & diſtinct. 5. de pœnitentia in c. fratres. num. 33. 34. & 35. Couarr. in caput Alma mater, parte 1. relectionis, §. 4. num. 13.

6. Huius opinionis hæc ſunt firmiora præſidia. Primum. Si omnis confeſsio informis eſſet iteranda, anxia, & perpetua cura homines vreret Chriſtianos millies

eadem peccata in confeſsione repetendi; cùm certum ſcire nemo poſsit, fueritne vlla eius confeſsio caritate formata, ſed reſponderent primæ ſententiæ defenſores, non quamcunque informem confeſsionem iterandam eſſe, at eam tantùm, quam aut Sacerdos, aut pœnitens, aut vterque, vel certò, vel probabiliter credit informem extitiſſe: propterea quòd caruit neceſſariis diſpoſitionibus ad recipiendum effectum huius Sacramenti; quæ eſt vera peccatorum abſolutio.

Secundò argumentantur ad hunc modum: Omnia præcepta extra gratiam impleri poſſunt: ergo præcepta etiam Sacramentorum. Tota ratio licèt eſſet vera, non concludit propoſitum, quod eſt hoc: ergo informis confeſsio rata eſt, & minimè iteranda. Quamquam hoc loco notandum eſt id, quod eſt cardo quæſtionis, hoc intereſſe inter præceptum confeſsionis & naturalia: quòd quamuis illa impleri fortaſſe poſsint ſine gratia, & ſine proxima diſpoſitione ad gratiam (dixi fortaſſe, quia præceptum amandi Deum ſupra omnes res creatas, & præceptum pœnitendi, ſine diuina gratia, impleri non poteſt) tamen præceptum confitendi ſine neceſſaria diſpoſitione ad gratiam ſeruari non poteſt: nam ipſæmet diſpoſitiones ſub præceptum cadūt confeſsionis, vt peccatorum inueſtigatio, dolor peccati, & propoſitum illius vitandi, & pro eo ſatisfaciendi.

Tertia ratio eſt Caietani in Summa. Probanda, inquit, eſſet hæc exceptio, cur reliqua Sacramenta poſſint eſſe vera Sacramenta, & informia: Sacramentum verò confeſsionis minimè. Reſpondeo. Quia reliqua Sacramenta non requirunt niſi materiam & formam; quæ, ſi adſint, vera erunt Sacramenta: & in reliquis quidem Sacramentis excepto matrimoniò eſt res aliqua diuinitus inſtituta, à noſtra non pendens voluntate. At in Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij, vera & legitima materia ſunt actus humani; qui, ſi abſunt, nullum eſt Sacramentum. Et quemadmodū in matrimonio niſi conſenſus adhiberetur contrahentium, eſſet planè nullum: Ita niſi ad Sacramentum pœnitentiæ, actus addantur pœnitentis, confeſsio, contritio, & propoſitum ſatiſfaciendi, nullum perficitur Sacramentum: Quare iterandum.

Quarta ratio. Si confeſsio informis non implet præceptum: ergo à nemine vmquam ſciri poterit, fueritne præcepto ſatisfactum. Reſpondetur, hoc ipſo argumento illos omnes vrgeri, qui non concedunt certò ſcire quempiam poſſe, impleritne præceptum diligendi DEVM ex caritate; aut criminum, quemadmodum oporteret, pœnitendi; aut etiam toti naturæ legi paruerit. Quemadmodum igitur ad tumultus conſcientiæ ſedandos, ſatis cuique eſſe debet probabilis exiſtimatio de obſeruatione præceptorum; ſic de præcepto confitendi ſentire debemus. 7.

Mihi, in tam graui differentium Magiſtrorum contentione, quid propius ad verum accedere videatur, aliquot enuntiationibus explanabo.

Prima ENVNTIATIO. Si confeſsio informis euadit, quia neceſſaria integritate caret; idque pœnitentis vitio; vel quia vitioſa verecundia impeditus, aut etiam doloſè mortiferum aliquod peccatum occuluit; aut quia anteactæ vitæ ſcelera negligenter recognouit, ex omniū ſententia neceſſariò eſt iteranda.

Secunda ENVNTIATIO. Si is, qui ſua peccata confitetur, more hiſtorico illa narrat, neque ex eorum commemoratione dolorem ſuſcipit, is nec ſatisfacit præcepto confitendi, neque poteſt abſolui; ſed iterum de iiſdem peccatis debet apud Sacerdotem dolenter confiteri. qua etiam de re conuenit inter omnes.

Tertia ENVNTIATIO. Confeſsio quæ comitem habet attritionem, caritatis expertem, ſi tamen eò perueniat, quò peruenire debet, accedente abſolutione repetenda non eſt; quæ ſententia magis eſt vera, atque communis.

Quarta ENVNTIATIO. Qui ſua peccata

cata non tantopere deteſtaretur, quantopete oporteret,nec declinandi à peccato tam acris voluntas eſſet, quàm Devs exigit ad illud condonandum, crederet tamen pœnitens nihil ab ſe in ea parte prætermitti; hic,quamuis veniam à Deo delictorum nullam impetraſſet, nihilominùs, cùm ſuum poſtea erratum cognoſceret, ſatis eſſet de eo cum dolore confiteri, præteritorum peccatorum non repetita confeſſione: id enim eſt quàm probabiliſſimum; & cum primis diuinam decere videtur clemētiam, ſiue peccati remiſſio ornatui illi aſſignetur, quem Paludanus, multique alij diſplicina D.Thomæ eruditi à Sacramentis in animis noſtris imprimi arbitrantur, ſiue eadem condonatio cuidam dilatoriæ pactioni diuinæ tribuatur, quemadmodum exponit Durandus in 4.diſt.17. q.13. ſiue illa ipſa condonentur propter pœnitentis, & Sacerdotis bonam fidem,cum facti ignorantia probabili coniunctam, vt docet Petrus Sotus lectione 8.de confeſſione.

8. Quinta Envntiatio. Si quis confitetur,nec ſtatum peccati relinquat, nec occaſiones, quas experientia didicit proximas eſſe, etiam ſi abſoluatur, illa eſt fictio; quæ facit confeſsionem nullam cum nouo Sacrilegio. Tota hæc enuntiatio eſt Petri Soti in 8. Lectione de confeſsione, quæ ab omnibus admitti debet:hic enim qui ſic accedit ad Sacramentum confeſſionis, non eſt in numero pœnitentium, & contritorum.

Sexta Envntiatio. Gerſon tractatu 34.littera I. Quattuor genera fictionum diſtinguit: Prima eſt,inquit, pernicioſè mentiens: Secunda, doloſè dimidians; Tertia, patenter inficiens:Quarta, inſufficienter diſcutiens.. Primæ duæ fictiones explicationis nō indigent, quamuis à Gerſone explicentur. Tertia, fit,inquit,dum confitens retinet adhuc propoſitum actualiter iterum peccandi;vel non habet propoſitum ſatisfaciendi, quibus debet,iuxta voluntatem Sacerdotis; reciditque hæc fictio in duas primas.Quarta, inquit, eſt inſufficienter diſcutiens: id quod ſex modis accidit.

Primò, ignorando ſcilicet factum: quia non fuit ſufficienter recogitatum. Secundò, ignorando ſi factum ſit peccatum ſaltem mortale. Tertiò,ignorando præſuppoſito primo quod ſit peccatū mortale, ſitne taliter & expreſsè confitendum. Quartò,ignorando ſi diſplicentia peccati ſit principaliter in confitente,non ratione culpę,ſed ratione pudoris & pœnę.Quintò,ignorando,ſi motus deteſtationis peccati ſit ſatis intenſus vel non. Sextò,ignorando, ſi ponatur obex abſolutioni per propoſitum non abſtinendi à peccato.

In tribus primis fictionibus agnoſcit neceſsitatem confeſsionis repetendi: in quarta verò, illiuſque ſex ſpeciebus eiuſmodi neceſsitatem non conſtituit: quia, addit Gerſon; Ipſa confeſsio obtinet, & „ habebit efficaciam,vel in abſolutione Sa- „ cramentali virtute clauium Eccleſiæ; vel „ poſtea ceſſante fictione huiuſmodi: ſicut „ fit etiam quandoque in Baptiſmo: & ita „ concordat,inquit,S.Thomas cum cæteris „ Doctoribus: allatámque quadripartitam diſtinctionem magiſtralem ille appellat; quam eamdem Adrianus Gerſone nuncupato tranſtulit in quæſtionem quintam de confeſsione dubio quinto;exiſtimátque cum communi Doctorum ſententia congruere.

Paludanus in 4.ſent.diſt.17.q.8.concl. 9.
4. triplicem rationem inuenit Sententiæ D.Thomæ defendendæ. Prima eſt,vt loquutus ſit de eo,qui *fictus eſt priuatiuè*(verba ſunt Paludani) *non poſitiuè*, id eſt, de eo,qui habet imperfectum dolorem; qui neque cum Sacramento ſuſcepto ſufficiat ad contritionem; & fictionem non confitetur; quia putat ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum: ſi autem fuiſſet fictio poſitiua, & cælata, confeſſio fuiſſet nulla,& dimidiata ex intentione: ſi autem confeſſā, non debuiſſet dari abſolutio.

Secunda ratio explicandi,eſt quando, inquit,non dolet,nec proponit abſtinere tamen hæc fictio non ſibi occurrit vt con

fitenda. Verùm enim ob ſecundam hanc fictionem,inanem effici confeſſionē multi etiam dicunt in D. Thomæ doctrina excellentes Auctores. Quare ſecunda hęc explicatio videtur prorſus repudianda.

Tertia. A qua nemo diſſentire debet, eſt;cùm quis fictionem, rediens ad eumdem Sacerdotem,confitetur;qui enim ſacrilegam confeſſionem vſurpauit, verbi cauſſa, ob vnum, aut alterum peccatum tacitum, ſi poſtea reuertatur ad eundem Sacrarum confeſſionum iudicem, quem antea decepit mentiendo, poteſt ab eodem abſolui præteritæ confeſsionis peccatis non repetitis, ſed ea, quæ improbè rexit, confitens, eadémque, & quæ antea confeſſus eſt, vniuerſè deteſtans.

Septima Envntiatio. Quamuis Alexander Halen.in 4.par.q.18. membro 4.art.4. §. 7.exiſtimet, ab eo quem verè ſuorum ſcelerum non pœnitet, Eccleſiæ præcepto de confitendo ſemel in anno ſatisfieri; quando eo animo ad Sacerdotem adit;vt Eccleſiæ legi obtemperet;addátque in hoc conſentire Magiſtros; nobis tamen, multíſque aliis ſecus videtur.

10. Multóque minùs probari poteſt, quod Paludanus affirmat in 4.d.17.qu. 7.in explicatione quinti modi; legi ab Eccleſia promulgatæ de annua confeſsione ſatiſfacere eum, qui peccata tantùm externa ad Sacerdotem cōfeſſarium defert: Ideo, quòd Eccleſiæ poteſtas nulla ſit data in actus interiores hominis,ſiue bonos, ſiue malos.Id quod Durandus, de re vtrinque differens,non eſt auſus aſſerere.

Enuntiatum igitur veriſsimum eſt, neque Chriſti,neque Eccleſię pręcepto morem gerere eum, qui non integrè confitetur,aut non eo modo quem Chriſtus pręcepit: præſertim ſi quis id ſponte faciat: neque enim confeſsionis præceptum humanum eſt,ſed diuinum.Idque certa fide credendum eſt, quemadmodum in Concilio Tridētino definitum eſt ſeſſ. 14. can. » 7.his verbis.Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum neceſſarium non eſſe,iure diuino,confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur:etiam occulta,& quæ ſunt contra duo vltima Decalogi præcepta;& circumſtantias,quæ peccati ſpeciem mutant; anathema ſit. Itaque Eccleſia,Chriſti auctoritate pręcipere populo Chriſtiano potuit, vt, quod diuino iuſſu facturus erat, id humano ſemel ſaltē faceret in annos ſingulos. Adde,quòd nec Chriſtus, nec Eccleſia confeſsionem præcepit niſi propter abſolutionem; in qua præcipuè conſiſtit Sacramentum pœnitentiæ;at is,quem ſuōrum omnium ſcelerum, verè & exactè non pœnitet, nequit abſolui: ergo, qui ſine abſolutione à pœnitentiæ foro recedit, nec Chriſto, nec Eccleſiæ ſatisfacit. Eôdem adiungitur, quòd ſi Sacerdos legem pœnitenti poteſt imponere bis térve menſe quolibet confitendi; multò magis Eccleſia cunctis Chriſtianis ſemel in anno.

Cùm igitur in præcepto ſacræ confeſſionis hæc tria inſint, primum quod confeſsionis ſubſtantiam attingit; alterum, quod confitendi modum neceſſarium & intimum declarat; vt cum dolore & mœſtitia, cum omnium peccatorum integra commemoratione, atque cum certa voluntate futura vitandi peccata, coniuncta ſit; tertium verò ſit, tempus toties confitendi: nimirum duo prima illa ad diuinum referuntur præceptum; tertium & poſtremum ad Eccleſiæ auctoritatem.Atque pro hac veriſsima ſententia, decertát contra Paludanum, nonnullóſque alios, D.Bonauentura in 4.ſent.diſt. 17.art.2.q. 3.nu.91. Adrianus in 5.q. de confeſsione, dubio 4.Sotus in 4.diſt.18.q.3.art.3.§. Sed hîc eſt valde notandum. Medina C. de confeſsione q. 20. Petrus Sotus lectione 8.de confeſsione, pene in extremo.

QVÆSTIO XX.

QVàm ſæpiſſimè multi ex me quæſierunt, quem cenſerem articulum eſſe 1.

eſſe mortis, quo Eccleſia cunctis indulget fidelibus, vt ab omnibus peccatis & cenſuris poſſint à quolibet Sacerdote abſolui: vbi reliquorum dicta recitauero, quid meæ ſententiæ ſit, aperiam. Sotus in 4. ſent. d. 18. quæſt. 4. art. 4. mortis articulum contrahit ad eam mortem, quæ, inquit, eſt in fieri ex cauſſis ſiue naturalibus, ſiue violentis. Rectiùs Paludanus in 4. d. 18. q. 3. artic. 5. caſu. 2. definit articulum mortis eum eſſe, in quo homines frequenter moriuntur. Tabiena in verbo abſolutio 1. §. 31. mortis articulum vocat caſum extremę neceſſitatis, quem ex Doctorum ſententia fere conſequitur mors. Nec aliter Nauarrus in ſumma cap. 2. num. 9. profértque huius deſcriptionis Auctorem Panormitanum in c. Paſtoralis §. præterea num. 5. dicendum erat num. 3. de officio Ordinarij. Verùm illic Panormitanus conſtituit articulum mortis eſſe, quando imminet periculum mortis. Syluester in Verbo abſolutio 1. num. 8. Quodlibet, inquit, periculum vicinum morti eſt articulus mortis; idque tribuit Innocentio. D. Antoninus in 3. par. tit. 24. cap. 47. notabili 3. Imminens periculum mortis, eſt articulus mortis. Vide eumdem in eadē parte 3. tit. 10. cap. 2. Roſella in Verbo abſolutio 1. num. 131. id facit articulum mortis, periculum quodlibet morti vicinum, ſiue ex morbo, ſiue ex alia cauſſa.

2. Alij non pauci breuiùs definierunt, articulum mortis, eſſe probabile periculum mortis: hanc definitionem ſequitur Nauarrus in ſumma cap. 26. num. 31. ſcribens, his verbis. In hac materia per articulum mortis non intelligitur ſolus ille, in quo quis moritur; ſed etiā omnino ille, in quo mori probabiliter timetur. Angelus in Verbo confeſſio 3. num. 7. & Armilla in Verbo abſolutio num. 12. volunt articulum mortis eſſe ipſum articulum neceſſitatis; quando probabiliter imminet periculum mortis; & aliquis de propriis Sacerdotibus haberi non poteſt. Quæ definitio perſimilis eſt eius quæ à Paludano explicatur. Gabriel Biel in 4. ſent. d. 17. q. 2. ar. 3. dubio primo diſſerens de mortis articulo. Hic, inquit, articulus, non ſolùm accipiendus eſt, cùm mors certa imminet; ſed etiā cùm aggreditur actus arduos, in quibus vt plurimùm aut veriſimiliter imminet mors, ſiue mortis periculum: vt in bello mortali, & in naufragio: aut in tranſitu per loca infidelium, latronum: aut in nauigatione per aquas periculoſas: aut in acuta, graui, & periculoſa infirmitate. Vnde & medici tenentur, infirmos, priuſquā miniſtrent medicinam corporalem, monere, vt medicos aduocent animarum, vt in c. Cùm infirmitas; de pœnit. & remiſſ.

Mihi multò magis probatur in hoc genere de articulo mortis, Paludani & Gabrielis explicatio; quàm Dominici Soti: nam & Gabrielis amplexus eſt Couarruuias in cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 3. qui etiam citat Ioannem Andream, Hoſtienſem, Innocentium, Abbatem in cap. Quod de his, de ſent. excommunicationis: amplexus eſt item Canus in 5. part. relectionis de pœnit. folio 144.

QVÆSTIO XXI.

GRauis eſt inter Doctores altercatio; 1.
liceátne in mortis articulo cuilibet Sacerdoti peccata ſua confiteri, quamuis is excommunicatus eſſet, atque hæreticus. Nobis communior, & probabilior illorum iudicatur opinio, qui neque hæreticum excipiunt. In his eſt Maior in 4. d. 19. q. 1. §. Sed contra iſtud. Syluest. in Verbo confeſſor, primo §. Poſtremo, & Confeſſor 3. §. 6. Angelus Verbo Confeſſio 3. §. 2. qui huic ſententiæ adiungit Petrum Paludanum, & Aureolum. Ioan. Tabienſis Verbo abſolutio 1. §. 32. qui id ipsū confirmat teſtimonio Petri Paludani, & Petri Aureoli, & Archiepiſcopi Florentini. Qui ſanctus Archiepiſcopus hanc perſuadet ſententiam in 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 16. & 18. Armilla in Verbo abſolutio nu. 12. citátque Gloſſam in cap. Paſtoralis, de officio Ordinarij. Nauarrus in manuali c.

27.num. 272. quamuis ſecus ſcripſiſſet in cap.26.num.26.Immemor,vt ipſe fatetur, verborum Concilij Tridentini:cuius Cõcilij hæc ſunt verba in ſeſſione 14.c. 7. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes,quoſlibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſunt. Ex quibus Concilij verbis colligit Nauarrus, Sacerdotem abſoluere in articulo mortis poſſe à quauis cenſura, omiſſa abſolutione peccatorum. Nec leuibus rationibus hæc ipſa nititur opinio.

2. Primo valde probabile eſt in mortis articulo cuilibet Sacerdoti poteſtatem datam eſſe abſoluendi ab omnibus peccatis; ad quam ſententiam adſcribit Sotus in 4. ſent. d. 18. quæſt. 4. art. 4. Petrum Paludanum, Capreolum & Aureolum; à quibus non videtur diſcrepare D. Thomas in 4.ſent. d. 20.q.1.ad 2. quæſtiunculam:ait enim, omnem Sacerdotem (illius ſunt verba) Quantum eſt ex virtute clauium, poteſtatem habere indifferentem in omnes, & in omnia peccata; ſed eam „ determinari,& ligari ab Eccleſię lege:Sed quia, inquit, neceſſitas legem non habet, ideo ceſſante in articulo mortis Eccleſiaſtica lege,poteſt quilibet ex poteſtate clauium abſoluere. Neque D. Thomas à ſe ipſo diſſidet in 3. par. q. 82. art. 7.ad 2.ar„ gumentum 2. cùm loquitur his verbis: Solus Baptiſmus permittitur eſſe ratus Hæreticis, & Schiſmaticis: quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis: in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta cõferre. Nam cùm D. Thom. Baptiſmum duntaxat collatum ab hæretico ratum eſſe ſcribit,ſalua ſemper veriore interpretatione, puto eum dixiſſe ratum iure Canonum, huiuſmodi Baptiſmum non improbantium,quocumque ille tempore ſit ab hæretico præbitus: iure autem Pontificio non ſic eſt de cæteris Sacramentis cautum,ſed cætera etiam ab iis verè dari poſſe,& verè eſſe Sacramenta;ſi characterem præſertim imprimant, certum eſt. Sicut nec id inficiandum eſt,verũ corpus Chriſti, & verum ſanguinem ab hæretico confici,ſi Sacerdos ſit,atque in animo habeat facere,quod facit Eccleſia; aut quod Chriſtus fecit: nec eſt non probabile in articulo etiã mortis, & neceſsitatis, adminiſtrare poſſe pœnitentiæ Sacramentum homini, illo extremè egenti.

Sit igitur hæc ſecunda probatio. Eccle- 3.
ſiæ benignitati valde alienum eſt, quemquam priuare neceſſario & præcipuo ſalutis præſidio.Sed homini tantùm attrito in mortis articulo Sacramentalis confeſſio eſt ad ſalutem neceſſaria: ergo hanc non debet illi eripere Eccleſia; eriperet autem,niſi tunc excommunicato, & præciſo poteſtas eſſet abſoluendi: ergo tunc talis Sacerdos aut iure diuino aut Eccleſiæ, poteſtatem habet abſoluendi.

Poſtremò,ius diuinum humano impediri non debet,ſed quilibet iure diuino in mortis articulo confiteri debet peccata ſua Sacerdoti: ergo,ſi tunc nullus occurret alius, niſi præciſus, aut hæreticus, illis quoque cõfiteri debebit. In quo non poſſum planè Syluestro aſſentiri in Verbo confeſſor 1.§. Vltimo: qui negat, mortis vrgente neceſſitate teneri quempiam confiteri hæretico,aut præciſo.

Verum enim vni aut alteri dubitationi occurrendum eſt. Prior eſt huiuſmodi. Nihil rationis habet; vt qui Eccleſiæ non eſt reconciliatus, ſed ab ea tamquam hoſtis eiectus, poſsit alterum cum illa ipſa reconciliare;ſed hæreticus exſul, & hoſtis eſt Eccleſiæ, cum illa capitales inimicitias gerens: quare, &c. Reſpondeo, in Sacramento pœnitentiæ peccatorem primùm per ſe, & directè cum Deo in gratiam reducere;ſecundò,& conſequenter, cum Eccleſia.Præterea eſt ea vis & natura Sacramentorum: vt effectus,quos pariũt, vt eſt infuſio gratię,characteris impreſsio, peccatorum remiſsio, non ex meritis & virtutibus pendeant miniſtrorum, qui capitaliſsimi poſſunt eſſe hoſtes Dei & Eccleſiæ

cleſiæ, propter fœdiſsima ſcelera, quibus ſe inquinant; ſed multò maximè proficiſcantur ex poteſtate dignitatéque ipſorum Sacramẽtorum; atque ex eorum qui illa ſuſcipiunt, diſpoſitionibus.

4. Altera dubitatio. Fieri poſſit, vt, qui pœnitentiæ Sacramentum recipit ab hæretico, falſis ab eo opinionibus, peſtilentiſſimíſque erroribus inficeretur. Quare, vt tantam labem doctrinæ & religionis vitet, in mortis articulo ſalutem ſuam hæretico committere admodum periculoſum & temerarium videtur. Reſpondeo, Nobis ſermonem eſſe de eo pœnitente, qui tum odit genus vniuerſum hæreticorum, & hæreſeωn; tum quem pernicioſè doctrinæ veneno imbutum iri credibile non eſt: quo de pœnitente, Petrus Paludanus locutus eſt, cuius verba recitat ex d. 25. 4. Sententiarum q. 1. in calce, S. Antoninus in 3. part. tit. 14. §. 16. & Syluester in verbo Confeſſio 1. §. poſtremo.

Addatur tertia dubitatio. Nefas eſt ad peccandum vllum allicere: ſed præciſi & hæretici peccant conferendis Sacramentis: ergo non licet ea ab illis petere. Difficultati huic ſuccubuerunt nonnulli, quæ tamẽ videtur facilè poſſe profligari: namque impendente morte, cùm in præciſo & hæretico tolerata ſit ab Eccleſia iuriſdictio; nec peccent, ſi ea vtantur, in quos oportet; peccent autem in eo, non quia abſoluunt, ſed quia cum criminoſa voluntate abſoluunt; ſanè qui ab iis poſcit Sacramenta neceſſitatis, ac tempore neceſſario, non illos ad peccatum aliquod inducit, ſed ad ſibi largiendum, quod iure denegari non poteſt. Illud omnino huc addendum eſt, in mortis articulo, ſi copiam quis Catholici, & nõ præciſi Sacerdotis habeat, ſalutis & Sacramenti medicinam non licere à præciſo atque hæretico flagitare.

QVÆSTIO XXII.

1. Explicatæ quæſtioni ſuccedit hæc altera magni ponderis: Cùm quiſpiam in mortis incurrit articulum, poſsitne proprio relicto Sacerdote, cuiuis alij peccata ſua confiteri. Si Doctorum ſenſu communique approbatione hoc de genere iudicandum eſt, dicendum videtur: Cùm aliquis proprio Sacerdoti peccata ſua cõmodè declarare poteſt, non licere ei in cuiuſpiam alterius ea auribus collocare. Magni ſummarum Scriptores Innocẽtio hanc tribuunt ſententiam; ſed hic de cenſura loquitur excommunicationis, in cap. primum, & cap. Nuper. de ſent. excommunicationis. In eadem ſunt opinione Maior in 4. d. 19. q. 1. §. Sed contra iſtud. Sotus in 4. d. 18. quæſt. 4. art. 4. Syluester in verbo Abſolutio 1. qu. 10. Angelus in verbo Confeſſio 3. num. 7. Tabiena in verbo Abſolutio 1. num. 32. Roſella in verbo Abſolutio 1. num. 131. Victoria in ſumma Sacramentorum quæſt. 156. Armilla in verbo Abſolutio. num. 14. Quamobrem hæc cõmunis opinio, vt mortis articulus pœnitenti largiatur, vt quẽmlibet deligere poſſit Sacerdotem, à quo abſoluatur, duo requirit; alterum eſt, vt ei, qui ſe vult abſolui, probabile interitus periculum immineat: alterum, vt ad proprium & legitimum Sacerdotem, aut nullus ſit, aut difficilis aditus.

Mihi tamen in verba Concilij Tridentini intuenti ſeſſ. 14. cap. 7. per quàm videtur probabile, vnicuique in mortis articulo conſtituto ius eſſe, cui collibitũ fuerit confitendi, quamuis proprius ad ſit Sacerdos. Facit enim ille articulus vt omnis ceſſet reſeruatio caſuum. Quare, ſi tunc ceſſet reſeruatio, cur non item ceſſet reſeruator? Sunt enim ad aliquid reſeruatio, & reſeruator. Etenim his verbis decernit Concilium. Verumtamen piè admodum, „ ne ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem „ Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, vt „ nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: at- „ que ideo omnes Sacerdotes quoſlibet „ pœnitentes à quibuſuis peccatis & cen- „ ſuris abſoluere poſſunt: Quia enim Con- „ cilium libertati conſcientiarum, ſalutique confitentium in mortis articulo conſulere 2.

ſulere voluit, cui libertati non mediocriter videtur officere caſuum reſeruatio, idcirco videtur voluiſſe eo tempore neceſſitatem hanc remouere, ſuo & proprio Sacerdoti confitendi. Quia, vt ſcribit D. Thom. 4. ſent. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula. 4. ad 6. arg. Multi ſunt adeo infirmi, inquit ille, quòd potiùs ſine confeſſione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Mihi pro certo narratum eſt, in nonnulla Religione noſtris temporibus eſſe repertum, qui cum peccato reſeruato mori maluerit, quàm illud prælato ſuo indicare, à quo impetrare non potuit, vt illud inferiori Sacerdoti confiteretur; in quo flagitium conceptum eſſe grauiſſimum à prælato illo dubitandum non eſt, ſiue is inſcitia, ſiue, quod veriſimilius eſt, ſua improbitate in tãtam fraudem & ſcelus prolapſus ſit.

Diſcant hoc loco prælati, qui ſibi caſus reſeruant, quàm non difficulter impartiri facultatem debeant inferioribus Sacerdotibus à reſeruatis caſibus abſoluendi. Illud enim monitum D. Thomæ in eo loco, qui iam indicatus eſt, æterna eſt memoria ſepiendum. Ad ſextum verba ſunt D. Thomæ, dicendum quòd in hoc, quòd oportet proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via ſalutis; ſed ſufficiens ad ſalutem via ſtatuitur. Peccaret autem Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multi ſunt adeo infirmi, quòd potiùs ſine confeſsione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Vnde illi qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſsionem ſciãt, multis laqueum damnationis inijciunt, &, per conſequens, ſibi ipſis.

De Caſuum Reſeruatione.

EX variis noſtris voluminibus nõnulla ſelegimus, atque in hoc primum volumen noſtrorum Reſponſorum moralium contulimus, quæ tum dignam notitia habent quæſtionem, tum ſæpe à nobis flagitata fuêre.

In Caſuum reſeruatione nomen caſus quid valeat; quæque caſus reſeruati propria ſit definitio.

QVÆSTIO XXIII.

1. IN priore libro, à nobis conſcripto de caſuum reſeruatione, tractata eſt hæc quæſtio perdiligenter: Nam vocabuli notitia in ſecundo cap. rei verò plena definitio in tertio eſt euoluta. Quod igitur ad verbi notionem pertinet, multi ſcriptis tradiderunt, caſus nomine ſignificari dũtaxat culpam, non autem cenſuram aut pœnam, aut irregularitatem, vt Syluester, vt Ioan. Tabienſis, vt Armilla in verbo Caſus, vt Nau. in ſumma cap. 27. num. 257. vt Ioan. Medina C. de confeſſ. quæſt. 11. Quare cùm reſeruator concedit abſolutionem inferiori Sacerdoti à reſeruatis caſibus, cenſuræ excipiuntur, & ea, quæ peccata non ſunt, niſi ſecus conſtet de voluntate concedentis, cui obſequendum erit: nec ſecus credi, & factitari à cunctis doctis hominibus, teſtatur Tabiena. Durandus autem in 4. ſent. d. 17. qu. 15. & Adrianus quæſt. 4. de confeſſione. §. Si petas. errore ſunt lapſi, cùm propter cenſuras duntaxat, ſeu pœnam peccata reſeruari putarunt: quos meritò Ioannes Medina q. illa 11. & Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 2. refellunt.

Primum pene omnium Prælatorum, qui in Eccleſia ſunt, refutat conſuetudo; qui peccata abſque cenſuris reſeruare ſibi conſueuerunt. Deinde, in c. Si Epiſcopus, de pœnitentiis & remiſsionibus lib. 6. dicitur; cùm ab Epiſcopo quis facultatem habet ſibi eligendi Sacerdotem, à quo à peccatis abſoluatur, non poſſe abſolui ab iis qui Epiſcopo reſeruantur caſibus; in iis enim

enim nullam electo Sacerdoti eſſe poteſtatem; Ex quo colligitur, peccata & peccatorum veram abſolutionem ſibi reſeruare Epiſcopos. Tum in Extrauaganti Benedicti XI. Inter cunctas, de priuilegiis, admonentur inferiores, qui ſacras audiunt confeſſiones, non poſſe ab iis peccatis abſoluere, quæ pœnam habent annexam, quam tollere inferiores non poſſunt: & in caſibus Epiſcopo reſeruatis, tum iure tum cõſuetudine numerat peccata nonnulla, quæ cenſuram non habent adiunctam.

2. Poſtremò Concilium Tridentinũ dirimit omnem controuerſiam ſeſſ.14.can.11. & cap.7. Vbi eſt his verbis. *Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat ſacerdotibus abſoluerentur.* Eſt autem caput de caſuum reſeruatione; &, cùm canon ſit dialecticus, exceptum terminum ſub termino contineri, quoniam è caſibus communium Sacerdotum à Conciliis, & Pontificibus excipiuntur caſus maiorum Sacerdotum: & Sacerdotum communium caſus, à quibus abſoluunt, ſunt peccata: caſus quoque maiorum propriè dictos, peccata eſſe oportet.

Sit igitur conſtitutum, nomine caſus peccatum propriè intelligi, nequaquam autem cenſuram, ſeu pœnam peccato adiunctam. Duo ſatenda ſunt tamen: Vnum eſt; Epiſcopos, in ſuis reſeruationibus miſcere delicta cum cenſuris, rebúſque aliis nonnullis, quę nec delicta ſunt, nec cenſuræ. Vnum eſt igitur hoc notandum.

Alterum eſt illud; quoniam fermè nũquam Romani Pontifices reſeruant ſibi caſus, ſine excommunicatione ex ſententia Doctorum, tunc tolli peccati reſeruationem, cùm iidem ſententiam remoũet excommunicationis. Noſtra memoria Xiſtus V. crimen eorum qui malè promouentur ad ordines, non ſeruatis iis quæ Concilium Tridentinum præſcribit, ſibi reſeruauit ſine vlla excommunicatione. Et olim ad Romanos Pontifices pertinuiſſe cauſas abſque cenſura excommunicationis ex can. latorem 33. quæſt.2. probat Sotus in 4.d.18.quæſt.2.artic.5. §. Nihilominus.

Sanè mihi rationem, & voluntatem maiorum Sacerdotum, caſus ſibi varios reſeruantium, conſideranti, ſic prorſus dicendum videtur: Nomen caſus tribus modis vſurpari poſſe, propriè, impropriè, maximè impropriè; ſiue anguſtè, latè, & latiſſimè. Propriè & anguſtè, ſumitur pro vero peccato; magis impropriè, ſeu latè, pro pœna peccati, ſiue cenſura; maximè autem impropriè, & latiſſimè, pro voto, pro reſtitutione bonorum incertorum, aliorúmve, quæ ſunt ex eodem genere.

Sed quæ abſoluta ſit caſus definitio ſcire cupis. A nobis reiecta eſt illa Nauarri, caſum reſeruatum ad hunc modum definientis. In manuali c.27.num.254. Caſus reſeruatus eſt peccatum, cuius abſolutio à iure humano, eſt prohibita presbytero; qui ſolo diuino ab omnibus poteſt abſoluere. In qua definitione probare non poſſum, quòd ſentiat, iure diuino quemlibet Sacerdotem auctoritate pollere remittendi omnia peccata; quæ remitti nõ poſſunt, niſi ab eo qui præter poteſtatem ordinis, poteſtatem etiam habet iuriſdictionis; & vtramque poteſtatem iure diuino neceſſariam eſſe ad remittenda peccata in Sacramento confeſſionis, certum eſt apud omnes Theologos, & pios Catholicos. 3.

Iuriſdictionem autem immediatè nemo à Deo habet, niſi Petri Vicarius. Cũ enim propria iuriſdictionis materia ſit perſona ſubiecta, vt ſæpe repetit D. Thomas, in 4.d.19.q.1.art.3.& d.18.q.1.art.1.ad quæſt.2. In ordinatione ſacra affirmat recipi clauem, ſed non executionem, neque actum clauis, quæ indiget debita materia; hæc autem, inquit, eſt plebs ſubiecta per iuriſdictionem: & confitetur in illa q. & art.d.19. æqualem eſſe in omnibus Sacerdotibus poteſtatem, clauémque ordinis, non item iuriſdictionis: quæ quidem iu-

riſdictio immediatè à Chriſto collata fuit Petro:cui dixit,& præcepit, *Paſce oues meas*; atque etiam Apoſtolis;quando dilargitus eſt iis Spiritum ſanctum:dixitque, *Accipite Spiritum ſanctum;quorum remiſeritis peccata, &c.Ioan.20.*

4. Quòd ſi iure diuino Sacerdos quilibet poſſet quemuis abſoluere,non poſſet humano iure prohiberi: &, ſi à reſeruatis abſolueret,abſolutio valeret : contra quàm definiuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14.c.7.& Decretalis Innocentij 3. in Côc. Lateran. omnis vtriuſque ſexus, extra de pœnit.& remiſſ.& ca.ſi Epiſcopus,eodem tit.l.6.& Extrauagans Benedicti XI. inter cunctas, de priuilegiis. Itaque meritò exploditur hæc ſentētia Nauarri, & quorundam aliorum,à Soto in 4. ſent. d.18.q. 4.art.2.& d.20. q.1.art. 5. & à Ioanne Medina. C.de confeſſione,quæſt.35.propoſitione quarta.

Neque verum eſt quod opinatus eſt Gerſon, in tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica,& poſt eum,Almainus,in li.de comparatione Papæ, & Concilij; poteſtatem iuriſdictionis,tamquam in vero ſubiecto, reſidere in vniuerſitate Eccleſiæ. Hac enim ratione permanaret etiam ad mulierculas,ad coquos,laicos, & agricolas; ſed re ipſa in Prælatis reſidet; & in Romano Pōtifice, tamquam in fonte;vnde manat in reliquos noui Sacerdotij miniſtros. Succeſſori enim dūtaxat Petri ſunt Chriſti oues ab eodē Chriſto traditæ, & commendatæ : & Chriſti Vicarius earum eſt verus paſtor,cuſtos,& iudex. Itaque eiuſdem Vicarij eſt, ſui gregis partem huic illive paſtori committere, cum ea iuriſdictione quam idem maluerit. Atque hunc video eſſe ſenſum ,rectè tutóque, præſertim his calamitoſis temporibus, loquentium. Noſtra ergo definitio ex omnibus quatuor cauſſis contexta, eſt huiuſmodi: Caſuum reſeruatio eſt,quarundam lethalium culparum abſoluendarum, inferiori Sacerdoti à ſuperiore iudice Eccleſiaſtico adempta poteſtas, tum ad morum diſciplinam, tum ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis legitimam formam retinendam. Verba illa poſtrema , *Ad morum diſciplinam, &c.* finem:illa, *à ſuperiore iudice, &c.* efficientē cauſſam:ea, *lethalium culparum*; materiam: illa verò , *inferiori Sacerdoti abſoluendarum adempta poteſtas* , formam declarant.Singulas cauſſas in 3.c.prioris libri de reſeruatione caſuum ſedulò ipſi perſecuti ſumus.

Atque intuendo fine impudentiſſimi 5.
Wicleffi impietatem confutauimus , caſuúmque reſeruationem , non contra caritatis regulam,vt is criminatur,ſed potiùs ex caritate eſſe multis modis probauimus. Gerſoni etiā reſpondimus , qui in tractatu quarto ſcripſit , ob caſus reſeruatos innumerabiles in infernum præcipitare : ſic enim is loquitur. In cauſſæ efficientis explicatione , à poteſtate reſeruandi caſus, ſexum remouimus muliebrem ; in quem iuriſdictio ſpiritualis cadere non poteſt: quod probauimus auctoritate D.Thomæ in 4.ſent.d.19.q.1.ar.1.qu.3.ad 4.&in d.25. qu.2.art.1.qu.1.ad 2. & 3. Cui ſummarum ſcriptores , qui conſideratiùs ſcripſerunt, aſſentiuntur;& præcipuè Sotus in 4.d.20. qu.1.art. 4. Qui mulierem capacem non eſſe iuriſdictionis multis probat argumētis; atque ad opinionem D. Thomæ Durandum aggregat in 4.ſent.diſt.19.qu.1.& Paludanum in eamdem diſtinctionem,q. 2. art. 1. conc. 3. & Syluestrum, in Verbo, Abbatiſſa. §. 1. In exponenda verò materia;peccatum, quod veniale dicitur,oſtēdimus reſeruari non poſſe: nec quodlibet mortiferum in reſeruationem conijciendum eſſe; nam quæ in animi interiore receſſu latent , neque foras erumpunt , abhorreret ab æquitate , reſeruare , vt Sotus demonſtrat in 4.d.18.q.2.art.5.Caſus verò Epiſcoporum , ſolùm eſſe de actibus exterioribus,ex Paludano,quem citant,docent D.Antoninus in 3.par. tit. 17. c. 11.& Roſella in Verbo,Confeſſor, 1. num. 3. & Syluester in verbo,Caſus,in calce,& alij.

De caſibus verò dubiis , quos ſibi Romanus Pontifex reſeruat , ex decreto quo priuilegia reuocantur data Sacerdotibus, abſol

Google

abſoluendi à caſibus reſeruatis Romano Pontifici, ſeu Epiſcopis, diximus in Pontificia reſeruatione, locum eſſe etiam dubiis.

De Pontificia reſeruatione.

QVÆSTIO XXIV.

1. Pontificia reſeruatio latiſſimè patet: viginti enim caſus habet in Bulla Cœnæ; atque in tribus voluminibus Pontificij iuris, hoc eſt, in Decreto, in Decretalibus, & in ſexto in Clemētinis, & in Extrauagantibus, tum Ioannis 22. tum communibus, habet permultos; & in conſtitutionibus ac Bullis, quæ à Romanis Pontificibus poſtea editæ ſunt, quam plurimos: qui caſus omnes excommunicationem maiorem latam habent annexam, præter duos, quantùm mihi ſcire licuit.

Primus eſt, In Bulla Xiſti V. aduerſus clericos malè promotos, & Epiſcopos in ordinum collatione peccantes. Quam conſtitutionē Clemens VIII. ad diſpoſitionem Decretorum Concilij Tridentini reduxit anno 1595. prid. Kal. Martij Pontificatus ſui anno V.

Secundus caſus, eſt huius ipſius Clementis VIII. in reſeruatione impoſita Lauretanæ ædis pœnitentiariis: nam cùm reliquorum omnium caſuum abſolutionem iis largitus ſit, horum quatuor ſubtraxit, in monialiū domicilia ingreſſum, & mulierum in Monaſteria intromiſſionem: hæreſim in perſonis religioſis: donationem eiuſdem Pontificis conſtitutione regularibus interdictam: crimen in eius Decretalem, qua monomachiam punit, admiſſum.

At tertius ille caſus de donatione regularibus interdicta excommunicationis cenſura caret. An verò caſus ille de donatione regularium, quem templi Lauretani Sacerdotibus Romanus Pontifex denegauit, reliquis omnibus orbis Chriſtiani Sacerdotibus ereptus ſit, propter illam reſeruationem, mihi ſanè non liquet. Omiſſa igitur reſeruatione Pontificia, de qua vberem ipſi pertexuimus diſputationem, in tractatione de cenſuris Eccleſiaſticis, de Epiſcopali dicamus; in qua erit nobis diutius immorandum.

De reſeruatione Epiſcoporum.

QVÆSTIO XXV.

Tria in hac quæſtione quæri poſſunt vniuerſè. Primùm, vtrùm tum iure tum conſuetudine definiti ſint caſus, qui ad Epiſcopòrum pertineant iuriſdictionem. Deinde: poſſintne contra priuilegiū datum ordini Minorum, & Prædicatorum, à Clementina, Dudum, de ſepulturis, reſeruare ſibi alios caſus iure non exceptos. Poſtremò, ſit ne Epiſcoporum, & Romani Pontificis mens, vt Sacerdotes, præter eos caſus, quos ſolenni reſeruatione in tabulis ſolent Epiſcopi ſuis populis promulgare, abſoluere à reliquis poſſint, quos ſiue ius, ſiue conſuetudo eiſdem Epiſcopis concedit. Intelligo quàm difficilibus & ſcopuloſis in locis verſer: verumtamen ſuperandi. 1.

Prima controuerſia aditum & progreſſionem arduam habet propter tam magnum diſſerentium magiſtrorum diſſidium. Caietanus in verbo, Caſus: Caſus Romano Pontifici reſeruatos ait eſſe perſpicuos; quia annexam habēt excommunicationem; adde tu, quòd ſi non habent, interdum, ex eius tamen conſtitutione, quæ Chriſtiano populo promulgatur, ſeſe oſtendunt: at reſeruatos Epiſcopis ait eſſe ambiguos; quare ſuadet, vt eos quiſque ex loci, in quo commoratur, conſuetudine diſcat. Gloſſa Clemētinæ, Dudum, de ſepulturis, horū caſuum faciens mentionem, refert ſe ad ea, quæ Oſtienſis in ſua Summa ſcripſit tit. de pœnit. & remiſſ. §. Cui confitendum, & ad Gloſſam, c. ſi Epiſcopus de pœnit. & remiſſ. lib. 6. Hæc autem Gloſſa, à qua item citatur

tatur Hoſtienſis, multos numerat caſus reſeruatos Epiſcopis, de quibus alij à Gloſſa diſſentiunt.

D. Antoninus in 3. part. tit. 17. cap. 11. Caſus ſignificat, qui ad Epiſcopos ſpectãt. Primùm, ex ſententia Piſanellæ. Deinde, ex ſentẽtia Ioannis And. in c. 2. de pœnit. & remiſſ. Deinde, à ſenſu Hoſtienſis, poſtremò Speculatoris; ſecutúſq; Franciſcũ Zabarellam, & Laudunum, ſubiungit exploratam doctrinam caſuum ad Epiſcopos pertinentium tradi nullam poſſe, cùm ex eorum ſtatutis pendeant.

Quare hæc eſt D. Antonini præceptio; vt confeſſarij Sacerdotes inquirant, quos ſibi Epiſcopus caſus reſeruet: atque aliorum abſolutionem impetrent. Nauarr. in Summ. c. 27. à n. 259. ad num. 262. de Epiſcopalibus differit caſibus; nec vllam certam doctrinam diſcendi cupido tantus Magiſter ſuppeditat. Armilla in verbo, Caſus, num. 5. exponit quinque caſus certos; quos affirmat Epiſcopi eſſe; ſed ſecundũ caſum, propter quem ſolemnis eſſet imponenda pœnitentia, his temporibus ait vacare: proptereáque eiuſmodi pœnitentia planè obſoleuit. Quartum caſum vult eſſe quamuis irregularitatem. Verùm neque irregularitas, ſeu irregularitatis diſpenſatio caſus vocabulo notari debet: ſi de caſu propriè loqui velimus: neque verum eſt, Epiſcopum in quauis irregularitatis diſpenſatione ſocium eſſe Papæ; vt indicare verba videntur Armillæ; quòd ſi aliter ſentit, planiùs etiam loqui debuit.

3. Mihi quid in hac prima controuerſia ſtatuendum videatur, duabus exponam propoſitionibus. Prior propoſitio. Vero eſt quàm ſimillimũ, eos iure, & eos conſuetudine Epiſcopis caſus reſeruari, quos reſeruari Benedictus XI. declarauit, illa ſua Extrauaganti, Inter cunctas, de priuilegiis: quæ Extrauagans, tametſi à Clemente V. in Concilio Vienneſi abrogata fuerit, vt perſpicuum eſt ex Clementina, Dudum, de ſepulturis, nihilominus in eo quod iuris communis, & generalis conſuetudinis interpretationem habuit, vbi de caſibus Epiſcopis reſeruatis agebatur, reuocata non fuit; quemadmodum defendunt hi omnes: Piſanella, D. Antoninus, in 3. p. tit. 17. c. 11. Roſella in verbo, Confeſſor, primo. & Syluester in verbo, Caſus. Atque in hac parte integram conſtitutionẽ Benedicti XI. manſiſſe, tribus argumentis obtineri poteſt.

Primum argumentum. Quoniam poſtulante & annitente Concilio inducta & ſublata eſt illa Benedicti Decretalis: credibiléque eſt factum id Epiſcoporum rogatu, qui primas in Conciliis tenent, & quorum maximè intererat reſcindi conſtitutionem illam; quò ſuam ampliorem iuriſdictionem recuperarent; neque cum regularibus ea de re altercarentur. Intelligebant enim illa Benedicti Extrauaganti magnopere eorum læſam eſſe iuriſdictionem. Ergo nihil probabilitatis præ ſe fert ab Epiſcopis flagitatum eſſe, vt in ea parte conſtitutio abrogaretur, quæ illorum iuriſdictionem fulciebat: ſed ea pars conſtitutionis, quæ caſus exprimit, iure & conſuetudine generali reſeruatos Epiſcopis; Epiſcoporum iuriſdictioni, ne in hoc genere fluitare videatur, mirificè ſuffragatur: abrogari igitur minimè debuit. Atque hæc prima ratio meo quidem animo vim habet maximam ad perſuadendum.

Secundum argumentum. Caput illud Benedictinæ conſtitutionis declaratiõe continet iuris communis, & generalis conſuetudinis Eccleſiæ, in quo non poteſt Romanus Pontifex errare; quare nec corrigi: quæ Syluestri eſt argumentatio.

Tertia probatio eſt Roſellæ. Totus enim mundus (dicitur in hac Summa) videtur approbare illos caſus reſeruatos Epiſcopis à Benedicto XI.

Decernit igitur hic Pontifex, caſus iure reſeruatos Epiſcopis, eſſe hos quatuor. 4.
Primus eſt, peccatum, cui Papa, vel ius commune excommunicationem adiungit: cuius abſolutionem, Canonis aut iuris conditor ſibi non reſeruat. Secundus,

Clerici

Clerici delictum, quod irregularitatem inducit. Tertius, peccatum, cui ſolemnis debetur pœnitentia. Quartus, incendiarij crimen; hoc eſt, eius qui odio & maleuolentia imbutus alterius domum, vel vineam, vel agrum, vel nemus incendit.

Caſus verò, approbante conſuetudine iiſdem Epiſcopis reſeruatos, hoſce quinque conſtituit. Primum: Homicidium voluntarium. Secundum: Crimen falſi, ſeu falſarij; quo crimine tenentur omnes ij qui literas aut Scripturas adulterant; qui vnius litigatoris, & altercantis tabulas, ſeu inſtrumenta alteri oſtendit. Tertius: Eſt ſcelus ſortilegij, ſeu diuinationis. Quartus: Violatio Eccleſiaſticæ libertatis; verùm hic eſt iam coniectus in Bullam Cœnæ Domini. Quintus: Violatio Eccleſiaſticæ immunitatis; atque hic etiam reſeruatur in eadem Bulla; quando onera perſonis Eccleſiaſticis, aut eorum bonis, aut beneficiorum prouētibus imponuntur à Laicis.

Poſterior propoſitio. Qui reſeruationem hanc Benedicti XI. ſequi nollet, deberet ipſe inuenire veriorem.

Ego ſanè tres minimè dubios, à iure cōceſſos Epiſcopis, nominarē: quamuis multi de vno aut altero tantùm fateantur.

5. Verùm his Auctoribus recentia poſtremorum Pontificum iura, & decreta ignorata fuerunt. Primus noſter, eſt leuis manus in clericum iniectio: liquet ex c. peruenit, de ſententia excommunicationis. Secundus. Abortus fœtus animati, ex conſtitutione Gregorij XIIII. qua moderatus eſt Xiſti V. conſtitutionem. Cùm enim voluerit Gregorius, eos, qui procurant abortum fœtus animati, quod flagitium comitem habet cenſuram excommunicationis ex conſtitutione Xiſti V. & Gregorij XIIII. non poſſe abſolui niſi à confeſſariis Sacerdotibus ad hos caſus, vt Gregor. loquitur, ſpecialiter deputatis; haud obſcurè ſignificat iure caſum eiuſmodi ad Epiſcopos pertinere: ſi quidem ab iis Sacerdotes, qui abſoluunt, deputari ſolent, nec ſecus factitatur: & Epiſcopi ſcelus abortus ſibi paſſim reſeruant: quod non facerent, niſi iuris Epiſcopalis eſſet. Tertius eſt, peccatum incendiarij, qui ſi templum, locúmve religioſum incendit, eſt ipſo facto excommunicatus, poteritque ab Epiſcopo abſolui, antequàm denuntietur: poſt denuntiationem verò abſolutio ad Romanum Pontificem reuoluitur, ex cap. Tua. de ſententia excommun. quòd ſi locum non ſacrum incendit, eſt excommunicandus, non ipſo facto excommunicatus: poſt denuntiationem verò poſsitne à loci Epiſcopo abſolui, an ſolum à Romano Pontifice, altercatio eſt inter Doctores: tutior eorum videtur eſſe ſententia, qui aiunt, à ſolo Papa. Hunc caſum Epiſcoporum eſſe, locuples eſt teſtis Innocentij Canon. peſſimam, 23. quæſt. 8. illic enim iubet, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui eiuſmodi facinoroſos abſoluunt, antequam damnū pro viribus & facultatibus ſuis compenſauerint, reſarcire ipſos, atque vnius anni ſuſpenſionem ab officio ſuſtinere debere. Quæ verba declarant iudicium huius peccati in foro conſcientiæ Epiſcoporum Tribunali reſeruari.

Iam verò de caſibus, quos generalis & probabilis conſuetudo reſeruat Epiſcopis, illud mihi exiſtimatur rectius: Cauſſas quorumdam atrociorum, & grauiorum criminum, & à quibus turbæ, & ſeditiones eſſe ſolent, ab Epiſcopis in Sacramenti pœnitentiæ foro cognoſci debere.

In hac Epiſcopali reſeruatione, ſecundo loco quærebatur; eſſetne ius Epiſcopis, reſeruandi ſibi alios caſus, quos illis ius ſcriptum largitur: quòd ſi reſeruent, num parere debeant reſeruationi non ſolùm Parochi, verùm etiam Prædicatorum, & minorum Ordinum fratres religioſi, qui à Clementina, Dudum, de ſepulturis, probantur, ad audiendas confeſſiones: & num poſſint illi ipſi religioſi à caſibus, quos iuſtis de cauſſis, ad Tribunal ſuum reiiciunt quotidie Epiſcopi, abſoluere. 6.

Quæſtio

Quæſtio diſceptatur ab Henrico Gand. quodlib. 1. q. 27. à Soto diſt. 18. quæſt. 2. artic. 5. ad 2. argum. à Roſella, in verbo, Confeſſor, 1. num. 4. ab Angelo, in verbo, Caſus, col. penult. & in verbo, Confeſſio, 3. §. 28. à Syluestro, in verbo, Confeſſor, 2. q. 5. à Ioanne Tabienſi, in verbo, Diſpenſatio, num. 15. ab Armilla in verbo, Caſus, nu. ſeu q. 13. à Nauarro, in Summ. c. 27. num. 263. Roſella, Angelus, Syluester, Tabienſis, Armilla, contendunt, genus illud Religioſorum, quo de ambigitur, poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopalibus, niſi ſint illi ipſi quos Epiſcopales facit ius. Hanc opinionem ait Syluester eſſe omnium Summiſtarum, in verbo, Confeſſor, 2. quæſt. 5. quam nonnullis rationibus probat, de quibus quoque mox. Vnde, inquit, ſecurè tenenda eſt hæc opinio: » & ſecundùm eam practicandū eſt: quando » Epiſcopi, vel eorum Vicarij, ſunt inſolentes, » & duri in concedendo ex auaritia, » vel æmulatione, vel alia iniuſta cauſſa. Et Angelus, in verbo, Confeſſio, 3. §. 28. ait, » Sic firmiter tene in cõſciētia. Armilla, vbi ſuprà, vſus verbis Syluestri, quem etiā citat; affirmat, ſecurè tenendum & practicandum eſſe: fautores eiuſdem ſententiæ proferunt Guilelmum Durandum ſpeculatorem, Ioannem de Lign. in declaratione quadam, c. omnis de pœnit. & remiſſ. & Panormitanum in c. ſuper ſpecula, ne Clerici vel Monachi.

7. Firmamenta huius opinionis hæc ſunt. Primum. Quia ſequitur ex contraria opinione, priuilegium datum religioſis, extingui penitus poſſe: quod fieri nequit. c. quanto, de priuilegiis. Secundum, fermè idem quod primum, quia mens Clementinæ iugulari ab Epiſcopis poſſet; quæ ea fuit, vt pœnitentibus ſolatium ne deeſſet adeundi ad huius generis religioſos, ſuarum animarum ſaluti opem, auxilium, conſiliúmque expetentibus. Tertium, quia beneficium à Iure & Pontifice Romano datum irritari nequit ab inferiore; vt cuiuis per ſe notum eſt; & ex c. inferior, diſt. 21. Adde, quòd Epiſcopi, cùm admittunt dictos fratres, nudum præbent miniſterium: quia licentia, inquit Syluest. & conceſſio audiendi confeſſiones, eſt Papalis.

Quare his omnibus Magiſtris perſuaſum eſt; Caſuum reſeruationi, quos Epiſcopi ſuos faciunt, aut conſuetudine, aut ſtatuto Prouinciali, aut Synodali, vel etiā ſuo arbitrio, ac voluntate, non ſubeſſe Sacerdotes ordinis Prædicatorum, vel Minorum, ab ordinariis approbatos ad pœnitentium Sacras cõfeſſiones audiendas, ad pœnitentias illis ipſis imponendas, & beneficium abſolutionis impertiendum. Tempus excipiunt vnum: cùm religioſi illi, de quibus eſt in Clement. Dudum, non poſſunt abſoluere à caſibus voluntariis Epiſcoporum: id eſt autem, cùm peccato reſeruato excommunicationem apponunt.

Altera eſt ſententia priori planè aduerſa: Epiſcopos, extra caſus ſibi conceſſos à iure, iuſta voluntate poſſe alios caſus iuriſdictioni ſuæ reſeruare; à quibus nulli religioſi, nec ij quibus indulget Clementina, poſſint vlla ratione abſoluere; niſi priuilegium aliud à Pontificibus Romanis, vt facere iis ſecus liceat, ſit fortè conceſſum. Placuit hæc ſententia D. Antonino in 3. p. tit. 17. c. 11. his enim verbis loquitur penè in extremo. Quia ergo non » eſt clarum, qui ſint caſus reſeruati Epi» ſcopis in iure communi, ideo tutior eſt » via in huiuſmodi, quòd fratres, ſi poſſunt, » ſciant ab Epiſcopo quos caſus ſibi vult » reſeruare; & de illis ſe non audeāt impe» dire: omnes verò alios ſibi concedere fa» ciāt. Atque hic ſolus doctor ſummus frangere poteſt omnium aliorum Summiſtarum, qui aliter docuerunt, auctoritatem. 8.

Placuit hæc eadem ſententia Martino Nauarro, in Summa, cap. 27. num. 263. vbi citat, & ſequitur D. Antoninum; placuit Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 2. argum. vbi in reſeruatione caſuum Epiſcopalium, potiorem duxit rationem habendam ordinariæ iuriſdictionis Parochorum: & illis magis parcendum quàm iis qui ordinaria

naria carent, quales ſunt omnes religioſi. Placuit Henrico Gandauenſi quodlib. 1. quæſt. 17. qui diſſimiliter haud iudicauit atque Sotus. Placuit Gloſſæ Clementinæ, Dudum, de ſepulturis, in verbo, Conceſſa; quæ multis modis pro hac opinione argumentatur. Placuit Ioanni Monacho, quem citat illa ipſa Gloſſa. Placuit Ioanni Andreæ, Zabarellæ, Paulo, Stephano Zenzelino, quos omnes pro hac ipſa opinione citat Syluester, in verbo, Confeſſor, 2. quæſt. 5.

9. Quæ quidem ſententia & ſuperiore ætate ſemper vera fuit; & hac noſtra recentiſſima, adeo eſt vera, vt contraria opinio defendi nulla ratione queat, propter Concilij Tridentini decreta, & propter S. Domini Clementis VIII. decretum; quo religioſorum omnium reuocata ſunt priuilegia; quæ aut Romanorum Pontificum, aut Epiſcoporum reſeruationi caſuum officere videbantur.

Sed quibus ſit munita probationibus ſecunda opinio, ſeu potiùs certiſſima ſententia, videamus. Prima probatio ex verbis Clementinæ, Dudum; in qua his ipſis verbis ſtatuitur. Per huiuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus, perſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo curatis, vel parochialibus Sacerdotibus eſt à iure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Ex quibus verbis planè perſpicitur, poteſtate abſoluendi, fratres illos & Parochos exæquari. Ergo ſi Epiſcopi poſſunt nouorum caſuum reſeruatione onerare Parochos, poterunt etiam fratres Minores & Prædicatores: & de Parochis minimè inficiantur ſuperioris opinionis patroni.

Secunda probatio haud primæ diſſimilis. Cùm Parochorum iuriſdictio ſit paſtoralis, ordinaria, in DEI Eccleſia neceſſaria, ante poteſtatem religioſis delegatam, è iure humano, atque adeo diuino apta; ſine qua Eccleſiæ Hierarchiæ iuriſdictio non eſſet vſquequaque perfecta; in qua ſi peccetur à Parochis, remediũ à maioribus Sacerdotibus poteſt idoneum adhiberi; nihil autem horum ſit in commiſſaria religioſorum & regularium hominum iuriſdictione; profectò vnuſquiſque id ſua ſponte intelligit, multo magis Parochorum iuriſdictionem, quàm religioſorum fouendam eſſe; quippe quæ ad Epiſcopalem eſt magis affecta; illiúſque certior, ac magis fida miniſtra: ſed Epiſcopi poſſunt noua reſeruatione contrahere ius abſoluẽdi à Clementina, & iure communi Parochis datum: ergo etiam poſſunt contrahere ius ab eadem Clementina fratribus conceſſum.

Tertia probatio, ex can. 11. Concilij Tridentini, & cap. 7. de caſuum reſeruatione, ſeſſ. 14. Canon eſt his verbis præſcriptus. Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruãdi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam: atque ideo caſuum reſeruationem non prohibere quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit. Ergo Epiſcopi, niſi Romani Pontificis auctoritate prohibeantur, ius habent reſeruandi ſibi caſus, ſepoſitos ab iis quos illis ipſis ius reſeruat. &, ſi reſeruent, nec religioſi fratres poterunt ab iis abſoluere. Et confirmatur verbis eiuſdem Concilij in 7. cap. quibus declarat: Quod in reſeruandis ſibi nonnullis grauioribus criminibus faciunt Romani Pontifices in vniuerſa Eccleſia; hoc ipſum licere Epiſcopis in ſuis Diœceſibus. Neque dubitãdum eſt, verba ſunt Concilij; quando omnia, quæ à DEO ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate. At omnes religioſi ſunt in numero reliquorum Sacerdotum Epiſcopis inferiorum: ergo reſeruantibus Epiſcopis reſiſtere minimè poſſunt; reſeruantibus inquam in ædificationem.

Quarta probatio ex verbis decreti

G Ponti-

Pontificij irritantis priuilegia regularium. Et, ne Epiſcopi (verba ſunt Decreti) aut locorum Ordinarij quibus ius hoc reſeruandorum caſuum competit, plurium quàm opus ſit, reſeruatione, ſubditis, aut confeſſariis in animarum ſalute procuranda cooperatoribus, ſint oneroſi, monentur omnes, vt paucos, eóſque tantùm, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarúmque ſibi creditarum ſalutem pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſariò reſeruandos eſſe iudicauerint, reſeruent. Quibus ex verbis vel tardiſſimus animaduertere poteſt, Epiſcopis ius eſſe, reſeruare ſibi caſus, quos neceſſariis iuſtiſque de cauſſis nouerint reſeruandos: hoc enim apertè loquitur decretum.

11. Poſtrema probatio petita eſt è generali Epiſcoporum conſuetudine, reſeruantium ſibi caſus, quos ius commune illis non reſeruat; cui cõſuetudini cuncti morem gerunt religioſi; nec ſe contra reſeruationem Clementinæ iure tuentur. Quam conſuetudinẽ cùm Romani Pontifices neque ignorauerint, neque improbarint, ius potuit largiri Epiſcopis, minoribúſque Pontificibus: & omnem cunctis Religioſorum hominum ordinibus illius improbandæ eripere poteſtatem.

Et quoniam contrariæ opinioni in eo videtur totum conſtitutum eſſe præſidiũ; quòd fieri poſſet, vt planè priuilegium à Clementina datum, poſſet exhauriri; ſi voluntariæ Epiſcoporum reſeruationi cogerentur fratres Minores & Prædicatores obtemperare: Reſpondemus, hoc numquam futurum eſſe; niſi ex magna, & non ferenda reſeruatione; qua non modò religioſorum, ſed etiam Curatorum Sacerdotum iuriſdictio concideret; quod neque vmquam continget; &, ſi contingeret, factum Epiſcoporum ſedes Apoſtolica ſtatim improbaret, & coërceret. Neque in doctrina morum decet diſputantem aliquid aſſerere, ita eſſe vel aliter, ex ea re, quæ neque vmquam erit, & quæ vix potentia Metaphyſica, aut Logica eſſe poteſt.

12. Hoc igitur concluſo illud etiam intelligitur, Angelum à Clauorio lapſum eſſe, cùm in verbo, Caſus, col. penult. ſcripſit: Poſſe Sacerdotẽ abſoluere pœnitentem à caſu reſeruato, quando ſaluti pœnitentis non expediret eum ad reſeruatorem remittere: id enim facere extra mortis articulum nullo modo licet. Nam illius temporis articulo ius ſoluitur reſeruationis, non alterius; vt planum eſt ex cap. 7. de reſeruat. Caſuum, ſeſſ. 14. Concilij Trid. & ex Põtificio decreto, Clementis VIII. ab illuſtriſſima Cardinalium congregatione promulgato. Vbi his verbis cauetur, Ne vllo quidem caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua & ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum, quoad caſus ab ipſis tantùm reſeruatos, reſpectiuè impetrata in ſcriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat. Qui ſecus faxint, ij pœna mulctantur excommunicationis, priuationis officiorum, dignitatum, beneficiorum, inhabilitatis audiendi confeſſiones, & ad quæcunque officia, prælaturas & beneficia impoſterum obtinenda; quam pœnam ipſo facto incurrunt; neque ab alio quàm à Romano Pont. remoueri poteſt.

13. Reſtat tertia pars Epiſcopalis reſeruationis. An ij qui audiendis Sacris confeſſionibus pręficiuntur, demptis iis caſibus, quos Epiſcopi populis in ſua quiſque Diœceſi euulgant, poſſint ab reliquis abſoluere, ſiue qui iure, ſiue qui conſuetudine fortè eiſdem Epiſcopis reſeruantur. Omnis huius quæſtionis intelligentiam meam tribus enuntiationibus excutiam, & explicabo quàm breuiſſimè.

Prima ENVNTIATIO. Si quid iura Canonum, vel Sacrorum Conciliorum decreta, ita poteſtati committant Epiſcoporum, vt illa vel per ſe, vel per ſuos dumtaxat Vicarios exequi debeant, hæc à Sacerdotibus inferioribus attingi non poſſunt,

ſunt, quamuis in folio reſeruationis prætermiſſa ſint.

Secunda ENVNTIATIO. Si in Codicem reſeruationis, ſeu album caſuum reſeruatorum abortus fœtus animati criminosè procuratus relatus non eſſet, non poſſet quiuis Sacerdos ab eo abſoluere: nam Gregorius XIIII. in ſua moderatrice conſtitutione, abſolutionem huius peccati & cenſuræ, quæ eſt peccatum cenſura excommunicationis affectum, iis tantùm Sacerdotibus tradit, qui fuerint ad eiuſmodi caſus ſpecialiter deputati.

14. Tertia ENVNTIATIO. Iis exceptis, de quibus in prima & ſecunda enuntiatione dictum eſt, valde mihi probabile eſt, cunctos, qui ſacras pœnitentium excipiunt confeſſiones, poſſe à reliquis omnibus caſibus abſoluere, quos vel ius, vel conſuetudo dicitur ad Epiſcopos allegare.

Triplici ratione, ſeu coniectura, hæc tertia propoſitio confirmari poteſt. Prima eſt, quia hanc apparet mentem eſſe Romani Pontificis in decreto, quo ſublata ſunt priuilegia regularium, & aliorum Sacerdotum, à caſibus ſedi Apoſtolicæ, vel Epiſcopis, reſeruatis abſoluentium. dum hortatur Epiſcopos, & locorum Ordinarios; vt ne multos ſibi caſus reſeruent: ne ea ratione grauius quàm par ſit, onus tum pœnitentibus tum Sacerdotibus imponant. Quæ admonitio parum Sacerdotes & pœnitentes releuaret, ſi præter caſus, quos paſſim reſeruant Epiſcopi, obſeruandi illi etiam eſſent, de quibus controuerſantur Doctores.

Secunda ratio. Quia hoc idem velle videntur Epiſcopi. Nam cùm quoſdam caſus eligunt, & in tabulas publicas reſeruationis digerunt, reliquos contemnere videntur, & inferioribus Sacerdotibus concedere: namque rerum quarumdam electio, aliarum, quæ ſunt ex eodem genere, refutationem indicat: nec ſecus quàm ego auguror, de mente ſua mihi teſtatus eſt nobiliſſimæ ciuitatis Italiæ Epiſcopus: cùm ego coram eo in cœtu parochorum, in hoc ipſo argumento, illo ipſo Antiſtite iubente, verſarer.

Poſtrema ratio. Quoniam cùm non ſatis inter Doctores conſtet, quos caſus, ſeu ius ſeu conſuetudo ad Epiſcopos reiiciat; cùm res ſit plena ambiguitatis & caliginis, ſemper abſoluentium Sacerdotum torqueretur conſcientia; nec quicquam certi haberet, vbi conſiſteret; ſi illis cogitandum foret de numero ſeu genere caſuum Epiſcopis reſeruatorum; qui ab iis nec palam proponi, nec ſuo populo, & clero impreſſis chartis enuntiari conſueuerunt.

Num excommunicatio maior, quam generalis Eccleſiæ Canon Auctori non reſeruat, in iure ſit Epiſcoporum.

QVÆSTIO XXVI.

IAm pridem animaduerti, & ſæpiſſime reſpondi, in duas contrarias factiones diſtractos eſſe Doctores, hac de re diſſentientes. 1. Qui pugnant eiuſmodi excommunicationes in nullo proprio iure eſſe Epiſcoporum, niſi ſi fortè eaſdem ipſi ſibi reſeruent, ſunt hi omnes. D. Thom. in 4 ſentent. diſtinct. 18. quæſt. 2. artic. 5. quæſtiuncula 1. S. Bonauent. in eandem diſtinct. quæſt. vltima. Innocentius & Hoſt. in cap. nuper, de ſententia excommunicationis; ad quam ſententiam etiam propendet Gloſſa in illud cap. Syluester, in verbo, Abſolutio, primo, num. 4. Angelus eodem, titul. 1. num. 2. Nauarr. in Summa, cap. 27. num. 39. quam item tanquam communem Theologorum & Summiſtarum, & docent & ſequuntur: hanc ipſam ſequitur Armilla, in verbo, Caſus, num. 5. ſumma confeſſorum l. 3. 33. titulo. Sotus in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 3. concl. 3. Ledeſma 2. 4. q. 14. art. 6.

principio, poteſtatem adimit religioſis abſoluendi ab excommunicatione lata à Canone. At in Clementina, Dudum, de ſepulturis, abſoluendi poteſtatem parem Religioſis ordinis Prædicatorum, & Minorum, ac Parochis dederat: ergo ſi non abſoluant à cenſura excommunicationis promulgata à Canone Religioſi; nec Parochi abſoluent; ergo abſoluent Epiſcopi.

Tertium Argumentum. Benedictus XI. in Extrauaganti Inter cunctas, de priuilegiis, inter caſus iure Epiſcopis reſeruatos, declarat eſſe crimen, cui ius excommunicationem infligit: & hanc partem Extrauagantis non fuiſſe reuocatam à Clemente V. in Concilio Viennenſi, in 4. capite prioris libri de reſeruatione caſuum, eſt à nobis non leuium Auctorum ſententia, & coniecturis minimè captioſis, oſtenſum.

Quartum. Quia hic eſt penè omnium Prælatorum maiorum ſenſus, & conſuetudo (quantùm ego multos ab hinc annos animaduerti) hoc genus excommunicationum ad ſua tribunalia deducentium.

4. Quintum. Quia ſi Canonis conditor non ſibi reſeruatam excommunicationem, Parochis, & aliis Sacerdotibus, tribueret, poſſent ij ea excommunicatione irretitos, in vtroque foro abſoluere: quod non puto à quoquam perito Sacerdote factitari: quòd ſi in foro exteriori hoc non faciūt, nec facere poſſunt, cùm nullam in eo foro cenſuræ ferendæ poteſtatem habeant; neque in foro conſcientiæ poterūt: cùm nullum diſcrimen à Canone inter vtrumque conſtitutum ſit. Solius igitur erit Epiſcopi, in vtroque foro abſoluere; qui etiam poteſt in vtroque, ſubditos, pœna excommunicationis & aliarum cenſurarum iure ſuo afficere.

Sextum. Flagitat id Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ordo, & decorum; vt excommunicationem, quæ fertur ab eo qui iuriſdictionem habet ipſo iure maximam, qualis eſt Romani Pontificis, cùm ſibi abſolutionem non reſeruat, illi largiatur, qui ſecundùm eum ordinariam obtinet iuriſdictionem irrogandarum & ferendarum cenſurarum: hic autem eſt Epiſcopus.

Septimum & poſtremum. nam hæc videtur eſſe tutiſſima & maximè communis opinio, allata à multis Gloſſis, & à tam multis Doctoribus perinſignibus. At Gloſſā, ad quam clarus aliquis doctor accedit, opinionem gignit communē apud iuriſperitos, teſte Iacobo Butrigario, qui à noſtris citatur Summiſtis, in verbo Opinio. Atque hæc, quæ diſceptatur quæſtio, Canoniſtarum potiùs quàm Theologorū propria eſt. Itaque potius ſequendi eſſent Canoniſtæ quā Theologi, ſi vera ſunt quæ de opinionis delectu à Theologis traduntur.

Cùm ergo, Auctore D. Antonino, ſecundùm omnes qui illius ætate fortè ſcripſerunt, excommunicatio, de qua loquimur, ad Epiſcopū pertineat; Cùm Roſella dicat, hanc eſſe magis communem ſententiam: Cùm tres Pontifices, Bonifacius, Clemens, Benedictus, ei maximè faueāt; cùm tot & tam graues habeat defenſores; ea ſola palmaris exiſtimanda eſt. Adde, quòd multi Epiſcopi excommunicationem, de qua diſceptatur, in excuſis chartis ſibi reſeruant; poſſeque illos, ad ſuum Tribunal eam transferre, ex contrariæ ſententiæ Auctoribus non pauci dixerūt.

Num Incertorum bonorum reſtitutionem reſeruare ſibi poſſint Epiſcopi.

QVÆSTIO XXVII.

1. HOrum bonorum quorum veri Domini ignorantur, & quæ incerta appellantur, non poſſe Epiſcopos ad ſuum iudicium arbitriumve reijcere reſtitutionem, communi ſenſu Doctorum videtur conſtitutum eſſe. Namque D. Thom. in 2.2.q.62.art.5.ad 3. ſcribit his verbis: Si ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus,

tus, debet homo reſtituere ſecundùm quod poteſt, ſcilicet dando eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſiue ſit mortuus, ſiue ſit viuus: præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona eius cuius eſt reſtitutio facienda.

Ergo D. Thom. vult onus hoc reſtituẽdi, eius eſſe qui bona alterius poſſidet, non Epiſcopi; & in 4. d. 15. q. 1. art. 5. q. 4. ad 3. loquens de eo qui in direptione Ciuitatis, vel Caſtri prædatus eſt, vult, hunc, qui eo modo particeps prædæ fuit, pauperibus illius loci reſtituere debere: vel in alios vſus eiuſdem loci conferre, arbitrio Epiſcopi, vel eorum ad quos cura pertinet loci. Scotus in eamdem d. q. 2. artic. 4. ſuadet; vt, qui reſtituere debet, per ſe ipsũ reſtituat; conſilio tamẽ alicuius boni viri. Vnde, inquit Scotus, vbi lex diuina vel Eccleſia non ligat perſonam, ſequenda eſt ratio naturalis: illa autem dictat magis quòd perſona, quę tenetur reſtituere pauperibus per ſe ipſum; licèt non excludendo conſilium alicuius viri boni, ſed includendo. Gabriel in eamdem d. 15. q. 2. art. 3. dub. 4. prop. 1. citans Angelum, Roſellam, Piſanellam in additionibus, D. Antoninum, & alios quoſdam; negat, ad Epiſcopum pertinere incertorũ reſtitutionem, niſi aliquo caſu excepto; neque ſibi reſeruare poſſe per ſtatutum ſynodale: decere autem vt reſtitutio fiat pauperibus loci; cuius eſt veriſimile fuiſſe verum Dominum: ſic enim fieri poſſe vt caſu redeãt bona ad ſuum verum Dominum: idque ex eorundem Doctorum ſententia faciendum eſſe ſcribit.

2 D. Antoninus in 2. p. tit. 2. cap. 4. tractat hanc qu. & ſequens Archidiaconum, & alios, tribuit Epiſcopo reſtitutionem publicorum vſurariorum: quia hoc eſt iure cautum; alij plures concedunt caſus, quibus per Epiſcopum reſtituuntur incerta. Supplementum, quæ ipſa eſt Piſanella aucta, in verbo Reſtitutio ſexto, egregiè communem ſententiam tuetur: diſſoluítque contraria. Roſella in verbo Reſtitutio 15. §. 2. Syluester in verbo Reſtitutio 8. quæſt. 5. & 6. Angelus eodem verbo tit. 2. §. 14. Tabiena eod. ver. q. 18. & in verbo Diſpẽſatio, q. 15. negat reſeruare Epiſcopos ſibi poſſe incertorum reſtitutionem. Armilla in verbo Caſus, num. 9. negat, reſtitutionem, cùm ſit de iure naturæ, pertinere ad Epiſcopum: neque hũc caſum, de quo diſſeritur, retinere ſibi poſſe de iure Epiſcopum, ait ſenſum eſſe Doctorum in verbo Reſtitutio §. 20. & §. 39. Scribit, per eum fieri poſſe reſtitutionem, qui obnoxius eſt reſtitutioni. A ſummarũ ſcriptoribus, quos ſecutus eſt Gabriel, & maximè Angelo, quem ſemel & iterum citat, in eiuſdem ſententiæ ſocietatem iuris ſcientia præſtantes vocantur, vt Archidiaconus in cap. 2. de teſtam. & in ca. non ſanę 14. 5. Ioannes Monal. in c. quamquã de vſuris libr. 6. & Ioannes Calder. in 1. Clement. de priuilegiis, & in quodam ſuo Concilio, vt Panormit. in cap. Cùm ſit de Iud. vt Ioan. de Lig. Gem. Pau. in Clem. 1. de priuilegiis, vt Hugo, frater Clarus. & Ioan. de Lign. in cap. Cùm ſit de Iud.

Ac Calder. in illo ſuo conſilio, & Hugo, & frater Clarus, quos ſequuntur & citant præcipui ſummarum ſcriptores, nolunt, Epiſcopum ferre poſſe excommunicationem in eos Sacerdotes qui ſe interponunt in reſtitutione incertorum. Credunt etiam huius primę opinionis patroni iudiciũ ſuum cõfirmari Pontificiis ſanctionibus. Tua nos. & Ioãnes, de Teſtam. in iis enim præcipit Epiſcopo Romanus Pontifex, vt executores teſtamentorum cogat defunctorum ſatisfacere voluntati: quibus ſanctionibus fauet etiam ius Imperatorium. C. de Epiſcopis, & clericis, nulli. 3

Firma huius ſententiæ ratio hæc eſſe poteſt. Quòd ſicut ius meum non poteſt ad ſe transferre Epiſcopus, vt ſit ſuum; ſic nec onus meum, quod mihi aut diuina aut naturalis lex imponit: at mihi debenti reſtituere, onus imponitur reſtituendi; ergo non poteſt me inuitum hac re Epiſcopus liberare, & ad ſe conuertere.

Verùm huius ipſius opinionis defenſores

ſores quatuor concedunt temporæ, quibus Epiſcopo liceat reſtituendi partes ſuſcipere nomine alterius, qui debebat. Primum eſt. Quando defunctus nullum reliquit hæredem, ſuæque voluntatis executorem. Secundum. Quando is qui non vult reſtituere, in ius vocatur, & iudicis poteſtate cogitur. Tertiū. Quū is qui reſtituit, mala fide reſtituit, largiēs, aut amicis nō egētibus aut quibus eiuſmodi bona nō diſpēſanda ſunt: tūc enim iterū cogi poteſt ab Epiſcopo tantumdē reſtituere, quibus reſtitui oportet. *Quia nō intelligitur factum, quod alter factum eſt, ac debuit fieri.* De reg. iur. qui ex timore. Ac licèt conſilio auctoritatéve Epiſcopi quis malè reſtitueret, nequaquam à ſecunda eiuſdem rei reſtitutione eſſet immunis, vt rectè admonet Angelus. Quartum eſt, cū bona ſunt manifeſtorum fœneratorum. Quatuor hæc tempora ex Archidiacono commemorat Angelus in verbo reſtitutio 2. §.14.

4. In contrariam ſententiam iuit Hoſtienſis, in cap. Cùm ſit, de Iud. nam in eiuſmodi reſtitutione incertorum, docet requiri auctoritatem Epiſcopi neceſſariò: quem ſequitur Gloſſa in cap. Si Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. lib. 6. & Federicus conſ. 27. ſed nihil boni allegat inquit Panormi. in cap. Cùm ſit de Iud. numer. 4. commentarij. Hoſtienſi magna ex parte fauere videtur Richardus, in 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 2. argumentum. nam, verba faciēs de rebus incertis reſtituendis, cùm earum » ignoratur Dominus, ſic ait: Dicendum; quòd in illo caſu, illud quod reſtitui debet, erogari debet pauperibus, auctoritate Ordinarij: qui eſt pauperum Pater: vbi conſuetum eſt per Ordinarium talia fieri; quod ideo dico, quia per ius ſcriptum nō interdicitur illi qui reſtituere tenetur, in prædicto caſu erogare pauperibus per ſe ipſum, ſi hoc faciat fideliter, & de conſilio bonorum.

Scio Richardum à Gabriele conſociari cum Auctoribus primæ ſententiæ: ſed re uera magis propendet ad ſecundam. Fulcit ſuam opinionē Hoſtienſis, capite, cùm ſit, de Iudæis. Innocentius enim III. in Concilio generali, legem tulit; vt quodcumque lucrum, quod faceret Iudæus, publico alicui muneri, contra legem eiuſdem Pont. & Cōcilij præpoſitus, in vſum pauperum Chriſtianorum (verba ſunt legis) ſecundùm prouidentiam diœceſani Epiſcopi conuertatur. Verùm hāc Decretalem Panormit. & alij ſic interpretantur, vt velint valere tantùm in Iudæo, non item in Chriſtiano. Ille enim, quia infenſus eſt toti generi & ſemini Chriſtiano, in reſtituēdo, aut pauperes præteriret Chriſtianos; aut etiam nō reſtitueret, niſi Epiſcopi, aut Ordinarij cogeretur imperio: id quod de homine Chriſtiano, à quo incertorum exſpectatur reſtitutio, ſuſpicari non licet.

Tres porro rationes adducūtur ab Hoſtienſi, cur bonorum incertorum reſtitutio in ius & poteſtatem Epiſcopi conferatur. Primum. Quia inferiores clerici poſſent ad ſe eiuſmodi bona deriuare. Deinde: quia in maioribus adhibenda eſt prouidentia Epiſcopi in c. ad hoc de off. Archid. Poſtremò. Quia Epiſcopo curæ eſt omnis ſua Diœceſis, & cuncta ſpiritualia regit X. quæſt. 1. regenda. Quæ quidem rationes omnes topicæ ſunt, è cōmunibus ſumptæ, multiſque modis poſſunt refelli. Nam & multi repetiuntur Sacerdotes, in quibus non minor eſt fides, religio, & integritas, quàm in multis Epiſcopis; & ad Epiſcoporum prouidentiam ea pertinēt, quæ publici muneris ſunt, & eorum Eccleſiam attingunt. in quibus non apparet eſſe ius priuatum huius, vel alterius, neque onus proprium meum, aut tuum: cuiuſmodi eſt incertorum reſtitutio. Mitto ſæpe reſtituendum eſſe extra mei Epiſcopi diœceſim. 5.

Ioannes Andreas in cap. Cùm ſit, de Iudæis cenſet, ante factum ſequendam eſſe opinionem Hoſtienſis; poſt factum, Archidiaconi. Ioannes de Lign. opinionem Archidiaconi ait iuris habere veritatem; Hoſtienſis autem, æquitatem. Alij nonnulli ita vtramque conciliant ſententiam:

tiam:bona incerta, quæ reſtitui ſolent, bipartitò diuiduntur: nam in quibuſdam transfertur dominium in poſſeſſorem, in quibuſdam minimè: In his locum habet opinio Hoſtienſis; in illis, Archidiaconi. Sed fortaſſe concordia hæc turpior eſt, quàm diſcordia. Illud fatendum eſt omnino, conſueſſe Epiſcopos reſtitutionem ſibi incertorum reſeruare; quemadmodum etiam teſtatur Panormitanus, in caput. illud, Cùm ſit, de Iudæis, numero ſuæ explanationis 4. idque per ſtatuta locorum.

QVÆSTIO XXVIII.

1. NVm parochus Bononienſis Diœceſis, qui iuſtè poteſt à caſibus ſuo Archiepiſcopo reſeruatis abſoluere, abſoluere item poſſit quempiam Diœceſis Ferrarienſis, à caſibus Ferrarienſi Epiſcopo reſeruatis; quando rei ſuæ cauſſa Bononiam venit. Nauar. in ſumm. cap. 27. num. 255. in meo codice, in nonnullis aliis 261. reſpondet, id fieri poſſe. Confirmat auctoritate Gloſſæ in c. placuit 16. quæſt. 1. & Panormit. in cap. Cùm contingat de foro competenti num. 29. Sed neutra auctoritas Nauarro opitulatur: non Gloſſæ, quæ de hac quæſtione eo loci nihil. Panormitanus verò id ſolùm ſcribit: Sacerdotes, qui ſacras excipiunt confeſſiones, vt ſunt Parochi, habere iuriſdictionem in alienos, dum in eorum Parœcia commorantur; quamuis illic non perpetuum contraxerint domicilium. Addit Nauarrus, hoc debere velle Prælatos, vt ij qui in eorum ſunt iuriſdictione, quum abſunt, poſſint à caſibus reſeruatis abſolui, ſi apud eos Sacerdotes confiteantur, qui poſſunt pariter abſoluere à caſibus ſuorum Ordinariorum.

Contrà Henricus Gandau. quodlib. 11. quæſt. 4. docet, tum pœnitenti, tum Eccleſiæ iuriſdictioni ac diſciplinæ non parum obeſſe, poteſtatem facere pœnitentibus, ſibi eligendi, à quo abſoluantur, Sacerdotem. Denique, conſuetudinem adfert huius ſuæ ſententiæ teſtem, quòd numquam intellexerit, Confeſſarium Sacerdotem, de quo loquimur, mandaſſe pœnitenti vt pro abſolutione à reſeruatis ad ſuum Epiſcopum rediret. At conſuetudo tũ ampliare tũ dare poteſt iuriſdictionẽ. c. duo. Simul cũ Gloſſ. de officio ord.

Sed hoc poſtremum argumentum dupliciter redargui poteſt: Primùm: quòd nec Nauarrus, nec vllus alius perdiligens inueſtigator diſcere hoc potuit: quis enim vmquam locutus ea de re ſit cũ omnibus omnium, aut multis multorum locorum Sacerdotibus? Deinde, ea quæ in foro DEI occulto, & Pœnitentiæ, geruntur, nefas eſt foras efferre, aut alteri enuntiare.

Quapropter in contrariam ſententiam diſceſſit Sotus in 4. d. 15. q. 4. art. 2. §. Eſt hic tamen adnotandum. Quam ipſi ſententiam his argumẽtis firmare poſſemus. 2.
Primum. Quia veri abſimile videtur, vt Epiſcopus Ferrarienſis maiorem tribuat poteſtatem alieno Sacerdoti in ſuum ſubditum, quàm tribuere ſolet Sacerdotibus ſuis: ſed his cùm poteſtatem dat audiendarum confeſſionum, non largitur caſus reſeruatos, niſi de illis propriè mẽtionem faciat, vt apertè ſentit Nauarrus in ſumma c. 27. num. 255. in nonnullis libris, in aliis 261. quare, &c. Confirmatur hoc ipſũ argumentum Decretali Bonifacij VIII. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. libr. 6. Si Epiſcopus ſuo ſubdito (verba ſunt Pontificiæ ſanctionis) conceſſerit, vt ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem: ille, quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſeruantur, nullam habet penitus poteſtatem.

Secundum Argumentum. Nulla item neceſſaria ratio mouere poteſt Epiſcopum, vt alieno Sacerdoti poteſtatem faciat, ſuum ſubditum, aut peregrinantem, aut alicubi commorantem, à reſeruatis abſoluendi: quandoquidem fermè eſt omnium & grauiorum Theologorum ſententia, nulli eſſe impedimẽto caſuum reſer

reſeruationem, quominus aliquis poſſit ab inferiore abſolui à peccatis non reſeruatis, audita tamen omnium ſuorum peccatorum lethalium confeſſione: cui deinde, cùm erit commodum, is reſeruatorum abſolutionem à ſuo Epiſcopo ſeu legitimo Prælato poſtulabit.

Tertium. Quia ſcimus aliquem Epiſcopum vigilantia, religione, doctrináque commendatum, reſpondiſſe, nolle ſe, vt, qui in eius poteſtate ſunt pœnitẽtes, cùm alienas petunt obeúntque diœceſes, à caſibus ſuis poſſint ab externo Sacerdote abſolui.

3. Quartum. Si ſecus factitaretur, audacibus & ad omne ſcelus paratis munita eſſet via, è manibus ſuorum Epiſcoporum elabendi, legitimorúmque tribunalium iura, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ neceſſariam ſeueritatem effugiendi: ſtatim enim poſſent in alienas diœceſes ſecedere, cũ graue aliquod ſcelus ſuſcepiſſent.

Quintum. Si in delictis Romano Pontifici reſeruatis nemo id faceret, ad quem ipsũ multò eſt aditus difficilior; illiúſque caſus propter cenſuram excommunicationis, abſolutionem inferioris inanem reddunt, ac nullam: cur liceat in caſibus Epiſcoporum, quorum caſus ſententiam inferiorum nec tollunt, nec infringunt? Quæ quidem eſt ratio Henrici Gandau. quodlib. 10. q. 4. vbi probat, neque pœnitenti, neque Eccleſiæ expedire, facultatem paſſim concedere vt quis ſua peccata Sacerdoti, & Paſtori non ſuo confiteatur.

Poſtremum. Verba Decreti, quo Sacerdotum omnium reuocata ſunt priuilegia, vt extra Vrbem Romam, intra Italiam, nemo à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, & Ordinariis, poſſit abſoluere, perſpicuè vetant ne propter quamlibet neceſſitatem, propter quoduis impedimentum, mortis articulo excepto, audeat quis à caſibus abſoluere, quos aut Romanus Pontifex, aut Epiſcopi in ſuis diœceſibus ſibi ſolent reſeruare.

Itaque ſicut ante decretum, probabilior mihi viſa eſt opinio Nauarri: ſic poſt illud tutior, & ad veritatem propenſior iudicata eſt Dominici Soti. Huc item ſpectat Concilij Tridentini decretum ſeſſ. 14. cap. 7. de reſeruatione: quo docentur omnes Sacerdotes extra mortis articulum nihil in caſibus reſeruatis poſſe.

De Abſolutione à Caſibus reſeruatis.

QVÆSTIO XXIX.

INuoluta quæſtio, & impedimenta à plerïſque haberi ſolet hæc: in qua de reſeruatorum peccatorũ confeſſione & abſolutione agitur. Itaque Almainus in 4. d. 17. q. 1. art. 2. quæſtionem appellat difficillimam, & inter Doctores vix euodatam. Bis ea eſt à nobis pertractata in noſtris ſcriptis; ſemel in diſputatione Latina de partibus pœnitentiæ quatuor, & triginta fermè abhinc annos, cùm in Æde Lauretana Chriſtiani officij præcepta explicaremus: iterum in noſtro libro Italico de Sacramento pœnitentiæ; cùm Venetiis publicè de Parochorũ officiis diſſereremus: in priuatis verò reſponſis, millies, quod nunc dicturi ſumus, præ nobis tulimus. 1.

Primùm igitur Sacerdotes ſemper monuimus; vt, cùm ad eos pœnitentes adeũt reſeruatis caſibus impediti, ſi aditus ſit non difficilis ad reſeruatorem, ad eum vel mittant pœnitentem, vel, ſi recuſent ire; pergant ipſi; quò ſibi poteſtas detur abſoluendi pœnitentem à reſeruatis: caueántque omnino, ne pœnitentem indicent. Quòd ſi is ad quem caſus ſpectat reſeruatus, nolit ius abſoluendi largiri Sacerdoti inferiori, tunc poſſe inferiorem, confeſſionem omnium peccatorum excipere, & abſoluere pœnitentem à non reſeruatis, eúmque reiicere ad ſuperiorem pro reſeruatis. Superior autem poterit, ſi velit, in Sacramento pœnitentiæ audire reſeruata dumtaxat; & ab illis abſol-

uere: eritque abſolutio Sacramentalis: faciétque ex attrito contritum. Dices: ergo remitti poteſt pars peccatorũ mortalium, eorum parte non condonata? ergo licebit à DEO dimidiatam peccatorum veniam ſperare.

2. Recitatis Doctorum ſententiis, iſthæc & alia nonnulla diluentur. Interim hoc certum ſit: Cùm quis de ſuis peccatis, apud inferiorem Sacerdotem confitetur, & defert nonnulla quæ ad ſuperiorem conſcientiæ iudicem pertinent, poſſe Sacerdotem inferiorem, iure ſuo, cũcta eius qui confitetur, flagitia audire, eidémque abſolutionem impertiri, & pro reſeruatorum abſolutione ad ſuperiorem remittere: qui poterit cum à reſeruatis tantùm abſoluere Sacramentaliter, ſi volet: id quod affirmant non pauci: vt Caietanus in ſumma, in verbo Confeſſio, conditione X. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. articul. 5. Henricus Gandauenſis quodlib. 1. qu. 27. quem citat & ſequitur ſumma Angelica, in verbo Confeſſio 5. §. 9. qui quidem Henricus ait, id obſeruari communiter in vniuerſali Eccleſia, tam in curia ſummi Pontificis quàm aliorum Pontificum: vt inferior Sacerdos ſeu Prælatus abſoluat à ſuis; & à ſuis, reſeruator caſuum: & abſolutionem, quæ eſt ab Eccleſiæ miniſtro, ait, diuidi poſſe, tum ratione debitæ ſatisfactionis, verba ſunt Henrici, quæ poteſt, per partes iniungi; tum ratione recõciliationis; quæ poteſt per partes fieri; ſicvt patet, inquit, in excommunicato pluribus excommunicationibus: poteſt enim abſolui ab vna ſine alia. Gabriel diſt. 17. 4. q. 1. art. 3. dub. 2. totam hanc doctrinam ſequitur Henrici, quamuis de Auctore ſileat; docétque, reconciliationem, quæ fit cum DEO, diuiſionem admittere non poſſe: poſſe autem, eam quæ fit cum Eccleſia. Durandus in eamd. d. 17. qu. 15. ſcribit, de hac concluſione concordem eſſe omnium ſententiam: Vni & eidem omnia peccata confitenda eſſe; addítq; Eccleſiæ conſuetudinem eſſe, vt inferior audiens totam confeſſionem, abſoluat à caſibus à quibus poteſt; ſuperior autem, ad quem remittitur, audiat ſolùm caſum ad ſe pertinentem, atque ab illo abſoluat.

Hanc abſoluendi rationem in more Eccleſiæ poſitam eſſe affirmat Maior in eamd. d. q. 5. propoſitione 3. quem morem in Eccleſia agnoſcit etiam Paludanus in 4. d. 17. q. 5. art. 1. & Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. Et Gerſon tractatu, ſeu Alphabeto 41. lit. g. hoc item adiuncto; ſe minimè condemnaturum eum, qui inferiori etiam iudici, ſeu Sacerdoti, nollet niſi peccata non reſeruata enuntiare.

Verùm hoc malè adiungitur ab eo, & à communi ſententia Theologorum remotum eſt. Almainus in illam d. 17. q. 1. ar. 2. nominat Henricum; nec ab eius ſententia latum vnguem diſcedit. Tres item Sacramentalis abſolutionis effectus diſtinguit. Primus eſt, remiſsio peccatorum, quoad reatum. Secundus, remittere partem ſatisfactionis debitæ. Tertius, reconciliatio Eccleſiæ, caſuum reſeruationem concludit in duos poſtremos effectus valere: quare, cùm ab inferiore quis abſoluitur, reconciliari planè DEO, omni culpa deleta: ſed propter duo egere recõciliatione Eccleſiæ, ad quam impetrandam remittitur ad eum qui ſuo Tribunali peccatum reſeruauit. 3.

Diuidi poſſe peccatorum confeſſionem, & abſolutionẽ, propter reſeruationem, dummodo aut inferior, aut ſuperior, audiat de omnibus, dicit item S. Ant. in 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 6. profertque ſuæ ſententiæ Auctores, D. Thomam & Paludanum; de Caietano iam diximus. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis ca. 16. §. 4. verſu 17. ſcribit curatum Sacerdotem abſoluere à reſeruatis & non reſeruatis: ſed ab obligatione adeundi ad ſuperiorem non abſoluere: tenetur idem à Medina in C. de confeſſione tract. 2. q. 12. aítque, paſſim teneri à Doctoribus, in caſibus reſeruatis integritatem requiri confeſſionis, abſolutionis non item. Nam Eccleſiæ, inquit, non eſt impoſita neceſſitas » integrè abſoluendi, ſicut peccatori inte- »

grè

" grè confitendi : & inferiorem Sacramen-
" taliter poſſe abſoluere pœnitentem pro
" reſeruatis ad ſuperiorem remittendo.

4. Petrus Sotus fauet huic ſententiæ in « tract.de Confeſſione Lect. 10. Syluester, « in Verbo, Confeſſio Sacramentalis q.19. « hoc tradidit : Si pœnitens propter pecca- « tum reſeruatum, principiò conueniat ſu- « periorem, cui tantùm aperit caſum reſer- « uatum, cum à peccatis non propriè abſol- « ui, ſed lege tantùm liberari ſe ſiſtendi illi, » & peccatum patefaciendi reſeruatum. » Quòd ſi primùm accedat ad inferiorem » Sacerdotem, eique integrè confiteatur, » ab eo verè, & Sacramentaliter abſolui, » ſed non ab obligatione ſe ſiſtendi ſupe- » riori : Et ſic abſolutio, inquit, non diuidi- » tur, imò nec confeſſio: & ita practicatur, » & ita tene. Nauar. in cap. Conſideret. §. Cautus de pœnit. d. 5. ſuæ explanationis num. 13. modum explicatum à Paludano de confeſſione reſeruatorum ſequitur: ſed quædam de ſuo adiungit non veriſimilia.

Huius adeo percelebratæ doctrinæ, quæ antè explicata eſt, de confeſſione, & abſolutione reſeruatorum caſuum, ex inſtituto, & more Eccleſiæ, quem tam multi graues Auctores teſtantur, aſſenſor, & comprobator eſt D.Thomas his verbis in 4.ſent.d.17.q.3.art. 4.q.2. in reſponſione ad quartum. Etiamſi Sacerdos non poſſit ab omnibus abſoluere, tenetur ſibi omnia confiteri, vt quantitatẽ totius culpæ cognoſcat : & de illis, de quibus non poteſt abſoluere, ad ſuperiorem remittat. D. Bonauentura in 4.d.21.part.2. diſt.art.1.q. 1.indicat, pro peccato reſeruato, adeundum primò eſſe ad ſuperiorem; deinde, accedendũ ad inferiorem; qui audiet etiã reſeruatum, niſi velit pœnitens omnia confiteri ſuperiori. Itaque ſignificat D. Bonauentura, poſſe ſuperiorem in confeſſione tantùm audire de reſeruato, atque ea ratione ſecari poſſe apud eundem ſuperiorem, tum confeſſionem, tum abſolutionem.

5. Alexander Halenſis in 4.par. quæſt.18. membro 4.art.5.§. 2.in fine, quærens, An confeſſio diuidi poſſit: Reſpondet, ratione caſuum reſeruatorum poſſe illam diuidi : quando aſſentiente & ſuadente inferiore Sacerdote, conuenitur ſuperior: Nec talis, inquit, dicitur diuidere confeſ- " ſionẽ, cùm de conſenſu & conſilio vnius, " alij confitetur. Richardus in 4. d.17.art.2. " q.8.ait, debere præcedere abſolutionem ſuperioris, à reſeruatis, ſubſequi verò, inferioris. Quare de iure diuidendi abſolutionem, partiendæque confeſſionis, non dubitauit Richardus, cùm reſeruatorum abſolutionem inchoari velit à ſuperiore, aut ab auctore reſeruationis.

Ex his Theologorum dictis atque ſententiis colligimus, in peccato, quod Prælatus aliquis ſibi reſeruat, duo ſpectari debere. Vnum eſt, reatus inimicitiæ diuinæ, pœnæque æternæ; alterum, obligatio ad ſuum iudicem deferendi peccatum : primum tollitur abſolutione inferioris, ſicut 5. etiam tollitur contritione, & confeſſionis voto priuſquàm quis de ſuis peccatis legitimo Sacerdoti confiteatur : ſecundum autem non tollitur. Et quia illud conturbat nonnullos, quî fieri poſſit, vt, cùm Sacerdos abſoluat à cunctis peccatis, ſicut abſoluit DEVS, abſolutio aut confeſſio diuidi poſſit : Dici multipliciter poſſet, primum Sacerdotem, vt reconciliat Deo peccatorem, à cunctis culpis abſoluere; non item, vt eumdem reconciliat cum Eccleſia : Deinde, omnia remittere, non ex vi iuriſdictionis, ſed ex vi Sacramenti conferentis gratiam propter abſolutionem etiam dimidiatam; vt remiſſio omniũ ſcelerum gratiæ potius aſſignari debeat, quàm contractæ iuriſdictioni Sacerdotis, vt taceantur alij modi dicendi; qui ſunt ingenioſè ab aliis excogitati.

Verum in hoc genere duo Paludani 6. præcepta diligenter tenenda ſunt. Primũ eſt, cùm caſus reſeruatus excommunicationem habet annexam, non eſſe pœnitentem abſoluendum ab inferiore Sacerdote, antequam ſit à reſeruatore remota cenſura; quod item confirmat Sotus.

oportuit, cõfeſſus eſt, Poſt multos annos, peccatorum ſuorum, à quibus aliàs ritè fuit abſolutus, vult inire confeſſionem generalem. Quæſitum eſt, an is egeat proprio Sacerdote, vt confiteatur, & poſſit abſolui. Non egere, ſed à quouis Sacerdote poſſe abſolui, Paludanus, qui quæſtionem poſuit, in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 2. affirmauit his verbis. De peccato veniali poteſt homo per ſe ipſum ſine Petro, & quocunque Sacerdote ſoluere: ſimiliter de mortali, de quo eſt ſemel abſolutus. Vnde niſi ordinatio Eccleſiæ ſit in contrarium, quilibet Sacerdos poteſt abſoluere quemlibet ſibi volentem confiteri à quolibet veniali & mortali; de quo aliquando eſt abſolutus: quia de his nulli homini eſt obligatus: & de his poteſt ſe ſubmittere cuilibet, cui vult, non ſolùm curatis aliis habentibus populum, ſed etiã ſimplicibus Sacerdotibus, nullum ſubditum aliàs habentibus. Niſi, quòd, ſi ſunt religioſi, ſine aſſenſu Prælati nihil tale debent agere: ſed ſi agerent, nihilominus abſoluti eſſent: quia concurrerent eſſentialia Sacramenti.

2. Huius doctrinæ, quæ vera eſt, duplex eſt conſectarium: Alterum, eum, qui voluntate ſuperioris ſemel abſolutus eſt à caſu reſeruato, cogi non poſſe, vt in confeſſione generali eiuſdem caſus quærat abſolutionem: Alterum, qui generalem ſuorum criminum inſtituit confeſſionẽ, ex iis poſſe ſeligere, quæ ipſe maluerit, ac ſine vlla ſacrilegij labe non ſecus dimidiare poſſe confeſſionem, quàm ſi de leuibus culpis confiteretur; vt perſpicuis verbis ſcribit Sotus in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. artic. 5. & Medina in C. de confeſſione, quæſt. 11. & Victoria, in Summa Sacramentorum, quæſt. 166. nec ſecus iudicauit Nauarrus, in Summa, c. 21. num. 38. vbi alibi ſe dixiſſe idem ait.

Atque huius poſterioris conſectarij ratio eſt. Quoniam Eccleſia præcipere non poteſt, vt quis bis de eiſdem peccatis confiteatur, vt ſcribit Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 5. art. 1. & D. Antoninus in 3. p. tit. 10. cap. 2. qui citat B. Thomam: idque declarauit Benedictus XI. in Extrauaganti, inter cunctas, de priuilegiis, hiſce verbis. Abſurdum eſt, quòd per pœnitẽtiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat: & quòd liberatus debitor adhuc ad ſoluendum maneat obligatus. Relinquitur igitur, cùm eorum peccatorũ confeſſio, quæ quiſpiam aliàs legitimè confeſſus eſt, arbitraria ſit, nec vllo modo neceſſaria, voluntariam item, & arbitrariam eſſe materiam confeſſionis: ſiue ea peccata ſint venialia, ſiue mortalia; quare ex ea partem poſſe eligere, quæ illi collibuerit.

QVÆSTIO XXXII.

Domitius, flagitia ſua apud Sacerdotem confitetur, eorum nullo ſuſcepto dolore eiuſmodi, vt animi ægritudo, ac moleſtia appellari poſſit, orta ex cogitatione, ac deteſtatione peccati: dicitque id dolere ſe magnopere, quòd de ſuis culpis dolere non poſſit. Lucilius negat ſibi propter Deum ſua ſcelera diſplicere: Eadémque parum diſplicere. Quæritur an vtrumque abſoluere poſſit debeátve Sacerdos; an neutrum, an alterutrum. Reſpondi, propoſitæ quæſtioni, ſi neceſſariæ omittantur diſtinctiones, ſatisfieri non poſſe. 1.

Sit igitur prima diſtinctio. Duplicem dolorem Theologi ſpectare ſolent in eo homine, qui ſuis ſceleribus à Deo veniam dari optat: alter hæret in ſenſu, alter in ſolo animo: illo, afficitur corpus: hoc, afflictatur animus: ille, non eſt in hominis poteſtate ſemper; quamuis fere ex mœrore animi fluat: hic, eſt humani arbitrij nos ad pœnitendum excitante Deo: ille, ad expiandam culpam non eſt neceſſarius, niſi quãdo coniungitur cum exteriore pœnitentia, & ſatisfactione: nam pro culpa etiam condonata à Deo, diuinæ iuſtitiæ ſatisfieri oportere, & diuinarum Scripturarum auctoritas, & ſacrorum Conciliorum doctrina, & Sanctorum Patrum, 2.

Theologorúmque conſenſio & minimè fallax ratio perſuadet.

Qui verò in animo reſidet dolor, ad culpam delendam eſt maximè neceſſarius: omnibúſque his vocabulis à Theologis ſignificatur: *Abominatio peccati, deteſtatio peccati, odium peccati, diſſenſus à peccato, nolitio peccati, diſplicentia peccati.* Abominationis vocabulo vſus eſt Richardus Victorinus in definienda pœnitentia in 3. lib. cap. 1. de poteſtate ligandi, & ſoluendi. Deteſtationem dicit Concilium Tridentinũ in ſeſſ. 14. cap. 4. odium & pium animi dolorem, cap. 1. Diſſenſum, in parte rationali animi noſtri, à peccato commiſſo, vocauit Alex. Hal. in 4. parte, quæſt. 17. memb. 4. artic. 4. quem modum dicendi ſequitur D. Bonau. in 4. ſent. diſt. 17. art. 1. quæſt. 1. & Gabriel in 4. ſent. diſt. 16. q. 1. art. 1. Diuus Thomas, diſplicentiam peccati eſſe contritionem ſecundùm eſſentiã ſcripſit in 4. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 2. & art. 3. eiuſdem quæſtionis quæſtiuncula 1. Quod ait D. Thom. confirmat etiam Richardus in 4. diſt. 17. art. 1. quæſt. 8. & Durandus in eandem diſtinct. quæſt. 2. art. 4. Maior in 4. diſt. 14. quæſt. 1. dolorem, quo de agimus, nominibus variis ex iis quæ poſita ſunt, veſtiuit; dum ad hunc modum ſcriptum reliquit. „ Pœnitentia purgatiua, culparum eſt diſpli- „ centia, ſiue deteſtatio, ſeu nolitio præte- „ ritorum peccatorum: quamuis nullus ſe- „ quatur dolor, vel fletus. Caietanus tomo 1. opuſculorum tract. 4. de attritione & contritione, diſplicentiam, quæ eſt contritio, probat, non eſſe formaliter dolorem, quia ea reperitur in beatis: quamuis negandum non eſt in iis qui mortalem vitam agunt in terris, numquam diſplicentiam à mœrore animi, atque triſtitia abiunctam eſſe: quem mœrorem, comitem beatitatis ſtatus, prorſus excludit.

3. Hanc igitur peccati ſeu abominationẽ, ſeu odium, ſeu deteſtationem, ſeu diſſenſum, ſeu diſplicentiam, ſeu nolitionem ad eſſentiam pertinere contritionis, Theologicæ diſciplinæ Magiſtri docuerunt: ſed quamuis dolor, quo corpus affligitur, & qui cum exteriore pœnitentia coniungitur, ad placandum Deum non ſit neceſſarius actu, eſt neceſſarius tamen in voto. Nam Deo, exteriore etiam pœnitentia ſatisfacere debemus; quamuis is nobiſcũ in gratiam redierit.

Porro ipſa diſplicentia, peccatíque deteſtatio in nobis dicitur dolor; vel, quia fere dolorem ſenſus adiunctum habet; vel, quia in ipſamet voluntate neceſſaria quadam cõſecutione mœſtitia quædam, & anxietudo ſolet ingigni: qua carent tamen beati: quia eorum ſtatui, vt dictum eſt, vſquequaque aduerſatur.

Ergo ſi huius duplicis doloris diſtinctionem teneamus, de Domitio ſic reſpondebimus: eum abſoluendum eſſe à Sacerdote, ſi fateatur in nullo ſenſus dolore ſe eſſe, modò angatur animo. Quòd ſi neque animo de peccato crucietur, ac mœreat, nullo modo poſſe abſolui: propterea quòd neque contritionem neque attritionem ad Sacramentum adferat: quæ contritio ſeu attritio eſt in actibus pœnitentis, hoc eſt, in materia Sacramenti pœnitentiæ, pars ex inſtitutione diuina omnino neceſſaria. 4.

De Lucilio tũc demũ iudicabo, quum ſecundam & tertiam diſtinctionem euoluero; quas ambas è ſecundo noſtro libro de contritione, mutuatus, in hunc locum transferam.

Eſt igitur hæc ſecunda diſtinctio, cauſſam attingens Lucilij. Aut is peccata ſua deteſtatur ob peccati turpitudinem, vel æterni cruciatus metu, vel propter aliquod huius caducæ vitæ incommodum, qualis eſt amiſſio rei familiaris, honoris, exiſtimationis, exilium, verbera, patibulum: ſi deteſtatio naſcatur ex huius vitæ malis, atque ex humanæ naturæ viribus, diſpoſitionem idoneam ad effectum ſupranaturalem, cuiuſnodi eſt peccatorum remiſſio, eſſe poſſe, cum multis Theologis minimè vulgaribus, non credo. Si verò deteſtatio oriatur, & peccati dolor exiſtat ex obiecto reuelato & Catholica fide 5.

perceptoː

percepto: neque Deus excludatur omnino (de hac enim attritione & deteſtatione loquũtur concilia) tunc ad tertiam & poſtremam diſtinctionem confugiendum eſt. Eſt autem ea huiuſmodi, aut Lucilius extra Sacramentum pœnitẽtiæ imperfectè dolet; aut in Sacramento: ſi extra Sacramentum imperfectè doleat, ita vt non expleat eas partes, ac numeros, quos deteſtationi peccatoris, & peccati Deus præfiniuit; nō conſequetur veniam peccatorum.

6. Certam autem quandam menſuram à Deo præſcriptam eſſe dolori eius, qui inſigniter Dei violauit amicitiam, ſatis apertè docuerunt primarum partium Theologi. Diuus Thomas in 4. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 5. quæſtiuncula 3. Alexander Halenſ. in 4. parte, quæſt. 17. memb. 1. artic. 1. §. 3. Richardus in 4. d. 17. art. 1. q. 5. quorum ipſi verba protulimus in illo lib. de contrit. q. 13. nec non D. Bonau. in 4. diſt. 17. art. 2. quæſt. 3. num. 41. negat enim, peccatori iuſtificationem contingere communi lege, niſi eius liberum arbitrium, motu fidei & doloris, præparatum ſit, vel etiam ſummè ad vtrumque paratum. In hos tantos Theologos concedit etiam Scotus in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. littera M.

At verò, in pœnitentiæ Sacramento, ſi à perfectione doloris abeſt Lucilius, velletque, quàm dolet, dolere vehementiùs; tunc Sacerdotis dignúſne ſit abſolutione, addubitari poteſt. Franciſcus Victoria in libello de Sacramentis, quæſt. 158. negat, à Sacerdote, qui eiuſmodi eſt, poſſe abſolui: imò peccatum ſacrilegij pœnitentem peccare, ſi petat abſolutionem & Sacerdotem eodem ſcelere obligari, ſi abſolutionem impertiat.

Sed Victoriæ refragatur verbis perſpicuis Scotus in 4. ſent. diſtin. 14. quæſt. 4. art. 3. littera E. & Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 5. A pœnitente, inquit, requiratur, ſi pœnitet: &, ſi dolor eius inſufficiens eſt; an vellet dolorem ſufficientem habere; &, ſi non habet, hoc ipſum ſibi diſplicet: & hoc ſufficit. Richardus in lib. de poteſtate ligandi & ſoluendi, cap. 6. ait, eos non debere abſolui à Sacerdotibus, qui non ſunt verè pœnitentes. Verè autem pœnitere, inquit, eſt de præterita præuaricatione dolere, cum firmo propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & cum omni cautelą cauendi: nec in dolore requirit aliquam menſuram. Probauit hanc ſententiam Nauarrus in Summa, cap. 1. num. 35. Alex. verò in 4. p. q. 17. memb. 1. art. 1. §. 5. ſenſit pœnitentem poſſe abſolui, ſi in eo aliqua ſigna contritionis appareant.

Tametſi non ſimiliter de eo cenſeri à Sacerdote debet, qui ſigna dat attritionis, vt de eo, qui ſigna præbet contritionis: quum rei vtriuſque longè diſpar ſit ratio. Nam ad omnia ſcelera abluenda, parum contritionis eſſe ſatis principes Theologi perſuaſerunt: D. Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 5. Alex. in 4. p. q. 17. memb. 1. §. 3. & alij non pauci. Etenim cùm à caritate contritio auelli non poſſet (eſt enim dolor peccati propter Deum ſummè dilectum) & cùm caritas nullum habere poſſit cum lethali culpa commercium; nempe id, quod iam eſt dictum, conſequatur neceſſe eſt. 7.

Huc adde, quòd plures magníque Theologi in pœnitente, antequam abſoluatur, contritionem veram caritate formatam requirunt. Neque vſque adeo certum eſt attritionem pœnitẽti eſſe ſatis.

Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ 8.
eſſe debent veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentíque eum cohortatione vrgere; vt propter Deum peccata admiſſa execretur omnia: velítque in poſterum cuncta vitare: præteritorúmque flagitiorũ quantum maximum poteſt, doloris ſenſum capiat: eundémque hoc modo affectum, tunc demum fidenter abſoluat, cùm ab eo confeſſionẽ expreſſerit propter Deum dolere ſe de peccatis: &, propter eum, illa ſe in reliqua vita oſurum.

Neque fuerim tamen inficiatus, poſſe pœni-

pœnitentem abſolui, ſi parum dolere ſe ait: neque propter Deum ex caritate dolere: quod cùm dicit, id dicit, ſe verè contritum non eſſe: modò adſit attritio; de qua paulo antè diximus: nec deſit voluntas Sacerdotis, arbitrio diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciendi. Ex his liquere poteſt, quid cum Domitio, quid item cum Lucilio agi à Sacerdote opus ſit, & oporteat.

QVÆSTIO XXXIII.

1. AVlus rem nefariam committit, ſciẽs eſſe nefariam. Quæritur, an eiuſmodi ſcientia, circumſtantia ſit in Sacramento confeſſionis neceſſariò aperiẽda. Multis verbis, & argumentis de hoc differit Nauarrus in caput, conſideret, de pœnit. diſt. 5. in principio à num. 51. ad num. 80. facitque in ea longa diſputatione nouæ opinionis inuentorem & architectum Adrianum. Vt, qui gnarus mali illud ſuſcipit, legi confeſſionis à Chriſto inſtitutæ minimè ſatisfaciat, ſi dicere omittit illud ſe ſcientem feciſſe. & quamuis non pauca pro Adriano, & contra Adrianum à Nauarro allata ſint, nihilominus in eam is partem incumbit, vt, licèt de culpa lethali agatur, nequaquam neceſſarium ſit, ab eo, qui eam contrahit, exprimi, prudentem, illam ſe contraxiſſe.

Atque ad eam rem confirmandã haud leuia confert argumẽta: maiorum autem neruorum hæc videntur. Primum: Quòd nec Diuus Thomas, nec Gerſon, nec tam multi alij, qui de conſcientia ſcripta reliquerunt, tam duram, vt loquitur Nauarrus, concluſionem meminerunt. Secundum: Quòd licet conſcientia malum ferè augeat in eo, qui delinquit, tamen nouam ſpeciem culpæ ei, quæ admittitur, culpæ non ſolet adiungere.

2. Addamus nos. Scientia, eſt cõditio neceſſaria, ſine qua nullum peccatum eſſet peccatum: quia, quum ſit voluntarium malum, cognitione eget: quoniam ſine cognitione & appetitu voluntarium non conſiſtit.

Tertium: Probat Caietanus in Commentario ſuo in 1. 2. quæſt. 77. art. 4. peccata quæ ex ignorantia exiſtunt, & quæ à ſcientibus peccantur, eiuſdem eſſe ſpeciei intellige de ignorantia exitiali, quæ aut affectata, aut craſſa, aut ſupina nuncupari ſolet. Quartum. Sequeretur, quicunque contra legem committit, bis peccare: ſemel quia legem violat: iterum, quia contra conſcientiam; quæ illud ipſum approbat vel improbat, contra quàm lex iubet, vel prohibet. Quintum. quòd rarus eſt, qui eiuſmodi circumſtantiam cõfiteatur; rarior, qui nouerit: rariſſimus, qui doceat. Sic Nauarrus in caput illud, conſideret, num. 55. Sextum. quòd ſi vera eſt Adriani concluſio, omnes Chriſtianos, aut certè magnam partem eorũ qui ad hanc diem de ſuis peccatis confeſſi ſunt, iterare ſuas confeſſiones oporteret. Septimum argumentum conformemus ipſi ad hunc modum: Scientia legis, quam quis habet, vel habere debet, neceſſariò requiritur in omni peccato: & in quolibet peccato eſt eadem ſpecie in genere moris cum peccato ſcito: ergo non poteſt adducere circumſtantiam peccati, quod ab eo peccato, quod admittitur, ſpecie differat. Sicut enim furti ſcientia & furtũ ſcitum idem ſunt: quia ſciẽtia in actu, & res ſcita idem ſunt, vt probat Ariſt. in 3. de anima. & affirmat tex. 27. ſic furtum factum ab eo, qui cognoſcit illud eſſe furtum, & vetitum; & furtum ab eo ſuſceptum, qui non cogitat illud eſſe malum, ſed eadem praua voluntate illud committit, eſt idem.

Huc accedit, quòd ſcientia coniuncta cum actu, & in habitu, ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo peccatum, quod comitem, vel procreatricem alterutrã habet ſcientiam propter varium modũ ſcientiæ vnius erit ſpeciei. Atqui is, qui peccat actu nõ cogitans de re praua, & qui peccat cum ſcientia & cogitatione eiuſdem rei cum habitu copulata, ſimilem, imò eandem peccati ſpeciem gignit. 3.

Oppones: ſi in re, quæ per ſe nec mala eſt, & ſuapte natura licet, contra conſcien

Digitized by Google

ſcientiam certam, aut etiam dubiam agere, circumſtantia eſt in confeſſione explicanda neceſſariò, cur non erit exprimenda cùm contra eam in re per ſe mala agitur?

4. Conatur Nauarrus à num. 74. ad 80. rationem hanc redarguere, ſed meo quidem animo ſatis inuolutè. Augent dubitationem verba D.Thomæ in 2.ſent. diſt. 39. quæſt. 3. art. 3. ad 3. his verbis de conſcientia ſcribentis: Conſcientia obligat non virtute propria, ſed virtute præcepti diuini: non enim conſcientia dictat aliquid eſſe faciendum; quia ſibi videtur; ſed hac ratione, quia à Deo præceptum eſt: & ideo magis obligat, quàm præceptum Prælati: diſſeritque D.Thomas in eo articulo de conſcientia erronea. & in epiſt. ad Romanos, cap. 14. lect. 2. Idem, inquit, eſt ligamen conſcientiæ erroneæ, & legis Dei. Si ergo conſcientia tam errãs, quàm recta, propter diuinam legem nos obſtringit, non appoſita videtur reddi ratio, cur erroneæ ſit enuntianda circumſtantia Sacerdoti in confeſſione, & non ſit conſcientiæ non erroneæ.

Duplici ratione videtur mihi nodus hic poſſe expediri: prior ratio eſt à priori: poſterior à poſteriori. A priori eſt hic. Peccatum eſt receſſus à lege: in conſcientia autem recta non errante lex, quæ contemnitur, non eſt alia Dei iubentis, ſeu vetantis rem, quæ per ſe fieri, aut non fieri debet; & conſcientiæ, ſeu rationis rem eandem vetitam, ſeu imperatam apprehendentis, iudicantis & oſtendentis & approbantis; ideo, cùm vera lex, & vna contemnatur, vnum & idem eſt peccatũ contra legem, aut Dei, aut naturæ, aut hominis iubentis, vetantisve, & contra conſcientiam legem illam voluntati oſtendentem. In conſcientia autem falſà & decepta, longè alia eſt lex, quam ea ſibi fabricat, falsò oſtendens & iudicans, atque ea, quam de re aut facienda, aut non facienda, reuera aut Deus, aut natura, aut homo ſanciuit. Quare cùm peccatum, cuius eſt cauſſa conſcientia falſa, & errans, non ſit contractum contra verum obiectum & genus, quod per ſe obligare conſcientiam debet, ſed contra falſum obiectum, ac genus, quod errãs ſibi conſcientia fingit; ideo errans conſcientia propriã etiam culpam ſuſcipit ſuæ tantùm apprehenſioni reſpondentem.

Ratio à poſteriore ea eſt; quòd genus peccati quale ſit, Sacerdos ſine errore intelligit, quando eſt contra id, quod per ſe, & ſimpliciter, ex diuino, ſeu naturali, ſeu humano iure obligat animum; & illud ius, ſiue præceptum obiicit voluntati ratio, conſcientiaque recta: at genus, ſpeciémve peccati ignorat, quãdo quis confitetur id, quod per ſe à poteſtate legitima non eſt imperatum, vel vetitum: nam, vt ſciri poſſit peccatum eſſe, oportet addi à pœnitente ſe illud ipſum credidiſſe, aut dubitaſſe peccatum eſſe.

Poſteriorem hanc rationem dixi eſſe à poſteriore, vel effectu: quoniam etiam ſemoto ſacerdotio, Sacramentóque confeſſionis, quis coram Deo errantis conſcientiæ culpam deteſtari, atque expiare deberet: nam ante Sacerdotium Euangelicum, & pœnitentiæ Sacramentũ à Chriſto inſtitutum, eiuſmodi Conſcientiæ labes & mœrere & procurari neceſſe erat: iſtuc item poſt legem à Chriſto conditam Sacramentalis confeſſionis fieri debet, quoties aut Sacerdotis copia, aut facultas eidem peccata confitendi denegatur.

Neque ea ratio, quamobrem falſam, fallentémque conſcientiam accuſare debeamus, eſt in poſtremis habenda. Quoniam accidit ſæpenumero, vt non ſolùm peccatum ſit æterna morte luendũ, quod eſt à conſcientia, ſeu mente errore capta; verùm etiam error ipſe, ad quem prolapſa eſt, ſit animæ pernicioſus, ſalutaríque pœnitentia, & confeſſione diluendus: id quod de conſcientia recta, & vera dici non poteſt.

Sed Adriano ſubueniendum eſt; &, 5. quod Nauarri diu, vt de ſe ipſe eſt teſtis, anxit animum, eximendum eſt. Is enim in eum ſenſum truſit Adrianum, vt ſcriptis

tradiderit neceſſariò confiteri debere ſe ſcientem peccaſſe, qui de malo exploratum habens, illud tamen ſequitur, & agit.

At id ab Adriani ſententia longè abeſt. Illud enim tantùm præcipit, vt, qui nouit circumſtantias perſonæ, cum qua peccatum conſociat, eas nullo modo taceat: nam ſi taceret, confeſſionis integræ legi minimè ſatisfaceret. Atqui non in eadem cauſſa is eſt, qui circumſtantiam quampiam perſonæ conſortis in ſcelere ſine culpa ignoraret. Vt, qui ſtuprum offerens virgini, neſciret eam aut ſuam eſſe conſanguineam, vel affinem. Etenim cùm Adrianus de perſonæ circumſtantiis diſſerere cœpiſſet in tractatu de confeſſione, quæſt. 4. quæ incipit. Quartò quærendum eſt. §. Venio nunc ad inueſtigandum de
„ circumſtantiis, hæc ſcribit: Fortè obiicies,
„ tria illa, puta inceſtus, furtum, & adulte-
„ rium, ſunt vnicus actus interior volunta-
„ tis: ergo ſatis eſt confitenti, ſi alterum ex-
„ primat confeſſori. Conſequentia patet:
„ quia vnico illorum expoſito nullum pec-
„ catum prætermiſit.
„ Reſpondeo, & ſi vnum ſint in opere,
„ ſiue in eſſe naturæ, tria tamen ſunt, & di-
„ ſtincta ſecundùm ſpeciem moris, vt puta
„ trium diſtinctarum prohibitionum tranſ-
„ greſſiones, videlicet prohibitionis furti,
„ inceſtus, & adulterij: hic enim in confeſ-
„ ſione oportet quodlibet illorum expo-
„ nere. ex quo ſequitur neceſſe eſſe in con-
„ feſſione exprimere, an ſcienter quis mor-
„ tale peccatum operatus ſit, vel contra
„ dubium conſcientiæ; cùm addit ſpecia-
„ lem deformitatem, vel aliud genus pec-
„ cati. Hactenus ille.

Sed qui prudens, malum ſcelùſve molitur, non adfert peccato nouum genus peccati, vel ſpecialem deformitatem, ſeu circumſtantiam mutantem ſpeciem, vt ſuprà demonſtratum eſt: quare circumſtantia rectæ conſcientiæ ſine vllo crimine, aut culpæ nouæ periculo in Sacramento pœnitentiæ præteriri poteſt.

In regulari caſuum reſeruatione ex Decreto Clementis VIII. Pontif. maximi nonnulla dubitata.

QVÆSTIO XXXIV.

IN caſuum reſeruatione qua omnes regulares deuinciuntur, præſcripta à Clemente VIII. duo ſunt certa: Alterum eſt, cunctos Prælatos religionum, poteſtate priuatos eſſe, reſeruandi ſibi caſus, niſi fortè aſſentiente Capitulo generali, cùm caſus proponendi ſunt toti ordini; vel Prouinciali, cùm tantùm Prouincialibus Religioſis ſunt edendi: Alterum eſt, totam reſeruationem his vndecim caſibus eſſe comprehenſam. 1.

I. *Veneficia, incantationes, ſortilegia.* II. *Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento: quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij ſeu Conuentus egreſſio fiat.* III. *Nocturna ac furtiua, è Monaſterio ſeu Conuentu, egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.* IV. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* V. *Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.* VI. *Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.* VII. *Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, aut Conuentus.* VIII. *Furtum de rebus Monaſterij ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* IX. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.* X. *Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.* XI. *Malitioſum impedimen*

Digitized by Google

dimentum; aut retardatio, aut apertio literarum à ſuperioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad ſuperiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura diſcuſſione & conſenſione. Hæc eſt forma vniuerſa reſeruationis cunctis ordinibus Religioſorum à Clemente VIII. excogitata, & imperata.

2. Quæ verò in hac reſeruatione addubitari poſſunt, hæc ſunt. Primum. An reſeruentur peccata ſolùm, quę lethale vulnus infligunt animæ. Reſpondeo, hæc tantùm reſeruari. Namque à nobis in priore libro de caſuum reſeruatione concluſum eſt, materiam reſeruationis eſſe culpam mortiferam: Nam leuem, nec quiſquam cogitur deferre ad iudicem Sacrarum confeſſionum, neque ad iudicem reſeruationis; cùm nec Eccleſiaſticam diſciplinam, nec moralem iuſtitiam magnopere lædat; nec ſine huiuſmodi culpa cuiuſquam vita mortalis traduci queat.

Sed obiicies, retardationem literarum ad ſuperiores numerari in caſibus reſeruatis à Clemente VIII. Nocturnus etiã egreſſus è Monaſterio, eſt in hac caſuum reſeruatione: Atqui fieri poteſt vt nec criminoſus ſit exitus nocturnus; & retardatio ipſa literarum, flagitio vacet. Reſpondeo, hæc ambo tunc verè reſeruari, cùm animi improbitatem, & ſcelus habent adiunctum.

Secunda dubitatio eſt: num lapſus carnis opere conſummatus intelligatur quoduis peccatum carnis in actum exteriorem erumpens; quamuis nullam aliam perſonam ſociam habeat. Exiſtimo, locutum eſſe Romanum Pontificem de iis etiam flagitiis carnis, quæ in ſe quiſque admittit. Qui enim conuenit, vt fornicatio ſit reſeruata, & non voluntaria mollities, quæ eſt ſceleratior, cùm à Theologis cenſeatur vnum ex his peccatis quæ ſunt contra naturam?

Tertia dubitatio: cùm actiones quædam externæ eiuſmodi ſint, vt ſtatim præ ſe gerant improbitatẽ, vti eſt adulterium, ſtuprum, inceſtus, interfectio hominis iniuſta, multáque alia ex eodem genere; ſint etiam actiones nonnullæ, quæ non cõtinuò teſtari poſſint animi prauitatem; in quo genere ſunt verba maledica, quæ impetu iracundiæ elata non habent perniciosam animi labem: Quæritur, an eiuſmodi actiones, quamuis diuina naturalique lege prohibeantur, peccata euadãt reſeruata; niſi ad eas improba animi electio acceſſerit. Arbitror nõ euadere; quia iam dictum eſt, veniale peccatum à iure reſeruationis remotum eſſe.

Poſtrema dubitatio vtrùm in hac reſeruatione à Romano Pontifice tradita regularibus, locus ſit peccatis mortiferis, non quidem certis, ſed dubiis. Si non opinionis arbitrio, ſed veriſimili coniectura, probabilique ratione quærere licet Pontificis maximi voluntatem; illum à religioſorum Prælatorum poteſtate caſus abiunxiſſe dubios, hæc quinque fidem facere poſſunt. 3.

Primùm, quòd eius prudentiæ erat in hac reſeruatione id explicare, ſicut eum feciſſe videmus in eo decreto, quo reuocantur priuilegia abſoluendi à caſibus, qui ſedi Apoſtolicæ reſeruantur: præſertim in Bulla Cœnæ: In eo enim decreto propriè cauetur de caſibus non modò certis, ſed etiam dubiis; quod non ratione nulla factum eſt: nam quæ ſibi reſeruat ſedes Apoſtolica, grauia ſunt, & ferè cum excommunicatione coniuncta.

Deinde. Quia, ſi peccatum quod non eſt æterna morte dignum, non poteſt eſſe materia reſeruationi ſubiecta, neque par eſt, vt mortale peccatum incertum reſeruetur.

Accedit tertia ratio; quia onus confitendi & audiendi confeſſiones nimis accideret moleſtum, atque odioſum.

Quarta ratio. Quòd Romanus Pontifex ſubditis Religioſis quàm ſuperioribus

Digitized by Google

maluit eſſe conſultum: quare eius benignitati maximè conueniebat, vt peccata, quæ culpæ mortiferæ certam notam non gererent, à Prælatorum Religioſorum Tribunalibus ſemouerentur.

Poſtremò. Quia ſicut cuiuſdã pernobilis Religionis Prælatus, à ſuo iure culpas lethales non certas voluit eſſe ſeiunctas; ſic putandum eſt eaſdem Romanum Pontificem reliquarum religioſarum ſodalitatum Prælatis detraxiſſe.

Quòd iuſta pœnitentia pœnitenti impoſita ab eo recuſari non poſſit.

QVÆSTIO XXXV.

1. QVi in pœnitentiæ Sacramento petit ſe à Sacerdote abſolui, potéſtne pœnam ab eo ſibi conſtitutam recuſare? aut ſuſceptam non dependere? Quod ipſi toties, & publicis ſcholis, & ſcriptis, & reſponſis declarauimus, hic item ſentimus: eum, qui animi ſui vulneribus mederi vult pœnitentiæ Sacramento, cogi eam pœnam perſoluere, quæ ſibi claue non errante à Sacerdote infligitur.

Non ſum ignarus, in contrariam ſententiam non contemptiſſimos iſſe Doctores, vt Scotum in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. vnica, & diſt. 18. & 19. Gabrielem in 4. d. 16. quæſt. 2. dub. 1. Caietanum quæſt. 2. de ſatisfactione. Medinam C. de confeſſione, q. 41. quæ eſt de pœnitentia iniuncta acceptanda. Sylueſtrum, in verbo, Confeſſio, primo, §. 25. & 26. Angelum, verbo, Confeſſio, primo, §. 36. Armillam, in verbo, Confeſſio Sacramentalis, num. 29. Nauarrum, in Summa, cap. 3. de ſatisfactione, Hoſtienſem & Panormitanum in cap. ſignificauit. de pœnit. & remiſſ. Quã nos opinionem, cùm nullo tempore aut probabilem, aut tutam, tum poſt Concilij Tridentini decreta periculi plenã eſſe cenſemus: namque cum generaliũ Conciliorum ſanctionibus, cum magnorum Theologorum auctoritate, cum ratione deniq; mirè cõfligit. Ordiamur à Cõciliis.

Concilium Lateranenſe, cui interfuit Innocentius III. vt liquet ex cap. Omnis 2. vtriuſque ſexus, de pœnitentiis & remiſſ. iubet omnem vtriuſque ſexus fidelem, qui doli ſit capax, ſingulis annis ſemel ſaltem proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata; in Paſchate Euchariſtiam ſumere; & iniunctam pœnitentiam propriis viribus adimplere: at verba hæc tria, *confiteri, ſuſcipere, adimplere*, eius, qui confitetur, neceſſaria officia præ ſe gerunt.

Lateranenſe Concilium, cui Leo X. præfuit, præcipit, vt qui Deum, diuóſque contumelioſis verbis inſectantur, in foro conſcientiæ abſolui non poſſint, *niſi* (verba ſunt Concilij) *grauiſſima pœnitentia ſeueri confeſſoris arbitrio iniuncta*: at blaſphemiæ reus Sacerdotis abſolutionem ſine ſcelere contemnere non poteſt: ergo nec pœnitentiam.

Concilium Florentinum, vbi præcipit de pœnitentiæ Sacramento; Pars, inquit, » pœnitentiæ, ſatisfactio eſt ſecundùm ar- » bitrium Sacerdotis. At, quæ doctrinam » attingunt Sacramentorum, & rationem quemadmodum à Chriſto ſunt inſtituta ac tradita, non ad liberam cuiuſque voluntatem, ſed ad neceſſitatẽ, cogentémque legem referuntur: vt immutare, aut minuere quidquam, ſit ſcelus omnino.

Sed nimirum Tridentini Concilij verba huius, quam refellimus, ſententiæ defendendæ facultatem omnem præcidũt: nam in ſeſſ. 14. cap. 8. quod eſt de ſatisfactionis neceſſitate, & fructu, his verbis præcipit Sacerdotibus: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & » prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate cri- » minum & pœnitentium facultate ſalutares » & conuenientes ſatisfactiones iniungere: » ne, ſi fortè peccatis conniueant, & » indulgentiùs cum pœnitentibus agant, » leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis » delictis iniungendo, alienorum pecca- » torum participes efficiantur. Habeant au- »
tem

» tem præ oculis, vt ſatisfactio, quam impo-
» nunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſto-
» diam, & infirmitatis medicamentum, ſed
» etiam ad præteritorum peccatorum vin-
» dictam, & caſtigationem: nam claues Sa-
» cerdotum non ad ſoluendum dumtaxat,
» ſed & ad ligandum conceſſas etiam anti-
» qui Patres & credunt, & docent. & can.
» 15. ſi quis dixerit, claues Eccleſiæ eſſe datas
» tantùm ad ſoluendum, non etiam ad li-
» gandum: & propterea Sacerdotes, dum
» imponunt pœnas confitentibus, agere
» contra finem clauium, & contra inſtitu-
» tionem Chriſti, anathema ſit.

Ex quo canone ſic licet argumentari. Finis clauium, & Chriſti inſtitutio id exigit, vt pœnitentibus pœnæ in Sacramento pœnitentiæ imponantur: ergò hunc finem, & hanc Chriſti inſtitutionem peruertere, nec Sacerdoti, nec pœnitenti, nec vlli humanæ poteſtati licet.

Veniamus ad Theologos, magno inge-
3. nio excellentíque doctrina claros: cum quibus ſi comparentur ij qui in altera parte collocati ſunt, haud magni inſtar momenti habeant. Richardus de ſancto Victore, quem Thologi tamquam magiſtrū agnoſcunt, cuius dicta magiſtralia appellat D. Thomas, in Tract. de poteſtate ligandi & ſoluendi cap. 8. pœnitentem lege neceſſaria ſatisfaciendi Sacerdotis arbitrio his verbis oſtendit eſſe adſtrictum. Pœnitentem namque à debito damnationis D E V S abſoluit ſub tali conditione vt eum oporteat, prout poteſt, Sacerdotis abſolutionem quærere, & ad eius arbitriū debito more ſatisfacere: nam ſi facere neglexerit, periculum æternum non euadit. Magiſter ſententiarum eamdem ſententiam tradidit in 4. diſt. 18. & D. Thom. omnibus his locis in eamd. d. 18. & in additionibus q. 18. art. 3. & in 3. par. q. 80. art. 2. vbi his verbis locutus eſt.

Requiritur ex parte pœnitentis primò quidem voluntas compenſandi, quod fit per contritionē: Secūdò, quòd ſe ſubijciat arbitrio Sacerdotis loco D E I, quod fit per confeſſionem. Tertiò, quòd recompenſet ſecundùm arbitrium Miniſtri D E I, quod fit per ſatisfactionem: & ideo contritio, confeſſio, ſatisfactio ponuntur partes pœnitentiæ. Et in 4. d. 16. q. 1. art. 1. q. 2.

Recompenſatio, inquit, pœnitentiæ tribus gradibus perficitur, quorum primus eſt, diſplicentia culpæ præteritæ, aliàs non ſponte ad ſatisfactionem accederet; & hoc per contritionem perficitur. Secūdus eſt, vt culpas ſuas notificet D E O, per Sacerdotem: aliàs non ſe ad recompenſationem ſecūdùm arbitrium eius, in quem peccauit, offerret: Et quantùm ad hoc eſt confeſſio. Tertius eſt, vt recompenſet Deo ſecundùm arbitrium Sacerdotis, & ad hoc eſt ſatisfactio. & d. 17. q. 3. art. 3. q. 4. Cùm Sacerdos non abſoluat niſi ligando ad aliquid faciendum, ille ſolus poteſt abſoluere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum obligare.

Quid obſecro poterat D. Thomas ad 4.
ſuam ſignificandam ſententiam illuſtrius adferre? Et in 2. 2. quæſt. 67. artic. 1. docet ſententiam iudicis eſſe veluti legem ad ſingulare factum admotam: quemadmodum lex generalis vim habet cogendi, ita etiam, inquit, ſententia iudicis debet habere vim coactiuam, alioqui iudicium non eſſet efficax, & in 4. ſent. d. 19. qu. 1. art. 1. ad q. 3. de clauibus. *Iudicium dici non poteſt, niſi vim coactiuam habeat.* Quis autem ignorat, ea, quæ exercet in Sacramento pœnitentiæ Sacerdos, poteſtate iudiciaria exercere? In hoc ipſo non hæſitaſſe Alexandrum Halenſem, fidem faciunt ea, quæ reliquit in 4. p. ſummę q. 24. membro 4. art. 5. Eamdem ſententiam arripuit Durandus in 4. d. 20. qu. 1. & 2. Sed planiſſimè d. 17. q. 3. ad. 2. Richardus in 4. d. 18. art. 1. q. 5. Paludanus in 4. d. 20. quæſt. 1. art. 2. & q. 2. art. 3. & quæſt. 1. art. 2. affirmat, quemlibet Chriſtianum ad ſatisfaciendum cogi arbitrio Petri. Maior in 4. diſt. 17. quæſt. 2. Almainus d. 18. quæſt. 1. art. 2. in fine hanc ait eſſe opinionem antiquiorum. Victoria quæſito 209. Sotus in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 2. Melchior Canus in 5. par. relect. de

Digitized by Google

pœnitentia fermè in extremo. Petrus Soto, Lect. 2. de pœnit. Ledeſma 2. 4. qu. 20. art. 3. Roffenſis art. 5. contra Lutherum.

5. Vrgeamus nunc idem rationibus. Prima ratio. Sacramentum pœnitentiæ, vt probat Gabriel in 4. d. 19. quæſt. vnica, eſt Sacramentum iuriſdictionis: hinc fit, vt non quilibet Sacerdos ius dicere queat in hoc Sacramento. Sed is duntaxat, qui ad poteſtatem ordinis adiunctam habet poteſtatem iuriſdictionis, vt omnes Catholici docent, & credunt: Verùm *iuriſdictio ſine coercitione, nulla eſt*. ff. de Officio eius cui mandata eſt iuriſdictio. l. poſtrema, & cap. paſtoralis, de officio iudicis delegati: ergo ſi Sacerdos in Sacramento pœnit. iuriſdictione vtitur, vim puniendi, & coercendi rei habeat neceſſe eſt.

Confirmatur hæc ipſa ratio. Fidei Catholicæ articulus eſt, Sacramentalem abſolutionem Sacerdotis actum eſſe iudicialem, ex can. 9. ſeſſ. 14. Concilij Tridentini: ſed iudicium dici non poteſt, inquit D. Thom. in 4. d. 19. quæſt. 1. ar. 1. ad q. 3. niſi vim coactiuam habeat; quare Sacerdos pœnitentem cogere poteſt ad pœnam ſuſcipiendam, & ferendam.

Secunda ratio. Nemo ſibi eſt iudex, vel ius ſibi dicere debet. *In re enim propria*, inquit lex, *iniquum admodum eſt alicui licentiam tribuere ſententiæ*. L. vnica. C. ne quis in ſua cauſa iudicet: ergo valde iniquum eſt, vt in iudicio, quo à pœnitente pœna iuſtè repetitur, eius auctoritate qui Sacramenti præeſt iuriſdictioni, reus ipſe de pœna, eiuſque loco, aut tempore arbitretur.

Tertia. Nihil habet rationis, vt ciuilium capitaliúmque cauſſarum iudices à ſæculi Principibus dati, imperio cogere poſsint reos ad ea præſtanda quæ iudicij æquitas poſtulat; & idem non poſsit Sacrarum Confeſsionum iudex, qui Dei perſonam ſuſtinet, in eo præſertim iudicio, in quo de ſumma rerum agitur.

Quarta. Ab eo Deus exigit Satisfactionem, & compenſationem iniuriæ, à quo offenſus eſt; & cui impartitus eſt Sacramentum pœnitentiæ & reconciliationis: Sed totus homo offendit DEVM; & toti homini, non animæ tantùm largitus eſt Sacramentum reconciliationis: ergo à toto homine exigitur ſatisfactio; ſed in purgatorio non viuit totus homo, ſed eius tantùm anima: ergo hic Deo pendere debet pœnam, ac ſatisfactionem. Sacramentalis namque ſatisfactio, quã præſtat anima Deo in purgatorio, longè diuerſa eſt ab ea quam à toto homine Deus exigit in Sacramento pœnitẽtiæ. Adde, quòd ſicut in purgatorio ſatisfacit anima arbitrio Dei: ſic in hac vita voluit totum hominem ſatisfacere arbitrio Sacerdotis.

Quinta & poſtrema ratio. Pœnitentiæ Sacramentum conſtat eſſentia, & integritate; & vtrũque habet à Chriſto, & vtrũque eſt iuris diuini: Sed integritatis pars eſt ſatisfactio, non item eſſentiæ, vt cunctis ſuffragiis decernitur à Theologis: ergo non eſt in poteſtate cuiuſquam hominis, integritatem hanc violare: Violaretur autem, ſi is, qui ſua peccata confitetur, recuſaret à Sacerdote iniunctam pœnitentiam, eámque poſt hanc vitam reſeruaret: ergo id pœnitenti non licet.

De Iubilæo.

QVÆSTIO XXXVI.

CVm ampliſsimæ indulgentiarum largitiones à Romanis Pontificibus Chriſtiano populo proponũtur, valéntne peræquè omnibus, qui præſtant ea quæ à Chriſtianis Chriſti exigit Vicarius. Et qui tribuere debet eleemoſynam ad Iubilæi gratiam conſequendam, conſequatúrne, qui minorem tribuit quàm eius ſtatus & conditio ſuadet. Hæc diſputata ſunt à nobis diligenter in explanatione Iubilæi à Clementi VIII. conceſsi 1592. Pontificatus ſui initio: illudque Auditoribus noſtris perſuaſimus, quamuis pleniſsima ſit indulgentia, cui nihil addi poſsit, pœnas nihilominus non æqualiter condonari 1.

vniuer

vniuerſis, qui efficiunt quæ requirit Pontifex; ſed perinde, vt iidem minore maioréve pietate, pœnitentia, & caritate inſtructi, Iubilæi gratiam quærunt: idque præcipuorum Theologorum auctoritate comprobauimus: namque palam negat Altiſiodorus in 4. l. ſuæ Theologicæ ſummæ, tractatu de relaxationibus, quæ fiunt per claues quæſt. 3. quem inſignes Doctores citant, & ſequuntur, euolare eos in cœlum beneficio indulgentiarum, qui non faciunt fructus dignos pœnitentiæ.
„ & in ſolutione ad primũ. In veritate, in-
„ quit, multa promittunt Prælati, quæ non
„ ſoluuntur. Idem ſentit Henricus Gandauenſis quodl. vltim. q. 14. lit. x. cùm ſic ſcri-
„ bit, quantitati ſubſidij & affectus propor-
„ tionaliter reſpondet indulgentia. Idem S. Bonau. in 4. d. 20. artic. 3. quæſt. 6. apud quem extant hæ propoſitiones.

Prima. Indulgentiæ, quantùm eſt ex poteſtate dantis, tantùm valent quantùm promittunt. Secunda. Indulgentiæ non æqualiter valent omnibus; ſed ſecundùm exiſtimationem eius quam habuit vel habere debuit, qui indulgentiam fecit: quam non oportuit exprimere: quia omnes fideles illud debent in cordibus præſupponere, quòd dona, & miſerationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine. Non aliter Adrianus in qq. de Clauibus, in qu. quæ proximè eſt ad illam, quæ incipit: Viſo de excommunicatione. 2. Concl. ſequentis quæſtionis.

2\. Imò rem hanc à ſuperioribus Theologis conſtitutam indignum eſt in dubium vocare; quam ſuis verbis probaſſe videtur Bonifacius VIII. in ſua Extrauagante de Iubilæo, Antiquorum habet relatio: quæ titulo ſubiecta eſt de pœnitentiis, & remiſſ. lib. 6. *Vnuſquiſque tamen* (verba ſunt Pontificia) *plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas illas amplius & deuotius frequentabit.* Scio aliã mentem fuiſſe Paludano in 4. d. 20. q. 4. Sed fruſtra vnius conatus contra tot tantóſque Theologos.

De eleemoſyna impartienda hoc item ex ſenſu & auctoritate grauiſſimorum Auctorum tradidimus in illius Iubilæi explicatione, eam dignam eſſe debere opibus, & facultatibus eius qui impertitur, cæteroqui fructu carere Iubilæi. Sic prorſus docuerunt D. Bonauentura in eamd. d. & qu. Paluda. in eamd. d. & qu. §. quoad 3. Durand. in eamd. 20. d. qu. 20. Maior in eamd. d. q. 1. propoſitione 4. Henricus quodlib. vlt. q. 14. lit. x. Adrianus in poſteriore quæſt. ex iis quæ ſuprà citatæ ſunt. Syluester in verbo Indulgentia nu. 22. à quo citantur D. Thom. ac D. Bonau. Angelus in eodem verbo num. 2. Nec vllus quidem vnus aliter exiſtimare poterit, qui ad veritatem rationẽ reuocabit. Nam Romanus Pontifex, qui indulgentiarum theſaurum diſtribuit populo Chriſtiano, ita diſpenſat, vt DEVM intelligit diſpenſari velle: Deus autem magis benè mereri vult de dignioribus, quàm de minùs dignis; & maiori miſericordia complectitur eos qui maiore miſericordia & beneficẽtia pauperes proſequuntur. Ita monebat Chriſtus apud Lucam cap. 6. *Date, & dabitur vobis: & qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis:* quis autem hominem copioſum & locupletem dare dicat, qui è ſuo ita reſtrictè dat, vt dare minimè videatur?

Verùm enim in harum duarum quæſtionum explicatione duæ item ſe nobis objiciunt difficultates minimè reticendæ. 3.
Prima eſt huiuſmodi; pollicentur Romani Pontifices in ſuis Iubilæis pleniſſimam culparum omnium veniam, iis qui ea perfecerint quæ exiguntur: quî ergo fieri poteſt, vt cùm gradus ſuperlatiuus minus & maius includat, vt vnus maiorem, alter minorem veniam conſequatur? Succurrit argumentum Gloſſę Iubilæi à Bonifacio VIII. in illa Extrauaganti promulgati: & verba illa, *efficacius conſequetur*, dupliciter interpretatur. Primùm, & conſequetur, id eſt, Si è vita exceſſerit, maiorem gloriam aſſequetur; rectiùs dixiſſet, In hac vita maius meritum ad gloriam æternam aſſequetur. Secundò, *efficaciter conſequetur:* id eſt,

id eſt, Pluribus nominibus, ac mediis non ſolū ex opere, vt illa Gloſ. loquitur, operato, ſed ex deuotione operantis. Sed Gloſſa Grāmaticè ac Theologicè errat: Grāmaticè: quia qui nomine vtitur ſuperlatiuo, nihil maius ſignificare eum poſſe arbitratur. Atqui Latinitatis Auctores optimi ſuperlationis nomen comparationis nomine ſæpe auxerunt. Errat ea ipſa Gloſſa Theologicè. Primùm, quia cùm Pontifex loquatur de iis rebus, quas in hac vita efficit Iubilæum, detorquet verba ad id, quod vitam ipſam, vel potiùs mortem conſequitur: Deinde, quia non vidit aliud eſſe pleniſſimam concedi veniam, quantum ex dono & poteſtate dantis, & ex re quæ datur, intelligi poteſt; & aliud, pleniſſimè ab iis quibus datur obtineri.

4. In re pullulum obſcura, exemplis periclitemur minimè obſcuris. DEVS, abſque Iubilæo in Sacramento pœnitentiæ delet ſæpe cum culpa omnem etiam pœnam; ſed, vt hæc tollatur omnis, magna eget caritate, ac dolore; vt illa diluat, minore.

Secundum ſumitur à Phyſiologia. Sol lucem animalibus impertit maximam, & confertiſſimam: at eā à nonnullis aliquo eorum vitio, aut nullo modo participatur, aut ratione, & menſura longè diſpari.

Tertium à ciuili diſciplina. Princeps cunctis ciuibus aquam ex vberrimo fonte largitur, quæ cunctas omnium explere poſſit neceſſitates; ſit autem vitio, & culpa multorum, vt non expleat.

In explanatione ſecundæ quæſtionis hæc hæret dubitatio: ſi locupletis hominis perparua pecunia data egenti, eum beneficio priuat Iubilæi, multorum eſſet peccatorum iteranda confeſſio, qui ritè credunt, & verè ſe ab Sacerdotibus abſolutos eſſe.

Reſpondeo, cùm duo Iubilæum fidelibus præſtet; quorum alterum eſt omnē condonare culpam, accedente contritione, & confeſſione, Sacramentalique abſolutione, quæ aut actu, aut voluntate ab homine contrito vel attrito ſuſcipi debet; alterum, omnem pœnam remouere: primum, tum apud DEVM tum apud Eccleſiam faciliùs quàm ſecundum promeremur. Quare tenuitate eleemoſynæ plenam pœnarum veniam puto impediri, flagitiorum nequaquam. Neque id addubitari poſſet, quando quis eſſet priùs de ſuis peccatis confeſſus, & deinde auara mente & manu dediſſet aliquid pauperibus. Salua ſemper veriore ſententia.

De Iubilæo.

QVÆSTIO XXXVII.

IN Iubilæo præſcribuntur hæc omnia iis qui eius beneficium expetunt; vt ter Eccleſiaſtico more ieiunent; vt ſemel minimùm tres baſilicas obeant; vt aliquam eleemoſynam erogent. Vt DEO pro Chriſtianorum Principum concordia, pro impiorum dogmatū extinctione, pro Chriſtiani nominis gloria, pro ſalutari Romani Pontificis adminiſtratione preces adhibeant: vt de peccatis in Sacramēto pœnitentiæ confiteantur; vt ſacram Euchariſtiam ſumant. 1.

Magna ſæpe altercatione diſceptatum eſt, num hæc omnia facienda ſint ab eo qui reconciliatus eſt DEO: an ſit ſatis poſtremum opus præſtare cum diuinæ gratiæ reconciliatione. Eſt huic quæſtioni propinqua illa altera, num ſuperiora præſtari oporteat non ſolùm ab homine, qui DEO ſit gratus, ſed etiam, qui mereatur in eo, quod ex Iubilæi præſcripto agit.

De priore quæſtione Caietanus in Tractatu de indulgentiis cap. 9. qui Tractatus eſt 11. in 1. volumine, ſcripſit, eum, qui indulgentiam conſequi cupit, caritate ornatum eſſe debere, tum tempore vſus, tum tempore operis, quod iubetur, idque firmis rationibus probat, eamdémque inculcat doctrinam in Tract. 10. de indulgentiis quæſt. 2. Tom. 1. Hadrianus idem ſtatuit quod Caietanus in qq. de Claui-

bus

bus.q.quæ incipit.Sed probabile dubium col.3. à poſtrema.& quæſtione quæ ſequitur.concl.4. Ad hanc ſententię propėdet Henricus Gandauenſis quodlib. vlt.q.14. ſequitur Caietanum Armilla in verbo indulgentia, num.14.

2. Et reuera, qui ordinem verborum D. Thom.in 4.ſent. diſt. 20. quæſt.1.art.5.ad quæſt.2.expendere volet,intelliget,in hāc eamdem ſentētiam eum deductum eſſe. „ Sic enim ille. Tam ſecularibus quā Religioſis valent indulgentiæ;dummodo ſint in caritate; & ſeruent ea,quæ pro indulgentiis indicuntur. Videri, vt priùs de caritate meminerit, quàm de eorum obſeruatione, quæ imperantur? Nauarrus in lib. de Iubilæo, & indulgentiis,notab.17. num.11.& notab.19.num.7.aſſentitur Caietano; & teſtatur ſe huius ſubtilis Theologi permotum rationibus cum eo ſenſiſſe. quamquam in notab.19.tandem deſerit Caietanum, & ad eos deficit,qui defendunt ad gratiam Iubilæi adipiſcēdam, ſatis eſſe vt poſtremum opus, puta Chriſti corporis ſumptio, à caritate proficiſcatur. Placuit id S. Antonino in 1. par. ſuæ ſummæ. tit.10. cap. 3. §. 5. Syluestro in verbo Indulgentia,num.32.Tabienę eodem verbo num. 5.,vbi citat D.Thomam pro ſe in quodlib.2.articul. extr.in quo articulo nihil eſt eiuſmodi.

Prior ſententia tutior eſt ac verior. Et enim cū à Romanis Pontificibus indicantur Iubilęa,ad DEVM placandum;ad eius iuſtiſſimam iram auertēdam;ad graue aliquam perniciem profligādam;ad aliquod ingens bonum promerendum; quis animum inducere poteſt,vt credat non velle Eccleſiam,vt ea, quæ iubet DEO offerri, ieiunia, preces & cętera,offerantur ab iis, qui nec Deo ſunt perinuiſi?nec quibus eſt diuinum numen infenſum?

3. Ad ſecundam quæſtionem reſpondēt Adrianus & Nauarrus; opus quod neceſſariò requiritur ad indulgentiam aſſequēdam,debere eſſe meritorium.Nam in prima quæſtione, earum,quæ cōmemoratæ ſunt, inquit Adrianus, abſurdum eſt, vt quis dicatur peccato indulgentias mereri: in quo ſapienter loquitur hic Doctor: ſequeretur enim eodem tempore mereri, & demereri;quæ ſunt ἀσύστατα. Eiuſdem ſententiæ aſſectator eſt Nauarrus in iiſdē locis, quæ nos indicauimus.

Probabilis ſanè ſententia, quamuis videatur paullò durior; ſi moderatius quid in vtriuſque quæſtionis enodatione dicendum eſſet,Ego dicerem:Tempore Iubilæi ad flagitiorum veniam deprecandam, & conſequendam, ſatis eſſe voluntatem perficiendi omnia quæ in Iubilæo numerantur: dummodo ad voluntatem accedat contritio, ſiue attritio in Sacramento pœnitentiæ, & abſolutionis. Nec opus eſſe omnia ab homine, qui in DEI amicitia permaneat,perfici.Namque quæ DEI eſt benignitas,facilè & celeriter cum homine in gratiam redit: vt autem pœnæ omnis remiſſionem impetret quis,neceſſe eſt ſanè perfici omnia, & non tantùm velle perficere: nec non veriſimile eſt earum rerum perfectionem & à caritate manare debere, & meritum habere adiunctum.

QVÆSTIO XXXVIII.

IObelæi conceſſi orbi Chriſtiano à Clemente VIII. promulgatio in quadam 1.
Italię Ciuitate forte inciderat in maiorem hebdomadam.

Vir pernobilis, tum verbo tum ſcripto me rogauit: vtrúmne ſi in feria quinta Cœnæ Domini Euchariſtiam percepiſſet, eodem tempore, & præſcriptioni Iobelæi & Eccleſiaſticæ legi de Chriſti corpore ſemel in anno in Paſchate ſumendo ſatisfacere potuiſſet.

Reſpondi vtrique rei ſatis illum eſſe facturum, ſi quinta illa feria ſacram ſynaxim obiiſſet, eiúſque ſumptionem tum ad Eccleſiæ præceptū, tum ad Iobelæum retuliſſet. Primū,quia ſicut illo Quadrageſimæ tempore tribus ieiuniis legi Iobelæi, & Eccleſiæ præcepto ſatisfiebat; &

quemadmodum eamdem peccatorum confeſſionem, quæ illa ipſa ſacra hebdomada vſurpata eſſet, Iobelæo, & Eccleſiæ præcepto de cõfitendo, ſatisfactum eſſet: ita vna eadémque ſumptione Euchariſtię, vtriq; rei ſatisfieri poterat. Deinde, quoniã quibus poteſtas ſit Iobelæi intra quindecim dies ſemel potiundi, ij omnes æquo iure eſſe debent: quemadmodum igitur, qui poſt hebdomadam maiorem ipſo Paſchatis die in ſua parœcia ſe corporis Chriſti Sacramento reficiebant, quod Eccleſię legi, & quod Iobelęo debebant, perſoluebant; ſic, qui id ipſum in ſua Parœcia feria quinta maioris hebdomadæ feciſſent, nihil minus præſtitiſſent.

2. Nam Paſchatis tempus, quo Euchariſtiæ perceptio Chriſtianis populis à Lateranenſi Concilio, & Innocentio III. qui Concilio præfuit, præcipitur, in c. Omnis vtriuſque de pœnit. & remiſſ. quindecim diebus contineri, quorum primus eſt Dominicus dies maioris hebdomadæ, poſtremus primus Dominicus dies poſt Paſcha, declarauit Eugenius IV. in Extrauaganti, cuius prima ſunt verba, fide digna: eiúſque meminerunt Nauar. in ſumma cap. 21. num. 45. Tabiena in verbo Communio, num. 7. Caietanus in verbo Communio §. 3. eſt tempus. Armilla tit. eodem num. 3. Qui omnes teſtantur de his quindecim diebus non ſecus numeratis quàm à nobis.

Quæ declaratio quòd fugit Panormitanum, & D. Antoninum & alios nõnullos, aliter atque nunc oportet, ſcripſerunt de tempore, quo ex Eccleſiæ præcepto eſt Chriſti corpus ſuſcipiendum. Namque Panormitanus in cap. Omnis vtriuſque ſexus num. 13. Commentarij, ſcriptum reliquit, tutum fore præcipere Euchariſtiam ipſo Paſchatis die: ſed non violari præceptum, ſi feria quinta ſacræ hebdomadæ, quo tam ſalutare Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt, ſuſcipiatur. Maior in 4. diſt. 17. quæſt. 2. §. contra recidiuum in extremo: Tempus ſeruandæ legis de Euchariſtia ſumenda, ſumit à feria quinta maioris hebdomadæ, vſque ad octauam Paſchatis: non ſecus Syluester in Verbo Euchariſtia, 3. quæſt. 15. ſeu num. 17. D. Antoninus in 2. par. tit. 9. cap. 9. data opera redarguit eos qui credunt ſatisfieri aliis diebus præcepto communicãdi corpori Chriſti, quàm die Paſchatis, & duobus inſequẽtibus. Verùm, vt inquit Ioannes Tabienſis, cunctas hac de re Eugenius IV. diremit controuerſias. Vir igitur ille per illuſtris, ſi in Cœna Domini eo conſilio in ſuæ Parœciæ Eccleſia ſumebat Euchariſtiam, vt, & quæ à Iobelæo requirebantur, & quod ab Eccleſia exigebatur, expleret; quòd ſecũdam Euchariſtiæ perceptionem ad Iobelæum adhiberet, nihil erat: poterat etiam in aliena Eccleſia ſui Parochi voluntate Sacramentum recipere corporis Chriſti, ſiue illa tacita ſiue expreſſa fuiſſet: alterutram enim ſatis eſſe, & Sacerdoti præbenti Euchariſtiam, & ei, cui præbetur, ait Nauarrus in ſumma cap. 21. num. 52.

QVÆSTIO XXXIX.

IN quadam Ciuitate eſt his verbis indulgentia plenaria promulgata, INDVLGENTIA plenaria iis conceſſa, qui nonis Auguſti, Diuæ Mariæ Templum confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramentis expiati, inuiſerint: Siue, vt erat Italicè, *confeſſati, & communicati*. Quæſitum eſt: num qui, Kal. Auguſti, iis Sacramentis vſi erant, de indulgentia eiuſmodi nihil cogitãtes, potuerint eam eiſdem Sacramentis non repetitis adipiſci. Mihi videntur, ob hæc argumenta, illi nec noua confeſſione, nec noua communione eguiſſe. 1.

Primùm. Quia illud à cunctis dici & probari ſolet, perinde valere indulgentias, vt ſonant; ſed ea verba, *confeſſati, & communicati*, nihil aliud indicant, niſi vt, qui indulgentia potiri volunt, de ſuis peccatis confeſſi fuerint, & Chriſti corpori communicauerint: quod ipſum verè præſtiterunt, qui Kal. Auguſti, iis Sacramentis animos

Digitized by Google

animos ſuos procurarunt: ergo conſilium illa ipſa Sacramenta ad indulgentiam referendi, vel iterata confeſſio minimè videtur neceſſaria.

2\. Secundum. Quia quemadmodum ſi indulgentiæ auctor diceret, eam nõ concedi niſi confeſſis vereque pœnitentibus, ac contritis, nouus pœnitentiæ & contritionis ritus minimè requireretur in eo, qui poſt confeſſionem non in aliquod ſcelus lapſus eſſet; ſic nec noua confeſſio ad eam rem, qua de agimus, videtur neceſſaria.

Tertium. Quod maximè is optat, à quo indulgentia manat, illud eſt; vt fideles ſine conſcientiæ pernicioſa labe ad templa adeant: atque illic ſuarum pœnarum condonationem nãciſcantur; igitur, ſi quis animum nullo flagitio pollutum gerat, dignus indulgentia exiſtimandus erit; quamuis nullam eius, cùm confiteretur, cogitationem ſuſceperit: nec recentem peccatorum confeſſionẽ inſtituerit.

Quartum. Quoniam cùm plurimæ indulgentiæ, aut ad valuas, aut ad templi parietes affigi ſoleant, hiſce verbis conſignatæ, *Indulgentia plenaria omnibus confeſſis, & qui corpus Chriſti ſuſceperint, tribuitur in hoc templo orantibus, atque eleemoſynam largientibus*; plurimi, qui in aditu ſolùm templi, indulgentiæ illo ſcripto admonentur, indulgentiæ forent expertes, finiſque indulgentiæ, qui eſt pia eleemoſynarum largitio, planè concideret.

Quintum. Opus item eſſet, vt quilibet laicus, atque etiam Sacerdos qui ſæpe caſu incidit in eiuſmodi non ab ſe antè cogitatas indulgentias, ſecum haberet Sacerdotem, cui confiteri poſſet: quod ridiculum eſt, vt argumentatur Turrecremata in Commentario eorum verborum; Item in Leuitico, de pœnit. d. 1. parte ſeu membr. 7. diſputationis art. 4. n. 81.

3\. Sextum. Hic quoque ſenſus, atque hæc opinio inſidet in mentibus Chriſtianorum hominum, atque mulierum: nam cùm quampiam ingrediuntur Eccleſiam, in qua indulgentiam collocatam vident; quæ iis promittitur, qui pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta obierint, putant, ob præteritam confeſſionem, & communionem frui ea ſe poſſe, dummodo exequantur reliqua; quæ omitti non poſſunt.

Septimum & poſtremum. Quia peruagata eſt, & communis doctorum opinio: verbis illis *confeſſis, & verè pœnitentibus*, quæ adhiberi paſſim ſolent, quum indulgentię enunciantur, non imperari nouam confeſſionem, ſed eam ſatis eſſe, quæ fit iure ab Eccleſia cõſtituto. Sic prorſus docet Paludanus in 4. ſent. d. 20. quæſt. 4. art. 3. concl. 1. ſic Diuus Antoninus in 1. part. tit. 10. ca. 3. §. 2. citans Paludanum, eiuſque verba tantùm recitans, locum non indicans. ſic Panormitanus in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. num. 21. Commentarij. Sic Roſella in verbo Indulgentia num. 22. ſic Tabienſis eod. tit. §. 17. ſeu num. 18. ſic Armilla. eod. tit. ac num. ſic Syluester eod. Verbo, num. 20. Vbi ſcribit ſic declaratum eſſe in Concilio Conſtantienſi: his enim verbis is loquitur, & ſic fuit reſponſum, & declaratum in Concilio Conſtantienſi; ſicut habetur in quodam libello ſcripto manu reuerendi quõdam Patris fratris Ioannis de Galophia ordinis prædicatorum, viri docti, & veridici; cuius declarationis eſt item teſtis Felinus, vt refert Nauarrus in tract. de indulgen. & Iub. notab. 18. num. 8. in quo notab. tametſi communem fatetur hanc eſſe ſententiam, is tamen ab ea receſſit: quia vult, eum, qui exitialis culpæ ſibi eſt teſtis, de ea confiteri debere, priùs quàm indulgentiæ fructum percipiat: quã tamen confeſſionem non exigit ab eo qui à poſtrema in Dei amicitia permanſit: idque à ſe ſcribit ſæpius fuiſſe reſponſum.

Ita Nauarrus in hac, quæ diſceptatur, controuerſia, à nobis facit omnino. Atque id omne, quod ſenſit ac ſcripſit in eo notabili Nauarrus, ante eum ſcripſit Ioannes Turrecremata in ea verba, item in Leuitico, diſt. 1. de pœnit. memb. 7. explanationis art. 4. num. 80. & 81. &, quod ipſi dicimus, non eſſe opus iterare confeſſio- 4.

nem ei,qui poſt extremam à peccati mortiferi contagione animum integrum conſeruauit; affirmat ipſe,& confirmat egregiè Angelus, in verbo Indulgentia, num. 17. communem hanc opinionem piam appellat:qui tamen tutius eſſe ſcribit,pœnitentiæ Sacramento inſtructum ad indulgentiam accedere:quod ipſum ſuadere tum viris tum mulieribus nos quoque remur eſſe valdè ſalutare:id etiam ſuadet Syluester in Verbo Indulgentia num.20. communis ſententiæ multos proferens teſtes.Etenim cùm contritio neceſſaria ſit iis qui indulgentiæ fructum capere volũt; ſit autem paucorum contritio; tutum eſt pœnitentiæ Sacramento illam ſeu quærere,ſeu compenſare. Sed tamen nos, qui nec ſapientia,nec ſanctitate,nec auctoritate interpretandi ac decernendi cum Concilij Conſtantienſis patribus ſumus vllo modo conferendi,eorum in hac cauſa interpretatione & diiudicatione contenti eſſe debemus, quoties mens indulgentiam cõcedentis minimè dubia aliud prorſus ſignificet.Namque,cùm ea vel latet, vel eſt ambigua; illam ex communi Doctorum ſenſu eruemus.

QVÆSTIO XL.

1. NVm panis è frumento,& aqua factitia,ſiue non naturali,concretus, vera poſſit eſſe materia in conſecratione corporis Chriſti, percunctati ſunt multi, ac diſſeruerunt non pauci:qua de re ipſe cõſultus reſpondi, eiuſmodi panem nec legitimam, nec veram eſſe materiam cõſecrationis:quamuis ætate D.Thomæ, & Alexandri Halenſis,de hoc ipſo in vtramque partem probabiliter diſceptaretur; vt ex eorum ſcriptis liquet.

Caietanus in tertiam partem D. Tho. q.74.art.7. philoſophatus eſt,panem è farina,quæ aqua roſarum ſubacta ſit,& è farina,quæ aqua ſit naturali cõmiſta, vnius eiuſdémque ſpeciei eſſe: nã putat aquam non eſſe partem ad panis eſſentiam pertinentem, ſed materiam, vt is loquitur, tranſeuntem; &, dum panis coquitur, euaneſcentem; nec non, ex aquæ,& farinæ commiſtione, propter coctionẽ quidpiam tertium generari.Id quod verę Phyſiologiæ ratio,meo quidem animo, ferre videtur ægerrimè. Si enim aqua admiſta farinæ,cùm conglutinatur, & pinſitur,in concalefacto furno deletur,quid tandem illud eſt quod panem continet? facítque ne partes dilabantur? dices, humor. Sed quiſnam humor? nimirum ille, qui, cum aqua,farinę admiſcebatur,& efficiebat ne farinæ partes diffluerent.

Id etiam quæro, maneát ne ſubſtantia eadem aquæ, quamuis fuerit calore furni attenuata: negabit Caietanus. Ergo humor, qui eſt accidens à ſubiecto ſuo naturali ac proprio in alienum migrauit:quod nimium eſt philoſophiæ, ac veritati contrarium: neque continebit ſubſtantia accidens,ſed hoc illam cohibebit.

Ad hæc, ſi in miſtis planè naturalibus incolumis ſeruatur elementorum ſubſtantia, quemadmodum à multis, & claris, & priſcis, recentibúſque philoſophis, tum probabiliùs tum veriùs defenditur; quantò veriùs id erit in eo miſtorum genere,quod non natura ſed ars molitur,ex quo genere eſt panis,quo alimur? Ac licèt Aſtenſis Durandiúſque ordinis minorum Caietani ſententiæ plauſiſſe dicantur; apud nos tamen multorum aliorum valere debet auctoritas,qui ingeniis, & doctrina magis abundarunt.In quorum numero princeps eſt D. Thomas tum in 3. p. q.74.art.7.in reſp.ad 3. tum in 4.ſent.diſt. 11.qu.2. art.4.q.3.hac enim quæſtiuncula, cùm conſtituiſſet aquas, quæ naturales non ſunt, æquiuocè dici aquas,in reſponſione ad primũ argumẽtũ ſcripſit, his verbis: Aqua eſt de ſubſtantia panis, & non eſt de ſubſtantia vini. Quare aqua non naturalis ſi admiſceretur vino, non obeſſet conſecrationi,ſed obeſſet conſecrationi panis, & id illic ſecutus eſt tamquam probabilius:at hoc idem tamquam ſolum verum tradit in 3.part. citato loco,vbi ſic.

Quia

» Quia verò admiſtio aquæ ad farinam eſt
» de neceſſitate huius Sacramenti, vt pote
« conſtituens ſubſtantiam panis; ſi farinæ
» admiſceretur aqua roſacea, vel quicun-
» que alius liquor quàm vera aqua, non
» poſſet ex eo confici Sacramentum: quia
» non eſt verus panis. Hæc ibi S. Doctor.

2. Dixit eandem ſententiam Alexander Halenſis in 4. p. quæſt. 10. memb. 4. art. 1. §. 5. verſu, quod concedimus. Sed addit, ſine præiudicio tamen. Scotus in 4. ſent. diſtin. 11. quæſt. 6. ait requiri aquam elementarem, quia ſic Chriſtus inſtituit: & quia hoc pane eſt vſus: & quia pane, quo vtimur, quum ad ſacrificium adhibetur, meliùs indicantur qualitates nutrimenti ſpiritualis, quod Euchariſtiæ præbet Sacramentum. Non ſecus ſenſit Richardus in eandem diſtin. art. 2. q. 2. Paludanus in eandem diſt. 11. q. 1. art. 6. concl. 5. è farina, & aqua vera ſubſtantiam panis effici affirmat. Id ipſum ſcripſit Turrecremata in Canonem, in ſacrificando, diſt. 2. de conſecrat. Commentarij ſui, art. 4. Eandē ſententiā probat Durandus in eam ipſam diſt. q. 4. num. 8. vbi ait, panem, qui eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ, debere eſſe vnius rationis, ſecundùm ſpeciem, & non ſecundùm genus. Diuus Antoninus in 3. part. tit. 13. cap. 6. ante §. 1. idem perſuadet: Tum, quòd Chriſtus panem aqua naturali confectum creditur conſecraſſe: Tum, quòd Apoſtoli, qui conſecranti Chriſto adfuerunt, hunc modum tradiderunt: Tum, quòd ſe Chriſtus vero pani veróque vino comparauit: Tum, quòd eiuſmodi panis & vinum, rectiùs, vt placet Eccleſiæ doctoribus, effectus Sacroſanctæ Euchariſtiæ declarat.

Sotus in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 6. verſu, Tertio arguitur: exagitat Caietani opinionem, & communem Theologorum approbat. Syluester, in verbo, Euchariſtia, quæſt. 1. ſcribit, materiam Euchariſtiæ panem debere eſſe naturali aqua confectum, ſecundùm S. Thomam, & omnes Sanctos. Tabiena, in verbo, Euchariſtia, quæſt. 14. cum Diuo Thoma, & communi doctorum ſenſu conſentire ſe profitetur. Idémque profitentur Roſella, in verbo, Euchariſtia, 2. num. 3. & Angelus eod. verbo, tit. 1. nu. 7. & ſumma Confeſſorum lib. 3. tit. 24. q. 102. & Supplementum in verbo Euchariſtia, tit. 2. §. ſeu quæſt. Quid ſi panis. Armilla, in verbo, Euchariſtia, num. 6. & 11. Toletus, in Summa de inſtructione Sacerd. lib. 2. cap. 25. & ſanè præter illas rationes, quæ à Scoto Diuóque Antonino expoſitæ ſunt, ea eſt Diui Thomæ, Paludani, Turrecrematæ, quorumdámque aliorum ad veritatem firmiſſima.

Quòd panis is, quo communis hominum vita ſuſtinetur; & qui ſimpliciter, contritóque vocabulo panis nūcupatur, ita aqua naturali eget, vt ſine ea huius panis natura cohærere non poſſit. Quę ratio licèt Caietano ſit imbecilla, affirmanti, panem eſſe rem quamdam tertiam ab aqua & farina ſeiunctam, nos tamen ſecus in ea re opinandum eſſe ſuprà oſtendimus. Etenim ſi pani veram detrahas aquam, & humano ingenio factam ſubdas; feceris quidē panis genus quoddam: non qui abſolutè, ſed cum adiunctione, panis appellandus ſit. A Chriſto verò panem, quo ferè veſcūtur homines, in ſuum ſanctiſſimum corpus, conſecratione verſum eſſe dubitare nō poſſumus. Adde, quòd Chriſtus nihil non verum, tum in materia tum in forma Sacramentorum vſurpari voluit: at aqua è quolibet miſto expreſſa, non eſt vera aqua: ergo conſecratio corporis Domini, ſine vera aqua conſiſtere nequit. 3.

Poſtremò, ad hunc modum Turrecremata aliique nonnulli argumentantur. 4.

Baptiſmus, quod Sacramentum eſt neceſſitatis, naturali aqua ſublata conſtare non poteſt: ergo Euchariſtiæ Sacramentum, quod parem neceſſitatem non habet, ſine aqua eſſe non poteſt in carnis Dominicæ ſacrificio. Illud quidem libenter dant cuncti Theologi: Vino conſecrando, aqua vera ſi abſit, id ſanguinis conſecrationi non obeſſe: quia vera & le-

gitima materia huius conſecrationis eſt verum vinum expreſſum ex vuis: & aqua naturalis cum farina veram cõſtituit materiam in alterius ſpeciei conſecratione.

Ita docent aquam naturalem in conſecrando corpore requiri neceſſitate præcepti, & Sacramenti: in conficiendo autem ſanguine, neceſſitate tantùm præcepti. & qui erratione mentis in conſecrando vino illam omitteret, mortiferæ culpæ reus eſſet, ſi erratio è rebus vanis, nec licitis eſſet orta, vt ſcriptum reliquit Albertus Magnus in 4. ſent. diſt. 12. art. 7. eiuſque rei, ſi ſibi contingeret, ait ab ſe ipſum, vti lethalis culpæ pœnam repetiturum.

QVÆSTIO XLI.

1\. MVltorum in re maxima hæſitatio, & non paucorum periculoſa affirmatio, in hanc, quam nunc paro, me quæſtionem trudit. Iampridem enim diſputari inter Theologos cœptum eſt: num panis, qui verbis conſecrationis in corpus Chriſti mutatur, debeat eſſe triticeus, nec ex vllo alio genere frumenti confectus, an ex aliis etiam ſeminibus, quæ frumenti genere cõtineri aiunt, componi queat; ac tamquam legitima veráque materia conſecrationi corporis Chriſti ſubiici.

Controuerſantium doctorũ duo ſunt Theologi antiquitate, & auctoritate principes. Diuus Thomas & Albertus Magnus, eius Magiſter: qui tamen in hac, quæ diſceptatur, quæſtione, quemadmodum in multis aliis, minùs quàm diſcipulus vidit. Tractat quæſtionem Turrecremata Academicè, in canonem, in Sacramento, de conſecratione, diſt. 2. diſputationis ſuæ art. 2. nec quidquam decernit, » niſi hoc vnum, atque his verbis. Hæc eſt » opinio doctorum; quòd ſi ſpelta & far » ſint eiuſdem ſpeciei cum tritico, poteſt ex » illis confici Sacramentum: ſi verò non » ſint eiuſdem ſpeciei, nõ poteſt. In quibus verbis minùs conſideratè poſitum illud videtur, ſenſum eſſe omnium Doctorum, non poſſe confici in ſpelta, & farre, ſi non ſint eius ſpeciei, cuius eſt triticũ: id quod ex reliqua quæſtione cuique promptum erit.

Igitur Albertus Magnus in 4. ſent. 2. diſt. 12. art. 7. ad quæſtionem primam, in ſolutione primi argumenti hanc ſententiam, atque his verbis, reliquit. Dicen- » dum, quòd abſque dubio frumentum » genus eſt, & non ſpecies grani: & habet » ſub ſe triticũ, & ſpeltam. Vnde ſpelta fru- » mentum eſt; & ex ipſa confici poteſt cor- » pus Domini, ſicut de tritico: & hoc nulli » dubium eſt conſideranti granum cum » grano, & panem cum pane. Diuus Bonau. » in 4. diſtinct. 11. art. 2. quæſt. 4. num. 62. huc propendere videtur, vt ex omni pane frumenti, ſiue accidentibus, ſiue ſpecie differat, confici poſſit Sacramentum.

Paludanus in eundem librum ſententiarum, eandémque d. q. 1. art. 4. concl. 2. etiam in farre, ne dum in ſpelta, legitimã materiam Sacramenti corporis Chriſti conſtituit: & vtrumque genus in conſecrationem ſumi affirmat in pleriſque Eccleſiis: quod argumentum is putat, ad hanc perſuadendã ſententiam, omnium eſſe firmiſſimum. Additque Paludanus, vſu compertum eſſe, ex eodem frumento alio quidem anno triticũ natum eſſe, alio verò ſpeltam, ſeu far, vt in agro, inquit, Leodienſi, Parmenſi, & mõte Pompoſiano. Quare hæc tria, triticum, far, ſpeltam, non arbitratur Paludanus ſpecie differre: ideóque ſine diſcrimine in Miſſæ Sacrificio vſurpari poſſe. Sed nemo Theologus, quantum mihi eorum ſcripta peruoluenti animaduertere licuit, eſt licentiùs & periculoſiùs verſatus in hoc genere quæſtionis, Gabriele, Miſſæ canonem interpretante. Lectione enim trigeſima quinta ſumit rem vti exploratam, frumentum vniuocè dici de quouis ſemine ariſtas habente.

Quapropter triticum, ſpeltam, ſiligi- 3. nem, hordeum vniuocè frumenta eſſe: atque ex his omnibus Euchariſtiam confici poſſe. Vnde, inquit, non videtur tu- » tum,

„ tum,ac ſecurum, quemcunque ſcholaſti-
„ cum Doctorem, etiam acerrimi ingenij,
„ ac profundæ ſcientiæ, definire hanc ne-
„ gatiuam, & determinare; quòd panis de
„ ſpelta aut alio vero frumento, nõ eſt apta
„ materia conſecrationis: Cum, vt dictum
„ eſt, ad hoc non habeatur euidens canonis
„ auctoritas: nec diuina reuelatio; nec Ec-
„ cleſiæ determinatio. & aliquot verſibus
„ interiectis hæc ſubiungit: Difficile qui-
„ dem eſt, & fortè impoſſibile, Chriſtum
„ vſum fuiſſe in conſecratione pane triti-
„ ceo. Quæ verba nõ ſolùm ex huius Theologi commentationibus delenda eſſent, ſed ſeuera etiam Eccleſiæ cenſura coërcenda.

Quibus autem argumentis ad ſic opinandum & loquendum adductus ſit Gabriel, poſtea. Ac licèt in ea lectione canonis adducat, ad confirmandam opinionem ſuam, Thomam Argentinam, nihilominus de Argentina in 4. ſent. d. 11.
„ q. 2. art. 1. his verbis teſtatus eſt. Thomas
„ de Argentina conſulit, quòd Sacerdos
„ vtatur pane triticeo. & nimirum in 4. ſentent. magis ſobriè locutus eſt Gabriel, in canonem autem commentarium elucubratus erat, antequam in 4. commentaretur. In ea namque diſt. 11. Magiſtri diſſerens q. 2. art. 1. ſe ipſum citat hac de re in canonis interpretatione diſputantem.

Caietanus in 3. part. D. Thom. interpretationem faciens art. 3. quæſt. 74. haud viſus eſt à Gabrielis commento abhorrere: nam duplicem conſecrãdæ hoſtiæ materiam excogitauit; vnam remotam, alteram proximam: proximam dicit, eſſe panẽ; remotã, ea ex quibus fit panis: quem, contra Scotum, vi ignis, dum coquitur, affirmat generari; & ſubſtantiam quamdam, ſeu formam ſubſtantialem nanciſci, ab iis quæ miſcentur, longè diuerſam: eáque genita res permiſtas deſinere: id quod Philoſophiæ Peripateticæ alumno non facilè Caietanus perſuaſerit. Nam ſi panis ſubſtantialis, forma à formis componentium partium differret, ſine dubio nobilior eſſet quàm forma partium: ergo generans deberet eſſe præſtantius: ita calor ignis decoquentis panem nobilitate vinceret calorem cœleſtem, ſoliſque vim, formam tritici procreantem.

Deinde, vt in quadam alia noſtra quæſtione aduerſus chymiſtas demonſtratum eſt, ignis calor non habet vim formam vllam producendi niſi ignis: perdendi autem reliquas omnes, in eodem eſt facultas inſignis. Adde, quòd ſi calor elixans qui ad naturalem calorem propius accedit quàm ſiccus, non priuat carnem ſubſtantia ſua, dum coquitur in olla; cur priuabit calor furni aqua reſperſam, & ſubactam farinam, dum coquitur in furno, aut alio quopiam vaſe? Denique adorea illa liba, ſeu azymas placentulas, quæ è liquida farina, lati geminíque ferri adurentis & pene candentis, quaſi duarum manuum compreſſu mira celeritate fiũt, quæ à cunctis Sacerdotibus Eccleſiæ Latinæ conſecrantur, quis credat nouas formas ſubſtantiales induiſſe? &, cùm forma tritici ſine conuerſione fermè annua ſolis, ſine tepore terræ, ſine occatione, ſine tot tantiſque agricolarum artibus, & laboribus, ſine opportunis irrigationibus gigni non poſſit, gignetur forma ſubſtantialis, aut panis, aut placentulæ, multo quàm tritici dignior, actione aut concalefacti furni, aut ferri vrentis, idque tempore quàm breuiſſimo illarum candentium forcipum compreſſione?

Quanto igitur rectiùs Scotus in 4. ſen- 5.
tent. diſt. 11. q. 6. his verbis philoſophatus
eſt? Probabile eſt quòd paſta & panis nõ „
differunt ſpecie: quia per decoctionem „
paſtæ in furno vel alio modo ab igne, nõ „
fit niſi exhalatio humoris aquæ commi- „
ſti cum partibus farinæ: & hæc miſtio eſt „
per iuxta poſitionem: talis autem ſepara- „
tio non mutat ſpeciem: quia nec etiam „
miſtio. Nec tamen de paſta poteſt confi- „
ci: quia noluit Chriſtus in Sacramentis „
ſuis iſtam ſubtilem diſputationem de dif- „
ferentia ſpecifica nobis imponere: ſed „
quòd panem triticeum vſualem habere- „
mus communiter pro materia conſecra- „
tionis;

» tionis;vt ſic ſecundùm Damaſcenum lib. » 4. cap. 5. vel 6. illud, quod communiter » conſueuit eſſe nutrimentum corporis, » ipſum, vel ſimile, eſſet nobis Sacramen- » tum inſtitutum ſpirituale. Hæc ille. In cuius oratione atque ſententia duo illa verba (communiter) & (vel ſimile) aliquorum fortaſſe animis errorem poſſent adferre, ad eorum opinionem Scotum adducentium, qui è pane etiam non triticeo Sacrificium corporis Chriſti fieri contendunt: quibus tamen, vt non multo pòſt intelligetur, apertè ſubtilis doctor contradicit. ergo, vt tanti Theologi dicta conſentiant; verbum communiter, vel cum pane vſuali iungendum eſt, vel ad communem ſenſum hominum, & præcipuè Theologorum referendum eſt, vt huiuſmodi reddatur ſententia hac commutatione verborum. Sed quod panem triticeum communiter vſualem, id eſt, quo fere vtuntur homines pro materia conſecrationis haberemus; vel ſic, panem triticeum vſualem communiter, id eſt, communi ſenſu haberemus, ſeu crederemus materiam eſſe conſecrationis. Iam verò vocabulum illud ſimile non declarat in oratione Scoti quidpiam ex alia ſpecie, ſed idem ſpecie, qualis eſt panis cum fermento, quo vtuntur Græci, & quale eſt libum azymum, ſeu placentula fermenti expers, quã retinuit Eccleſia Latina. Vtraq; enim materia eſt ſimilis ſpeciei panis, quo ferè veſcuntur homines.

6. Verumenim non dubitauit Caietanus affirmare, Diuum Thomam, opinando, non ſtatuendo docuiſſe, quod de Euchariſtiæ mat[e]ria docuit: nempe ſibi videri probabile, tum zeam tum amylum, hoc eſt, tam ſpeltam quàm amydum ratam materiam conſecrationis eſſe: in quo fallitur vehementer Sotus in 4. diſtin. 9. quæſt. vnica, art. 3. §. Itaque regula, prope in extremo, de ſpelta aſſentitur iis qui illam agnoſcunt vti veram conſecrationis materiam.

Credunt huius opinionis patroni eam his argumentis non parum firmè ſuſtineri. Primum eſt, quòd Euangeliſtæ non teſtantur niſi de pane: de ſpecie verò panis ſiluerunt: vt indicarẽt in ſacrificio panem cuiuſuis generis, modò frumenti ſit, eſſe ſatis.

Secundum. Quia Eccleſia quæ tam multa ad externum cultum Euchariſtiæ ſpectãtia ſeueris legibus ſanciuit: id quod in noſtro Sacrificio eſt maximum, quódque eius intimam naturam attingit, materiam, inquam, in illud conuertendam, numquam omiſiſſet: omiſit autem; quum nullus de materiæ ſpecie extet canon generalis Eccleſiæ: quare argumento eſt nõ ambiguo, quemlibet panem è quauis ſpecie frumenti idoneam eſſe Sacrificij materiam.

Tertium, Chriſtus comparauit ſe grano frumenti Ioan. cap. 12. Quiuis ergo è frumento panis erit Sacrificio aptus: ergo ex tritico, hordeo, zea, ſiue ſpelta, & farre: nam conſtat hæc ſpecies eſſe frumenti. Iſidorus namque lib. 17. etymolog. cap. 3. propriè frumenta dici ſcribit, quæ ariſtas habent. Plinius autem, naturalis hiſtoriæ lib. 18. cap. 7. initio, triticum & hordeum frumenta nuncupat: & cap. 8. vulgatiſſima frumenti genera ſcribit eſſe far, ſiliginem, triticum: in quo item cap. ſiliginem frumenti delitias appellat: Zeámque, olyram, tiphen nomine cenſet frumenti. & cap. 10. eiuſdem libri: Apud Græcos, inquit, eſt zea: tradúntque eã, ac tiphen, cùm ſint degeneres, redire ad frumentũ, ſi piſtæ ferantur; nec protinus, ſed tertio anno: & cap. 11. in extremo, ex zea pulchrius quàm ex tritico fit granum. & cap. 8. primum antiquis Latio cibum è farre fuiſſe prodit. Nec diſſentit Plinio, Varro de re ruſtica. cap. 48.

Quartum argumentum. Chriſtus vnà 7.
cum ſuis diſcipulis victum vitámque more pauperum colebat. Quare verò eſt ſimilius, non triticeo, ſed hordeaceo pane, aut ex alio frumenti genere vitam tolerauiſſe, diuinámque ſuam carnem, quum Sacrificium inſtituit, conſecraſſe?

Quintum, ſi vis ac diuinitas Chriſtiani ſacri

ni ſacrificij ſine pane è tritico non conſiſteret: re in primis maxima, & quæ in nouæ legis Sacramentis principatum obtinet, innumerabiles Prouinciæ caruiſſent: in quibus hoc genus frumenti non reperitur.

Sextum. Fac, Chriſtum vſum eſſe vino nigro in ſui corporis conſecratione; quod eſt valde credibile: cùm eo vini genere Proũincia Palæſtina abundet; idçóne eorum Sacerdotum, qui Chriſti ſanguini conficiendo vinum ſumunt album (quod fermè cuncti faciunt, Carthuſienſi ſodalitate excepta) non erit vera conſecratio? At vinum album & nigrum ſpecie differunt, vt probat Gabriel in ea can. lectione 35. quum vtriuſque vini ſint diſſimiles proprietates: ſiquidem vinum album laxat; nigrum autem conſtringit. Quòd ſi ſanguinis conſecratio vina ſpecie differentia admittit; cur conſecratio corporis non admittet frumenta, ſeu panes ſpecie differentes?

Septimum & poſtremum eſt eiuſdem Gabrielis, in eadem lectione hiſce verbis ſcribentis: Chriſtus, ſecundùm omnes Doctores, Apoſtolos Sacerdotes ordinauit, dicens ad eos: *hoc facite in meam com-*
» *memorationem*: facite hoc, inquam, quod
» ego feci. Quid autem fecit Chriſtus? acce-
» pit panem, & fregit, &c. dicens: *hoc eſt cor-*
» *pus meum*: ergo Sacerdos hoc ipſum nunc
» faciens, & certa verba proferens; conſe-
» crat, ſicut Chriſtus. Hæc ille.

8. Verumenim ſententia, quæ ſequitur, ſola retineri debet: quæ tum in Latina tũ in Gręca Eccleſia inueterauit: vt in Catholica liturgia, & conſecratione Euchariſtiæ non poſſit adhiberi niſi panis triticeus. Hoc inſtitutum credimus à Chriſto: traditum ab Apoſtolis: ab vtraque Eccleſia, Romana & Græca, ad hanc diem conſeruatum: à Concilio Florentino in fidei regula tradita Armenis definitum: à maioribus, pluribúſque Theologis defenſum. Theologicæ autem huius alæ præfectus eſt Diuus Thomas, tum in 4. ſentent. tum in Summa, in 4. enim d. 11. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. probat, materiam Euchariſtiæ debere eſſe panem triticeum: &, quia Chriſtus ſe grano frumenti comparat: &, quia is panis eſt nutritioni aptior: &, quia panis ſimpliciter enuntiatus, intelligitur triticeus. Atque in eadem quæſtiuncula reſpondens tertio argumento, non vult confici poſſe ex ſpelta, farre, hordeo; nihilque horum trium poſſe vnquam generari ex tritico: eandémque ſententiam iterat in Summa, in 3. p. q. 74. art. 3. ad 2. vbi concedit confici poſſe Euchariſtiæ Sacramentum ex ſiligine: quia in multis terris non bonis ex ſato tritico naſci ait ſiliginem: quam non credit à tritico ſpecie differre. Scotus in 4. ſent. d. 11. q. 6. panem, quem humana vita ſibi conciliauit; & qui fit è tritico, ſtatuit ſolùm poſſe conſecrari.

Durandus in eandem d. q. 4. num. 8. vnius ſpeciei materiam ſic exigit in hoc Sacramento, ſicut in reliquis: probátque debere eſſe ex tritico. Quòd ſi ſpelta & far vnius eſſent cum tritico ſpeciei, non inficiatur, pro materia adſciſci poſſe ad ſacrificium. Idem quod Durandus, ſcripſit Richardus in eandem diſt. art. 2. q. 2. Maior tantùm triticum concedit materiæ huius Sacramenti, excluſa etiam ſiligine, in eandem diſt. 11. q. 4. in vetuſtioribus Codd. Alex. in 4. p. q. 32. memb. 4. in antiquis, ſed in recentibus libris quæſt. 10. memb. 4. art. 1. §. 3. requirit triticũ, quamquam zeam vel ſpeltam non reiicit: quia putat eſſe eiuſdem ſpeciei cum tritico. Victoria in libello de Sacram. q. 55. non recipit niſi triticum: atque in alio conficere, affirmat eſſe temerarium: cùm ſolus panis è tritico inſtitutus videatur ad alendos homines. Summa confeſſorum lib. 3. tit. 24. q. 89. opinionem refert vtramque, tum Diui Thomæ tum Alberti, ſolam D. Thomæ præ ſe ferens & præferens. Diuus Antoninus in 3. p. tit. 24. cap. 6. ante §. 1. diſtinguit ante factum, & poſt factum, ſeu ante & poſt conſecrationem: ante conſecrationem, cenſet ſequendam eſſe ſententiam S. Thomæ; poſt conſecrationem,

L Palu

Paludani, vt etiam ex ſpelta & farre con-
fici poſſit. Gerſon in tractatu de Floribus,
cap. de Euchariſtia, è tritico tãtùm panem
poſuit in conſecratione corporis Chriſti.
Roſella, in verbo, Euchariſtia 2. num. 1.
ſpeltam & far repudiat. Syluester, in ver-
bo, Euchariſtia, tit. 1. q. 1. triticeum panem
neceſſarium eſſe his verbis oſtendit. Pri-
„ mò verò quæritur, quæ ſit materia huius
„ Sacramenti, in quantum ſumitur per mo-
„ dum cibi; ſeu in quantum continet per
„ modum Sacramenti corpus Chriſti tan-
„ tùm: & dico ſecundùm S. Thomam &
„ communiter omnes Sanctos, quòd eſt
„ panis triticeus, aqua naturali confectus.
Angelus, in verbo, Euchariſtia, num. 2.
„ Neque, inquit, in farre, neq; in ſpelta po-
„ teſt confici, neque in ſiligine, ſed in ſolo
„ triticeo, ſecundùm Scotum, & commu-
niter Theologos. Tabiena, in verbo, Eu-
chariſtia, numer. 5. legitimam materiam
ſcribit eſſe panem è tritico: & num: 8. do-
ctrinam D. Thomæ ait eſſe communem
& ſequendam: vt Euchariſtiæ Sacramen-
tum fieri nequeat ex ſpelta, farre, hordeo;
poſſe autem è tritico & ſiligine.

9. Hanc opinionem D. Thomæ tenen-
dam eſſe dicit Armilla eodem tit. num. 1.
Vega in Theologicis inſtitutionibus opi-
nionem dumtaxat D. Thomæ amplexus
eſt, cap. 16. §. 3. verſu 1. Tolerus, in 2. libro
c. 25. de inſtruct. ſacerd. in tritico tantùm
& ſiligine conſtituit materiam Euchari-
ſtiæ: vult autem, ſiliginem ſelectum eſſe
frumentum; quod ante ipſum eius Ma-
giſter ſcripſit Sotus, in 4. diſt. 9. q. vn. art. 3.
probátque ex Iſidoro lib. 7. c. 3. Etymol.
ſiligo enim idem valet quod ſelectum.
Petrus Sotus, in inſtitut. lect. 2. de Euchar.
fermè in principio, communem ſenten-
tiam Doctorũ & Eccleſiæ his verbis ſub-
„ ſcribit: Proculdubio ad veritatem Sacra-
„ mẽti huius panis triticeus neceſſarius eſt;
„ ita videlicet tota Eccleſia ſemper intelli-
„ gente; quòd panem, quo communiter
„ vtuntur homines, Chriſtus in vltima Cœ-
„ na ſumpſerit in manus: atque ità illum in-
„ ſtituit materiam huius Sacramenti, ipſum
conſecrans: quo certiſſimum ſit, ex nulla „
alia materia panem confectum ſufficere „
ad veritatẽ huius Sacramenti, vt B. Tho. „
inquit, & omnes d. 8. 4. verùm, cùm di- „
cit, *omnes*, non puto ab eo intelligi vete-
res omnes interpretes, ac Theologos: &
pro octaua diſtinctione exiſtimo ponen-
dam eſſe vndecimam.

Pergit idem Petrus Sotus: In quo, ſicut „
in præcedentibus Sacramentis diximus, „
tenenda ſunt certa & relinquenda incer- „
ta. Vnde, quamquam ſint diuerſæ ſenten- „
tiæ Doctorum de ſpelta, farre & ſimilagi- „
ne; hoc primum eſt certum, vtentem ma- „
teria dubiâ & incerta, grauiter peccare „
quocumque modo id fiat, ſiue ſcilicet ex „
natura, & ſpecie ipſa, ſiue in corruptione „
dubium oriatur. Hactenus Petrus. Sed „
locum hunc, quem tractamus, præclarè
conficit Catechiſmus Romanus ad Paro-
chos quàm breuiſſimè de materia Eucha-
riſtiæ, hoc modo præcipiens.

Sed quemadmodum nullus panis niſi 10.
triticeus apta ad Sacramentum materia ”
putandus eſt: hoc enim Apoſtolica tradi- ”
tio, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritas fir- ”
mauit, &c. Denique Concilium Floren- ”
tinum in decreto fidei traditæ Armenis.
Tertium, inquit, eſt Euchariſtiæ Sacra- ”
mentum, cuius materia eſt panis triticeus. ”
Neque eſt pars hæc ab argumentis inops.
Primum enim tum M. Tullius, tum vete-
res, qui Latinè, & propriè locuti ſunt, fru-
mentum & triticum, frumentarium pa-
nem & triticeum pro eodem vſurparunt.
Vulgus item, cùm panem dicit è frumen-
to, panem è tritico intelligit. Deinde, quia
quilibet alius panis ſine additamento nõ
dicitur panis. & qui panem coqueret, &
venalem proponeret, aut è zea, aut è far-
re, aut ex hordeo, cogeretur efferre panẽ
cum ea materia, è qua eſſet, ne fallerentur
emptores. Tum in ſumma caritate anno-
næ nunquam factitatum vidimus in Ro-
mana Eccleſia, neque in aliis, quæ eius
ſunt imitatrices prouinciis, vt in alia ma-
teria quàm tritici, Chriſti corpus conſe-
craretur: ſecus autem feciſſent, ſi fieri po-
tuiſſet.

tuiſſet. Poſt panem Angelorum, & cœleſtem, & quo ſuorum fidelium animas ali Chriſtus conſtituerat, quis credat fieri voluiſſe ex iis terræ ſeminibus, quæ cibaria ſunt propria belluarum, quale eſt hordeum, zea, ac non potiùs ex eo ſemine quod vnum ſibi homines ad conficiendum panem reſeruarunt?

11. Ad extremum, Albertus Magnus, in 4. ſent. d. 12. art. 7. teſtatur, quæſtionem de ſpelta ad ſedem Apoſtolicam delatã aliquando fuiſſe; iudicatúmque eſſe illam hordei ſpeciem eſſe; in quo hordeo non poteſt confici Sacramentũ corporis Chriſti. Ac licèt nitatur Albertus ſententiæ huius Apoſtolicæ auctoritatem dupliciter eleuare, vtrumque modum reticendum tamen puto, tanti viri parcens ſapientiæ atque religioni.

12. Ad deiiciendam verò ſeptem contrariorum argumentorum machinam ſunt hæc pauca tenenda. Fatendum eſt, Euangeliſtas, de qualitate panis ſiluiſſe: ſed, quod in conſcribenda Euangelica hiſtoria prætererierunt, voce & facto Eccleſiæ vniuerſæ tradiderunt.

Neque dicendum eſt, de ſpecie panis non fuiſſe quidquam ab Eccleſia ſancitũ; cùm eius generalis & peruetus conſuetudo grauiſſimæ ſanctionis vim habeat: &, cùm extet luculentum ea de re Florentini Concilij decretum: quod aut fugit Gabrielem; aut, ſi vidit, diſſimulauit. Fatemur quoque, frumenti nomen, impropriè & latiſſimè ſumpti, non ſolùm ad hordeum, far, & zeam permanare; verùm & ad milium, panicum, aliáque non pauca ſemina. Nam Plinius, lib. 18. initio, c. 7. fruges in duo leguminum genera partitur, in frumenta, inquam, & legumina. Quare fruges omnes, quæ legumina non ſunt, frumenta ſunt, auctore Plinio. Verùm, ſi propriè ſumatur frumentum, vltra triticum non progreditur. & qui ſine adiunctione frumentum nominat, nec is, qui loquitur, aliud ſignificat, quàm triticum: nec, qui audit, aliam ſpeciem ſeminis aut animo aut cogitatione informat, quàm tritici. Quod nos dicimus, confirmat magnum Lexicon Græcum: docet enim, πυρὸν, id eſt, frumentum, propriè vſurpari, ἀντὶ σίτου, id eſt, pro tritico. & nimirum, σίτῳ ſe Chriſtus comparauit. Ioan. c. 12. hoc eſt, tritico.

Quamuis autem Chriſtus rationem victus & cibi, qui pauperis eſſet, ſectaretur, non eſt eidem rationi non conſonum pane etiam tritici non ſolitum veſci: aut eius generis panem tunc ei defuiſſe, cùm apud patrem illum familiàs, in cuius domo erat Cœnaculum grande ſtratum, extremam cum diſcipulis ſuis Cœnam ageret: panémque humani corporis alimentum in ſuum ſanctiſſimum corpus, quod ſpirituale noſtrorum animorum futurum erat nutrimentum, diuina ſua vi, atque incomprehenſa poteſtate conuerteret. 13.

At enim multæ orbis terræ Prouinciæ carent tritico. Reſpondeo, multo plures carere balſamo: quod cum oleo miſtum veram efficit Sacramenti confirmationis materiam ex communi ſententia Theologorum. Ac materiam confirmationis eſſe chriſma ex oleo, & balſamo confectum, per Epiſcopum, benedictum, definiuit Concilium Florentinum, ſub Eugenio IV. Commutetur igitur Confirmationis materia; quia balſamum per paucis Prouinciis orbis terræ conceſſum eſt. Dices, ideo non eſt Sacramentum neceſſitatis, vt ſine eo conſtare ſalus homini non poſſit. Idem reſpondebitur tibi de Sacramento Euchariſtiæ. Verùm, quia nulla regio Chriſtiana ſacrificio carere debet; importato tritico ſubleuari poteſt: quo nunc orbis nouus affluit.

Chriſtiani enim Sacerdotes apud Iaponios populos, à noſtro orbe immenſis terrarum, Oceaníque ſpatiis diſiunctos, ſemper ſunt in ſacrificando tritico vſi: cuius frumenti erant eæ nationes ante noſtrorum Sacerdotum ad eas aduentum prorſus expertes. Atqui, argumentatur Gabriel, tam in albo quàm in nigro vino perfici Sacramentum; quæ vina, vt is credit, ſpecie interſunt. Probandum eſſet 14.

 vtrum

vtrumque vinum ſpecie differre. Imò verò, inquit hic Theologus, differentia ſpecifica perſpicua eſt ex effectis: nam album laxat, nigrum verò vinum adſtringit. At ipſe Gabrieli dixero, non id oriri è qualitate, quæ diſcrimen indicet ſpeciei, ſed cuiuſdam tantùm temperationis, ſubſtantiam, ſiue ſpeciem vini non immutantis: quandoquidem vtraque illa qualitas eſt in duobus vinis albis quàm in vno albo & altero nigro interdum inſignior: album enim vinũ paulo acerbius, multo vehementiùs ſtomachũ & aluum adſtringit; quàm nigrũ dulce, præſertim, ſi tenuioribus ſit partibus, & dilutis; dilutis inquam non aqua, ſed vacuitate feciũ.

Sed nonnulla eſt Chriſtiani populi prouincia, ſiue regio, quæ panem non ex tritico, ſed ex alio frumenti genere conſecrat: Reſpondeo, non quod vna aliqua Prouincia, ſeu Eccleſia, in ritu Sacramentorum facere aſſueuit, conſiderandũ eſt, verùm id quod Romana Eccleſia cunctarum magiſtra, & nutrix obſeruat & facit, imitandum & faciendum eſt.

15. Quòd verò Chriſtus cùm dixit; *hoc facite in meam commemorationem*, oſtenderit ſe de genere panis non fuiſſe ſollicitum; miror, Gabrielem, hominem non tardo ingenio, non animaduertiſſe totum argumentum in ipſum poſſe conuerti. Si enim in imitatione eius quod fecit Chriſtus, ſacrificij noſtri vis, & ſumma conſiſtit, ſanè, cùm Chriſtus non ſolùm conſecrationis verba protulerit, ſed certam etiam materiam, quam in ſuum corpus transformaret, in manus ſumpſerit; eamque materiam, panem fuiſſe triticeum, tum ratio tum Apoſtolorũ traditio, tum Eccleſiæ conſuetudo, tum communis ſenſus Theologorũ, tum generalis Concilij ſententia, declararit; nempe ex facto Chriſti intelligimus, ſpecie tritici excepta, quamlibet aliam è ſui corporis ſacrificio ſemouendam eſſe.

* * *

QVÆSTIO XLII.

NVm vna liturgia, ſeu Miſſa Chriſtia- 1.
ni Sacerdotis, tantumdem multis, quantũ vni valeat; & num Sacerdos, qui ſingulis ſingulas promiſit Miſſas, vna ſatiſfaciat; quæri paſſim, & in ſingulos dies diſceptari ſolet. Equidem fateor, me dubitanter & diffidenter vtramque hoc tempore quæſtionem attingere; quam toties & in publicis meis ſcholis, & in quotidianis conſultationibus iuſtis de cauſſis dimittendam mihi eſſe cenſueram. Sed vbi à tam multis interceptam & tractatam eſſe animaduerti, ipſe quoque eruditiſſimis auctoribus inductus arripui; ne res tanti ponderis, ac tantopere expetita in hiſce meis reſponſis deſideraretur.

Illud verò huius diſputationis principio profiteor, in ambabus controuerſiis nihil meæ ſententiæ me eſſe dicturum: ſed rem vnamquamque grauium Theologorum conſignatis auctoritatibus conſtituturum. Porrò, hominibus harum rerum ſtudioſis cum primis gratum me facturum ſum ratus, ſi, quinam hoc toto de genere Theologi conſulendi ſint, breuiter indicaro.

Hi ergo fuere præcipui, in quorũ ego 2.
doctrina percipienda & excutienda ſententia ſum multos dies magna cura, acri ſtudio, ac ſedula lectione verſatus: à quibus haurire cæteri poterunt. Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. c. 2. & c. 6. & ſeſſ. 25. cap. 4. Concilium Conſtantienſe, ſeſſ. 8. condemnatione erroris 19. Catechiſmus Romanus de Euchariſtiæ Sacramento, præceptionis parte poſtrema. D. Thom. in 4. ſent. d. 12. art. 2. quæſtiunc. 3. & diſt. 45. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. 2. & 3. & in 3. par. q. 79. art. 5. & quidem in diſt. 45. 4. ſent. Diuus Bonauent. art. 2. q. 3. tum Richar. art. 2. q. 3. tum Durand. q. 3. tum Palud. q. 2. art. 1. conc. 1. & art. 2. conc. V. Scotus quodlib. 10. art. 1. 2. & 3. Altiſiodor. in ſumma Theologica, lib. 4. tract. de ſuffragiis, q. 3. Gerſon in libello de ſolicitu-

dine

Digitized by Google

dine Eccleſiaſticorum part. 21.30.31. Turrecremata in cap. non mediocriter, de conſecrat. d. v. D. Anton. in 1. part. ſummæ tit. 10. cap. 2. §. 3. Adrianus quodlib. 8. art. 3. Gabriel in canonem Miſſæ lect. 26. & 27. Maior in 4. diſt. 45. quæſt. 3. Sotus in 4. d. 11. quæſt. 2. art. 5. concl. 4. & diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & in 9. lib. de iuſt. & iu. quæſt. 2. art. 2. ſed idem auctor fatetur ſe in 4. retractatiùs de eadem re ſcripſiſſe, & quæ diſſeruit in 9. de iuſt. & iu. moderatum eſſe: Petrus Sot. in inſtit. Sacer. de Sacrificio altaris lect. 7. 9. De fructu igitur. Caietanus in 3. par. quæſt. 79. art. 5. & in 2. Tom. opuſculorum. Tract. 3. de celebrat. Miſſæ cap. 2. Canus de locis Theologicis lib. 12. cap. 12. Viguerius in inſtit. de Sacram. Euchar. cap. 16. §. 3. verſu 15. Medina C. de oratione quæſt. poſtrema. Corduba in volumine quæſtionum Latinarum quæſt. 3. quo nemo de tota controuerſia copioſiùs diſputauit: duabus enim, & quinquaginta maioribus columnis diſputatio illa continetur.

In ſummarum ſcriptoribus præter Diuum Antoninum; Supplemētum, & Roſella, in verbo ſuffragium, quæſt. proxima poſtremæ, & eadem Roſella, in verbo Miſſa, quæſt. item quæ hæret extremæ. Syluester, in Verbo Miſſa 1. quæſt. 9. Angelus eod. tit. num. 52. Tabiena in verbo reſtitutio §. poſtremo. Nauarrus in ſumma cap. 25. num. 92. citans ſeipſum in cap. Viſum. de conſecrat. diſt. 1. & in cap. non mediocriter, de Conſecr. diſt. v. & in Enchiridio de orat. cap. 20. num. 77. verùm numerus in meo Codice eſt 48.

Noſtri quoque ordinis quattuor non obſcuri Theologi eamdē quæſtionem illuſtrarunt. Card. Toletus, in 2. lib. de inſtruct. ſacer. cap. 8. Cardinalis Bellarminus controuerſia de Miſſa. cap. 4. Gregorius de Valentia, lib. 1. de ſacrificio Miſſæ. cap. 5. & 6. Suarez in 3. par. D. Thomæ, diſp. 79. ſect. 11. Remoui ab hac cauſſa ſacrorum canonum interpretes: quoniam totus locus eſt Theologicus: nec aliis quā Theologis videtur eius explicatio committenda. Ex horum igitur ſcriptis, atque ſententiis (conciliis, & catechiſmo Rom. exceptis) quæ valde diſtractæ videntur, ſtatui quædam delibare, quæ magis neceſſariam cognitionem habent. Sed tamen placuit veras certáſque notitias ab incertis, & tantū veriſimilibus ſecernere. Ab illis igitur orſi ad has progrediemur.

Prima Notitia apud Catholicos certa 3. ea eſt. Quam hoſtiam in ara lapidea immolant quotidie Catholici Sacerdotes, eſt illa ipſa, quam in Cruce Chriſtus Patri obtulit, idémque offerens. His enim verbis decernit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 2. Vna enim eadémque hoſtia, idem nunc offerens, Sacerdotum miniſterio: qui ſe ipſum tunc in Crucem obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa: Cuius quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur. Et Catechiſmus Romanus de Sacramento Euchariſtiæ folio extremo. Sed vnus etiā atque idem Sacerdos eſt Chriſtus Dominus. Nam miniſtri, qui Sacrificium faciūt, non ſuam, ſed Chriſti perſonam ſuſcipiūt, cùm eius corpus & ſanguinem conficiunt; id quod ex ipſius conſecrationis verbis oſtenditur: neque enim Sacerdos inquit: Hoc eſt corpus Chriſti; ſed, hoc eſt corpus meum, perſonam videlicet Chriſti Domini gerens, panis & vini ſubſtantiam, in veram eius corporis & ſanguinis ſubſtantiam conuertit.

Secunda Notitia itē certa. Præter Chri- 4. ſtum, qui in faciendo eſt princeps Sacerdos, duo item alij offerentes adiunguntur, Eccleſia inquam Catholica, & tam Chriſti quàm generalis Eccleſiæ Miniſter inferior Sacerdos, Petrus, Ioannes, Franciſcus. Neque de hoc trium offerentium numero variatas Theologorum ſententias habemus. Eſt illud autem ſubtiliter obſeruatum à Cano lib. 12. de locis Theolog. cap. 12. Sacerdotem, in oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, nō imitari cauſſas ſecundas, quæ per virtutem à principalibus receptam agunt; qualis eſt aër, qui illuminatus illuminat; & aqua, quæ

ab igne feruefacta calfacit; quibus ipſis attribui ſolet effectus: ſed illas cauſſas adminiſtras, quæ à ſuperioribus, ſeu principalibus ad actionẽ admoueri ſolent; quibus nec opus nec actio aſſign ari ſolet, ſed propriè cauſſis ipſis applicantibus. Ita effectus Sacrificij Chriſto & Eccleſiæ qui ſunt duo principales offerentes, tribui ſolet: vt nec Sacerdotis Miniſtri improbitate impediri, corrumpíve poſſit, quamuis eiuſdem ſanctitate nõ parum adiuuetur. Offert enim, vt inquit Petrus Sotus lect. 7. de Sacrificio Miſſæ, nunc ſemetipſum Chriſtus per Miniſtrum Sacerdotem, & in eò operatur, vt caput in ſuo membro, vt agens principale in inſtrumento, vt dominus in procuratore.

5. Tertia Notitia apud omnes recepta. Sacrificium, vt actio eſt Miniſtri, vel Eccleſiæ pretium, ſeu æſtimationem, fructum quoque finitum habet: quandoquidem quidquid ſeu in Eccleſia ſeu in Miniſtro ineſt, circumſcriptum ac terminatum eſſe oportet.

6. Quarta Notitia verſatur in illa tripartita ratione, quemadmodum mirificum hoc valeat Sacrificium, ſubtiliter explicata à Scoto in quodlib. 20. art. 1. quam rationem poſteriores Theologi amplexi ſunt: etſi Medina C. de oratione, quæſt. extrema, conatus eſt illam argumentis labefactare: quæ non ſunt tanti; vt eum debuerint à communi comprobãtium ſenſu auertere. Sẽtit igitur Scotus, nouæ legis Sacrificium, de quo eſt ſermo, tribus modis valere; generaliſſimè, ſpecialiſſimè, & medio modo: generaliſſimè, toti Eccleſię, ſpecialiſſimè ipſi Sacrificanti Miniſtro ob gratiam gratum facientem, ob probam mentis eius motio nem, & proter rectum opus: &, quod hac ratione cõſequitur Sacerdos, non vult ab eo alteri tradi poſſe ſine culpa: medio modo putat valere ei cui Sacrificium præcipuè applicatur.

7. Quinta Notitia vera ex cõmuni Theologorum ſenſu. Eſt in noſtro auguſto, diuinóque Sacrificio triplex illa poteſtas, quæ in oratione etiam collocatur: vna merendi: altera impetrandi: tertia ſatisfaciendi: atque tertia hæc noſtri Sacrificij maximè videtur propria. Quemadmodum enim Euchariſtia, vt Sacramentum eſt, ad diuinitus alendam animam, ſic ad eamdem expiandam, & purgandam, vt Sacrificium eſt, eſt ab noſtræ ſalutis auctore inſtitutum. Quemadmodum docet D. Thomas in 3. par. quęſt. 79. artic. 5. etenim, cùm ſit hoc ipſum Sacrificium ſuapte natura, ac verè propitiatorium, ex doctrina Patrum, Conciliique Tridentini, ſeſſ. 22. cap. 2. & can. 3. & ratio propitiationis, atque expiationis in pœnæ perſolutione magna ex parte conſiſtat, profectò intelligi nequit, quemadmodum vis expiatrix animorum perſe non reperiatur in hoc Sacrificio. quare Diuus Thomas in 3. par. quæſt. 79. art. 5. prorſus ſcripſit his verbis: In quantum verò Sacrificium habet vim ſatisfactiuam. Ita mihi duorum recẽtium Theologorum eſt per quàm parodoxa viſa opinio; qui noſtro Sacrificio vim ſatiſfaciendi ademerunt: quoniam Chriſtus nunc in cælo extra ſtatum merendi, ſatiſfaciendique æuum agit: perinde quaſi culparum pœnarúmque noſtrarum pretia humano generi nece ſua parta, non cui libuerit, nunc idem Chriſtus partiri impertirique poſſit.

Dupliciter enim quis pro altero ſatiſfacere poteſt: remotè, inquam, & proximè; remotè, ſi pecuniam comparet ad eius nomen diſſoluendam; atque hæc eſt inchoata quædam ſatisfactio: proximè ſi pecuniam ipſe verè ſoluat, accipiatúrque à creditore, ſibique ſatis factum eſſe fateatur. atque hic ſatis proprius eſt modus ſatisfaciendi: id quod fieri in altaris Sacrificio tum ex veterum Patrum monumentis, tum ex decretis Tridentini Concilij, tum ex Theologorum ſcriptis conſtat. 8.

Quocirca Scotus quodlib. 20. art. 2. in extremo ad hunc modum ſcriptum reliquit, principali quæſtionis reſpondens argumento. Secundò dicitur, Quòd iſtud » meritum eſt paſſionis Chriſti, non quòd » Chri

» Chriſtus nunc mereatur:ſed, quia, quando paſſus eſt,meruit, quòd iſtud meritum eſſet ad meritum illud applicabile.At Sotus de triplici modo,quo offerentibus valet Sacrificium hoc, diſſerens in 4.ſent.d. 13.quæſt.2.art.1. §. Iſti ergo omnes. » Merentur, inquit, præterea de condigno augmentum gratiæ non modò per deuotionem,& orationes, quas illic fundunt, ſed etiam virtute operis, ſcilicet ratione hoſtiæ,quã offerunt.Itaque ſicut offerens in gratia panem, & nummos Sacerdoti; & alias largiens eleemoſynas, de condigno meretur augmentum gratiæ; ita, & multò locupletiùs offerendo corpus, & ſanguinem Chriſti: ex quo fit vt illic effectus meriti operantis commiſceatur cum effectu operis operati, id eſt, hoſtiæ,quæ offertur.

» Secundum effectum offerentes adipiſcuntur per modum ſatisfactionis: per illam ſiquidem victimam ſatisfaciunt pro pœnis delictorum : quæ ſibi quoad culpam remiſſa ſunt, & hæc ſatisfactio fit certa,& infallibili lege, ſicut in merito de condigno. nam iſte eſt propriè effectus operis operati,id eſt,hoſtiæ oblatæ.

» Tertiò,aſſequũtur & alios effectus per modum impetrationis ,& ſuffragij, nempe defunctis releuationem tormentorum purgatorij, aut prorſus liberationem:quæ non fit ex rigore iuſtitiæ per modum meriti de condigno ,ſed per modum deprecationis,ſi Deus acceptauerit, & per modum applicationis Sacrificij ad ſatisfaciendum pro ipſis, etiam ſi ſingularem eleemoſynam non reliquerint.

Quòd ſi ambo illi Theologi virtutem impetrandi, & non ſatisfaciendi per ſe in noſtro Sacrificio eſſe contendunt : quia Chriſtus nunc aduocati munere fungitur in Cœlo,cur non itẽ æquã ſatisfaciendi in eodem Sacrificio virtutem conſtituunt, quum idem Chriſtus ſedeat in præſentia ad dexteram maieſtatis, purgationẽ peccatorum faciens, vt teſtatur D. Paulus in epiſt.ad Hebr. cap. 1. quam purgationem ſine dubio peragit condonandis peccatis, & procurandis ſeu expiandis, & ſuæ mortis, & perpeſſionum meritis applicandis.

Sexta Notitia.Omnes tres illi effectus, ſeu fructus,merendi,ſatisfaciendi, impetrandi, tantò ſunt in vnoquoque vberiores,quanto maior eſt fides,religio, & ſanctitas ; idque cuncti diſceptatores recipiunt.

9. Septima Notitia minimè dubia apud Doctores.Sacerdos,qui tribus hominibus tres Miſſas ſpopondit,ſingulis ſingulas,fidem ſuam vnica Miſſa nequaquam liberat, tantóque minus liberaret ſi tres Miſſæ promiſſæ eſſent, vel Spiritus ſancti vel primæ Virginis, vel defunctorum aut huiuſmodi.Etenim cùm in certo numero,& genere contracta eſt Sacerdoti cum tribus hominibus obligatio honeſta, ac iuſta, contra honeſti rationem, probíque viri officium facturus ſit Sacerdos, ſi promiſſi religionem violauit.

10. Octaua. Miſſa ſi ſumatur pro precatione, & pro ratione ceremoniarum à Sacrificio auulſa, multò minus valet multis,quàm vni, præſertim cùm ad peccatorum ſoluendas pœnas adhibetur. Cuncti huic veritati aſſentiuntur.

11. Nona. Suffragia,& Sacrificia ab Sacerdote collata in vnum aliquem, magis pro ſunt ei in pœnarum debito ſoluendo,quã in totum aliquod commune deriuata. Et huic veritati aſſentiuntur vniuerſi qui in aliquo probabili numero ſunt Theologorum.

Et ſanè Concilium Conſtantienſe,ſeſſ. 8.decimum nonum,errorem condemnauit Wicleffi, qui aiebat,orationes, per religionum ſuperiores ad quampiam perſonam applicatas, non magis ei valere, quàm generales, & transfuſas in vniuerſos. Et quamuis illic Concilium loquatur de precibus : nempe de Miſſæ Sacrificio idem dicturum erat ; ſi de illo quoque Wicleffus idem ſenſiſſet : nam contra communem ſenſum ſenſiſſet Theologorum. Conſule D.Thomam in 4. ſent.d. 45.quæſt.2.art.4.q.1.vbi ſcribit,fieri poſſe, loquens de Sacrificio Miſſæ, vt illi ſoli valeat,

leat, pro quo applicatur. verba ſunt eius, ad dimiſſionem, & ſatisfactionem. Vide quæſtiunculam ſecundam eiuſdem articuli; ac Diuum Bonauenturam in eamdem d.art. 2. q. 3. & Richardum in eamd. art.2.qu.3. & Durandum ineamd.qu.3.& Paludanum in eamd.q.2.art. 1.concl.1. & art.2. concl.5. Altiſiodorum lib. 4 ſummæ ſuæ Theologicæ, tractatu de ſuffragiis q. 3.ad vltimum obiectum. Diuum Antoninum in 1.par.ſum.tit.10. cap.2.§.3. Adrianum quodlib. 8.art.3. Turrecrematam in commẽtario Canonis nõ mediocriter, de conſecrat. diſt. 5. quæſt. ſua 2. Scotum in quodlib.20.art.1.&3.Gabrielem in canonem Miſſæ lect.27. his verbis ſcribentem.

» Quantùm ad pœnæ ſolutionem commu-
» nis eſt, & penè omnium ſententia, Miſ-
» ſam vnam non tantùm valere pluribus, ſi
» pro eis ex æquo celebretur, quantùm valeret, ſi vni ſoli vel paucioribus applicaretur : idque auctoritate firmat D.Thomæ: cuius verba deſcribit ex ea q.& art. quem ipſi nunc oſtendimus. Gerſon verò in opuſculo de ſollicitudine Eccleſiaſticorum, particula 21.

» Certum eſt, inquit, Eccleſiæ ſuffragia
» vel ſingularis perſonæ, non tantùm va-
» lere pro mille, aut omnibus, quantùm ſi
» pro vno fiant: nec eſt controuerſia qua-
» liſcumque apud Doctores de ſuffragiis
» ſatisfactionis,& redemptionis.

12. Decima Notitia quæ ipſa communem habet Doctorum approbationẽ, Sacrificia & ſuffragia, quæ non in ſolutum huic illive cedunt ad ſatisfaciendum, ipſa ad ſolatium & gaudium proſunt omnibus,in quibus diuina eſt caritas : ac maiorem in modum proſunt iis quorum eſt caritas erga Deum maior.Sic D.Thom. in 4.diſt. 45.qu.2.art.4. q.1. & in eamdem diſt.tam Richardus art.2.quæſt.3.quàm Dur.q.3.& Palud.q.2.art.1. conc.2.nec non in 1. part. tit.10.cap. 2. §.3. D. Antoninus & Turrecremata in can. non mediocriter diſt. 5. de conſecrat.q. 2.ſua. Supplementum in verbo Suffragium, penultima q.vbi affirmat, D.Thomæ opinionem in hac parte eſſe communẽ;nec ſecus ait ſumma Confeſſorum lib.3. tit.34.q.169.& 170. Adrianus quodlib.8.art.3.in lit.vero.N.ſic concludit.Ex his omnibus dico quòd applicatio orationis per viam ſatisfactionis, minùs prodeſt vni, quum applicatur ſimul alteri:ſed per viam meriti,aut impetrationis,non minùs,quàm ſi pro altero eorum tantùm oratio funderetur:citat & probat Paludanum idem affirmantem : Additque fieri interdum, vt Deus pro nonnullis perditis nos audiat pro vniuerſitate precantes, quos non audiret, ſi pro illis tantùm ſuplices ei preces adhiberemus. Paludanus in 4.d.45. qu.2.art.1.concl.2.& Durandus, & Richardus proximè citatis locis de vno à D.Thom.diſſentiunt.Nam is abſolutè ſcripſit de bono opere vel ſuffragio magis lætari, qui maiore eſt præditus caritate : hi verò affirmant, eum,pro quo aut ſuffragium aut bonũ aliud opus exerceretur,magis lætari, quamuis æqualem habeat caritatem, vel etiam minorem,vt inquit Paludanus.

Ex his duabus poſtremis notitiis qui- 13.
uis intelligere poteſt, Præpoſitiui antiqui Theologi, cõſentiẽtibus cæterorũ Theologorum ſuffragiis, qui D.Thomam conſecuti ſunt, ideo condemnatam eſſe ſententiam, quia is abſolutè, nullâque adhibita diſtinctione,pronunciauit ; perinde valere vni ſoli, vt omnibus; & omnibus iuxta atque vni Sacrificium ipſum atque ſuffragium; vnico argumento, ac duplici ſimilitudine ad eam rem perſuadendam vſus.Argumentum fuit huiuſmodi. Opus ſpirituale communicatur ſimiliter, vt ſpiritus : ſed ſpiritus non communicatur diſpartitus ſed integer, ac totus:ergo pariter affectus ſpiritualis, qualis fructus eſt Sacrificij, atque ſuffragij.

Priorem ſimilitudinem ducebat à funalis candelæve lumine, quæ licèt in domo diuitis ei præcipuè accendatur, nihilo tamen minùs illuminantur reliqui qui intra domum ſunt ; & quorum eſt acies oculorum acutior, ij candelæ faciſve lumine magis quàm herus ipſe, ac diues

fruun

Digitized by Google

fruuntur.

Poſteriorem ſimilitudinem à voce petebat Doctoris; quæ æqualiter ad auditorum aures perfertur, atque eâ quorum eſt maior celeritas mentis, magis erudiuntur.

Huius Doctoris, ac Theologi veteris ſententia approbatorem habere videtur Altiſiodorenſem, priſcum item Theologum. hic enim in 4. ſuæ ſummæ, Tract. de ſuffragiis, quæſt. 3. ad vltimũ obiectum, ſatis laudat Præpoſitiui, quem item nominat, opinionem. Diuus autem Hieronymus minimè obſcuris verbis fauere viſus eſt eidem opinioni, canone, non mediocriter, diſtinct. de Conſecratione V. in quo canone extant hæc verba Hie» ronymi. Melior eſt quinque Pſalmorum » decantatio cum cordis puritate, & ſereni» tate, & ſpirituali hilaritate, quàm totius » pſalterij modulatio cum anxietate cordis, » & triſtitia. Dum igitur pro cunctis anima» bus pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minùs » quàm ſi pro vnoquolibet ipſorum dice» retur, accipitur.

14. Verùm, vt dixi, totus cuneus Theologorum contra Præpoſitiuum conſpirat. Eum enim in 4. ſent. d. 45. explodunt hi omnes: Diuus Thomas quæſt. 2. ar. 4. qu. 1. Diuus Bonauentura, art. 2. quæſt. 3. Richardus, art. 2. qu. 3. Durand. qu. 3. Palud. q. 2. art. 1. concl. 1. Scotus in quodl. 20. art. 1. Gabriel in Canonẽ Miſſæ lect. 27. Adrianus, quodlib. 8. art. 3. Turrecremata in canonem, non mediocriter, de conſecrat. d. 5. Diuus Ant. in. 1. part. tit. 10. cap. 2. §. 3. vt taceantur reliqui.

Ad argumentum Scotus reſpondet quodlib. 20. art. 1. bonum ſpirituale communicari quidem ſine diuiſione quantitatiua, ſed cum diſtinctione numerali. Et » aliquot verſibus interiectis, Non ergo, in» quit, illud bonum ſpirituale realiter per » partes datur, ſed datur in multis bonis » minoribus, quæ reſpectu illius boni habẽt » partialem valorem. Hæret in hac ſolutione Scoti Gabriel lectione 27. in canonem Miſſæ, ac pene in iiſdem inſiſtens verbis littera M. Medina verò in C. de oratione quæſt. 20. fermè in principio, negat bonum ſpirituale iuxta atque ſpiritum diuiſionis expers eſſe. Spiritus enim adeo indiuiſibilis eſt, vt nequeat per partes communicari: bonum autem ſpirituale diuiſibile eſt, & partitionem admittit. Nam & bona collata vt caritas, & cæteræ virtutes diuiſionem ſaltem graduum & intenſiuam habent: & remotio mali ac pœnæ ſpiritualis partitionem non excludit.

Ad exempla candelæ & lucis, vocis & doctrinæ, reſpondet Diuus Thomas in d. 45. quæſt. 2. art. 4. q. 2. ad 1. Habere diſſimilitudinem cum ſuffragis, quando vſurpãtur vt ſatiſfactiones quædam: nam lumen & doctrina proſunt per modum actionis: at ſuffragia valere inquit per modum ſolutionis debiti. Richardus autem in eamd. d. art. 2. q. 3. & Dur. q. 3. reſpondent, in exemplis diſparẽ eſſe rationem: quòd lumen candelæ & vox docentis communicãtur ex neceſſitate naturæ; at ſuffragia, ex eius qui ſuffragatur, intentione, ac libera voluntate. Diuus autem Bonauent. art. 2. quæſt. 3. ſic. Dicendum, inquit, quòd « illud non eſt ſimile: quia illuminatio to« tam ſpeciem rei viſæ defert ad oculum; & « ſimiliter lectio totam ſimilitudinem vo« cis: ſed non ſic eſt in ſolutione. Quamuis « enim duo creditores æqualiter poſſint, & « ſimul videre vnum aureum; non tamen « poteſt æqualiter ſolui duobus. Scoti re« ſponſio eſt egregia quodlib. 20. art. 1. lit. G. « Quando, inquit ille, ſunt multæ partes æquè diſpoſitæ in eadem ſphæra, æquè illuminantur; ſed remotioris ſphæræ partes minus lumen recipiunt. Iam in propoſito ſubiungit Scotus, duo illi, pro quibus « oratur, non ſunt partes vnius, quod ſit ſu« ſceptiuum adæquatum boni reddendi « virtute orationis, ſed vtrumque ſuſcepti« uum adæquatum. «

Canonis verò Hieronymiani, nõ mediocriter, multiplex eſt à viris doctis excogitata interpretatio. Duplicem attulit Gloſ« ſa in eum ipſum canonẽ, Vel hoc, inquit « illa, referas ad ipſum celebrantem: quia « tantùm valet ei, vt Miſſam celebret pro «

M centum,

„ centum, ſicut pro vno. vel referas hoc ad „ caſum, in quo canon loquitur, ſcilicet, „ quòd non minùs valet vna Miſſa cum hi- „ laritate mentis dicta pro centum, quàm „ ſi pro quolibet diceretur cum anxietate. Priorem interpretationem ſecutus eſt D. Bonau. in quarto ſent.d. 45.art.2.q.3.Scotus quodl.20.art.1.lit.G. magis acquieſcere videretur in poſteriore: vt etiã Gabriel in canonem lect.27.lit. N.Durandus in 4. d.45.qu.3. veram ait eſſe ſententiam Hieronymi,in orationibus, quæ non ex vi ſatisfactionis, ſed caritatis conſolantis animas fidelium ad eas peruenit: quæ expoſitio ſumpta eſt è D.Thoma; cui ſuffragãtur quàm plurimi. Richardus in eamd.d. ar.2.quæſt.3.ait,D.Hieronymum non ſuã, ſed alienam prompſiſſe ſententiam. Omniũ veriſſima expoſitio eſt poſtrema illa quam inuenit Gloſſa; & ex ſententia D.Hieronymi prorſus eruta.

15. Vndecima Notitia. Cùm ſint eiuſdem Sacrificij tres offerentes, Chriſtus, Eccleſia, Sacerdos. Et cùm Chriſtus tum Eccleſia fructum applicent Sacrificij, Sacerdos applicationi cuius auctor eſt Chriſtus & Eccleſia, incommodare non poteſt, immo illi obſequi omnino deberet, vt rectè admonet in inſtit. Viguerius de Sacram. Eccleſiæ cap.16.§.3.verſu 15.vide Sylueſtrum in Verbo Miſſa 1. qu. 9. Chriſtus quibus, quótve fructum ſui applicet Sacrificij nos latet. Eccleſia primùm applicat ad cunctos fideles vniuersè. Deinde, ad Romanum Pont. reliquóſque Antiſtites. Tum ad eos, qui adſunt ſacrificanti Sacerdoti: Denique, ad eos, pro quibus offerunt iidem qui circumſiſtunt. Suam quoque & propriam portionem capiunt, qui Sacrificium faciendum curarunt: & ſuam, qui miniſtrant Sacerdoti, & Miſſæ cultui præcipuam nauant operam, aut canendo, aut thura incendendo, aut cereis deferendis, ſiue vrceolis, ſiue alio ritu. Horum omnium generum partem, ſeu fructum nec tollere, nec minuere Sacerdos poteſt.

De variis his generibus applicationum, præclarè Scotus in quodlib. illo 20. art. 2. agnoſcens in eodem Sacrificio multiplices applicationes, quæ in poteſtate ſunt Sacerdotis, primas, ſecundas, tertias, quartas, quintas, ſextas, aliáſque deinceps.

Duodecima Notitia, quam in dubium 16. reuocare non licet. Etiamſi vnumquodque Sacrificium ex inſtitutione Eccleſiæ & Apoſtolorum pro cunctis offeratur defunctis; tamen cùm pro certo quopiam illud Deo exhibet Sacerdos, poſſe eum eximi pœnis purgatorij, & re ipſa ſæpe eximi credendum eſt: alioqui fruſtra ſuffragia ab Eccleſia ſpecialia inſtituta eſſent. Illud verò quod Paludanus in 4. d.45.qu. 2.art.2.concl. 4. & D.Anton. in 1.part.tit. 10.cap.2.§.5.ex Altiſidoro referunt, nullum fieri Sacrum, quo non plures animæ è pœnis emergant purgatorij & liberentur, ſicut hi duo magni auctores non ſunt auſi improbare, ita nec mihi rectum putaui oppugnare. Certè quidem Nauarrus libro 5. Conciliorum, tit. de priuilegiis, conſ. 21. in fine affirmat nullam eſſe Miſſam, per quam non minuatur aliquo modo purgatorij pœna. Iam verò pergamus commemorare, quæ in hoc genere, de quo diſceptatur, probabilia ſunt, ac opinata.

Primum probabile. Huius non cruenti 17. Sacrificij virtus, ac fructus, non videtur eſſe tantus, quantus eius, quod in Cruce cum totius ſanguinis effuſione à Chriſto factum eſt: nam huius non cruenti effectus terminatus eſt, certiſque finibus circumſcriptus. Sic D.Bonau.in 4.ſent.d.45. art.2. q. 3. in reſponſ.ad vltimum, ac valde communis videtur eſſe opinio: ad quam abiiſſe videtur D.Thomas in eamd.d.qu. 2.art.4.q.2. Suffragium, inquit, habet finitam efficaciam, ergo diſtributum in multos, minùs prodeſt ſingulis, quàm prodeſſet ſi fieret pro vno tãtùm. Maior, in eamdem q.3. Scotus quodlib.20.art.2.& art.3. eiuſdẽ quodlib. in extrema: Virtus Sacrificij, inquit, non adæquatur valori eius, qui continetur in Sacrificio: ſed correſpõdet alicui merito in Eccleſia, non etiam adæquatur merito paſſionis Chriſti. Ga- „
briel

briel in canonem Miſſæ lect. 27. fructum vult eſſe finitum ex inſtitutione diuina. Petrus Sotus in inſtit. de Sacrificio Miſſæ » lect. 7. §. De fructu igitur. Conuenit, in» quit, inter omnes, quòd non ſit infiniti » valoris; additque licèt ſit finiti valoris » quoad ſe, tamen quoad nos eſſe infiniti, » nec fructu, quem præcipit vnus, minui » fructum alterius. Ac nimirum ſi opinio communis valorem Sacrificij pro fructu, quem in fidelibus gignit, ſumit, inter certas notitias referri debet: quòd ſi pro dignitate, pretio, atque æſtimatione acciperet effectum, ſeu fructum, opinionis dumtaxat probabilis locum obtineret. Syluester in Verbo Miſſa 1. q. 9. intelligit opinionem communem de fructu, ſeu effectu, qui Sacerdotis affectui reſpondet, non item affectui offerentis Chriſti. Sed nimirum non res eadem eſt Sacrificij, effectus, ſiue fructus, atque eiuſdem valor, ſeu dignitas.

18. Eſt igitur ſecundum probabile. Sacrificium noſtrum, quà rem oblatam continet, & quà actio eſt offerentis Chriſti, infiniti eſt pretij, ſeu valoris. Propterea quòd in eo caro & ſanguis Chriſti diuinitati vnita, offeruntur Deo, & Chriſtus offerens eſt Dei Filius, ſuppoſitum diuinum cuius eſt dignitas infinita. Ergo valor eſt infinitus, quod ad ſufficientiam attinet. Hoc probabile ſecundum, tamquam exploratam veritatem ſecuti ſunt Caietanus in 3. p. q. 79. art. 5. & in 2. tom. opuſc. Tract. 3. de celebratione Miſſæ. Canus de locis Theologicis libr. 12. ca. 12. in ſolutione X. argumenti. Sotus in 4. d. 11. q. 2. art. 5. conc. 4. Viguerius in inſtit. de Euchariſtia cap. 16. §. 3. verſu 15. Syluester in Verbo Miſſa 1. qu. 9. in quam opinionem trahit etiam Angelum. Caietanus ſententiam hanc omnino vult eſſe D. Thomæ. Diuóque Thomæ & Caietano eam tribuit Nauarrus in ſūma c. 25. n. 92. Ac ducē huius opinionis prębuiſſe ſe videtur D. Tho. tū in 3. p. q. 79. art. 5. tum in 4. diſt. 45. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2. Hic enim perſpicuis verbis in Sacrificio agnoſcit virtutem infinitam, ſed determinatum effectum, ad quem ordinatur. Eiuſdem ſentētiæ videtur D. Chryſoſtomus ſtatuor extitiſſe ante D. Thomā, quum in poſteriorem epiſtolam ad Timoth. hom. 2. fermè in extremo ad hunc modum locutus eſt. Volo quiddam adij- » cere planè mirabile. Quid verò iſtud eſt? » Sacra ipſa oblatio: ſiue illam Petrus, ſiue » Paulus, ſiue cuiuſuis meriti Sacerdos of- » ferat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe » diſcipulis: quámque Sacerdotes quoque » modò conficiunt: nihil habet iſta quàm » illa minùs. Cur id? quia non hanc ſancti- » ficant homines, ſed Chriſtus, qui illam » antè ſacrauerat. Et paullo pòſt: Et hoc igi- » tur Chriſti corpus, & illud eſt: qui autem » hoc illo minùs aliquid habere putat, » ignorat Chriſtum eſſe, qui nunc etiam » adeſt, atque operatur. »

Ergo cùm D. Chryſoſtomus dignitatem noſtri Sacrificij conſtituit in eodem corpore, quod Chriſtus ſacrauit; & in eodem conſecrante Chriſto, quandoquidem & qui conſecrauit, & quod conſecratum eſt infinitatem habuit dignitatis atque æſtimationis propter hypoſtaticam vnionem; videlicet his nominibus infinitum valorē in altaris Sacrificio exiſtimaſſe videtur Chryſoſtomus. Atque huius probabilis theorematis patroni valorem intelligunt, ac credunt intenſiuè infinitum.

Tertium probabile. Dicunt nonnulli 19. tam valorem quàm Sacrificij fructum eſſe finitum, qui communicatur; ſed tamen tantum, tamque vberem, vt numquam à quopiam, nec à quantauis multitudine mortalium exhauriri queat. Huius probabilis defenſores ſunt Petrus Sotus in inſtit. de Sacrificio altaris lect. 7. Corduba qu. 3. inter eas quas Latinè edidit. concluſ. 3. vbi ſcribit virtutem Miſſæ finitam eſſe categorematicè, ſed infinitam ſyncategorematicè: tum quia virtus eſt capitis, tum quia vniuerſalis: quam non vult diuidi in plures, ſed participari ſimiliter vt alias cauſſas vniuerſales, veluti motum, ac lumen. Angelus in verbo Miſſa num. 52. huius ipſius ſententiæ mentionem facit,

nec improbat. Et quidem tam ſecundi
quàm tertij huius probabilis auctores ef-
fectum Sacrificij non negant in quolibet
finitè produci : ſed tamen negant in vno
offerente ex conſortio aliorum minui,
quantum eſt ex opere operato.

20. Quartum Probabile , niſi veritatem
ipſam appellare quis velit. Sicut Chriſtus
in Euchariſtiæ Sacramento communicat
ſpiritualem fructum iis qui per ſumptio-
nem Sacramentum hoc obeunt,ita in Sa-
crificio confert ſpirituale bonum per ob-
lationem illud Deo exhibentibus:& ſicut
ad ſumentes nullus redundat fructus ex
opere operato certa lege definitus, niſi fi-
de & caritate Euchariſtiam ſumant : ſic
eadem Euchariſtia , hactenus, vt Sacrifi-
cium eſt , neminem iuuat, certo Dei de-
creto, atque ex opere operato, niſi qui ob
fidem,caritatẽ, & deuotionem, digni ſint
qui iuuentur. Fructus autem ſpiritualis,
quem Sacrificium ipſum in viris mulieri-
búſque Chriſtianis prægignit , quantita-
tem ac vim,vis & quantitas dimetitur ca-
ritatis,& deuotionis , quæ in offerente vi-
get,vel in iis,pro quibus offertur. Opinio
eſt D.Thomæ in adductis locis,& eorum,
qui ſecundum & tertium ſequuntur pro-
babile , quos vnuſquiſque in iis qui præ-
monſtrati ſunt,locis,conſulere poteſt.

21. Quintum probabile , quod de tribus
proximè ſuperioribus naſcitur.Quemad-
modum ex commercio innumerabilis
multitudinis Sacram ſynaxim ſuſcipien-
tis , nil fructus perit vni:ita quamuis ſint
infiniti offerentes , ſiue Sacerdotes , ſiue
cum Sacerdotibus, idem Sacrificium;fru-
ctus ab vno perceptus non eſt tenuior,
nec minor quàm ſi vel ſolus offerret , vel
ſolus cum Sacerdote offerret. Sic prorſus
philoſophantur ac reſoluunt cùm ſecun-
di tum tertij probabilis patroni. Admo-
nétque Caietanus oſtenſo loco,huius Sa-
crificij effectum non intentioni ac deuo-
tioni reſpõdere : neque ſatisfacere quem-
piam,quantùm intendit , ſed quanta eius
eſt deuotio : & in eod. quodlib.ſeu qu.in
reſp. ad primũ effectum impetrandi dicit
finitum eſſe ex fide ; ſatisfaciendi autem,
ex deuotione : & in reſponſione ad ter-
tium,affirmat fieri poſſe , vt vel ab offe-
rentibus , vel ab iis , pro quibus offertur,
tantùm deuotionis adferatur ad Miſſam
vnam, quantam nec in triginta iidem cõ-
ferant. Quare vna largietur iis quod eiſ-
dem triginta minimè tribuent. Hinc fit vt
fermè ſemper plus valeant plures Miſſæ
vni quã vna:quia fructus, qui participatur
finitè , multiplicatur multiplicatis offe-
rentium , vel eorum, pro quibus offertur,
deuotionibus , ac religioſis mentis cona-
tibus:quos conatus omnes in vnum quid-
dam coeuntes ſuperari ab vno conatu
eſt difficile,ac ratum.

Cur etiam plures prodeſſe ſoleant Miſ- 22.
ſæ quàm vna,illud itẽ facit , quòd, vt ſcri-
bit Petrus Sotus lect. 7. de Sacrificio Miſ-
ſæ,extremo folio:Quum iteratur oblatio,
iterum eſt grata Deo , & quod prior non
impetrauit,poterit impetrare ſecunda vel
tertia.Diuíque Thomæ id approbat teſti-
monio. Atque hæc addit. Vnde non eſt "
dubitandum, melius & vtilius eſſe fideli- "
bus adſtare Sacrificio Miſſæ,& fide & de- "
uotione illi cõiũgi , quàm curare vt pro ſe "
ſæpius celebretur: & offerentibus ait non "
tam laborandum eſſe,vt pro vno,vel plu-
ribus , quàm vt pura mente offerant:fru-
ctum enim ex hoc Sacrificio demeti pro
ratione caritatis, religioſæque mentis af-
fectu iam dictũ eſt. Syluester in hoc veri-
ſimili , & probabili 5. ſententiam D.Tho-
mæ ſitam eſſe credit in ver. Miſſa 1.qu.9.
quam ait ſibi indubiam(verba ſunt eius)
& practicandam videri.eſt autem viden-
dus D.Thom.in 4.d.12.q.2.art.2.q.3.& d.
45.q.2.art.4.qu.3.ad 2.& in 3.part.q.79.
articul.5.

Sextum veriſimile. Vbi non agitur de 23.
ratione ſatisfaciendi,ſed impetrãdi,vnum
Sacrificium ſicut vnam eamdemque ora-
tionem non minùs vni quàm multis , nec
minùs multis quàm vni valere commu-
nis eſt opinio : quamuis contradicat Sco-
tus quodlib. 20. art. 1. ſed probat eam D.
Tho. in 4.d.45.q.2. art.4.q.2. & Palud.in
eamd.

eamd. diſt. q. 2. art. 1. & Adrianus quodl. 8. art. 3. litera N. vbi citat, & probat Paludanum, & Caietanus in 2. tom. opuſcul.
» tract. 3. de celebrat. Miſſæ. Oratio, inquit
» ille, in quantum impetratoria non minùs
» ſi pro pluribus, quàm pro vno fiat, valet.
» & Canus de locis Theol. lib. 12. cap. 12. ad
» 10. argum. Ad impetrationem, inquit,
» nulla vis minor in ſacrificio eſt, quod pro
» multis offertur, quàm in eo quod pro vno
» ſolo. miſſos facio alios.

24 Septimum probabile. Quamuis qui tribus aut quatuor, ſingulis ſingulas Miſſas deſpondit, vna dumtaxat non ſatisfaciat, eum tamen vnam celebrantem pro omnibus quatuor excuſare poſſunt hæc quinque, vt inquit Paludanus in 4. d. 45. quæſt. 2. art. 2. conc. 5. in quem concedit Sylu. in verbo, Miſſa, primo, q. 10. & D. Antoninus in 1. p. tit. 10. cap. 2. §. 3. cuius verba & ſententiam exſcribit.

Primum, eſt *ἀδυνατία*, ereptáque facultas plura perſoluendi ſacrificia: namque difficultas præſtationis debitori veniam dare conſueuit. Secundum, conſuetudo à poſtulantibus non ignorata. Tertium, Pactum & conuentum cum petentibus, vt ſi de vna tranſactum eſt. Quartum, cùm numerus reliquarũ miſſarum re quapiam alia compenſatur, vt orationibus, aliiſque rectè factis. Quintum, Diuinæ beneficentiæ ſupplementũ: quando is pro Sacerdote reponet iis quibus ille debet.

Gerſon verò in libello de ſolicitudine Eccleſiaſticorum, particula 43. & in tract. de oratione, conſideratione 9. quem ſequitur Gabriel in canonem Miſſę lect. 27. littera S. ſuadet Sacerdoti, qui impar eſt tot ſoluendis ſuffragiis, reddendiſque ſacrificiis quot ſe obſtrinxit, vt ſibi conſulat ceſſione quadam bonorum ſuorum ſpiritualium in Dei manibus: cuiuſmodi à debitoribus in iure ciuili ceſſio vſurpari ſolet. Inter plura autem verba ſolemnia huius ceſſionis hæc item ponit Gerſon per Sacerdotis perſonam, cum Deo agens. Tot igitur preſſus exactionibus quid
agam? quò me vertam? Domine, vim patior. »
Reſponde pro me, ſed quid reſpondebis »
pro me? rectè prorſus: ſi diuidas »
vnicuique illud quantumcunque ſuffragiorum, »
quod offerre paupertas mea poteſt: »
quod, quantum ſit, ſolus vides. Nolo »
calculum ponere cum ſingulis proximis »
& benefactoribus meis. Tu pro parte tua »
recipias Miſſam iſtam. Tu orationem, tu »
bonum opus alterum. Tu ſapientiſſime »
meritorum & ſuffragiorum ponderator »
Deus diſtribue ſingulis, prout vnicuique »
opus eſt, ad vtilitatem ſuam, ad liberationem »
meam. Hæc Gerſon. »

Cautionum præceptio, qua Scotus 25 quodlibet 20. art. 3. Sacerdotem erudit multis perſonis multarũ Miſſarum ſponſione obnoxium, nemini non cognita eſſe deberet. At verò ius & poteſtatem à Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 4. permiſſam Epiſcopis in Diœceſana Synodo, & Abbatibus, ac Generalibus ordinum, in generali Conuentu, de magno numero Miſſarum pro defunctis, qui expleri non poteſt, conſulendi, ij ad quos ius illud ſpectat, ignorare nulla ratione debe-rent. Quemadmodum autem Generales ſacrarum, Deóque deuotarũ familiarum, quibus ex conſtitutionibus Pontificiis ac priuilegiis ius eſt in multitudine Miſſarũ, quibus eorum ſodalitia & monaſteria obſtricta ſunt, diſpenſandi, quemadmodum in ea re conficienda gerere ſe ſe debeant, & qua fide, quave officij religione id ab iis præſtari oporteat, prudenter exſequitur Nauarrus lib. 5. Conſiliorum, tit. 33. de priuilegiis, conſilio 3.

QVÆSTIO XLIII.

VTrúmne iure diuino præceptum ſit 1.
Chriſti fidelibus, cùm eorum corporis ſalus eſt deſperata, Sacrã Euchariſtiã pro viatico ſumere; ita, vt eius ſumendæ ius, nec Eccleſiæ auctoritate queat impediri, nec eo iuſtè quiſpiam pr. ari. Magna & diuturna cum nonnullis mihi certatio

 fuit,

fuit, qui contendebant excommunicato publico, de cuius abſolutione & pœnitentia Eccleſiæ non conſtat, Sacram Euchariſtiam in mortis articulò eſſe impartiendam; & is, qui plus aliis audebat, hanc rationem afferebat: quòd iure diuino tunc temporis quis Chriſti corpus ſuſcipere cogitur: addebátque, hanc omnium eſſe Theologorum ſententiam, me dicente totũ eſſe aliud, & ſecus pene cunctos Theologos opinatos eſſe: atque eiuſmodi ſumptionem non ad diuinam, ſed ad Eccleſiaſticam inſtitutionem retuliſſe. Hæc docuiſſe D. Thomam in 4. d. 9. q. 1. art. 1. ad quæſtiunc. 2. D. Bonau. in 4. diſt. 12. art. 2. q. 1. à num. 75. ad 81. Alexandrum Halenſem in 4. p. q. 11. memb. 2. art. 4. §. 1. in ea q. quæ incipit; Conſequenter quæritur de ceſſatione ab actu manducandi; & in ea, quæ incipit; Conſequenter quæritur de neceſſitate actus manducandi. Palud. in 4. d. 9. q. 1. concl. 3. hanc opinionem tamquam communem Theologis tribuit, vt velint iure diuino duo tantùm eſſe Sacramenta neceſſitatis, Baptiſmum & Pœnitentiam: quamquam illi eſt probabilius ſumptionem Euchariſtiæ mandato præceptam eſſe diuino; qui etiã illud addit, eum, qui moriturus eſt, ſi paucis antè diebus quàm in morbum incideret, Euchariſtia refectus eſt, non teneri iterum confiteri, nec communicare; in quo oſtendit ſe alios ſequi Magiſtros: idémque confirmat Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 11. §. Ex his ergo.

2. Ioannes Maior ſcribit ad hũc modum ſumere Sacramentum in articulo mortis fortè non eſt præceptum diuinum, ſed ſumere ſemel in vita. Victoria, in ſumma Sacramentorum q. 86. de Euchariſtia, cũ qui ſemel in anno Euchariſtiam ſumpſit, ſi illam ex negligentia quadam omittat in articulo mortis, non credit affinem eſſe mortiferæ culpæ: citatq; Syluestrũ in verbo, Euchariſtia 3. nec ſecus habet Nauarrus in Conſ. 16. de pœnitent. & remiſſ. qui enim communicauit aut ſemel in vita, iure diuino; aut ſemel in anno in Paſchate, iure humano, liberatur iure ſumendi viatici.

Nonnullorum locorum conſuetudine hæc ſententia confirmatur: quia vltimo ſupplicio afficiẽdis Euchariſtiæ perceptio non conceditur. Sed fac diuina lege eiuſmodi perceptionem eſſe moribundis neceſſariam; ideóne per eandem legem excommunicatis & facinoroſis licebit cœleſtem hunc cibum flagitare, priuſquam perſuaſum Eccleſiæ ſit eos reſipuiſſe, vitámque Chriſtiano dignã agere? An non ſanctiſſima Euchariſtia cibus eſt viuentis animæ, ac DEO gratæ? Eſt enim viuentium non mortuorum cibum capere, & potionem. Ergo publicè ſpiritualem hanc eſcam in os inſerere eius, qui publico Eccleſiæ iudicio ob lethale flagitium mortuus eſt, nulla ratione permittendum eſt; qua de re mirè conuenit inter Theologos hac ipſa de re in 4. ſentent. diſt. 9. ſubtiliter diſſerentes, eámque non aliter atque nos diiudicantes. Adde, quòd cùm Euchariſtia ſit Sacramentum vnionis, ei qui eſt palam auulſus à corpore Eccleſiaſtico præberi non poteſt, niſi cum eodem palam coniungatur.

QVÆSTIO XLIV.

Permiſsúmne ſit hoc Sacerdoti Religioſo, vt periculosè ægrotanti, & cui ſit vita in deſperatis, ac perditis, Euchariſtia pro viatico, ſacráq; vnctio ab eo ſuppeditari poſſit, quia hæc Sacramenta à proprio Parocho recipere nequit, inter Doctores controuertitur. 1.

Vtrumque Sacramentum ægroto miniſtrari poſſe aiunt hi, Sotus in 4. ſent. d. 23. q. 2. artic. 1. Angelus, in verbo excommunicatio 5. caſu 12. Ioan. Tabienſis eod. tit. 5. caſu 12. num. 6. Armilla, in verbo, Excommunicatio, num. 49. cuius ſententiæ fautores citant Innocentium, & Hoſtienſem in cap. Omnis de pœnit. & remiſſ. Fulciri hæc poſſet ſententia, hac ratione: quòd ægrotus ille attritus dumtaxat

xat

xat eſſe poſſet; ſi verò ſic decederet, ſempiterni ignis ſupplicium cogeretur experiri: tantam autem pœnam vitaret, ſi ſanctiſſimum Chriſti corpus à quopiam Sacerdote poſſet accipere.

2. Aduerſaria ſententia probata eſt his Auctoribus, D. Antonino in 3. p. tit. 24. c. 54. Syluestro, in verbo, Excommunicatio 7. num. 33. dub. 4. Nauarro, in Summa, cap. 27. num. 102. Victoriæ in Summa Sacram. quæſt. 222. Cardinali Toleto in ſua Summa, lib. 1. cap. 36. Sylueſter autem atque alij ſententiæ huius patroni, proferunt graues Iuris Canonici interpretes.

Probatur primum, auctoritate Clementinæ, quæ incipit, Religioſi de priuilegiis: vbi Clemens V. in Concilio generali Viennenſi excõmunicat omnes Religioſos ſine ſpeciali licentia Parochialis preſbyteri Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis miniſtrãtes, tam Clericis quàm Laicis; à qua excommunicatione nõn abſoluit niſi Romanus Pontifex; nec ita vel Romano Pontifici, vel eius Concilij Patribus operoſum erat mortis excipere articulum; ſi cenſuiſſent illa duo Sacramenta in eo articulo conſtitutis hominib. à quolibet Sacerdote tradi poſſe.

Adde Eccleſiæ generalem conſuetudinem, quæ in mortis articulo, amborum illorum Sacramentorum adminiſtrationem nõ permittit niſi legitimis Parochis. Nec illud omittendum; ad rite ſuſcipienda Sacramenta, exceptis Baptiſmo, & pœnitentia, non ſatis eſſe attritionem; quamuis Sylueſter, in verbo, Sacramentum, §. 2. dubitet, num ad vitandam mortiferam culpam ſatis ſit attritio ſuſcipienti Extremam vnctionem: peteri autem Euchariſtiam, ſi attritus tantùm ſit, ſacrilegium eſt recipere, & Sacerdoti dare: niſi forte palam poſceret, & peccatũ poſcentis eſſet occultum; tunc enim ei non eſſet Euchariſtia deneganda: qua exceptione & cautione Theologiæ Magiſtri vtuntur. Nec quidquam de Euchariſtia dubitari dêbet cùm ſit viuentis animæ nutrimentum; quæ ſimiliter vitam gratiæ requirit in anima; ſicut eſca corporis, vt eius ſit cibus, vitam expoſcit in corpore.

Ad hęc vehementer Religioſos terrere debent verba Concilij, quo Sacerdotes prohibentur à caſibus Romano Pontifici reſeruatis abſoluere, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quæ non poteſt niſi ab eodem Pontifice remoueri, aliiſque pœnis propoſitis. Et cùm caſus, de quo diſceptatur, propter varietatem opinionum ſit valde anceps, nemo ſapiẽs præſertim poſt decretũ Clementis VIII. deberet illum attingere. 3.

Dices. At Clementina conſtitutio plectit tantùm eos qui præſumunt: præſumere autem non dicuntur qui Chriſtianæ caritatis impulſu in morte periclitanti ægroto, & facultate ſermonis, aut etiam rationis priuato, nititur Sacramento Euchariſtiæ, extremæque vnctionis ſubuenire. Reſpondeo, ſatis præſumere dici eum, qui nulla poteſtate ſibi vel à Canone vel à conſuetudine Eccleſiæ vel ab homine conceſſã, Sacramentum largitur homini dumtaxat attrito; ipſa etiam diuina lege repugnante, quæ nonniſi diuina gratia ornatis hominibus illa vult admoueri. Itaque hoc licet vti dilemmate.

Aut, qui Sacramenta hæc petit, probabiliter credit ſe eſſe contritum, aut non credit: ſi credit, nulla cogitur lege ea Sacramenta aut flagitare aut recipere à Sacerdote non ſuo, nec proprio; nec vllus Sacerdos non ſuus poteſt illi præſtare ea Sacramenta, pręſertim Sacramentum Euchariſtiæ. Quòd ſi non contritum ſe exiſtimat, aut dubitat, ſine dubio Euchariſtiam ſacrilegè poſtulat: & Sacerdos pari ſacrilegio præbet. Quare meritò Tabienſis, & Armilla locis indicatis hanc tutiorem fatentur eſſe ſententiam.

Nec illud me latet, Caietanum, in ſumma, in verbo, Excommunicatio, cap. 64. ſcriptũ reliquiſſe, excommunicationem à Religioſo vitari, quando ex ratihabitione Parochi ſeu proprij Sacerdotis ea Sacramenta miniſtraret: de quo contradicit ei Nauarrus, in ſumma, c. 27. num. 102. 4.

& meri

& meritò: nam Clementina Parochialis preſbyteri licentiam ſpecialem requirit.

Quærit Gloſſa in verbo ſpeciali. Eſſetne ſatis ad hanc obtinendam licentiam eam impetrare à Diœceſano. Reſpondet, poſt factũ ſatis eſſe: Ego crederem etiam ante factum. Quid enim iuris eſt in Parocho, quod non ſit multo præſtantius in Epiſcopo; cui ille ſubeſt?

Dubitat eadem Gloſſa; An facultas data à Parocho Religioſo vniuersè, nec nominatis iis, qui eſſent inungẽdi, aut Chriſti corpore reficiendi, foret ſatis: ſuadet licentiam nominibus perſonarum & Sacramentorum muniendam eſſe. Ego verò cenſeo Clemẽtinæ Auctorem nec tam ſeuerè, nec tam reſtrictè de ſpeciali licentia locutum fuiſſe. Admonet eadẽ Gloſſa, quòd attinet ad eos, qui vel diſciplinæ, vel negotiãdi cauſſa in alienas vrbes commeant, Parochialem Sacerdotem à quo commeatus eſſet obtinendus, eum intelligi, in cuius Parœcia commorantur: citátque quod notatur de pœnis diſt. 6. Placuit; & quod à ſe ipſa ſcriptum de pœnit. & remiſſ. in cap. omnis, in verbo, Sacerdote. Et quod Hoſtiẽſis tractauit in ſumma de Paroch. §. penult. verſu. Quis ita intelligatur parochianus: & de pœnit. & remiſſ. §. cui confitendum propè in extremo.

QVÆSTIO XLV.

1. Religioſus quidam Sacerdos, cùm vinum in calice poſitum conſecraret, aiebat, ſibi in animo eſſe eas etiam vini guttas, quæ ad diuerſa calicis latera adhęreſcerent, non quidem omnes conſecrare, ſed eas tantum, quas commodè cum reliquo Chriſti ſanguine ſumere potuiſſet: quare eius intentio non in has illásve guttas ferebatur; ſed in eas, quæcumque recipi commodè potuiſſent, quæcumque tandem illæ fuiſſent: ſciſcitabatúrque hic ipſe Sacerdos, vtrùm modus hic conſecrandi licitus eſſet: illi rectiſſimus videbatur.

Ipſe verò contra reſpondi, cum ea intentione, quam is gerebat, quæ vaga & indefinita eſſet, nullam ex iis ſtillis interiori calici adhærentibus, conſecrari. Pro Chriſti autem ſanguine verum vinum accipere, error eſt grauiſſimus; quem ille tamen non vitabat: nam eſt id exploratè perceptum: ſi quis coram hoſtias viginti haberet; vellétque ex eo numero decem, aut quindecim conſecrare, ſed nullã ſeorſim eligeret, nullam earum fore conſecratam. Vide Angelum, in verbo, Euchariſtia, primo, num. 25. Sylueſtrum, eodem tit. 2. num. 8. q. 6. Tabienam, eodem tit. 2. num. 4. q. 3. & Richardum in 4. ſent. diſt. 10. art. 7. q. 2. vbi ſcribit, Sacerdotem, qui alteram partem hoſtiæ intenderet conſecrare; neutram conſecrare; niſi certam partem animo aſſumat; propterea quod, inquit, reales operationes non ſunt circa ſingularia vaga, ſed circa ſingularia determinata: Et ideo oportet quòd intentio, ad quam ſequitur realis operatio, aliquid determinatum & determinatè reſpiciat.

Addit autem Sylueſter, in verbo Eu- 2.
chariſtia, ſecundo, q. 5. non eſſe neceſſe conſecrationis materiam definire, aut tactu, aut viſu, aut imaginatione: verùm animi intelligentia, quæ illa etiam diuidit, quæ phyſicè ſeparari non queunt. Illud idem Sylueſter q. 6. ex Durando adiungit (nam quod attulit in quinta quæſtione, ex Paludano profitetur ſe ſumere) conſecrationis effectum ſequi intentionem conſecrantis, non eius opinionem. Quapropter, ſi quis ſub adſpectum hoſtias nouẽdecim ſubiectas haberet, quas crederet eſſe viginti, ſi cunctas conſecrare intenderet, cunctæ conſecratæ eſſent: contrà verò, ſi numerum certò teneret hoſtiarum, nec omnes conſecrare vellet, ſed aliquot, niſi conſecrandas mente ſecerneret, nullas videlicet conſecraret.

Quamobrem Patri illi Religioſo valde auctor fui, vt aut cunctas vini guttas ad interiores calicis partes allapſas conſecrare intenderet; aut certè nullam: quoniam, ſi ſecus ageret, facilè factum iri vt calicis

Digitized by Google

calicis conuerſione, ſeu circumductione, pro Christi ſanguine acciperet eas quæ conſecrationis eſſent expertes: quas is nequaquam conſecrare voluiſſet.

De intentione Miniſtri in conſecranda Euchariſtia, & reliquis Sacramentis conficiendis.

QVÆSTIO XLVI.

1. HOmo Religioſus, reconditiorum literarum ſtudioſus, nec imperitus, cupidè rogabat; num in conficienda Euchariſtia cæteriſque Sacramentis, neceſſaria eſſet Miniſtro intentio ſingularis, & interior, à verbis formæ diſtincta: An ſatis eſſet intentio illa, quam verba ipſa formæ præ ſe ferunt.

Quò reſponſio tum plenior tum ab omni periculo explorata eſſet, tria docenda cenſui. Primùm, requiratúrne in Miniſtro intentio. Pòſt, debeátne illa particularis eſſe, & interna, qua formam ad materiam applicet, ad id præſtandum, quod effici debet Sacramento. Tum denique: Cuiuſmodi debeat eſſe hæc neceſſaria intentio, habitualiſne, virtualis, an actualis.

Vt igitur à primo ordiamur: certæ fidei dixi eſſe articulum, in Miniſtris Sacramentorum requiri intentionem. Nam contraria propoſitio tamquam hæretica in verbis à Concilio Tridentino exploſa » eſt in ſeſſ. 7. can. 11. Si quis dixerit, in Mi- » niſtris, dum Sacramenta conficiunt, & » conferunt, non requiri intentionem, ſal- » tem faciendi quod facit Eccleſia, anathe- » ma ſit. Quæ veritas multo antè ab Eugenio IV. in Concilio Florentino definitè » ſancita, his ipſis verbis tradita erat. Hæc » omnia Sacraméta tribus perficiuntur, vi- » delicet rebus, tamquam materia; verbis » tamquam forma; & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione » faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi » aliquid deſit, non perficitur Sacramentū. » Nullúſque eſt Theologus, cuius aliquod ſit nomen & pondus, qui præfractè negare id auſus ſit, veriſſimam hanc doctrinam in duobus generalibus Conciliis ſancitam.

2. Itaque cùm libellum quendam recognoſcerem, in quo hæc erat propoſitio: *Miniſter non debet intendere conferre Sacramentum*: tamquam à recta fide valde abhorrentem deleui. Si enim debet intendere quod facit Eccleſia: ergo debet intendere conferre Sacramentū: Hoc enim facit Eccleſia dum ſuis vtitur Sacramentis: nam vtendo confert, & conferendo vtitur: &, ſi vtitur ſecum tantùm, ſibi confert; &, ſi vtitur cum aliis, confert aliis. Erat par item peccatum in hac altera propoſitione: Patres ſolliciti fuerunt in con- » ſecratione Euchariſtiæ de verbis pronun- » tiatis à Miniſtro, non de eius intentione; » quamquam vtriuſque propoſitionis refutatio erit illuſtrior ex difficultatis ſecundæ explicatione.

3. Nam ſecundo loco quæſitū eſt, vtrùm in animo Miniſtri intentio reſidere debeat à pronuntiatione verborum diſtincta; quæ eiuſdem pronuntiationis parens eſt, & cauſſa efficiens, ac dirigens, illi natura & tempore antecedens. Aiunt igitur, in Miniſtro intentionē eſſe debere mentalem internam, ſuámque, ac propriam; de obiecto autem intentionis poſtea.

Id à nobis veriſſimè dici tum communi aſſenſione Theologorum eſt, tum ad perſuadendū neceſſariis rationibus comprobatum. In primis duo, quæ commemorata ſunt Concilia, intentionem in Miniſtro tamquam neceſſariam exigunt; cuius obiectū & finis eſt, id facere quod facit Eccleſia, vt eorumdem verbis vtamur: Hoc igitur obiectum, & hic finis; & mente concipi, & in voluntate eius verſari oportet, vt agere poſſit: Ergo non poteſt à Miniſtri animo abeſſe intentio interior & mentalis: aliquid enim animo

comprehendere, atque illud ipſum velle, actiones ſunt animi noſtri interiores, atque in eo latentes. Deinde, vt inquit D. Thom. in 1. 2. q. 12. artic. 1. ad 3. Hoc nomen intentio nominat actum voluntatis præſuppoſita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem. Et ad 4. intentio eſt actus volũtatis reſpectu finis. Si igitur miniſter in conficiendo conferendóve Sacramento, intentionem gerere debet, profectò in actione Sacramentali promenda finem intendat neceſſe eſt, ad eúmque actionem dirigat.

Porro finis eſt id facere quod facit Eccleſia; medium verò eſt illa exterior actio, ad talem finem diſpoſita ſeu inſtituta: qui finis, vt poſtea dicturi ſumus, in Iudæo, Infideli, & Pagano inueniri poteſt.

4. Præterea Sacramentales actiones nec fortuitæ ſunt, neque caſu ſuſceptæ: quoniam ferè ſuos gignunt effectus; id quod in caſum ſeu fortunam conuenire non poteſt: ergo à conſilio, certóque propoſito agentis manare debent.

Ad hæc. Rectiſſimè Scotus in 4. ſent. diſt. 6. quæſt. 5. voluiſſe DEVM, vt Miniſtri actio eſſet humana: quæ actio neceſſariò cum certo fine debet eſſe coniuncta; quem finem cognoſci & optari oportet, ſi vlla actio ſuſcipi debeat: ergo intentio, de qua diſputatur, eſt Sacramentorum Miniſtro neceſſaria: ita vt indiuidua ſit, & interna & in eius animo penitus inſita.

Huc adde. Quòd, ſicut argumentatur Doctor ſubtilis de Baptiſmo loquens, Miniſter (eius ponimus verba) eſt cauſſa ſecunda reſpectu ablutionis, non tantùm vt ablutio eſt, ſed vt Sacramentalis; & cauſſa non naturalis ſed voluntaria: ergo ex intentione operans. Et ſicut ad Sacramentum requiritur extrinſecum efficiés; ita etiam requiritur illud, quod eſt quaſi principium agendi tali cauſſæ effectiuæ. Principium autem vltimatũ determinans agens intellectuale ad agendũ eſt intẽtio. Ergo ex parte agentis & operãtis vt cauſſæ ſecundæ requiritur intentio, ſine qua non poſſunt eſſe nec fieri Sacramenta. Fi qui ſecus crederet, hoc item credendum ei eſſet, amentem, puerum, liberæ voluntatis arbitrio carentem, necnon dormientem, ratum dare poſſe baptiſma; quod nullus niſi fortè dormiens, dicere audeat: ſequeretur etiam, qui corpus ablueret ad ſordes eluendas eiuſdem corporis, vel cauſſa valetudinis, verba illa vſurpãs, Ego » te baptizo, ſeu abluo, in nomine Patris, » & Filij, & Spiritus ſancti: verum efficere » baptiſma; quod putare eſt perridiculum, necà quoquam Theologo vmquam opinatum.

5. Ergo cùm formæ verba ad varios effectus ſpectare poſſint, neceſſe eſt propter intentionem Miniſtri ad Sacramentalem effectum ea ſumi debere; ſumi autẽ nulla ratione poſſunt, niſi ex vi intentionis Miniſtri; quam omnes Principes Theologi in illius anima, vt maximè neceſſariam collocant. D. Thom. in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. Nec ſecus ſenſiſſe in ſumma, teſtes ſunt Caietanus explanans art. 8. quæſtion. 64. p. 3. & Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 8. Paludanus etiam in 4. d. 6. q. 2. art. 3. prope finem hanc D. Thomæ attribuit ſententiam in 3. par. eo loco qui eſt iam indicatus. In eadem ſententia eſt S. Bonauent. in 4. d. 6. q. 1. art. 2. In eadem eſt Hugo S. Victoris, cuius verba profert S. Bonauentura: qui D. Bonauentura de verbis diſſerens à Chriſto in adminiſtratione Baptiſmi inſtitutis ad certũ quemdam effectum à Chriſto intentum hæc ſcribit. Iſta tamen inſtitutio, etſi verba » ordinauit ad vnum, non tamen arctauit: » quia ad alios vſus poſſunt ſumi, & ſumuntur: » & ideo ad hoc vt ordinentur, neceſſarium » eſt interuenire intentionem Miniſtri, » quæ intendat, illo actu & verbo talem » effectum dare, vel ſaltem, quod facit Eccleſiam, » facere; vel ſaltem, quod Chriſtus » inſtituit, diſpenſare: alioquin, verbum & » elementum, vt diſiuncta, vel ad aliud » iuncta, talem effectum non faciunt. Pro » eadẽ ſententia pugnat Scotus in eandem diſt. q. 5. Richardus in eandem art. 1. q. 2. Paludanus in eandẽ q. 2. art. 3. in eandem

Duran

Durandus quæſt.2.vbi multis argumentis probat interiorē in Miniſtro debere eſſe intentionem à verbali diuerſam. Maior in 4. diſt.2. quæſt.1. §. Sed de additione verborum, in fine §. Gabriel,diſt.6.q.1. art.1. notab.3. Caietanus & Sotus in locis ſuprà oſtenſis. Itaque maximè communē hanc eſſe ſententiam Theologorum nemo pernegarit. Ac,ſi ea de re in Concilio aliquo generali diſceptaretur, nihil ſecus ſtatueretur.

6. Quòd ſi quiſpiam Theologus, vti Argentina, citatus ab eo qui mihi quæſtionem poſuit, in aliam deductus videatur eſſe ſententiam; cùm dixit, intentionem Miniſtri requiri ad Sacramentum,non vt lateat in corde, ſed vt eluceat exteriùs;non putandum eſt de interiore intētione animi dubitaſſe tantum Auctorem,quaſi neceſſaria non ſit ad conficiendum Sacramentū; verùm id tantùm intellexit, eam intentionē nihil efficere, niſi cum actione externa & prolatione verborum copuletur. Quemadmodum enim partes Sacramenti nihil efficerent ab intentione Miniſtri derelictæ: ſic intentio nihil perficit in Sacramentis, niſi ſe ipſa ad Sacramēnti ſenſibiles partes applicet.

Obiicies ex Auguſtino tract.5. in Ioan. cap.1.de Baptiſmo loquente. Non timeo adulterum, non ebrioſum; habetúrque ſententia hæc Auguſtini diſt. 4. de conſecratione, Can. Baptiſmus. Ergo intentio non videtur neceſſaria, ſi quidem hac temulenti & ebrioſi carent. Verùm Gloſſa in illum canonem, & qui ſunt à Theologica doctrina inſtructiores, aiunt, Diuum Auguſtinum non locutum eſſe de ebrioſo, qui non eſt ſuæ mentis, ſed de homine ad vitium ebrietatis procliui.

Obſtare videtur etiam locus alius Diui Auguſtini in 7. lib. de vnico Baptiſmo, c. 53. extátque in Decreto 4. de conſecratione, c. ſolet etiam quæri; verba enim facit de Baptiſmo. Si totum, inquit, ludicrè & mimicè & ioculariter ageretur, concordi oratione & impenſis ſupplici deuotione gemitibus, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum implorandum eſſe cenſerem. Non igitur vſque eò certū eſt neceſſariam eſſe intentionem faciendi, quod ſeriò facit Eccleſia.

Sotus in 4. diſt.1. quæſt.5. art.8. magiſtro & duce Hugone, lib. 2. p.2. c. 13. diſtinguit duplicem rationem per iocum aliquid agendi; primam, cùm quis fingit quidpiam ſe facere, quod verè non facit: vt cùm quis in ſcena lacrymas ſimulat; quas tamen nullas fundit;atque hoc ioco nullum perficeretur Sacramentum: Alia iocularis eſt ratio; cùm quis id verè facit, in quo iocatur: atque ad hunc modum credunt, Athanaſium aſſimulata Epiſcopi ſpecie,& qui cum eo erant,pueros, Baptiſmum tradidiſſe Catechumenis illis, qui in ora erant maris Alexandrini: quorum Baptiſma iterandum non eſſe ab Alexandro Epiſcopo iudicatum eſt. Eſtque totius facti hiſtoria in decretum digeſta prima, q. 1. Can. Spiritus ſanctus.

Decernunt nihilominus Theologi, cōmunibus ſuffragiis, nō futurum illud eſſe Baptiſma, quod ſolo ioco perageretur: propterea quòd non veram eius rei, quæ fit ab Eccleſia, imitationem, nec veram intentionem haberet. 7.

Quare operæpretium eſt pernoſcere quodnam obiectum, & quinam finis reſpondeat intentioni particulari,atque internæ Miniſtri. Ambo Concilia antea adducta, Florentinum & Trident. hunc declarant debere eſſe finem, facere quod facit Eccleſia. D.Thom.in 3.p.q.64.art.8. ad 1. vt intendat facere quod facit Chriſtus, & Eccleſia. D.Bonauent. in 4.diſt.6. art.2. q.1. intendat facere, quod facit Eccleſia: vel ſaltem,quod Chriſtus inſtituit, diſpenſare. Paludanus in 4.d.6. q.2. art.2. debet intendere facere, quod ordinauit Chriſtus, vel quod facit Eccleſia Catholica quæcumque ſit illa.

Vnde non oportet, intendere facere, quod facit Eccleſia formaliter, ſed materialiter ſumpta. In eandem ſententiam loquitur Sotus eo, quem citauimus, loco. Scotus in 4. d.6. quæſt.5. vult intentioni

Miniſtri baptizantis ſubeſſe debere finē, & actum, qui ad finem ordinatur; debet igitur intendere actum ſuum, quem exercet: id eſt, vt velit pronunciare verba, & abluere corpus: debet item finem intendere talis actus: finis autem eſt duplex; alter remotus, alter proximus: Remotus eſt, vt qui baptizatur, fiat filius regni cœleſtis: atque hunc finem non eſt neceſſe includi in intentione Miniſtri; quia mens Iudæi & Pagani, qui baptizare poſſunt, abeſt ab eo fine quàm longiſſimè: Proximus eſt, vt is, qui baptizatur, Chriſtianus euadat & membrum militantis Eccleſiæ: atque hunc finem neceſſe eſt cohærere cum intentione Miniſtri generali, ſeu particulari.

8. Reſpondénſque Scotus argumentis: » Satis eſt, inquit, vt intendat adſcribere » hunc huic ſectæ; vel facere circa hunc » quod intendunt facere Chriſtiani circa » talem. Veluti, (exemplū eſt eiuſdē Scoti) » ſi ipſe circunciderem Iudæum eo animo, » vt facerem, quod faciunt Iudæi; verè fa- » cerem eum, qui circunciditur, Iudæum; » quamuis certò ſcirem inanem illam eſſe » circunciſionem, nec quicquam ad æter- » nam ſalutem valere.

Reſtat tertium de genere intentionis, cuiuſmodi eſſe debeat in Miniſtro. Scotus in 4. diſt. 6. q. 6. Triplicem facit intentionem; vnam habitualem, quæ reperitur etiam in dormiētibus; alteram, actualem, quæ non deſerit actum, ſed eum ſemper comitatur; tertiam, virtualem, quæ efficax eſt propter actualem, quæ anteceſſit, & ſaltem inchoauit actionem. Habitualem, quia indefinita eſt, negat ſatis eſſe in conferendo conficiendóve Sacramento: Virtualem putat eſſe ſatis. De actuali verò ſtultum eſt quidpiam dubitare. Quam opinionem pro veriſſima habent reliqui Theologi, vt Durandus in 4. diſt. 6. q. 2. Maior in 4. d. 2. q. 1. Gabriel in 4. d. 6. q. 1. art. 1. notab. 3. Sotus in 4. d. 1. q. 5. art. 8. Caietanus in 3. part. q. 64. art. 8. ſed nemo ſubtilius diſſerit de hoc triplici genere intentionis, ex decretis Scoti, quàm Gabriel, in eo, quem ſignificauimus, loco.

Sic igitur is præcipit. De intentione, in- 9. quit, notandum, quòd cùm intentio ſit » actus potentiæ liberæ, quo fertur in ali- » quid, dupliciter poteſt ferri in aliquid; » vel, vt in obiectum; vel, vt in terminum, aut finem, vt dictum eſt in 2. diſt. 38. ſic intentio baptizantis poteſt ferri in actum baptizandi, ſicut in obiectum: & ſic nihil aliud eſt, quàm velle actum iſtum perficere: poteſt etiam ferri in aliquid, vt in finem, ſcilicet in illud propter quod vult baptizare: vt velle fieri illud, propter quod Baptiſmus eſt inſtitutus; & hæc intentio eſt duplex, ſcilicet, ſpecialis, qua intendit, vt baptizatus fiat filius regni, qui eſt finis remotus; vel propinquus, qui eſt remiſſio peccati originalis, ac gratiæ infuſio; aut, quòd fiat Chriſtianus, & membrum Eccleſiæ militantis. Vel generalis, vt fiat, quod Eccleſia intendit, licèt non cogitetur, aut ignoretur; vel etiam non credatur conferri per Baptiſmum id quod Eccleſia intendit.

In hoc tamen à Scoto diſcrepat: quòd finis propinquus Baptiſmi Scoto non eſt remiſſio peccati originalis, neque gratiæ infuſio: hunc enim finem longinquum arbitratur. Sequitur Gabriel, & quælibet harum intentionum (intelligit ſpecialem & generalem) eſt triplex ſecundùm Scotum, vt in 2. d. 41. tactū eſt, ſcilicet, actualis, virtualis, habitualis. Actualis eſt, dum intendens habet actum elicitum reſpectu eius quod intendit. Hoc nos ita interpretamur: dum actu cognoſcit, contemplatur, & vult rem quampiam. Habitualiter, inquit, intendit, qui habet habitum inclinantem ad talem actum; quamuis (addimus ipſi) quis nihil cogitet de Baptiſmo, nec eum velit præbere, etiamſi natura feratur ad præbendum, ſed non hoc tempore. Intentio virtualis, ait idem Gabriel, » eſt, quādo aliquis ex virtute actualis præ- » uiæ procedit ad aliquos actus nō intēdēs » actualiter ad illud, ad quod primò inten- » debat: ita quòd ad tales actus nō procede- » ret, niſi præceſſiſſet prior intentio actualis. »

Et

10. Et interpoſitis aliquot periodis, quibus omnia illuſtrat exemplis: Hæc inquit, virtualis intẽtio, eſt quaſi media inter actualem & habitualem; quia eſt imperfectior actuali, & perfectior habituali, reſpectu finis. Nam habitualis intentio eſt in dormiente, actu nihil nec finem nec media cogitante, vel intendente. Actualis eſt in eo qui actu vult finem. Virtualis eſt in eo qui non habet actum volendi finem: vult tamen actu media ad finem priùs actualiter intentum.

Corollarium. Omnis intentio virtualis eſt etiam intentio actualis: ſed non reſpectu eiuſdem; quia eſt actualis reſpectu medij; & virtualis reſpectu finis; quẽ actu non intendit.

Appoſitione exempli faciamus hæc planiora. Cogitat infidelis baptizare quẽpiam, vt in genus inſeratur Chriſtianorum; hæc eius intentio complectitur finem proximum: quem vt aſſequatur, medio vtitur neceſſario ad eum finem, hoc eſt, Baptiſmo; mentéque, ac voluntate totus eſt occupatus in conquirenda aqua, in dicendis verbis formę; vt ea rectè dicat; in lauando corpore; in pronuntianda forma; in quibus omnibus, cùm adminiſtrantur, tamquam in mediis virtute perſeuerat, finis intentio; quandoquidem ea cauſſa eſt omnium functionum, & mediorum.

D. Thom. in 3. par. quæſt. 64. art. 8. ad 3. Duas conſtituit intentiones, actualem & habitualem: & vtramque dicit eſſe ſatis ad conficiendum Sacramentum. Verùm pro habituali intellexit illic D. Thom. virtualem: ſic enim eam explanat; puta cùm Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. vnde, ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.

11. Quare virtualis intentio, vt indicat D. Thom. & veritas etiam docet, amplectitur non ſolùm finem, ſed etiam media. In eo verò art. S. Thomas, nomine habitualis intentionis, virtualem ſignificauit; quia hoc illius ætatis conſuetudo permittebat; cui conſuetudini D. Bonauentura D. Thomæ æqualis obſecutus eſt in 4. ſent. d. 6. art. 2. q. 1. penè in extremo: cùm his verbis ſcripſit: Ergo hoc habendum » eſt pro regula ad omnia ſequentia; quòd » ad omnium Sacramentorum diſpenſa- » tionem neceſſarium eſt habere intentio- » nem, vel actu, vel habitu vel implicitè vel explicitè. Richardus etiam habitualem intentionem pro virtuali ſumpſit in 4. d. 6. art. 1. q. 3. ſed non valde laborandum eſt in vocabulorum ſonitu; quando de re inter Doctores conſtat.

Qui verò diſtinctionem harum trium intentionum ad perpauca verba relatam cuperet cognoſcere, ſic dici poſſet. Habitualis intentio, eſt procliuitas, facilitas, & iucunditas, qua producitur actio; ſed tamen illa actionis eſt expers, atque ineſt in dormientibus, & furioſis. Virtualis eſt, quæ à primo quidem actualis fuit, cum voluntate, cogitatione, & intelligentia finis, aut mediorum; & propter eam continuatur actio, quamuis actualis intentio deſierit. Actualis eſt, quæ cogitatione, cognitione, & voluntate ab actione numquam diſcedit.

QVÆSTIO XLVII.

MVltos ab hinc annos ab noſtræ ſodalitatis religioſo Sacerdote, qui in 1. Græcorum Prouincias mittebatur, hæc mihi fuit propoſita quæſtio: licerétne homini Latino, per Græcorum fines iter facienti, illorum Sacrificia ſpectare, & Miſſas audire, ſiue ad grauem eorum offenſionem vitandam; ſiue ad remouenda ea quæ eorumdem Græcorum conuerſioni eſſe poſſent impedimento.

Reſpondi, hominem Latinum, extra culpam futurum, dummodo ei perſuaſum ſit, Sacerdotem Græcum, verè, eſſe Sacerdotem, eúmque verum Sacrificium offerre. Primùm, quia ſi in iure naturæ ac DEI conſiſtamus, poſſet Lati-

nus Græco ſacrificanti intereſſe: lex autem vitandi ſcandali eſt diuina, ac naturalis. Deindè, quia Eccleſiæ præcepta cum graui, aut vitæ, aut animæ, aut honoris, aut famæ, aut etiam rerum externarum detrimento Chriſtianum populum non deuinciunt. At impedimentum, quod animarum conuerſioni adfertur, eſt maximum damnum: neque id facere eſſet Græcorum ritum imitari, vel eius participem eſſe, niſi per accidens & imperfectè: quæ tamen participatio maiore bono excuſatur, & ab omni culpa vindicatur.

2. Huic quæſtioni proxima eſt ea, quam Nauarrus maximam appellat, & Sophocleo dignam cothurno, in primo volum. ſuorum conſiliorũ, lib. 3. conſ. 19. de celebrat. Miſſarũ. An Italus, qui in terris degit Græcorum, diebus feſtis Græcorum Miſſas audire poſſit; vt Eccleſiæ ſatisfaciat præcepto; cũ nullus alius ritus illic reperiatur. Neque hic Doctor huius quæſtionis excutere auſus eſt intelligentiam: illud tantùm commonefecit, eum, qui difficultati reſponſurus eſſet, tria cognoſcere oportere.

Primum eſt, An ratio celebrandi Miſſas, quam Græci vſurpant, Latinorum ritui contraria ſit in re aliqua iure diuino prohibita: tunc enim audire non liceret. Secundum, vtrùm conſuetudo eas audiẽdi à Catholicis præſcripta eſſet: quoniam ſi eſſet legitimè præſcripta, audire poſſent. Poſtremò, quædam alia tenenda eſſent ad explicandam quæſtionem cum primis neceſſaria; de quibus, inquit Nauarrus, nulla informatio datur; & ita nulla reſponſio certa reddi poteſt.

3. Hunc ergo locum conſultò à Nauarro relictum ſuſcipiamus ipſi; & nonnullis adhibitis diſtinctionibus explicemus. Prima diſtinctio. Aut Græcus Sacerdos, non eſt verè Sacerdos, nec verũ cõficit Sacrificiũ; aut eſt verus Sacerdos, verũq; facit Sacrificiũ: ſi primũ, ſcelus eſt impiũ ei ſacrificanti adeſſe: ſi ſecundum, tunc eſt ſecũda diſtinctio neceſſaria: nam aut eſt Sacerdos ſchiſmaticus, vel hæreticus, Romanæ inſenſus Eccleſiæ; aut Catholicus eſt, in fideque & doctrina manet Romanæ Eccleſiæ. Si primum, ad eius Sacra adeũdum non eſt. Si ſecundum, arbitror poſſe adiri, ſi ad Sacrificia, quæ more Latino conficiuntur, nullus pateat acceſſus: eiuſmodi enim acceſſus tantam habet vtilitatem cum diuini cultus publica teſtificatione coniunctam; vt à benignitate Eccleſiæ alienum ſit eam velle Latinis hominibus eripere.

Tertia diſtinctio. De Græco Sacerdote aut dubitari meritò poteſt, ſitne vero Sacerdotio præditus; aut vero probabilem dubitationem non habet: ſi detur hoc; dummodo nec ſchiſmatis, nec hæreſis labe infectus ſit, ad illius Sacra puto venire poſſe diebus feſtis Latinum: ſi illud; eſſet nefas accedere.

Sed iure quis mihi opponat: non enim 4.
eſt in controuerſia poſitum; poſſit ne Latinus aliquãdo Miſſas audire Græcorum; ſed num diebus feſtis cogatur; cùm Latino caret Sacerdote. Reſpondeo, primùm tutum eſſe hîc ſedem Apoſtolicam conſulere. Deinde, dico probabile eſſe, cogi, ſi non ſingulis feſtis diebus, ſaltem præcipuis, Miſſæ Sacrificio intereſſe; quoniam mente & corpore Miſſæ Sacrificium venerari, & adorare, cogimur nõ ſolùm humana ſed multò maximè diuina lege: at ritum Græcum vitare humana duntaxat lege cogimur; quæ diuinæ concedere ſemper debet.

Mitto, Græcanici ritus imitationem nõ in eo ſitam eſſe, quòd quis Græcorum Miſſas audit, ſed quia illorum more celebrat: non quia illorum interſumus Baptiſmo; ſed quia morem illorum in baptizando exprimimus. & ſicut Romana Eccleſia probat Græcorum ritum, eúmque nationi Græcæ præcipit, ſed eum non imitatur: ſic, qui Græcorum Miſſas audit, quas Romana concedit Eccleſia, probat illas, nec tamen imitatur; nec propriè eſt ritus illorum particeps; ſed potiùs ſpectator ac teſtis: ſalua tamen ſemper meliore ac veriore ſententia.

Sintne apud Schiſmaticos & Hæreticos vera Sacramenta, Academica Diſputatio.

QVÆSTIO XLVIII.

1. Alia, nec perparua, nec de re leui, controuerſia ab illo ipſo noſtræ ſodalitatis Patre proponebatur. Eſſent ne apud Schiſmaticos & Hæreticos vera Sacramenta, propriè autem de Græcis ſciſcitabatur. Quod autem à me is tunc reſponſum tulerit, minimè neceſſarium duxi hoc tempore vſquequaque indicare. Dixi, vſquequaque: quia in nonnullis rebus, quæ ad hoc genus affectæ ſunt, libens, quod tunc feci, etiam nunc ſententiam meam profitebor: neque enim de iis errantem & vagam opinionem, ſed certum ac fixum opus eſt habere iudicium. Quædam alia mihi nec prorſus præcepta nec explorata in Romanæ Eccleſiæ arbitrium venire volo: de quibus ipſe nec quidquam cenſendo, neque aſſentiendo diſſeram: ſed more dumtaxat Academico, quid in ambas contrarias partes tum confirmando, tum infirmando dici poſſit, pro ingenij mei tenuitate exquiram. In quibus igitur veri & cogniti conſtitutio verſari videtur, ea in pauca enuntiata concludã.

I. Enuntiatum. Apud Schiſmaticos, atque Hæreticos vera Sacramenta cum vero Sacerdotio eſſe poſſe, & re vera fuiſſe, & eſſe, & ab ipſis vera confici Sacramenta non inficiantur Catholici.

II. Enuntiatum. Sacramentum Baptiſmi non ſolùm in natione Græca ſed in multis etiam hominum Latinorum Hæreticis Prouinciis reperitur.

2. III. Enuntiatum. Si in aliqua regione, dum in ea incorruptæ religionis ſtudia vigebant, promulgatum fuit Concilium Tridentinum, & decretum de cõtrahendo matrimonio; ſi ea ipſa ad perfidiam hæreſis poſtea delabatur, atque in eadem occidat Sacerdotium, iuſta legitimáque connubia nequaquam ineuntur: rata tamen eſſe poſſent, ſi Romanus Pontifex contrahendi rationem à ſanctione Concilij diſcrepantem, aut apertè aut tacitè comprobaret.

IV. Enuntiatum. Epiſcopos, ſiue è Græcanica gente, ſiue è quauis natione à Romano Pontifice delectos, veros legitimóſque eſſe Epiſcopos certa fide fateri cogimur, his verbis Concilio Tridentino decernente ſeſſ. 23. can. 8. Si quis dixerit, « Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos & « veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, anathema ſit. Et quamuis à Romani Pontificis poteſtate, fideque deinde deſciſcerent, nõ deſinerent veri eſſe Epiſcopi: nec poteſtas in iis ordinis interiret: ita tum creandi Sacerdotes, tum adminiſtrandi Sacramenta nullo nouo charactere egerent.

V. Pars ea Græcorum, quæ Sacerdotium, doctrinam fidei, & iuſſa à Romana capeſſit Eccleſia, vero Sacerdotio veriſque Sacramentis prædita eſt.

VI. Poſt lõga annorum ſpatia, quibus ab hæreticis tum intermiſſa, tum deſerta eſt Catholicæ religionis diſciplina, ſacræ contemptæ ceremoniæ, omiſſa Sacrificia, neglecta Sacramenta, Romanæ ſedis deſpecta auctoritas, ab eorum finibus in multis orbis terræ partibus exulaſſe Sacramenta, omnémque Sacerdotalem poteſtatem, atque ordinem extinctum eſſe nemo pernegarit: nam pro teſtimonio dicet Scythia, Perſis, Parthia, Britannia, & pleræque aliæ Prouinciæ: Núm ne idem malum vexauerit, atque etiam nunc vexet eas Orientis Prouincias, quæ vnius Conſtantinopolitani Patriarchæ nutu & poteſtate reguntur; cunctúmque ei Sacerdotalem ordinem acceptum referunt; & quæ cum Romana Eccleſia nullum commercium habent, & quibus ob ſuorum perditorum dogmatum luem in Latinorum genus vniuerſum, eſt odium pe-

nitus inſitum; eámque ipſam ob rem totos ſe iam pridem ab Romano Pontifice abalienarunt, num, inquam, idem malum iſtas Prouincias corruperit, id eſt, an in iis diuturnitate diſſidij, hæreſeωſque vetuſtate Sacerdotium obrutum, & Sacramentorum vera religio extabuerit, nunc contrariis argumentis veteris Academiæ inſtituto diſquiremus: iudicium noſtrum nullum interponemus: lectorum integrum ac liberum relinquemus.

3. Sic autem pro Græcis, & contra Græcos propugnabimus; vt ſingulis argumentis expoſitis diſſolutiones continuò ſubiungamus. Ac primùm confligamus pro Græcis.

Ea igitur prima ac magna occurrit ratio. Quòd Latina Eccleſia numquã Græcis exprobrauit, quòd vel eorum irritum Sacerdotium, vel eorum inania fictáve eſſent Sacramenta: imò tum Theologi, tum reliqui Catholici fatentur, eos Chriſti Domini corpus in pane fermentato conficere, ſicut nos in Azymo. Temerarium igitur & periculoſum videtur de veritate Sacerdotij Græcorum, atque de eorum Sacramentis dubitare.

Reſpondeo, propter ius ambiguum, neminem re quam pacatè poſſidet, à iudice ſpoliari. Cùm igitur non conſtet, Græcis aut ob violata fidei dogmata, aut ob calamitatem temporum Sacerdotium periiſſe, noluit Romana Eccleſia adhuc pronunriare illos legitimi Sacerdotij poſſeſſione eſſe deiectos. Ad hoc; cùm in genere Græcorum non pauci ſint Catholici, qui in Catholicorum principum ditione omnium ſuarum rerum domicilium collocarunt; qui etiam ipſi ab Epiſcopis Latinis Sacerdotio initiantur, qui tamen Græco ritu myſteria ſacra conficiunt, & adminiſtrant, nimirum propter hanc multitudinem Latini doctores affirmare potuerunt, nec Sacerdotes, nec Sacramenta Græcis deeſſe.

Adde. Quòd hæ duæ Enũtiationes nec verbis, nec re conſiſtunt, ſed ſunt valde diſiunctæ. Græci, in myſterio Dominici corporis, pane, qui eſt fermento ſubactus, vti legitimè poſſunt. Et Græcorum, qui ſchiſmate atque hæreſi corrupti ſunt, verum eſt Sacerdotium, verúmque Sacrificium. Primum enim affirmat tradítque Romana Eccleſia, vti certum, & omnino credendum: de ſecundo rectius putat nõ contendere, ſeu moleſtiam iſti nationi exhibere.

Accedit eòdem, quòd non perinde de Sacerdotio, & Sacramentis Græcæ Eccleſiæ ſentire, & loqui cogimur, vt de Sacerdotio, & Sacramentis Romanæ Eccleſiæ. in hac enim, quæ orthodoxæ fidei tutiſſimum eſt propugnaculum, verum eſſe Sacerdotiũ cum veris Sacramẽtis Catholica fide & credere & dicere cogimur; in Eccleſia Græca non item; quamuis nullo ſeu ſchiſmatis ſeu hæreſis morbo laboraret.

Secundum Argumentum. Opinio, quę Sacerdotio eſt infenſa Græcorum, plurimos viros Catholicos condemnat, qui in Gręcorum regionibus degunt: eorúmque Sacrificiis interſunt: atque eorundem Euchariſtiam venerantur. 4.

Reſp. ſi iſti Catholici ad ſacrificia Schiſmaticorum & Hæreticorũ Sacerdotum Græcę gentis accedunt, non ab huius opinionis auctoribus, verùm à ſacris canonibus condemnantur; qui communionem in ſpiritualibus cum homine ſchiſmatico, & hæretico magnopere execrantur, ſeuerè interdicunt, & puniunt.

Tertium Argumentum. Si Græca Eccleſia cum Latina de ſumma religionis, & fidei iterum vna voce & mente conſentiret; huic conſenſioni parum conſentaneum videretur, Græcis Sacerdotibus legem imponere nouos ordines ſacros ſuſcipiendi: neque id Romana Eccleſia ad vitandas turbas & ſimultates, aut conaretur, aut à Græcis exigeret: ne in coitione diſtractio quæſita putaretur: quare, &c.

Reſpondeo, ideo iſtuc non molituram Romanam Eccleſiam, vel quia problematis, in quo verſamur, humaniorem partem ſequi vellet: vel quia adoriri, euertere quæ conuellere non poſſis, nec ſapientis,

nec

nec conſilio prædìti hominis,eſſe arbitraretur Eccleſia.

5. Quartum argumentum è narratione hominis Sacerdotis ſpectata religione petitum. Pontifice Clemente VIII. qui etiã nunc Chriſti moderatur Eccleſiæ, Romæ inter viros doctos contrariis eſt certatum ſententiis:vtrùm Apoſtolicæ ſedis beneficio collegij Græci alumni, qui in vrbe Põtificiis ſumptibus aluntur, quum ſuas ſedes reuiſunt, à ſuis Epiſcopis Schiſmaticis ſacris ordinibus initiari queant:negauítq; hic ipſe Sacerdos,ab illis doctoribus, noſtrique Romani Collegij Theologis, in controuerſiam vocatum eſſe, eſſent ne eiuſmodi Epiſcopi legitimo charactere inſigniti.

Reſpondere poſſent contrariæ ſententiæ patroni, ſi, quod narratur,verum eſt, Theologos illos Sacerdotio Græcanico & Epiſcoporum charactéri idcirco fauiſſe,quoniam, vt id facere poſſent, anceps huius problematis fides iis largiebatur. Dicerent etiam iidem patroni,totas Academias de rebus maximis ſæpe contraria ſenſiſſe,atque ſcripſiſſe. Præterquã quòd non id agebatur eo tempore inter homines eruditos, an in Epiſcopis Græcis, & Schiſmaticis reſideret verus character néc ne; ſed id vnum diſſerebatur,an conceſſu Romani Pontificis, ob ſchiſmatis vitium, quamuis Epiſcopi veri eſſent, Græcis alũnis,& iiſdem Catholicis,poſſent ſacros ordines impertiri.

Quintum in eiuſdem Sacerdotis ſermone petitum. Quoniam Orientis Epiſcopi, Latinorum odio crudeliter imbuti, non ſolùm alienos, ſed etiam ſuæ gentis Sacerdores, qui à Latino Epiſcopo inſtituuntur, repudiare conſueuerunt:idcirco Romæ permiſſum eſt, vt iuuenes Græci, qui in collegio Græco erudiuntur, ordines ſacros ab Epiſcopo Græco recipiant:at fieri poteſt, vt is Epiſcopus ab Schiſmaticis & Hæreticis Epiſcopis in terris Orientis creatus ſit:ergo Romana curia Græcorum Epiſcoporum ordinem pro adulterino non habet.

6. Huic argumentationi, quæ omnium robuſtiſſima videtur, multis modis occurritur. Primùm, dici poteſt id non iuſſu ſed permiſſu fieri Romani Pontificis.Deinde, id effici ex ea opinione, quæ Græci Sacerdotij eſt fautrix, poſſe Epiſcopum illum è Catholicis eſſe vnum, qui aut à Latinis, aut à Catholicis Epiſcopis conſecratus eſt. Denique quartum quintúmque argumentum non plus huic parti fidei adfert quàm faciat narrantis auctoritas.

Hæc pro Græcis. Contra Græcos nunc pauca dicamus:&,quæ in contrariam ſententiam inuenerimus, & explicauerimus, argumenta,diluamus. Principio igitur ſic argumentari licet. Sacramenta ſunt quædam fidei proteſtationes, vt loquitur D. Thom.in 3. par. qu. 72. art. 5. ad 2.& in 4. ſent.d.1.q.1.ar.2.q.4.& d.2.q.2.art.1.q.3.ad 2. argumentum:ſuntque hæc tria, fides, Sacerdotium,& Sacramenta;adeo ſociata atque coniuncta, vt vnum ſine altero cohærere vix poſſit:ergo amiſſa fide, verum Sacerdotiũm, veráque Sacramenta in iis Prouinciis occidere videmus,quę Catholica fide in iis vigente, floruiſſe nõ ignoramus.Quum ergo Græcia, tot ſæculis Romanæ Eccleſiæ,quæ columna eſt veritatis, & doctrinam fidei & auctoritatem deſpexerit, manſiſſe in illa verum Sacerdotium cum veris Sacramentis haud veriſimile videtur. Confirmatur.Si fidem teſtantur Sacramenta,quî fieri poteſt vt vera Sacramenta ſint ſigna perfidiæ,quæ iampridem Græcorum mentes occupauit?

Reſpondeo, Sacramenta tum diuinæ benignitatis,cæleſtiſque gratiæ, tum fidei quam ſemper Eccleſia tuetur Catholica, Symbola eſſe certiſſima:triáque illa;Fidẽ, Sacerdotium, Sacramenta in Catholica Romanáque Eccleſia ſemper fuiſſe, eſſe, & fore connexa: at in reliquis Eccleſiis vnum ab altero poſſe diuelli. Quid? an non eſt apud Græcos Schiſmaticos, & Hæreticos verus Baptiſmus? Quid? in iis Prouinciis, in quibus fuit hæreſis proſeminata, an non totidem annos Sacerdotium mãſit à fide diſtractum, quot annos

Epiſcopi & Sacerdotes recentium dogmatum erroribus infatuati vixerunt? At perabſurdum videtur, veris fidei notis, qualia ſunt Sacramenta, poſſe eos profiteri Chriſtianam fidem, & Chriſtiani populi ſanctam ſocietatem, qui pleni erant diſſidij atque perfidiæ. Hanc, quæ nunc defenditur, ſententiam, iſta ſine dubio comitaretur abſurditas, ſi Schiſmaticorum Hæreticorúmque Sacramenta ſuapte natura, & Chriſti inſtituto, non fidem caritatémque Eccleſiæ Catholicæ indicarent.

7. Sicut enim Epiſcopus (libet hoc loco ſententiam verbaque deſcribere è Durãdo in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. num. 6. ad 1. argu-
« mentum) quantumcumque malus, & hæ-
« reticus, & præciſus, & degradatus coniun-
« gitur in Sacramentorum adminiſtratione
« Chriſto, vt principali agenti ratione pote-
« ſtatis miniſterialis, quam accepit in Con-
« ſecratione; & ratione fidei Eccleſiæ, ſi in-
« tẽdat facere, quod facit Eccleſia; quamuis
« illud valere non credat: ſic quæ iidem Epiſcopi & Sacerdotes conficiunt Sacramenta; tum voluntatis, inſtitutionis, & gratiæ Chriſti, tum caritatis Eccleſiæ & fidei teſtificationem habent inſignem.

Perurgebis hoc item argumento. Cur poſt tam multa ſæcula non ſit perpeſſa Græcia, quod tam multas Prouincias poſt multò pauciorum annorum conuerſionem paſſas eſſe videmus, vt cum fide Sacerdotium, Sacrificium, & ea quæ ſine Sacerdotio conſiſtere nequeunt Sacramenta, Euchariſtiam, ordinem, confirmationem, pœnitentiam amiſerit? Reſpondeo, id mali ideo aliis inuectũ eſſe prouinciis: quòd ſine iis rebus ſaluas ſe eſſe poſſe falsò crediderunt. At Græcia, quia, ſi iiſdem diuinis præſidiis nudata eſſet, ſalutem ſuã protſus afflictam eſſe ſibi ſemper perſuaſit; ideo ne ea ſibi ſalutis ſubſidia eriperẽtur, obnixè laborauit. Vtinam tantumdem laboris & ſtudij in Romanæ Eccleſiæ doctrina retinenda, atque in eiuſdem principatu poteſtatéque tuenda poſuiſſet.

8. Sed ſit ſecundum Argumentum. Non placet Græcis, totius Sacerdotij poteſtatiſque Sacerdotalis eſſe ſecundùm Chriſtum fontem ac parentem Romanum Pontificem: volunt enim illi ſuum Sacerdotium fluere aliunde, atque ab alio ſatore proficiſci. Cùm ergo diuinæ repugnet inſtitutioni, ac prouidentiæ, duo eſſe in terris Chriſtiani Sacerdotij initia, atque primordia: vnum Latinum, alterum Græcum; vnum in Romano Pontifice, alterum in Patriarcha Conſtantinopolitano collocatũ eſſe; leuis eſſe hominis videtur, credere, Deum Græcis aut tradere aut cõſeruare voluiſſe verum legitimúmque Sacerdotium, à ſui Vicarij Sacerdotio auulſum: quod ſanè auulſum eſſe non poteſt, ſi verum, legitimum futurum ſit Sacerdotium.

Reſpondeo, non ideo Ariſtoteles, & quicumq; philoſophi quòd mundũ æternum eſſe ſtatuerunt, nullúmque primum hominem, vel fœminam extitiſſe putauerunt, non ſunt ab Adamo & Eua profecti. Idem hic de Græcis dicendum eſt, non poſſe eos falſo errore imbutos, quamuis viribus omnibus adnitantur, primas radices, & ſemina tum ſui tum noſtri, tum vniuerſi Sacerdotij, aut tollere, aut commutare.

Porro Deus Græcanicum Sacerdotiũ vti ſobolem ab vtero Romanæ Eccleſiæ ſuppreſſam conſeruat: vel quò ipſius Dei etiam erga ſuos hoſtes illuſtrior ſit beneficentia, vel quò Græcis ad Catholicæ fidei complexum ſit reditus facilior; vel certè vt omnis illis facultas præciſa ſit ſui diuortij, ſuæque impietatis defendendæ.

Tertium Argumentum. Si Schiſmatici Græci noſtros non recipiunt Sacerdotes, cur nos illorum recipiamus?

Reſpondeo. Quia quod iis inſcitia, temeritas, hæreticáque impudẽtia largitur, 9.
id nobis Chriſtiana modeſtia, caritas & ſcientia nullo modo permittit. An non pari ſtultitia & impietate fieri verum nobis adimunt Sacrificium; ad quod conficiendum negant panes azymos poſſe adhiberi? itaque nos azymitas appellant, & execrãtur, & anathematizant: vt teſtis eſt

Anſel

Anſelmus in epiſtola de fermentato, & azymo ad Waleramum Nuemburgenſem Epiſcopum. quod cùm faciunt Græci, Chriſtum ipſum anathematizant, vt idem concludit Anſelmus.

Nec ſinunt, teſte Guidone Carmelita, Latinos Sacerdotes ad aras ſuas ſacrificium facere: quòd ſi illis ipſis inſcientibus, aut repugnantibus fecerunt, lauant altaria, quaſi fuerint Latino, nec vero Sacrificio polluta. Ac licèt in Concilio Florentino deteſtabilem hanc ſuam hæreſim abiecerint; iterum nihilominus eamdem hauſerunt, generalis Synodi auctoritate contempta, vt lib. 6. aduerſus hæreſes ſcribit Alphonſus à Caſtro in verbo Euchariſtia, hæreſi ſecunda: nos tamen Latini confeſſi ſumus, Græcos in fermentato verum Sacrificium poſſe conficere. Tametſi eodem loco probat Alphonſus eos ſic conficiendo peccare: propterea quòd veræ Eccleſiæ antiſtites, ſummûque Hierarcham ſpernunt, atque condemnant.

Eſt ea quoque commodior diſſoluendi argumenti ratio, quòd Græci non inficiantur, Latinos Sacerdotes eſſe veros Sacerdotes, ſed non legitima, & neceſſaria materia vti in ſacrificando: cùm noſtra materia fermenti expers ad eam quam conſecrauit Chriſtus multò propius accedat.

10. Quartum Argumentum. Prælati Eccleſiarum, qui nec eligi, nec poſtulari poſſunt, confirmari & conſecrari non poſſunt: eſt enim electio, tum confirmationis, tum conſecrationis prælatorum veluti fundamentum: ſed electiones quamplurimæ irritæ ſunt, vel vitio eorum, qui eligunt, vel eorum, qui eliguntur, vel quia non ſeruatur forma, & neceſſaria ratio eligendi ab Eccleſia præſcripta: ergo prælatorum Græcorum Schiſmaticorum, ſiue ſint Abbates ſiue Epiſcopi, ſunt vitioſæ ac nullæ electiones; nam fere ij eligunt, quibus nulla eſt eligendi poteſtas, tum propter hæreſim, tum propter ſchiſma, tū propter cenſuras excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, tum propter irregularitatem, tū propter alia crimina; neque eaſdē ob cauſſas eligi poſſunt, qui eliguntur: quæ item in eligendo prælato à ſacris canonibus præcipiuntur, à Græcis vel cum pernicioſa inſcitia ignorantur, vel arroganter contemnuntur; quare inanem eorum electionem eſſe oportet.

Hoc argumento magis premi videntur ij qui nolunt Epiſcopatum vllum eſſe ordinis Sacramentum, vllúmve imprimere characterem in eo qui eum ſuſcipit; quàm ij, qui conſtituunt eumdem tum Sacramentum eſſe, tum characterem in animo ſuſcipientis relinquere. Dicerent enim illi, Epiſcoporum ordinem iure diuino quædam tantùm exigere, quæ, ſi adſint, illius ſuſceptionem, & characterem non impedire: quamuis perſona, quæ conſecratur, aliis careat qualitatibus, quas ius humanum Eccleſiæ inuenit.

Quare, ſicut puer, & quilibet baptizatus, licèt ſit hæreticus, excommunicatus, irregularis, criminoſus, Sacerdotij eſt capax: ita Epiſcopalis ordinis particeps eſſe poteſt. Et quemadmodum vitium electionis in eo, qui ad Sacerdotium vocatur, non facit irritam Sacerdotis ſacrā ordinationem: ſic irrita electio eius qui creatur Epiſcopus, non facit eius ordinationem inanem.

11. Hæc dicendi ratio fermè totidem verbis vſurpari poſſet ab iis qui negant Epiſcopatum ordinem eſſe ab Sacerdotio diſtinctum, in eo quòd facer eſt cum impreſſione characteris; quamuis poteſtas ſit quædam ſimplici Sacerdotio ſuperior ad hierarchicas functiones exercendas inuenta diuinitus conſecratione Epiſcopis collata; ita vt deſerere eos numquam poſſit. Quæ ſententia fermè eſt omnium principum Theologorum D. Thomæ in 4. ſen. d. 24. qu. 3. art. 2. qu. 2. ad 2. & in eod. lib. d. 25. q. 1. art. 2. ad 2. D. Bonauentura in 4. ſent. d. 24. art. 2. q. 3. vbi ad eamdem ſententiam complexus eſt Magiſtrum Hugonem, & Magiſtum ſententiarum, dicitque communem Theologorum eſſe ſententiam: Alexandri Alenſis in 4. par. q. 20.

memb.8.art.1. Alber.magni in 4.ſent. d. 14.art. 39. & Turrecrematæ in cap.cleros d.21.art.5.Richardi in 4.ſent. d.24.art.5.q. 2.Scoti in eamdem diſt.24. q. vnica. art.3. Soti in eamd.diſt.qu.2.art.3.qui ait aduerſari communi ſententiæ & vſui Eccleſiæ, eos qui volunt Epiſcopatum eſſe ordinis Sacramentum. Addamus ipſi Concilium Tridentinum ſeſſ. 23.cap.2.vbi numerans omnes ordines, ſiluit de Epiſcopatu. Hi ergo dicent Epiſcoporum poreſtatem à Chriſto manaſſe, in ea tradenda nonnulla ad ſubſtantiam conſecrationis pertinẽtia tenenda eſſe;reliqua, quæ ab Eccleſia de electione conſecrandarum perſonarũ reperta ſunt, ab eſſentia conſecrationis abiuncta eſſe;qua conſecratione ſola efficiuntur Epiſcopi,quicumq;conſecrantur.

12. Quintum Argumentum. Sublatis iis quæ eſſentiam conſtituunt conſecrationis,perimitur conſecratio:perempta conſecratione,Epiſcoporum ordo perimitur: Ordine perẽpto Epiſcoporum, perimitur ordo Sacerdotũ: ſed ad veri ſpeciem maximè propendet,Græcorũ myſtagogos & Antiſtites ab Romana Eccleſia abalienatos,aut neſcire, aut non obſeruare quæ in Epiſcoporum conſecratione ſeruanda ſunt neceſſariò: ergo nulla erit illorum conſecratio.

Minor Syllogiſmi propoſitio probatur. Quum enim, vt inquit Richardus in 4. ſent.d.24.art.5.qu.1. Epiſcopatus non ſit Sacramentum,ſed ſacramentale, credere poſſumus id, quod ante nos nonnulli canonum præſtantes interpretes crediderunt, ritum & formam conferendæ Epiſcopalis poteſtatis,à Chriſto,Eccleſię eiuſque Vicario eſſe permiſſam. At Romani Pontificis iuſſa ac decreta irrident multos ab hinc annos Gręci.Ergo forma quoque conſecrandorum Epiſcoporum in Romano Rituali, ſeu Pontificali præſcripta,ac in diuerſis Eccleſiæ ſanctionibus indicata,erit illis ludibrio.

Iam verò,cũ in conſecratione Epiſcopi, is qui conſecratur, chriſmate vngatur, librum ceruice ſuſtineat; à tribus Epiſcopis conſecretur; Mitra capiti imponatur;annulus & baculus ei tradatur; conſecratio tota ab vno de tribus Epiſcopis perficiatur; ſine Metropolitani ſententia non creetur: & cùm in harum rerum genere liber ceruici impoſitus, numerus triũ Epiſcoporum, vnctio, naturam intimam attingant conſecrationis, & aliquid etiam præter hæc, perdifficile eſt horum aliquid aut non ignorari, aut non prætermitti à Græcis, hiſce præſertim temporibus,quibus ab Rege Turcarum Græcia crudeli premitur dominatu, habétque intolerandæ tyrannidis vinculis mirè ſuum impeditum Sacerdotium, impeditámque iuriſdictionem.

Reſpondeo,Nõ hoc perleue eſſe argumentũ cui tamẽ multiplici ratione poſſet occurri.In primis, ſi Græcos de ſuo tuẽdo Sacerdotio cura attingit, hanc cum acri ſtudio & diligentia, nec amittendæ nec omittendæ veræ Conſecrationis,coniunctam eſſe neceſſe eſt. 13.

Nec Græci deſpicatui ducent canonem Concilij Niceni I. ex cap. 6. quod pręcipit,Epiſcopum ab omnibus qui ſunt in Prouincia Epiſcopis, ordinari debere; quòd ſi id fieri non poſſet,minimùm à tribus:quem canonem confirmatir, vel potiùs antea tulit Anacletus in epiſtola 2. ad Epiſcopos Italiæ, & Anicetus in epiſtola ad Epiſcopos Gallię,& Martinus in Cõcilio:quas ſãctiones habes in decretis d.64. & in decretalibus. Si Archiepiſcopus. &, ne Epiſcopi,de temporibus ordinationũ. Imò Concilium illud Martini,ordinationem Epiſcopi abſque Concilio Epiſcoporum & præſentia factam Metropolitani,nihil valere decernit:idémque in Concilio Antiocheno cap.19.decretum eſt:vide canonem 2.& 3.diſt.65.Caput etiam 6. Conc. Niceni primi definit Epiſcopum eſſe non oportere, ſi quis præter ſententiã ſui Metropolitani fuerit factus Epiſcopus: & ternariũ numerum Epiſcoporum conſecrãtium eſſe neceſſarium,exemplo beati Iacobi Hieroſolymitanj Archiepiſcopi docet Anacletus in illa epiſt.ad Epiſcopos

Ita

Italiæ, eiúſque canon habetur, diſt. *66.* porrò.

Deinde, dici poſſet pro Græcis, trium Epiſcoporum numerum non attingere vim intimam conſecrationis, vt ſentit Paludanus in lib. de poteſtate Papæ, quẽ citat & ſequi videtur D.Ant. in 3.p.tit.14. c.16. §. 9. & Syluester, in verbo, Conſecratio prælatorum, initio, quibus locis exequuntur ea quæ ſubſtantiã conſecrationis abſoluunt. Sanè D.Tho. apertè ſcribit in 4.ſent.d.24.q.3.art.1.ad 3. Epiſcopũ conſecrare poſſe Epiſcopum, idemque ſentit Durand. in eand.d.q.6. ſed non addunt, ſolum vnum Epiſcopum id poſſe; quare crediderim ſine Romani Pontificis conceſſu hoc non poſſe.

14. Diſpenſaſſe autẽ Gregorium Magnum cum Britannis ad fidem conuerſis, vt Epiſcopi conſecrarentur à paucioribus quàm à tribus, teſtis eſt in eo tractatu Paludanus. Quum verò canones decernunt, aut irritam, aut non valere ordinationem factam ſine præſentia vel auctoritate Metropolitani, & concilio aliorum Epiſcoporum, intelligunt, aut ab officio remouendos eſſe Epiſcopos contra canones inſtitutos, aut non habere executionem munerum & iuriſdictionis: manere tamẽ in iis conſecrationem & poteſtatem cum conſecratione acceptam.

Poſtremò, dici poſſet pro Græcorum Epiſcopis, conſeruari apud eos formam ſubſtantialem conſecrationis: quæ ſi re quapiam à Romana differat conſenſu Romanæ Eccleſiæ olim diſcrepaſſe.

Sextum argumentum. Legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem in aliqua Eccleſia numquam interruptã eſſe, eſt vnius Romanæ Eccleſiæ priuilegium; quemadmodum diſceptatores Catholici perſuadent: ergo illud Græcorum Eccleſiæ concedendum non eſt. Reſpondeo, hac ratiocinatione non magis Græcorum quàm Latinorum Epiſcoporum ſucceſſionem oppugnari.

Sciendum igitur, Romanæ Eccleſiæ, de qua nunc loquimur, priuilegium, duobus capitibus contineri. Alterũ eſt: quòd Romana Eccleſia, quæ cæterarum caput eſt, rectrix & magiſtra ad huc fuit, & poſthac felix futura eſt immutabili continuatione, tum Sacerdotalis Põtificiæque poteſtatis, tum legitima Catholicæ Eccleſiæ adminiſtratione, tum fidei à Diuo Petro traditæ integritate: quæ tria copulata & numquam interrupta in nulla alia fortaſſe particulari Eccleſia liceat reperire. Alterum caput eſt: quòd illa tria, fides, veritas Sacerdotij, & legitima poteſtas geſti gerendique Pontificatus, non modò in Romana Eccleſia numquam ceſſarunt, ſed ne ceſſare quidem poſſunt quamdiu mortalium hæc rerum vniuerſitas ſtabit: idque tum ob Chriſti precationem pro Petro exorantis Patrem, de qua eſt apud Lucam, cap.22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*: quam orationem à Patre auditã eſſe dubitare eſt nefas: tum ob eiuſdem Chriſti minimè fallax promiſſum, apud Matth.cap.16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Præterea longè aliud eſt de priuilegio 15. Eccleſiæ Romanæ loqui, eam comparando cum quapiam alia ſingulari Eccleſia: & eandem cum tota aliqua natione, atque Prouincia conferendo, non quidem in omnibus illis tribus rebus, ſed in ſacerdotalis Epiſcopaliſque ordinis dumtaxat propagatione & ſerie. In priore ratione conferendi Eccleſiæ Romanę propria legitima prȩſulum poteſt dici eſſe ſucceſſio: in poſteriore non eſt neceſſe ea Romanæ tantùm Eccleſiæ conuenire.

Septimum argumentum. Græcorum factio tot ſæculis à Latina Eccleſia diſſidens, Romano Pontifici, eiúſque nomini inimica, à Patriarcha Conſtantinopolitano, quem tamquam ſuum Hierarcham veneratur & colit, accipit Epiſcopos, & ab Epiſcopis Sacerdotes: ſed ille Patriarcha nec vnus, nec legitimus eſt Patriarcha: ergo neque Epiſcopi ſunt veri legitimíve Epiſcopi, nec Sacerdotes veri Sacerdotes; neque eorum Sacramenta quæ

cum Sacerdotij ordine neceſſariò iunguntur,vt Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia,&c. vera ſunt Sacramenta.

Aſſumptio probatur. Cùm enim Patriarcha Conſtantinopolitanus & pallium accipere, & confirmari debeat, ſicut reliqui omnes Patriarchæ, à Romano Pontifice, is ab Rege Turcarum confirmatur, ab eodem vel ſolo nutu abdicatur: vnóquè menſe, ſi ei collibitum fuerit,decem, viginti,trigintáque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſules commutabit: ac fieri nō poteſt, vt eiuſdem Eccleſiæ plures eſſe queant Antiſtites,ac paſtores maximè nutu Regis Turcarum inſtituti, & confirmati.

Confirmatur hæc ſeptima & poſtrema ratio. Græci Sacerdotij fontes, id eſt, quatuor Patriarchæ, ſunt omnes corrupti atque ſpurij,non veri,non legitimi: ergo nec veri ſunt Epiſcopi,aut Sacerdotes,qui ab illis fontibus fluunt. Antecedentis probatio ea eſt: quòd Romana Eccleſia quatuor creat Orientis Patriarchas: quod nō faceret, ſi ij quos Schiſmatica Græcia ſibi inſtituit, eſſent veri Patriarchæ. Augent huius probationis robur verba illa, quæ in Romano Pontificali legūtur, vbi de conſecratione agitur Epiſcoporum, Eccleſiarum Cathedralium, ſiue Metropolitanarum; ac Patriarchalium prouiſiones, ſeu electionum ad illas confirmationes ad ſedem Apoſtolicam hodie pleno iure pertinent: & ab eadem Eccleſiis paſtore viduatis vel de nouo prouidetur; vel electiones ab illis, quibus ex Priuilegio licet, canonicè celebratæ confirmantur. Hæc ſyllabatim in Pontificali: neque fas eſt credere velle ius hoc ſuum Romanam Eccleſiam Schiſmaticis & Hæreticis communicare: non igitur apud eos veri remanent paſtores,atque Epiſcopi.

16. Huius extremæ argumentationis reprehenſionem in duabus propoſitionibus conſtituam. Prior propoſitio. Non eſt hoc neceſſariū connexum: non ſunt apud Schiſmaticos, & Hæreticos Græcos veri Patriarchæ: ergo neque veri Epiſcopi: eſſe enim fontem totius Græci Sacerdotij Patriarcham Conſtantinopolitanum ſine approbatione ſumitur: id enim nō poteſt eſſe cōceſſum. Primùm, quia totius Chriſtiani Sacerdotij fons vnus eſt, Petrus, inquam, Petrique ſucceſſor Rom. Pontifex. Deinde, quia potiùs ſumi par erat ordinē Patriarcharū eſſe Epiſcopalis ordinis ſtirpem ſeu propaginem quàm ſecus. ex Epiſcopis enim fiunt Patriarchæ. Poſtremò, quia tum Patriarchatu, tum Epiſcopatu eſt Sacerdotium antiquius: nam in Cœna Chriſtus primùm ſuos Apoſtolos Sacerdotes inſtituit: deinde, credere poſſumus poſt reſurrectionem ab eodem Epiſcopos fuiſſe inſtitutos, & Sacerdotium quidem ab Epiſcopatu poteſt eſſe ſeiunctum, Epiſcopatus autem ſine Sacerdotio conſiſtere nulla ratione poteſt: ſiquidem ordo Sacerdotalis, & Conſecratio efficiunt ordinem Epiſcopalem.

Poſterior propoſitio. Non eſt hæc conſecutio neceſſaria. Romanus Pontif. creat quatuor Oriētis Patriarchas, omnes item alios tum Patriarchas, tum Epiſcopos: ergo, ſi Romano Pontif. non conſulto, vel etiam repugnante, aliqui conſecrantur Epiſcopi, non ſunt veri Epiſcopi: eſt illud quidem conſentaneum non eſſe legitimos paſtores: neque ius habere adminiſtrandi Pontificatus, ſeu gubernandi populi, ſiue propter hæreſim, ſiue propter ſchiſma, ſiue propter quampiā cenſuram Eccleſiaſticā, ſiue ob aliud crimē. Poſſunt enim eiuſmodi Patriarchæ & Epiſcopi carere legitimo iure officij ſui, ac muneris, ordinis pontificalis poteſtate retenta; quam in ſua conſecratione acceperunt. Atque hîc noſtra hæc Academica diſputatio habeat extremum. Vtra verò pars ſit probabilior ac verior, non mei eſt arbitrij ſtatuere, ſed Apoſtolicæ ſedis diiudicare.

QVÆSTIO XLIX.

INter multos familiæ cuiuſdam Deo deuotæ ſodales, eſt me præſente habita altercа 1.

altercatio: Eſſentne maioris hebdomadæ diebus, quibus Euangelium Dominicæ paſſionis legitur à Sacerdote in templis, accenſa funalia in altari relinquenda; an potiùs extinguenda.

Ipſe eius partis fui, quæ negabat, ſine lumine recitari palam populo non debere paſſionis Chriſti ad aram, Sacram hiſtoriam: Diſceſſique ab ea conſuetudine, qua ipſos viginti annos eram vſus, non appoſito lumine, aut veriùs eo ſublato paſſionem Domini legendi. Immutatæ verò conſuetudinis rationes multæ fuerunt.

Prima. Quòd animaduerti, Theologos in 4. ſentent. diſtinct. 13. & ſummarum ſcriptores concordiſſimè ſcribere, ſine lumine abſque lethali culpa Miſſam celebrari non poſſe; nec Miſſam vllam aut Miſſæ partem excipiunt. De mortifera autem culpa ex communi ſententia Doctorum teſtis eſt etiam Armilla, in verbo, Miſſa, num. 5. id apertè docet Diuus Antoninus in 3. parte, tit. 13. cap. 6. §. 6. & Syluester, in verbo, Miſſa, tit. 1. quæſt. 2. Angelus, in verbo, Miſſa. §. 36. Et quamuis eſſet dies feſtus, nullomodo permittitur ſine lumine rei diuinæ operam nauare. Vide Diuum Antoninum, & eoſdem Doctores.

Secunda ratio firmatur ex Canone Honorij III. qui eſt extremus de celebratione Miſſarum. Honorius enim ad Epiſcopum Brixienſem ſcribens ei præcipit, vt officio & beneficio perpetuò priuet Sacerdotem quemdam, qui ſine igne & aqua auſus fuerat Miſſam celebrare. Ex quo Canone rectè conficit Syluester, ob grauem pœnam, quam infligit, noxiam eſſe mortiferam ſine igne ſacra operari. Neque decretalis illa, neque eius explanatores vllius diei Miſſam, Miſſæve partem excipiunt.

Tertia ratio. Quoniam hoc in Romana Ciuitate factitari aiebant; quæ Magiſtra cęremoniarum & interpres religionis reliquis orbis Chriſtiani Prouinciis eſſe debet.

Quarta. Quia ſi per eos dies Sacra Eu- 2.
chariſtia ad quempiam moribundum eſt deferenda, non ſine lumine deferretur & referretur: id quod præcipitur in decretali Honorij III. cùm olim, de celebratione Miſſarum.

Quinta ratio. Quia, ſi dum legitur paſſio, flamma fouetur in lampade, cur lumen remouebitur ex altari?

Sexta. Propterea quòd in ipſo illo canone. Cum olim, de celebratione Miſſarum, duæ exponuntur cauſſæ, cur Euchariſtia cũ lumine deferri & referri debeat: Prior eſt, quia candor eſt lucis æternæ. Poſterior, vt apud omnes fides & deuotio augeatur. Ergo, cùm Miſſa inſtituta ſit ad hunc candorem æternæ lucis exprimendum, atque ad fidem & pietatem in mentibus Chriſtiani populi excitandam, ídque maximè deceat fieri in Euangelica narratione Paſſionis Dominicæ, in ea lumina extingui nequaquam conuenit.

Septima ratio. Quia Pij V. conſtitutione vetitum eſt in celebratione Miſſæ alias vſurpare ceremonias, niſi quæ eius mandato præſcriptæ ſunt atque editæ: At lumen extinguere dum paſſio Dominica recitatur, noua eſt ceremonia non præſcripta. Imò, dicet quiſpiã, præſcripta eſt: Nam in Miſſalis Rubrica cauetur, vt ad Euangelium Paſſionis lumina ne deferantur. Verùm id eſt turpiter falli in ratione ceremoniarum: aliud eſt enim noua lumina non deferre ad Euangelium, quæ deferre ſolent Ceropherarij in Miſſis ſolemnibus; aliud lumina iam delata & principio in altari collocata, vel auferre, vel extinguere.

Octaua ratio. Quia multi ſunt Sacer- 3.
dotes ſenio confecti, multi infirmis oculis, aſpectu obtuſo, atque hebeti, qui ſine conſpicilis legere non poſſunt.

Nona. Quia ſæpe in tenebricoſis locis ſacrificatur, in obſcuris templis, tempore quo cœlum craſſis eſt obductum nubibus, vt verba ſacra ſine lumine nec videri, nec pronuntiari poſſint.

Decima & poſtrema ratio. Quia DEVS,

Leuitici

Digitized by Google

Leuitici, cap. 6. præceperat, vt ignis in altari ſemper arderet; qui ignis ſeptuaginta annos Babylonicæ captiuitatis accenſus, ac viuus ſub aqua conſeruatus eſt; extinctus verò, Antiocho, Iaſoni vendente Sacerdotium; vt habetur in Canone. Sicut Eunuchus 1. q. 1. qui Canon eſt D. Auguſtini. Vnum tantùm contrariæ ſententiæ probabilitatis ſpeciem aliquam adferebat. Quòd ea luminum, ſeu candelarum extinctio defectionem eam ſignificat, quę in ſole Principe luminum extitit, quo tempore ipſe Chriſtus pro humano genere patiebatur, mortémque oppetebat, vt etiam illius diuinitas tunc obſcurata fuiſſe quodammodo videatur.

Verùm, ſi quidquam firmitatis in hac ratione ineſſet, tunc maximè extingui lumina oporteret, cùm ad conſecrationem venitur corporis & ſanguinis Chriſti: tũc enim eius paſſio multo veriùs repræſentatur, quàm cùm verba Paſſionis eius ex Euangelio recitantur. Deberent etiam cùm ex altari remouẽtur lumina, appenſæ lampades extingui: cur non extinguuntur, ſed ſplendeſcunt? Tantúmque abeſt vt Chriſti Paſſio diuinitatis eius gloriam imminuerit, eam maximè illuſtrauit: ſiquidem illo ipſo tempore, quo patiebatur, ob inuſitata prodigia, quæ contigerunt, verus Filius Dei declaratus fuit.

4. Ac de ea gloria, quam è cruce pendens adepturus erat, loquebatur Chriſtus, cùm poſt digreſſum Iudam, vt eum proderet, coram diſcipulis cæteris dixit, *Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & Devs clarificatus eſt in eo.* Quibus verbis miraculorũ & portentorum magnitudinem ſuæ Paſſionis comitem & dignitatis teſtem ſignificauit. Neque ſolùm maximæ gloriæ, quę ad eum patientem ex eo teterrimo ſupplicio redundare debebat, vates fuit iis verbis, quæ ſunt apud Ioannem, cap. 13. verumetiam eam ipſam à Patre precatus eſt, cap. 17. apud eundem Euangeliſtam. *Pater, venit hora; clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te:* hoc nimirum poſtulabat, quemadmodum interpretatur Hilarius 3. lib. de Trinitate cõtra Arianos diſputans, aliíque præſtantes Doctores, vt homines, qui illum tam dira patientem intuebantur, veri Dei verum Filium eſſe cognoſcerent; cuius precibus & votis omnino annuit Pater. Quò igitur ea priuatio lucis ſolaris pertinuit? D. Chryſoſtomus, in Matthæum, homil. 89. Iram, inquit, Dei (loquitur de Iudæis) propter facta ipſorum commotam eſſe tenebræ illæ ſignificabant. D. Bonauentura, in Lucam. Attendendum autem, inquit, quòd in illa ſolis obſcuratione intelligitur obcæcatio Iudæorum. D. Auguſt. 3. lib. de Ciuitate Dei, cap. 15. vult, ſcelus Iudæorum, occidentium Dominum, diurni luminis auerſione indicatum eſſe: & ne vlla iis excuſationis venia daretur, niſi ob tantam tantarúmque rerum, quæ acciderũt, admirabilitatem reſipiſcerent; quemadmodum in illa homilia oſtendit Diuus Chryſoſtomus.

5. S. Hieronymus, in Matth. cap. 27. ea verba explanans, *à ſexta autem hora tenebræ, &c.* Videtúrque mihi, inquit, clariſſimum lumen mundi; hoc eſt, luminare maius, retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum; aut impij blaſphemantes ſua luce fruerentur. Poterant etiam tenebris illis tenebræ peccatorum ſignificari; quæ lucem fidei & gratiæ diuinæ mortalibus eripiebant. Diuus Ambroſius ad ea quæ magis ſunt abdita, aſſiliens, lib. 10. in Euangelium Lucæ, ſcribit his verbis. Significantur per Domini Paſſionem, occaſura præſentia, vt oriantur futura: vult dicere bona Euangelij, ac vitæ innocentis, & beatæ. Tenebræ igitur, inquit, offuſæ ſunt oculis perfidorum, vt fidei lumen refulgeret. Addamus & ipſi hóc ad confirmandam theoriam Ambroſianam. Sicut tenebræ rerum mundanarum diſtinctioni, hominíſque opificio, dum oriebatur mundus, anteceſſerunt; ſic, patiente Chriſto, par fuit mundum tenebris circumfundi; vt eius ſanguine ac morte mundus reſtauraretur; atque humanum genus multò nobilius quàm in

ſua

ſua prima inſtitutione renaſceretur. Deníque, miram illam defectionem lucis, non ad extinctioné, ſeu interitum Chriſti, qui totius lucis adſpectabilis, & eius, quæ ſenſu cerni non poteſt, fons & auctor erat, minimè pertinuiſſe, ex hoc maximè perſpicimus, quòd tenebræ, dum is ſpirabat in Cruce, terras occupauerunt: depulſæ ſunt autem, atque exterminatæ, poſtquam noſter liberator vitæ extremum ſpiritum edidit.

QVÆSTIO L.

1. POteſtne homo Latinus, ſed qui ſcit Græcè, vel Hebraicè, diuinum officium, aut totum, aut eius partem, qua maluerit lingua recitare. Et, extra culpam ne erit Sacerdos, qui poſt Miſſæ Sacrificium, matutinam DEO reddit pſalmodiam. Et, quodnam exiſtimari poteſt tempus, ſeu hora legitima, inchoandi horas matutinas.

Primæ quæſtioni in 2. lib. de officiis Parochorum reſpondimus ipſi ex ſententia Nauarri, in 3. lib. ſuorum conſiliorum de celebratione Miſſarum conſ. 17. vbi ſe ipſum idem ſentientem in Enchiridio de orat. c. 13. num. 7. citat, ius Eccleſiæ non violari ab eo qui canonicam pſalmodiã, qua lingua ei collibuerit, pronuntiat. Neque huic reſponſo officit Pij V. conſtitutio, quæ omnem Latinis adimit facultatem diuina officia more Græco celebrandi: aliud enim eſt mos, ſeu ritus Græcus, aliud lingua Græca; quæ ritum Græcorũ tot ſæculis anteceſſit.

2. Secunda quæſtio non ſimiliter diiudicatur ab omnibus doctoribus. D. Anton. in 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. culpam credit eſſe mortiferam, Miſſam ante matutinum officium celebrare; citátque ſuæ ſententiæ comites, Gulielmũ & Hoſtienſem: quoniam, qui ſecus agit, contra communem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem agit. Syluester, in verbo, Miſſa, 1. §. 6. eiuſdem ſententiæ ſubſcriptores facit omnes Summiſtas: quam tamen is non ſubſcribit. Nam de conſuetudine duo affirmat, primùm ſe audiuiſſe viros doctiſſimos, qui eam negarent: ſecundùm, non in quauis conſuetudine, ſicut nec in qualibet lege, vim eſſe mortifera noxia obſtringendi eos qui nõ obtemperant. Quæ verò è canonum voluminibus proferuntur, ad priuatas Miſſas minimè pertinere. Habent, inquit, prædicta aliqualem apparentiam, quantùm ad Miſſam maioré » & officium Chori. Maior in 4. diſt. 12. q. 3. » in extremo ait, in hoc omnes conuenire, matutinum eſſe ante Miſſam celebrandum. Verùm non addit, ſi aliter ſtat, facinus admitti pœna æterna dignum. Sotus in lib. 10. de iuſt. & iure q. 5. art. 4. §. De ordine præterea, probat Miſſæ Sacrificiũ præponi poſſe matutinę pſalmodię: quandoquidem contraria ſententia, nec iure aliquo nititur; nec vlla certa ratione: ſiquidem Miſſa non numeratur inter Canonicas Horas: nec præceptum Miſſæ celebrandæ neceſſariò connexum eſt cum præcepto Horarum Canonicarum. Si ergo, inquit, ſoluere nocturnum officium Sexta aut Nona hora diei, non eſt mortale; neſcio vnde inferatur, quòd celebrare priùs Miſſam ſit mortale; quandoquidem diſtincta ſint officia, neque vnum neceſſarium habeat adeſſe ad alterum: forſan ob conſuetudinem venialis eſſet culpa; vbi fieri poſſet commodè.

Ego hac de re ſæpe conſultus tria reſpondi. Primùm: A conſuetudine, cuius meminerunt alij, temere diſcedendum non eſſe. Secundum: Si ſine iuſta cauſſa abſque contemptu diſcedatur, culpam eſſe leuem. Tertium: Si ob legitimam cauſſam, nullam eſſe. Syluestri autem ac Soti ſententiam illud etiam mihi perſuaſit: quòd multo maior & certior eſt ordo inter ipſas Horas Canonicas, quàm inter eas, & Miſſam: ſed ordo, qui eſt inter ipſas, peruertitur ſine violatione præcepti, & lethali culpa: ergo multo magis id cenſeri debet, ſi peruertatur is quem volunt eſſe inter Horas & Miſſam: quæ mihi ra- 3.

tio vim adfert. Quod autem in ceremoniarum Romanarum libello cauetur; vt dicto matutino celebretur Miſſa; aut de ſolemni Miſſa intelligendum eſt, aut ad conſilium non ad præceptum referri debet.

4. Poſtremæ quæſtioni ſatisfacit D. Tho. in quodl. 5. art. 28. vbi docet, poſt veſpertinas horas, matutinas inchoari poſſe: diem verò ciuilium contractuum incipere à media nocte; officij Eccleſiaſtici & feſtorum Eccleſiaſticorum à veſpertinis horis. Vnde, inquit, D. Thomas, ſi aliquis poſt dictas veſperas, & completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem ſequentem.

Nonnulli autem viri Theologi, ac pij, rerúmque Eccleſiaſticarum minimè imperiti initium legitimum diuini officij obſeruant in curſu ſolis notato ſigno, cùm is propius abeſt ab occaſu quàm à meridie. Qua ego notatione & regula vti ſoleo: & animaduerti hoc tempus ſic notatum coire cum eo tempore, quod publico officio veſpertino Eccleſiaſtica præſcribit conſuetudo.

QVÆSTIO LI.

Eſt calix, cuius pedem cum ſcypho artificioſum toreuma connectit: verùm diuturno vſu iunctio hiare cœpit; vt de partium ſecretione haud longo tempore timendum ſit: huic incommodo, quod metuitur, remedium perappoſitum arbitrantur, ſi nodus perterebretur, infixóque clauo nexus firmetur: quod tamen fieri commodè nequit, niſi ſcyphus à pede auellatur.

Vtrùm autem disiunctione conſecratio interitura eſſet, fuit à nonnullis addubitatum: Ego conſulentibus reſpondi interire: ſic iudicatum eſſe ab auctoribus non ineruditis: à Paludano in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. ab Antonino in 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 5. à Syluestro & Ioanne Tabienſi, in verbo, Calix. Qui omnes cum aliis multis huius ſententiæ ducem dilaudant, & ſequuntur, Petrum Paludanum. Sed Bartholomæus Fumus contrariam ſententiam negat reprehendendam eſſe: ſic enim ipſe.

Quidam verò dicunt, quòd quando per artem ſic fit, vt poſſit ſeparari & coniungi & ita conſecretur; quòd etiam ſi ſeparetur non amittit conſecrationem; & ita videtur eſſe in vſu apud quoſdam dominicos habētes huiuſmodi calices, quos ſeparant: vt minorem locum occupent; & faciliùs portentur. Neque hæc opinio videtur reprobanda: verùm ipſi reprobamus; quia alij eam non probant.

De charactere ſubdiaconi.

QVÆSTIO LII.

In nobili Italiæ ciuitate, quo tempore de eorum ſcientia iudicium ferendum erat, qui ſacris ſe ordinibus initiari optabant; cum vniuerſo examinatorum cuneo, cui duo Epiſcopi præerant, acris mihi contentio de inſtrumenti genere fuit; in cuius traditione crearetur ſubdiaconus; atque in eo imprimeretur character, illis aientibus tunc initiari, cùm librum tangit epiſtolarum, tunc item characterem ſuſcipere: me contrà affirmante tunc ſolum verè Sacramentum ordinis cum charactere eidem impertiri, cùm calicem vacuum cum patena vacua recipit. Addebámque ſententiam, pro qua ipſe pugnabam, tantùm poſſe defendi, quòd tum Sacrorum Canonum, & Conciliorum, tum fermè omnium Theologorum ſuffragiis niteretur. Idque pollicitus ſum me verbis ipſis ex Conciliis & Canonibus, ac Theologis ſumptis, quaſi obſignatis tabellis demonſtraturum: quod ipſum præſtiti cumulatiſſimè. 1.

Quæ igitur à me prolata ſunt teſtimonia, ac teſtes, hi ſunt: Concilium Florentinum generale, cui præfuit Eugenius IV. in

in inſtructione fidei Armenis tradita ab eodē Concilio; mandante & approbante eodem Romano Pontifice; de ſacris tribus ordinibus, qui maiores & antonomaſticè ſacri appellantur, ſanxit his verbis: Sextum Sacramentum eſt ordinis: cuius materia eſt illud, per cuius traditionem confertur ordo: ſicut presbyteratus per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: nec vllam facit mentionem libri Epiſtolarum. Canon, Subdiaconus, diſt. 23. qui canon ſumptus eſt ex Concilio IV. Carthaginenſi, cap. 5. decernit his verbis: Subdiaconus, cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & calicem vacuum: de libri traditione nihil.

2. Atqui aliquot ſæculis ante Concilium Florentinum fuit IV. Carthaginēſe, probatum, vt aiunt, à Leone IV. Magiſter ſententiarum diſt. 24. lib. 4. cap. de Subdiaconis. Hi, inquit, cùm ordinantur, accipiunt de manu Epiſcopi patenam & calicem vacuum. nec in toto illo capite libri Epiſtolarum vlla mentio. D. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. argum. 5. quod argumentum nullo modo refellit, ſed probat, ſic loquitur: Subdiaconus characterem recipit in ipſa calicis porrectione. & diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. in reſponſione ad 2. loquens de Subdiacono, & ideo, inquit, characterem recipit in hoc, quòd datur ei calix ab Epiſcopo. Richardus in 4. diſt. 24. artic. 4. quæſt. 3. docens in quo tradatur poteſtas & character ſingulorū ordinum. Poteſtas, inquit, Subdiaconi per hoc, quòd accipit de manu Epiſcopi, patenā & calicem vacuum: nec meminit libri Epiſtolarum. Albertus Magnus, in eandem diſt. art. 26. ſtatuit in actu nobiliore, hoc eſt in eo, qui eſt Euchariſtiæ propinquior, characterem imprimi. Ergo, infert ipſe, character huius ordinis tunc imprimitur, cùm calicem à manu Epiſcopi ſuſcipit cum verbis ad hoc pertinentibus. Sic Albertus. Durandus in 4. d. 24. quæſt. 3. ſcribit, in iis ordinibus quorum plures ſunt actus, ſemper in actu principali imprimi characterē: magis autē principalem eum eſſe, qui magis immediatè ad Euchariſtiæ Sacramentum ordinatur: cúmque de Acolyto dixiſſet, hæc ſubiicit de Subdiacono. Subdiaconus ſimiliter habet duos actus, ſcilicet legere epiſtolā, & materiam Euchariſtiæ ordinare & ponere in ſacris vaſis: &, vt de ſe patet, ſecundus actus eſt principalior primo: quia Sacramento Euchariſtiæ immediatior: propter quod character Subdiaconatus imprimitur in traditione calicis & patenæ.

3. Paludanus in eand. diſt. quæſt. 1. art. 3. concl. 2. ſubſcribit; & iiſdem verbis deſcribit ſententiam Durandi. Scotus in 4. diſt. 24. quæſt. vnica, art. 1. in extremo, negat proprium actum Subdiaconi eſſe legere epiſtolam, ſed hunc ait eſſe remotum & minùs perfectum; ſed propriuṁ & perfectiſſimū eſſe eum, quem habet circa materiam Euchariſtiæ offerendam. D. Bonauentura, in eandem diſt. art. 1. quæſt. 4. in priore parte diſtinctionis. Hoc pro generali, inquit, regula habendum eſt; quòd in illo ſigno exteriore imprimitur character in quolibet ordine, in quo principalis poteſtas, quam reſpicit ordo, ſignatur tradi tali ordinato. Et hanc regulam traditam à Diuo Bonauentura recipiunt D. Thom. Albert. Magnus, Scotus, Durandus, Paludanus, locis citatis, aliíque Theologi: necnon illud tamquam certum ſumunt; in duobus actibus Subdiaconi, illum, qui calice ab eo exercetur, eſſe primarium & magis dignum. Ioann. Turrecremata in Canonem Subdiaconus 23. diſt. ex verbis canonis, & ratione Alberti Magni & teſtimonio Durandi probat Subdiacono characterem imprimi in receptione calicis & patenæ.

Reſpondeo (verba ſunt Turrecrematæ) dicendum; quòd Subdiacono imprimitur character in receptione calicis & patenæ:

patenæ. Quærebat autem in prima quæ-
ſtione in illum canonem: Vtrùm in da-
tione libri Epiſtolarum imprimatur cha-
racter. Maior in 4.diſt.24.q.1. de ſignis &
rebus differens, in quibus vniuſcuiuſque
» ordinis character datur, Subdiaconatus,
» inquit, per patenam & calicem vacuum:
» de libro Epiſtolarum nihil.. Gabriel, in
eandem diſtin. q.1.art.1. indicans inſtru-
menta & materiam, in qua ordinis chara-
cter imprimitur; ait, in traditione & aſſi-
gnatione patenæ & calicis vacui imprimi
characterem in Subdiacono.

4. Victoria, in ſumma Sacramentorum,
quæſito 231. affirmat, ex Concilio Floren-
tino, Subdiaconatum tradi per traditio-
nem calicis vacui cum patena vacua ſu-
perpoſita. Sotus in 4.diſt.24.q.1.art.3. his
verbis ſuam exponit ſententiam. At verò
D.Thom. diſt.25.q.1.ad 2. (omiſit Sotus
» articulum) ait, Subdiaconũ characterem
» non ſuſcipere, niſi dum calicem cum pa-
» tena recipit: atque eiuſdem ſententiæ au-
» ctor eſt loco citato Richardus & Paluda-
» nus diſt. præſenti: & omnes ſanè docen-
» tes: nam eodem Concilio Florentino ſic
» definitum eſt. Hæc ille. Caietanus in 1.
tomo ſuorum tractatuum, tractatu 11.
qui eſt de modo tradendi & ſuſcipiendi
ordines ſacros, apertis verbis ait, in ordine
Subdiaconatus veram materiam eſſe ca-
licis vacui traditionem; atque indicat in
antiquis Pontificalibus hanc ſolam habe-
ri; quod fateor me latere. & poſt aliquan-
» to ad hunc modum ſcribit. Et, ſi aliquid
» fuerit omiſſum eorum quę ex nouis Pon-
» tificalibus ſunt addita: puta, quia non eſt
» datus Subdiacono liber Epiſtolarũ cum
» illis verbis, *Accipe librum*, non propterea
» ſupplere oportet in alia ordinatione hu-
» iuſmodi omiſſum: huiuſmodi enim noua
» additio non facit legem nouam. Altiſio-
dorus, in 4.lib. ſuæ ſummæ, diſputans de
Sacramento ordinis, in quo ait conferri
gratiam priuilegiatam: Quintus, inquit,
ordo eſt Subdiaconi; ad quem pertinet
miniſtrare Diacono calicem cum patena:
Vnde dictus eſt Subdiaconus: & reliqua
eius munera omittit; quaſi hic ſolus ſit
proprius & legitimus actus, in quo ex
ſententia Altiſiodorenſis recipiat Sub-
diaconus characterem.

D. Antoninus in 3. p. tit.14.c.16. §.4. 5.
ſic. Imprimitur character Subdiacono in »
traditione calicis & patenæ vacuæ. Con- »
cordat Thom. Alb. & Petrus. Supple-
mentum in verbo ordo tit. 3. §. In quo
imprimitur character in ſingulis ordinib.
Subdiacono, inquit, imprimitur chara- »
cter in porrectione calicis vacui, ſcilicet »
conſecrati, ſecundùm Petrum & Alb. »
Angelus, in ſumma, verbo, Ordo, tit.1.n.6.
his verbis. Poteſtas Subdiaconi patet per »
hoc, quòd accipit de manu Epiſcopi pate- »
nam & calicem vacuum: & ideo in hoc »
imprimitur character: quia principalis »
actus eius eſt vaſa Dominici corporis & »
oblationes offerre Diacono: & legere »
epiſtolam eſt ſecundarius actus, non prin- »
cipalis: propterea legitur etiã à non Sub- »
diacono. Roſella, in ſumma, verbo, Or- »
do, tit.3. num.3. Subdiacono imprimitur »
character in porrectione calicis vacui: »
quia habet portare vaſa Dominici corpo- »
ris & ſanguinis. Syluester, verbo, Ordo, »
2. q. 4. Character Subdiaconi, cuius ſe- »
cundùm Petrum de Palude, duo ſunt »
actus, ſcilicet epiſtolã legere & materiam »
Euchariſtiæ parare in vaſis ſacris, impri- »
mitur in traditione calicis vacui cum pa- »
tena, ſecundùm Petrum de Palude: quia »
principalis actus eius eſt parare materiam »
in vaſis ſacris; & idem ſentit S.Thomas. »
Tabiena, in verbo, Ordo, tit. 2. num.10.
recitans verba Paludani: Ideo, inquit, im- »
primitur character in traditione calicis & »
patenæ: & addit concordare cum Palu- »
dano D. Thomam. Armilla, in verbo,
Ordo, num. 5. ſecutus D.Thomam &
Paludanum, affirmat in Subdiacono cha-
racterem imprimi in traditione calicis &
patenæ vacuæ.

In tanto autem Theologorum agmi- 6.
ne illud eſt cogitandum, fuiſſe multos,
qui non ſolùm in ratione de ordinibus
ſacris differendi, ſed in forma etiam &
more

more eos tradendi excelluerũt; ſiquidem conſtat, Petrum Paludanum Patriarchã, Albertum Magnum Ratiſponenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, S. Antoninum Florentinæ item Archiepiſcopum, Durandum Anicienſis Epiſcopum extitiſſe: Vt permirum ſit, vnum Viguerium in ſuis inſtitutionibus, c. 16. §. 6. verſu 11. credidiſſe libri traditione Subdiaconum inſtitui: quem errorem cauiſſet, ſi aut Concilium Florentinum, aut eos doctores, quos ipſi teſtes veræ ſententiæ citauimus, conſuluiſſet.

Verùm, vt ne quidquam in hac diſputatione diſſimulemus; vna contraria argumentatio, quæ veritati officere videtur non parum, diluenda eſt. Forma enim in Sacramento ordinis per imperium effertur; quod non videtur ſeruari ab Epiſcopo tradente calicem Subdiacono, ſed librum tantùm Epiſtolarum: id quod liquidò confirmant verba D. Bonauent. in 4. ſent. d. 24. art. 1. q. 4. num. 58. his verbis ſcribentis: » Et ſi plura inſtrumenta tradantur vni, illud pro principali habendum eſt, quod Epiſcopus tradit cum prolatione verbi, *Accipe poteſtatem.* Vnde in omiſſione principalis, debet ordo iterari: quia præſumitur quòd characterem non recepit. Hactenus D. Bonauentura. ſed Epiſcopus vtitur ea forma, *Accipe poteſtatem, &c.* non cùm tradit Subdiacono calicem vacuum cum patena, ſed cùm dat librum Epiſtolarum; tunc enim, inquit, Accipite librum Epiſtolarum; & habere poteſtatẽ legendi eas in Eccleſia DEI, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

7. Reſpondeo, multis modis elidi argumentum. Primùm, falſum eſt ſemper imprimi characterem, quoties rem quampiam externam tradat Epiſcopus verbis modi imperantis: nam & hanc formam vſurpat, cùm amictum dat Subdiacono: *Accipe amictum*: & cùm tradit manipulum: *Accipe manipulum*; nemóque ſuſpicatus eſt aut eam formam, aut has res traditas ad characterẽ pertinere Subdiaconi. Oportet igitur, vt ea forma exprimatur actus principalis Miniſtri, hoc eſt, ex ſententia Theologorum, is qui eſt Euchariſtiæ magis cognatus: &, quia legere epiſtolam, non propiùs accedit ad Sacrificium, quàm parare in vaſis materiam ad illud conficiendum: ideo in ſignificatione actus minùs propinqui non confertur character. Deinde aio, Epiſcopum porrigentem Subdiacono calicem, non recedere à modo imperandi: hæc enim verba pronuntiat, *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur.*

Poſtremò, perquàm probabile eſt, quod admonet Petrus de Soto his verbis in inſtitutione Sacerdotũ de Sacramento ordinis lect. 4. vbi de modo tradendi hanc poteſtatem ordinum nõ eſt certum aliquid inſtitutum, poteſt Eccleſia conſtituere, quibus vel verbis, vel actibus, vel ſignis aliis in eiuſmodi traditione vtendum ſit: quod ipſum ante Petrum de Soto vidit, & docuit D. Bonauentura in 4. diſt. 24. priore parte diſt. art. 1. q. 4. num. 63. qui D. Bonauentura cùm ſcripſit, quum plura inſtrumenta traduntur &c. Locutus eſt de ordinibus minoribus; vt liquet ex eius verbis; &, ſi ſecus ſenſiſſet in ordine ſubdiaconatus, prorſus ſecum ipſe pugnaret: nam paulo antè in eadem quæſtione dixerat num. 58. pro generali regula habendum eſſe, in eo exteriore ſigno in quolibet ordine characterem imprimi, in quo principalis poteſtas ſignatur. Ex omnium verò Theologorum rectè docẽtium ſententia ſubdiaconi prima poteſtas in paranda materia in vaſis ſacris verſatur, non autem in pronuncianda epiſtola: cuius muneris ac poteſtatis eos cõmonefacit Epiſcopus, cùm tradens Calicem cum patena inquit, *Videte cuiuſmodi miniſterium, &c.*

Acnimirum cùm nec Canon, perlectis. d. 25. deſcriptus ex epiſtola Iſidori ad Ludifredum: nec Canon, Subdiaconus. diſt. 23. ex conc. 4. Carthaginenſi: nec Concilium Florentinum, nec Magiſter ſententiarum, nec alij multi & priſci Theologi, immò nec ipſum Pontificale Romanum

Digitized by Google

in ea admonitione longa, qua vtitur ad ſubdiaconos Epiſcopus, eorum commemorans munera, verbum faciant vllum officij, quod præſtant in legenda epiſtola, grauiſſimam coniecturam adfert, eam ceremoniam, quę adhibetur in dando libro epiſtolarum, ad Sacramentale potiùs quidpiam quàm ad Sacramenti eſſentiam pertinere.

QVÆSTIO LIII.

1. SVbdiaconus multis ab Eccleſia legibus adſtringitur; vt ſollemnis continentiæ; vt horas canonicas recitandi; vt habitum Eccleſiaſticum & tonſuram deferendi; vt mercaturæ non faciẽdæ. Quæritur igitur num clericus negotiator, præſertim ordine ſubdiaconatus ſuſcepto, ſi contra iura Canonum negotietur, bonorum ſuorum amittat immunitatem.

Reſpondeo, cum hac quæſtione quinque difficultates implicitas eſſe. Prima eſt, quæ negotiatio ſit iure Canonum interdicta clericis. Hanc difficultatem tollit definitio negotiationis, tradita à D. Chryſoſtomo homilia 38. in opere imperfecto in Matthæum, vbi hæc ſcribit: Ego oſtendam qui non eſt negotiator, vt qui ſecundùm regulam iſtam non fuerint, intelligas omnes negotiatores eſſę. Quicumque rem comparat, non vt ipſam rem integram, & immutatam vẽdat, ſed vt opus faciat ex ea, ille non eſt negotiator: quia qui materiam operandi ſibi comparat, vnde faciat opus, ille non rem ipſam vendit, ſed magis artificium ſuum; id eſt, qui rem vendit, cuius æſtimatio non eſt in ea ipſa re, ſed in artificio operis, illa non eſt mercatio. Qui autem comparat rem, vt illam ipſam integram, & immutatam, dãdo lucretur, ille eſt mercator, qui de templo DEI eijcitur. Hæc D. Chryſoſtomi tranſlata ſunt in decretum d. 86. cap. Eijciens Dominus. D. Thomas in 2.2. qu. 40. art. 2. negotiationem ſcribit non eſſe permiſſam clericis: & q. 187. art. 2. ait eamdem ob cauſſam Religioſis aliiſque clericis eam interdictam eſſe, q. 77. art. 4. ad 3. loquitur his verbis. Clerici non ſolùm debent abſtinere ab his quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ſed etiam ab iis, quæ habent ſpeciem mali; quod quidem in negotiatione contingit: Tum propter hoc, quòd eſt ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent eſſent contemptores: Tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negociator à peccatis labiorum, vt dicitur Eccleſiaſtici 26. Eſt & alia cauſſa: quia negociatio nimis implicat animum ſecularibus curis; &, per cõſequens, à ſpiritualibus retrahit. Vnde Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. ca. 2. *Nemo militans* DEO *implicat ſe negotijs ſecularibus.*

2. Licet tamen clericis vti prima commutationis ſpecie, quæ ordinatur ad neceſſitatem vitæ emendo, vel vendendo; quæ ſpecies commercij cùm ad ſuſtinendam vitam neceſſaria videatur ex D. Thoma in illo articulo, & ex Ariſtotele primo libro Politico cap. 1.5. & 6. vitioſa non eſt, ſed naturalis, Politica & œconomica: cõquirit enim ea ſine quibus manere in vita non poſſumus. Maior in 4. d. 15. q. 32. ſcribit, clericis vetitam eſſe negotiationem quæſtuoſam. Dę prima hac difficultate videndus eſt Panormitanus in cap. extremo de vita & honeſtate clericorum, num. 14. & in poſtrẽma additione: & Immola in idem caput: qui ambo Antonium Butrium citant; qui in definienda negotiatione Canonem ſequuntur S. Chryſoſtomi.

Hæc ſententia eorum quoque eſt, qui iuris Pontificij periti ſunt, atque eorum, qui de Chriſtiano officio ſcriptitarunt. Nulla fraus legibus Eccleſiaſticis fieret, ſi quis aut pullos gallinaceos, aut equum mercaretur, vt aleret, obeſóſque redderet, ac venderet: neque qui frumẽtum, vinum, oleum, cætéráque ad tuendam vitam neceſſaria emeret, &, quæ eſſent reliqua, venderet; vt inquit Angelus in verbo, clericus 9. num. 2. & Nauarrus in ſum-

Digitized by Google

ma cap.25.num.3.

3. Secundã nobis propoſita quæſtio obijcit difficultatem. Vtrúmne nundinator clericus immunitatem bonorum amittat. Amittit quidem, ſed non antè quàm ter à ſuo ordinario ſit monitus. Ita Gloſſa, & Panormitanus in caput poſtremum de vit. & honeſt. clericorum; imo verò hoc amplius addit Panormitanus, clericum negociationi deditum in ipſis etiam bonis, in quibus mercaturam exercet; ante trinam monitionem Priuilegium immunitatis retinere: quod idem affirmat Imola in illud ipſum cap.

Huic tertia eſt adiuncta difficultas, vtrùm vna admonitio, quæ inſtar ſit triũ, ſatis ſit, an neceſſe ſit ter diſtinctis internallis temporis admoneri negociantem clericum à ſuo Ordinario. Plus vna non eſſe neceſſariam, credit Roſella in verbo excommunicatio 2. num. 3. Angelus in verbo clericus 9. num. 3. ſupplementum, quod nominatur à Syluestro. Panormitanus verò in eo, quem ſuprà ſignificauimus, loco, contendit tres exigi admonitiones diſtinctas; quem ſequitur Tabiena in verbo excommunicatio 5. num. 24. Syluester in Verbo clericus 3. num. 3. à quibus etiam citatur Gloſſa, & Ioan. Andreas: Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 81. qui vult, inter vnam & alteram admonitionem dies aliquot debere eſſe interiectos. Cum Panormitano ſentit etiam Immola in cap. illud vltimum de vit. & honeſt. clericorum, imò illud ipſum affirmat Nauarrus, & idem Gloſſa in Clement. primam, de vita & honeſt. clericorum.

4. Accedit ad tertiam difficultatem hæc quarta. Num poſt trinam monitionem, immunitatis Priuilegium pereat clerico in ſuis dumtaxat bonis, an etiam in bonis Eccleſiæ. Colligitur perſpicuè ex Gloſſa in propriis tantùm bonis Priuilegium interire: dicitur enim in facultatibus ſuis: neque enim clerici delictũ Eccleſiæ nocere debet, vt admonet Panormitanus. Non delinquentis autem clerici bona, quæ in eius ciuili patrimonio cenſentur, eodem iure eſſe, quo ſunt Eccleſiæ, quod ſpectat ad immunitatem, aiunt Gloſſa, Panormitanus, Hoſtienſis, & Imola in poſtremum caput de vita & honeſt. Clericorum: quibus alij aſſentiuntur.

Quinta difficultas. Contemptis tribus admonitionibus, priuatúrne clericus alio Priuilegio quàm immunitatis? Ardua & impedita eſt quæſtio. Hoſtienſis enim in poſtremum cap. de vita & honeſtate clericorum, eiuſmodi clericum omni Priuilegio priuat: Nudantur, inquit, omni Priuilegio clericali: & hæc eſt veritas; quã ſententiam ſubſcribit Syluester in Verbo excommunicatio ſexto nu. 6. vbi iſtis contumacibus clericis tum fori tum Canonis adimit Priuilegium; ſuæque ſententiæ comitem citat Piſanellam, Archidiaconum & Innocentium, ſed loca non indicat. Verùm Innocentius relinquit iis clericis Priuilegium Canonis; aufert tantùm Priuilegium, quoad iudicium, forum, & functiones municipales. Tabiena in verbo clericus 3. num. 2. Roſella in verbo excommunicatio ſecundo, ſcribunt in bonis ſuis tantùm Priuilegio ſpoliari, & hanc opinionem tutiorem in conſcientiæ foro ait Angelus in verbo clericus 9. num. 2. Ioan. Andreas & Imola in caput vltimum de vit. & honeſtate clericorum, conantur conciliare ambas opiniones: vt Hoſtienſis vera ſit, quando negotiantur ſine habitu & tonſura; ſecunda autem quando depoſito habitu & tonſura negotiationi & mercaturæ ſtudent. Et quamuis Panormitanus Ioan. Andreæ atque Imolæ approbet diſtinctionem, Gloſſa tamen ſecundæ fauet opinioni; quæ nimirum benignior eſt, atque in conſcientiæ iudicio magis tuta.

Poſtrema difficultas. Hi clerici, qui negotiationi ſeruiunt, poſſuntnè amiſſum Priuilegium recuperare? Poſſunt: ſi ſe ab interdicto negocio abſtrahant. Sic ſentiunt hi omnes. Innocentius, Panormitanus, Ioan. Andreas, Hoſtienſis, Imola, & Gloſſa in cap. illud poſtremum de vita & honeſtate clericorum: ſcribit enim apertè 5.

tam

memb.8.art.1. Alber.magni in 4. ſent. d. 14.art. 39. & Turrecrematæ in cap.cleros d.21.art.5.Richardi in 4.ſent. d.24.art.5.q. 2.Scoti in eamdem diſt.24. q. vnica. art.3. Soti in eamd.diſt.qu.2.art.3.qui ait aduerſari communi ſententiæ & vſui Eccleſiæ, eos qui volunt Epiſcopatum eſſe ordinis Sacramentum. Addamus ipſi Concilium Tridentinum ſeſſ. 23.cap.2.vbi numerans omnes ordines, ſiluit de Epiſcopatu. Hi ergo dicent Epiſcoporum poteſtatem à Chriſto manaſſe, in ea tradenda nonnulla ad ſubſtantiam conſecrationis pertinētia tenenda eſſe;reliqua, quæ ab Eccleſia de electione conſecrandarum perſonarũ reperta ſunt, ab eſſentia conſecrationis abiuncta eſſe;qua conſecratione ſola efficiuntur Epiſcopi,quicumq;conſecrantur.

12. Quintum Argumentum. Sublatis iis quæ eſſentiam conſtituunt conſecrationis,perimitur conſecratio:perempta conſecratione,Epiſcoporum ordo perimitur: Ordine perēpto Epiſcoporum, perimitur ordo Sacerdotũ: ſed ad veri ſpeciem maximè propendet,Græcorũ myſtagogos & Antiſtites ab Romana Eccleſia abalienatos,aut neſcire, aut non obſeruare quæ in Epiſcoporum conſecratione ſeruanda ſunt neceſſariò: ergo nulla erit illorum conſecratio.

Minor Syllogiſmi propoſitio probatur. Quum enim, vt inquit Richardus in 4. ſent.d.24.art.5.qu.2. Epiſcopatus non ſit Sacramentum,ſed ſacramentale, credere poſſumus id, quod ante nos nonnulli canonum præſtantes interpretes crediderunt, ritum & formam conferendæ Epiſcopalis poteſtatis,à Chriſto,Eccleſię eiuſque Vicario eſſe permiſſam. At Romani Pontificis iuſſa ac decreta irrident multos ab hinc annos Gręci.Ergo forma quoque conſecrandorum Epiſcoporum in Romano Rituali, ſeu Pontificali præſcripta,ac in diuerſis Eccleſiæ ſanctionibus indicata,erit illis ludibrio.

Iam verò,cũ in conſecratione Epiſcopi, is qui conſecratur, chriſmate vngatur, librum ceruice ſuſtineat; à tribus Epiſcopis conſecretur; Mitra capiti imponatur;annulus & baculus ei tradatur; conſecratio tota ab vno de tribus Epiſcopis perficiatur; ſine Metropolitani ſententia non creetur: & cùm in harum rerum genere liber ceruici impoſitus, numerus triũ Epiſcoporum, vnctio, naturam intimam attingant conſecrationis, & aliquid etiam præter hæc, perdifficile eſt horum aliquid aut non ignorari, aut non prætermitti à Græcis, hiſce præſertim temporibus,quibus ab Rege Turcarum Græcia crudeli premitur dominatu, habétque intolerandæ tyrannidis vinculis mirè ſuum impeditum Sacerdotium, impeditámque iuriſdictionem.

13. Reſpondeo,Nõ hoc perleue eſſe argumentũ cui tamē multiplici ratione poſſet occurri.In primis, ſi Græcos de ſuo tuēdo Sacerdotio cura attingit, hanc cum acri ſtudio & diligentia, nec amittendæ nec omittendæ veræ Conſecrationis,coniunctam eſſe neceſſe eſt.

Nec Græci deſpicatui ducent canonem Concilij Niceni I. ex cap. 6. quod pręcipit,Epiſcopum ab omnibus qui ſunt in Prouincia Epiſcopis, ordinari debere; quòd ſi id fieri non poſſet, minimùm à tribus:quem canonem confirmauit, vel potiùs antea tulit Anacletus in epiſtola 2. ad Epiſcopos Italiæ, & Anicetus in epiſtola ad Epiſcopos Galliç,& Martinus in Cōcilio:quas ſāctiones habes in decretis d.64. & in decretalibus. Si Archiepiſcopus. &, ne Epiſcopi,de temporibus ordinationũ. Imò Concilium illud Martini,ordinationem Epiſcopi abſque Concilio Epiſcoporum & præſentia factam Metropolitani,nihil valere decernit:idémque in Concilio Antiocheno cap.19.decretum eſt:vide canonem 2.& 3.diſt.65.Caput etiam 6. Conc. Niceni primi definit Epiſcopum eſſe non oportere, ſi quis præter ſententiā ſui Metropolitani fuerit factus Epiſcopus: & ternariũ numerum Epiſcoporum conſecrãtium eſſe neceſſarium,exemplo beati Iacobi Hieroſolymitanj Archiepiſcopi docet Anacletus in illa epiſt.ad Epiſcopos

Italiæ, eiúſque canon habetur, diſt. *66.* porrò.

Deinde, dici poſſet pro Græcis, trium Epiſcoporum numerum non attingere vim intimam conſecrationis, vt ſentit Paludanus in lib. de poteſtate Papæ, quẽ citat & ſequi videtur D.Ant. in 3.p.tit.14. c.16. §. 9. & Syluester, in verbo, Conſecratio prælatorum, initio, quibus locis exequuntur ea quæ ſubſtantiã conſecrationis abſoluunt. Sanè D.Tho. apertè ſcribit in 4.ſent.d.24.q.3.art.1.ad 3. Epiſcopũ conſecrare poſſe Epiſcopum, idemque ſentit Durand.in eand.d.q.6. ſed non addunt, ſolum vnum Epiſcopum id poſſe; quare crediderim ſine Romani Pontificis conceſſu hoc non poſſe.

14. Diſpenſaſſe autẽ Gregorium Magnum cum Britannis ad fidem conuerſis, vt Epiſcopi conſecrarentur à paucioribus quàm à tribus, teſtis eſt in eo tractatu Paludanus. Quum verò canones decernunt, aut irritam, aut non valere ordinationem factam ſine præſentia vel auctoritate Metropolitani, & concilio aliorum Epiſcoporum, intelligunt, aut ab officio remouendos eſſe Epiſcopos contra canones inſtitutos, aut non habere executionem munerum & iuriſdictionis: manere tamẽ in iis conſecrationem & poteſtatem cum conſecratione acceptam.

Poſtremò, dici poſſet pro Græcorum Epiſcopis, conſeruari apud eos formam ſubſtantialem conſecrationis: quæ ſi re quapiam à Romana differat conſenſu Romanæ Eccleſiæ olim diſcrepaſſe.

Sextum argumentum. Legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem in aliqua Eccleſia nunquam interruptã eſſe, eſt vnius Romanæ Eccleſiæ priuilegium, quemadmodum diſceptatores Catholici perſuadent: ergo illud Græcorum Eccleſiæ concedendum non eſt. Reſpondeo, hac ratiocinatione non magis Græcorum quàm Latinorum Epiſcoporum ſucceſſionem oppugnari.

Sciendùm igitur, Romanæ Eccleſiæ, de qua nunc loquimur, priuilegium, duobus capitibus contineri. Alterũ eſt: quòd Romana Eccleſia, quæ cæterarum caput eſt, rectrix & magiſtra ad huc fuit, & poſthac felix futura eſt immutabili continuatione, tum Sacerdotalis Põtificiæque poteſtatis, tum legitima Catholicæ Eccleſiæ adminiſtratione, tum fidei à Diuo Petro traditæ integritate: quæ tria copulata & numquam interrupta in nulla alia fortaſſe particulari Eccleſia liceat reperire. Alterum caput eſt: quòd illa tria, fides, veritas Sacerdotij, & legitima poteſtas geſti gerendique Pontificatus, non modò in Romana Eccleſia numquam ceſſarunt, ſed ne ceſſare quidem poſſunt quamdiu mortalium hæc rerum vniuerſitas ſtabit: idque tum ob Chriſti precationem pro Petro exorantis Patrem, de qua eſt apud Lucam, cap.22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*: quam orationem à Patre auditã eſſe dubitare eſt nefas: tum ob eiuſdem Chriſti minimè fallax promiſſum, apud Matth.cap.16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Præterea longè aliud eſt de priuilegio 15. Eccleſiæ Romanæ loqui, eam comparando cum quapiam alia ſingulari Eccleſia: & eandem cum tota aliqua natione, atque Prouincia conferendo, non quidem in omnibus illis tribus rebus, ſed in ſacerdotalis Epiſcopaliſque ordinis dumtaxat propagatione & ſerie. In priore ratione conferendi Eccleſiæ Romanę propria legitima prǽſulum poteſt dici eſſe ſucceſſio: in poſteriore non eſt neceſſe ea Romanæ tantùm Eccleſiæ conuenire.

Septimum argumentum. Græcorum factio tot ſæculis à Latina Eccleſia diſſidens, Romano Pontifici, eiúſque nomini inimica, à Patriarcha Conſtantinopolitano, quem tamquàm ſuum Hierarcham veneratur & colit, accipit Epiſcopos, & ab Epiſcopis Sacerdotes: ſed ille Patriarcha nec vnus, nec legitimus eſt Patriarcha: ergo neque Epiſcopi ſunt veri legitimíve Epiſcopi, nec Sacerdotes veri Sacerdotes; neque eorum Sacramenta quæ

cum Sacerdotij ordine neceſſariò iunguntur, vt Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, &c. vera ſunt Sacramenta.

Aſſumptio probatur. Cùm enim Patriarcha Conſtantinopolitanus & pallium accipere, & confirmari debeat, ſicut reliqui omnes Patriarchæ, à Romano Pontifice, is ab Rege Turcarum confirmatur, ab eodem vel ſolo nutu abdicatur: vnóque menſe, ſi ei collibitum fuerit, decem, viginti, trigintáque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſules commutabit: ac fieri nō poteſt, vt eiuſdem Eccleſiæ plures eſſe queant Antiſtites, ac paſtores maximè nutu Regis Turcarum inſtituti, & confirmati.

Confirmatur hæc ſeptima & poſtrema ratio. Græci Sacerdotij fontes, id eſt, quatuor Patriarchæ, ſunt omnes corrupti atque ſpurij, non veri, non legitimi: ergo nec veri ſunt Epiſcopi, aut Sacerdotes, qui ab illis fontibus fluunt. Antecedentis probatio ea eſt: quòd Romana Eccleſia quatuor creat Orientis Patriarchas: quod nō faceret, ſi ij quos Schiſmatica Græcia ſibi inſtituit, eſſent veri Patriarchæ. Augent huius probationis robur verba illa, quæ in Romano Pontificali legūtur, vbi de conſecratione agitur Epiſcoporum, Eccleſiarum Cathedralium, ſiue Metropolitanarum; ac Patriarchalium prouiſiones, ſeu electionum ad illas confirmationes ad ſedem Apoſtolicam hodie pleno iure pertinent: & ab eadem Eccleſiis paſtore viduatis vel de nouo prouidetur; vel electiones ab illis, quibus ex Priuilegio licet, canonicè celebratæ confirmantur. Hæc ſyllabatim in Pontificali: neque fas eſt credere velle ius hoc ſuum Romanam Eccleſiam Schiſmaticis & Hæreticis communicare: non igitur apud eos veri remanent paſtores, atque Epiſcopi.

16. Huius extremæ argumentationis reprehenſionem in duabus propoſitionibus conſtituam. Prior propoſitio. Non eſt hoc neceſſariū connexum: non ſunt apud Schiſmaticos, & Hæreticos Græcos veri Patriarchæ: ergo neque veri Epiſcopi: eſſe enim fontem totius Græci Sacerdotij Patriarcham Conſtantinopolitanum ſine approbatione ſumitur. id enim nō poteſt eſſe cōceſſum. Primùm, quia totius Chriſtiani Sacerdotij fons vnus eſt, Petrus, inquam, Petrique ſucceſſor Rom. Pontifex. Deinde, quia potiùs ſumi par erat ordinē Patriarcharū eſſe Epiſcopalis ordinis ſtirpem ſeu propaginem quàm ſecus. ex Epiſcopis enim fiunt Patriarchæ. Poſtremò, quia tum Patriarchatu, tum Epiſcopatu eſt Sacerdotium antiquius: nam in Cœna Chriſtus primùm ſuos Apoſtolos Sacerdotes inſtituit: deinde, credere poſſumus poſt reſurrectionem ab eodem Epiſcopos fuiſſe inſtitutos, & Sacerdotium quidem ab Epiſcopatu poteſt eſſe ſeiunctum, Epiſcopatus autem ſine Sacerdotio conſiſtere nulla ratione poteſt: ſiquidem ordo Sacerdotalis, & Conſecratio efficiunt ordinem Epiſcopalem.

Poſterior propoſitio. Non eſt hæc conſecutio neceſſaria. Romanus Pontif. creat quatuor Oriētis Patriarchas, omnes item alios tum Patriarchas, tum Epiſcopos: ergo, ſi Romano Pontif. non conſulto, vel etiam repugnante, aliqui conſecrantur Epiſcopi, non ſunt veri Epiſcopi: eſt illud quidem conſentaneum non eſſe legitimos paſtores: neque ius habere adminiſtrandi Pontificatus, ſeu gubernandi populi, ſiue propter hæreſim, ſiue propter ſchiſma, ſiue propter quampiā cenſuram Eccleſiaſticā, ſiue ob aliud crimē. Poſſunt enim eiuſmodi Patriarchæ & Epiſcopi carere legitimo iure officij ſui, ac muneris, ordinis pontificalis poteſtate retenta; quam in ſua conſecratione acceperunt. Atque hîc noſtra hæc Academica diſputatio habeat extremum. Vtra verò pars ſit probabilior ac verior, non mei eſt arbitrij ſtatuere, ſed Apoſtolicæ ſedis diiudicare.

QVÆSTIO XLIX.

INter multos familiæ cuiuſdam DEO deuotæ ſodales, eſt me præſente habita altercа 1.

altercatio: Eſſentne maioris hebdomadæ diebus, quibus Euangelium Dominicæ paſſionis legitur à Sacerdote in templis, accenſa funalia in altari relinquenda; an potiùs extinguenda.

Ipſe eius partis fui, quæ negabat, ſine lumine recitari palam populo non debere paſſionis Chriſti ad aram, Sacram hiſtoriam: Diſceſſique ab ea conſuetudine, qua ipſos viginti annos eram vſus, non appoſito lumine, aut veriùs eo ſublato paſſionem Domini legendi. Immutatæ verò conſuetudinis rationes multæ fuerunt.

Prima. Quòd animaduerti, Theologos in 4. ſentent. diſtinct. 13. & ſummarum ſcriptores concordiſſimè ſcribere, ſine lumine abſque lethali culpa Miſſam celebrari non poſſe; nec Miſſam vllam aut Miſſæ partem excipiunt. De mortifera autem culpa ex communi ſententia Doctorum teſtis eſt etiam Armilla, in verbo, Miſſa, num. 5. id apertè docet Diuus Antoninus in 3. parte, tit. 13. cap. 6. §. 6. & Syluester, in verbo, Miſſa, tit. 1. quæſt. 2. Angelus, in verbo, Miſſa. §. 36. Et quamuis eſſet dies feſtus, nullomodo permittitur ſine lumine rei diuinæ operam nauare. Vide Diuum Antoninum, & eoſdem Doctores.

Secunda ratio firmatur ex Canone Honorij III. qui eſt extremus de celebratione Miſſarum. Honorius enim ad Epiſcopum Brixienſem ſcribens ei præcipit, vt officio & beneficio perpetuo priuet Sacerdotem quemdam, qui ſine igne & aqua auſus fuerat Miſſam celebrare. Ex quo Canone rectè conficit Syluester, ob grauem pœnam, quam infligit, noxiam eſſe mortiferam ſine igne ſacra operari. Neque decretalis illa, neque eius explanatores vllius diei Miſſam, Miſſæve partem excipiunt.

Tertia ratio. Quoniam hoc in Romana Ciuitate factitari aiebant; quæ Magiſtra cæremoniarum & interpres religionis reliquis orbis Chriſtiani Prouinciis eſſe debet.

Quarta. Quia ſi per eos dies Sacra Euchariſtia ad quempiam moribundum eſt deferenda, non ſine lumine deferretur & referretur: id quod præcipitur in decretali Honorij III. cùm olim, de celebratione Miſſarum. 2.

Quinta ratio. Quia, ſi dum legitur paſſio, flamma fouetur in lampade, cur lumen remouebitur ex altari?

Sexta. Propterea quòd in ipſo illo canone. Cum olim, de celebratione Miſſarum, duæ exponuntur cauſſæ, cur Euchariſtia cū lumine deferri & referri debeat: Prior eſt, quia candor eſt lucis æternæ. Poſterior, vt apud omnes fides & deuotio augeatur. Ergo, cùm Miſſa inſtituta ſit ad hunc candorem æternæ lucis exprimendum, atque ad fidem & pietatem in mentibus Chriſtiani populi excitandam, idque maximè deceat fieri in Euangelica narratione Paſſionis Dominicæ, in ea lumina extingui nequaquam conuenit.

Septima ratio. Quia Pij V. conſtitutione vetitum eſt in celebratione Miſſæ alias vſurpare ceremonias, niſi quæ eius mandato præſcriptæ ſunt atque editæ: At lumen extinguere dum paſſio Dominica recitatur, noua eſt ceremonia non præſcripta. Imò, dicet quiſpiā, præſcripta eſt: Nam in Miſſalis Rubrica cauetur, vt ad Euangelium Paſſionis lumina ne deferantur. Verùm id eſt turpiter falli in ratione ceremoniarum: aliud eſt enim noua lumina non deferre ad Euangelium, quæ deferre ſolent Ceropherarij in Miſſis ſolemnibus; aliud lumina iam delata & principio in altari collocata, vel auferre, vel extinguere.

Octaua ratio. Quia multi ſunt Sacerdotes ſenio confecti, multi infirmis oculis, aſpectu obtuſo, atque hebeti, qui ſine conſpiciliis legere non poſſunt. 3.

Nona. Quia ſæpe in tenebricoſis locis ſacrificatur, in obſcuris templis, tempore quo cœlum craſſis eſt obductum nubibus, vt verba ſacra ſine lumine nec videri, nec pronuntiari poſſint.

Decima & poſtrema ratio. Quia Devs, Leuitici

Digitized by Google

Leuitici, cap. 6. præceperat, vt ignis in altari ſemper arderet; qui ignis ſeptuaginta annos Babylonicæ captiuitatis accenſus, ac viuus ſub aqua conſeruatus eſt; extinctus verò, Antiocho, Iaſoni vendente Sacerdotium; vt habetur in Canone. Sicut Eunuchus 1. q. 1. qui Canon eſt D. Auguſtini. Vnum tantùm contrariæ ſententiæ probabilitatis ſpeciem aliquam adferebat. Quòd enim luminum, ſeu candelarum extinctio defectionem eam ſignificat, quę in ſole Principe luminum extitit; quo tempore ipſe Chriſtus pro humano genere patiebatur, mortémque oppetebat, vt etiam illius diuinitas tunc obſcurata fuiſſe quodammodo videatur.

Verùm, ſi quidquam firmitatis in hac ratione ineſſet, tunc maximè extingui lumina oporteret, cùm ad conſecrationem venitur corporis & ſanguinis Chriſti: tūc enim eius paſſio multo veriùs repræſentatur, quàm cùm verba Paſſionis eius ex Euangelio recitantur. Deberent etiam cùm ex altari remouētur lumina, appenſæ lampades extingui: cur non extinguuntur, ſed ſplendeſcunt? Tantúmque abeſt vt Chriſti Paſſio diuinitatis eius gloriam imminuerit, eam maximè illuſtrauit: ſiquidem illo ipſo tempore, quo patiebatur, ob inuſitata prodigia, quæ contigerunt, verus Filius DEI declaratus fuit.

4. Ac de ea gloria, quam è cruce pendens adepturus erat, loquebatur Chriſtus, cùm poſt digreſſum Iudam, vt eum proderet, coram diſcipulis cæteris dixit, *Nunc clarificatus eſt Filius hominis, & DEVS clarificatus eſt in eo.* Quibus verbis miraculorū & portentorum magnitudinem ſuæ Paſſionis comitem & dignitatis teſtem ſignificauit. Neque ſolùm maximæ gloriæ, quę ad eum patientem ex eo teterrimo ſupplicio redundare debebat, vates fuit iis verbis, quæ ſunt apud Ioannem, cap. 13. verumetiam eam ipſam à Patre precatus eſt, cap. 17. apud eundem Euangeliſtam. *Pater, venit hora; clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te:* hoc nimirum poſtulabat, quemadmodum interpretatur Hilarius 3. lib. de Trinitate cōtra Arianos diſputans, aliique præſtantes Doctores, vt homines, qui illum tam dira patientem intuebantur, veri DEI verum Filium eſſe cognoſcerent; cuius precibus & votis omnino annuit Pater. Quò igitur ea priuatio lucis ſolaris pertinuit? D. Chryſoſtomus, in Matthæum, homil. 89. Iram, inquit, DEI (loquitur de Iudæis) propter facta ipſorum commotam eſſe tenebræ illæ ſignificabant. D. Bonauentura, in Lucam. Attendendum autem, inquit, quòd in illa ſolis obſcuratione intelligitur obcæcatio Iudæorum. D. Auguſt. 3. lib. de Ciuitate DEI, cap. 15. vult, ſcelus Iudæorum, occidentium Dominum, diurni luminis auerſione indicatum eſſe: & ne vlla iis excuſationis venia daretur, niſi ob tantam tantarúmque rerum, quæ acciderūt, admirabilitatem reſipiſcerent; quemadmodum in illa homilia oſtendit Diuus Chryſoſtomus.

S. Hieronymus, in Matth. cap. 27. ea 5.
verba explanans, *à ſexta autem hora tenebræ, &c.* Videtúrque mihi, inquit, clariſſimum lumen mundi; hoc eſt, luminare maius, retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum; aut impij blaſphemantes ſua luce fruerentur. Poterant etiam tenebris illis tenebræ peccatorum ſignificari; quæ lucem fidei & gratiæ diuinæ mortalibus eripiebant. Diuus Ambroſius ad ea quæ magis ſunt abdita, aſſiliens, lib. 10. in Euangelium Lucæ, ſcribit his verbis. Significantur per Domini Paſſionem, occaſura præſentia, vt oriantur futura: vult dicere bona Euangelij, ac vitæ innocentis, & beatæ. Tenebræ igitur, inquit, offuſæ ſunt oculis perfidorum, vt fidei lumen refulgeret. Addamus & ipſi hoc ad confirmandam theoriam Ambroſianam. Sicut tenebræ rerum mundanarum diſtinctioni, hominiſque opificio, dum oriebatur mundus, anteceſſerunt; ſic, patiente Chriſto, par fuit mundum tenebris circumfundi; vt eius ſanguine ac morte mundus reſtauraretur; atque humanum genus multò nobilius quàm in

ſua

ſua prima inſtitutione renaſceretur. Denique, miram illam defectionem lucis, non ad extinctionē, ſeu interitum Chriſti, qui totius lucis adſpectabilis, & eius, quæ ſenſu cerni non poteſt, fons & auctor erat, minimè pertinuiſſe, ex hoc maximè perſpicimus; quòd tenebræ, dum is ſpirabat in Cruce, terras occupauerunt: depulſæ ſunt autem, atque exterminatæ, poſtquam noſter liberator vitæ extremum ſpiritum edidit.

QVÆSTIO L.

1. Poteſtne homo Latinus, ſed qui ſcit Græcè, vel Hebraicè, diuinum officium, aut totum, aut eius partem, qua maluerit lingua recitare. Et, extra culpam ne erit Sacerdos, qui poſt Miſſæ Sacrificium, matutinam Deo reddit pſalmodiam. Et, quodnam exiſtimari poteſt tempus, ſeu hora legitima, inchoandi horas matutinas.

Primæ quæſtioni in 2. lib. de officiis Parochorum reſpondimus ipſi ex ſententia Nauarri, in 3. lib. ſuorum conſiliorum de celebratione Miſſarum conſ. 17. vbi ſe ipſum idem ſentientem in Enchiridio de orat. c. 13. num. 7. citat, ius Eccleſiæ non violari ab eo qui canonicam pſalmodiã, qua lingua ei collibuerit, pronuntiat. Neque huic reſponſo officit Pij V. conſtitutio, quæ omnem Latinis adimit facultatem diuina officia more Græco celebrandi: aliud enim eſt mos, ſeu ritus Græcus, aliud lingua Græca; quæ ritum Græcorũ tot ſæculis anteceſſit.

2. Secunda quæſtio non ſimiliter diiudicatur ab omnibus doctoribus. D. Anton. in 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. culpam credit eſſe mortiferam, Miſſam ante matutinum officium celebrare; citátque ſuæ ſententiæ comites, Gulielmũ & Hoſtienſem: quoniam, qui ſecus agit, contra communem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem agit. Syluester, in verbo, Miſſa, 1. §. 6. eiuſdem ſententiæ ſubſcriptores facit omnes Summiſtas: quam tamen is non ſubſcribit. Nam de conſuetudine duo affirmat, primùm ſe audiuiſſe viros doctiſſimos, qui eam negarent: ſecundùm, non in quauis conſuetudine, ſicut nec in qualibet lege, vim eſſe mortifera noxia obſtringendi eos qui nõ obtemperant. Quæ verò è canonum voluminibus proferuntur, ad priuatas Miſſas minimè pertinere. Habent, inquit, prædicta aliqualem apparentiam, quantùm ad Miſſam maiorẽ & officium Chori. Maior in 4. diſt. 12. q. 3. in extremo ait, in hoc omnes conuenire, matutinum eſſe ante Miſſam celebrandum. Verùm non addit, ſi aliter ſiat, facinus admitti pœna æterna dignum. Sotus in lib. 10. de iuſt. & iure q. 5. art. 4. §. De ordine præterea, probat Miſſæ Sacrificiũ præponi poſſe matutinę pſalmodię: quandoquidem contraria ſententia, nec iure aliquo nititur; nec vlla certa ratione: ſiquidem Miſſa non numeratur inter Canonicas Horas: nec præceptum Miſſæ celebrandæ neceſſariò connexum eſt cum præcepto Horarum Canonicarum. Si ergo, inquit, ſoluere nocturnum officium Sexta aut Nona hora diei, non eſt mortale; neſcio vnde inferatur, quòd celebrare priùs Miſſam ſit mortale; quandoquidem diſtincta ſint officia, neque vnum neceſſarium habeat adeſſe ad alterum: forſan ob conſuetudinem venialis eſſet culpa; vbi fieri poſſet commodè.

3. Ego hac de re ſæpe conſultus tria reſpondi. Primùm: A conſuetudine, cuius meminerunt alij, temere diſcedendum non eſſe. Secundum: Si ſine iuſta cauſſa abſque contemptu diſcedatur, culpam eſſe leuem. Tertium: Si ob legitimam cauſſam, nullam eſſe. Syluestri autem ac Soti ſententiam illud etiam mihi perſuaſit: quòd multo maior & certior eſt ordo inter ipſas Horas Canonicas, quàm inter eas, & Miſſam: ſed ordo, qui eſt inter ipſas, peruertitur ſine violatione præcepti, & lethali culpa: ergo multo magis id cenſeri debet, ſi peruertatur is quem volunt eſſe inter Horas & Miſſam: quæ mihi ratio

tio vim adfert. Quod autem in ceremoniarum Romanarum libello cauetur; vt dicto matutino celebretur Miſſa; aut de ſolemni Miſſa intelligendum eſt, aut ad conſilium non ad præceptum referri debet.

4. Poſtremæ quæſtioni ſatisfacit D. Tho. in quodl. 5. art. 28. vbi docet, poſt veſpertinas horas, matutinas inchoari poſſe: diem verò ciuilium contractuum incipere à media nocte; officij Eccleſiaſtici & feſtorum Eccleſiaſticorum à veſpertinis horis. Vnde, inquit, D. Thomas, ſi aliquis poſt dictas veſperas, & completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem ſequentem.

Nonnulli autem viri Theologi, ac pij, rerúmque Eccleſiaſticarum minimè imperiti initium legitimum diuini officij obſeruant in curſu ſolis notato ſigno, cùm is propius abeſt ab occaſu quàm à meridie. Qua ego notatione & regula vti ſoleo: & animaduerti hoc tempus ſic notatum coire cum eo tempore, quod publico officio veſpertino Eccleſiaſtica præſcribit conſuetudo.

QVÆSTIO LI.

Est calix, cuius pedem cum ſcypho artificioſum toreuma connectit: verùm diuturno vſu iunctio hiare cœpit; vt de partium ſectetione haud longo tempore timendum ſit: huic incommodo, quod metuitur, remedium perappoſitum arbitrantur, ſi nodus pertetebretur, infixóque clauo nexus firmetur: quod tamen fieri commodè nequit, niſi ſcyphus à pede auellatur.

Verùm autem diſiunctione conſecratio interitura eſſet, fuit à nonnullis addubitatum: Ego conſulentibus reſpondi interire: ſic iudicatum eſſe ab auctoribus non ineruditis: à Paludano in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. ab Antonino in 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 5. à Syluestro & Ioanne Tabienſi, in verbo, Calix. Qui omnes cum aliis multis huius ſententiæ ducem dilaudant, & ſequuntur, Petrum Paludanum. Sed Bartholomæus Fumus contrariam ſententiam negat reprehendendam eſſe: ſic enim ipſe.

Quidam verò dicunt, quòd quando per artem ſic fit, vt poſſit ſeparari & coniungi & ita conſecretur; quòd etiam ſi ſeparetur non amittit conſecrationem; & ita videtur eſſe in vſu apud quoſdam dominicos habẽtes huiuſmodi calices, quos ſeparant: vt minorem locum occupent; & faciliùs portentur. Neque hæc opinio videtur reprobanda: verùm ipſi reprobamus; quia alij eam non probant.

De charactere ſubdiaconi.

QVÆSTIO LII.

In nobili Italiæ ciuitate, quo tempore de eorum ſcientia iudicium ferendum erat, qui ſacris ſe ordinibus initiari optabant; cum vniuerſo examinatorum cuneo, cui duo Epiſcopi præerant, acris mihi contentio de inſtrumenti genere fuit; 1.
in cuius traditione crearetur ſubdiaconus; atque in eo imprimeretur character, illis aientibus tunc initiari, cùm librum tangit epiſtolarum, tunc item characterem ſuſcipere: me contrà affirmante tunc ſolum verè Sacramentum ordinis cum charactere eidem impertiri, cùm calicem vacuum cum patena vacua recipit. Addebámque ſententiam, pro qua ipſe pugnabam, tantùm poſſe defendi, quòd tum Sacrorum Canonum, & Conciliorum, tum fermè omnium Theologorum ſuffragiis niteretur. Idque pollicitus ſum me verbis ipſis ex Conciliis & Canonibus, ac Theologis ſumptis, quaſi obſignatis tabellis demonſtraturum: quod ipſum præſtiti cumulatiſſimè.

Quæ igitur à me prolata ſunt teſtimonia, ac teſtes, hi ſunt: Concilium Florentinum generale, cui præfuit Eugenius IV.

in

in inſtructione fidei Armenis tradita ab eodẽ Concilio, mandante & approbante eodem Romano Pontifice; de ſacris tribus ordinibus, qui maiores & antonomaſticè ſacri appellantur, ſanxit his ver-
» bis: Sextum Sacramentum eſt ordinis:
» cuius materia eſt illud, per cuius traditio-
» nem confertur ordo: ſicut presbyteratus
» per calicis cum vino & patenæ cum pane
» porrectionem: Diaconatus verò per libri
» Euangeliorum dationem: Subdiaconatus
» verò per calicis vacui cum patena vacua
» ſuperpoſita traditionem: nec vllam facit mentionem libri Epiſtolarum. Canon, Subdiaconus, diſt. 23. qui canon ſumptus eſt ex Concilio IV. Carthaginenſi, cap. 5.
» decernit his verbis: Subdiaconus, cùm
» ordinatur, quia manus impoſitionem
» non accipit, patenam de manu Epiſcopi
» accipiat vacuam & calicem vacuum: de libri traditione nihil.

2. Atqui aliquot ſæculis ante Concilium Florentinum fuit IV. Carthagineſe, probatum, vt aiunt, à Leone IV. Magiſter ſententiarum diſt. 24. lib. 4. cap. de Sub-
» diaconis. Hi, inquit, cùm ordinantur, ac-
» cipiunt de manu Epiſcopi patenam & ca-
» licem vacuum. nec in toto illo capite libri
» Epiſtolarum vlla mentio. D. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. argum. 5. quod argumentum nullo modo refellit, ſed pro-
» bat, ſic loquitur: Subdiaconus characte-
» rem recipit in ipſa calicis porrectione. & diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. in reſponſione ad 2. loquens de Subdiacono, & ideo, inquit, characterem recipit in hoc, quòd datur ei calix ab Epiſcopo. Richardus in 4. diſt. 24. artic. 4. quæſt. 3. docens in quo traditur poteſtas & character ſingulorũ
» ordinum. Poteſtas, inquit, Subdiaconi
» per hoc, quòd accipit de manu Epiſcopi,
» patenã & calicem vacuum: nec meminit libri Epiſtolarum. Albertus Magnus, in eandem diſt. art. 26. ſtatuit in actu nobiliore, hoc eſt in eo, qui eſt Euchariſtiæ
» propinquior, characterem imprimi. Ergo,
» infert ipſe, character huius ordinis tunc
» imprimitur, cùm calicem à manu Epiſcopi ſuſcipit cum verbis ad hoc pertinen- »
tibus. Sic Albertus. Durandus in 4. d. 24. »
quæſt. 3. ſcribit, in iis ordinibus quorum plures ſunt actus, ſemper in actu principali imprimi characterẽ: magis autẽ principalem eum eſſe, qui magis immediatè ad Euchariſtiæ Sacramentum ordinatur: cúmque de Acolyto dixiſſet, hæc ſubiicit de Subdiacono. Subdiaconus ſimiliter »
habet duos actus, ſcilicet legere epiſtolã, »
& materiam Euchariſtiæ ordinare & po- »
nere in ſacris vaſis: &, vt de ſe patet, ſe- »
cundus actus eſt principalior primo: quia »
Sacramento Euchariſtiæ immediatior: »
propter quod character Subdiaconatus »
imprimitur in traditione calicis & pate- »
næ. »

3. Paludanus in eand. diſt. quæſt. 1. art. 3. concl. 2. ſubſcribit; & iiſdem verbis deſcribit ſententiam Durandi. Scotus in 4. diſt. 24. quæſt. vnica, art. 1. in extremo, negat proprium actum Subdiaconi eſſe legere epiſtolam, ſed hunc ait eſſe remotum & minùs perfectum; ſed proprium & perfectiſſimũ eſſe eum, quem habet circa materiam Euchariſtiæ offerendam. D. Bonauentura, in eandem diſt. art. 1. quæſt. 4. in priore parte diſtinctionis. Hoc pro gene- »
rali, inquit, regula habendum eſt; quòd in »
illo ſigno exteriore imprimitur character »
in quolibet ordine, in quo principalis po- »
teſtas, quam reſpicit ordo, ſignatur tradi »
tali ordinato. Et hanc regulam traditam »
à Diuo Bonauentura recipiunt D. Thom. Albert. Magnus, Scotus, Durandus, Paludanus, locis citatis, aliíque Theologi: necnon illud tamquam certum ſumunt; in duobus actibus Subdiaconi, illum, qui calice ab eo exercetur, eſſe primarium & magis dignum. Ioann. Turrecremata in Canonem Subdiaconus 23. diſt. ex verbis canonis, & ratione Alberti Magni & teſtimonio Durandi probat Subdiacono characterem imprimi in receptione calicis & patenæ.

Reſpondeo (verba ſunt Turrecrematæ) dicendum; quòd Subdiacono imprimitur character in receptione calicis &

patenæ. Quærebat autem in prima quæ-
ſtione in illum canonem: Vtrùm in da-
tione libri Epiſtolarum imprimatur cha-
racter. Maior in 4.diſt.24.q.1. de ſignis &
rebus diſſerens, in quibus vniuſcuiuſque
» ordinis character datur, Subdiaconatus,
» inquit, per patenam & calicem vacuum:
» de libro Epiſtolarum nihil. Gabriel, in
eandem diſtin.q.1.art.1.indicans inſtru-
menta & materiam,in qua ordinis chara-
cter imprimitur; ait, in traditione & aſſi-
gnatione patenæ & calicis vacui imprimi
characterem in Subdiacono.

4. Victoria, in ſumma Sacramentorum,
quæſito 231. affirmat,ex Concilio Floren-
tino, Subdiaconatum tradi per traditio-
nem calicis vacui cum patena vacua ſu-
perpoſita. Sotus in 4.diſt.24.q.1.art.3. his
verbis ſuam exponit ſententiam. At verò
D.Thom. diſt. 25.q.1.ad 2. (omiſit Sotus
» articulum) ait, Subdiaconũ characterem
» non ſuſcipere, niſi dum calicem cum pa-
» tena recipit:atque eiuſdem ſententiæ au-
» ctor eſt loco citato Richardus & Paluda-
» nus diſt. præſenti: & omnes ſanè docen-
» tes: nam eodem Concilio Florentino ſic
» definitum eſt. Hæc ille. Caietanus in 1.
» tomo ſuorum tractatuum, tractatu 11.
qui eſt de modo tradendi & ſuſcipiendi
ordines ſacros,apertis verbis ait,in ordine
Subdiaconatus veram materiam eſſe ca-
licis vacui traditionem; atque indicat in
antiquis Pontificalibus hanc ſolam habe-
ri:quod fateor me latere. & poſt aliquan-
» to ad hunc modum ſcribit. Et, ſi aliquid
» fuerit omiſſum eorum quę ex nouis Pon-
» tificalibus ſunt addita: puta, quia non eſt
» datus Subdiacono liber Epiſtolarũ cum
» illis verbis, *Accipe librum*, non propterea
» ſupplere oportet in alia ordinatione hu-
» iuſmodi omiſſum: huiuſmodi enim noua
» additio non facit legem nouam. Altiſio-
dorus, in 4.lib.ſuæ ſummæ, diſputans de
Sacramento ordinis, in quo ait conferri
gratiam priuilegiatam: Quintus, inquit,
ordo eſt Subdiaconi; ad quem pertinet
miniſtrare Diacono calicem cum patena:
Vnde dictus eſt Subdiaconus: & reliqua
eius munera omittit; quaſi hic ſolus ſit
proprius & legitimus actus, in quo ex
ſententia Altiſiodorenſis recipiat Sub-
diaconus characterem.

D. Antoninus in 3. p. tit.14.c.16. §.4. 5.
ſic. Imprimitur character Subdiacono in »
traditione calicis & patenæ vacuæ. Con- »
cordat Thom. Alb. & Petrus. Supple-
mentum in verbo ordo tit.3. §. In quo
imprimitur character in ſingulis ordinib.
Subdiacono, inquit, imprimitur chara- »
cter in porrectione calicis vacui, ſcilicet »
conſecrati, ſecundùm Petrum & Alb. »
Angelus,in ſumma,verbo,Ordo,tit.1.n.6.
his verbis. Poteſtas Subdiaconi patet per »
hoc,quòd accipit de manu Epiſcopi pate- »
nam & calicem vacuum: & ideo in hoc »
imprimitur character: quia principalis »
actus eius eſt vaſa Dominici corporis & »
oblationes offerre Diacono: & legere »
epiſtolam eſt ſecundarius actus,non prin- »
cipalis: propterea legitur etiã à non Sub- »
diacono. Roſella, in ſumma, verbo, Or- »
do, tit.3. num.3. Subdiacono imprimitur »
character in porrectione calicis vacui: »
quia habet portare vaſa Dominici corpo- »
ris & ſanguinis. Syluester, verbo, Ordo, »
2. q. 4. Character Subdiaconi, cuius ſe- »
cundùm Petrum de Palude, duo ſunt »
actus, ſcilicet epiſtolã legere & materiam »
Euchariſtiæ parare in vaſis ſacris, impri- »
mitur in traditione calicis vacui cum pa- »
tena, ſecundùm Petrum de Palude: quia »
principalis actus eius eſt parare materiam »
in vaſis ſacris; & idem ſentit S.Thomas. »
Tabiena, in verbo, Ordo, tit. 2. num.10.
recitans verba Paludani: Ideo,inquit,im- »
primitur character in traditione calicis & »
patenæ: & addit concordare cum Palu- »
dano D. Thomam. Armilla, in verbo,
Ordo, num. 5. ſecutus D. Thomam &
Paludanum,affirmat in Subdiacono cha-
racterem imprimi in traditione calicis &
patenæ vacuæ.

In tanto autem Theologorum agmi- 6.
ne illud eſt cogitandum, fuiſſe multos,
qui non ſolùm in ratione de ordinibus
ſacris diſſerendi, ſed in forma etiam &
more

Digitized by Google

more eos tradendi excelluerũt; ſiquidem conſtat, Petrum Paludanum Patriarchã, Albertum Magnum Ratiſponenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, S. Antoninum Florentinæ item Archiepiſcopum, Durandum Anicienſis Epiſcopum extitiſſe: Vt permirum ſit, vnum Viguerium in ſuis inſtitutionibus, c. 16. §. 6. verſu 11. credidiſſe libri traditione Subdiaconum inſtitui: quem errorem cauiſſet, ſi aut Concilium Florentinum, aut eos doctores, quos ipſi teſtes veræ ſententiæ citauimus, conſuluiſſet.

Verùm, vt ne quidquam in hac diſputatione diſſimulemus; vna contraria argumentatio, quæ veritati officere videtur non parum, diluenda eſt. Forma enim in Sacramento ordinis per imperium effertur; quod non videtur ſeruari ab Epiſcopo tradente calicem Subdiacono, ſed librum tantùm Epiſtolarum: id quod liquidò confirmant verba D. Bonauent. in 4. ſent. d. 24. art. 1. q. 4. num. 58. his verbis
» ſcribentis: Et ſi plura inſtrumenta tradan-
» tur vni, illud pro principali habendum
» eſt, quod Epiſcopus tradit cum prolatio-
» ne verbi, *Accipe poteſtatem.* Vnde in omiſ-
» ſione principalis, debet ordo iterari: quia
» præſumitur quòd characterem non rece-
» perit. Hactenus D. Bonauentura. ſed Epiſcopus vtitur ea forma, *Accipe poteſtatem, &c.* non cùm tradit Subdiacono calicem vacuum cum patena, ſed cùm dat librum Epiſtolarum; tunc enim, inquit, Accipite librum Epiſtolarum; & habere poteſtatẽ legendi eas in Eccleſia DEI, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

7. Reſpondeo, multis modis elidi argumentum. Primùm, falſum eſt ſemper imprimi characterem, quoties rem quampiam externam tradat Epiſcopus verbis modi imperantis: nam & hanc formam vſurpat, cùm amictum dat Subdiacono: *Accipe amictum*: & cùm tradit manipulum: *Accipe manipulum*; nemóque ſuſpicatus eſt aut eam formam, aut has res traditas ad characterẽ pertinere Subdiaconi. Oportet igitur, vt ea forma exprimatur actus principalis Miniſtri, hoc eſt, ex ſententia Theologorum, is qui eſt Euchariſtiæ magis cognatus: &, quia legere epiſtolam, non propiùs accedit ad Sacrificium, quâm parare in vaſis materiam ad illud conficiendum: ideo in ſignificatione actus minùs propinqui non confertur character. Deinde aio, Epiſcopum porrigentem Subdiacono calicem, non recedere à modo imperandi: hæc enim verba pronuntiat, *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur.*

Poſtremò, perquàm probabile eſt, quod admonet Petrus de Soto his verbis in inſtitutione Sacerdotũ de Sacramento ordinis lect. 4. vbi de modo tradendi hanc poteſtatem ordinum nõ eſt certum aliquid inſtitutum, poteſt Eccleſia conſtituere, quibus vel verbis, vel actibus, vel ſignis aliis in eiuſmodi traditione vtendum ſit: quod ipſum ante Petrum de Soto vidit, & docuit D. Bonauentura in 4. diſt. 24. priore parte diſt. art. 1. q. 4. num. 63. qui D. Bonauentura cùm ſcripſit, quum plura inſtrumenta traduntur &c. Locutus eſt de ordinibus minoribus; vt liquet ex eius verbis; &, ſi ſecus ſenſiſſet in ordine ſubdiaconatus, prorſus ſecum ipſe pugnaret: nam paulo antè in eadem quæſtione dixerat num. 58. pro generali regula habendum eſſe, in eo exteriore ſigno in quolibet ordine characterem imprimi, in quo principalis poteſtas ſignatur. Ex omnium verò Theologorum rectè docẽtium ſententia ſubdiaconi prima poteſtas in parãda materia in vaſis ſacris verſatur, non autem in pronuncianda epiſtola: cuius muneris ac poteſtatis eos cõmonefacit Epiſcopus, cùm tradens Calicem cum patena inquit, *Videte cuiuſmodi miniſterium, &c.*

Ac nimirum cùm nec Canon, perlectis. d. 25. deſcriptus ex epiſtola Iſidori ad Ludifredum: nec Canon, Subdiaconus. diſt. 23. ex. conc. 4. Carthaginenſi: nec Concilium Florentinum, nec Magiſter ſententiarum, nec alij multi & priſci Theologi, immò nec ipſum Pontificale Romanum

ma cap.25.num.3.

3\. Secunda nobis propoſita quæſtio obijcit difficultatem. Vtrúmne nundinator clericus immunitatem bonorum amittat. Amittit quidem, ſed non antè quàm ter à ſuo ordinario ſit monitus. Ita Gloſſa, & Panormitanus in caput poſtremum de vit. & honeſt. clericorum; imo verò hoc amplius addit Panormitanus, clericum negociationi deditum in ipſis etiam bonis, in quibus mercaturam exercet, antè trinam monitionem Priuilegium immunitatis retinere: quod idem affirmat Imola in illud ipſum cap.

Huic tertia eſt adiuncta difficultas; vtrùm vna admonitio, quæ inſtar ſit triū, ſatis ſit, an neceſſe ſit ter diſtinctis interuallis temporis admoneri negociantem clericum à ſuo Ordinario. Plus vna non eſſe neceſſariam, credit Roſella in verbo excommunicatio 2. num. 3. Angelus in verbo clericus 9. num. 3. ſupplementum, quod nominatur à Syluestro. Panormitanus verò in eo, quem ſuprà ſignificauimus, loco, contendit tres exigi admonitiones diſtinctas; quem ſequitur Tabiena in verbo excommunicatio 5. num. 24. Syluester in Verbo clericus 3. num. 3. à quibus etiam citatur Gloſſa, & Ioan. Andreas: Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 81. qui vult, inter vnam & alteram admonitionem dies aliquot debere eſſe interiectos. Cum Panormitano ſentit etiam Immola in cap. illud vltimum de vit. & honeſt. clericorum, imò illud ipſum affirmat Nauarrus, & idem Gloſſa in Clement. primam, de vita & honeſt. clericorum.

4\. Accedit ad tertiam difficultatem hæc quarta. Num poſt trinam monitionem, immunitatis Priuilegium pereat clerico in ſuis dumtaxat bonis, an etiam in bonis Eccleſiæ. Colligitur perſpicuè ex Gloſſa in propriis tantùm bonis Priuilegium interire: dicitur enim in facultatibus ſuis: neque enim clerici delictū Eccleſiæ nocere debet, vt admonet Panormitanus. Non delinquentis autem clerici bona, quæ in eius ciuili patrimonio cenſentur, eodem iure eſſe, quo ſunt Eccleſiæ, quod ſpectat ad immunitatem, aiunt Gloſſa, Panormitanus, Hoſtienſis, & Imola in poſtremum caput de vita & honeſt. Clericorum: quibus alij aſſentiuntur.

Quinta difficultas. Contemptis tribus admonitionibus, priuatúrne clericus alio Priuilegio quàm immunitatis? Ardua & impedita eſt quæſtio. Hoſtienſis enim in poſtremum cap. de vita & honeſtate clericorum, eiuſmodi clericum omni Priuilegio priuat: Nudantur, inquit, omni Priuilegio clericali: & hæc eſt veritas; quā ſententiam ſubſcribit Syluester in Verbo excommunicatio ſexto nu. 6. vbi iſtis contumacibus clericis tum fori tum Canonis adimit Priuilegium, ſuæque ſententiæ comitem citat Piſanellam, Archidiaconum & Innocentium, ſed loca non indicat. Verùm Innocentius relinquit iis clericis Priuilegium Canonis; aufert tantùm Priuilegium, quoad iudicium, forum; & functiones municipales. Tabiena in verbo clericus 3. num. 2. Roſella in verbo excommunicatio ſecundo, ſcribunt in bonis ſuis tantùm Priuilegio ſpoliari, & hanc opinionem tutiorem in conſcientiæ foro ait Angelus in verbo clericus 9. num. 2. Ioan. Andreas & Imola in caput vltimum de vit. & honeſtate clericorum, conantur conciliare ambas opiniones: vt Hoſtienſis vera ſit, quando negotiantur ſine habitu & tonſura; ſecunda autem quando depoſito habitu & tonſura negotiationi & mercaturæ ſtudent. Et quamuis Panormitanus Ioan. Andreæ atque Imolæ approbet diſtinctionem; Gloſſa tamen ſecundæ fauet opinioni; quæ nimirum benignior eſt, atque in conſcientiæ iudicio magis tuta.

Poſtrema difficultas. Hi clerici, qui negotiationi ſeruiunt, poſſuntne amiſſum Priuilegium recuperare? Poſſunt: ſi ſe ab interdicto negocio abſtrahant. Sic ſentiunt hi omnes. Innocentius, Panormitanus, Ioan. Andreas, Hoſtienſis, Imola, & Gloſſa in cap. illud poſtremum de vita & honeſtate clericorum: ſcribit enim apertè 5.

tam

cerdotis conſultus ſum; An ſolemnis continentiæ voto obſtrictus is teneretur: & num, ſi connubij contractum inijſſet, is ratus futurus eſſet. Primùm reſpondi, ex communi Theologorum, iuriſque Pontificij peritorum ſententia, vim, quæ non abſoluta, ſed conditionata, aut inducens à Theologis appellari ſolet, in Sacramentis, quæ characterem imprimunt, impedimento non eſſe, quominus characterem ſuſcipiant ij qui ad ea accedunt. Ergo ſecundo loco illud expediendũ erat; quandoquidem ſacro ordini tum ex Eccleſiæ lege tum ex voto apud Latinos, caſtitatis obligatio adiuncta eſt; num eiuſmodi lege & voto teneatur qui propter metum cadentem in conſtantem virum, ad ſacros ordines acceſſit.

2. Hunc non teneri, & matrimonium, ſi contrahatur, minimè irritum eſſe, Gloſſa confirmat in §.fin. cap. maiores de Baptiſmo, & eius effectu. In verbo, conditionalem. quod idem in illud cap. magis diſtinctè docet Oſtienſis Commentarij ſui nu. 38. his verbis. Sic ordinatus, niſi poſtea ratificet, quod factum eſt, non cogitur effectum characteris ſeruare: nec gaudebit priuilegio clericali niſi ſeruet: ſi tamen ratificauerit, & priuilegio vtetur; & continere compelletur: & hanc teneas. Caueat tamen ſibi: nam ſi poſt ordinem taliter receptum ſemel vtatur eo ſine coactione aliqua, puta ſemel inductus ſolemniter dixit epiſtolam, clauſa eſt ſibi poſtea contradicendi porta. C. quod metus cauſſà. l. ſecunda. Huius ſententiæ Oſtienſis recitator & comes eſt Ioan. Andreas in eamdem Decretalem num. 17. ſuæ interpretationis. Ad eamdem accedit Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 51. citat Angelum in verbo ordo 3. §. 4. vbi hac de re nihil; ſed quod illi tribuitur à Nauarro, extat in §. 26. qui eſt poſtremus. citat etiam D. Thomam in 2. 2. quæſt. 88. art. 11. vbi nihil eſt quod ad hanc rem, de qua diſputatur, facere videatur. Iterat hanc ipſam opinionem, & pro ea certat Nauarrus in concl. 3. de iis quæ vi metúſve cauſſa. Non igitur ita multos habet defenſores hæc opinio, neque in Canonicis etiam ſanctionibus exercitatos.

Nam contrariam Panormitanus arripuit in extremum §. illum cap. maiores de Baptiſmo. num. 7. Commentarij in verbo conditionaliter, vbi teſtatur Doctorum communem eſſe ſententiam, eum, qui vi, ſeu metu de quo eſt quæſtio, ordinatus eſt, neceſſaria lege teneri continentię. Pro hoc, inquit Panorm. facit iſte textus. Nam quemadmodum ſuſcipiens Baptiſmum per vim conditionalem, compellitur ad obſeruantiam fidei, & ipſius ſequelam, vt hic, & in c. de Iudæis 45. diſt. ita & ordinẽ ſuſcipiens debet compelli ad obſeruantiam ordinis, & ſequelam ipſius: & erit hic caſus, in quo metum paſſo non ſuccurritur per actionem, quòd metus cauſſà; cuius rei item cauſſam exponit. Eiuſdem ſententiæ ſunt comprobatores Theologi non pauci, nec ſecundarum; vt Paludanus in 4. ſent. d. 37. quæſt. 1. ar. 1. conc. 3. Quamuis enim ratione voti, qui per vim ſacros ſuſcepit ordines, ſolutus ſit voto cõtinentiæ: lege tamen generali Eccleſiæ qua etiã deuinciuntur Græci, & adſtricti ſunt: quãuis aut ignorantes ſeu inuiti ad ordines arrepſerint: quemadmodum, vt idem ait Paludanus facit Eccleſia ad matrimoniũ inhabilem ignorantem, & inuitum, vti ſeruum, vti frigidum. Immò verò illud affirmare non eſt veritus, infantem puerum nondum ſuæ mentis, ſacris ordinibus prędictum legi obnoxium eſſe continentiæ. Durandus in ipſam illam diſt. 37. q. 1. Cùm dixiſſet, illos, qui ſacros accipiũt ordines, Eccleſiæ ſtatuto perſonas ſimpliciter illegitimas eſſe ad contrahenda matrimonia, continuò ſubiungit hæc verba. Eadem ratione debet iis indici continentia, quando ordinantur; In quam, ſiue conſentiãt, ſiue non, dum ordinem ſacrum ſuſcipiũt, ex tunc ſunt inepti, & illegitimi ſimpliciter ad contrahendũ ex ſtatuto Eccleſiæ. 3.

Altiſiodorenſis in quarto ſuæ ſummæ tract. de matrimonio, impedimento quarto & quinto c. 2. Si ille, inquit, qui ſuſcipit, 4.

Q non

» non intendit aliquid promittere, ſtultus » eſt:debet enim ſcire, ad quæ obligatur ex » ordine;Et ſi nullo modo intendit vouere, » cùm ipſo facto, ſcilicet ipſa ſuſceptione, » vouet. & pôſt aliquantò. Ad tertiò obie- » ctum dicimus:quòd non ex ipſa ſolemni- » tate dirimitur cōtractum, ſed ex eo quod » fit in ſolemnitate: Cùm enim tradit Epi- » ſcopus calicem, & patenam ſubdiacono, » tunc transfert ſubdiaconus poteſtatem » corporis ſui in dominium Domini. Vnde » non de cætero contrahere poteſt; quia » non habet poteſtatem corporis ſui, ſed » Dominus. D.Thom. d.37.qu.1.art.1.teſtatur, apud Græcos ordinem ſacrum non habere vim impediendi matrimonium propter votum, ſed propter ipſum ordinem:ſed apud Latinos, inquit, ex vi ordinis, & vlterius ex voto continentiæ quod eſt ordinibus ſacris annexum. & in reſpōſione ad ſecundum argumentum. Ordo enim vbique impedit matrimonium contrahendum, quamuis vbique non hábeat votum annexum. Quare ille, de quo diſceptatur, ſi non voto, conſtitutione tamē Eccleſiæ caſtitatem colere cogetur. D.Bonauentura in eamd.diſt.art.1.q. 2. num.9. » Ordo apud Latinos, inquit, ex Eccleſiæ » conſtitutione habet inſeparabiliter con- » tinentiam annexam: Et ideo, qui illum » ſuſcipit, ſpontaneè ſe obligat:ita, quòd illa » obligatio procedit ex ſtatuto pariter & ex » voto, & ſic patet quòd impedit, & qualiter impedit. Etnum. 12. patet etiam quòd nō ſolum ratione voti impedit, ſed etiam ratione ſtatuti Eccleſiaſtici.

5. Richardus in 4.d.37.art.1.quæſt.2. neceſſitatem continentiæ, quam Eccleſia imponit ſacros ordines ſuſcipientibus, non refert in votum, ſed in Eccleſiæ ſtatutum: vt nemo continentiæ iugum legitimè queat excutere. Scotus autem in eād. » diſt.q.vnica. Nec propter votum, inquit, » continentiæ propriè dictum annexum » ordini ſacro, nec annexum ex præcepto » Eccleſiæ præcipientis tali non contrahe- » re, eſt quòd iſte non poteſt contrahere: » ſed ex hoc, quòd Eccleſia facit talem perſonam ſimpliciter illegitimam: quod ſta- » tutum fuit rationale, ſiue habitum fuerit » à Chriſto, ſiue non. »

Ac licèt Scotus in ratione diſſerendi, cum aliis videatur diſſentire Theologis, in concluſione tamen, quæ defenditur, mirè conſentit. Maior in eamdem diſt.q. vnica:ordo impedit, quia ſacer:itaque ordo ſacer eſt cauſſa, ſine qua non, vel propinqua; irritatio autem legis eſt propriè cauſſa in ordine ſacro. Vide vt Maior irritationem matrimonij aſſignet non voto, ſed ordini ſacro, ob id ipſum quia ſacer eſt. Gabriel in 4.diſt.37.q. vnica art.1.cōcl. 2.ſcribit, tam in Orientali quàm in Occidentali Eccleſia, ordinem ſacrum impedimentum eſſe dirimens matrimonium, non ratione voti annexi, ſed ratione, inquit, conſtitutionis Eccleſiæ, quæ ſacris initiatos facit ad coniugium illegitimos. Hoc autem impedimentum non ex voto oriri hac veriſſima ratione perſuadet. Quòd multi, qui ſe ordinibus ſacris initiari volunt, nollent animo cōcipere votum continentiæ, neque vlla ſe DEO ſponſione eiuſmodi deuincire: ſed quia lex inuitis etiam & repugnantibus imponitur; idcirco ad fœdera nuptiarum ipſa Eccleſiæ lege fiūt inhabiles: citátque Paludanum, & Scotum; quos ambos ſequitur.

Citatur vterque etiam ab Aſtenſi in libro 8.ſuæ ſummæ part.2.tit.22. art.1. qu.3. 6. probátque, ſacrum ordinem non propter votum impedimētum gignere, quo perimitur matrimonium; ſed ratione ipſius ordinis. Quoniam ſi ordo ſacer propter adiunctum votum diſſolueret matrimonium, in numero impedimentorum dirimentium, ordo & votum non duo efficerēt impedimenta, ſed vnum dumtaxat; quod ſine vlla controuerſia falſum eſt. D. Antoninus in 3.part.tit.1.cap.8.auctoritate Paludani, eamdem tuetur ſententiam. Sylueſter item in verbo matrimonij 8.qu. 12.& in verbo ordo 4. §.1. Eum qui metu iniecto, aut vi illata, de qua diſputatur, ex ſtatuto Eccleſiæ ad ſeruandam continentiam cogi planè ſcribit. Sotus ſeptimo libro

bro de iuſt.& iure q.2.articul.5.ſtat à cœtu reliquorum Theologorum : ac licèt in 4. ſententiarum d.25.qu.1.art.2. paululum ſe ipſum ſuúmque ſenſum fugiſſe videatur: tamen quia refert ſe ad ea quæ ſcripſit in 7.de iuſt.& iure,ne turpiter ſe ipſe refellere videatur, dicendum eſt in cæterorum Theologorum acie ſtetiſſe: Namque lib. 7.de iuſt.& iure,quæſt.2.art.5.in extremo, » ſcripſit his verbis : Quapropter etiam ſi quis conſenſu extorto per metum cadentem in conſtantem virum, ſacris initietur, voto etiam eodem caſtitatis tenetur ſecundùm dexteriorem opinionem; vt bene ait Syluester, verbo, ordo, quarto:niſi forſan vxori eſſet matrimonio coniũctus; qui inuita vxore abſtinere non poteſt:quę moderatrix exceptio eſt Syluestri in eodem loco, Supplementi, & Piſanellæ: è quibus teſtimonium ſumit illic Syluester, atque id ſequitur Sotus.

7. Probatur argumento ſumpto ex cap. de Iudæis.diſt.45. qui Canon eſt Concilij Toletani 4.ex cap.56.decernentis, eos Iudæos,qui Siſebuto Principe regēte, Baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt, Chriſtianam fidem Chriſtianæque religionis ceremonias,& iuſſa ſeruare oportere. Atque multo grauius eſt cuncta Chriſtianæ profeſſionis præcepta ſeruare, quàm ſolum, inquit Sotus, caſtitatis votum (rectiùs dixiſſet ſolam continentiam)ſapienter verò obſeruat Gloſſa in illo decreto,non verba fieri de coactione abſoluta, ſed de conditionata : Nam illa,vt ſentiunt Theologi, impedit impreſſionem characteris; hæc autem minimè. Vide Turrecrematam in illud ca.de Iudæis diſt.45. q.2.Ergo Sextilius tantorum Magiſtrorum ſententia colendæ continentiæ legi parere debuit; & nos eidem nulla ratione poſſumus diſſentire.

QVÆSTIO LVI.

1. QVibus, quótve pœnis ab Eccleſia plectatur clericus, ſacris ordinibus ornatus,contrahens matrimonium,operę pretium eſt anquirere, & noſſe. Quo de genere ſedulò ipſi diſſeruimus in ſecundo libro de Parochorum officiis,multo labore ſtudióque legendi, & conquirēdi quæ apud nullum collecta reperiebamus.

Ergo Clementina, eos qui.de conſanguinitate & affinitate, pœnam infligit excommunicationis omnibus qui conſtituti in ſacris (verba ſunt Clementinæ) matrimonia cōtrahunt; paritérque animaduertit in regulares profeſſos, ac profeſſas; necnon in eas laicas perſonas, quæ in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, canonica lege interdictis, ſcienter contrahunt:aut etiam cum monialibus contrahunt : cunctáſque innouat leges contra harum perſonarum facinoroſarum genus promulgatas. Quare neceſſe eſt, hos Sacrilegos clericos pœnis teneri Concilij Toletani 9. c. 10. ſtatuentis, vt non ſolùm Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui prolem ex ſacrilegis connubiis ſuſcipiunt, damnentur; verùm etiam vt ſuſcepta proles admitti non poſſit ad hæreditatem : eiuſque Eccleſiæ,de cuius Sacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt filij, in perpetuum addicti ſint ſeruituti. Quæ Concilij Toletani ſanctio habetur 15. quæſt. vlt. c. Cum multæ:cuius Canonis interpretationem faciens Archidiaconus,duo obſeruat; vnum, prolem non modò à paterna, ſed etiam à materna hæreditate excludi : alterum, ſi eorum filiorum parentes Eccleſia careant, filios, ſeruos illius Eccleſiæ fieri;cui ſubeſt ipſorum Pater; vel ratione ordinis ſuſcepti; vel ratione, inquit,talis criminis in Parochia illius Eccleſiæ commiſſi.

Verùm, quòd conſtitutio hæc pœnam 2. infligit proli, illam non puto ſubiri niſi poſt latam ſententiam à iudice, & probato delicto. Sunt etiam iſti clerici ipſo facto priuati beneficiis,ex Gloſſa in cap. primum de clericis coniugatis; ſunt item irregulares ex Decretali Alexandri III. ex literarum, qui clerici vel vouentes matrimoniũ contrahere poſſunt.Nec deſunt

recentes iuris Pontificij interpretes, qui aiunt, in hos animaduerti poſſe tamquam in homines nomine hæreſeos ſuſpectos. At verò Sacerdos, qui vxorem ducit propter Canonem Presbyter. diſt. 28. qui Canon eſt Concil. Neocæſarienſis, deponi debet, hoc eſt, interprete Archidiacono, ab ordine & beneficio; illa verò depoſitio, degradatio eſt.

Ad hæc clerici in ſacris cōſtituti, quamuis inſignia clericalia deferant, habentur Apoſtatæ, vt ſcribit Syluester in Verbo Apoſtaſia quæſt. 2. num. 5. ſunt etiam bigami in ea tertia ſpecie quæ ſimilitudinaria nuncupatur. Tres enim fiunt bigamiæ ſpecies, vna vera, altera interpretatiua; tertia ſimilitudinaria. Vera eſt, quando quis duas habuit legitimas vxores: interpretatiua, quando duxit corruptam, quamuis crediderit virginem, & eam cognouit: vel quando cognoſcit ſuam vxorem poſt eius adulterium. Similitudinaria eſt vel cùm quis poſt votum ſolemne de facto contrahit matrimonium, vel cùm quis diuerſis temporibus habuit plures vxores, vnā de iure, alteram de facto, & cognouit ambas: vel cùm quis eodem tempore habet duas, vnam de iure, alteram de facto; vel ambas de facto, & cognoſcit eas: Demum, cùm quis cum ſacro ordine contrahit. Vide Angelum in verbo bigamiæ nu. 7. Syluest. eodem tit. num. 3. & Gloſſam capitis ſuper eo. De Bigamis, vbi ſic. Bigamus eſt, qui caſtitatem promiſſam violat. 27. q. 1. Quotquot.

3. Atque iſtos clericos ad nouos ordines promoueri non poſſe, colligitur ex Decretali Innocentij III. de Bigamis, quæ incipit, Nuper. atque ex poſtrema eodem tit. Quamuis enim in hos flagitioſos clericos vera non cadat irregularitas bigamiæ: quia nec verum inire poſſunt matrimonium Bigami: tamen ab Eccleſia habentur propter improbam mentis cupiditatem qua ad nefaria & damnata connubia impelluntur. Itaque octo in clericos ſacris ordinibus præditos, ſi matrimonium contrahunt, ſunt pœnæ conſtitutæ: ſex, ipſos; duæ, eorū filios tangunt. Prima, pœna eſt excōmunicationis latæ ſententiæ per Clemētin. Secūda, irregularitatis. Tertia, Bigamiæ. Quarta, Apoſtaſiæ. Quinta, depoſitionis, ſeu degradationis. Sexta, amiſſionis beneficiorum ipſo facto. Septima, Quòd filij non ſunt hæreditatis capaces. Octaua, Quòd mancipia Eccleſiæ ſunt illius cui ſubeſt eorum pater.

QVÆSTIO LVII.

AVeat nunc quiſpiam ſcire, quæ pœnæ clericis, præſertim ſacris ordinibus, qui maiores dicuntur, inſignitis, irrogatæ ſint ab Eccleſia, ſi concubinis vtantur. Pœnam in hos conſtitutam à Concilio Tridentino habes in ſeſſ. 25. cap. 14. Concilium Romanum ſub Leone IX. cuius decretum renouatum eſt ab Alexandro II. Præcipimus ex parte Omnipotentis DEI, & auctoritate Beatorū Apoſtolorum, Petri & Pauli; vt Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, qui concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit; vt Miſſas non cantet; nec Euangelium, aut epiſtolam ad Miſſam legat. Verba ſunt ipſa decreti. Et habentur 32. Cano. præter. Et Gregorij VII. omnibus per Regnum Italicum ſcribit his verbis, quæ relata ſunt in Cano. ſi qui. d. 81. Si qui ſunt presbyteri, Diaconi, vel ſubdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte DEI omnipotentis, & ſancti Petri auctoritate, Eccleſiæ introitū; vſque dum pœniteant, & emendentur: ſi qui verò in ſuo peccato perſeuerare maluerint, nullus veſtrûm officium eorum audire præſumat: quia benedictio eorum vertitur in maledictionem; & oratio in peccatum, &c. Qui verò huic ſaluberrimo præcepto obedire noluerit, Idololatriæ peccatum incurrit, Samuele teſtante, & beato Gregorio adſtruente; peccatum ariolandi eſt non obedire, & quaſi ſcelus Idololatriæ non acquieſcere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quiſquis, dum 1.

Digitized by Google

Chriſtianum ſe aſſerit, ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit. Quæ verba & loca ſuadent nobis, vt tria hæc breuiter diſſeramus.

2. Primùm: vtrùm Sacerdotes, cæterique notorij concubinarij, ſeu fornicarij ſint ipſo iure ſuſpenſi. Secundùm, celebrando contrahántne irregularitatem: Poſtremo, num eorũ Miſſæ audiri & ab iiſdem recipi Sacramenta ſine crimine, hoc eſt, mortifera noxa, poſſint. Sed quia notorij definitio, & notorij ac manifeſti diſcrimen fundamentum eſt explicandarum quæſtionum: idcirco ex c. quæſitum, de cohabitatione clericorum & mulierum (decretalis eſt Gregorij IX.) dicimus, peccatum notoriũ eſſe, aut per ſententiam, ſeu per confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poſſit.

Itaque tres modos habemus notorij. Primus oritur ex ſententia iudicis. Secundus, ex confeſſione rei in iudicio. Tertius, ex facti euidentia. Modos hos tres notorij, quibus dicũtur aliqui Sacerdotes concubinarij notorij, memorat D. Thom. in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. D. Bonauentura, in eandem diſt. art. 2. q. 4. Scotus, in eandem diſt. quæſt. 2. artic. 1. Richardus, in eandem, art. 1. quæſt. 4. Gabriel, in eandem quæſt. 1. artic. 3. dub. 4. Alexander Halenſis, in 4. part. quæſt. 11. art. 3. §. 2. Et hanc diſtinctionem triplicis notorij, cùm à Romano acceperimus Pontifice, cuncti admittunt Theologi & Canoniſtæ. Admonéntque Gabriel, & D. Antoninus in 3. parte, tit. 27. cap. 3. Primas duas ſpecies notorij, dici, notorium iuris; poſtremam verò, notorium facti.

3. Crimen verò publicum, ſeu manifeſtum dicitur, inquit Gabriel, in eodem loco, quod ex ſcientia & certo auctore procedit: vel, vt placet Alexandro Halenſi de concubinariis Sacerdotibus diſputanti, publici ſunt, ex fama eis iſtud imponente. Interpretationem Alexandri confirmat Innocentius III. in cap. tua. de cohabitatione clericorum & mulierum. & Lucius III. in cap. veſtra, eodem titulo.

His præmunitis ad ſingulas quæſtiones enodandas aggrediamur. Súnne Sacerdotes concubinarij ipſo iure ſuſpenſi? &, ſi celebrent, incidúntne in irregularitatẽ? Scotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. prope finem, ait, hũc Sacerdotem celebrantem non euadere irregularem. Ex quo perſpicimus, nec Scotum credidiſſe illum eſſe ipſo iure ſuſpenſum; de quo Cardinalis Turrecremata, in cap. præter hoc. diſt. 32. art. 1. ſuæ quæſtionis, apertè Scoto contradicit, hoc perbreui ſyllogiſmo. Quicunque ſuſpenſus à Canone à diuinis, ſiue ab officio, celebrans incurrit irregularitatem: ſed clericus notorius fornicator eſt à Canone ſuſpenſus ab officio; ergo talis celebrans incurrit irregularitatem. Iſta conſequentia, inquit ille, eſt bona: eſt enim formalis. Maior patet tam ex capite Cùm æterni. de ſent. & re iudic. quàm ex c. Cùm medicinalis. de ſent. excommun. lib. 6. Qui Canones ſunt Innocentij IV. in Concilio Lugdunenſi; vbi decernit, eum, qui ſuſpenſus eſt, ſi celebret, labi in irregularitatem; quæ remoueri non poteſt niſi à Romano Pontifice. Minor etiã, inquit Turrecremata, patet tam ex cap. præſenti quàm ex præcedenti, & ex c. vltimo de cohabitatione cler. & mulierum: Eandémque concluſionem probat Innocentij, Oſtienſis, aliorúmque Canoniſtarũ auctoritate: affirmátque Doctorum communem eſſe opinionem, iſtum concubinarium clericum celebrando irregularitate irretiri; quemadmodum ego etiam affirmo.

In hoc Doctorum conſpirantes eſſe ſententias, talem clericum ipſo iure eſſe ſuſpenſum, lege, ſi placet, Gloſſam in cap. poſtremum de cohabitatione cleric. & mulierum, & in cap. præter. diſt. 32. Archidiaconum in hoc ipſum caput, Cardinalem Alexandrinum, in idem cap. & in caput, Nullus. Turrecrematã, in cap. præter, diſt. 32. Panormitanum, in cap. veſtra. de cohabitatione cleric. & mul. num. 6. 4.

Digitized by Google

ſtatim ante ſententiam iudicis poſſit be-
neficium clerici concubinarij alteri con-
ferri ? negat; quòd verum eſt in iis clericis
qui ſunt ſuſpenſi à Canone; quorum be-
neficia in alios conferri non poſſunt ante
monitionem, atque ſententiam; ſecus in
iis qui ſunt ſuſpenſi ab homine, ſeu à Præ-
» lato. Quia ſtatim, inquit Innocentius, in
» cap. ſicut de cohabitatione cleric. & mul.
» vacat Eccleſia; ideo poſſent beneficia il-
» lico aliis tribui. Concludit autem Turre-
cremata, in illa quæſtione, art. 4. publicum
concubinarium ſuſpenſum eſſe à benefi-
» cio. Nota etiam, inquit ipſe, quòd diſtin-
» ctio Hoſtienſis de ſuſpenſo ab homine &
» de ſuſpenſo à iure, nõ placet: vnde ei con-
tradicit Ioannes in præſenti cap. quod
etiam tangit Ioan. Andreas in Gloſſa. cùm
æterni. de ſent. & re iudic. lib. 6. & in Cle-
mentina. cupientes de pœnis. Innocentij
verò doctrina de ſuſpenſione à iure & ab
homine, qua in explicanda quæſtione
vſus eſt Turrecremata, æquitatem habet,
8. Ex his diiudicata ſecunda relinquitur
quæſtio. Erat tertia: Vtrùm abſque ſcele-
ro audiri poſſint Miſſæ publicorum con-
cubinariorum. Tractatur quæſtio à De-
cretorum Explanatoribus in caput pri-
mum de cohabitatione cler. & mul. & in
cap. Præter, diſt. 32. & in caput, Si qui, d. 81.
à Theologis in 4. ſent. d. 13. à D. Thoma,
q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. & in quodlib. 11.
art. 8. à D. Bonauentura, in eandem diſt,
art. 1. q. 4. à Scoto q. 2. art. 1. à Richardo,
art. 1. q. 4. à Gabriele q. 1. art. 3. dub. 4. ab
Alexandro Halenſi, in 4. p. q. 11. art. 3. §. 2,
à ſcriptoribus ſummarum de caſibus con-
ſcientiæ, in verbo, clericus, in verbo, con-
cubinarius, in verbo, concubinatus: à D.
Antonino, in 3. p. tit. 27. c. 3. à Turrecre-
mata valdè exquiſitè in cap. nullus, d. 32.
à Nauarro, in ſumma, cap. 25. num. 78. 79.
& 80.

Vt de re tota quid ſentiendum ſit, poſ-
ſit eſſe compertum; quæ dicenda ſunt, in
nonnullas concluſiones conferamus. I.
Concluſio. Ab Eccleſia luculentè conditæ
ſunt leges, quibus Chriſtiani à Miſſis pu-
blici concubinarij arcentur, vt quiuis co-
gnoſcere poteſt ex allatis iam ſanctioni-
bus, præſertim ex cap. nullus, ex cap. præ-
ter, d. 32. ex cap. ſi qui, d. 81. ex cap. veſtra,
& ex c. poſtremo de cohabitatione cler.
& mul. Qui Canones omnes ſunt à Ro-
manis Pontificibus editi. II. Concluſio
Canones eiuſmodi ſine culpa lethali vio-
lari non poſſunt: id perſpicuum eſt ex Ca-
none Gregorij VII. ſi qui, diſt. 81. vbi eſt
his verbis: Qui verò huic ſaluberrimo præ- »
cepto obedire noluerit, Idololatriæ pec- »
catum incurrit. III. Concluſio. Qui iſto- »
rum peſſimorũ clericorum flagitioſi ſta-
tus non ſunt ignari, neque præcepti Ec-
cleſiaſtici, mortifero ſe crimine obſtrin-
gunt ſi eorum Sacrificationi & Miſſæ in-
terſint: liquet ex Canone Gregorij VII.
atque ex D. Thoma quodlib. 10. artic. 8.
IV. Concluſ. qui legis Eccleſiaſticæ inſci-
tia laborant probabili & iuſta, ſi concubi-
nariis publicis ſacra obeuntibus adſint,
nullo ſe ſcelere commaculant. V. Con-
cluſ. eſt Gabrielis, in 4. ſent. diſt. 13. q. 1.
art. 3. dub. 4. & Roſellæ, in verbo, Cleri-
cus, tertio, num. 2. qui aiunt, Sacerdotem
non debere hoc ſumere, vt legem de vi-
tanda concubinarij Sacerdotis Miſſa, do-
ceat illũ, qui eam legem ſine culpa igno- 11
rat: quia licèt, inquit Roſella, ignorantia
iuris naturalis, ſiue diuina, ſit laicis peri-
culoſa, non tamen ignorantia iuris poſi-
tiui; cùm non teneantur illud ſcire. Vnde
non eſt tutum, quòd confeſſor dicat eis
ius; quia per hoc magis implicãtur quàm
releuantur: arguitque Gabriel imprudẽ-
tiæ confeſſarium legis notitiam pœniten-
ti ſubiicientem: ſed meo quidem animo
fallitur vterque vehementer, niſi eorum
dictum æqua interpretatione mitigetur.
Primùm. Quia pertinet ad ſingulorũ 10.
Chriſtianorum officium, vt oporteat ea ſci-
re & facere, quæ ab Eccleſiæ legibus im-
perantur; & quæ à nemine negligi queũt.
Et qui aliter animo eſſet affectus, de ſua
ſalute grauiter periclitaretur.

Verùm de legibus, quas cuncti Chri-
ſtiani noſſe debẽt, vna eſt, qua prohiben-
tur

tur publicis concubinariis, dum rem diuinam faciunt, non intereſſe: ergo ſi parere huic legi debent, neceſſe eſt, vt illam teneant, ac doceantur. Deinde: Leges, quæ vniuerſitati Chriſtianorũ imponuntur; idcirco imponũtur, vt eas tum diſcãt tum ſeruent: ergo cùm facultas datur illis diſcendi; diſcere debent, vt obſeruent. Poſtremò, ne longum faciam, ſi poſt promulgatam legem, quam quis cognoſcere & obſeruare debet, agere ſecus quàm lex iubet, deprehẽderetur, pœnã auctori legis lueret: ergo, ne ſufferat pœnam, notitiam legis quoquomodo quærere debet: & contra officium facit; qui cùm poſſit illam docere ignarum, non docet.

Cadit etiam interdum, vt alicuius Eccleſiaſticæ legis inſcitiæ non minùs periculoſæ ſint, quàm alicuius alterius naturalis, vt ſi quis ignoraret ius Eccleſiæ de audienda Miſſa diebus feſtis, de confeſſione ſacra obeunda ſemel in anno, de ieiunando, &c. Cum hac igitur moderatione tolerari poteſt concluſio: quando admonente & docente iudice cõfeſſionis nulla re melior, ſed potiùs deterior pœnitens fieret. Hæc moderatio eſt etiam Nauarri, in Summa, cap. 25. num. 79.

11. VI. Concluſio. Concubinarij vno ex tribus modis, qui antea explicati ſunt, notorij, ante quamlibet admonitionem vitari debent à cunctis: quæ concluſio eſt contra nonnullos Canoniſtas, quos refert Panormitanus, in cap. veſtra, de cohabitatione, num. 16. & contra Petrum de Aliaco & Ioannem Gerſonem, de quo idem Petrus Aliacus, aliàs Dominus Cameracenſis, audiſſe ſe teſtatur, nullum cogi, vitare, aut ſuum Parochum, aut ſuperiorem in officiis Eccleſiaſticis, niſi præeunte aut ſentẽtia iudicis, aut denominatione eius, qui vitandus eſt. Teſtis opinionis horum duorum Theologorum eſt Gabriel, in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. Neque opinio ab eo improbatur. Sed hæc poſitio, inquit Turrecremata, in quæſtione, in caput, nullus, diſt. 32. non placet nobis: tum quia ab Apoſtolicæ ſedis doctrina & præcipuorum Doctorum in iure diuino & humano deuiat: tum quia videtur fouere notorios concubinarios in fæcibus eorum: tum quia rationes eorum parui aut nullius videntur eſſe momenti. Canones adeo perſpicui hanc admonitionis neceſſitatem non indicant: ergo commentitia eſt & arbitraria.

De eadem etiam neceſſitate Theologi ſilent, & ſummarum Doctores. Rationes etiam ſunt perinfirmæ. Sic enim argumentantur: ſi liberum eſſet ſubditis à ſuis ſeiũgere ſe ſuperioribus; propter aliquod ipſorum facinus, materia præberetur defectionis & cõtumaciæ. Reſpondeo, imò niſi, quod nos dicimus, fiat, aduerſus tot ſanctiſſimas Eccleſiæ leges multos excitari contumaces, à quibus perfringuntur. Præterea horum ſpurciſſimorum hominum ſcelera, nec punirentur, nec expiarentur; neque ipſi ad meliorem frugem reuocarentur: ſpirituale etiam bonum multorũ impediretur. Ita reſpondet Turrecremata. Tædet leuiculas quaſdã alias rationes commemorare & referre.

VII. Concluſ. Eccleſiaſticæ leges, quæ non permittũt populo Chriſtiano, vt rem ſacram facienti Sacerdoti, qui mulierem in concubinæ locum palàm duxit, intereſſe queat, æquiſſimæ ſunt. 12.

Æquitatis tres à D. Bonauentura, in 4. ſent. diſt. 13. art. 1. q. 4. adferuntur. Prima eſt, inquit, in pœnam peccati eorum: quia non ſunt digni conficere: &, ſi conficiunt, nõ ſunt digni audiri. Secunda, vt confuſi de culpa, redeant ad gratiam. Tertia, vt alij retrahantur ab eorũ imitatione. Vnde hîc eſt opus iuſtitiæ, miſericordiæ & prouidentiæ.

VIII. Concluſio. Satis conuenit inter Doctores, poſt conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, Ad euitãda, à Martino V. confirmatam, abſque Eccleſiaſticarum legum contemptu & culpa poſſe Chriſtianum populum in diuinis officiis & ſacrificiis publicorum concubinariorũ verſari; niſi fuerint nominatim denuntiati, aut à iudice condemnati: quæ conſtitutio

à multis

à multis recitatur, à D.Antonino, in 3. p. tit.25. c.3. à Felino, in c.Rodulphus de reſcriptis, num.39. à Gabriele, in 4. diſt.18. q.3.art.1.litera G. atque ab aliis. Ad quam conſtitutionem in hac quæ in manibus eſt, quæſtione, refert ſe Archiepiſcopus Florentinus,in 3.part. tit.27.c.3. & Roſella,in verbo, Clericus 3. num. 2. Angelus, in verbo,Clericus 8. num.2. in fine. Sylu. in verbo, Clericus 2. num.4. Tabiena, in verbo,Clericus 2.num.15. Armilla,in verbo, Clericus, num.14. Gabriel, in 4.d.13. quæſt. 1. artic. 3. dub. 3. litera M. Verùm Turrecremata & Nauarrus, in quæſtionis huius tractatione non vtuntur conſtitutione illa. Ioannes autem Turrecremata interfuit Concilio Conſtantienſi, vt is de ſe teſtatur, in Summa de Eccleſia, lib. 2. cap.99.

Nec illud eſt hoc loco non concedendum, tum virum nobilem & primarium, tum quemlibet haud leuiter peccaturũ, ſi declinando à conſuetudine, atque officiis diuinis publici concubinarij, ad pœnitentiam crederet ſe illum poſſe deducere; vellet nihilominùs ad illius Sacrificia & congreſſus accedere : ageret enim planè contra caritatis officia; neque tunc conſtitutionis Conſtantienſis beneficio quidquam iuuaretur.

IX. Concluſio. Quamuis Concilium Conſtantienſe ſubuenerit innocentibus Chriſtianis; vt iis crimino ſum non ſit eorum communione vti, qui Canonis ſententia dumtaxat aut excommunicati, aut interdicti, aut ſuſpenſi ſunt, exceptis notoriis clericorum percuſſoribus : nihilominus eiſdem inſontibus Chriſtianis non præcipit vt aut in eorum familiaritate,aut conſuetudine, aut in politicis Eccleſiaſticísve verſentur actionibus ac functionibus. Quare rectiſſimè fecerint, ſi ante omnem ſententiam & admonitionem, à publicorum concubinariorum ſacris refugerint. Audi quid Innocentius, in cap. veſtram, de cohabitatione cler. & mul.
» præſcribat. Hoc dicimus generale, quòd
» omnium ſuſpenſionum à iure, etiam ſine
ſententia hominis, ſi crimina, pro quibus »
ius eos ſuſpendit ab officiis, vel quocunque »
alio actu, ſint notoria per facti euidentiam, »
quòd cuique licet eos vitare in »
iis quæ interdicta ſunt; licèt adhuc ipſi ſuſpenſi »
tolerentur à ſuis Prælatis. Quam »
ſententiam Innocentij totidem verbis profert, & ſequitur Turrecremata,in cap. nullus, diſt. 32. & Ioan. Andreas, in cap. veſtra, de cohabitatione, num.5.

X. Concluſio. Poſt Concilij Conſtantienſis Extrauagantem, nulla ſuadente neceſſitate publicos inducere concubinarios, aut ad Sacramẽta adminiſtranda, aut ad Miſſam celebrandam, nemo ſine mortifera culpa poteſt, cùm ſit contra ius diuinum & naturale, quempiam inducere ad peccandum : id quod à nobis in aliis huius voluminis quæſtionibus, & firmis rationibus, & multorũ grauiúmque Doctorum teſtimonio oſtenſum eſt. Itaque D.Thom.in 2. 2. q. 69. art.2. ad 2. auctoritate Apoſtoli, docet peccare eum qui quoquomodo alieni peccati eſt particeps. 14.

QVÆSTIO LVIII.

1. DVo in hac quæſtione quæruntur. Primum eſt,an in pellicatu,ſeu concubinatu, qui deceſſit clericus, eius corpus mandandum ſit Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Secundum, an concubinarius Sacerdos poſt concubinæ ſuæ interitum, è qua liberos procreauit, eóſque domi alit, réſque eſt viciniæ nota, poſſit in Sacramento pœnitentiæ abſolui.

Ad primam quæſtionem ſic reſpondet Turrecremata,in cap. præter, diſt.32. in 2. arg. quæſtionis concluſione ſecunda. Secunda concluſio eſt, inquit, quòd clericus notoriè concubinarius viuens, & ſic perſeuerans vſque ad mortem ſine pœnitentia, nõ eſt cum aliis fidelibus ſepeliendus. Ad probandam concluſionem varios adducit canones: ſed, qui magis ad rem faciunt, hi ſunt. Canon. Quæſitum,

caput, pro obeuntibus, c. quibus, 13. q. 2. & c. placuit, 23. q. 5. Alij id ipſum colligunt ex c. omnis vtriuſque ſexus, extra de pœnit. & remiſſ. quia palam in concubinatu permanens, non potuit, ex præcepto Eccleſiæ, ſemel in anno confiteri de ſuis peccatis, neque Euchariſtiam ſumere; cui legi qui non paret, mortuus carere debet honore ſepulturæ, ita decernente Concilio generali Lateranenſi, atque Innocentio III. in illo cap. Nauarrus, in Summa, c. 25. num. 80. mirum in modū commendat ſententiā hanc Turrecrematæ: eámque dicit eſſe tanto auctore dignā. Quod primò notandum eſt, inquit Nauarrus, contra eos, qui cùm ſupremum vitæ diem agunt, concubinarij candelam tenendam concubinæ tradunt. Veriſſima cauſſa, cur ſepulturæ honore non debeat affici publicus concubinarius ea eſt, quæ excogitata eſt à Turrecremata. Nam illa quæ ducitur ex cap. omnis vtriuſque, non valeret in eos qui poſt annuam confeſſionem & ſumptam Euchariſtiam tempore Paſchatis, viuere in pellicatu cœpiſſent, nec plus quatuor, aut quinque menſes in eo vitæ genere perſtitiſſent.

2. De ſecunda quæſtione, quæ multos ab hinc annos ad me delata fuit, id nunc ſentio quod tunc ſenſi; presbyterum illum, poſt amiſſam concubinam, ſi eam palàm viuentem retinuit, quamuis à ſuo Prælato toleraretur, nulla ratione abſolui potuiſſe; vel quòd ſuſpenſus eſſet; vel quòd irregularis, ſi celebraſſet; quod ſi poſt ſuſpenſionem, ſeu irregularitatem legitimè ab eo, qui poterat, non ablatam, Eccleſiaſticum aſſecutus eſt beneficium, collationem fuiſſe nullam; fructus iniuſtè perceptos; fructus collectos reſtituendos eſſe; necnon eos qui à diligētiore Oeconomo colligi potuiſſent: à poſſeſſione beneficij cum abire oportere; nullâq; ratione fieri poſſe vt in ſuſpenſione & irregularitate, in poſſeſſione beneficij, in ſacrilega Sacramentorum adminiſtratione, atque in interdictis ſuorum ordinum functionibus perſeuerans, poſſet abſolui.

QVÆSTIO LIX.

N. Canonicus mihi cõiunctiſſimus, ingenio, prudentia, religione, aliiſque rebus ad laudē ornatus, in nobiliſſimā Italiæ vrbem ad me conſilij cauſſa commeauit. Scire enim auebat, liceretne ei ſui Epiſcopi voluntate, alterius Eccleſię Antiſtiti, qui ſua opera valde egebat, ſuæque Eccleſiæ perutilis futura erat, certo ſpatio temporis inſeruire.

Mihi viſum eſt id ei licere ſui Prælati conceſſu. In quo Caietani Sotique ſententiam mihi videor ſecutus. Ille enim in 2. 2. q. 185. art. 5. lib. 10. de iuſt. & iu. q. 3. art. 4. Ius reſidendi quamuis diuinum eſſe defendat, ab Eccleſia nihilominus, cui eſt animarum cura adiuncta, iuſtam cauſſam recedendi eſſe decernunt ſpirituale ſiue temporale commodum tum priuatæ Eccleſiæ, ac propriæ, tum Eccleſiæ vniuerſalis, tum alterius particularis.

Sanè horum Doctorum opinio eſt à nobis in noſtra diſputatione de reſidentia, cap. 9. laudata; atque hoc documentū traditum. Quoties Eccleſia aut vniuerſalis, aut alia particularis, vehemētiùs quàm propria laboraret, poſſe tunc ac debere priuatam Eccleſiam, minùs indigentem, alienæ Eccleſiæ grauiore incommodo affectæ, ſuum ad tempus aliquod impertiri Prælatum: cùm id Chriſtianæ caritatis, ac naturalis æquitatis iura expoſcant: quòd ſi Prælatum ſuum accommodare poteſt, quanto magis Canonicum?

Horum Theologorum ſententiā, noſtrúmque documētum Tridentini Concilij Patres confirmarunt. Nam ſeſſ. 23. c. 1. in cauſſis, quibus ab ſuis Eccleſiis Prælati poſſunt abeſſe, caritati Chriſtianæ principem locum tribuunt. Quamquam ſtatuit Concilium, vt legitimæ abſentiæ cauſſæ, aut à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo abſente à ſuffraganeo Epiſcopo antiquiore reſidēte, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis approbentur; niſi, ſubiungit 2.

Conci

Concilium, cùm abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniam cauſſæ ſunt notoriæ & interdũ repentinæ, ne eas quidem ſignificare Metropolitano neceſſe erit. Quod autẽ Prælatus cum Romano Pontifice, aut Metropolitano facit, ſat vt eſt idem Canonicus cum ſuo Prelato faciat. Ac de quatuor menſium ſpatio dubitari non debet. Ampliſſima enim Cardinalium congregatio his verbis reſpondit. Ob legitimam cauſſam Epiſcopi dare poſſunt Canonicis ſuis facultatem, vt poſſint abeſſe per quatuor menſes.

3. Intelligenti autem exiſtimatori puto eſſe perſpicuum, quadrimeſtre hoc tempus ab illo trimeſtri eſſe diſiunctũ; quod, vt Canonici poſſint abeſſe, largitur Concilium. Probatur id dupliciter. Primùm, quia trium menſium ſpatium beneficio legis conceditur: non igitur Prælati eget arbitrio. Deinde: quia legitima abſentiæ cauſſa, poſtquam quis tres menſes abfuit venia legis; accidere poteſt. Quare quattuor menſium tempus idem eſſe non poterit. Si quæras: Num beneficij fructus, quotidianæque diſtributiones abſenti Canonico pereant. Reſpondeo, beneficij quidem fructus illi manere; diſtributiones verò, nequaquam; id quod non variè, ſed coniunctis ſententiis ab ſacrarũ ſanctionum dicitur interpretibus explanantibus cap. de cætero, & cap. cùm dilectus. de clerico non reſid. Legito Archidiaconum & Ioan. Andream, in cap. vnicum. de cleric. non reſid. lib. 6. Quamuis autem in eo, cap. à Bonifacio VIII. conſtitutum ſit, vt diſtributionibus non careat, qui ob ſuæ Eccleſiæ emolumentum abeſt, ſeu propter quodpiam aliud legitimum impedimentum: tamen Archidiaconus & Ioan. Andr. hanc legem iis fauere ſcribunt, qui in earum Eccleſiarum obſequio verſantur, quæ abſenti diſtributiones denegare non ſolent: necnon qui propter earumdem Eccleſiarum vtilitatẽ abſunt, vt ſentit Ioan. Andr.

Oſtienſis, in cap. de cætero. de clerico non reſid. ad hunc modum ſcribit: Qui Epiſcopo ſeruit, Eccleſiæ inſeruire intelligitur: quia Eccleſia eſt in Epiſcopo 7. q. 1. ſcire. Duo item admonet in illius cap. Commentario. Vnum eſt, eum qui Romano Pontifici, vel Eccleſiæ Romanæ ſeruit, omnibus ſeruire: quia Roma eſt communis patria. ff. ad municipalem. l. Roma. *Roma communis patria noſtra eſt*, inquit ea lex. Alterum eſt, qui ſua voluntate, non Romani Pontificis iuſſu, in eius eſt obſequio; vel Romæ commoratur, priuilegio capitis Cùm dilectus, illum minimè potiri. Verùm Caietanus ac Sotus, locis citatis, hoc poſtremo excepto duo alia quæ Oſtienſis tradit, aliique nonnulli Canonici iuris periti, prorſus reiiciunt. 4.

QVÆSTIO LX.

Qvidam alius Canonicus, ob egeſtatem, de linquenda Eccleſia ſua cogitabat: quòd ipſe eiúſque familia tota, in tenui admodum pecunia viueret: ex Canonicatu ad ſe non venire plus viginti aureos nummos: quòd ſi ad tres annos in familiam alicuius Principis viri adſcriberetur, pro ſacrificulo, ſperare ſe trecentorum aureorum redacta pecunia ad ſuam Eccleſiam, & larem familiarem rediturum; eáque re ſuis domeſticis opitulaturum. 1.

Homo minimè aſtutus, ac malus, ſciſcitabatur; vtrúmne Epiſcopi ſui aſſenſu & approbatione tres annos ob eam cauſſam deſerere Eccleſiam poſſet. Quæ quidem quæſtio paulò difficiliorem, quàm proximè ſuperior, diiudicationem habere alicui fortaſſe videatur.

In Romana Ciuitate Theologus, cuius nec tenuis auctoritas, nec leuis perſona erat, ſenſit, relinquendæ Eccleſiæ legitimam cauſſam eſſe Canonici inopiam; eadémque de cauſſa ſacrificuli ſeruitutẽ ſubire poſſe. Ad ſuam opinionem probandam rationem trahebat Theologus,

à decreto Concilij Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 2. & ſeſſ. 23. c. 1. ſed ex iis locis Concilij, quemadmodũ quod is vult, conficiatur, docere debuiſſet. Opinionem ſuam à Nauarro affirmatam aiebat in Summa, c. 25. num. 121. & in conſ. 18. de clerico non reſid. ſed nec in ſumma eo loco quidquam eiuſmodi ſcripſit Nauarrus; & in ſignificatione conſilij, atque ſententiæ, quam affingit Nauarro, planè eſt lapſus: Conſilium enim, quod proferendum erat, duodecimum eſt in meis voluminibus, in quo quidem conſilio totum eſt contra atque arbitratur Theologus: neque enim à Nauarro explicatur quæſtio de Canonico nobili, eodémque paupere, qualis eſt noſter, ſed de alio quodam, qui, permittente ſibi Vicario Romani Pontificis, Romæ commorabatur. Minimè autem decebat Canonici Epiſcopum cum Romani Pontificis Vicario poteſtate exæquare.

2. Cùm igitur nihil ſit turpius quàm diſceptatorem veritatis ad libidinem opiniones ſibi fingere: in hac controuerſia illud iudicaui; per Epiſcopum ſuum non licere Canonico tres ipſos annos Eccleſiæ ſuæ vacare muneribus. Primum: quia Theologus, qui per literas rogabatur, vt facultatem diſcedendi Canonico impetraret ab iis à quibus petenda erat. id eſt, à Romano Pont. reſcripſit, facultates eius generis eſſe Pontifici Maximo perodioſas, eiúſque voluntatem ab iis abhorrere vehementer (totidem enim verbis Italicè erat in Theologi literis) eaſdémque à congregatione planè reſpui, ab ſuóque Tribunali ablegari; ita ab ordinario Canonici obtinendam eſſe: quo quid obſecro dici potuit abſurdius, atque à vero diſiunctius? Ergo, quod non vult concedere Romanus Pontifex, eo inuito dabit Epiſcopus? &, quod à ſua iuriſdictione conſilium Prælatorum, quod præcipit ſingulis Epiſcopis, ſecernit, ad ſuam vocabit vnus aliquis Epiſcopus? quis has ferat ineptias? Sequitur altera ratio non planè inepta. In ſeptem cauſſis, quæ non reſidentium abſentiam excuſant, non reperitur paupertas.

Tertia Cardinalium congregatio reſpondit, aliquando eum, qui in ſua parochiali Eccleſia, inimicitias graues habet, poſſe (verba ſunt reſponſi) abeſſe per annum de licentia Epiſcopi; at multo minùs neceſſaria, & æqua cauſſa nõ reſidendi eſt paupertas, quàm periculoſa ſimultas. ſcio aliàs eandem congregationem reſpõdiſſe benigniùs: debere Epiſcopum ei, qui in loco, vbi ſitum eſt beneficium, gerit inimicitias, aut extra loci iuriſdictionem, conferre beneficium; aut eidem largiri, vt à beneficio abſit, quoad ſit ſimultatis cauſſa ſublata. 3.

Quarta ratio. In poteſtate eſſet Epiſcopi primarium aliquod templum ob inopiam miniſtrorum diuino cultu ſpoliare. Quinta. nec iure Canonum, nec conſuetudine hoc ſuſceptum videmus; vt propter inopiam diuini cultus miniſtris ſuorum ſacrorum munerum vacatio detur: verùm id conceditur, vt honeſto quopiã artificio, aut non indecora ratione ſibi conſulant. Sexta. Tridentini verba omnẽ videntur præcidere dubitationẽ: ſic enim in ſeſſ. 24. cap. 12. Præterea obtinentibus in eiſdem cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis vltra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe. Ergo non ius erit vlli Epiſcopo per tres annos Canonicum ab Eccleſia ſua propter egeſtatem amouendi: quod hac ratione concludo.

Condat ſtatutum Epiſcopus, aut verò conſuetudo eo aſſentiente introducatur, vt poſſit pauper Canonicus tres annos ſuo Epiſcopo libente ab Eccleſia abeſſe. Quæro, num ſtatutum hoc & conſuetudinem refellant verba Concilij? planè refellunt: hoc igitur agere nõ poteſt Epiſcopus; à quo nihilominus laudabilis in Eccleſiam ſuam conſuetudo introduci poteſt; vt Archidiaconus & Ioan. Andr. docent in cap. vnicum. de clericis non reſid. 4.

reſid.lib.6. Qui malitioſa legis interpretatione conaretur eludere verba Concilij, & vim argumenti eleuare, forſitan diceret, auctoritate Epiſcopi, nec ius conſtitui nec conſuetudinem gigni poſſe, vt quis per tres annos ab ſua Eccleſia diſcedat: quod aut ſtatuto & conſuetudine nequit, verbo id poſſe largiri.

Commentitia hæc videtur reſponſio, & ficta ex tempore. Primùm, concidit hac exceptione ſententia & auctoritas legis: ſi, quod ſtatuto & conſuetudine non poteſt Epiſcopus, voce & imperio quærat. Deinde, ſi ſolo verbo onere reſidendi aliquem liberare poteſt triennio, cur non quadriennio? cur non quinquennio? Cur non ſeptennio? Cur non decennio? Cur non ſemper? Poſtremò, ſuo arbitratu poſſet principem ſuæ ciuitatis Eccleſiam, & cæterarum parentem diuino cultu abdicare, Canonicos omnes paruis facultatibus & opibus præditos ſemouendo: id quod nemo, qui non ſit prorſus mentis expers, affirmarit.

5. Sed nonnulla, quæ obſtare videntur, remouenda ſunt. Cõcilium Trident. ſeſſ. 23. cap.1. quatuor nominat cauſſas legitimæ abſentiæ: Chriſtianam caritatem, debitam obedientiam, vrgentem neceſſitatem, euidentem Eccleſiæ vel Reipublicæ vtilitatem. At ad Chriſtianam pertinet caritatem opem ferre ſuis: huiúſque Canonici paupertas ad vrgẽtem ſpectat neceſſitatem. Reſpondeo, illas cauſſas non in agnatione familiæ, & propinquis ſpectari, ſed cum ipſarum Eccleſiarum bono cohærere: quod ipſum confirmat Dominicus Sotus lib.10. de iuſt. & iur. q.3. art.4. Oppones Bonifacij VIII. Decretalem vnicam de clericis non reſidentibus; quæ veniam legitimæ excuſationis dat clericis, vel propter infirmitatem, verba ſunt ipſa Pontificis, vel propter iuſtam & rationabilem corporalem neceſſitatem non reſidentibus: atqui paupertas eſt corporalis neceſſitas. Reſpondet Archidiaconus in eam Decretalem, & Ioan. Andr. qui interpretationem amplectitur Archidiaconi, neceſſitatis corporalis vocabulo intelligi medicinæ potionem, venæ ſectionem, & quæ ſunt ex eodem genere; quibus ipſis interpretibus placuit, illo ipſo vocabulo quodlibet iuſtum impedimentum declarari; quo ſanè genere inopiam contineri non dicerent ob ea quæ ſunt à nobis allata.

Reſtat vt id propugnaculum, quo contra veriorem ſententiam eſt vſus Theologus, ex eius defenſione deijciamus. Cõtendit enim, quod optat Canonicus, ab ſuo Epiſcopo obtineri poſſe, Cõcilij Tridentini permittente lege, ſeſſ. 6. cap.2. de reformatione. Inſpiciamus igitur verba legis. Nullique priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur. Indulgentiis verò & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſſis tantùm conceſſis, & coram ordinario legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris. Primùm, in eo capite præſcribitur tantùm, quid cum iis qui ſunt Epiſcopis inferiores, & beneficiis ſunt impliciti, quibus neceſſitas reſidendi iure, vel conſuetudine eſt impoſita: de canonicatibus verò ne verbum quidem: quos canonicatus Oſtienſis, vt nos demonſtrauimus in Tractatu de reſidentia, arctiore vinculo reſidendi alligat, quàm beneficia quæ curata appellantur. Si quidem Canonicorũ perſona quolibet die eſt ſubſelliis chori affixa. Deinde: quia non de Indulgentiis, diſpenſationibus & facultatibus futuris, ſed de præteritis cauet Concilium. Tum quia harum facultatum & diſpenſationum non Auctores fiunt Epiſcopi, ſed cognitores dumtaxat, & iudices. Poſtremo, quia cauſæ, de quibus cognoſcunt, debent eſſe veræ, & rationabiles. At ad cauſſas huiuſmodi iam docuimus paupertatem minimè reuocari. Quid ergo egenti Canonico eſt dandum conſilij? hoc videlicet; vt ſi ſacrificuli ſeruitutem non recuſat, canonicatu ſe abdicet: malitque pro diuino, & Eccleſiæ ſuæ cultu ſuam paupertatem proiectam, quàm pro ſua pau-

pertate DEI, templíque cultum proiectum. Hoc viſum eſt mihi Paulo Comitolo.

QVÆSTIO LXI.

1. POſita mihi eſt non ſemel hæc quæſtio: An ne poſſit canonicus fructuũ parte, quæ ſua eſt, ſpreta, & collegis condonata, munerum, quæ præſtat Eccleſiæ, deſerere functionem.

Reſpondi non poſſe: cùm id ei nec diuina, nec humana iura permittant: non humana, vt cuiuis poteſt eſſe peſpectum ex Tridentini Concilij decretis ſeſſ. 22. ca. 3. & 4. & ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione: non diuina, & naturalia; quæ item pro diuinis habenda ſunt. Cùm enim tum diuini tum naturalis iuris hæc ſit præſcriptio, vt in præcipuis templis Trini, & vnius DEI vigeat cultus: nimirum ex eodem iure miniſtrorum genus, & inſtitutionem defluxiſſe intelligimus; qui ſacrificiis & precibus DEVM Opt. Max. in illis venerarentur; eúmque pro ſua cæterorúmque ſalute aſſiduè exorarent: idque nulla caduca mercede, aut emolumento inuitati religioſè ac ſedulò agerent. Quoniam igitur canonici ex Eccleſia Hierarchia, quæ, vt ſacrum Concilium docet ſeſſ. 23. can. 6. eſt diuina ordinatione inſtituta, præter Epiſcopos ſunt etiam alij multi delecti, iidémque canonici poſtea appellati; qui quæ ad Chriſtianum cultum pertinent, in ipſis primariis templis piè ac ſanctè pertractarent; ideo, quamdiu in canonicorum cœtu, & numero permanent, ab ſuis Eccleſiis recedere non debent. Eòdem accedit; quòd non propter victum aut quæſtum vllum, quaſi propter ſtipendiũ aliquod, ab iis DEO in eius delubris inſeruitur: id enim eſſet mercaturam facere, non Deo religionem adhibere; quæ à nobis per ſe ipſa illi debetur.

Itaque religioſorum hominum familias videmus eſſe permultas; quibus nihil ſui, & ſeparati eſt; quæ coacta ſtipe, & priuatis fidelium eleemoſynis, aluntur, quotidie ratis horis in choro pſallendi neceſſaria lege eſſe obſtrictas: quam ipſam legem canonicis quoque eſſe impoſitam mihi eſt perſuaſiſſimum.

Adde. Quòd ſicut qui ſimplex obtinet beneficium, ſi fructus, quos ex eo capit, aliis traderet, diuini officij, & horarũ Canonicarum onere minimè leuarentur: ſic, qui obtinet Canonicatum, ad chorum itandi, atque in eo canendi lege non ſoluitur, quamuis fructus, quorum percipiendorum eius eſt poteſtas, aliis largiatur. Poſtremò, cùm idem ius cunctos canonicos chori ſeruituti addicat, ſi vnus quotidianis contemptis diſtributionibus illam excutere poſſet, iiſdem neglectis poſſent reliqui omnes ab ſe conditionem ſeruitutis repellere. Vnde & templi obſequium, & DEI cultus per impiam fraudem, & ſcelus proſcriberetur. Meminerint denique Canonici Oſtienſis dictum, quod in noſtris reſponſis ſæpenumero eſt à nobis vſurpatum; arctiorem quodammodo legem reſidendi in ſuis Eccleſiis dictam eſſe Canonicis, quàm Eccleſiarum parochialium diœcetis: quandoquidem ab illis non item ab his ſingulis diebus ac ratis temporibus certũ obſequium flagitatur. Canonicis non eſſe impoſitam legem reſidendi in ſuis Eccleſiis, diuináque officia celebrandi propter diſtributiones, planis verbis affirmat Nauarrus in Tractatu de oratione, & horis Canonicis, cap. 5. num. 18. & cap. 18. num. 12. ſed, quod nobis viſum eſt, ille confirmat ex titulo Canonicatus onus reſidendi, & Canonicas horas recitandi proficiſci: eſſéque lethalem culpam extra Eccleſiam Beneficiariis diuinum officium perſoluere, perſpicuè ſcribit in illo c. 5. num. 14. de horis Canonicis. 2.

Omnéque beneficium etiam ſimplex de iure communi requirere reſidentiam tradit Innoc. in cap. fin. de Cler. non reſid. quem Innocentium citat & ſequitur Gloſſa in Extrauaganti Ioan. 22. ſuſcepti, de electione, in verbo Reſidẽtia: ſequuntur

tur etiam Oſtienſis, Ioannes Andr. Antonius Butrius, Panormitanus in illud cap. fin. de cleri. non reſid. ſic Innocentius. Intelligo tamen omne beneficium reſidentiam requirere, niſi contrarium conſtet. Quod Innocentij dictum ait Butrius eſſe perpetuò notandum. Panormit. in cap. quia nonnulli, de cleri. non reſid. num. 6. ſui Commentarij probat, beneficio ſimplici de iure adiunctam eſſe perſonalem reſidentiam: & in cap. cùm ad hoc, de cler. non reſid. probat ſimplicia beneficia requirere reſidentiam perſonalem: quia reuocantur ad reſidentiam Canonici Capellani, & reliqui, qui ſeruiunt; hoc in nu. 5. explanationis, & in cap. poſtremum, eodem tit. commendat Innocentij opinionem; quam etiam probarunt hi omnes Theologi. Gabriel in 4. d. 15. q. 8. art. 3. dub. 2. Roſella in verbo Reſidẽtia. Syluest. eodem tit. num. 1. Tabiena in verbo, Beneficium, 3. n. 8. Atqui Canonicatũ eſſe beneficium ſimplex dubitari nõ debet. Canonicos, inquit Nauarrus de redditibus Eccleſiaſticis q. 3. monito 3. nu. 2. eſſe beneficiarios ſimplices in confeſſo eſt.

4. Peccatum verò eſſe mortiferum Canonicis non conuenire in templa, ad canẽdas diuinas laudes, intelligi poteſt non ſolùm ex iis quæ ipſi commentati ſumus, atque ex iis locis Trident. Conc. quæ in principio quæſtionis protulimus, verùm etiam ex aliis Pontificiis ſanctionibus; vt ex Cano. poſtremo. d. 92. qui eſt ex Concilio Martini Rom. Pont. nam qui ad Eccleſiam vt quod debet, præſtet, non accedit, à clero deponendus eſt: quæ pœna nõ irrogatur niſi ob noxam mortiferam. in c. ex geſtis de cler. nõ reſidentibus. Factum narratur Leonis III. qui in Synodo depoſuit Anaſtaſium presbyterum Cardinalem, qui ſuam titularem Eccleſiam quinque annos deſeruerat. Vbi Antonius Butrius: Si Cardinalis depoſitus eſt, quia deſeruit Eccleſiam ſui tituli; quantò magis alij clerici? & cap. 3. eod. tit. quod ſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi. Cùm igitur Eccleſia, vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam eius per ſe ipſam valeat exercere: quod ipſum confirmat Alexand. III. in eo, qui ſequitur, Canone. Liquet idem ex cap. conquerente. eod. tit.

Decreta verò Romanorum Pontificum, & Conciliorum, cùm præcipiunt res magni ponderis, cuiuſmodi eſt diuinus cultus, ſine ſcelere negligi non poſſe certum eſt; negligit autem, qui ſine iuſta & graui cauſſa iis nõ paret. Prudenter verò admonet Panormit. in cap. Cùm omnes de conſtitutionibus; à conſuetudine impetratum eſſe, vt beneficiis ſimplicibus quis per alium inſeruire poſſit: ſed vt idem fieri poſſit in Canonicatu, neque ius vllum, neque conſuetudo aliqua adhuc permiſit.

QVÆSTIO LXII.

1. Obnixè contendebat à me, & ſcire etiam atque etiam cupiebat homo quidam Religioſus: num crimen lethale eſſet Canonico, non ſuſcipere ſacrum ordinem, ex Cõcilij Tridentini lege ſeſſ. 24. cap. 12.

Mihi viſum eſt, atque ita reſpondi, culpam incurri mortiferam, niſi ordine ſacro, quem præſcribit Concilium, non initietur Canonicus. Primùm, Quia non video, cur ad obtinendam penſionem, de qua Sixtus V. in ſua conſtitutione, vnus aliquis arctiùs cogatur propter eamdem conſtitutionem, aut etiam ad obtinendum ſimplex beneficium, deferre habitum, & tonſuram, quàm eum, qui vult eſſe Canonicus, gerere ordinem ſacrum. Deinde, quia non maior à Concilio Canonico videtur imponi neceſſitas reſidẽdi, quàm ordines ſacros ſuſcipiendi; ſed lex iniungens onus reſidendi, reum noxiæ mortiferæ reddit non obedientem: ergo lex pariter ſuſcipiẽdi ſacrum, æquam neceſſitatem imponit; vt ſine crimine negligi non queat. Præterea reſidere eſt, quemadmodum docet Oſtiẽſis, & alij qui eum

ſequun-

ſequuntur, in ſuo ordine miniſtrare. Violant igitur Canonici legem de reſidendo, ſi omiſſo ſacro ordine, quem ab iis exigit Concilium Tridentinum, miniſtrant in templis. Lex denique rem magni ponderis præcipiens, ſine ſcelere omitti non poteſt; ſed publicus cultus, cui in templis operam nauãt Canonici ſingulis diebus, eſt maximi ponderis: & ratio diuini cultus non leuiter perturbaretur, ſi à ſingulis Canonicis non cum eo ordine ſacro, quẽ iubet Concilium, ſuum quiſque munus obiret: ergo ſine crimine ab ea lege diſcedi non poteſt.

2. Atque ex his ipſis quæ adhuc diſputata ſunt, alterius quæſtionis quæ cunctorum animos ſollicitat, & quæ mihi eſt propoſita quàm ſæpiſſimè, vera enodatio elici poteſt; Num ſuo neceſſario muneri ſatiſfaciant Canonici, ſi in choro clara voce non recitent diuinum officium.

Dicendum eſt, ſi conſiſtamus in iure, ſatisfacere eos non poſſe. Nam, cùm Concilium Trident. legem neceſſariam reſidendi, & per ſe, non per ſubſtitutos, legem indicat præſtandi quæ in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis ab iis præſtari debent, ſine controuerſia, niſi ipſimet pſallant in choro, legi & officio ſuo minimè ſatiſfaciunt. Probatur. Eſt enim Canonicatus cultus publicus, & publicã habet teſtificationem; ille verò cõſiſtit in ſacrificiis conficiendis, diuiníſque laudibus celebrandis. Ergo id omne palam, & cum publica teſtificatione fieri debet: at ſubmiſſa & ſecreta pronunciatio pſalmorum hoc publico teſtimonio caret. Præterea, à Canonico in choro ex Eccleſiæ inſtitutione cum cantu laudes Deo deferri debent; ergo non depreſſa voce. Præterea diuinum officium ita eſt ab Eccleſia inſtitutum; vt cùm à multis illud in conuentu dicitur, ita dicatur; vt alteri ab alteris exaudiantur: ergo clara voce, à Canonicis præſertim, pronunciari debet.

3. Poſtremò, ſi reſidere, Goffredo definiente, quem doctorem alij ſequuntur, nil eſt aliud quàm perſonaliter ſoluere proprium officium in proprio beneficio, quis non videat, ſicut Canonici non poſſunt eſſe præſentes choro per alios quàm per ſe ipſos; ſic nec per alios, ſed per ſe ipſos in eodem pſallere debere: ſi quidem è duabus rebus reſidentia conſtat: altera eſt, vt per ſe ipſe interſit aliquis in ſua Eccleſia; altera, vt per ſe exſequatur quod exſequi debet. Et ne dura hæc nonnullis videatur eſſe ſententia, ſciant de Canonicis in choro non pſallentibus hoc ab Illuſtriſſima congregatione Romana redditum eſſe reſponſum; niſi pſallant ipſi, officio ſuo minimè ſatiſfacere.

Itaque, qui ſecus agunt, videant quemadmodum & Deo, & ſuarum animarum ſatisfaciant conſcientiæ. Illud tamen pro Canonicorum cauſſa diſſimulandum nõ eſt, diebus, ſiue feſtis, ſiue profeſtis, cùm aliqua diuini officij pars, cum harmonica modulatione, à Cãtoribus, qui Canonici non ſunt, perſoluitur in choro, eos tunc à pſallendo magna voce tutò poſſe ceſſare.

De Attentione in horis Canonicis.

QVÆSTIO LXIII.

Crebrò eſt mihi hæc quæſtio à pluri- 1.
mis inculcata de attentione, quæ, cogẽte lege, ſit horis Canonicis adhibenda; de qua à nobis diuerſis temporibus priuatim & publicè multa dicta, ſcripta, reſponſa, & diſputata ſunt: eadémque ſæpius iterata: quoniam repetitionem crebram eorum quæ cùm primis ſunt arti neceſſaria, commendat Galenus, explanãs Aphoriſmum 22. Hippocratis lib. 4. negarit autem nemo omnium controuerſiarum, quæ in iure ſunt, Canonicarum horarum, hanc vnam eſſe præcipuam: quæ à nobis in libro additionum ad parochorũ officia, pertractata eſt copioſiſſimè; inde huc, quę magis neceſſaria exiſtimauimus, contrahemus.

Tantæ verò quæſtionis explicationem in nonnullas hypotheſes conferemus. I. Hypotheſis. in cap. Dolentes, de celebrat. Miſſ. neceſſariò ius ſancitum eſt de attentione & deuotione in diuino officio vſurpanda: id quod ex communi Doctorum ſententia & interpretatione dicimus: neque enim audiendi ſunt ij qui negant, res duas illas, in cap. Dolentes, præcipi, ſed potiùs ſuaderi: cuius interpretationis princeps videtur fuiſſe Oſtienſis, quem nonnulli alij ſecuti ſunt, & in Theologis D.Antoninus in 3.part.tit.13.c.4.§.7. Interpretationem enim adferens illorum verborum, quæ ſunt in decretali; quantũ
» Devs dederit, &c. inquit. Per quæ verba
» appoſuit conſilium fragilitati humanæ;
» quaſi dicat: præcipimus vt vnuſquiſq; de die ac nocte dicat horas ſuas; intentionẽ autem, & deuotionẽ in præcepto nõ ponimus; ſed gratiæ Dei, ſecundùm quod ipſe dare voluerit, duximus relinquendũ. Et hunc intellectum teneas, quia benigniorem: & quia non debet Eccleſia alicui laqueum iniicere, 27.q.1. de viduis 2. nec homines debet Eccleſia oneribus importabilibus alligare, 26.q.7.c.alligant.

2. Hæc D. Antonini de intentione & deuotione hi loquerentur, planè interiore, non eſſet vſquequaque reprehendenda opinio: & nimirũ de hac videtur locutus D.Anto. Nam ad ſuã expoſitionem perſuadendam ſumit Vmberti rationẽ quem citat: quia humano præcepto interiores actus minimè ſubiiciuntur. Illud tamẽ in horum interpretatione vituperãdum eſt: quòd nolũt præceptum agnoſcere in cap. Dolẽtes, de modo recitãdi diuinũ officiũ deuotè & attentè, ſed tãtùm de recitãdo, cùm de recitando iam extaret; & peruerſus modus recitãdi impulerit Romanum Pontificem ad eam legem de modo recitandi ſciſcendam: id quod à Caietano & ab aliis ſapienter animaduerſum eſt. Quare inconſideratè pronunciauit Gloſſ. in Clement. 1. in verbo, fructum labiorũ, de celebratione Miſſarum. & arguitur inquit ex hoc quòd ſatis eſt labiis ſeruire in diuinis horis, licèt cor diuertat ad alia. At cur non potiùs vim præcepti collegit Gloſſ. ex iis verbis Clementinæ legis in generali concilio promulgatæ? Conuenienter & deuotè celebretur diuinum, diurnum & nocturnum officium, ſi Dei & Apoſtolicæ ſedis indignationem vitare velint.

II. Hypotheſis. Attentionem & deuotionem res duas quaſdã eſſe, & notione 3.
& natura lõgè diuerſas, & multùm inter ſe diſtantes, nemo Theologicis imbutus addubitarit. Attentio non eſt virtus, deuotio eſt virtus: illa eſt in animi intelligentia; hæc in voluntate: illa facit, vt animus iis quæ aut dicit aut facit, præſens ſit; &, vt verbis vtar Auguſtini; *quod profertur ore, verſetur in corde.* Deuotio nos Dei ob- »
ſequio & ſeruituti addicit. Deuotio, in- »
quit D. Thom. in 2.2.q.82.art.1. nihil aliud »
eſſe videtur, quàm voluntas quædam »
prompta tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum: eamdémque ſententiam iterat in art.3. vbi duas cauſſas deuotionis euoluit, vnam in cogitatione diuinæ bonitatis, & diuinorum beneficiorum conſtituit; alteram in perſpicientia noſtrarum culparum, noſtrorumque malorum cognitione. Prior cogitatio impellit ad colendum Devm, eique famulandum; poſterior, ad eiuſdem implorandum auxilium. Denique, non ſemper actu attentionem requirit oratio (cùm ſatis ſit ad vitandum peccatum attentio quæ dicitur virtualis: & non voluntariè mens diſtrahatur) deuotionem requirit: & fieri poteſt, vt, qui attendit, non ſit Deo deuotus; &, qui Deo deuotus eſt; ad ea quæ orat, animum non attendat. Vide de harum duarum rerum diſcrimine docentem Sotum in X. libro de iuſt. & iur. qu.5. articul.5.

III. Hypotheſis: duplex eſt attentio; 4.
duplex item deuotio. Vna interior, quæ obtutum fugit oculorum, & cæterorum ſenſuum notitiã; quæ in domicilio dumtaxat animi ſe continet intimo; Deo tantùm, & ei, in quo ineſt, cognita; altera exterior, quæ corpore aliquid agens, & mo-

liēs,extra ſe prodit; incurrit in hominum ſenſum atque iudicium; quæ coniecturis fallacibus, & mentientibus notis colligi à nobis,& exiſtimari ſolet:nam quis mentiri poteſt attentionem & pietatem, impiam gerens mentem; & ea, quæ proferūtur,minimè attendentē? Sic vitium, ſeu malū, quod tū attentioni tum deuotioni apponitur, duplex eſt, vnū in animo latēs, & incluſum omnino, ab aliorum abiunctum intelligentia; alterum corporeo aliquo actu foras erumpens; de quo licet alteri ſtatuere, ac iudicare. Atque hæc tertia hypotheſis eſt totius controuerſiæ fundamentum. Quarta Hypotheſis: cùm ex Dei, naturæque lege ſuſcipienda eſt oratio, aut ad agendas Deo O.M. de ingenti aliquo beneficio gratias; aut ad magnā aliquā, ſiue priuatā ſiue publicā calamitatē, perniciémque auertēdam, interior animi attentio ac religio eſt planè neceſſaria: eam enim requirit Deus, ac præcipit; qui à nobis cultum magis exigit interiorem quàm exteriorem: quamquā hunc etiam imperat: quippe qui cùm animum & corpus nobis fuerit impartitus, vult ſibi vtroque ſeruiri.

5\. Quinta Hypotheſis. Eccleſia, cuius non diuina, ſed humana eſt poteſtas: & quæ de humani cordis arcanis, noſtræque mentis abſtruſis motibus in foro exteriore non habet nec cognitionem, neque iudicium, neque imperium, neque præmium, neque ſupplicium, diuinum officium aut canentibus, aut recitantibus attentionem, deuotionémque interiorem, & quæ in eius iudicium deduci non poteſt, imponere nequaquam potuit: ſed eas dumtaxat exteriorum ſenſuum functiones, corporiſque opera prohibere, quæ orantis animum ab attentione abducunt neceſſariò; vt legere, ſcribere, confabulari, pecuniam numerare, aliorum ſermonem auribus excipere, & huiuſmodi. Huius ſententiæ inuentor & auctor eſt Durandus in 4. d. 15. quæſt. 12. & Paludanus in 4. d. 15. q. 5. art. 1. conc. 4. quem multi alij ſequuntur, vt D. Antoninus in 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 8. Aſtenſis in lib. 6. ſuæ ſummæ, art. 6. q. 3. Turrecremata in expoſitione regulæ S. Benedicti citat & ſequitur Palud. (quem Turrecrematam videto in regula S. Benedicti cap. 19. tractat. 77.) Sylueſter in Verbo hora qu. 11. Angelus in verbo hora Canonica num. 28. vt taceam de Canoniſtis: & ratio, cui obſiſti non poteſt, hæc eſt: quia actus interior animi noſtri, qui exteriorem actum deſerere poteſt, ab Eccleſia imperari non poteſt.

Hoc fundamentum auſi ſunt nonnulli peruertere: vt Adrianus, qui in quodl. 8. art. 1. ad hunc modum ſcribit; Eccleſia nō ſolùm poteſt, ſed de facto præcipit eſſe attentionem & deuotionem: & poteſt non ſolùm exteriores actus, ſed occultiſſimos interiores ex legitima cauſſa præcipere. Iterat hoc ſuum dogma in 4. q. 2. de confeſſ. §. alij probant. Stat ab Adriano Maior in 4. diſt. 12. quæſt. 7. & Medina C. de oratione quæſt. 15. qui ſeipſum deſeruit aliâs aliter opinantem, vt de ſe is reſtatur in ea quæſtione. Cum his à nobis, tum in diſputatione de excommunicatione tum in additione de horis Canonicis, velis equíſque, vt dicitur, decertatum eſt: nullúmque eſt eorum argumentum, quod non ſit à nobis allatum, & meritò confutatum: noſtræque ſententiæ duces magnos Theologos nominauimus; qui occultarum notionum, appetitionúmque animi noſtri iudicium ab Eccleſiæ omnique humana poteſtate ſemouerunt.

In quibus eſt D. Thom. in quodl. 4. art. 12. & planiùs in lib. 2. q. 91. ar. 4. Paludanus falsò citatus ab Adriano, in 4. d. 17. q. 2. ar. 2. vbi apertiſſimè confitetur quod nos affirmamus. Durandus in 4. d. 17. q. 8. lit. H. & d. 15. q. 12. Turrecremata in cap. Cantores diſt. 92. Commentarij ſui qu. 3. Gerſon Tract. 24. regularum moralium litera. E. & Tract. 62. de vita ſpirituali animæ, lect. 4. Corol. 1. Gabriel in Canonem Miſſæ lect. 62. q. 7. propoſitione prima. D. Ant. in 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 7. vbi alios citat. Sylueſter in Verbo Excommunicatio ſect. 7. num. 3. Angelus in verbo Hæreticus num. 6.

2\. Al

2. Almainus in lib. de auctoritate Eccleſię. Nauarrus in cap. Cogitationis diſt. 1. de pœnit. & explanãs verba Gratiani in prin. diſt. 5. de pœnit. num. 24. eſt his verbis locutus: Neque occurrit Theologus aliquis purus, neque Canonum peritus, qui cum ſua facultate Theologicam coniunxerit cognitionem, qui ab hac parte non ſtet, præter Adrianum in illa quæſt. 2. auctoritate Paludani nõ ſatis expenſi motũ.

7. Hypotheſis poſtrema. Quamuis ſatiſfieri præcepto poſſit Eccleſiaſtico ſi diſtractio vitetur exterior, nihilominus in culpa ſemper eſt is qui diſtractionem animi interiorem non repellit: quæ enim, inquit D. Chryſoſtomus hom. 79. ad populum Antiochenum, excuſatio aut venia dabitur nobis, ſi, cum amicis loquentes, adſumus animo, mẽtémque adhibemus: cum Deo verò colloquentes, animo in rebus indignis peregrinamur? poſſétque tam fœda ac turpis eſſe peregrinatio illa mentis, vt duplicis ſceleris, ſeu lethalis culpæ labem haberet; vnam verbi cauſſa cogitati, optatíque ſtupri, ſeu homicidij; alteram inſignis iniuriæ, qua diuinæ preces, pſalmi ſacræque ſcripturæ verba tunc afficiuntur. Quocirca, qui hæc aperta ſalutis ſuæ diſcrimina ſubire non vult, attendat animum, dum orat lingua, aut ad verba, quæ explanatam habeant impreſſionem, aut ad verborum ſententiam; aut ad DEVM, & rem quæ oratur: de quibus attentionibus D. Thom. in 2. 2. quæſt. 83. art. 13. & poſtremam attentionem ait eſſe maximè neceſſariam, eámque in rudibus etiam poſſe reperiri.

Eſtque hæc D. Thomæ doctrina de triplici genere attentionis probata communiter. Atque in hoc triplici rerum genere, quæ cogitantur in orando, tripliciter mens orantis verſari poteſt, actu, virtute, habitu: actu, cùm actu cogitat, quæ exigit oratio: virtute, cùm aggreditur orationem, cogitans & attendens quæ debet; & quamuis à prima cogitatione recedat, voluntate tamen non recedit; ſed inuitus & minimè animaduertens: habitu cùm neque primordia orationis attendentem animum habuerunt; nec virtualem, quam appellant attentionem habet oratio; ſed tam actum quàm virtutem attentionis poteſt habere. Poſtrema hęc attentio non eſt ſatis reliquis duabus, hoc eſt, actuali & virtuali eſt oratio contenta; quamuis præcepta ſit. ita docent omnes.

QVÆSTIO LXIV.

CVm Romani Breuiarij admoneant rubricæ, vt certis quibuſdam diebus vt in vigiliis & tempore quadrageſimæ nõnullæ preces flexis genibus adhibeantur: Cùm item vetẽt Conciliorum & Patrum ſententiæ genu flexo orare toto Paſchali tempore; diebus item dominicis: peccarétne is qui iſthæc omitteret? 1.

De precibus breuiarij ſic ſentio: qui illas cum genuflexione ſine cauſſa omitteret in choro, peccatum leue peccatorum; qui extra chorum, nullum; quamuis etiam extra chorum ſeruare ceremonias, quas indicat breuiarium, valde deceat, ob rationem quam adfert D. Thom. in 2. 2. q. 84. art. 2. Nauarrus in cap. 4. de horis Canonicis conc. 3. his verbis opinionem ſuã teſtatur: Qui orat priuatim, etiamſi horas publicas recitet, poteſt citra peccatum orare, pedes, eques, procumbens, iacens, vel recumbens, ambulans, vel quieſcens, iuxta Innoc. in cap. 1. de celebrat. Miſſ. & Oſtienſem cum communi: dum id agat ſine aliorum ſcandalo: liberátque onere ceremoniarum chori eos qui non pſallunt in choro.

De non flectendis autem genibus, iis diebus qui à Paſchate Reſurrectionis ad Pentecoſten numerantur; interpretatur Canones Nauarrus, legem ſeruari debere in collectis, ſeu orationibus, quæ à Sacerdote cùm oremus, è Miſſali recitantur. Nauarri interpretationi, Canonum ſententiam coanguſtanti, aſſentiri non poſſum. Primùm, quia Sacerdotes non ſolùm diebus dominicis, & paſchali tempore,

Digitized by Google

ſed etiam profeſtis diebus per reliquos
anni menſes Miſſas celebrantes,dum per-
legunt Eccleſiæ orationes, cùm oremus,
non dimittunt genua. Deinde, quia con-
ſtitutæ legis rationes, quæ explicantur à
Doctoribus, ſanctiſque patribus, ad om-
ne genus orandi voce referuntur, vt non
multo pòſt intelligetur. Poſtremò; quia
Decreta abſolutè & vniuerſè loquuntur.
Sic enim Concilium Nicenum cap. 20.
Quoniam ſunt in die Dominica quidam
ad orationem genua flectentes, & in die-
bus Pentecoſtes, propterea ſtatutum eſt à
ſancta Synodo (quoniam cõſona & con-
ueniens per omnes Eccleſias cuſtodienda
conſuetudo eſt) vt ſtantes ad orationem
Deo vota reddamus.

2. Ad auctoritatem Concilij Niceni ac-
cedit ſanctio Alexandri III. vbi his verbis
» præcipit:Diebus autem dominicis,& aliis
» præcipuis feſtiuitatibus, ſiue inter Paſcha
» & Pentecoſten, genuum flexio nequa-
» quam fieri debet:niſi aliquis ex deuotio-
» ne id velit facere in ſecreto. Ac de diebus
Dominicis, & qui inter Paſcha & Pente-
coſten ſunt, conſuetudinem nòn infle-
ctēdi genua,ab Apoſtolis manauiſſe teſta-
tur Concilium Martini Papæ; ex quo eſt
hic Canon. Similiter quia quod ab Apo-
ſtolis traditū eſt,Canō tenet antiquus; pla
cuit vt per omnes Dominicas & per om-
nes dies Paſchę,vſque ad Pentecoſten,nō
proſternāt ſe in oratione cauſſa humilita-
tis:ſed recto vultu ad Dominū fungantur
orationis officio: quia in his diebus gau-
dium reſurrectionis Domini celebramus.

Eiuſdem conſuetudinis teſtis eſt Iuſti-
nus Martyr in lib.quæſtionum ad Ortho-
doxos quæſt. 115. cuius conſuetudinis te-
ſtem adducit beatum Irenæum,qui Poly-
carpi auditor fuit, & ſpectator; vt de ſe
ipſo affirmat Irenæus in 3. lib. contra hæ-
reſes cap.3. in traditionibus quoque eam-
dem conſuetudinem orandi numerat D.
Baſilius in libro de ſpiritu ſancto ad Am-
philochium cap.27.& Epiphanius contra
hæreſes lib.3. fol. extremo; & illam ipſam
traditionibus aſſignat Apoſtolorum D.
Hieronymus contra Montanum; & Caſ-
ſianus collatione 21. cap.20. Tertullianus
verò in lib.de corona militis fol. 1. pag. 2.
his verbis ſcriptum reliquit.

Die Dominico ieiunium nefas duci- 3.
mus, vel de geniculis adorare:eadem im- »
munitate à die Paſchæ in Pentecoſten »
vſque gaudemus. D. autem Ambroſius »
in ſerm.61.de Reſurrectione, qui incipit:
Scire debet ſanctitas veſtra, Per hoſce,inquit
quinquaginta dies nobis eſt iugis & con- »
tinuata feſtiuitas:ita, vt hoc omni tempo- »
re neque ad obſeruandum indicamus ie- »
iunia:neque ad orandū Devm genibus »
ſuccidamus: ſic enim legendum eſt, non »
ſuccedamus.habetúrque diſt.76.ſcire de-
bet. D.Auguſtinus in epiſt.119. ad Ianua-
rium, de ritibus Eccleſiæ mentionem fa-
ciens de diebus inter Paſcha & Penteco-
ſten interiectis, quibus Patriæ cæleſtis
quietem lætitiámque ſignificari ait; ſub-
iungit hæc verba: Propter hoc & ieiunia »
relaxantur; & ſtantes oramus,quod eſt ſi- »
gnum Reſurrectionis. »

Huius petantiquæ & Apoſtolicæ inſti-
tutionis,cõſentaneum mihi viſum eſt, ex
Commentario Ioannis Turrecrematæ in
illud cap.20. Conc. Nicæni, cauſas non-
nullas haurire. ſic enim is commentatur:
Debet cultus exterior interiorem imitari, »
& vterque religioni temporis inſeruire: »
Chriſtiani autem temporis duplex eſt ra- »
tio:vnum luctuoſum,in quo, inquit, Tur- »
recremata, commemoratur miſeria no- »
ſtra, incolatus noſter, caſus noſter: alte- »
rum iucundum,ac lætum: in illo flectere »
ſolemus genua;Primùm ad noſtri corpo- »
ris, quod è terra effictum eſt, imbecillita- »
tem declarandam: Deinde:vt memineri- »
mus nos tamquam mutas animantes hu- »
mi iacere:tum vt cõfiteamur apud Devm »
nos peccatorum eſſe ſordibus oblitos, »
noſtráſque affectiones hærere in terra. »
Pòſt:vt quo decet cultu verbi Diuini hu- »
manitatem veneremur,quod noſtra cauſ- »
ſa è cœlo in terram delapſum eſt. Ad ex- »
tremum, vt teſtemur in nomine Iesv eſſe »
omne genu flectendum:ea enim ratio te- »
ſtifican

» ſtificandi,& adorandi, genuum exigit in» flexionem,vt idem Theologus affirmat.

Contrà eo tempore, quod iucunditatis eſt & lætitiæ, quod dies Dominicos, & Paſchales complectitur (& feſtos etiam, vt idem ſentit, & Archidiaconus, & alij nonnulli) genua non demittuntur. Primùm; Quia tempus hoc typus eſt voluptatis & beatæ gloriæ;qua erecti perfruemur. Deinde; Quia mulieres ad Domini ſepulchrum profectæ, inſpexerũt erectæ; vt eſt apud D. Ambroſium in Euangeliũ Lucæ. Denique; Quia per eos dies Spiritu ſancto donati ſumus: à quo in libertatem gratiæ vindicati ſumus, iugo peccati excuſſo,quo deprimebamur ad terram.

Addit Turrecremata morem hunc de non flectendis genibus in publicis Eccleſiæ precibus atque ordinariis, tenendum eſſe:in priuatis & extraordinariis, ob rem quampiam magni momenti, non eſſe neceſſarium. Nauarrus item in eo, qui indicatus eſt,loco excipit, *Et homo factus eſt; & quos pretioſo ſanguine redemiſti*: quæ verba flexis genibus ait eſſe efferenda. idem ſeruatur in Ioannis Euangelio, cùm dicimus, *Et verbum caro factum eſt.*

4. Sed aueat nunc ſcire aliquis; num contra Chriſtiani hominis officium faciat is, qui huius Apoſtolici inſtituti, & harum ſacrarum legum gnarus, aut ignarus, minimè ſeruat eas. Reſpondeo, non videri facere contra officium: nam ſuperiorem conſuetudinem in Romana Eccleſia cæterarum omnium parente, & præceptrice lapſam eſſe conſtat; & in aliis quoque Eccleſiis cecidiſſe.Namque extra tempus Paſchale,genu tangente terrã orari,etiam diebus Dominicis, in templis, & extra templa, paſſim videmus: quin & iiſdem diebus, qui inter Paſcha & Pentecoſten intercedunt, factitatur à Chriſtiano populo hoc ipſum. Salutatio dumtaxat Angelica Paſchali tempore à ſtantibus recitari ſolet;quæ, me puero, etiam illo tempore à viris piis,flexis genibus pronuntiabatur.

Ego tamen Dominicis diebus, dum remotis arbitris DEVM Optimum Max. Cœliſque beatos ciues oro, ſtans oro; de genibus autem, dum in aliorum conſpectu. Sed ſciendum eſt tamen ex rubricis Breuiarij Clementis VIII. ritum recitandi antiphonas B. Mariæ in fine officij ſtando diebus Dominicis renouatum eſſe: id autem crediderim in choro vim cogendi habere ſalua veriore interpretatione.

QVÆSTIO LXV.

NOn ſemel quæſitum eſt, an qui lege Eccleſiæ neceſſaria horas Canonicas recitandi tenentur, ſatisfaciant, dum eas recitant, cùm Miſſam ab Eccleſia præceptam audiunt. 1.

Non ſatisfacere defendunt Sylueſter in verbo, Miſſa, 2. q. 6. Angelus, in verbo, Feriæ, num. 46. Armilla, in verbo, Feſtum, num. 11. Ad quam ſententiam accedere videtur Paludanus ab Adriano citatus, qui in 4. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 2. non putabat ſatisfieri præcepto Sacerdotis de largienda eleemoſyna, ſi pœnitens eam tribuat extremè indigenti;quo tempore naturæ & DEI iuſſu erogare illam debuiſſet.

Quæ præcipua ſint huius opinionis firmamenta poſt ſecundam explicatam ſententiam intelligetur. Cõtraria igitur opinio probata eſt his omnibus. Maiori in 4. diſt. 12. quæſt. 3. Adriano, in q. de ſatisfactione, quæ incipit, *quæritur circa prædicta, an legens*: Caietano, in 2. tomo, opuſculorum, tract. 4. & in Summa, verbo, Feſtorũ violatio. Soto in 4. diſt. 13. quæſt. 2. artic. 1. columna proxima poſtremæ. Nauarro, in Summa, cap. 21. num. 8. & cap. 26. num. 23. & in cap. 1. diſt. 6. num. 4. de pœnit. & in Enchirid. de oratione & horis Canonicis, cap. 19. num. 178. concl. 16. Medinæ, in C. de confeſſione, q. 44. Toleto, lib. 6. inſtructionis Sacerd. cap. 6. vt alij multi ſileantur; qui ſuperſtites ſunt, atque hac de re ſcripſerunt, ſuamque ſententiam ty-

pis impreſſam teliquerunt.

2. Hiſce rationibus hæc ſe tueri poteſt opinio. Primæ. Quia qui tempore Miſſæ horas præſtat Canonicas, aut vtrique ſatisfacit præcepto & audiendæ Miſſæ & dicendi horas; aut neutri; aut alterutri: quòd neutri ſatisfaciat, nihil habet rationis:ſi enim nihil prætermittit pſalmodiæ, & quam debet, adhibeat attentionem: cur præcepto horarum non ſatisfecerit? Si alterutri; dic vtri? Dices præcepto perſoluendi officij: quia dicit integrè & attentè. Sed cur nō præcepto item audiendæ Miſſæ? cùm & toti interſit, & cultum horarum ad cultum referat Sacrificij; neque cultus Miſſæ excludat cultum horarum, neque vnius rei attentio alterius rei attentionem repellat? Nam, ſi pſalmos pronuncians ex præcepto, attento animo pertractare poſſum myſteria incarnationis Dominicæ, Dei attributa, & perfectiones; ea etiam, quæ optari & poſtulari à Deo debent (iſthæc enim omnia neceſſariæ attentioni diuini officij minimè aduerſari ſentiunt omnes) cur attentioni Miſſæ repugnabit illa oratio ſeu attentio, quam ipſa Miſſa, & Sacrificium requirit?

Secundum argumentum. Si Canonicas horas inter Miſſarum ſolemnia recitantes, Miſſæ præceptum violant, id accidere poſſet; quia verba Sacerdotis ſacrum obeuntis non percipiunt: At verba, aut voces celebrantis Miſſam accipere non iubet Eccleſia: cæteroqui nec ſurdi, nec qui longiùs abſunt ab altari, legi parerent Eccleſiæ, neque in iis regionibus pareretur; vbi Miſſæ depreſſa voce dicuntur.

3. Ergo, cùm Miſſa ab Eccleſia præcipiatur diebus feſtis Chriſtiano populo audienda, hoc tantùm videtur præcipi; vt is à ſeruilibus operibus auocetur, Deóque debitum cultum adhibeat; eúmque teſtetur tum corporis præſentia, tum animi pietate ac religione; quæ ſacram actionem Sacerdotis comitatur; ſiue eam comitetur Miſſæ verba audiendo, ſiue aliis orationibus interioribus exterioribúſque vtendo.

Atque hanc mentem eſſe Catholicæ Eccleſiæ, quibuſdam feſtis diebus Miſſæ auditionem Chriſtiano populo præcipientis, teſtatur D. Antoninus in 2. part. tit. 9. cap. 10. §. 1. dub. 5. ſic enim is loquitur. Intentio Eccleſiæ in illo decreto eſt, » quòd præſens ſit in Miſſa, & vacet Deo. » Verùm de eo, qui intelligens eſt, ſubiungit. Si etiam intelligens eſt, dignum, & » iuſtum eſt, vt intelligat; & conetur intel- » ligere, quæ dicuntur populo in Miſſa; cu- » ius verba & opinionem ſequuntur Sylu. in Summa, verbo, Miſſa, ſecundo. §. & num. 6. Tabiena, in verbo, Miſſa, num. 50. Roſella, in verbo, Miſſa, num. 15. Caietanus, in Summa, verbo, Feſtorum violatio. Solo, inquit, interiore actu Miſſæ » poſſumus attendere; aut quia ſecreta di- » cuntur; aut quia non auditur ſeu non in- » telligitur Sacerdos. »

Adrianus, in ea quæſtione de ſatisfactione loquitur his verbis: Præceptum » 4. Eccleſiæ de audienda Miſſa, non arctat » fideles verba Miſſæ aduertere: cùm ſic » non ſufficeret, Miſſæ, quæ ſubmiſſa voce » dicitur, interfuiſſe: aut in loco diſtanti, vt » minùs diſtrahatur à deuotione. Vnde, ſi- » cut celebratio ſabbati noſtri, id eſt, Do- » minicæ, inducta eſt, ne populus tranſgre- » diatur præceptū generale colēdi Devm: » eadem ratione inſtituit præceptū audien- » di Miſſas: non vltra volens fidelium cer- » uices, quàm neceſſe eſt, premere. Vnde » hoc ſolùm videtur duxiſſe in obligatio- » nem, limitando generalem & confuſam » obligationem præcepti; qua tenemur co- » lere & venerari Deum: vt hoc ſaltem ſab- » bato noſtro fiat ſub modo abſtinendi à » ſeruilibus, quæ retrahūt, & intereſſe Miſ- » ſæ toti, à principio videlicet vſque ad be- » nedictionem Sacerdotis vltimam: vt ha- » betur c. Miſſas, de conſecrat. diſt. 1. aut, vt » reſtrictiùs loquar, aliquid ſtatuendo, vt » generale & confuſum præceptum de co- » lendo Deo non prætereatur. »

Tertium argumentum. Si quis eodem opere & actu, diuerſis ſatisfacere poteſt præceptis, naturæ, Dei, & Eccleſiæ, cur non

non poterit quis vno & eodem tempore duo præcepta explere Eccleſiæ? incidit quis in morbum lethalem eo tempore, quo & diuina lege, & Eccleſiæ, & Sacerdotis præcepto, qui pœnitentiam iniunxit, confiteri debet: Is vnica confeſſione omnibus tribus præceptis ſatisfacit: cur igitur non poterit vnico cultu præceptum implere audiendi Miſſam, atque horas recitandi?

5. Quartum argumentum. Multò videtur rectius atque conſultius, mentes eorum, qui diuinæ rei interſunt, à diſtractione inanium rerum, & ab aſpectu earum, quæ tum cultui tum adſpicientibus obſunt, abducere, quàm non abducere: abducuntur autem, cùm Sanctarum orationum & piarum precum lectione occupantur: Ergo hæc ratio cultus reprehendi non debet. Adde, quòd perfecta quædam forma vacandi Deo feſtis diebus, quo tempore Miſſa celebratur, conflari poteſt: & ex eo, quòd proprium eſt horarum, & ex eo, quòd proprium eſt ſacrificij. Cùm enim præcipuè myſteria Paſſionis Chriſti in Miſſa repræſententur, is qui recitat horas, cogitatione poteſt hærere in myſteriis Miſſæ, atque cum eiuſmodi meditatione preces coniungere, in quibus ore verſatur. Ergo non ſolùm poteſt ſatisfacere vtrique præcepto, ſed etiã perfectè ſatisfacere.

Poſtremum argumentum. Præceptum audiẽdi Miſſam, generale eſt, cunctóque fidelium cœtui promulgatum; illóque pariter & eodem modo omnes tenentur: ergo, ſi non ſunt rei violati præcepti, qui voluntarias preces ad ſacrificium adferunt, cur violabunt ij, qui præceptas adferunt orationes? Quæ autem à contrariæ ſententiæ auctoribus inuenta ſunt, fracta ſunt omnia, & minuta, à nobíſque iam refutata. Negant enim duo præcepta vnico actu impleri poſſe, & Miſſæ attentionem cum attentione horarum cohærere: quæ verè non dici, nec præcipi iam demonſtratum eſt.

QVÆSTIO LXVI.

Permagni intereſt noſſe clericis, quibus ab Eccleſia ſunt horæ Canonicæ imperatæ; vtrùm earum integritas violetur, ſi interruptæ perſoluãtur: interrumpi autem ſolent verbis interdũ neceſſariis, nonnunquam otioſis, nonnumquam cachinnis, nõ rarò re quapiam agenda à ratione pſalmodiæ aliena. 1.

Quæritur igitur: num qui hac ratione diuinum præſtant officium, eius perſoluendi legi ſatisfaciant. Neque enim videntur ſatisfacere cùm continuatio tollatur officij, quæ valde connexa eſt cum illius integritate. Nauarrus, in Enchiridio de oratione c. 10. num. 2. ſcribit. Sicut » onus integrè recitandi ab Eccleſia impo- » nitur; ſic etiam cum continuatione reci- » tandi; cui opinioni non diſſentire vide- » tur Paludanus, in 4. diſt. 15. quæſt. 5. art. 2. conc. 3. Vbi ſic: Item debet eſſe continua, » id eſt, non interrupta, vel diuiſa vocali- » ter, quantum ad vnam horam, quæ vno » contextu dicenda eſt, non aliis occupa- » tionibus intercidenda. Sed idem Naua- » rus, in eod. c. 10. Enchiridij 42. num. ſcripſit his verbis: Vnde etiam hora Canoni- » ca publica, quæ priuatè dicitur, poteſt in- » terrumpi aliquando ſanctè, & cum meri- » to, aliquando peccando, ſed adimplendo » præceptum. Et in c. 16. num. 68. vult in- » terrumpi poſſe ob opus aliquod miſericordiæ ſpirituale, vel corporale, & num. 69. propter potionem medicinæ, & num. 70. propter explanationem alicuius obſcurioris loci, quem pſalmi obiiciunt legenti: & num. 68. propter alicuius verſus meditationem, ſiue contritionis actum: quamuis longum tempus interceſſerit: & num. 70. propter lectionem, ſeu ſtudium neceſſarium. Interruptiones autem quæ plus habent reprehenſionis, ſunt horarum publicarum.

Vide quæ præclarè ſcripta ſunt à Nauarro, in illo cap. 16. à num. 64. ad 70. & 2.
quæ ſcripſit c. 10. num. 70. Illud ego ta- »
men cunctis ſuaſerim, vt, ſi qui paululum »
orando

» orando progreſſi horarum preces abru-
« perint, ab integro repetant ſi poſſint: id
» enim & ratio æquitatis, & decori, quo of-
» ficij dictio comitata eſſe debet, vnicui-
» que perſuadere debet.

De eo etiam aſſentior Nauarro, in lib. de orat. & horis Can. c. 16. numer. 73. qui pſalmum vnius horæ, aut quid aliud pronuntiaſſet, nec totam horam abſoluiſſet, animúmque ad quodpiam aliud negotiũ conuertiſſet, eo conſilio, vt poſtea ad inchoandam iterum eandem horam illam referret, officij celebrandi legi illum haud ſatis eſſe facturum, niſi mutilatæ horæ repetito exordio: *Nam actus*, inquit Nauarrus, *vltra intentionem agentis non extenditur*. l. non omnis. ff. ſi certum petatur, & l. in agris. ff. de acquirendo rerum dominio. poſterior lex magis ad rem facit.

Quòd ſi intermiſſum officiũ eſſet non animo eadem iterandi, iterare non eſſet opus; quamuis mala fuiſſet intermiſſio. l. continuus in principio. ff. de verborum obligat. Concluſionẽ puto veram, quamuis non rectè probatam: quia lex illa loquitur de ſtipulationis contractu; ad cuius naturam pertinet non interrumpi.

QVÆSTIO LXVII.

1. INtegritatem diuini officij tolli, ſi quis illius verba dicendo concidat, delũbétque ſententias; quod in ſacris Canonibus, Doctorúmque ſcriptis ſyncopare nuncupatur, conſtat inter omnes. Paludanus, in 4. diſt. 15. quæſt. 5. art. 2. conc. 5. ſic præcipit. De oratione, quæ præſtari ſolet à clericis in Eccleſiaſticis horis: Debet eſſe integra; vt nihil de eo furetur ſyncopando; omittendo, nimis feſtinando. Vnde tenetur redicere, qui notabiliter malè dixit. & Nauarrus in Enchiridio de oratione, c. 10. num. 9. idem ſequitur, & ſequuntur omnes: qui enim eiuſmodi ſyncopa horas inquinãt Canonicas, in trium Conciliorum legem committunt; quæ ſyncopandi vitium remouere à diuini officij celebratione omni conatu enixa ſunt: Concilij Romani, in c. dolentes. de celebrat. Miſſarum: Concilij Viennenſis, in Clementina prima, eodem titulo: Concilij Baſilienſis, ſeſſ. 21. §. Qualiter horæ Canonicæ extra chorum dicendæ ſint: in quo §. eſt his verbis. Omnes beneficiati »
ſeu in ſacris inſtituti, ſi orationes ſuas Deo »
acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel »
inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſynco- »
pando dictiones; nec colloquia, vel riſus »
intermiſcendo; ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati »
diurnum nocturnúmque officium reue- »
renter, verbiſque diſtinctis peragant. S. »
Antoninus in 2. part. tit. 9. c. 12. §. 3. Negligentiam accuſans eorum, qui Eccleſiaſticam pſalmodiam, non qua decet pietate & decoro vſurpant, hæc ſcribit, atque hiſce verbis: Secunda negligentia eſt, »
quando dicuntur horæ ſyncopando, di- »
mittendo ſcilicet, vel verba, vel verſus, vel »
ſyllabas. Integrè enim, & completè per- »
ſoluendæ ſunt horæ: nam ipſarum perſo- »
lutio ſeruitus dicitur. In ſeruitio autem »
alicui debito debet quilibet eſſe fidelis, »
vt nec apicem, vel iota prætereat: ſed »
integrè, ſine fraude debitum perſoluat. »
Si quis deberet quotidie perſoluere alteri »
ſeptem marchas, certè ſi aliquos denarios »
quotidie ſubtraheret, nõ ſatisfaceret cre- »
ditori; ſic infideliter agit, qui in officiis »
ſyncopat; quod reprehenditur in dicto »
capitulo Dolentes. de celebr. Miſſ. »

2. Exemplum de illo ſancto patre, qui vidit diabolum in choro cuiuſdam Monaſterij manere, cùm fratres dicerent officium: & mittere ſæpe in ſacco, quem ſecum ferebat: & interrogatus à patre quid intromitteret; Reſpondit, quot verba, & »
ſyllabas, quas illi dimittebant de officio, »
in futuro iudicio ea præſentaturus ad pu- »
nitionem negligentiæ eorum. Sciſcitari »
quiſpiam poſſet: & quodnam verbum ſit iſtud, ſyncopa, & ſyncopare. Latinúmne, an Græcum, an Hebraicum, an Arabicũ. Reſpondeo, verbum eſſe Græcum à verbo, *συγκόπτω*, quod eſt, *concido*, vnde exiſtit *συγκοπτή*, quod valet *conciſio, abſciſſio*: ſumitur

mitúrque pro ea Grammaticorum figura, quæ ſyncope appellatur; quæ abſcindit ſyllabam dictionis alicuius; vt compoſtus pro compoſitus. A medicis quoque vſurpatur pro quodam morbi genere, quem ſyncopam dicunt; de qua Galenus ad Glauconem: Eſtque κατάπλωσις ὀξεῖα ϗ ἀθρόα δυνάμεως, id eſt, *celeris, ac ſubita vniuerſarũ virium ruina, ſeu prolapſio:* quæ ſi robuſtior ſit, remedio plerumque caret; ſi vires ſuperſint aliquæ, ſuccurritur aliquando. Qui igitur aut propter oſcitantiam in orando, aut propter nimiam celeritatem in pronuntiando, Grammaticorum vtens ſyncopa, Eccleſiaſticarum horarum decurtat verba, infringitque ſententias, is in ſyncopam incidit animi tantò peiorem, quàm corporis, quantò huic ille præſtat: nam morbo corripitur animi mortifero, quo cunctæ illius vires eliſæ atque conciſæ continuò concidunt: ipſéque animus miſerabili & ſempiterno, niſi expiet culpam, interitu contabeſcit.

QVÆSTIO LXVIII.

1\. PLures, ac ſæpe, è me percunctati ſunt; num, qui beneficium perquam exile adepti ſunt Eccleſiaſticum, precum Canonicarum neceſſaria lege teneātur. Reſpondi teneri: ſicque iudicatum eſſe fermè ab omnibus, qui ea de re diſputarunt, vno excepto Soto, qui lib. 10. de iuſt. & iur. q. 5. art. 3. §. Dubium autem reſtat, reliquit ſcriptum, onere perſoluendi diuini officij ſolutum eſſe eum qui beneficium obtinet; cuius fructus octo dumtaxat aureis æſtimari poſſint: ſed contraria ſententia & communis & vera eſt. Eſt Gloſſæ, in c. clericus, victum. d. 91. quam Nauarrus ait in Enchiridio de oratione, cap. 7. num. 27. à cunctis eſſe receptam. Eſt Oſtienſis in cap. 1. de celebrat. Miſſ. num. 19. Cardinalis, in Clementina 1. de celebrat. Miſſ. quem citant & ſequuntur penè omnes Summarum ſcriptores, & Nauarrus, in illo loco Enchiridij. Eſt D. Antonini, in 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1. Eſt Maioris, in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 6. §. Colligendo ſparſim dicta; Eſt Syluestri, in verbo, Hora. num. 3. Eſt Tabienæ, in verbo, hora Canonica, num. 2. Eſt Roſellæ, eod. tit. in principio. Eſt Armillæ, eodem tit. non longè ab initio. Eſt Nauarri, in Enchiridio, cap. 7. num. 27. & in Summa, cap. 25. num. 102. Gloſſa, in cap. Illud iam citaro. D. Anton. Maior & Syluester aiũt, imputet ſibi, qui paſſus eſt ſe ad tale beneficium promoueri. Admoner verò Oſtienſis, vt victus ſupplementum honeſto aliquo quærit et artificio.

Habétque hæc ſententia rationē, quæ in promptu eſt. Iniquum enim eſt, cùm hic, de quo quæritur, in claſſem coniectus ſit beneficiariorum, & beneficio fruatur Eccleſiaſtico, vt eius legis, quæ ſuæ eſt impoſita claſſi, nolit perferre iugum. Quòd ſi iugum Canonicarum horarum ſuſtinere nolit, dimittat beneficiũ: neque enim Eccleſiæ ea mens eſt, vt Eccleſiaſtica in eos conferantur beneficia, qui viciſſim ſibi, & DEO diuinum nolunt reddere precando officium.

QVÆSTIO LXIX.

PAulus Eccleſiaſticũ beneficium adipiſcitur: ſed, antequã in eius poſſeſſionē pedem ponat, lis ei à Ioanne intenditur; qui iure illud ſibi deberi contendit: interea fructus ſequeſtro commendantur. 1.

Quæſiuit Paulus, neceſſariáne lege teneatur dicendi horas Canonicas. Æquiorem ſententiam ſecutus reſpondi non teneri. Propterea quòd ius officij diuini perſoluendi orando, in iis qui Sacerdotia obtinent Eccleſiaſtica, oritur ex pacata beneficiorum poſſeſſione, ac fructuum perceptione. Paludanus in 4. diſt. 15. q. 5. art. 1. conc. 5. beneficij poſſeſſorem horis Canonicis recitandis nō addicit niſi poſt illius pacificam adeptam poſſeſſionem. Caiet. in Summa, verbo, Horæ Canonicæ, negat, eum, qui nec ſui beneficij poſ-

ſeſſionem, nec fructus habere poteſt, Canonicarum horarum ritui obnoxium eſſe. Sotus lib. 10. de iuſt. & iur. quæſt. vn. art. 3. obligationem horas Canonicas recitādi manare ſcribit vel ex ordine ſacro, vel ex mercedis perceptione: cui perceptioni beneficij poſſeſſio antecedere debet.

Hanc opinionem Nauarrus in Enchiridio de oratione & horis Canonicis in eo probat, qui nondum beneficio Eccleſiaſtico in ſe collato aſſenſus eſt: quia beneficium non fecit ſuum: ſecus in eo dicendum, qui eſt collationi aſſenſus: ſiquidem ex collatione eſt illi ius in re acquiſitum; idque probat ex cap. ſi tibi abſenti, & cap. penult. de præben. in 6. ſed cap. ſi tibi abſenti, ad rem facere videtur. Additque Nauarrus à die collationis fructus ad eum pertinere, qui beneficium eſt aſſecutus.

2. Contrariæ verò ſententiæ locum tribuit, cùm quiſpiam Canonicus ante poſſeſſionem capere fructus non poteſt. Hæc ille in Enchirid. de orat. & hor. Cano. c. 7. num. 28. & 29. & in Manuali, ſiue in ſumma, c. 25. num. 103. & 104. & volum. 1. ſuorum conſiliorum l. 3. conſ. 14. in ſumma, c. citato, num. 104. & in Enchirid. cap. 7. num. 28. ſcribit his verbis: „Si enim litigaret, & habita ſententia recipere deberet fructus ſequeſtratos, aut per aduerſarium receptos, obligatus foret ſecundū omnes, etiamſi non accepiſſet, nec accipere poſſet poſſeſſionem; quidquid præfati, tamquam magis Theologi quàm Canoniſtæ, ſenſerint." Maior in 4. d. 12. q. 6. §. 9. arguitur, ait, cùm duo de eodem inter ſe beneficio diſceptant, ideo, quòd ambo iure deberi ſibi illud perſuaſum habeant, ſi vnus interim fructus percipit, eundem diuini officij dicendi iure adſtrictum eſſe. Quòd ſi ex poſtrema appellatione veriſimiliter appareat, amiſſurum beneficium, qui tenet; & obtenturū eum, qui eodem interim caret, hſic aut Canonicas preces, aut alias orationes adhibere debere; niſi ſi fortè æqualem precationem in tempus, quo ſuum futurum eſt beneficium, reiicere velit.

Nodus omnis expedietur, ſi pauca hæc fuerint conſtituta. Primum eſt: onus præſtandi horas Canonicas, neque ex beneficio tantùm, ſi illud vacuum & ſterile, aut quaſi vacuum & ſterile ſit, neque ex fructuum ſola perceptione, cùm multi fructus percipiant Eccleſiarum, qui Canonicas horas præſtare non ſolent: ſed ex beneficio, & vectigali nonnullo Eccleſiaſtico gignitur: quod perſpicuè tradidit Nauarr. in Enchirid. de orat. & hor. Can. c. 7. num. 27. §. Hæc tamen argumenta. 3.

Perceptionem autem eam intelligimus, quæ nulla nec naturæ neceſſitate, nec hominum vi, ſiue iniuria impedita ſit. Secundum eſt: Humanior videtur eorum eſſe ſententia, qui cenſent, obligationem orandi canonicè, non ex collatione beneficij, quam multa poſſunt conuellere, ſed ex illius tranquilla poſſeſſione exiſtere. Canoni autem, ſi tibi abſenti, de præben. lib. 6. dupliciter poteſt occurri. Primùm dicere poſſumus, ex collatione ante poſſeſſionem proficiſci ius quoddam imperfectum, ac mutilatum; ex collatione verò & poſſeſſione integrum & abſolutum; atque ex hoc iure fluere obligationem horarum Canonicarum. Deinde reſponderi poteſt, vt reſpondet Caietanus, ex collatione acquiritur ius, vt beneficium dicatur tuum, vt inquit Decretalis; obligatio verò recitandi officium naſcitur ex obligatione alterius, vt tibi tribuat fructus, vel tu eos percipere poſſis. Tertium. Si quis poſt collationem ante poſſeſſionem perciperet fructus, nō eſſet ſolutus lege dicendi officium. Quartum. Poſt iudicis ſententiam fructus adiudicantis idem præſtare deberet. Quintum & poſtremum. Hic Paulus, de quo conſulimur, lege horis Canonicis ſatisfaciendi minimè eſt obſtrictus.

QVÆSTIO LXX.

1. A Recentis memoriæ hominibus ſæpe addubitatum eſt illud, quod ab antiquis

Digitized by Google

antiquis magiſtris, & melioribus auctoribus ſuperioris, atque adeo noſtræ ætatis in cõtrouerſiam numquam vocatum eſt: num ij, quibus Eccleſiaſtica ſacerdotia beneficiáve mandata ſunt, ſint bonorum fructuúmque omnium, qui ex iis percipiuntur, veri Domini. Auctores neſcio qui, quorum dux eſt Dominicus Sotus in 10. lib. de iuſt. & iur. q. 4. art. 3. & 4. nouam & periculoſam opinionem poſt mille & quingentos annos in Chriſtianam Rempubl. inuehere conati ſunt, eos, à quibus Eccleſiaſtica beneficia obtinentur, fructuum, quos illa pariunt, veros eſſe Dominos: quorum ipſi opinionem in iis libris, quibus parochorum officia perſecuti ſumus, omni machinarum genere conuellere, atque euertere adorti ſumus. Horúmque hominum ſenſum à Conciliorum decretis, à Romanorum Pontificum ſanctionibus, à ſanctorum Patrum ſententiis, à Theologorum conſenſione, à ſacrorum Canonum grauiſſimis explanatoribus, & à certiſſima ratione demonſtrauimus abhorrere. Ex illa igitur collata à diſputatione in hanc anguſtam pauca contrahamus.

2. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de reformat. c. 1. his verbis edicit: „Omnino verò Epiſcopis interdicit (de Epiſcopis loquitur) ne ex redditibus Eccleſiaſticis conſanguineos familiarésve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, iis, vt pauperibus diſtribuant. Et poſt aliquanto. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia quàm regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſeruari, ſed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.” Interdictũ hoc Concilij generalis iuſtum non videretur, ſi bonorum Eccleſiaſticorum, qui ea ruentur & poſſident, domini eſſent. Citat Concilium Canones Apoſtolorum: ergo in hæc quoque noſtratia tempora valent; vt ne Soto perfugium ſit ad temporum diſcrimina. Concilium Lateranenſe, quod habitum eſt Alexandro III. Romanum Pontificatum gerente, c. 19. perſpicuè docet, Eccleſiarum bona egentium vſibus attributa eſſe: quæ ſententia relata eſt in Can. non minus, de immunit. Eccl. Si ego Oeconomum mercede conducerem; eíque certas opes pauperibus diuidendas aſſignarem; contra ius, & boni Oeconomi fidem faceret, ſi bona egentibus diſtribuẽda is auerteret.

Ad Romanorũ Pontificũ reſponſa veniamus; quæ ſententiam noſtram plenè confirmant; certóque concludunt: vt obſeruauit ante nos Nauarrus, in Apol. de redd. Eccleſ. q. 1. mon. 24. num. 3. & ante Nauarrum Ioannes Maior, in 4. ſent. diſt. 24. q. 16. in qua q. quærit, vtrùm Prælatus Dominus ſit prouentuum Eccleſiæ datorum. Decretalem adfert Alexand. III. in c. fraternitatem, de donationibus, in qua eſt his verbis ad Lutetiæ Pariſiorum Epiſcopum. „Fraternitatem tuam credimus non latere, quòd cùm Epiſcopus, & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum ſit procurator, non Dominus. Quid obſecro de iis qui Eccleſiaſticis præpoſiti ſunt Sacerdotiis, ſciſci poterat certius?

3. Sic igitur breuiter rationem concludamus. Si rem Cæſaris procurator eius quaſi rem propriam tradat, non puto, inquit Iuriſconſultus, eum dominium transferre. Tunc enim transfert, cùm negotium gerens Cæſaris, conſenſu ipſius tradit. Denique ſi venditionis, tranſactionis, vel donationis cauſſà quid agat, nihil agit: non enim ei alienare rem Cæſaris, ſed diligenter gerere commiſſum eſt.

Sit hæc maior ſyllogiſmi propoſitio è lege ſumpta. prima. ff. de officio procuratoris: ſed qui beneficia accipiunt Eccleſiaſtica, eorum fiunt procuratores, non domini, ex decretali Alexandri III. ergo nec donare, nec quicquam aliud agere poſſunt; quod procuratoris ius non permittat: quod quidem ius Chriſti voluntas, & conſenſus, qui bonorũ Eccleſiaſticorum præcipua quadam ratione Dominus eſt,

moderatur. Bona enim Eccleſiaſtica in Chriſti patrimonio cenſeri dixit Innoc. III. in c. cùm ſecundùm Apoſtolum ext. de præbendis, & Bonifacium VIII. in Decretali, Ex eo, de elect. lib. 6. Quapropter Stephanus Papa ita pronunciauit: » Qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ aufert, » fraudat, & rapit, vt homicida in conſpe- » ctu iudicis reputabitur. Quæ verba Gratianus Stephano adſcribit 12. q. 2. c. 1. Bruchardus autē & Iuo, Anacleto. in 39. autem Canone Apoſtolorum hiſce verbis » iubetur. Omnium negotiorum Eccleſia- » ſticorum curam habeat Epiſcopus, & ea- » dem, vt DEO contemplante, diſpenſet: » neque illi liceat ex his aliquid omnino » contingere, aut parentibus propriis, quæ » DEI ſunt, condonare: quòd ſi pauperes » ſint, tamquam pauperibus ſubminiſtret.

4. Nunc ſanctiſſimorum Patrum voces audiamus. Diuus Hieronymus in epiſt. ad Damaſum. *Quicquid habent clerici, pauperum eſt.* Et nō longè ab extremo. Clericos » autem illos conuenit Eccleſiæ ſtipendiis » ſuſtentari, quibus parentum & propin- » quorum nulla ſuffragantur. Qui autem » bonis parentum, & opibus ſuſtentari poſ- » ſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiunt, » ſacrilegium profectò committunt: & per » abuſionem talium iudicium ſibi mandu- » cant & bibunt. Et habetur 16. q. 1. can. vlt. & in illud Iſaiæ, cap. 3. *Rapina pauperis in domo veſtra eſt.* Rapina, inquit, pauperum » in domibus eorum eſt, quando replent » theſauros ſuos; & Eccleſiæ opibus abu- » tuntur in delicias: publicáſque ſtipes, quæ » ad ſuſtentationem pauperum datæ ſunt, » vel ſibi reſeruant, vel propinquis diſtri- » buunt: & alienam inopiā ſuam, ſuorúm- » que faciunt eſſe diuitias. Vide eiuſdem Doctoris Canonem, reuertimini, 16. q. 1. & can. clericus 12. q. 1. & gloria Epiſcopi, 12. q. 2. D. Auguſt. ſerm. 219. de tempore. Decimæ tributa ſunt egentium animarū, 16. q. 1. Decimæ. & in epiſt. 50. ad Bonifacium comitem, loquens de ſeipſo reliquiſque Sacerdotibus: Si autem quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; nō proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus 12. q. 1. c. extremo. D. Proſper, in 2. lib. de vita contemplatiua, c. 9. Non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates: habetur ead. cauſſa, & q. c. expedit.

5. D. Bernard. epiſt. 2. ad Fulconium Archidiaconum: *Dignum eſt, vt qui altario deſeruit, de altario viuat.* Conceditur ergo » tibi, vt, ſi bene deſeruis, de altario viuas; » non autem, vt de altario luxurieris; vt de » altario ſuperbias; vt inde compares tibi » frena aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, » varia griſeáque pellicea, à collo » & manibus ornatu purpureo diuerſificata. » Denique quicquid præter neceſſarium » victum, ac ſimplicem veſtitum de altario » retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium » eſt. Pares & grauiores ſententias iterat ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum; quas nos tranſtulimus in noſtrā diſputationem Italicam, fol. 38. de parochorum officiis. Dicunt eandem ſententiā omnes, qui Soto anteceſſerunt Theologi. D. Thom. in 2. 2. q. 43. art. 8. & q. 87. art. 1. ad 4. & quodl. 6. art. 10. in reſp. ad 1. argum.

6. Atque huius, quam nos defendimus, veritatis patronum agnoſcunt D. Thom. D. Antoninus, Maior, Petrus Sotus, Nauarrus, in ſua Apolog. de red. Eccl. Maior, in 4. d. 24. q. 16. & q. 17. col. penult. hoc ſcriptum reliquit. Nullus ſtat formalior » pro concluſione, quam teneo, quàm ipſe » S. Thomas. Maioris autem hæc erat con- » cluſio, eos, qui malè res Eccleſiæ inſumūt, neceſſaria reſtituendi lege teneri. in 2. 2. q. 119. art. 3. ad 3. Clerici, inquit D. Tho. » ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, » quæ ſunt pauperum, quos defraudant, » prodigè expendendo. Alex. Hal. in 3. p. » q. 36. memb. 5. art. 2. & 3. pro eadem ſententia pugnat, & in 2. art. furti reos, & ſeptimum præceptum violare eos affirmat, qui patrimonium, inquit, Chriſti crucifixi pauperibus debitum in illicitos vſus,

ſcilicet

ſcilicet pompas ſæculares, comeſſationes, & huiuſmodi expendunt. Profértque locum mirificum ex D.Bernar. & Concil. Toletano: ſtatuítque hos neceſſariis reſtitutionis legibus aſtringi. In artic. autem 3. probat, Clericos, qui appropriant (verba ſunt eius) ſibi res Eccleſiæ, contrectare rem alienã: atque id auctoritate D.Hier. Auguſt. & Proſperi confirmat.

7. Richardus Epiſcopis & clericis proprietatem bonorum Eccleſiæ adimit, vſum relinquit, atque diſpenſationem in 4.d.45.art.3.q.1.ad primum. Paludanus in 4.diſt.24.q.3.art.4.§. ſed dubium: quærit num clerici tantùm de ſuis ac propriis bonis reponere debeant, quantùm de bonis Crucifixi in malos vſus conſumunt. Scribítque, opinionem eorum, qui aiunt clericos tutores & procuratores eſſe pauperum; & quod flagitioſè impendunt, reddere debere, magis eſſe conſentaneam dictis Sanctorum, & Iuri Canonico. Henricus Gandauenſis quodl.8. qu.27.litt.X. bonorum Eccleſiæ proprietatem, dominium, & hæreditariam poſſeſſionem ſoli DEO & Chriſto concedit. Gerſon Tractat.42.litt.&. Conſideratione 1. prouiſione 8. Bona, inquit pauperum ſunt, quæ Eccleſiaſticis ſuperſunt vltra ſimplicem victum & veſtitum iuxta decentiam ſui ſtatus in Eccleſiæ Republ. Caietanus in 22.q.43. artic.8. loquitur his verbis: Nec Papa, nec aliquis Prælatus eſt Dominus rerum Eccleſiæ: & poſt nonnullas comprehenſiones verborum. Vnde ita tenentur ad reſtitutionem, qui à Papa bona Eccleſiæ pro libito Papæ habuerunt, vt ditentur, exaltentur, & magnificentur, ſicut qui ab aliis Prælatis ſimilia Eccleſiæ bona acceperunt. Omnis denique donatio Eccleſiæ, ei pietate vel neceſſitate vacua, nõ diſtributio, ſed diſſipatio eſt à diſpenſatore vſurpata: & quæſt.185.art.7. In ead.2.2. Inculcat, clericos non eſſe dominos, niſi eius portionis; quę ſibi debetur. Petrus Sotus in ſuis Inſtitutionibus lib. de vita Sacerdotis lect.3.§. Sunt autem reliqua omnia: vinculis neceſſariæ reſtitutionis conſtringit clericos, qui in bonorum tutela, quæ Eccleſiaſtica ſunt, & pauperum, inſigniter à bona fide recedunt.

Sanctus Antonin. in 3.par. tit.15. c.1.§. 19. Eccleſiæ bona pauperibus deberi ait, & ſi hiſtrionibus, meretricibus, turpibúſque perſonis tribuantur, aut etiam conſanguineis non egentibus, rapinam eſſe, & reſtitui oportere, & eos qui acceperũt, pari lege reſtituendi teneri: Citat etiam ſententiæ communis comitem & anteſignanum D.Thomam in 2.2.q.185. Dionyſius Carthuſianus in Tract. contra pluralitatem beneficiorum, communi ſententiæ fauet, & cap.2. beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſoribus reſtituendi legem imponit, ſi malè Eccleſiæ opes conſumãt. Valdenſis ſcriptor grauis, à quo Ioannis Wiclephi errores confutantur in 1.tom. lib.4.ca.43. egregiè probat, Eccleſiaſticos rerum Eccleſiaſticarum nullo pacto dominos eſſe. Idem ipſum Sylueſt. in verb. Clericus, ſect.4.num.3.11.& 14.& in verb. alienatio, quæſt.19. Maior in 4.d.24,q.13. §. quartò arguitur: & longiùs de eadem re.q.16.& 17. De Canoniſtis quid attinet dicere? quos multos, & præcipuos citat Maior in 4.d.24.q.16. col.1. & Nauarrus in ſua Apologia de redd. Eccleſ. Dilaudatur Innoc. in c. Cùm ſuper de cauſa poſſeſſionis, & propriet. Oſtienſis in titu. de pœnit. & remiſſ. & in Tract. de reſtit. Panorm. in cap. Cùm ſecundum de præben. Gloſſ. 12.q.1. res Eccleſiæ. Archidiaconus in c. ſtatutum. §. Aſſeſſorem, de reſcriptis, lib.6. num.13. ſui commentarij, hæreſim in Iure canonico eſſe ſcripſit, aſſerere Clericos beneficia obtinentes Eccleſiaſtica, bonorum Eccleſiaſticorũ dominos eſſe. Eſtque ſententia, pro qua certamus, Canonum explanatoribus maximè probata. Tot igitur tantorúmque virorum ſapientia, atque auctoritas, quos numerauimus, nuper inuectæ opinionis adeo fauces premit, vt ægrè ea reſpirare poſſit.

Reſtat poſtrema probationum ſpecies 9. ex argumentis, quæ ſedulò eſt à nobis in illa diſputatione Italica pertractata. Pri-

mum argumentum. Pontifex Romanus non eſt Dominus bonorum Eccleſiæ: ergo nullus alius. Antecedens confirmat canon Symmachi. Non liceat Papæ 12.q.2. Turrecremata in c.Videntes. ſui commentarij §.quarta opinio, 12.q.2. Caietanus in 2.2.q.43.art.8. Nauarrus in Apol. de redd. Eccleſ.q.1. mon.24. num.10. qui citat Archid.in c.non liceat ab aliis receptum. Decius in idem cap.& in c.Epiſcopus,de præben. Maior in 4.d.24.q.13. ad quartum argumentum.

Secundum argumentum. Omnia Eccleſiæ bona ſiue antiqua,ſiue recẽtia,ſunt eiuſdem generis, & conditionis; eadem ſunt cunctorum priuilegia: ergo eadem onera: Ergo ſicut antiqua in templorum ædificia,& refectiones, & ornatum, & in pauperum vſum conferebantur,ita etiam » noua conferri debent: Incongruum enim » eſt, inquit B. Gregorius lib.3. epiſt.11. ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum, » vnam eandémque Eccleſiæ ſubſtantiam » duplici quodammodo iure cenſeri,id eſt, vſurpationis, & Canonũ. Explicatur hæc ratio à Nauarro.In Apolog. de redd.q.1. mon.74.num.1.2.& 3. à Caietano in 2.2. q.185.art.7. videndus Sylueſt.in verb.Clericus,ſect.4.q.19. de partiendis bonis Eccleſiaſticis in quattuor partes. habes in Cano.quattuor autem 12.q.2. & ſequentibus,& can.cognouimus,& canone, mos Apoſtolicæ,ead.cauſſa,& quæſt.

10. Tertium argumentum. Res Eccleſiæ, » inquit Vrbanus, in epiſt.vnica,cap.2.non » quaſi propriæ ſed communes, & Deo » oblatæ cum ſummo timore non in alios » quã in præfatos vſus ſunt fideliter diſpen- » ſandæ, 12.q.1.res Eccleſiæ,& ca.1.eiuſdem » epiſtolæ. Ipſæ enim res fidelium oblatio- » nes appellantur: quia Domino offerũtur: » ergo ipſa oblatio facit,vt earum rerum ita » ſit Devs Dominus, vt dominium cum » nullo in terris homine communicari ve- » lit: quod tamen communicat in eo bono- » rum genere, quæ ſacra non habentur, » nec ſunt.

Quartum argumentum. Eorum mens, qui ſuis opibus altaria, Eccleſias, & Epiſcopia fundarunt, non ea fuit, vt in profanos prauóſque vſus eorum bona conuerterentur: voluerunt enim & ſibi mortuis prodeſſe, & diuino cultui, & pauperum indigentiæ inſeruire: religioſam ergo teſtatorum,legantiúmque mentem iugulare,hominis eſt impij, atque ſacrilegi.

Poſtremum argumentum, ne ſingula conſectemur. Ea eſt præferenda ſententia,& cuilibet homini Catholico amplectenda,quæ ſe pietate noſtræ incorruptæ religionis,quæ ſacrorum Canonum obedientia, quæ ſanctorũ Patrum & Theologorum conſenſu tuetur. Huiuſmodi eſt hæc,quam ipſi tenemus: ea igitur ſola eſt omnibus retinenda. Itaque Maior in 4. d.24.q.17. col.3. his verbis de ſe teſtatus eſt. His rationibus,& auctoritatibus mo- « tus priorem viam tanquam falſam,& ani- « marum deceptoriam relinquo. Petrus au- « tem Sotus in Tract.de vita Sacerdotum penè in principio.

Primò, inquit,omnium conſtat ex de- 11. curſu totius Eccleſiæ, ab Apoſtolis & ipſo « iure diuino bona omnia Eccleſiarũ, cùm « Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe. « Neque vlla ratione aut poteſtate huma- « na fieri poſſe,vt licitè in alios vſus, quàm Eccleſiaſticorum & pauperum expendi poſſint. Hoc confirmant omnia quæ ſuperiùs diximus: & contrarium credimus errorem eſſe grauiſſimum, ſaltem contra bonos mores,& iuſtitiam: & quidni etiam contra ſcripturam? Doctor Nauarrus in Apologia de redd. Eccleſ. q.1.mon.24.in calce, non veritus eſt his verbis ſcribere. Et ita opinio communis videtur eſſe iam facta de fide, neceſſariò credenda.

Ego non tanta ſeueritate auſim in Soti opinionem animaduertere: illud tamen affirmare minimè veritus fuerim,eam mihi plenã periculi videri: de qua ſi in Concilio quopiã generali diſceptaretur, tanquam falſa,& Catholicis auribus,ac mentibus indigna, prorſus exploderetur. Porrò autem eiuſdem Soti argumentationes, quæ in noſtra diſputatione Italica propo-

ſitæ

Digitized by Google

ſitæ ſunt omnes, & multifariam eiectæ, adeo leues, adeo Theologo ac Theologia indignæ viſæ ſunt, vt hic me pigeat iterum eas cõmemorare: multóque magis ſit hominis dignitati conſultum, ſi taceantur, quàm ſi exponantur. Præterquã quòd quæſtionem hanc longiùs proceſſiſſe video, quàm exiſtimaram.

QVÆSTIO LXXI.

1. Non ſemel allata eſt mihi hæc dubitatio ad proximè ſuperiorem quæſtionem valde affecta: An Eccleſiaſticorum bonorum poſſeſſores, & qui beneficiis Eccleſiaſticis potiuntur, ſi vitam vitioſam ac turpem viuant, ſi opes Eccleſiæ hiſtrionibus, aſſentatoribus, aleatoribus, impudicis perſonis largiantur, iuſtitiæ legibus, reſtituere ſiue Eccleſiis ſiue pauperibus cogantur. De quo non video Doctorum omnium vnam eſſe ſententiam.

Diſceptatur quæſtio à D.Thom.in 2.2.q.185.art.7. & quodlib.6.art.12. à Caietano in art.7. illius quæſt.185. ab Hadriano in 4.ſent. in qq. de reſtit.q.14.col.9. à Maiore in 4.ſent.d.24.q.17. in quibuſdã codicibus eſt 7. à Gabr.in 4.ſent.d.15.q.8. dub.4. à Soto in 10.lib.de iuſtit.& iur.q.5.art.6. à Petro Palud.d.24.q.3.quem citat & ſequitur D.Ant.in 3.par.tit.15.c.1,§.19. à Sylu. in verbo, Clericus ſect. 4.qu.19. 20.21.22. ab Angelo in verbo, Clericus ſect.3. num.4. à Nauarro in Apolog. de redd.Eccleſ.

2. Huius quæſtionis explicatio duabus propoſitionibus continetur. Prima propoſitio. Si beneficij Eccleſiaſtici curator, ſeu poſſeſſor, officia ſua non deſerit, & ea dumtaxat profundit bona, quæ ei tanquam legitimum ſtipendium decreta ſunt, peccat quidem; reſtitutionis tamen lege haudquaquam tenetur.

Secunda propoſitio. Si luxurioſè & flagitioſè viuendo, aut Eccleſiæ aut egentibus detrahit, mortiferam culpam, & reſtituendi neceſſariam contrahit obligationem: id quod & ſanctorum Patrum, & Theologorum certis ſententiis, & firmis rationibus in ſuperiore quæſt. concluſum eſt. certiórque eſt hæc ſecunda propoſitio quàm prima. Quare Maior in 4. d.24.q.17. penè in extremo, hæc verba reliquit: Adde quòd Theologorũ mortuorum neminem inueni qui diceret, categoricè, Prælatos Eccleſiæ non eſſe obligatos reſtituere prodigè expenſa: nimirum, quia vix vſu euenire poteſt, vt qui impenſas prodigas facit ex Eccleſiæ opibus, non ad ſe rapiat partem, aut pauperum, aut Eccleſiæ. Quòd ſi Eccleſia beneficij vectigalibus non egeret, pars Eccleſiæ migrat ad pauperes: neque ius vllum, aut conſuetudo efficere poteſt, loquor de iure humano, vt ſua portione inopes defraudari poſſint. Vide Syluestrum in verbo, Clericus ſect.4.q.19. & Angelum, verbo eod. ſect.3.num.1. Etenim cùm ſuum patrimonium Chriſtus ita cum egẽtibus viduis, pupillis, puellis, cæteriſque calamitoſis, qui vrgentur inopia, partiatur; vt nemini liceat horum partem interuertere; profectò, qui illos ipſos ex eo patrimonio tanquam è naufragio nudos expellũt, inexpiabilem fraudem ac ſcelus concipiunt.

3. Libet hîc pauca ex 3.lib. officiorum M.Tullij adſcribere, vt horum prædonũ Eccleſiaſticorum, & latronum, quàm immane ſit flagitium, cuncti agnoſcant. Ergo ad hunc modum Cicero. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit conuictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, vt propter ſuum quiſque emolumentum, ſpoliet aut violet alterum, dirumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundùm naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi vnumquodque membrum ſenſum hũc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membrum valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari

&

» & interire totum corpus neceſſe eſſet;ſic,
» ſi vnuſquiſque noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum,detrahátque quod cuique proſit,emolumenti ſui gratia,ſocietas hominum,& communitas euertatur neceſſe eſt. Nam ſibi vt quiſque malit,quod ad vſum vitæ pertineat,quàm alteri acquirere,conceſſum eſt non repugnante natura: illud quidem natura non patitur,vt aliorum ſpoliis noſtras facultates,copias,opes augeamus. Et non multo pòſt.Ex quo efficitur,hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe. & poſt aliquot verſus interiectos.

4. Ergo vnum debet eſſe omnibus propoſitum,vt eadem ſit vtilitas vniuſcuiuſque & vniuerſorum : quam ſi ad ſe quiſque rapiat,diſſoluetur omnis humana cōſociatio. Atqui iſti pupillorū,atque egentium expilatores, ac direptores ſacrilegi communes vtilitates ſuis exhauriunt:alienam inopiam,vt loquitur D.Hieron.in 3. cap.Iſaiæ,ſuas,ſuorúmque volunt eſſe diuitias:pauperum ærumnis & ſpoliis paraſitos,hiſtriones,meretrices,ganeones,nepotes alunt,atque ſuſtentant: in quo non ſtipendia Eccleſiaſtica,ſed Chriſti O. M. qui Eccleſiaſticarum opum ſolus Dominus eſt,iram merentur æquiſſimam:quorum cùm turpis vtilitatis ſuæ ſpecies pepulit animum, omnem pietatem atque humanitatem amittunt.

QVÆSTIO LXXII.

1. Multi,qui ſunt contaminati ſcelere, & quos ab ſacerdotiis Eccleſiaſticis ſacræ repellunt ſanctiones,innocentis vitæ falſa opinione, & ſpecie quadam aſſimulatæ virtutis ad ea aſſiliūt. Dubitatum eſt,An eiuſmodi ſacerdotia ſic adepta,tuta cōſcientia retinere poſſint. Paucis propoſitionibus explebo, quæ ad enodandā quæſtionem neceſſaria mihi videntur.

Prima propoſitio. Morum honeſtatē, & probitatem vitæ requiri in iis, qui ad beneficia promouentur Eccleſiaſtica, nemini dubium eſſe poteſt;qui & generaliū & particularium Conciliorum decreta,& Romanorum Pōtificum ſanctiones perlegerit:qua de re diſſeruimus ipſi in libris de officiis parochorum valde copiosè : & de eadem diſputant Canonum interpretes in Decretalem,cum in cunctis,de electione:& in Decretalem,graue nimis, de præben.& in Decr.extremā de clerico excommunicato:& in Decretalem.licet Canon de elect.lib.6. Sed præcipuum diſputationis fundamentum eſt illa, graue nimis, Innocentij III. in Concilio generali Lateranenſi approbata.In cuius Decretalis interpretatione hæc ab illius explanatoribus obſeruantur. Primùm, eam in beneficiis quoque ſimplicibus,ac præbēdis locū habere:id aiunt Oſtienſis, Ioannes Andr.& Ant.Butrius. Secundum eſt, morum honeſtatem inter qualitates promouendorum eſſe potiſſimam : eáque re neminem mortifera culpa inquinatum ad beneficium Eccleſiaſticum promouendum eſſe:ita Innoc. Oſt.Butr.Panor.

Denique communis ſchola Canoniſtarum, docet crimino ſum minimè eligi poſſe. Quocirca Butr.in poſtremum cap. de clerico excommunicato, num.16. electionem eius qui mortifera noxia tenetur,ſcribit eſſe nullam. Innocentius quoque in idem cap.electionē eius qui ſcienter indignum eligit, nullam eſſe pugnat. Idque probat ex cap.conſiderat.de elect. Panormit. In caput graue nimis, triplex diſtinguit genus indignitatis. Primum quod infringit vires electionis:& quod nō ſolùm impedit promouendum,ſed etiam deiicit promotum : ad quam indignitatem referuntur illa tria, quæ extant in Decretali. Cùm in cunctis,de elect.& in Decretali,licet Canon.eod.tit.lib.6.Inſcitia, inquam, improbitas, ætas non legitima. Secundam electionem non irritam facit ac vitioſam, ſed irritandam ſuadet. Tertium quod promotionem,electionē, & collationem tolerat:de quibus poſtremis generibus nihil enucleatè præcipit. Immola in eandem Decretalem, graue nimis,

nimis, affirmat, ſi Prælatus indignum promouet, & promotus non ſit ſoluendo, ipſum Prælatũ ſatisfacere debere Eccleſiæ. Tertium quod in illã ipſam Decretalem obſeruarunt Oſt. Ioan. And. & Butr. illud eſt: quum homines idonei non reperiuntur, minus idoneis conferri poſſe beneficia; dummodò peccatum mortiferum caueatur:

» Melius eſt, inquit Oſt. qualeſcun-
» que admittere, dummodò peccatũ mor-
» tale caueas, quàm locum vacuum tenere.
» ff. de decurionibus. l. generaliter. §. ſpu-
» rius. neceſſe enim eſt, inquit idem, domũ
» conſtruere lapidibus, qui occurrunt.

3. Quarta obſeruatio Oſtienſis, Ioannis
» Andr. Butrij. Quando in vna aliqua pro-
» uincia vnus tantùm dignus inueniretur,
» in eum cuncta prouinciæ ſacerdotia con-
» ferri deberent: neque enim indignũ con-
» uenit vnquam aut beneficio, aut dignita-
» te ornare Eccleſiaſtica. id enim vitio ca-
» rere non poteſt: peccare autem numquã
» licet. Quinta animaduerſio, ex Decretali,
» graue nimis. In dandis beneficiis, ſacer-
» dotiiſve Eccleſiæ, non debet quis ſequi,
» vt verbis vtamur canonis, affectum car-
» nalitatis, ſed iudicium rationis. Iudicium rationis inquit Oſtienſis non ſanguini tribuit beneficia, & dignitates, ſed vitæ meritis: & iudicium rationis eſt in conferendis beneficiis, vt digniores & antiquiores, & qui magis ſeruierunt, & qui volunt & ſciunt ſeruire Eccleſiis, eligantur.

Hic carnalitatis affectus, hoc eſt, haud iuſtus in propinquos amor, Argentinæ Eccleſiæ Canonicis mentem eripuit; qui cùm de eligendo Canonico rationes agitarent, vt teſtatur Oſtienſis, vnuſquiſque ſuum optabat propinquum, nobilem illum fortaſſe, ſed eundem, à quo violata Argentina Eccleſia eſt. Itaque ad horum Canonicorum irridendum delectum; Romanus quidam Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, canonicum dixit ſuum Aſellum, ideo, quòd ille Eccleſiæ nunquam nocuiſſet, ſed ferendis oneribus, multiſque pro ea ſuſcipiendis laboribus vſque profuiſſet. Sed linquamus ridicula, & ad propoſitionem ſecundam veniamus.

Sit itaque ſecunda propoſitio caritas, 4.
quæ pellit ex animo mortiferam labem, non eſt neceſſarium fundamẽtum ſacerdotiorum, dignitatum, poteſtatúmque, ſiue Eccleſiaſticarum, ſiue ciuilium, vt eo ſublato fundamento hæc conſiſtere minimè poſſint. Error hic fuit Valdenſium, qui pauperes de Lugduno nũcupati ſunt: eundem errorem arripuit Ioannes Wiclephus, qui à Patribus Concilij Conſtantienſis condemnatus eſt. Idem hæſit error in Armacano homine Catholico, & docto, l. 10. c. 4. contra errores Armenorum. Hi enim crediderunt omnis poteſtatis omniſque dominij fundamentum eſſe caritatem, quæ nullũ poteſt cum flagitio habere commercium. D. Bernardus hom. 66. in Cant. huius amentiæ auctores facit quoſdam, qui ſe Apoſtolorum ſucceſſores appellabant.

Hæc inſana opinio cunctum rerum humanarum ſtatũ perturbat atque euertit: nullum certum Regem, nullum Imperatorem, nullum Pontificem Romanum, nullum alium Prælatũ teneremus: nemo ſciret ſe verum eſſe rerum ſuarum dominum. Vnuſquiſque ſæpe id quod obtinet, amitteret: ſine domino & rectore res externæ, agri, domus, familiæ, ciuitates, regna, imperia relinquerẽtur. Apud nationes, quibus Euangelij lux non fulſit, veri Reges non fuiſſent, quibus tamen obtemperandum eſſe ſcribit Apoſt. in ep. ad Rom. c. 13. & D. Petr. in priore Catholica ſua epiſtola, cap. 2. Ergo, ſine caritate ſi quis ſacerdotiũ capit, quamuis peccet, nõ ideo ſacerdotij adeptio redditur nulla.

Tertia propoſitio. Cauenda etiam eſt 5.
eorum opinio qui criminoſi electionem valere defendunt: à qua opinione non videtur abhorrere Gloſſa in nonnullis locis, quos citat Archidiaconus, in c. in ſcripturis 8. q. 1. Refellunt hanc ſententiam Innoc. Oſt. Butrius, Panorm. in iis quos in prima propoſitione, locis indicauimus: Refellunt item certi Canones, & rationes minimè contemnendæ.

V Prima

Prima. Multis partibus à virtute præponderatur ſcientia,ſed ignarus eligi non poteſt: ergo multò minùs ſceleſtus. Secunda.Quis,vel quia non eſt ex legitimo connubio procreatus, vel quia vitio aliquo laborat corporis,ſacerdotia ac dignitates capere non poteſt: ergo multò minùs qui animum gerit vitioſum,ac perditum.Tertia.Videmus ab ſacris ſanctionibus,& patrum decretis, ab Eccleſiaſticis honoribus, & ſacerdotiis magis hominẽ arceri profligatum, quàm alios, qui nonnullis aliis rebus minimè commendantur: quibus tamen ipſis eſt ad beneficia Eccleſiaſtica aditus obſtructus: ergo ſceleratis illum patefieri nulla ratione ſinũt. Atque ob id ipſum Concil. Trident. in examinatione eorum qui Eccleſiaſticis beneficiis præficiendi ſunt, innocentiam vitæ cum primis requirit:nec vim habere vult collationem,ſi à formula quam præſcribit,diſcedatur. Vide ſeſſ.24..cap.18.de reformat.& ſeſſ.22. cap.4. Perſonatuum, dignitatum, & beneficiorum, quæ in cathedralibus & collegiatis reperiuntur Eccleſiis,irritam prouiſionem eſſe decernit, niſi dentur iis qui (verba ſunt Concilij) ætatem & alias habilitates integrè habere dignoſcantur. At in habilitatibus principatum tenere bonitatem vitæ,& morum caſtimoniam, explorati iuris eſt.

6. Quarta propoſitio. Duplex eſt crimẽ, vnum publicum,alterum occultum:illud intercludit iter ad ſacerdotia Eccleſiaſtica,hoc minimè:quam diſtinctionem inuentam ab Oſtienſi, & Archidiacono, in can. in ſcriptis ſiuè ſcripturis 8. q.1. nos item retinemus: publicum dicunt, quod in iudicio conuinci poteſt:occultũ, quod non poteſt. Illud ergo irritat beneficij adeptionem : hoc non irritat. Quamquam ego crimẽ hæreſis exciperem,quod licèt ſit occultiſſimum,iure tamen diuino crederem ad firmitatem veritatémque electionis tollendam, cauſſam habere idoneam.

Quinta propoſitio. Qui viri præ ſe boni ſpeciem ferunt, cùm animo ſint improbo,mentéque corrupta,& ſimulatione virtutis ſacerdotia conſequuntur,manere in illis poſſunt,nec coguntur dimittere ; quaſi nullum ſit fictis poſſeſſoribus ius acquiſitum : nam ſi aliter diceremus, mira in rerum Eccleſiaſticarum poſſeſſione atque adminiſtratione confuſio eſſet ; in eáque incideremus incommoda, ad quæ pernicioſa Valdenſium opinio rapit. Scio ad ſententiam contrariam abiiſſe Altiſiodorum in 4. lib. ſuæ Theologicæ ſummæ,in qq.de reſtit.q.7.Alex.Alen. in 4.par.q.24.memb.5.art.3.& Adrianum in qq.de reſtit. qui omnes volunt, eum qui inani & falſa oſtentatione virtutis adeptus eſt beneficium,illud debere dimittere. Primùm,quia dolo & fraude eſt illud cõſecutus;nemini autem debet ſua fraus aut dolus prodeſſe : Deinde, quia contra voluntatem Eccleſiæ aſſecutus eſt ; quæ decipitur, & huic hominum generi beneficium numquam largiretur.

7. Verùm hæc manu etiam minùs robuſta depelluntur. Namque hypocritæ dolus non patrocinatur,nec adfert emolumentum:eum enim niſi ſimulationis pœniteat,ſuppliciis addicit ſempiternis;quo nullum excogitari poteſt poſt culpã grauius damnum.Deinde dolus,qui non adiuuat doloſum,ille eſt,qui decipienti tantùm eſt vtilis; quòd ſi vtilis etiam fuerit decepto,ex accidenti poterit patrocinari fallenti:quia eius etiam,qui fallitur, vtilitatem habet adiunctam.Etenim ſi hypocritarum qui latent in Eccleſia, cùm eliguntur, nulla eſſet electio, quàm plurima beneficia veris poſſeſſoribus & adminiſtratoribus carerent , reſtituendi iura difficillima, quibus numquam obtemperaretur,exorirentur; innumerabiles parochi,parochi non eſſent:ita iis præſentibus inita coniugia,coniugia vera nòn eſſent, abſolutiones peccatorum irritæ eſſent: infinitorum ſacræ cõfeſſiones iterari deberent:contractuum & tabularum publicarum nulla fides, nullum ius eſſet. Quæ incommoda, quia intolerabilia ſunt, vt vitet Eccleſia occulti hypocritæ fallaciam tolerat:

tolerat: in quo vides tum Dei tum Eccleſiæ voluntatem ineſſe, ad cauenda maiora mala, quod minus eſt, tolerantium.

8. Ad hæc iactari ſolet id à Doctoribus: inter Eccleſiam & eum qui beneficium habet, matrimonium quoddam contrahi ſpirituale; quod dolo non vitiatur, ſicut nec vitiatur carnale, quemadmodum eſt in Gloſſa 21.q.3.cap.extremo. Necnon illud poſſet veriſimiliter addi; eum, qui per hypocriſim contendit ad aliquod beneficium, non ſtatim effici, ad illud dolo cõtendere: nam dolus, vt definit Labeo.ff. " de dolo l.1. Dolus malus, eſt omnis calli- " ditas, fallacia, machinatio, ad circumue- " niendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita: calliditas conſiſtit in reticendo, quod eſſet detegendum: fallacia, in mendacibus verbis: machinatio, in artificio verborum: quæ tria omittere poteſt is qui ſimulacrum gerit virtutis: ſi quidem mendacio verborum vacare poteſt, & ſuã retegere improbitatem non cogitur.

Totius igitur rei hæc breuis complexio eſt. Publici crimínoſi electionem nullam eſſe; occulti, valere: hypocritæ, à Deo & ab Eccleſia, ob ea quæ diximus, tolerari.

QVÆSTIO LXXIII.

1. POſsítne quis, ſalua bona fide, plura obtinere beneficia Eccleſiaſtica etiã Romano Pontifice, ſeu permittente ſeu concedente, quæſierunt & exquiſierũt quàm multi; & à nobis in lib. de Parochorum officiis eſt hic locus tractatus vberrimè.

Fuit autem omnis diſputatio in tres partes diuiſa; in prima oſtenſum eſt ex cõmuni Theologorum ſententia beneficiorum pluralitatem eſſe iure naturali, diuino & humano interdictã, iure inquã Conciliorum & canonum: in ſecunda diſputatum eſt: num & quando in ea pluralitate queat Pontifex Max. diſpenſare. In tertia cauſſæ ſunt expoſitæ cur quis plurã poſſit ſacerdotia poſſidere: à fol.27. ad 34. in prima ſcriptione. Tractatur quæſtio à D.Thom. in quodlib.9.art.15. ab Henrico Gandau. quodl.2. q. 17. & q.18. à Ioanne Maiore in 4.d.24.q.12.& q.13. ab Adriano in 4. in qq. de reſtitutione. in quæſtione, quia in præmiſſis de dub. à fol.86. ad 90. in meo libro. à Dion. Carthuſiano in Tract. cont. pluralit. beneficiorum: à Soto in 3.lib. de iuſtit. & iur. q.5.art.3. à S. Ant. in 3.par.tit.15.c.1.à §.6.ad §.12. à Syluestro in verbo, Beneficium, 4. ab Angelo in verbo, Beneficium, à num.34. ad 38. à Caietano in verbo, Beneficia Eccleſiaſtica. à Nauarro, cap.22. de orat. & horis Canonicis, à num.58. ad 75. à ſummarum ſcriptoribus in verbo, Beneficiũ. ab Archidiacono 21.q.1. in verbo, Clericus, num.6. à Gabriele in 4.d.15.q.8.art.3.dub.2. qui ex extrauaganti, execrabilis, decem collegit haud parua mala, quæ à multitudine ſunt beneficiorum: concluditque mortiferam ab eo contrahi culpam, qui ſine legitima diſpenſatione iuris vel iudicis plura habet beneficia.

Quam ſententiam ante Gabrielem antiquiores, & eo maiores Theologi, nobis commẽdarunt, à qua ipſi ne tranſuerſum quidem digitum diſcedentes, ſic propoſitæ quæſtioni ſemper reſpondimus, & nũc eadem qua ſoliti ſumus, diſtinctione reſpondemus. Multitudini beneficiorum aut cauſſæ adſunt, quæ eam excuſant, atque honeſtent, aut non adſunt: ſi non adſunt, iniqua eſt, & Deo perodioſa: ſi adſunt, minimè eſt reprehendenda. Cauſſæ verò ad plura vni beneficia concedenda ſunt duæ, neceſſitas Eccleſiarum, ſeu beneficiorum, & eorundem vtilitas. De quibus D.Bernar. ad Eugenium de conſider. lib.3.c.6.& in epiſt. ad Theobaldum Comitem, ex qua epiſt. ſententiam, & verba recitant Henricus Gand. in quodl.2.q.17. littera V. Alphabeto 1. Adrianus in ea quã indicauimus quæſt. fol.87.col.3. de iiſdem cauſſis. Innoc. III. in c. in cauſſis, de ſententia & re iudicata. Honorius III. in c. expoſuiſti, de præbend. Gabriel. in 4.d.15. q.8.art.3. dub.2. notab.3. vbi præcipit his 2.

» verbis:Ad diſpenſationem iudicis requi- » ritur auctoritas diſpenſantis,& cauſſa di- » ſpenſationis:quæ eſt duplex,ſcilicet iuſta » neceſſitas,& pia vtilitas:neceſſitas eſt pau » citas idonearum perſonarum: pia vtilitas » commune commodum Eccleſiæ, non » commodum priuatum perſonę plura beneficia appetentis. Præter has duas cauſſas nonnullæ ſunt aliæ ad faciliùs diſpenſandum impellẽtes, vt perſonæ conditio, nobilitas,fama,litterarum ſcientia,virtus, vt inquit Innoc. III. in cap.innotuit. §. multa enim de electione, & in cap. de multa prouidentia,de præb.§.extremo.

3. Ad hæc cauſſæ quinque ſunt,quæ approbante iure plura largiuntur beneficia, quas perſequitur Gloſſ.21.q.1.in princ. D. Ant.in 3.p.tit.14.c.1.§.6. Piſanella, quẽ citat D.Ant.Sylu.in verbo,Beneficiũ,ſect.4. num.3.Roſella in verbo,Beneficium,ſect. 1.num.8.Tabiena eod.tit.num.31.Armill. eod.nu.47.Sotus in 3.l.de iuſtit.& iur.q. 5.art.3. Adrianus in 4.in diſput.de reſtit. quæſt.quia in præmiſſis.§.in hac quæſtione. Gabriel in 4.d.15.q.8.art.3.dub.2.not. 3.littera O. In quibus cauſſis agnoſcit diſpenſationem iuris,non iudicis.

Primus eſt caſus,ſeu prima cauſſa.Cùm beneficium eſt tenue, nec ſumptus ſuppeditat ſuo poſſeſſori neceſſarios: tunc enim poteſt cũ eiuſmodi beneficio aliud coniungi. Vide Concil. Trident. ſeſſ.24. ca.17. in hoc primò caſu admonet Sotus, Eccleſiarum ſeu beneficiorum vnionem, vt ſit legitima,bona fide fieri oportere,atque vt ſit ipſis Eccleſiis,& beneficiis emolumento. Secundus caſus, cùm vna Eccleſia pendet ex alia,vel quia altera alteri ſubiicitur;vel quia eſt in alterius fũdo altera inſtituta. Tertius, Sacerdotũ penuria. Quartus,quando quis vnius Eccleſiæ obtinet titulum,altera eſt ei commendata.

Verùm cùm quæpiam Eccleſia alterius fidei commendatur, quinque obſeruanda ſunt. Primum,vt Sacerdoti commendetur. Secundum, vt habenti annos 25. quos ſaltem attigerit. Tertium, vt vna tãtùm ſit Eccleſia parochialis. Quartum, vt Eccleſiæ vtilitati cõſulatur. Quintum, vt ſpatium commendationis non ſit ſex menſibus diuturnius.

Quintus caſus, cùm Eccleſia annexa eſt dignitati,vel præbendæ:quo tempore qui maiori Eccleſiæ per ſe præſtat obſequia, parochiali per idoneum vicarium inſeruire debet:cui vicario,qui perpetuus ſit,idoneam fructuum portionem ex eadem Eccleſia percipiendorum aſſignare debet. Singulorum caſuum iura fideliter à nobis in lib.de officiis parochorum recitata ſunt.

Hanc pluralitatem Canonum aucto- 4. ritate conceſſam D. Anton. in 3.p.tit.14. c.1. §.6. & Sylu. in verbo, Beneficium, 4. num.3. aiunt locum habere in beneficiis, quibus non ſit adiuncta cura animarum: & beneficiis,ſeu præbendis,quæ non ſint in eadem Eccleſia conſtitutæ: huiuſque interpretationis,ſeu moderationis auctorem Archidiaconum proferunt. Omnibus his cauſſis iuſtæ diſpenſationis in numero ſacerdotiorum ſecluſis,eorum quælibet multitudo ad certum animorum ducit interitum: quippe, quæ naturæ, Dei, & Eccleſiæ iura perrumpit, leges naturæ peruertit.

Primum quia contra ius naturę eſt,voluntarium ſubire diſcrimen culpæ; quæ Dei nobis gratiam eripit: ſed hoc diſcrimen ſponte ij eligunt qui ſuas perſonas diuerſis Eccleſiis oppigneratas volunt. Nam, cùm Eccleſiarum, quibus adſcribuntur, iurent ſe leges & conſuetudines ſeruaturos, & contingat nonnunquam duarum Eccleſiarum ſtatuta & mores eſſe contrarios, perſpicuum eſt hunc in laqueos ſeſe inducere violandi iuriſiurãdi.

Præterquam quòd fieri poteſt, vt eodem tẽpore in vtraque Eccleſia res quæpiam magni momenti deliberetur, cui deliberationi eum oporteat intereſſe. Poteſt item accidere; vt vna Eccleſia litem alteri intendat:& vtri patrocinari debeat, ignoret is qui vtriuſque ſcribi ſe cupiuit tutorem & procuratorem:id enim profitetur, cùm duarum Eccleſiarum vel Sacerdotio

cerdotiorum vult eſſe poſſeſſor. Ita argumentatus eſt D.Thom. quodlib.9. art.15.

5. Secundum argumentum. Beneficium propter obſequium & officium datur, ex poſtremo, c.de reſeru.lib.6. At ſimul quis duabus Eccleſiis inſeruire non poteſt.

Tertium argumentum. Henrici Gand. in quodl.2. q.17. litt.T. Iniquitas, inquit ipſe, eſt contra iuris naturalis æquitatem pro minori ſeruitio dare maius, & pro maiore minus beneficium: cùm ex ſententia Philoſophi in 5. ethic. c.3. in iuſtitia diſtributiua porportio ſeruari debeat geometrica; quæ in eo ſpectatur; vt, qui duo meretur, duo conſequatur: & qui tria, tria capiat; quæ iuſtitiæ ratio eorum vitio, qui multa occupãt ſacerdotia, contabeſcit: namque ab iis ferè occupantur; quos aut deſidia, otiúmque languefacit; aut aucupium, venatióque delectat.

Quartum argumentum. Contra ius naturæ agit, qui cultum minuit diuinum: qui diuinorum Miniſtrorum numerum augeri non ſinit, ſed potiùs perimit: hoc is committit, qui impertitur vni ad ſua commoda, non ad Eccleſiæ vtilitates nato; quæ eſſent cum multis partienda.

Confirmatur hæc ratio à multis Theologis; & in ſua extrauaganti, quæ incipit execrabilis, à Ioanne XXII. contra numerũ beneficiorum ab vno poſſeſſorum.

Quintum. Contra ius naturæ eſt ſolitudo templorum, ſacrorum ædificiorum ruinæ, bonorum Eccleſiaſticorum, viduarum, pupillorum, virginum, quarum pudicitiæ ſtruuntur inſidiæ, aliorúmque calamitoſorum deſerta procuratio: omnia hæc fere incommoda Sacerdotiorum multitudinem comitantur.

6. Denique cum natura pugnat, & res eſt planè monſtroſa. ſic enim ratiocinatur Maior in 4. diſt. 24. q.12. con.2. argum.2. Vt in corpore humano vnum aliquod membrum cæteris membris, quod neceſſarium eſt nutrimentum ſubducat; quo ipſum præter modum augeſcat, & pingueſcat, reliqua extenuentur & intabeſcant: omniſque partium corporis ratio & condecentia pereat. Sic, inquit Maior eſt in corpore myſtico præter rationem omnem; quòd vnus beneficiorum multitudine ſit ſtipatus, alio idoneo patiente famem, nedum neceſſaria habente, ſed vix paucula pro libris comparandis, qui tamen eiuſmodi inſtrumentis pro artis ſuæ exercitio eget. Iuri diuino eadem pluralitas repugnat. Nam in priore ad Corinth.cap.9. ſcribit Apoſtolus. *Qui deſeruiunt altario, cum altario participant.* Eodem ratio accedit Chryſoſtomi, qua vtitur D.Thom. in illo quodl. & alij citantes Chryſoſtomũ. Quod tenebræ erubuerũt, lumen erubeſcat: quod figuræ non fuit conceſſum, rei reor eſſe illicitum. Figuræ autem non fuit conceſſum, quod inter Leuitas, qui capiebat in Bethleem, caperet in Hieruſalem: quomodo cùm perfectiores eſſe debeamus, qui capit in Tyro modò, capit in Damaſco.

7. Euertit Conciliorum iura, & Romanorum Pontificum. conſule acta Concilij Chalced.c.10. quod habetur 21.q.1. clericum. & ſeptimæ Synodi, cap.15. quod habetur ead. q. & cauſſa can. 1. & decretum Concilij Lateranenſis ſub Pontifice Innoc. III. quæ eius eſt decretalis. De multa. de præbend. c.17. Conc. Trident. ſeſſ. 24. ſanctionem Vrbani in Concilio Placentino. ſanctorum Canonum, diſt. 70. ſanctionem Alexand. III. quia non tantum, de præbendis, ſanctionem eiuſdem, ad hæc, eod. tit. ſanctionẽ eiuſdem. Cùm non ignores eod. & eiuſdem ſanctionem, eam te, de ætate & qualit. præficiendorum, & c. quia nonnulli de clericis non reſidentibus, extrauagantem Ioannis 22. execrabilis de præbendis. c.1. diſt. 89. in quo ſic magnus Gregorius. Singula Eccleſiaſtici iuris officia ſingulis quibúſque perſonis ſingulatim committi iubemus: & poſt aliquanto. Sicut indecorum eſt, vt in corpore humano, alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirum noxium, ſimulque turpiſſimum, ſi ſingulatorum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa. Quapropter D. Bernardus:

Google

» nardus : qui non vnus, ſed plures eſt in
» beneficiis;non vnus ſed plures erit in ſup-
» pliciis. Quam ſententiam vſurparunt D. Thom. Henricus, Maior, Adrianus, Sot. aliique Theologi. Res, & ſcitu digna & auditu horribilis, eſt à Carthuſiano in tractatu de pluralitate beneficiorum, & à Landulpho de vita Chriſti in 1. part. c.68. & à Nauarro, c.22. de orat.& horis Canonicis, num.69. & ante hos omnes à clariſſimo Doctore Dominicanæ familiæ viro religioſo prodita : qui Dominicanus interfuit in eo cœtu, de quo mox dicam.

8. Quo igitur tempore Gulielmus Pariſienſis Epiſcopatum Lutetiæ Pariſiorū gerebat, habita ſunt in ea vrbe ſodalitatis Dominicanæ comitia; ad quæ iuſſu Epiſcopi cuncti magiſtri, qui & gloria clari, & auctoritate graues habebantur, vocati ſunt. In eo conſeſſu de plurium Sacerdotiorū poſſeſſione acriter diſputatum eſt: ac penè conſentientibus omnium ſuffragiis conſtitutum, duorum beneficiorum poſſeſſionem exitioſam eſſe tenenti; ſi alterius fructus, 15. libris, hoc eſt quadraginta nummis aureis æſtimarentur : quæ ſumma ea ætate magna habebatur. Duo huic decreto non ſunt aſſenſi; in quibus fuit Regius quidā Cancellarius eiuſdem Pariſinæ ciuitatis; qui numerum beneficiorum nō ſolùm propugnabat, ſed etiam obtinebat. Is in morbum incidit, cœpitque ægrotare periculosè. Gulielmus, cui ſalus Cancellarij ſui perneceſſarij cum primis cara eſſet, ægrotantem amicum inuiſit: cum vehementer hortatur vt de ſententia, in qua pugnax & lacertoſus viſus erat; &, quæ plurium erat, de plurium beneficiorum poſſeſſione decederet, vno contentus : communémque Doctorum ſententiam, ſuam pateretur eſſe ſententiam; æternúmque ſuæ ſalutis naufragium vitaret. Voces ac monita Epiſcopi contempſit Cancellarius; illúdque ſubiunxit, aduentaſſe tempus quod vtra ſententia victrix eſſet, declararet. Abiit à vita; ſed non à ſententia infelix Cancellarius.

Poſt obitum Epiſcopo ſeſe oſtendit; eique demonſtrat ob tria ſe ſcelera ſuppliciis addictum eſſe ſempiternis; è tribus vnum extitiſſe, quòd in plurium ſacerdotiorum poſſeſſione permanſiſſet.

Iam verò, cùm iura vel à natura, vel à Deo, vel ab Eccleſia cōſtituta in re magni ponderis violare flagitioſum ſit, nemo Catholicus doctor dubitare debet, quin magno is ſe obliget crimine, qui aut affectat, aut multitudinem venatur beneficiorum; quam ipſam, vt ſuprà diximus, leges naturæ, Dei, & Eccleſiæ execrantur. In qua multitudine cùm veræ ſubſunt cauſſæ, ſolus Papa diſpenſat, nō item Epiſcopus. Veræ autem cauſſæ dictæ ſunt, Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas : de qua diſpenſatione his verbis Bernardus, de conſideratione ad Eugenium, l.3. Non ſum » 9.
tam rudis, vt ignorem vos poſitos diſpen- »
ſatores, ſed in ædificationem non in de- »
ſtructionem. Denique quæritur, inter di- »
ſpēſatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt: vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt; vtilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè diſpenſatio eſt, ſed crudelis diſſipatio. Ius autem diſpenſandi non conuenire in hoc genere Epiſcopo, quamuis beneficia ſimplicia ſint, reſpondit ſacra Tridentini Concilij congregatio.

At qua ratione Papæ permittatur hæc diſpenſatio, cùm multitudini beneficiorum ius officiat naturæ, & Dei; in quo propriè Papa non diſpenſat, à nobis ampla oratione oſtenſum eſt in libris de Parochorum muneribus, atque officiis.

QVÆSTIO LXXIV.

1. Explicata iam quæſtio aliam connectit omnium difficillimā : quodnam beneficium Eccleſiaſticum vnius hominis vitæ ſuſtinendæ, & conditioni tuendę, ſit cenſendum idoneum. Etenim, cùm beneficiorum multitudo ſit tot vitiis inquinata,

quinata, vt in proximè ſuperiore quæſtione demonſtratum eſt; in hac operæ pretium eſt inueſtigare, quodnam ſit illud, quo, ſi quiſpiam potiatur, contra leges, mores & inſtituta patrum nihil faciat.

Diiudicatio Pariſini illius conuentus, de quo in ſuperiore quæſtione fuit, 15. librarum beneficium vni ſatis eſſe debere: 15. libras Nauarrus, in tractat. de orat. & horis Canonicis, c.22. num.69. interpretatur triginta quadragintáve aureos nummos. Interpretationem, quam ipſi huius ſummæ paulò pòſt adferemus, credimus veriorem.

Illius Pariſini decreti fidem labefactat Maior in 4. diſtinct. 24. quæſt.13. fermè in principio. Tria hęc enim adfert. Primum, tunc fieri potuiſſe, vt facultas Theologica paucos doctores haberet. Secundum, vni alendo non 15. libras, ſed viginti eo tempore aſſignatas eſſe; quæ eo fortaſſe tempore, vt retur Maior, centum francis pares erant. Francus moneta eſt Gallica; cui in Veneta quattuor liræ reſpondẽt: quattuor autẽ liris Venetis ſex drachmę, ſeu in pecunia Pontificia ſex Pauli: ergo centũ franci quadringentas liras Venetas efficiunt: hæ verò ſcutatos nummos ſeptem & quinquaginta, & præterea liram vnam. Tertium eſt, ſibi planè ignotum eſſe, quæ res potuerit ad eam ſententiam & decretum, cœtum illum doctorum deducere: viderique ſibi probabile rem totam, quæ narratur, eſſe commentitiam. In quo Maiorem puto falli omnino; cùm à tot grauibus auctoribus, vt in ſuperiore quæſtione docuimus, ſit ſcriptis tradita.

2. Mihi certè ea ſumma non improbatur, ſiue 15. ſiue 20. libris circumſcribatur. Nam ſi 15. libræ nummos continent aureos, ſiue è ſeptem liris Venetis conflatos, quadraginta duos, & ſex præterea liras, ac decem ſolidos: & ſi viginti diuiduntur in ſeptem & quinquaginta aureos, & vnam præterea liram; illis temporibus ſatisfacere poterant vnius hominis vitę tolerandę: vel quòd rerũ omnium pretia iacerent: vel quòd hominum victus ſiccior eſſet, ac tenuior. Propter deprauationem autem conſuetudinis, & recentium menſarum luxum, quod ab auctoribus haud leuibus ſcriptum eſt, videtur nobis incredibile.

Quamquam mihi videntur doctores illi in aſſignando ſumptu Eccleſiaſticis hominibus reſtrictiores fuiſſe. Quare Cõcilium Baſilienſe in ea ſeſſ. quæ die 24. Ianuarij habita eſt, anno poſt Chriſtum natum 1438. non ita reſtrictè pręfiniuit: largitur enim ei, qui in honoris gradu eſt collocatus, ducentos aureos nummos propter obſequia quæ Catholicæ præſtat Eccleſiæ. Concilij ſtatutum recitatur ab Adriano, in 4. in diſputatione de reſtitutione, q. quia in præmiſſis. col. 7. fol. 88. pagina priore in meo Codice. Sed nimirum Adrianus ſtipendium hoc ducentorum aureorum nimium eſſe cenſet homini ſimplici & idiotæ. Maior in 4. d. 24. q. 13. contra 1. concl. arbitratur, viro Theologo, aut qui cum Theologo comparari queat, non exitio eam futuram eſſe pecuniam, qua ſe duóſque famulos alere poſſit, & equum præterea, modeſtámque ſupellectilem, ac copiam quæ ei neceſſaria foret, librorum. Quòd ſi nõ plebeius, ſed homo nobilis eſſet, plus etiam ex Maioris ſententia habere poſſet: neque ei pernicies foret ducentorum aureorum pecunia.

In quæſtione autẽ decima octaua orſus ab Epiſcopis, iiſdem ipſis, quorum ſunt opes mediocres, tribuit in bonis Eccleſiaſticis, quo ſe ac duodecim quatuordecím ve famulos alere & ſuſtinere poſſint: tametſi rectiùs facturi eſſent, ſi minore vectigali & familia contenti eſſent. Maioris Eccleſiæ Canonico & parocho diuitiori, alimenta pro ſe, pro duobus famulis, &c. equo partitur: reliqua in vſus pios iubet inſumi. Inferiores, inquit, beneficiati, & ſolùm mediocriter litterati conſulant viros DEVM timentes & prudentes ſibi cognitos; quantum ſufficiat pro ſuo ſtatu: & ſtudeant omnes declinare ad extremũ illud vt parum expendant: quia reuera il- 3.

lic

„ lic non eſt extremum vitioſum, quan-
„ tumcunque tenuiter ſe nutriant: dum-
„ modo reliqua dentur in pios vſus. Hæc ille. Nempe idipſum dicere poterat de ſuo illo Canonico, & pingui parocho. Opinio Maioris, ſumptuúmque ratio ab eo ſubducta reuincitur iiſdem argumentis, quibus opinio Nauarri.

Hic ergo ſenex doctrina & religione præſtans propoſitam proſequitur quæſtionem à num. 69. ad 74. primo & extremo incluſis, c. 22. de orat. & horis Canonicis, & num. quidem 69. profitetur ſemper ab ſe reiectam fuiſſe quæſtionem, nec eam attingere auſum eſſe; vel, quòd qui in bonis ſunt Eccleſiæ, plura etiam quàm habent, ſibi deberi arbitrentur: Vel, quia ſumma à Patribus præſcripta, ea ſubſidia euertat, quibus beneficiorum Eccleſiaſticorũ poſſeſſores carere ſe poſſe diffidunt: num. verò 73. ſcribit ſe tum à beneficiariis tum à confeſſariis Sacerdotibus millies fuiſſe rogatum, vt ſuam ſententiam de beneficio, quod vni ſufficere videretur, aperiret; atque à ſe orãtes ſemper eſſe repudiatos: ad extremum importunis rogatorum precibus & penè conuiciis victum, manus dediſſe: atque ad eam, quæ ſtatim apparebit, ratiocinationem deductum eſſe; ſeque cuidam Cancellariæ regulæ, quam is cõmemorat, & multorum doctorum hominum ſenſui conuenienter congruentérque ratiocinatum eſſe.

4. Quid igitur ipſe inita, ſubductáque ratione meditatus ſit, videamus. Simplici igitur clerico ſatis putat illud eſſe beneficium, vnde illi, & vni miniſtro ſuppeditetur ad victum; & locatæ habitationis ſoluere mercedem poſſit. Nobilem verò, inferiore gradu, & Theologiæ magiſtrũ, necnon Iureconſultum doctoris laurea decoratum, in quo ſit litteratura mediocris, eo beneficio debere eſſe contentum; quo tum ſuam vitam & victum, tum duorum miniſtrorum, tum vnius coqui colere poſſit, & vni equo cibaria ſubminiſtrare; & habitationis, quę honeſtior ſit quàm ſimplicis clerici, vſum emere, ſiue conducti domicilij penſionem ſoluere.

Hominem maiore nobilitate præditũ; exempli cauſſa filium fratrémve Baronis, Vicecomitis, doctorem item, ſeu magiſtrum literarum gloria excellentem, his ſubſidiis munit; vt ſibi, vni coquo, quattuor miniſtris, vni equo prouidere queat; & commodioris etiã habitationis quàm ſuperiorum generum, vſum comparare. Filio vel fratri alicuius ducis, aut marchionis, aut media conditione comiti id beneficium attribuit; vnde ſibi, vni coquo, octo miniſtris & duobus equis neceſſarij ſumptus ſuppeditentur: & penſitanda pecunia pro locata domo, quę melior ſit quàm ſuperiorum ordinum.

Concluſionis autem ſuæ hæc ſumma fuit. Prouinciam autem (concludentis „
Nauarri ſunt verba) definiendi ſufficiens „
beneficiũ, quod filios, & fratres Regum, „
Principum & Ducum, Marchionum & „
Comitum maximi ordinis illis relinquo, „
quorum imagines, vt ille ait, lambunt he- „
deræ ſequaces: & qui res aulicas Chriſti „
Philoſophia rectas, meliùs quam ego no- „
uerint. „

Sumptuaria hæc ratio Nauarri multa 5.
& grauia habet incommoda, ſed tria pręcipua, quæ non ſolùm cœleſti normæ, verùm etiam terrenæ, ac politicæ formulæ ſunt valde contraria. Primum illud eſt, quòd lege, quam generalem eſſe oportet, definit ea quæ definiri non poſſunt; ſed humanarum rerum conſultatrici & conſultrici ſunt prudentiæ permittenda. *Eorum enim, quæ in conſultationem veniunt, nequit conſtitui lex*, quemadmodum ęſt apud Ariſt. in 3. politico, c. 12. quoniam de rebus ſingulis inſtituitur deliberatio & cõſultatio: lex verò de vniuerſis, vt in ſuis moralibus libris ſæpe dicit, & probat Ariſtoteles, & ſicut haud ſapientis eſſet medici, generali decreto eumdem victum, cibique & potionis menſuram præſcribere iis omnibus, in quorum corporibus, aut bilis, aut pituita, aut ſanguis, aut atra bilis redundat; nec eadem diæta cunctis aut

Digitized by Google

aut Italis, aut Gallis, aut Hiſpanis, aut Germanis imperanda eſſet; propterea quòd vnicuique ſui caloris initi, & ſuæ naturæ firmitas, vel imbecillitas cibum potúmque admetitur; ſic æqui æſtimatoris iuſta lance ſingulorum officia ac merita ponderantis, eſſe non poteſt, vt cùm inæqualia ſint hominum officia & merita, vs æquale præmium mercedémque decernat: præſertim cùm in Geometrica proportione, vt placet Ariſtot. in 5. ethic. c. 3. poſita ſit iuſtitiæ ratio bona publica huic illive diſpenſantis; vt qui maiora officia, & qui ampliora præ ſe fert merita, præmio item afficiatur ampliore: minore verò, qui minora.

6. Secundum vitium in ratiocinatione Nauarri ortũ à primo eſt: quod ad vnam ſummam refert ea quæ eiuſdem ordinis hominibus diſtribui oportet. At ſi duorum hominum, quorum eſt par nobilitas, multa alia eſſent imparia, vt fama, prudentia, ſcientia, rerum vſus, auctoritas, aſpectus grauis, humanitas, continentia, virtus, vis eloquendi & perſuadendi, quæ aut omnino in vno deſiderarentur, aut exilia eſſent; in altero excellerent; qui obſecro adeo deſiperet, vt vtrique paria danda eſſe pronunciaret? id quod facit Martinus Nauarrus.

Adde, quòd ſola nobilitas nequaquam ſtipendia meretur Eccleſiaſtica, niſi comitem virtutem habeat, & de aliis benemerendi facultatem: etſi fucoſa ea nobilitas cenſeri debet, & adulterina, quæ nõ habet cum vera virtute commercium: ſapienter enim illud ſcriptum eſt ab Ariſt. » in 5. politic. c. 1. Nobiles eos eſſe, qui » à maioribus, opibus & virtute prædiris, » orti ſunt. Quocirca nuſquam dixit reperiri centum nobiles, qui virtutem ſequantur. εὐγενεῖς γὰρ καὶ ἀγαθοὶ οὐδαμόθιν ἑκατόν. docétque in eod. cap. Ariſt. ſeditionum omnium cauſſam in inæqualitate conſiſtere.

Tertium verò in diſtributione peccatum fuit non leue; quod ea genera hominum prætermittit, in quorum manibus Chriſti patrimonium, & gazæ Eccleſiæ pars maxima verſatur, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Cardinales, Pontifices maximos, quibus ſuum cuique aſſignare vectigal maximæ erat ſapientiæ.

Sed nimirum circumſpectis rebus omnibus præſtat regulam ſequi Adriani in ea quæ ſuprà ſignificata eſt, quæſtione; 7.
quam regulam non lex vlla vniuerſa, ſed prudentia adfert: ad quam decretum ſuũ in hoc genere vir ſapiens diriget, vt perſpectis iis omnibus quæ in Chriſti patrimonio partiendo conſiderari oportet, vnicuique de bonis Eccleſiæ tantùm detur quantum eius meritis, obſequiis, laboribus, virtuti, prudentiæ, cæteriſque qualitatibus debetur. Probat hanc ipſam regulam Gabriel in 4 d. 15. q. 8. art. 2. conc. 4. & multis antè annis probauerat Henricus Gandauenſis in quodlib. 2. q. 19.

Et quoniam inſunt in hac ipſa quæſtione duæ complicatæ difficultates, vbi has euoluero, erit ad exitum adducta controuerſia. Prior difficultas: Mihi ſatis eſt ducentorum aureorum beneficium: poſſúmne accipere mille aureorum? Reſpondeo, ſi mihi ſumpſero tantùm ducentos, & reliquos in pauperes inſumo, poſſum. Poſterior: licétne Eccleſiæ facultatibus ciuiles titulos excitare, & noua nobilitatis genera proſeminare? In noſtris libris de officiis parochorum reſpondimus, non licere. Tum, quia facultates Eccleſiæ non nobilium ſed egentium ſunt patrimonium. Tum, quia id Chriſtus, in terris ſi degeret, negaret ſua voluntate fieri; & is nunc æuum agens in cœlo, idem omnino ſentit.

Denique, quia hominum Eccleſiaſticorum vera nobilitas non in opum vi, ſed in Chriſtiani animi demiſſione, ſobrietate, ac tenuitate menſarum, Chriſtíque imitatione conſiſtit.

QVÆSTIO LXXV.

Poſſúntne, qui beneficia obtinent Eccleſiaſtica, ex eorũ fructibus dotem 1.

conficere ſororibus, aut filiæ non legitimæ?

De hoc quærit Maior, in 4. d.24. q.19. multiſque, nec infirmis, rationibus confirmat fieri id poſſe, & interdum oportere; vt ne ſalus animæ, vel ſororum, vel filiarum pudicitia in diſcrimen adducatur: Quod enim licet fieri in alienis, multo magis in ſuis conſanguineis.

Illud tamen diffitendum non eſt, tempus incidere poſſe, cùm potiùs aliena ſit dotanda quàm ſua: verbi gratia, ſi periculum amittendæ pudicitiæ, æternæque ſalutis, impenderet alienæ, non ſuæ. Duo tamen in ea quæſtione. §. Summatim colligendo, vult Maior obſeruari in ſorore filiáve dotanda clerici è fructibus Eccleſiæ victitantis. Primum enim eſt, vt do-
» te ne ſorore filiámve locupletet: Quia, in-
» quit ille, hoc eſſet, Deo data, dicare Baal. Sanè huc ſpectat Canon Concilij Trid. ſeſſ.25.c.1.de reformatione. Necnon decretum ſeptimæ Synodi generalis, c. 12. donationem irritantis, quæ fit non egentibus perſonis, & habetur in decreto 12. q.2. c. Quiſquis: idémque prohibetur in Concilio Toletano 10.c.3. Vbi tam danti quàm recipienti imperatur reſtitutio. De quo decreto habes diſt.89. can. decenter. Quamquam re ipſa in eo Cano. id tantùm interdicitur Epiſcopo, ne munera Eccleſiaſtica ſuis committat propinquis. Alterum à Maiore animaduerſum eſt, vt, ſi clericus ſit nobilis in dotanda propinqua: quam non conſtat ſuſceptam eſſe ex legitimo matrimonio, non ducat rationem nobilitatis, ſed paupertatis, eiúſque ſtatus, in quo eſt, non ſecus quàm faceret cum alia externa inopi; ac ſtudeat potiùs homini medio quàm diuiti in matrimonio illam collocare: dos enim, quæ pietatis ergò tribuitur, eò ſpectat vt ab animæ interitu reuocetur mulier; cui dos dicitur: quod facilius eſt conſequi, ſi mulier huiuſmodi nubat non opulento; pax item diuturnior inter coniuges conciliabitur: nec viro cauſſa iuſta erit deſpiciendæ vxoris; quòd propinqua hominis clerici ſeu Sacerdotis: committeretúrque contra omnes Canones, inquit Maior, & æquitaté naturalem; ſi opima dote, contempta harum mulierum conditio compenſaretur.

Toti huic ſententiæ Maioris magnopere officere videtur Pij V. conſtitutio 2. edita 1566. Kalendis Februarij, Pontificatus ſui anno 6. & alia conſtitutio, qua priorem declarauit, anno inſequenti promulgata 5. Martij. Perſpicuis enim verbis vetat, ne perſonis non legitimis néve iis quæ legitimæ effectæ ſunt, cùm legitimæ non eſſent, bona dentur Eccleſiaſtica, neque iure teſtamenti, neque donationis, neque eleemoſynæ. Neque vult vlla circuitione ad perſonas non verè legitimas Eccleſiarum bona poſſe peruenire, irritátque teſtamenta, legata, donationes, quæ ante ſuam conſtitutionem nondum ſortitæ erant effectum: graues etiam irrogat iis pœnas, qui ſuam legem non ſeruant: hoc tamen largitur, vt de bonis Eccleſiæ locis publicis largitio fieri poſſit; in quibus hæc perſonarum genera ali poſſunt. De qua conſtitutione in 2. noſtro variarum diſputationum volumine quæſtione 230. quid iudicij habuerimus, ſeptem propoſitionibus patefecimus: quarum poſtrema fuit. Nulla humana lege »
alimenta denegari poſſe filiis, quicum- »
que ſint illi; cùm iis ſubuenire, naturæ, ac »
Dei lege cogatur vnuſquiſque. »

Nam quamuis lex ciuilis ſpuriis neget 3. alimenta; ea tamen lex authenticæ ex complexu, quæ habetur, C. de inceſtis & nefariis nuptiis, reuocata eſt, atque à lege Canonica correcta, præſertim à decretali, cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium; quæ decretalis eſt Clementis III. Quam decretalem Baldus, interpretans legem illam Codicis, locum habere vult in iis qui ſimpliciter ſpurij ſunt; non autem in iis qui nati ſunt ex inceſtis & nefariis nuptiis; contra Innocentium; quem citando deſerit.

Verumenim contra Baldum nõ ſolùm ſtat

ſtat Innocentius, verumetiam Oſtienſis in eandem decret. Cùm haberet:in cuius „ explanatione hæc ſunt verba. Secundùm „ benignitatem & æquitatem iuris Cano- „ nici ſemper alendi ſunt conſiderato iure „ naturali, à cuius vi Canonicum vigorem „ ſumit. Naturale nempe ius inter omnia iura primatum tenet, & tempore, & dignitate; vnde & benignius agit,& magis inſiſtit veritati quàm ſubtilitati. Vt ſentit idem Panormitanus in illud cap. Cùm haberet, num. 5. & 10. in num. autem 5. „ his verbis ſcribit: Et huic iuri Canonico „ ſtatur hodie etiam de iure ciuili; profertque auctorem Bartolum in Authentica ex complexu, C. de inceſt. & nef. nupt. vbi teſtatur, parentes poſſe legare filiis ſpuriis ratione alimentorum, eiſque dotem conſtituere; quæ in locum ſufficitur alimentorum.

Itaque Maioris ſententia,quæ cum iure diuino & naturæ mirificè conſentiat, propter Pij V. conſtitutionem, quæ benignitati & æquitati naturali aduerſari non poteſt, non videtur repudianda, ſalua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO LXXVI.

1. EStne conceſſum Eccleſiaſtici Sacerdotij poſſeſſori; vt in eum, à quo in ipſum ſunt multa profecta officia, de Sacerdotij,ſeu beneficij bonis conferre tantùm queat,quantùm officiorum & beneuolentiæ exigit remuneratio.

Præclara hęc quæſtio tractatur & enarratur à Nauarro in Apolog. de reddit. Eccleſiaſticis,q.1.monito 82. num.6. ſtatuítque id fieri poſſe. Primum, inquit, quia compenſare obſequia, munera & beneficia, non tam eſt cenſenda donatio, quàm rei debitæ perſolutio. Nam tametſi in præſtandis officiis non contrahatur obligatio, quæ ciuilis dicitur; nihilominus ea oritur, quæ Antidoralis appellatur, quæ ad grati animi virtutem, & ſignificationem impellit.Ea eſt enim vis beneficij,vt naturalem quamdā pariat obligationem in eo, cui tribuitur; vt eſt in lege, ſed etſi, §. Conſuluit. ff. de petitione hereditatis. citari etiam ad hanc ipſam rem ſolet, c. cùm in officiis, de teſtamentis, quod eſt Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. in quo c.hæc extat ſententia: Cùm in of- „ ficiis caritatis primo loco illis teneamur „ obnoxij,à quibus nos beneficium cogno- „ ſcimus recepiſſe. Verbum illud, tenea- „ mur, explorans Gloſſa, inquit: Donata- „ rius enim donatori naturaliter obligatus „ eſt ad Antidora; vſurpátque eamdem le- „ gem,quæ eſt à nobis allata. Gregorius verò magnus,lib.2. Epiſtolarum in Epiſt. 18. ad Theodorum Conſiliariū hæc ſcribit: Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes, Ec- „ cleſiaſtica dignū eſt remuneratione gau- „ dere: vt qui ſe voluntariis obſequiorum „ neceſſitatibus ſponte ſubiiciunt, dignè „ noſtris prouiſionibus conſolentur: Et ha- „ bentur 12.quæſt.2.Eccleſiaſticis:vbi Gloſſa. Et habes hic, quòd Eccleſia tenetur ad „ Antidora; neque lege hac voluit eſſe ſo- „ lutos viros Eccleſiaſticos, inquit Nauar- „ rus, qui teſtimonium etiam ſumit à D. Thoma, in 2. 2. q.107. art. 3. vbi ingrati animi culpam ſaltem venialem eſſe affirmat.

Concedit & illud Nauarrus, vt id, 2. quod retribuimus ei, qui tribuit nobis beneficium, poſſit eſſe aliquāto amplius, quàm quantùm accepimus ipſi; id enim pertinet ad virtutem grati animi: neque non præbet hoc documentum; vt in reddendo beneficio is,qui accepit, nō ſuum ſequatur arbitrium, ſed ſapientis viri decretum.verbi cauſſa,inquit Nauarrus. Si „ ab quopiam meo propinquo mihi ſunt „ præſtita officia, quæ iuſtè compenſari „ queant duodecim quindecímve aureis, „ non agam ex præſcripto iuſtitiæ, ſi trigin- „ ta dedero,aut etiam quadraginta. „

Mihi hæc doctrina Nauarri videtur paullo elimatiùs retractanda. Itaque vtcter hac diſtinctione.Aut quiſpiam de Eccleſia bene meritus eſt, aut de Eccleſiæ rectore; ſi de Eccleſia mercedē reponere

poterit bene merenti, ex ea parte bonorum, quæ à portione rectoris ſeiuncta eſt, ea adhibita cautione; ne ea compenſatio fraudi & damno ſit egentibus. Si verò non de Eccleſia, ſed de perſona rectoris alter bene meretur, ex ſua & propria parte ſi velit, eum remuneretur; aut eo bonorum genere ſi habet, quæ in ciuili eius ſunt patrimonio.

Quòd ſi detracta ea portione bonorũ, quæ pauperibus debetur, rectori beneficij nihil eſt reliqui, præter cultum corporis & victum, nihil eſt, quod quicquam impertiat beneficiis; nec debet obligatione, quæ eſt ad Antidora, eam extinguere, quam præcipit iuſtitia: id eſt, non poteſt, nec debet bonis quæ eroganda pauperibus ſunt, beneficia ab aliis in ſe collata remunerari; niſi fortè illi ipſi in egentium numero inueniẽtur. Si enim ſecus ageretur à rectore, non ſolùm contra honeſtatem, verùm etiam contra iuſtitiam peccaretur inſigniter.

3. Etenim cùm gratitudo, docente D. Thoma, in 2. 2. q. 107. art. 2. tres gradus habeat; quorũ primus in beneficio agnoſcendo: Secundus, in laudando eo qui beneficium dedit, eidémque gratiis agendis: Tertius, in referenda gratia párque reddendo conſiſtit: ad ingrati animi vitium vitandum primum & ſecundum eſt » ſatis: ad debitum gratitudinis reddendũ, inquit D. Thom. in eadem quæſtione, art. » 1. ad 2. ſufficit ſola voluntas, vt dictum eſt: id verò dixerat q. 106. art. 6. ad 1. Ecquod maius beneficium exiſtimari poteſt eo, quod nobis à parentibus datum eſt; à quibus accepimus vitam, educationem, cuſtodiam, alimenta, & alia quædam innumerabilia; vt rectè ab Ariſtot. ſcriptum » ſit in 8. ethic. c. poſtremo. Nihil vnquam » à filio perfici poſſe, quo paterna beneficia » poſſint exæquari? Quare, inquit, ſẽper fi» lius patri debet. Adſcribã hoc loco verba ipſa Græca: οὐδὲν γὰρ ποιήσας ἄξιον τῶν ὑπεργμένων δέδρακεν· ὥστε ἀεὶ ὀφείλει. Si igitur paterna promerita nullo officij genere, aut dimetiri, aut remunerare poſſumus: non licet bonis Eccleſiaſticis, quæ pauperum ſunt, cõpenſare; quantò minùs licebit cõpenſare ea, quæ ſunt infinitis partibus inferiora, minoríſque æſtimanda? præſertim cùm auctore Ariſtotele, non id expoſcat amicitia, vt pro ratione & dignitate reddatur, ſed pro facultate dũtaxat: τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν.

Eodẽ adiungitur: quòd, ex eodẽ Ariſtotele, virtutis & beneficij præmium honos eſt, non vtilitas, aut lucrũ; indigentiæ verò ſubuenire lucrũ eſt. τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς καὶ εὐεργεσίας ἡ τιμὴ γέρας· τῆς δ' ἐνδείας ἐπικουρία τὸ κέρδος. Illud etiam ſubtiliter in hoc genere videndum erat, pecuniæ & beneficiorum non parem eſſe debitionem, cùm beneficiorum creditoribus, pecunia, frumento, oleo, vino, aliíſque huiuſmodi rebus ſatisfacere, turpe illi ſit & contumelioſum. Adde quòd officium, ſeu beneficium remunerare poſſumus beneficio, officióve alio, pari, vel maiore, quod non ſit eiuſdem generis, verbi cauſſa caducũ, ſpirituali, vt precibus, ſacrificiis, piis cohortationibus. Poſtremò, quoniam ei, à quo beneficio ſumus affecti, non tam pecuniæ, aut aliarum externarum rerum largitione rependimus, quàm memori animo & grata voluntate perſoluimus. 4.

Quapropter Marcus Tullius in orat. pro Plancio inter pecuniæ & beneficij debitum, quantum interſit, his verbis euoluit. Diſſimilis eſt debitio pecuniæ, » & gratiæ: nam qui pecuniam diſſoluit, » ſtatim non habet, quod reddidit; qui au» tem debet, is retinet alienum; gratiam » autem, & qui refert, habet; & qui habet, » in eo ipſo, quod habet, refert: Iterátque » eandem ſententiam in 2. de officiis. Ex quibus D. Thomæ, Ariſtotelis & Ciceronis ſententiis, quiuis facilè retuderit quæ contra poſſunt adferri.

Prorſus nõ fuerim illud inficiatus poſſeſſorem beneficij, ex hominum vita iam demigraturum, tum pauperibus, tum iis qui in eum officioſi extiterunt, poſſe aliquid dilargiri: id enim facere impetratum eſt à conſuetudine: neque ea ab Alex. III.

impro

improbatur in Decretali, relatum. §. licet de Teſtamentis.

QVÆSTIO LXXVII.

1. DEmophilus, in Eccleſiaſtici beneficij certamine, quod ex Tridentini Concilij decreto inſtitui ſolet, alios habuit competitores, vita & ſcientia ſe digniores: præripuit nihilominus ipſe aliis beneficium.

Quæruntur duo, cùm præteriti ſint digniores, ratam ne ſit an irrita ſacerdotij collatio. Hoc eſt primum in hac quæſtione. Secundum. Peccaueritne tum Demophilus, accipiendo beneficio, tum Epiſcopus conferendo.

Primæ controuerſiæ diiudicatio eſt, vt non quidem irrita fuerit collatio, ſed irritanda. Nam licèt conſtitutio Pij V. quæ incipit in conferendis, edita 1566. 21. Martij anno Pontificatus ſui primo, faciat irritas collationes beneficiorum, in quibus ſeruata non ſit forma præſcripta à Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. de reformat. In qua forma eſt, vt ſemper digniori deferatur beneficium, nihilominus liquet ex eadem conſtitutione, ſi in hac parte ſecus ſit factum, non vitioſam eſſe collationem, ſed tamen reſcindendam.

2. De ſecunda dubitatione (ſi tamẽ probabilis dubitatio cenſeri debet) vna nunc omnium debet eſſe ſententia. In mandãdis ſacerdotiis, tam ab eo qui mandat, quàm ab eo, cui mandantur, peccari grauiter, & contra legem Concilij generalis, & contra conſtitutionem Rom. Pontificis, quæ planis verbis præcipiunt, ſemper digniori Eccleſiaſticum tribui oportere beneficium. Concilij verba in ſeſſ. 24. c. 18. hæc ſunt: Peracto deinde examine renuncientur, quotcumque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atque illi & non alteri, collatio Eccleſię ab eo fiat, ad quem ſpectabit eã conferre. Quæ omnia multò pluribus verbis confirmantur in illa Pij V. conſtitutione, vt nunc Caietani opinio in ſumma, in verbo, Beneficium, vbi probat non ſatisfieri iuſtitiæ, ſi beneficium tradatur digno, magis digno prætermiſſo, non ſolùm veriſſima ſit, ſed illa ſola defendenda; quæ multò antea à D. Thoma tradita fuit in 2. 2. q. 63. artic. 2. docente his verbis.

Contingit quandoque, quòd ille, qui eſt minùs ſanctus, & minùs ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſecularem, vel propter aliquid huiuſmodi: & quia diſpenſationes ſpiritualium principaliter ordinantur ad vtilitatem communem, ſecundùm illud 1. ad Cor. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*: ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpẽſatione ſpiritualium, illi qui ſunt ſimpliciter minùs boni, melioribus præferuntur. Sicut etiã & DEVS gratias gratis datas quandoque concedit minùs bonis. & quodl. 8. art. 6. vbi tractatur ab eo hic locus, has conſtituit concluſiones: quarum prima eſt: aliquis poteſt dici bonus, vel melior altero, dupliciter: Vno modo, ſimpliciter, & ſic melior eſt, qui eſt caritate perfectior: Altero modo, ſecundùm quid: & ſic aliquis dicitur eſſe melior altero vel ad militiam, vel ad magiſterium, vel ad prælationem, vel aliquid huiuſmodi.

Secunda concluſio. Ad prælationem & Eccleſiaſticum officium oportet eligere aliquem, qui ſit bonus ſimpliciter: quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum. Tertia concluſio. Non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum, qui ſit melior ad hoc officium. Quarta concluſio: ſi eligat quis eũ, quem reputat minùs idoneum ad tale officium, peccat. Nam vult D. Tho. vitium hoc eſſe acceptionis perſonarum. Quinta cõcluſio Decretalis, quæ ſtatuit ſatis eſſe

eligere bonum, vera interpretatio eſt, aut quòd non ſit neceſſe ſemper eligere meliorem ſimpliciter,ſed eum, inquit D. Thom.qui bonus eſt ad hoc: vel dicendum quòd non loquitur quantum ad forum conſcientiæ,ſed quantum ad forum contentioſum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quòd poteſt aliquis alius magis idoneus inueniri: dummodò ille, qui eligitur, idoneus ſit: aliàs omnis electio calumniam pateretur.

4. Doctrinam hanc D.Thomę ferè complectuntur Doctores. Nam Sotus in 3.
« lib.de iuſtit. & iur.q.6.artic.2. D.Thomæ
« opinionem de deligendo magis idoneo
« attribuit Alexandro Halenſi,Nicolao Lyrano, Adriano, & aliis: illam ſecutus eſt D.Antoninus in 3.par. titu.19. cap.2. §.4. Nota, inquit, quòd qui ſcienter eligit in-
» dignum,nulli dubium,quòd peccet mor-
» taliter:quia infideliter agit contra carita-
» tem: cùm infert notabile damnum Ec-
» cleſiæ. & D. Thomæ vſus auctoritate ex 2.2.qu. 185. ſcribit non debere meliorem ſimpliciter eligi,ſed meliorem ſecundùm quid,id eſt, ad tale officium. Sentit idem Syluester in verbo,Electio.1.num.18. Tabiena eod.tit.1.num.15.Angelus in verbo,
» Electio.num.20.& 21. Nec obſtat, inquit
» ille num. 21. quod dicitur in cap. Cùm
» nobis olim,& cap.cùm dilecti,& ca.cùm
» inter Canonicos, & ibi Gloſſa eod.titu.
» quòd ſufficit vt ſit dignus:quia reſpondet
» Thom.vbi ſuprà, quòd iſta intelliguntur
» quoad forum contentioſum:in quo non reprobatur electio,dummodo ſit dignus: ad quod etiam forum referri debent verba Bart.in l.cùm quidam 2.ff.de legat.2. Commentarij ſui num. 6. ita ſcribentis: Ex hoc nota diligenter, quòd licet committatur electio in aliquem tamquam bonum virum, non reprobatur eius electio:licèt potuerit eligere meliorem:ſufficit enim, quòd indignum non eligat. Verùm, poſt conſtitutionem Pij V. & Tridentini Concilij decretum, ſi de electione agitur eius, qui præficiendus eſt beneficio curato,ſi magis digno præterito, electus ſit minùs dignus, reprobari quidem electionem,non quia nulla ipſo iure ſit,ſed quia non firma,& quia irritanda,ſi probatum fuerit,minùs dignum magis digno ab ordinario antelatum fuiſſe.

Demophilus igitur,ſi ſuæ indignitatis conſcius, cum magis dignis beneficium petiit,obtinuit,ac retinuit,triplex ſibi crimen fecit,vnum,in petendo; alterum,in obtinendo: tertium, in retinendo. Nec minùs in culpa eſt is qui beneficium Demophilo conceſſit.

QVÆSTIO LXXVIII.

IN nonnulla Chriſtiani orbis prouincia Eccleſias,Abbatias, cæteráque beneficia,quæ vacant,ſolitus eſt diſtribuere Pręſes:nec Præſes poteſtatem vllam gerit Eccleſiaſticam cùm nec ipſe perſona ſit Eccleſiaſtica. 1.

Petitum eſt,num vitioſæ eſſent cunctæ collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum;& quibus Canonici pœnis illaqueati tam dantes quàm recipientes. Conſultus reſpondi: Nullas atque irritas eſſe collationes, pœnis autem eorum Canonum teneri, quos nunc ſubiiciam. Canon Paſchalis Papæ, ſi quis,16.q.7.in hoc hominum genus his verbis animaduertit. Si
quis clericus, Abbas, vel monachus per »
laicos Eccleſias obtinuerit, ſecundùm »
Apoſtolorum canones, & Antiocheni Concilij capitulum, excommunicationi ſubiaceat. Et in 2.Concil.Nicæno,cap.3. repetitur & confirmatur canon Apoſtolorum.canone verò qui ſequitur in eadē cauſſa & quæſtione, cenſura mulctat excommunicationis tum conferentem laicum,tum clericum accipientem;qui eiuſdem Paſchalis eſt canon: cuius canoni proximè adiunctus eſt canon Alexandri Papæ II. in eadem cauſſâ & quæſtione. Per laicos, inquit, nullo modo quilibet clericus obtineat Eccleſiam nec gratis, nec pretio. Eôdem ſpectat cap.Præterea de iure Patronatus & Decretalis Innocentij

centij III. Quiſquis de electione quæ irregularem facit recipientem: ex communi tamen ſententia Doctorum in ea diſpenſat Epiſcopus.

2. Quiſquis, inquit Innocentius III. electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum, conſentire præſumpſerit contra Canonicam libertatem, & electionis cõmodo careat, & ineligibilis fiat; nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem huiuſmodi, quam ipſo iure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerit celebrare, ab officiis & beneficiis penitus ſuſpendatur per triennium: quam Decretalem interpretans Gloſſa, in verbo, Ineligibilis, obſeruat pœnam latæ ſententiæ, ſed in qua diſpenſare poſſit Epiſcopus: in ſuſpenſione verò ab officiis & beneficiis, pœnam ſententiæ ferendæ.

Quæ omnia confirmat Innocentius in eandem Decretalem, duo addens. Alterum eſt, eum qui inueſtituram, ſic ipſe loquitur, accipit de manu laici, minori excommunicationi ſubiacere vſque ad condignam ſatisfactionem: probat ex canone, quoniam. 16. qu. 7. Alterum eſt, in huius Decretalis pœnas non incurſurum eum qui à perſona laica inueſtituram acciperet, ſi id ei aut priuilegium, aut conſuetudo largiretur. Confirmat hæc omnia Oſtienſis, qui de ſuo addit, Decretalem, quiſquis, explanãs, de Epiſcopalibus dignitatibus eam ſtatuere: à quo diſſentit Ioan. Andreas, de quibuslibet dignitatibus illam interpretans: ſed cum Oſtienſi ſentit Antonius Butrius.

3. Panormitanus in eamdem Decretalem multa memoriæ digna obſeruat. Primum eſt, electionem quamuis à clericis celebretur, ſi ad eam accedat poteſtatis ſæcularis abuſus, eſſe nullam. Secundum eſt, recipientes dignitatem per abuſum poteſtatis ſæcularis, contrahere inquit irregularitatem quoad dignitates obtinendas. Vnde non poſſe ampliùs ſine diſpenſatione promoueri ad aliquam dignitatem: fortius ergo hîc dicẽdum eſt, inquit, quando quis recipit dignitatem immediatè à manibus laicorũ: & ſic hic textus videtur addere pœnam, ſeu inhabilitatem ad ea ea quæ habentur 16. q. 7. Si quis deinceps; additque, ſi quiſpiam dignitatem quampiam impetraſſet à laico, & eamdẽ poſtea à perſona Eccleſiaſtica, quæ inferior Papa eſſet, non valituram inſtitutionem, ſi primæ, quæ legitima nõ fuit, mentio fuiſſet omiſſa. Tertium eſt. Opinionẽ Innocentij, quòd Decretalis de quauis dignitate ſanciat, eſſe communem. Quartum. Decretalem non pertinere ad beneficium curatum, niſi ſit dignitas, & iuriſdictionem habeat fori contentioſi. Verùm Panormitano aduerſatur Abbas vetus, quem contra ſe citat. Quintum. Non placere ſibi opinionem communem, quæ tribuit laico ex conſuetudine, vt intereſſe poſſit electioni: hanc enim non eſſe conſuetudinem appellandam, ſed corruptelam, ex cap. Meſſana de electione.

4. Sextum. Tria exempla ſumit ab Innocentio talis abuſus. Primum eſt, cùm clerici requirunt, vt laici interſint electioni. Secundum, cùm requirunt conſenſum Principis ſæcularis ſuper certa perſona eligenda. Tertium, cùm eligunt, inquit, minis alicuius ſingularis potentis: & nota, inquit, ſingulariter hoc vltimum.

Septimum. Electionem factam metu, ait ipſo iure eſſe nullam. Octauum, probat Innocentium, qui exiſtimat, eos qui beneficia accipiunt à laicis, incidere in excommunicationẽ minorem. Nonum, contra Antonium Butrium, poſſe ex communi Doctorũ ſententia cum recipientibus diſpẽſare Epiſcopum. Decimum, pœnas cõmunes eſſe ei, qui per abuſum poteſtatis ſæcularis, electioni conſentit, & ei qui capit à laico dignitatem.

5. Pœnas igitur in pauca conſeramus. Is, qui per abuſum poteſtatis laicæ quampiam dignitatẽ aſſequitur, omnibus hiſce pœnis tenetur: eius electio eſt nulla ex Decretali Quoniam. Gregorij VII. 16. q. 7. & ex cap. quiſquis electioni, de electione. quod eſt Innocentij III. Quòd ſi dignitatem

gnitatem aut beneficium contra ius adeptum non dimittit, priuandus eſt communione,& deponendus ab Eccleſiaſtico miniſterio & ordine, Propter, decretum Concilij Lateranenſis,præterea extra, de iure patronatus,huiuſmodi homines ſubiacent excommunicationi,vſque ad condignam ſatisfactionem ex Decretali Gregorij VII. Quoniam,& ex Decretali Paſchalis II. 16.q.7. quæ excommunicatio, vt videtur Innocentio multiſque aliis, qui eũ ſequuntur, minor eſt,non maior. Quare ſi quis ſic excommunicatus celebraret,irregularitatem non incurreret.

5. Quam Innocentij ſententiam videtur confirmare Canon præterea, de iure patronatus; qui excommunicationem ferendæ ſententiæ vult ab iis ſubiri, qui ſinunt ſe à laicis inſtitui; ad quem canonem Gloſſa accommodat illos,qui allati ſunt ex 16.qu.7. In quo puto allucinari Gloſſam. Ad hæc in cap.ſi quis 16.q.7. ingreſſus Eccleſiæ interdicitur recipientibus à laicis Epiſcopatus & Abbatias: eadem pœna coërcentur laici: & pœna eſt latæ ſententiæ,& in Canone ſequenti, atque in cap.ſi quis, pœna conſtituitur excõmunicationis latæ ſententiæ: ſentiũtque Doctores cum pœna excommunicationis abſolutè irrogatur,eſſe maioris, & can. conſtitutiones. in illa ipſa cauſſa & quæſtione: qui eſt Paſchalis II. excommunicatione plectit, quæ ferenda eſt ab homine;quæ, cùm erit lata,efficiet,vt excommunicatum etiam poſt Concilium Conſtantienſe vitare cuncti debeant.Decretalis, præterea,de iure patronatus,ſententiam habet ferendam, tam in pœna excommunicationis quàm depoſitionis ab ordine & officio. Decretalis Nicolai II. quæ incipit,ſicut domini, 16.q.7. Eccleſias & clericos ſubiicit interdicto,ſi recipiantur à laicis,cap. Quiſquis. de electione.cõſtituit eoſdem recipientes irregulares.

6. Pœnæ verò laicorum hæ ſunt. Interdicitur his ingreſſus templi, ex cap.ſi quis deinceps 17.q.7. Et eſt Canon latæ ſententiæ;& ex cap.Nullus laicorum,eadem cauſſa & quæſtione,qui ſententiam continet ferendam: & ſunt ambo canones Pontificij. Primus eſt Gregorij VII.in Synodo generali. Secundus Paſchalis II. & Alexandri, qui à Paſchali citatur:propter Canonem verò, præterea de iurepatronatus, excommunicandi ſunt. Iam verò Prælati,ſi per abuſum poteſtatis ſæcularis, dignitates conferant,& beneficia,ſuſpendendi ſunt à beneficiis & officiis per triénium, & interim priuati ſunt, ipſo iure, eligendi poteſtate,ex Decretali Innocentij, quiſquis, de electione.

Et quoniam inſigniter læditur libertas Eccleſiaſtica à perſonis laicis, quæ ſibi vſurpant ius conferendarum dignitatum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum,quod proprium & legitimum eſt Romanorum Pontificum, atque Epiſcoporum,nec vllum ius, aut conſuetudo in Bulla cœnæ admittitur aduerſus libertatem Eccleſiaſticam & iura maximorum minorúmque Pontificum, ſimpliciter ſenſi, atque reſpondi,eiuſmodi laicos,atque eos qui ſumunt ab ipſis beneficia Eccleſiaſtica, canonum pœnas minimè vitare;beneficiorúmque collationem eſſe nullam.

Nam in definitione beneficij,quæ explicatur à Panormitano in ſecundo volumine ſuorum conſiliorum conſ.47. & à Nauarro in Apolog.de redd.Eccleſiaſt.q. 1.monit.24. num.8. tamquam neceſſaria & intima pars ponitur definitionis, vt & dans & recipiens beneficium perſona ſit Eccleſiaſtica. Ex communi verò Doctorũ ſenſu hanc conſtitutam eſſe controuerſiã diſcere potes ex Turrecremata,ex Archidiacono & Gloſſa in c.ſi quis 16.qu.7. ex Panormitano, ex Decretali, præterea de iure patronatus, ex Innocentio in cap. Quiſquis de electione,ex S.Antonino in 1.par.ſummæ cap. vnico, ex Syluestro in verbo, Beneficium. 3.num.1. ex Angelo eod.tit.nu.12. ex Tabiena eod.tit.2. nu.2. ex Armilla tit.eod. num.5. ex Nauarro in Apologia de redd. Eccleſiaſtic. quæſt.1. monit.24. num.8. 7.

QVÆ

QVÆSTIO LXXIX.

1. Beneficium Eccleſiaſticum iuris patronatus, quod ſuæ familiæ eſt, Q. adipiſcitur: octo & decem annos in eius poſſeſſione permãſit: Canonicas horas vſque neglexit: tonſuram habitúmque clericalem ſemper contempſit: beneficio retento vxorem duxit: militarem vitam & diſciplinam delegit: atque etiam nunc in militum verſatur munetibus: beneficij fundum fratris nomine, qui religioſam vitam degit, à ſæculi huius commercio abſtractus, aliis locat: cùm tamen frater nihil in eo beneficio iuris habeat: omnes huius decem & octo annorum temporis fructus cepit.

2. Huic infœlici homini quid iuris reſpondendum ſit, & quid cõſilij dandum, anquiritur. Addidit etiam, quod mihi exciderat, exauthoratus hic Eccleſiæ miles, numquam ſe clerici vitam animo complexum eſſe. Huic leuiſſimo transfugæ, & perfidioſo clerico, hæc omnia de iure reſpondi: Ab eo, cùm beneficium accepit gerens animũ ab ſignis Eccleſiaſticæ militiæ diſcedendi, capitalem fraudem admiſſam eſſe: nullo vnquam tempore Eccleſiaſtica ſtipẽdia eum iuſtè feciſſe: quidquid in beneficij fructibus ei lucrifactum eſt, reſtitui oportere, neceſſarium onus reſtituendi à quatuor capitibus proficiſci.

Primum caput eſt. Iam inde ab initio vitam clerici abieciſſe: ſcio Nauarrum in Enchiridio de oratione, & horis Canonicis cap. 21. à num. 45. & in ſumma cap. 25. num. 118. docuiſſe non neceſſaria lege reſtituendi teneri eum, qui beneficium ſuſcepit carens animo clericalis vitæ inſtituendæ. Verior tamen, & communis eſt ſententia, iniuſtè promoueri, qui ſic promouetur ad beneficium etiam ſimplex: & niſi animum ſtudiúmque ad Eccleſiaſticam vitæ rationem conuertat, nec beneficium, nec fructus poſſe retinere. Vide Panormit. in cap. relatum, de clericis non reſident, num. 7. Gabrielem in 4. diſt. 15. q. 8. artic. 3. Syluestrum in verbo, Beneficium, tertio, quæſtione poſtrema.

Et ſanè poſtulare videtur hoc ius diuinum & naturale, vt qui ſtipẽdia vult mereri Eccleſiaſtica, vitam etiam Eccleſiaſticam agere velit. Secundum caput extra omnem controuerſiam eſt, diuinum officium, atque Canonicas horas ſemper omiſiſſe. Tertium caput eſt, cùm ſtrato geniali lecto ſuæ mulierculæ Eccleſiaſticæ vitæ nunciũ remiſit. Quartum, cùm hoc ipſum fecit militari vita ſuſcepta. Adde quintum poſt Xiſti V. conſtitutionem, cùm nec clerici coronam, nec habitum ſumpſit.

Hoc ergo ei primum de iure reſpondi: Secundum fuit: Beneficium, quod etiam nunc obtinet, ei prorſus periiſſe, vel potiùs eius iniuſtum ſemper poſſeſſorem extitiſſe. Primùm, quia illud ſimulata fucatáque voluntate captauit. Deinde, quia in connubij iure illud ipſum interiit: tum quia clericali vita repudiata caſtrenſem ſecutus eſt. Poſtremò, cùm poſt legem à Xiſto V. latam de tonſura, & clericali habitu deferendo, legi non paruit.

Tertium monitum fuit, hunc ipſum perfugam, quamuis ſit quattuor minoribus ordinibus initiatus, omnia clericorũ priuilegia tamen amiſiſſe. primùm, cùm ſponte nuptiali ſe vinculo alligauit; eóque adſtrictus nec tonſura, nec clerici amictu eſt vſus; nec illi Eccleſiæ, cui ſeruiret, mandato Epiſcopi eſt mancipatus: nam hoc ſecundum ex decreto Concilij Tridẽtini eum facere oportebat; primum verò, ex eiuſdẽ Conc. decreto, & Bonifacij VIII. conſtitutione. Videto decretum Concilij, ſeſſ. 23. cap. 6. & Bonifacij Decretalem vnicam de clericis coniugatis lib. 6. Secundò, eadem fuerunt illi priuilegia adempta, cùm ad militũ vitãm traductus eſt. De amiſſione priuilegij fori liquet ex Conc. Trident. ſeſſ. 23. c. 6. de extinctione priuilegij canonis ex D. Thoma in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad primam quæſtiunculam. cum his duobus priuilegiis omnia alia concidiſſe dubitandum non eſt. 3.

Y Quar

Quartum monitum.Beneficium,quod ſuum numquam fuit,non in Epiſcopi ſed in Romani Pontificis manibus ob Xiſti V. conſtitutionem deponendũ eſſe:Nam hac item pœna plectit eos, qui iuri ſuæ conſtitutionis non obediunt. Et quia hic ipſe clericus ſubleuari conſilio cupiebat, atque ægrè patiebatur collationem nouam beneficij ad Romanum Pontificem rediiſſe, & ſibi indigenti fructus perceptos reſtituendi neceſſitatem impoſitam eſſe; angebatúrque, ad ſacramenta & ſalutem ſibi viam ob tanta ſcelera interclusam eſſe.

Idcirco hoc ei conſilium attuli,vt ſupplici libello tria hæc à Romano Pontifice peteret:Vnum eſt, vt conferendi beneficij Epiſcopo poteſtatem permitteret:Alterum, vt ius nominandi familiæ incolume eſſet. Poſtremum, vt condonandis fructibus, qui percepti erant,clerici, ſuorúmque domeſticorum indigentiæ conſuleret.

Sed huius item rei auctor ei maximè fui: vt cum Deo, decem & octo annorum repetita confeſſione ſuorũ omnium peccatorum, gratiam reconciliaret; eique pœnas tantorum criminum dependeret. Verùm in propoſito ſuſceptóque conſilio num permanſerit, me ſanè fugit.

QVÆSTIO LXXX.

1\. N. ARchipreſbyteratũ obtinuit à Romano Põtifice,ideo quòd Romã ſcripſiſſet, eam dignitatem vacuam eſſe: quia Archipreſbyter in Epiſcoporum ordinem cooptatus eſſet: in quo deceptus eſt Pontifex:neque enim,quia Archipreſbyter Epiſcopi eſſet dignitatem adeptus, vacuus factus fuerat Archipreſbyteri locus, quamuis ea ratione etiam iure ipſo vacauiſſet:ſed,quoniam antequam crearetur Epiſcopus,ſe Archipreſbyteratu abdicauiſſet; qui modus vacationis in ſupplici libello neceſſariò exprimendus erat; quem cùm N. ipſe occultauerit,ex litteris Pontificiis, nullum eſt ei ad Archipreſbyteratum conſequendum, ius attributum.Ita ad quempiam alium (vocetur P.) idem honor migrauit: ſed quoniam ex falſa narratione ad hunc item peruenit; vel potiùs ex mutilata narratione;quia nõ addidit. N. ipſum in poſſeſſione Archipreſbyteratus manere; neque illi ius fuit vllum ex diplomate Pontificio eius dignitatis capiendæ.

Conſtat enim ex Innocentij III. Decretali, cum noſtris, de conceſſione præbendæ,nullum ab ſede Apoſtolica beneficium Eccleſiaſticum impetrari poſſe ob vacationem,niſi à petitore dictum ſit poſſeſſore vacare,licèt iure vacet:id enim valent verba illa, » Nõ eſt ſatis Romano Põtifici exponere » beneficium vacare de iure,niſi vacet de facto: » & hoc ipſum eidem ſignificetur. »

2\. Cùm res ita ſe habeat,N.& P.cupiunt, approbante Pontifice,res quaſdam inter ſe commutare; ſed eo non conſulto, N. quinquaginta aureorum nummũm ſtipulatione ſecundùm petitorem alligat:quos ſibi numerari vult ad vexationem redimendam:nam iniuria ſecum à P.agi putat,quòd ſpoliare nititur eum Archipreſbyteratu.

Quæritur igitur num ſtipulatio hæc iuſta ſit.Reſpondi periniquam eſſe, propterea quòd,vt à nobis, tum in diſputatione de ſimonia,tum in tractatu de beneficiariorum oneribus demonſtratum eſt,& vti à nobis ſæpè in Chriſtiani officij enodandis quæſtionibus reſponſum eſt, pro iure ſpirituali, quod in hanc illámve rem tibi nullum acquiſitũ eſt, pecuniam aut dare,aut promittere,aut repromittere nullo modo licet;neque id in controuerſiam vocari conuenit. Etenim pro iniuſta tantùm vexatione, & pro iure ſuo retinendo licitum eſt pecuniam dare. Vide D.Thom.in 2.2.q.100.art.2.ad quintum & in 4.d.25.q.3.art.2.quæſtiuncula 1. ad ſeptimum.Alex.Halenſem in 2.par.q. 167.memb.6.Richardum in 4.d 25.art.3. q.1. Palud. in eand.diſt.q.5.art.5. Gabriel. in eand.

in eand.q.2.art.2.propoſitione 7.vbi hac de re eleganter:nemóque Theologus aut Canonum Doctor ſecus docuitvmquam. Atqui N.cùm nullum ius ſpirituale,quod ſuum ſit,habeat in hac cauſſa;de rediméda vexatione pollicitatione pecuniæ abſque fœda iniuſtitiæ ac ſimoniæ labe cum P.tranſigere non poteſt.

3. Dices ab N. Innocentium ſtare, apud quem ſcriptum eſt in ſuo Commentario, nu.3.in Decretalem,cum noſtris,de conceſſione præbendæ, litteras (verba ſunt Innocentij) per falſi ſuggeſtionem impe-
» tratas valere,licèt elidi poſſint per exce-
» ptionem Scripturę de reſcriptis.cap.ſuper
» litteris. At verò Oſtienſis palàm diſcedit ab Innocentio: nam litteras, quæ ad impetranda beneficia mittũtur ab iis à quibus dari poſſunt, ſi ſubreptitiæ fuerint, vel falſa narratione extortæ, inutiles eſſe confirmat, nulliúſque momenti; atque communem hanc eſſe Doctorum ſententiam. Quam planiſſimis verbis ſubſcribit Antonius à Butriò in illam Decretalem, cum noſtris,col.1.Et Panormitanus,Commentarij ſui, num.5. qui etiam num.17.
» ſcribit his verbis:illud tacitum habet in-
» ualidare litteras, quo expreſſo Papa non
» dediſſet litteras,vel non ita de facili:vt in cap.ſuper litteris,& in c.poſtulaſtis,de reſcriptis. Itaque in Gloſſ.illius capitis,cum
„ noſtris,eſt his verbis,Narrãda ſunt ea,quę
„ ſunt iuris,& facti,vt non ſit vitioſum re-
„ ſcriptum. Antonius verò Butrius col.1. &
„ rectius col.14. De eo, quod ſubſiſtit, in-
„ quit, in facto, non eſt mentio facienda,
„ quando illud non moueret Principem ad
„ denegandum reſcriptum, ſi foret expreſſum. Oſtienſis num.5. ſui Commentarij verba Gloſſæ confirmat. Innocentius verò nu.3.ex eadem Decretali,cum noſtris, collegit beneficium, quo quis ab iudice ſpoliatus eſt,alteri concedi non poſſe,niſi illo ipſo ſe abdicet is quem iudex ſua ſententia ſpoliauit: ſi ſecus factum ſit, conceſſionem non valere: quod ipſum ab Oſtienſe,Ioan.Andrea,& Antonio Butrio affirmatur.

Admonet tamen Panormitanus, cùm beneficij poſſeſſio non eſt colorata, ſed euidẽter iniuſta:ſic enim is loquitur,poſſe eum,cuius eſt beneficium conferre, ſtatim ab eo,qui iniuria poſſidet,auferre, & alteri tradere. 4

Duo etiam quædam animaduerſione digna effert Antonius Butrius explanans Decretalem,cum noſtris, de conceſſione præbendæ. col.9. Vnum eſt, quum quis ab iudice priuatur beneficio iure poſſidendi,non poſſeſſione priuari, vt placet Innocentio: quod verum eſt, ſubiungit Butrius,in poſſeſſione rerum corporaliũ, ſecus eſt in poſſeſſione alicuius iuris, ſeu rei incorporalis, puta cenſus. Si enim à iudice pronunciatum ſit,tibi aut penſionem, vel cenſum non deberi, in iuris amiſſione etiam rei poſſeſſionem amiſiſti.

Sed ſi quis obiiciat Butrio;beneficium ius eſſe ſpirituale,& incorporeum; neque enim illud aut in domibus, aut in agris, aut in fructibus,qui ex iis colligũtur,conſiſtere,ſed in iure hæc ipſa habendi, adminiſtrandi,& percipiendi, poſitum eſſe. Reſponderi poteſt, diſparem eſſe rationem cenſus,& beneficij: nam in cenſu is qui ius obtinet incorporeum; hoc eſt,qui exigit penſionem, non eſt ille ipſe, qui fundum poſſidet corporeum:Beneficium autem qui obtinet Eccleſiaſticum, idem eſt iuris incorporei & rei corporeæ poſſeſſor.

Alterum quod obſeruauit Butrius, illud eſt; quòd inter rei proprietatem & poſſeſſionem multùm intereſt. Siquidem proprietas vt plurimùm,inquit,regulatur à iure;poſſeſſio vt plurimùm regulatur à facto.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt N. & P.de ſumma illa quinquaginta aureorum paciſci inter ſe nulla ratione ob redimendam vexationem potuiſſe.

QVÆSTIO LXXXI.

P. Clericus victum & vitam ſuo patrimonio cõmodè colere poteſt: 1.

quærit, num de beneficij ſui fructibus patrimonio parcens viuere poſſit?

Subtiliter pertractata eſt hæc quæſtio à Maiore in 4. ſententiarum diſt. 24. q. 21. multis ſuo more allatis diſtinctionibus, & à Richardo in quodlib. 3. qu. 20. ferè Doctores conſentiunt, eum, qui beneficium poſſidet, illique inſeruit, de beneficij fructibus viuere poſſe: quamuis paternis bonis poſſet honeſtè vitam agitare. Hæc mens fuit D. Antonino in 3. par. tit. 15. c. 1. §. 18. ad eamdem ſententiam is aggregat Oſtienſem & Gulielmum; quos eoſdem citat, & ſequitur Sylu. in verbo, Clericus 4. num. 12. & in verbo, Beneficium 5. §. poſtremo. Nauarrus multis in locis affirmat id ipſum in Apologia de redditibus: in quæſtione enim 1. monit. 30. num. 1. ſcribit
„ his verbis: Etiamſi beneficiarius ſit diues,
„ & habeat ex patrimonio, vel aliunde quo
„ ſe decenter ſuſtentet, poteſt tamen licitè,
„ ſi vult, ſuſtentare ſe, de ſui beneficij red-
„ ditibus: & ſeruare patrimonium cum eius
„ fructibus, quibus volet cognatis, vel ex-
„ traneis. Et hanc opinionem ait eſſe communem in ead. quæſt. monit. 80. num. 2.

2. Cui tamen opinioni repugnare videtur Canon D. Hieronymi ad Damaſum Papam; ad quem in hanc ſententiam ſcri-
» pſit: Clericos illos conuenit Eccleſiæ ſti-
» pendiis ſuſtentari, quibus parentum &
» propinquorum nulla ſuffragantur bona.
» Qui autem bonis parentũ & opibus ſuis
» ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt,
» accipiunt, ſacrilegium profectò commit-
» tunt, & per abuſionem talium iudicium
» ſibi manducant, & bibunt: habetur 1. q. 2. clericos. Eundémque ſenſum expoſuit S. Proſper in libro de vita contemplatiua 2. cap. 9. & 10. Nec illi, inquit, qui ſua
» poſſidentes dari ſibi aliquid volunt, ſine
» grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus
» erat, accipiunt, vt in cap. Paſtor. eadem cauſſa, & quæſtione, quiuis legere poteſt; repetitúrque eadem ſententia in cap. Sacerdos.

In eadem quæſtione, Gloſſa caput interpretans è D. Hieronymo ſumptum, reſpondet tripliciter: primò, vt Eccleſiæ ſtipendia non dentur, quibus, inquit, propria ſufficiunt: quæ reſponſio opinionem euertit communem. Secundò, reſpondet, in oratione D. Hieronymi, adhortationẽ eſſe, non præceptum: hæc Gloſſa corrumpit textum, in quo dicitur, ***committunt ſacrilegium, & iudicium ſibi manducant & bibunt:*** quæ verba declarãt inſignem præcepti violationem. Tertius modus dicendi: vt loquatur D. Hieronymus, quando portio pauperum ſurripitur: atque hæc poſtrema interpretatio tolerabilis eſt.

Apparati, quem Maior citat, interpretatio eſt, vt D. Hieron. exagitet eos clericos, qui ſuis Eccleſiis non præſtant obſequium. Maior ſic nodum expedit: loquitur D. Hieronymus de opulentis clericis, qui neceſſitatibus, & cultu Eccleſiarum appoſitos, & aptos excludunt: cùm enim bona Eccleſiarum pauperum ſint, in pauperes potiùs quàm diuites miniſtros eſſent conferenda: præterquam quòd id à nobis addi poteſt, pauperũ obſequia eſſe DEO ferè cariora quàm diuitum: cùm in præcipua quadam tutela ſint Dei pauperes: quod palam & ſæpe diuina teſtantur oracula.

Quamquam nullo modo negandum eſt, ſi diues pauperi in iis antecellat, quibus adminiſtratio eget Eccleſiæ & cura animarum, vt doctrina, probitate, prudentia, ſine dubio illum egenti præponendum eſſe. Nam parum de magis principali, inquit Maior, eſt multo de minùs principali præferendum. At in gubernatione beneficiorum, & animarum, multo potior eſt virtus, atque ſcientia, quàm paupertas. 5.

Secunda Maioris concluſio eſt, rectè facturum illum, qui nulla parte bonorum conſumpta Eccleſiaſtici beneficij vitam ſuo patrimonio ſuſtentaret: de quo nemo ſanæ mentis contradixerit Maiori: qui in extremo quæſtionis citat Alexandrum Halenſem in 3. par. q. 15. hoc diuiti concedentem, vt parare ſibi ex beneficio ad vitam neceſſaria queat, modò patrimoniũ

ſuum

Digitized by Google

ſuum in pios vſus conferat. Hoc etiam placet, inquit Maior, quæſtionem concludens.

Richardus quodlib. 3. q. 20. ad duplicem concluſionem reuocat ſententiam ſuam. Prior eſt; eum, cui ad neceſſitatem naturæ, & ſtatus, ſiue perſonæ, bona ſuppeditant paterna, Eccleſiaſticum accipere poſſe beneficium, nō ad diſtribuendum, inquit, ſuis diuitibus amicis, nec ad ſæculi pompam ducendam, nec ad hereditatem paternam augendam: ſed ad miniſtrandum pauperibus: & maximè ſi Eccleſiæ deſeruiunt.

Poſterior cōcluſio eſt huiuſmodi. Qui autem habent temporalia, ex quibus ſufficienter poſſunt ſuſtentari, quantùm ad neceſſitatem naturæ, & quantùm ad neceſſitatem ſtatus, vel perſonæ, & in tantùm, quòd multa poſſunt pauperibus erogare; ſi vltra hoc beneficium Eccleſiaſticum accipiunt, non Eccleſiæ intendentes deſeruite, ſed vt amicos ſuos poſſint ditare, & magis honorari, & delicatiùs viuere, mortaliter peccant. Quare, ſi penitus Richardi introſpiciatur oratio, nihil videbitur ab intelligentia & voluntate Alexandri habere diſiunctum.

Quod reliquum eſt, meam ipſe quoque ſententiam tribus propoſitionibus aperiam. Prima propoſitio. Qui commodo potitur patrimonio, atque ad curandum beneficium æquè ac pauper dignus eſt, & aptus, ſi illud ſibi quærat, non aget ille quidem contra iuſtitiam, ſed agere videbitur contra caritatem. Secunda propoſitio. Si diues dignior, & aptior ſit, quàm pauper, in accipiendo beneficio, nec iura caritatis, nec iuſtitiæ perſtringit. Tertia propoſitio. Si ad beneficium Eccleſiaſticum adminiſtrandum diues tum dignitatem, id eſt, tum integritatem vitæ, & innocentiæ, tum ſcientiam, tum laborem, ſedulitatem, & obſequium, quod præſtare Eccleſiæ debet, adferat, poterit conſeruato patrimonio tantùm è fructibus beneficij capere, quantùm ad tuendam ſuam vitā frugaliter & ſobriè ſit ſatis: de ea portione bonorum, quam ſacri Canones pauperibus & Eccleſiæ decernunt, nihil ipſe decerpens, aut detrahens.

QVÆSTIO LXXXII.

H. Affirmat adeò tenue ſe aſſecutū eſſe beneficium Eccleſiaſticum, vt vix ſuæ ſuſtinendæ vitæ ſit ſatis.

Petit, num bonorum, quæ percipiuntur è beneficio, aliquam partem cogatur largiri Eccleſiæ? Hoc onere largiendi quidquam Eccleſię, liberare eum videtur decretalis Alexandri III. de his, extra, de Eccleſiis ædificandis vel reparandis: cuius Canonis ſententiam arripiens Panormitanus, num. 2. ſui Commentarij. Nota, inquit, iſtum textum perpetuò: quia neſcio alibi, quòd Sacerdos non teneatur ad reparationem Eccleſiæ ſuæ, niſi quatenus ei ſupereſt detractis neceſſariis. Id ipſum antè docuerat Panormitanus interpretationem faciens primi capitis eodem tit. num. 1. nec quidquam intereſt apud Doctores, ſitne Sacerdos, cui curæ eſt beneficium, an quilibet de clero. 1.

Probat doctrinam hanc Nauarrus, in ſua Apolog. de redditibus mon. 82. num. 8. ſic tamen ſententiam moderans, vt tūc tota portio bonorum rectori beneficij relinquatur, quando eius vitæ tuendæ non quidem cōditioni ea eſt neceſſaria: Nam ſequeretur, inquit Nauarrus, vt, ſi filius Regis duo obtineret beneficia, & è ſingulis octingentos aureos caperet, nihil tantæ pecuniæ in Eccleſiæ bonum conferre deberet: quod eſt perabſurdum.

Sed tamen Innocentius, ſcientiæ & gloriæ commendatione Panormitano ſuperior, quem ſacrarum ſanctionum interpretes tamquam Magiſtrū agnoſcunt, religioſiùs hac de re ſenſit, & ſcripſit, vt beneficiorum poſſeſſores ad reficiendam Eccleſiam de ſuis etiam, & propriis bonis cogantur erogare; firmátque hoc auctoritate Canonis, Pontifices. 12. q. 3. ſtat ab Innocentio Oſtienſis, in eandem decre-

talem de his,& in cap.1.eod.tit. Oſtienſis idem inculcat, Goffredum citans.

2. In hac controuerſia quid verius ipſe exiſtimem nonnullis concluſionibus indicabo.Si is,cuius poteſtati & curæ mandata eſt Eccleſia, eam labantem cum diuini cultus pernicie videt; ipſeque ſibi ſuóque patrimonio conſulere poſſit, cogitur fructibus Eccleſiæ eandem fulcire & ſuſtentare, diuinúmque cultum conſeruare. Si ſecus agat, aio,illum in diuinā naturalémque legem committere: propterea quòd ſua caduca bona diuino cultui præfert: in eo etiam peccat, quia defunctorum iugulat voluntates; qui idcirco bona ſua reliquerunt Eccleſiis,ne cum iis diuinus cultus interiret: quia ille, qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis donare videtur, vt dicitur in Canone, Pontifices, 12. q. 3. qui Canon eſt ex Concilio Agathenſi; in quo item Canone hæc ſunt. Iuſtum eſt, vt ſicut Sacerdos habet, quod Eccleſiæ dimiſſum eſt: Ita & Eccleſia habeat, quod relinquitur Sacerdoti.

Secunda concluſio. Si curator beneficij ex ipſo nullos fructus demetit; ſuæque Eccleſiæ ruinas ſpectat, diuinúmque cultum dilabi animaduertit; ſi tantam labē ac ruinam patrimonij bonis prohibere poteſt, mortiferæ culpæ affinis eſt, niſi prohibeat, ob eam cauſſam, quæ eſt in prima concluſione explicata.

Tertia Concluſio. Si beneficij bona ſuſtentandæ vitæ ſuperſint,ſed non tuendæ conditioni ſeu ſtatui; nimirum ſtatus & conditio beneficiarij Eccleſiæ cultuique diuino cōcedere debet: quandoquidem beneficiorum fructus, nō ad creandos, aut augendos,aut fouendos mundanos titulos,ſeu ſtatus, collecti ſunt;ſed ad pauperes alendos, & diuinum cultum inſtituendum,atque augendum.

Porrò autem Eccleſiaſticarum perſonarum ea perquam eſt honeſta & honorata conditio, ſi in iis continentia, parſimonia, modeſtia, Chriſtiana animi demiſſio,ac cætera virtus enteſcat.

Quarta concluſio. Si inopi rectori beneficij nihil, ſiue ex beneficio, ſiue ex patrimonio,reliqui ſit, quod ſuæ vitæ neceſſitati ſuperſit,nihil tunc de ſuo victu & neceſſario cultu cogitur Eccleſiæ tribuere,ſed ſuum poſcere populum,quo poſſit tum Eccleſiæ tum DEI cultui ſubuenire. 3.

Quinta concluſio. Vbi eſt à conſuetudine impetratum, vt plebs & populus, quem curat Sacerdos, ſuis opibus Eccleſiæ prouideat, ea conſuetudo retinenda eſt;vt Oſtienſis, Ioan. Andreas & Panormitanus aiunt in illis ipſis decretalibus de Eccleſiis reparandis.

Poſtrema concluſio. Ex Panormitano in caput, de his penè.in calce explanationis de reparandis Eccleſiis: loquens enim de rectore beneficij,Si aliquid,inquit,expendit de patrimonio ſuo ad vtilitatem Eccleſiæ,poteſt illud repetere,niſi fecerit animo donandi, 12. q. 4. c. Quicunque, quod bene tene menti; ſic enim concludit ille. Canon eſt ſatis apertus ex Concilio Bracharenſi 3. c. 8.

QVÆSTIO LXXXIII.

CVrator beneficij Eccleſiaſtici, cùm eius culpa non acquiſiuit Eccleſia quod acquirere poterat, aut in ſuis bonis amiſit quod cuſtodiendum erat, aut excolendum: Quæritur quam culpam præſtare debeat beneficij poſſeſſor: neque enim hæc eſt contemnenda quæſtio; quæ ponitur ab Innocentio, explanāte caput, cùm in officiis. de teſtamentis, in extrema explanatione: Vbi, inquit, Prælatum teneri de dolo & culpa, ſed non de leui; tenebitur ergo de dolo & lata culpa. Oſtienſis & Ioannes Andreas, in eandem decretalem, reſpuunt ſubtilitates quaſdam iuris ciuilis; quas in ſuum Commentarium tranſtulit Innocentius, ſed opinionem eius de genere culpæ non refellunt. Antonius Butrius, & Imola in illud cap. cùm in officiis, ſubtilitates Innocentij amplectuntur, & eius ſententiam de lata 1.

lata culpa à Prælato præſtanda.

Verùm qui leuem etiam culpam ſuſtineri à Prælato, & Eccleſiæ rectore probare vellet, id hac firmiſſima ratione poſſet obtinere. Nam Prælatus & Tutor æquo iure coguntur bona, quæ eorum tutelæ commiſſa ſunt, tueri & augere. In quam ſententiam frequentes eunt Pontificij iuris doctores. Verùm, ſi tutoris negligentia non acquirit pupillus quod poſſet acquirere; aut in rebus ſuis facit damnum, quod vitandum erat, idque accidat culpa tutoris, præſtabit ille etiam leuem: ergo præſtabit eandem Prælatus.

Primam huius ſyllogiſmi propoſitionem, non ſolùm, vt dixi, iuris Pontificij periti, ſed etiam conſcientiæ caſuum explicatores recipiunt: naturaliſque ratio ſatis confirmat. Quî enim conuenit, vt Prælato in gerenda procuratione Eccleſiæ, liceat minùs eſſe diligenti, quàm tutori in gerenda vnius pupilli? præſertim cùm Prælatorum atque eorum, quorum fidei Sacerdotia commendantur Eccleſiaſtica, tutela ſit ſacra, & ſacrum ab iis Chriſti curetur patrimonium; ciuilium autem tutorum tutela profana ſit, profani patrimonij habens adminiſtrationem? Necnon Prælati cùm non vnius pupilli, ſed quàm plurimorum pupillorum, & pupillarum, tot viduarum, tot virginum ope & dote egentium, tot denique calamitoſorum procuret bona atque diſpenſet?

2. Minor autem propoſitio eſt in l. quicquid. C. de arbitrio tutelæ, quæ cauet his
» verbis: Quidquid tutoris dolo, vel lata
» culpa, aut leui, ſeu curatoris, minores
» amiſerint, vel cùm poſſent, non acquiſie-
» rint, hoc in tutelæ, ſeu negotiorum ge-
» ſtorum vtile iudicium venire non eſt in-
» certi iuris. Quid eſt venire in vtile iudicium tutelæ? id nimirum, pupillo, ſeu minori ius eſſe agere aduerſus tutorem, aut curatorem illorúmve heredes, quemadmodum interpretatur. l. curatorem. C. de negotiis geſtis. Quare Gloſſa in l. nomina. C. de arbitrio tutelæ, conſtituit tutorem regulariter teneri de leui culpa.

Duo à Gloſſa tempora excipiuntur, cùm tutor nonniſi de lata tenetur: primum eſt, in illa l. nomina, quando pupilli, ſeu patris eius debitores principio tutelæ ſoluendo erant; interpoſito autē tempore ad ſtatum deteriorem prolapſi ſunt, vt diſſoluere æs alienum minimè poſſint. Secundum eſt, in l. tutor, qui repertoriū. ff. de adminiſtratione & periculo tutorum & curatorum. Quando tutor & curator non per ſordes, neque per gratiam in emendis prædiis pupillo, aut minori non bonam conditionem elegit.

Imò, qui vellet defendere ob culpam item leuiſſimam Prælatum teneri, hac vti poſſet ratione minimè imbecilla. Quoniam res ab eo adminiſtrantur Eccleſiæ, quæ non minorem curam & diligentiam requirunt in adminiſtratore quàm res ad ciuitatem pertinentes. Verùm in adminiſtratione rerum, quæ ciuitatis ſunt, non excipitur niſi caſus fortuitus, quem nullum humanum conſilium præuidere poteſt, vt eſt in l. 2. ff. de adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium: multo igitur magis hoc ipſum valere debet in eo, qui res Eccleſiæ, & Chriſti adminiſtrat.

Sanè Innocentius, in c. ea quæ, de offi- 3.
cio Archidiaconi, vult, eum, cui res certæ cuſtodiendæ traduntur, ob earúmque cuſtodiam merces ſoluitur, teneri de leuiſſima culpa. At curator beneficij eſt eius veluti cuſtos, & pro eius cuſtodia ſtipendia meret Eccleſiaſtica. Profectò mihi animaduerſum eſt, Archidiaconum, Turrecrematam, Cardinalémque Alexandrinum, in cap. Quicunque, 12. q. 4. ſine vllo diſcrimine culpæ latæ, vel leuis, vniuersè & præciſè ſcripſiſſe, teneri Prælatum de dolo & culpa; quaſi dicerent de quauis culpa, de lata, leui, & leuiſſima; nec Archidiaconus excipit niſi caſum fortuitū. Nimirum hæc opinio nimiùm præ ſe fert ſeueritatis; vt Eccleſiarum curatores teneantur de leuiſſima. Ergo cùm ſint tam multorum orphanorum, pupillorum,

paupe-

pauperum, viduarum & perſonarum miſerabilium tutores & curatores, dicamus, eos teneri ob dolum, latam culpam, & leuem.

Syluester, in Summa, verbo, Clericus, 4. num. 4. ſtrictim hanc attingit quæſtio-
« nem, & expedit. Aut deliquit clericus, in-
» quit, qui obtinet beneficium ſcienter,
» aut ignoranter; ſi ſcienter, tenetur de le-
» ui; ſi ignoranter, de lata: Et loquitur de eo qui læſit Eccleſiam. Non videbatur hæc diſtinctio digna Theologo. Cùm enim plurimùm interſit inter dolum, & culpam iuridicam; & hæc valde diſtet à Theologica, quæ ſi grauis eſt, dolus appellatur, non debebat Syluester in eo, qui ſcienter lædit Eccleſiam, leuem conſtituere culpam, ſed dolum verum, ac proprium; qui eſt quauis culpa iuridica multò peior; vt à nobis oſtenſum eſt in diſputatione noſtra de dolo, & lata culpa; in qua decem diſcrimina inter rem vtramque conſtituimus.

QVÆSTIO LXXXIV.

1. POſſítne Prælatus, arbitrio & auctoritate ſua, rem, quæ legatur Eccleſiæ, repudiare, quæſtio eſt ad cognoſcendum & explicandum neceſſaria.

Tractatur à Panormitano, in cap. Tua nuper, de iis quæ fiunt à Prælatis, num. 9. atque huc & illuc ſe verſans, nec habens vbi conſiſtat (quamquam potiùs in partem negantium ſe det) quæſtionem his
» verbis claudit. Fateor tamen, quòd caſus
» dubius eſt: & notabis bene, & tene mente. O rem notatione dignam, quæ nullius rei lectori notitiam præbet. Imola in illud ipſum caput num. 13. & 14. ſatis bene meo quidem animo rem euoluit
» hac diſtinctione. Aut hereditas, ſeu lega-
» tum habet onus, aut merum lucrum. Si
» onerofum eſt Eccleſiæ, aſſentiente capi-
» tulo, ſi Eccleſia collegiata ſit, poterit re-
» cuſare legatum, ſeu hereditatem: quòd ſi
» Eccleſiæ rectorem tantum habeat, & capitulo careat, poterit ſolus rector repu- »
diare hereditatem ſiue legatum. Verùm, »
ſi è legato, ſeu teſtamento Eccleſia lu- »
crum nanciſcitur, non poteſt à rectore »
vlla reſpui ratione. »

Federicus Senenſis cõſilio nono, quem citat Imola, & Panormitanus, & quidam alius doctor, omni prætermiſſa diſtinctione, affirmarũt, legatum, de quo quærimus, à Prælato reiici poſſe; atque alter ille Doctor ſuæ opinionis patronum Baldum adoptat, in l. pupillorum. C. de repudianda hereditate: quod dixit eſſe valde notandum. Verùm Imola reſpondet in illa. l. Baldum non loqui de legato, ſed de hereditate; quæ ferè debitis variiſque obligationibus ſolet eſſe onuſta; quæ onera à piis legatis ſolent abeſſe.

Ego verò illud idem addo, Baldum 2. nec ſomniando quidem finxiſſe, quod Doctor ille ipſe affingit: cùm perſpicuis verbis dicat, Prælatum poſſe efficaciter repudiare hereditatem, quæ damnoſa eſt, & nimis vexationibus ſubiecta: proponítque Baldus hanc quæſtionem.

Reliquit teſtator monaſterio S. Petri (quod Peruſiæ à D. Benedicti familiâ ſacra poſſidetur) hereditatem; ſed ea lege, vt intra annum Xenodochium exædificet; ſi non conſtruatur, pertineat, inquit Baldus, hereditas ad hoſpitale Miſericordiæ de Peruſio. Quæritur, vtrùm Monaſterio, poſt lapſum anni, quo hoſpitale ædificatum non eſt, detur reſtitutio in integrum: Quæſtioni reſpondet, reſtitutionem in integrum dare, modò ne dolo conſtruere omiſerit: Nam contra dolum »
etiam in omittendo non datur reſtitutio, »
inquit ille. Dolus autem eſſet, ſi cùm ſciret, & poſſet, noluiſſet conditioni parere. Mea ſententia in his duabus propoſitionibus eſt poſita, ſumpta hac diſtinctione ab Henrico Gandau. quodl. 1. quæſt. 40. litera D. vbi axioma illud, res tanti valet, »
quanti vendi poteſt, interpretatur verum »
eſſe de potentia iuris, non de potentia facti.

Duplex eſt igitur potentia, vna facti, 3.
altera

Digitized by Google

altera iuris: mea igitur prior propoſitio eſt huiuſmodi. Poteſt Prælatus, ſi vti velit potentia facti, legata vtilia Eccleſiæ repudiare, ſed impoſita ſibi lege reſtituendi tantumdem Eccleſiæ, æternáſque pœnas DEO apud inferos dependendi.

Poſterior concluſio. Potentia iuris nō largitur Prælato, vt legatum, quod bonū eſt Eccleſiæ, negligat: id enim eſt diuina, naturali, humanáque lege vetitum. Quibus legibus cogitur, cùm quàm plurimorum, vt ſuprà dictum eſt, pupillorum, orphanorum, viduarū, calamitoſarúmque perſonarum cuſtos, tutor & parens conſtitutus ſit, non contemnere, aut remittere, quæ tantæ multitudini egenti, ſuſtentandæ, imprimis ſunt neceſſaria.

Quæ concluſio certiſſimis legibus cōprobatur. Eſt in l. additio. ff. de furtis. Ea quæ legantur recta via, ab eo qui legauit, ad eum cui legatæ ſunt, tranſeunt: ergo non poteſt Prælatus, ſeu rector Eccleſiæ, præcludere hanc viam legatis piis, quominùs tranſeant ad Eccleſias.

Adduci etiam ſolet lex, magis. §. Si pupillus. ff. de rebus, quæ ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis. Fundum autem legatum repudiare pupillus ſine Prætoris auctoritate non poteſt: eſſe enim hanc alienationem, cùm res ſit pupilli, nemo dubitat. Si igitur repudiare legatum, ſpecies eſt alienationis: & Prælato interdicta eſt alienatio rerum Eccleſiæ: ergo repudiare non poteſt legatū, quod ſit Eccleſiæ pupillis, viduis, aliiſque viris & mulieribus egeſtate oppreſſis. Fauet etiam lex, quidquid. C. de arbitrio tutelæ, qua deuinciuntur tutores: vt, quam vtilitatem acquirere poſſunt pupillis, non omittant; teneantúrque tutores de dolo, & leui culpa, ſi quid tutorum negligentia non ſunt adepti. Reuera quod nos defendimus in iudicio DEI, & apud tribunal iuſtitiæ & conſcientiæ, adeò verum eſt; vt aliter ſentire, credere, docere & agere, ſpeciem quamdam præ ſe ferat impietatis.

QVÆSTIO LXXXV.

M. Beneficij Rector, nouit, Seium, domum ſeu prædium ſuæ Eccleſiæ donaturum, vel legaturum: ſed ille legato ſeu donationi inhians, Seij mentem ac voluntatem inflectit: domúmque & prædium ad ſe auertit. 1.

Quæritur: cogatúrne M. reſtituere Eccleſiæ illud ipſum quod Seij beneficio obtinuiſſet. Et, vt à quæſtione finita ad infinitam aſcendamus; quæritur: An is, qui impedit, quominus alter legatum conſequatur, tantumdem ei reſtituere cogatur. Tractatur quæſtio à D. Thoma, in 2.2. q.62. art.2. à Scoto, in 4. ſent. d.15. q.3. art.2. ad vltimum, à Richardo, in eandem diſt. art. 4. q. 5. ad 7. à Paludano, in eandem q.2. art.2. à Gabriele, in eandem q.17. art.3. dub.1. ab Adriano, in 4. in tractatum de reſtitutione q. quæ incipit. Conſequenter quæritur, vtrùm impediēs » alium ab officio, lucro, &c. à Couarruuia in relectione regulæ, peccatum, part. 2. §.7. num. 8. à Caietano in art. 2. quæſtionis illius D. Thomæ, à Soto, in 4. lib. de iuſt. & iur. q. 6. art.3. col.12. §. At verò. à Nauarro, in ſumma, c.17. à nu. 69. ad 74. incluſum. Gloſſa capitis Quicumque, 12. quæſt. 4. vniuersè ſic præcipit: Si Prælatus » aliquid negligit acquirere Eccleſiæ ſuæ, » & poſſet; & mauult ſibi acquirere, quòd » hoc imputatur ei; & ad hoc tenetur ad » inſtar tutoris: nec enim præponere debet » vtilitatem ſuam vtilitati Eccleſiæ, ſicut » nec tutor vtilitatem ſuam vtilitati pupilli. » Idque allatis legibus confirmat.

Et ſanè ſi Eccleſiæ Rector cum pupilli tutore à Doctoribus comparari ſolet; 2. ſicut tutor non poteſt fraudare pupillū, qui in eius tutelam venit; ſic nec Rector fraudare poteſt Eccleſiam; cuius vtilitati, quæ communis eſt, quæ ad Chriſtum pertinet, atque ad ingentem pauperum & calamitoſorum cœtum, potiùs ſeruire debet quàm ſuæ: Vt enim tutela, inquit Marcus Cicero, in 2. de officiis: ſic procu-

ratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa,gerenda eſt: At procuratio Eccleſiæ, publicæ rei & ſacræ procuratiò eſt. Turrecremata & Cardinalis Alexandrinus, in cap. illud. Quicumque, ſcribunt. » Quocumque modo, & in quacumque » re damnum patitur Eccleſia, ſi culpa vel » dolo Prælati ſit, reſarciri debet à Prælato » de propriis, ſi habet. Archidiaconi verò in eumdem Canonem hæ ſunt ſententiæ. » Damnum, quod eſt in lucro omittẽdum, » tenetur Prælatus ſuſtinere pro vtilitate » Eccleſiæ ſuæ, etiam pro ea quæ eſt in lu- » cro captando, & fortiùs pro ea quæ eſt in » damno vitando. Et in eadem ſpecie ſemper communis vtilitas præfertur priuatæ: concedit tamen Rectori, vt res ſuas præferat rebus Eccleſiæ niſi fortè ſuæ eſſent viles, & Eccleſiæ pretioſæ. Probat auctoritate legis, ſi vt certo. §.2. ff. commodati. Verùm in eo §. totum contra eſt ac dicit Archidiaconus.

Adrianus in illa ſua quæſtione, quæ iam indicata eſt, regulam tradit ex Ge- » rardo Odonis. Et, ſi vera eſt, inquit ille, » fragilitati hominum valde eſt accommo- » da. Videlicet, damnificato in eo, quod nondum erat ſuum, aut ſui iuris, non eſt neceſſariò reſtituendum: aliud eſt enim auferre alicui ſuum, aliud facere, vt auferatur non ſuum; creditque Adrianus, regulam hanc Gerardi D. Bernardo probatam fuiſſe: idémque Adrianus in extremo quæſtionis addit hæc, atque his verbis: Aliud eſt, impedire fortunam alicuius; aliud, ei auferre ſuum: efficere ne quis aliquid conſequatur, eſt impedire eius fortunam; quod non inducit cauſſam neceſſariam reſtituendi. Legibus verò de aqua pluuia arcenda, reſpondet eas eſſe pœnales, quibus conſcientia ante ſententiam iudicis non obligatur. De re ardua quid mei iudicij ſit ſubiectis propoſitionibus indicabo.

3. Prima propoſitio. Qui bonis artibus & honeſtis compararet ſibi ea cõmoda, quæ ex donatione, vel teſtamento alterius ad Eccleſiam peruentura erant, quia vel ipſe magnopere egeret, vel eius cognatio, non eſſet vllius culpæ affinis, nec reſtitutioni obnoxius: Quia licet vnicuique ſibi ipſi prouidere, alio neglecto, inquit Scotus in 4. ſent. d.15. q.3. art.2.

Accommodari huc etiam poſſent verba Bonifacij VIII. in decretali, cùm non deceat, de electione. in 6. Officium ſuum » nemini debet eſſe damnoſum. Et verba » ex l. ſi ſeruus communis. §. Quod vero. ff. de furtis. Multo æquius eſſe, nemini offi- » cium ſuum, quòd eius, cum quo contra- » xerit, non etiam ſui commodi cauſſa ſu- » ſceperit, damnoſum eſſe; quæ lex non fa- » uet iis clericis qui beneficia exſpiſcantur Eccleſiaſtica, ſui commodi cauſſa.

Secunda propoſitio. Si per mendacium vel fraudem interuertit curator beneficij, quod vel ſuæ Eccleſiæ, vel alterius traditum fuiſſet, contra caritatem & iuſtitiam eodem tempore agit: quare neceſſaria reſtituendi lege illaqueatus eſt.

Tertia propoſitio. Si nec per fraudem, 4. aut mendacium, aut per ea, quæ ſunt iuſtitiæ contraria, legatum, ſeu donationem impediuit Eccleſiæ, ſed propter animi ſui improbitatem, maleuolentiam, ſeu odiũ, in eum fortaſſe, qui ſibi erat ſucceſſurus, ex ſententia veterum Theologorum rem adeptam reſtituere deberet: à quorum tamen ſententia recentes nonnulli ſemoti ſunt, vt Caietanus explanans art. 2. q. 62. in 2. 2. in reſponſione ad 6. argum. & Sot. in q. & art. iam citato, colum. 13. vbi loquitur his verbis. Qui ſuo vtens iure, præ- » bendam abſque vi & fraude, ſibi vel ami- » co procurat, etiamſi ex odio alterius id » faciat, & contra caritatem delinquat, ad » nullam tenetur reſtitutionem. Non face- » re ex odio, ſed facere iniuſtè, inducit obli- » gationem reſtituendi. Idémque ſentit de » legatis, quando ſine vi & fraude ea ſibi vel amico comparat. Vide illum in eod. art. col. proxima poſtremæ. §. Atque inde ſecundò infertur. Nauarrus, in Summa, loco iam antè citato, idem opinatur. In hos etiam concedit Adrianus in ea quæſtione,

ſtione, quæ à nobis indicata eſt.

Quamquam antiquorum Theologorum ſententiam, quæ magis eſt communis, in proſtremo §. illius quæſtionis, in conſcientiæ foro dicit eſſe tutiorem. Ac leges. ff. de aqua pluuia arcenda. l. 1. §. Denique Marcellus, & l. 5. magnopere adſtipulantur veterum opinioni. Neque earum legum interpretatio, à recentibus excogitata, cõmoda videtur: Aiunt enim, leges eſſe pœnales, id quod mihi parum fit veriſimile: quoniam non Imperatoriæ, aut Principum eæ ſunt leges, à quibus ſolis pœnæ irrogari ſolent, ſed Iuriſconſultorum reſponſa, qui de iure reſpondent; nec ſupplicio aut pœna vindicandi habent poteſtatem.

QVÆSTIO LXXXVI.

1\. O. Penſionario, Romani Pontificis conceſſu, octingentorum aureorum è bonis Eccleſiaſticis ſoluitur penſio: penſionario, ad vitam honeſtè agendam, ducenti ſunt ſatis.

Quæritur: Num reliquos ſexcentos diuidere debeat pauperibus. Nauarrus in Apolog. de reddit. q. 1. monito 80. probat, hanc ſummam deberi pauperibus. Primò, quia res tranſeunt cum oneribus ſuis c. ex litteris, de pignoribus, & c. paſtoralis, de decimis, adiunctis legibus, quas profert Gloſſa, in interpretatione capitis ex literis, in iis verbis, cum ſuo onere: ſed bona Eccleſiaſtica hoc onus habent annexum; vt, ſi ſuperſint habenti, cum pauperibus communicentur. Quare, &c. Deinde: Quia ius penſionis ex animo & voluntate concedentium Pontificum huiuſmodi eſt; vt pro alimentis ſit ei, cui penſio aſſignatur: Ergo, cùm ſe bonis Eccleſiaſticis alit pẽſionarius, eiſdem ſunt alendi pauperes. Pòſt: Quia non eſt æquum; vt, qui minùs meretur, plus habeat: ſed penſionarius multo minùs meretur, quàm beneficij Eccleſiaſtici Curator & Rector, qui multùm laboris & operæ ſuæ præſtat Eccleſiæ. Ergo, ſi hic, quod ſuperfuit de beneficij bonis, erogare debet pauperibus, cur non idem faciat penſionarius? Tum: Quia hoc mirum ſequeretur abſurdum; ſi cui tributa eſſet penſio centum millium aureorum nummûm; eíque ſufficerent tria millia, poſſe reliquos omnes ſuo arbitratu cõſumere.

Ad extremum auctoritas accedit conſtitutionum Pontificiarũ. Nam Paulus III. in ſua quadam extrauagan. quam refert Nauarrus in Commentario capitis, non liceat Papæ 12. q. 2. declarat, ea, quæ clericus (verba ſunt Nauarri) de huiuſmodi penſionibus quærit, eſſe cenſenda de ſpoliis, quæ debentur Papæ, poſt mortem clerici illa quærentis: in quibus tamen ſpoliis nõ cenſentur quæ tamquam ſtipendia ſoluunt Pontifices ſuis Nunciis & Legatis, nonnulliſque Cardinalibus. Vide illum in monito 32. & 80. in Apolog. de reddit. Eccleſ. Pius item V. anno 1567. tertio Kalendas Septembris, conſtitutionem edidit, de qua in illo ipſo Commentario Nauarrus, §. 8. Namque in §. Præterea, illius conſtitutionis, in iure & ratione ſpoliorum, quæ cellæ Apoſtolicæ non debentur, beneficia & penſiones, quæ triginta ducatos cameræ non excedunt, ad vulgarem æſtimationem, locat. credit enim Pontifex eam ſummam neceſſitatibus vitę exhauriri, neque quidquam fieri reliqui, quod ad Apoſtolicam cameram redeaţ. Vide ſi placet, eumdem Doctorem in fine §. 9. Commentarij ſui in cap. Non liceat Papæ 12. q. 2. cuius Nauarri illa prudens eſt animaduerſio. Cùm Pius V. conſuluit beneficium Eccleſiaſticum, ſeu penſionem obtinentibus, quæ non maior ſit triginta ducatis cameræ, non conſuluiſſe clericis negotiatoribus, qui à Canonibus non tolerantur: de quibus ita D. Hieronymus, in epiſt. ad Nepotianum de vita clericorum. ***Negotiatorem clericum tamquam peſtem fuge:*** habetúrque d. 89. cano. negotiatorem.

QVÆSTIO LXXXVII.

1\. R. Abbas, dum ægrotaret, in medicum & medicamenta contraxit æs alienum:morbo conſumptus interiit: de mercede perſoluenda medico inter demortui Abbatis heredes, & eum qui ſucceſſit in Abbatiæ Sacerdotium, diſceptatum eſt. Contendebant heredes, ſolutionem pertinere ad alterum Abbatem. Itaque pro pretio nonnulla ſubſellia, quæ in Abbatia relicta erant, dant medico: contrà ſucceſſor negabat ſubſellia illa è loco Abbatiæ moueri potuiſſe, in ſpoliis ad eum ſpectantibus ex conſtitutione Pij V. cenſeri oportere. Rogarunt igitur heredes, num æs alienum valetudinis cauſſa factum à defuncto Abbate ab ipſis diſſoluendum eſſet, an ab eo, cui tradita eſt Abbatia.

Quæſtioni nonnullis propoſitionibus reſpondi; quarum poſtrema totius controuerſiæ habet diiudicationem. Prima propoſitio. Pij V. conſtitutio; quæ incipit: Romani Pontificis prouidẽtia: à ſpoliis, quæ Apoſtolicæ cameræ debentur, ſemouet veſtes Sacerdotales, vaſa ſacra, aliáque huiuſmodi, quæ diuino cultui dicata ſunt; necnon ſcamna, dolia, menſas, reliquámque ex eo genere ſupellectilem: Nec enim vult attingi à ſpoliorum collectoribus, ſed in eodem loco relinqui: quibus ex verbis, non colligitur iſthæc omnia ſpolia ſucceſſoris eſſe: fieri enim poſſet, vt harum rerũ multæ fuerint ſuperiori Abbati aut commendatæ, aut commodatæ; necnon de ſua pecunia emptæ, ex paterna etiam domo allatæ. Credere enim debemus noluiſſe Pontificem harũ rerum aliquam veris dominis ſubtrahere.

Secunda propoſitio. Non igitur æquũ fecerunt heredes, qui ſellas illas, ſeu ſcabella medico tamquam ſuorum laborum mercedem reddiderunt.

2\. Tertia ac poſtrema propoſitio. Clericus, qui in mortui Abbatis ſubmiſſus eſt locum, æs alienum, quo propter morbi curationem obſtrictus erat prior Abbas, ſoluere debet: quia illud debitum ad vtilitatem neceſſitatémque Eccleſiæ eſt viri boni referre; & credere è re futurum eſſe Eccleſiæ quam regebat Abbas, viuere, atque eum è morbo conualeſcere. Non noſtra, ſed Alexandri III. hæc eſt reſponſio: hiſce enim verbis ille in ſua prima decretali de ſolutionibus. Sicut filius debita » patris ſoluere tenetur; ita Prælatus ſui » prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate » contracta. Gloſſa interpretationem faciens » illius verbi, neceſſitate, Succeſſor, » inquit, ad id tenetur, quod prædeceſſor » facere debet: ſed prædeceſſor mercedem » tribuere debebat medico: ergo hoc » ipſum ſucceſſor præſtabit, ſi defunctus » Abbas non præſtitit. Innocentius, in eam » decretalem, ea vult eſſe ad neceſſitatem affecta, quæ in vtilitatem ſunt verſa Eccleſiæ: ſed officia à Medico præſtita ægrotanti Abbati verſa ſunt in vtilitatem Eccleſiæ: ergo, &c. Oſtienſis, in eam ipſam decretalem ſcribit his verbis. Sicut filius » tenetur de omnibus, de quibus tenebatur » pater; ita & ſucceſſor Prælati de » omnibus, de quibus tenebatur Prælatus, » in quantùm Prælatus: ſed Prælatus, ha- » ctenus, vt Prælatus; id eſt, ea gerens, quæ » Prælatum decent, ſoluere debet Medico » pro labore & obſequiis: ergo, ſi non ſol- » uit, ſoluendi onus ſucceſſori cedit. »

3\. Panormitanus, in eandem decretalem num. 1. Succeſſor, inquit, in beneficio te- » netur ſoluere debita prædeceſſoris pro » neceſſitate Eccleſiæ contracta, & num. 2. » Si Prælatus contraxit debita pro ſua ne- » ceſſitate, tenetur ſucceſſor: quia pro ne- » ceſſitate Eccleſiæ videtur contraxiſſe: » cùm Eccleſia teneatur illum alimentare. » Et ita pluries, inquit, in facto reſpondi in iſtis, maximè in Rectoribus Eccleſiæ qui in infirmitate ſua multa debita contrahunt; ex qua decedunt. Nam ſucceſſor tenetur ſoluere. Confirmant eamdem reſponſionem verba Lucij III. in Decretali, peruenit, de fideiuſſoribus. vult enim, creditoribus ſatisfieri de bonis beneficij;

quando

quando in æs alienum clerici inciderunt. Probatur id ipſum ex extrauagante Ioannis XXII. quæ inter ſuas ſubiicitur tit. de electione: inter communes verò tit. Ne ſede vacante quidquam innouetur. In quam extrauagantem legito quæ commentata ſunt à Nauarro in tractatu de redditibus Eccleſiaſt.q.3.coroll.9.

4\. Verùm huic noſtræ reſponſioni obſtare videtur extrauagans Iulij III. quæ decernit, Cardinalium, Patriarcharum, Epiſcoporum, aliorúmque, qui è beneficiis Eccleſiaſticis victum quærunt, debita diſſolui non debere poſt eorum obitum ex fructibus beneficiorum, niſi, ſi dum viuerent, de eiuſmodi bonis ſoluta eſſent. Sed Nauarrus in 2.quæſt. de redditibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, corollario vltimo, num.37. vbi conſtitutionis mentionem facit, ſcribit, eam nimiùm duram extitiſſe; neque fuiſſe receptam.

At pace tanti viri dictum ſit, Iulij III. " conſtitutionē quæ incipit: Cùm ſicut no" bis nuper innotuit: fideliùs referre potuiſſet. Nam ſuam illam conſtitutionem, alia quadam enucleauit Iulius ipſe, conſtituens, vt ſucceſſores eorum, qui beneficia rexerunt, legata ad pias cauſſas, præſtare debeant, necnon ea debita, ſeu nomina ſoluere, quæ propter beneficia ipſa illi fecerunt. Ad cauſſam verò reuocari beneficij æs alienum, quod mortuus Abbas pro vita ſua fecit, iam dictum eſt.

QVÆSTIO LXXXVIII.

1\. Q. Litteris ad me miſſis requirebat vtrùm à clericorum ſpoliis excepta ſint aulæa, tapetes, lintea, & alia huiuſmodi, ſericea laneáve ſupellectilia, ex beneficij redditibus empta, veluti ſunt dolia vacua, tabulæ, & alia huiuſmodi excepta per extrauagantem Pij V. relatam à Nauarro in tractatu de ſpoliis clericorum §.8.

Reſpondeo, Romanum Pontificem eadem conſtitutione perſpicuis verbis docuiſſe, Eccleſiarū, Capellarum, & Oratoriorum ornamenta, muſicos libros, vaſa argentea & aurea atque alia diuino cultui dedicata, de quibus teſtari non poſſunt bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores, ſpoliorum nomine non contineri, neque in iis Pontificiam cameram ſuccedere, ſed penes Eccleſias, monaſteria, & Capellas manere.

Statuit etiam, & declarat idem Pontifex; quæcumque ſcamna, cathedras, arcas, menſas item ligneas, vel lapideas, vel marmoreas tabulas, ac quęcumque dolia, ſeu vaſa vinaria vacua, & alia ſimilia ſupellectilia domeſtica, quamuis beneficij fructibus comparata ſint, extra genus ſpoliorum eſſe.

De aulæis, & periſtromatis idem ſentit 2. Nauarrus in Commentario illius extrauagantis num.4. cùm ſic ſcribit: Qua ratione etiam non comprehenduntur in » prædictis aulæa & tapetes; quæ beneficiarius principaliter habet ad domum ſuam » ornandam: licèt nonnùmquam ea commodet Eccleſiæ. Sed nimirum cùm verba illa conſtitutionis, (& alia ſimilia ſupellectilia domeſtica) non videantur oſtendere differētiam generis, ſed potiùs ſpeciei; quòd ſi generis, in iis fortaſſe, quæ communem materiam habent, formámque artificioſam: ideo mihi non ſatis exploratè percepta eſt exceptio Nauarri in aulæis & tapetibus.

Quæro ex Nauarro num menſæ, & abaci, coclearia, pateræ, patinæ, ſtatuæ ex argento aut auro, aliáve pretioſa materia, nomen ſubeant ſpoliorum, quæ in iure ſunt Apoſtolicæ cameræ. Num item ſubeant idem nomen è ſerico ornamenta cubiculorum, quæ beneficiorum Eccleſiaſticorum fructibus conquiſita ſunt: ſi neget, hæc genere ſpoliorum comprehendi, Apoſtolicæ cameræ rationes cum ſpoliis implicitas euertemus: ſi det hæc in ſpoliis numerari: ergo, quemadmodum quæ ipſi argumentando enumerauimus, in ſpoliis inſunt; ſic ineſſe debebunt periſtromata & aulæa.

3. Et tamen exceptioni Nauarri locus erit, quando beneficij poſſeſſor aulæa & tapetes eo bonorum genere, quorum is verus Dominus erat, coëmiſſet. Profectò „ eorum verborum, & alia ſimilia ſupelle- „ ctilia domeſtica, vera explanatio, ex conſuetudine & peritia eorum qui colligendis ſpoliis præponi ſolent, eſſet eruenda.

Sanè illud æquitas ſuadet, vt ſupellex, cæterúmque inſtrumentum neceſſarium, maneat illi incolume, qui oneri ſuccedit beneficij. Ex hoc genere ſunt linteamina, linea induſia, ignes, & coquinæ inſtrumenta. Supellex verò minimè neceſſaria, non videtur mihi à ratione ſpoliorum eſſe ſepoſita, ſed Pontificiæ cellæ, ſeu cameræ deberi, vt res ſunt è ſerico, auro, argento, aliáque materia pretioſa.

QVÆSTIO LXXXIX.

1. ANni ſunt non pauci, cùm hæc mihi fuit allata quæſtio, vtrúmne ſacellum, ſeu altare, in amplo templo, ſiue cathedrali Eccleſia inædificatum, & vectigali octoginta annorum nummûm ornatum; cui onus erat annexum miſſas celebrandi; adoleſcenti, ſexdecim annos nato, abſque Romani Pontificis conceſſu poſſet ab Ordinario conferri.

Quæſtionis explicatio perfacilis fortaſſe cuipiam videri poſſit, animum ad ea aduertenti, quæ ab Oſtienſi, Ioan. Andr. Antonio Butrio, & Panormitano, traduntur, explanantibus Gregorij IX. Decretalem: ſuper inordinata, de præbendis, vbi cuique beneficio ſuam aſſignant ætatem: illa quoque conſideranti, quę Gloſſa præcipit, eamdem ipſam interpretans Decretalem, & caput, ex eo, de elect. lib. 6. & quæ Paludanus eodem de genere ſcribit in 4. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 4. vbi tribus concluſionibus tempora exſequitur, quæ diuerſa exigunt beneficia: cuius Paludani ſententiam probarunt D. Ant. in 3. par. tit. 15. cap. 1. §. 3. & Gabriel in 4. d. 15. q. 8. art. 1. notab. 2.

Omnes hi Doctores, ſenûm denumq́; 2. immo quattuordecim annorum ætatem ſatis eſſe ſimplici ſacerdotio, aut beneficio adipiſcendo pro comperto habent. Imò verò Gloſſa, Palud. D. Anto. Gabriel citatis locis beneficium ſimplex in puerum ſeptem annorum cadere poſſe crediderunt. Nam pupillum habere poſſe locum inter canonicos in Eccleſia cathedrali; quamuis in electioibus non ſit ſuffragij conſors, decreuiſſe videtur Bonif. VIII. in cap. ex eo, de elect. l. 6.

Verùm Panormitanus in cap. ſuper inordinata, de prębẽdis, auctoritate Oſtienſis & Archidiaconi, probat ante annum 14. iure nulli tribui poſſe beneficium: ita Archidiaconus puerum illum, de quo eſt in ea Decretali Bonifacij, non iure tenuiſſe locum inter canonicos ſcribit, ſed Romani Pontificis beneficio. Additque Panormitanus in caput, ſuper inordinata, in extremo ſuæ explanationis: in more curiæ poſitum eſſe, vt beneficium ſimplex non concedatur ei, qui ad annum 14. non peruenerit. eſſeque Oſtienſis, Archidiaconi, & Panormitani opinionem communem Doctorum affirmatur in ſumma quæ proponitur, Decretali, ſuper inordinata.

Quam communem ſententiam, & curiæ conſuetudinem, haud obſcuris verbis confirmaſſe videtur Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. vbi conſtituit, neminem ante 14. annum, beneficium Eccleſiaſticũ poſſe obtinere: quibus verbis ſatis indicauit, collationem contra hanc legem factam fore nullam. namque, vt admonet Gloſſa in cap. licèt Canon, de elect. lib. 6. vt aliquid irritum ſit, ſufficit legiſlatorem prohibuiſſe, & ſi non adiiciat, contra factum, non valere. C. de legibus, non dubium. Ergo, qui in hac ſentẽtia ſuperiorum Doctorum ſtare vult: minimè dubitabit ſacellum illud, ſiue altare in huius adoleſcentis perſonam conuenire potuiſſe.

At verò intuenti decretum Concilij 3. Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. ſecus fortaſſe videbitur dicendum: Decernit enim, vt, qui in Eccleſiis cathedralibus, vel collegiatis, digni

dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, & quælibet beneficia alia obtinent, quibus varia onera annexa ſunt, aut Miſſas, aut Euangelium, aut epiſtolam cantandi, intra annum ordines requiſitos ſuſcipiãt: & munera per ſe ipſos ordineſq; exercere debeant: at iuuenis ſexdecim annorum neque ordinem ſacerdotij intra annum ſuſcipere, neque Miſſam celebrare per ſe ipſum poteſt: ergo illi Capellę aut altari nõ poteſt eſſe idoneus miniſter. Cùm ergo meus animus in hac quæſtione fluitaret, atque huc illúcque impelleretur ad illuſtriſſimum Cardinalem Caraffam de me, noſtróque ordine optimè meritũ, de tota controuerſia litteras dedi; vt quid de hoc genere illuſtriſſima Congregatio iudicij haberet, doceret.

4. Mihi, & quæſtioni, nomine congregationis, ita reſpondit, Idibus Maij, 1584. (quam reſponſionem in ſecundum librũ de officiis parochorum ipſi iampridem » retulimus) Capellam, cui annexum ſit » onus Miſſas celebrandi, niſi fundationis » lege cautum ſit, vt Capellanus per ſemet- » ipſum Miſſam celebret; clerico minori- » bus ordinibus initiato conferri legitimè » poſſe ab illuſtriſſimis Concilij Tridentini » patribus decretum eſt. Vnde in caſu à pa- » ternitate tua nobis propoſito ſpeciali ali- » qua Pontificis gratia non eſt opus: quan- » doquidẽ ſicut 14. annos natus adoleſcens » ad prædictã Capellam præſentari potuit, » & inſtitui, nulla ſibi eiuſmodi iuris patro- » natus lege contradicente; ita pari quoque » ratione potuit eius fratri 16. annum agen- » ti præuia Ordinarij approbatione cõferri.

Sed minimè ſpernendum eſt monitum illud Paludani in 4. ſenten. d. 25. q. 2. art. 4. concl. 1. de beneficiis ſimplicibus, quæ » pueris mandantur; ſcribentis. Et quam- » uis, inquit, iure humano non irrita ſit » talis collatio: tamen iure diuino illicitum » eſt dare talia beneficia talibus: niſi, quan- » do alij non inueniuntur: quia contra iu- » ſtitiam diſtributiuam eſt illa dare minùs » digno: quamuis autem iſte puer non ſit » indignus poſitiuè propter defectum vitæ, quia eſt innocens; reſpectu tamen illius » eſt indignus, qui habet vitam, & ſcientiã: » qui ſtatim poteſt prodeſſe Eccleſiæ: & » ideo iſte eſt indignus, quia alius eſt di- » gnior. Vnde contempto meliore, ſanctio- » re, iuſtiore, dare alteri eſt graue peccatũ, » vt dicit Auguſt. ſuper Iacobum, cap. 2. Hęc » totidem verbis Paludanus. Quorum autẽ iſti iuueni traditum eſt illius altaris beneficium, an cõtemptum fuerit ſalutare hoc Paludani documentum, meum non fuit nec diuinare nec iudicare.

QVÆSTIO XC.

S. Clericus ſtudioſiſſimè alea ludit lucri cupiditate adduct⁹: quid de hoc aleatore perſonam ſuam, totámque Eccleſiaſticam claſſem dedecorante cenſendum erit? 1.

Mortiferæ culpæ hunc pœnam ſubire mihi dubium non eſt, præſertim ſi palàm ludum aleatorium exerceat; qui clericis adeo eſt interdictus, vt per canonem cleric. 2. de vit. & honeſt. clericorum, nec eius ſpectatores eſſe poſſint. Oſtienſis in ſua ſumma, lib. 5. de exceſſibus Prælatorũ, num. 4. §. Clericus verò, verba faciens de aleatoriis ludis, ita ſcribit.

Sunt igitur ludi noxij vitandi, ſicut taxillorum; ſicut ſuprà de vit. & honeſt. clericorum: ſunt enim indigni, & peſſimi, & ſeruiles: quorũ effectus, eſt iniuria. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur, vt in proœmio. ff. veteris. §. illud verò ſatis. Et ſubiicit Oſtienſis in num. 5. ſexdecim delicta ſeptem verſibus comprehenſa, quæ ob ludum aleæ committantur; additque in eod. §. propter ludum huiuſmodi turpem vitam agi.

Nonnullus etiã Doctor, citatus ab eo, qui ſcholia exarauit in Angeli ſumma, in verbo, Ludus, num. 2. Doctores, qui aleam ſequerentur, infames eſſe aiebat: quanto igitur magis in fæcibus hærebunt infamię clerici, ſi idem genus ludi conſectentur? D. Antoninus in aleæ ludo culpam lethalem 2.

lem agnoſcit; quando initur non animi cauſſâ, ſed lucri cupiditate, aut rem magni momenti animo lucrandi. Vide illum in 2.par.tit.1.cap.23.§.2.genus enim culpę è genere pœnæ, quã Canon infligit Apoſtolorum, rectè colligit: ſiquidem pœna depoſitionis eſt, & excommunicationis ferenda in cap.1.diſt.35.vbi eſt his verbis:
» Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus
» aleæ,ſeu ebrietati deſeruiens,aut deſinat,
» aut certè damnetur;Gręcè eſt,καθαιρείσθω,
» id eſt,deponatur: Subdiaconus verò, aut
» lector,aut cantor ſimilia faciens,aut de-
» ſinat, aut communione priuetur. Quis autem neſciat,neminem aut depoſitione, aut excommunicatione mulctari, niſi ob culpam,quæ diuinam iugulat caritatem? Idem Archiepiſcopus Florentinus in illo c.23.§.6. piè obſeruat quot punctis aleatorij cubio diſtincti ſunt(ſunt enim viginti & vnum) totidem ex eorum ludo peccata oriri. Quot enim, inquit, in taxillis ſunt puncta,tot ſcelera ex eis procedunt: vnum grauius altero: & non mirum, inquit,ſi vituperantur à DEO,& toto mundo:illáque viginti & vnum ſcelera ordine perſequitur.

3. Sotus in 4.lib.de iuſtit.& iur.q.5. art.2. Sacerdotibus autẽ, inquit, vix citra mortale vti licet ludis veritis,ac pręſertim Religioſis,& Antiſtitibus. Quoniã ludus illis non qua ratione ſecularibus, ſed quia contra eorum eſt honeſtatem, prohibitus eſt. Turrecremata,crimen eſſe mortiferũ clericis aleæ ludum ſcribit in Commentario cap.Epiſcopus.diſt.35.non longè ab extremo; nouémque peccata numerat percenſendo ex ſẽtẽtia Raymondi.Nauarrus in ſumma cap.20.num.9.tam clericis beneficium Eccleſiaſticum obtinentibus, quàm iis qui ſunt ſacris ordinibus initiati, necnon religioſis, ſcelus ait eſſe aleæ ſiue fortunæ ludis magnam ludere quantitatem:eamdem ſubſcribit Gabriel ſententiam,in 4.ſent.diſt.15.q.13.art.3.dubio 3.vbi diſſerit, vtrùm, qui ſpectant ludos prohibitos, ſint culpæ mortiferæ rei.

Quare probare non poſſum interpretationem cap.1.diſt.35.fabricatam à Sylueſtro in verbo ludus, num.10.cùm ſcripſit: Prædicta intellige de ludente cum peccato mortali: ſecus de ludente licitè, aut cum peccato veniali, puta ex recreatione quid modicum: magis enim reſtrictè & cautè dicendum erat,hunc ludum, de quo agimus, cùm ſit tot ſcelerum ſeminarium; cùm notam inurat infamiæ, cùm ſit tum diuina,tum Eccleſiaſtica,tum etiam ciuili lege damnatus, à clericis ſine graui culpa vſurpari non poſſe:veniam tamen quamdam mereri alicuius circumſtantiæ acceſſione,quæ facit, vt, aut peccatum tantùm ſit leue,aut etiam nullum.

Profectò D.Thomas,qui in hac re, & 4.
in cæteris ad honeſtatem vitæ ſpectantibus nobis debet eſſe magiſter, in 2.2.qu. 168. art.3. mortale peccatum ſtatuit eſſe ludum,quando quis ſtudio ludi abreptus ludit contra præceptum DEI, vel Eccleſiæ.Lex ciuilis non animaduertit in eum, in cuius domo ludus celebratur aleæ, neque in eum,qui ex eiuſdem domo furto quidpiam ſurripit: In eum verò, inquit »
Prætor, qui aleæ ludendæ cauſſâ vim in- »
tulerit, vti quæque res erit, animaduer- »
tam: pœna autem eſt eiuſmodi ex Vlpia- »
no l.1.de aleatoribus,vt, aut mulcta mul- »
ctetur,aut in latumias,vel in vincula pu- »
blica detur:In l.verò, alearum vſus.C.de religioſis,& ſumptibus funerum,& aleæ vſu, & aleatoribus, præcipitur, vt nemo neque in domibus,neque in locis publicis,ſeu priuatis ludum ſpectet alearum.

Vult etiam vt id,quod amiſſum eſt in 5.
eiuſmodi ludo, vendicare poſſit pater, procurator,ſeu heres:quòd ſi ab iis non vindicetur, ſibi fiſcus acquirat, non obſtante, inquit lex, niſi quinquaginta annorum præſcriptione.

Eſt verò operæ pretium verba hic adſcribere Ariſtotelis,ex 4.lib.Ethicor.ca.1. de liberalitate,& eius extremis, in calce capitis, quem locum Bernardus Felicianus ad hunc modum interpretatus eſt. Aleator, & fur, ſeu ſpoliator & latro, ex illiberalibus etiam ipſi ſunt: cùm turpi

lucro dediti ſunt:vtrique enim lucri cauſ-
ſa negotiantur,& opprobria ſuſtinent: &
hi quidem pericula maxima acceptionis
cauſſà ſubeunt:illi ab amicis quibus dare
deberent, lucrantur: vtrique igitur, cùm
vnde non oportet,velint lucrum compa-
rare,turpi lucro dediti ſunt. Atque omnes
huiuſcemodi acceptiones ſunt illiberales.

Nunc tu tecum cogita,quid nobis de
aleatore clerico ſentiendum ſit,cùm ipſe
Ariſtoteles eum, qui aleæ ludo dat ope-
ram, quem κυβευτὴν appellat,in cuneum
coniiciat τῶν λωποδυτῶν καὶ τῶν λῃστῶν καὶ
τῶν ἀνελευθέρων καὶ τῶν αἰσχροκερδῶν. Id eſt,
» ſpoliatorum, ſeu veſtium furium, & illi-
» beralium, & eorum qui turpia lucra ſe-
» ctantur.

De latrunculorum, ſeu ſcacchorum ludo.

QVÆSTIO XCI.

LAtrunculorum luſio honeſta,& con-
ceſſa ſit clericis necne, an quapiam
lege interdicta, videndum eſt.

1\. Roſella in verbo,ludus.§.poſtremo,in
ludis, qui nec clericis, & maximè religio-
ſis,non permittuntur, numerat ſcaccho-
rum ludum; ſuæque opinionis patronos
dilaudat Iacobum quemdam,& Petrum.
Quæ opinio eſt eiicienda omninò:quam-
uis cum Roſella ſentiat Gabriel in 4.ſent.
diſt.15.art.3.dubio 2. & Caietanus expla-
nans articulum tertium quæſtionis 168.
in 2.2.quem ſcacchorũ ludum,ſi ludendi
finem ſpectes, quæ animi eſt oblectatio
honeſta,omnium ludorum peſſimum ap-
pellat: & ob eamdem cauſſam ineptiſſi-
mus à Nauarro exiſtimatur, in ſumma,
cap.20.num.3. Nec me latet Bartolum in
procemio digeſtorum. §.illud verò, ſcri-
pſiſſe hoc genus ludi maximè prohibitũ
eſſe litterarum ſtudioſis;quibus ipſis alius
quidam Doctor dicit eſſe peſtilentem:eos
enim quaſi ebrios reddit,multáſque tem-
poris partes iiſdem ſuffuratur:eòdem ad-
di poſſet:quia ludus eſt iracundiæ, & ſto-
machi plenus, iacturam habens ingenij
in eo qui vincitur.

Sed, vt iam dixi, eſt hæc opinio pror- 2.
ſus explodenda, tum auctoritate,tum ra-
tione adhibita. Ergo latrunculorum lu-
dum non eſſe clericis indecorum Gloſſa
ciuilis iampridem docuit in authenticã,
interdicimus. C.de Epiſcopis & clericis.
Innocentius in cap. lator de homicidio
caſuali,Panormitanus in cap.Clerici 2.de
vit.& honeſt.clericorum,num.2. vbi opi-
nionem teſtatur communem eſſe Docto-
rum,ſcacchorum ludum clericis eſſe lici-
tum; proferéque Innocentium in eodem
loco,qui eſt à nobis iam indicatus:& Ar-
chidiaconum in cap.Epiſcopus, diſtin.35.
vbi ſic:Ludus autem ſcacchorũ non pro- »
hibetur:quia ibi potiùs humanum inge- »
nium exercetur, niſi ad pecuniam, ſe- »
cundùm Lau. »

Veniamus ad Theologos. Richardus
in 4.diſt.15.art.5.q.8. ob rationem Archi-
diaconi probat eſſe licitum: & ob illam
ipſam Turrecremata licere ait,in cap.Epi-
ſcopus,diſt.35.art.2. item D.Antoninus in
2.par.tit.1.c.25.§.2. Syluester in verbo lu-
dus num.7. Nam de hoc ludo differens
ait,ſecundùm Doctores,& conſuetudinẽ
verius eſſe eum clericis non eſſe prohibi-
tum. Angelus in verbo,ludus.§.2.Tabie-
na in verbo,ludus.num.7.idem omnino
quod Sylueſter,verbiſque iiſdem. Nimi-
rum Sylueſter data opera Roſellę opinio-
nem, & Iacobi Aretini,& Petri, necnon
Cini refellit, in verbo ludus. num.2. §.4.
Eſt aliquando.

Ratio etiam ſatis illuſtris hunc ludum 3.
honeſtat: propterea quòd & exercitatio-
nem habet ingenij:nihil fortunę commit-
tit:ratione & conſilio cuncta adminiſtrat:
fraudes omnino ignorat ac reſpuit: Re-
gis,qui copiis hoſtilibus præeſt,cùm peti-
tur latus, qui pro eo pugnat admonetur
omnibus omnium generibus hominum
eſſe familiaris. Denique ludus plenus eſt
liberalitatis, & ingenuitatis; omniáque
vitans incommoda, quæ ab aduerſariæ

ſententiæ Auctoribus adferuntur, ſi modicè adhibeatur quæſtus, turpíſque lucri cupiditate circumſcripta, atque cum ea temporis pręſcriptione, quam honeſta ratio & voluptas animi præfinit.

In publico verò cœtu, præſertim profanæ multitudinis, eſſet clerico ab hoc ludo abſtinendum. Syluester illud etiam addit, cum laico nõ eſſe ludendum: duorum canonum auctoritate probare id nititur: in quorum neutro reperitur, quod ait Syluester.

De immunitate Eccleſiaſtica.

Totam Eccleſiæ, ſeu clericorum immunitatem, à Iure diuino & naturali manaſſe.

QVÆSTIO XCII.

1. VT multis rogatoribus ſatisfactum ſit, primùm de toto ipſo genere ſacræ immunitatis concesſo Eccleſiæ: deinde de ſingulis partibus propriè diſſeremus.

Ipſi igitur vſque defendimus, clericorum immunitatem, ſiue in perſonis eorum, ſiue in cauſſis, ſiue in bonis ſpectetur, à Iure diuino & naturæ fluxiſſe.

Prima argumentatio. Poteſtas Eccleſiaſtica diuino iure inſtituta eſt, atque ſancita; totáque in Romano Pontifice collocata, qui legitimus eſt Chriſti in terris vicarius, & Petri ſucceſſor: ergo & iuriſdictio Eccleſiaſtica & illius materia propria, quæ perſonas ſacras, & earum cauſſas, & res amplectitur, eiuſdem diuini iuris inſtitutionem habeat neceſſe eſt.

Secunda. Superioris & dignioris poteſtatis iura, aut imminui, aut violari non poſſunt ab ea quæ eſt inferior, & minùs digna; & quæ ſuperiori natura ſubeſſe & obtemperare debet; ſed poteſtas ſpiritualis Eccleſiæ & iuriſdictio dignior eſt ciuili, ac ſuperior, atque illi iure diuino præeſt: ſiquidem cuncti Chriſtiani, infimi, medij, ſummi, Petri & Romani Pontificis oues ſunt, à quo paſci & regi debent: ergo libertatem, atque immunitatem paſtorum ab ouibus aut lædi, aut deuorari impium eſt: id autem accideret, ſi vllus Principum ſiue in perſonas ſacras, ſiue in eorum cauſſas, & bona ius exercere vellet: in eo enim de iure Romani Pontificis diriperetur: ergo nemo conari id ſine ſacrilegio poteſt.

Tertia. Si in ſpiritualibus, vt inquit In- 2.
nocent. III. ſcribens ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, Pontifex Romanus excellit, quę tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori: extántque hæc verba in ſua Decretali, Solitæ, de maioritate & obedientia: Quis Princeps audeat incommodare tantæ maieſtati Pontificiæ; qua tum perſonæ, tum res Eccleſiaſticæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum bona proteguntur & gubernantur?

Quarta. Si Pontificia dignitas ſoli: Imperatoria & Regia, lunæ comparatur, vt idem in eadem epiſtola dicit: ergo ſicut luna luce ſolis ſplendeſcit, neque eum infuſcat: ſic Imperatoria poteſtas lucem accipit & fidei & iuſtitiæ, qua ad fœlicitatem peruenitur æternam, à Romano Pôtifice; cuius ſplendori officere non poteſt: officeret autem, ſi partem vllam poſſet Eccleſiaſticæ iuriſdictionis aut lædere aut perturbare.

Quinta. Verè dixit Driedo in 1. lib. de libert. Chriſtiana, cap. 9. poteſtatem ſpiritualem temporali præfici tamquam cauſſam efficientem, & dirigentem, tamquam formam & finem: ergo illius finem, qui eſt, ex caritate nanciſci veram fœlicitatẽ, illius functiones ſacras, & officia, poſſeſſionem, atque adminiſtrationem bonorum, quæ à miniſtris Eccleſiaſticæ Hierarchiæ poſſidentur, peruertere & labefactare non poteſt.

Sexta Hierarchia Eccleſiaſtica, quæ cõ- 3.
ſtat ex Epiſcopis, preſbyteris & miniſtris, diuina ordinatione eſt inſtituta, vt definitum eſt à Tridentino Concil. ſeſſ. 23. can. 6. cuius caput & legitimus præſes eſt

Roma

Romanus Pontifex:ergo quæcumque ad decorum,& dignitatem huius Hierarchiæ pertinent:erunt ex eadem diuina inſtitutione: pertinet autem vt perſonæ, & bona,& cauſſæ,quæ partes Hierarchiæ attingunt,à ſumma poteſtate,quæ Hierarchiæ moderatur,cognoſcantur,iudicentur,defendantur:ergo eius iuriſdictio atque immunitas ſine graui ſcelere à nemine poteſt offendi.

Septima. Nullus eſt Rex aut Princeps, qui ſuę familiæ non tribuat,quam poteſt, immunitatem;ſed vniuerſitas clericorum eſt iure quodam præcipuo familia Dei, cui famulatur,ac ſeruit: ergo quin ei largitus ſit & ciuilium munerum,& iudiciorum,& tributorum immunitatem, dubitari non debet.

Octaua. Si Rex Hiſpaniarum in homines Gallos,eorúmque prędia,& patrimonia nullum obtinet imperium; nec viciſſim Rex Galliæ perſonas rémve vllam occupare poteſt Hiſpanienſium hominum, multò minùs Rex, aut Imperator vllus perſonam quampiam,aut rem ſibi vendicare poteſt ex Hierarchico Romani Pontificis imperio;cùm vnum mundanum,& profanum regnum in aliud ius aliquod interdum habere poſſit; nullum autem regnum ſeparatim,neque omnia coniuncta quidquam habeant poteſtatis in regnum Romani Pontificis:cuius nutus,& imperia,& leges, tamquam filij iuſſa parentum,& oues paſtorem, intueri, ſequíque debent.

4. Nona probatio ex ſanctionibus Conciliorum, & Romanorum Pontificum petita. In Concilio Lateranenſi, in quo Leo X. interfuit ſeſſ.9. non longè ab extremo eſt his verbis: Cùm à iure tam diuino quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit. Grauiſſimáque in eos cenſura animaduertit Leo X. & Concil. qui vectigalia aliáque onera perſonis imponunt Eccleſiaſticis: innouatque, ſacro approbante Concilio, idẽ Leo omnes Bonifacij VIII. conſtitutiones ad libertatem Eccleſiaſticam pertinentes. Si ergo Principes nullam habent poteſtatem in perſonas Eccleſiaſticas: ergo eodem iure diuino negarum eſt, vt illis ipſis vectigalia, aut eorum bonis onera poſſint imponere: nam hæc onera ſi ferrent perſonæ Eccleſiaſticæ aut in ſuis perſonis, aut in ſuis bonis, illis præcipere,& eos cogere poſſent ſuo iure Principes:quod ipſum negat Concilium Lateranenſe. Tridentinum Conciliũ ſeſſ. 25.cap.20.de reformat. Eccleſiæ, inquit,& perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus inſtituta eſt. Concilium Colonienſe, quamuis non generale, quod Tridentinam Synodum præcucurrit par.9.c.20. eamdem hiſce verbis cõprobat veritatem: Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt, iure pariter diuino & humano introducta; quæ in duobus potiſſimùm ſita eſt: primùm, vt clerici eorúmque poſſeſſiones à vectigalibus,& tributis,aliiſque muneribus laicis libera ſint: deinde, ne rei criminis ad Eccleſiam confugientes, inde extrahantur. Symmachus cum reliquorũ Patrum cœtu in Romano Concilio, quod fuit tertium, Solis inquit ſacerdotibus de rebus Eccleſię diſponẽdi indiſcuſſè à Deo cura commiſſa eſt; cuius ſynodi decreta in decretum retulit Gratianus diſt.96. cap. bene quidem. ex qua ſynodo Innoc. III. ſumpſit ſententiam,& verba cùm in Decretali, Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtit. ſic loquitur. Nos attendentes quòd laicis etiam religioſis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas; quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi. Martinus verò V. in conſtitutione, Ad reprimẽdas, loquens de laicis ſic ait, Non attendẽtes quòd laicis in clericos, & Eccleſiaſticas perſonas, & illorum bona nulla ſit attributa poteſtas: & Conſtantienſe Concilium, ſeſſ.31. Subditi in eorũ Prelatos & laici in clericos nullã habent iuriſdictionem,& poteſtatẽ. Et Bonifacius VIII. in ſua Decretali, quamquam, de cenſibus. Cùm igitur, inquit, Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ,

" ac res ipſarum, non ſolùm iure humano,
" quin imò & diuino à ſæcularium perſo-
" narum exactionibus ſint immunes.

4 Decima & poſtrema ratio. Niſi immunitas, & libertas hæc Eccleſiaſtica eſſet à DEO: nunquam ei ſeculi Principes ſummi aut aſſenſiſſent, aut fauiſſent; quibus nihil eſt moleſtius ac durius, quàm vel tantulum ſui iuris legitimi ac iuriſdictionis deperdere.

Sed operæ pretium eſt perantiqui & impij philoſophi audire teſtimonium, id quod nos de iure Eccleſiaſticæ immunitatis contendimus, comprobantis. Strato Lampſacenus, vt eſt apud Ciceronem in Lucullo, qui à rerum humanarum cura & adminiſtratione Deum auocabat, ex eorum Philoſophorum ſecta, qui pietatem minimè coluerunt, immunitatem operum, & vacationẽ ſacerdotibus Deorum dari pro certo ſumebat, ad DEI prouidentiam tollendam: abſurdúmque eſſe concludebat iis muneribus Deos occupari, quibus rectum minimè erat illorum ſacerdotes implicari.

Et Alexander magnus captis Thebis vendidit liberos homines exceptis ſacerdotibus; quemadmodum eſt apud Ælianum lib. 13. variæ hiſtoriæ, cap. 7. Et Cicero in oratione de Aruſpicum reſponſis:
" Lege, inquit, naturæ, communi iure gen-
" tium ſancitum eſt, vt nihil mortales à Diis
" immortalibus vſu capere poſſint. Atqui Eccleſiæ Chriſtianæ bona, ſunt DEI bona; ergo iure naturæ & gentium tueri debent libertatem.

QVÆSTIO XCIII.

1. NVnc in ſingulis Eccleſiaſticæ immunitatis partibus id ipſum, quod de eadem vniuersè demonſtrauimus, duce IESV conemur. Prima igitur immunitas in perſonis ab Eccleſia diuino cultui addictis verſatur: hãc iuris eſſe diuini nemo negauerit, qui ſacra à profanis nouerit ſegregare. Cùm enim vniuerſitas clericorũ ſacra ſit, poteſtati profanæ, & non ſacræ præeſſe debet, non obtemperare; illi præcepta dare, nõ ab ea accipere: in hac enim vniuerſitate ſunt paſtores & patres: in poteſtate & vniuerſitate laica oues, & filij: neque in Eccleſia Catholica paſtores, & parentes animorum, ab ouibus & filiis ad officium reuocantur; ſed ab his oues in ouile etiam bacillo, id eſt, Eccleſiaſtica animaduerſione, atque armis etiam, cùm opus eſt, compelluntur.

Itaque Couarruuias in lib. practicarum quæſtionum, cap. 31. concl. 2. fatetur opinionem eſſe communem, clericos iure diuino exemptos eſſe à poteſtate ſæculari; quam ipſam tribuit Gloſſæ in cap. ſi Impetator. diſt. 99. & Gloſſæ in cap. quãquam de cenſibus, quam ait ab omnibus eſſe receptam; profértque Cardinalem in repetione ca. perpendimus, Abbatem, Felinum, Decium in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitut. eamdémque Felinus in cap. 2. col. 1. de maiorit. & obedien. teſtatur eſſe communem: qui omnes adeo diuini iuris clericorum exemptionem eſſe contendunt, vt illi vlla humana lege derogari non poſſit.

Sed quid attinet ad opinionem diſſentium reuocare, quod eſt certa Oecumenicorum Conciliorũ auctoritate firmatum? Quorum Conciliorum verba ſunt in ea, quæ antecedit quæſtione, à nobis ſumma fide allata. Quare impius Ioannes Wicleffus meritiſſimè fuit in Concilio Conſtantienſi condemnatus, qui delirans, iactabat à poteſtate ciuili Eccleſiaſticos non eſſe exemptos in ciuilibus & criminalibus.

Secunda immunitas eſt fori, ſeu iudiciorum, vt in ius, & ad tribunalia profana magiſtratuum vocari clerici non poſſint, neque apud tales magiſtratus profanos cauſſam dicere. Immunitatẽ hanc quamuis dicat Sotus in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. concl. 5. non expreſsè conſtare (verba ſunt eius) eſſe de iure diuino; dicit tamen eſſe iuri naturali & diuino maximè conſentaneam: ipſi verò addimus ita eſſe 2.

omnino

omnino cum diuino & naturali iure coniunctam, vt ſecus ſine graui errore nemo poſſit opinari: huc enim ſpectant tam multa arguméta in priorem quæſtionem collata: huc item tendunt quæ Sotus in illa concl.5. ſapienter argumentatur.

Primum: Quia iure diuino ſunt Eccleſiæ Miniſtri conſtituti: ergo ex eodem iure eſt, vt non debeant à ſæcularibus iudicibus euocari; & ab ſuis Eccleſiis, muneribúſque ſacris abduci: *Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire: & nemo militans* DEO *implicat ſe negotiis ſecularibus*. 2. ad Timoth. 2. Deinde, quia cùm in cauſſis Eccleſiaſticis iure diuino à foro ſæculari immunes ſint clerici, vt non modò Catholici, ſed etiam hæretici crediderunt, vſu venire poſſet ſæpenumero; vt eodem tempore cauſſæ ſpirituales & ciuiles concurrerent: & propter illas ad tribunal Eccleſiaſticum, propter has ad profanum oporteret accedere: nec ſatis conſtituere poſſent, qui poſtularentur, ad vtrum ſe priùs conferre deberent.

3. Pòſt, indignum, indecorum, ac turpe eſſet; vt, qui homines ſpirituales, & ſacri, iudicium dare debent in ſeculares, atque eos errantes coërcere, ij à ſæcularibus, hoc eſt, parentes à filiis iudicarentur & punirentur: quo nihil à recta ratione & diuina lege cogitari poteſt diſiunctius. Tum, ſi Apoſtolus 1. Corinth. cap. 6. acriter obiurgauit primos Euágelicæ Eccleſiæ Chriſtianos, quòd apud Ethnicos iudices cauſſas diſceptarent, cùm poſſent ſibi è cœtu fidelium deligere, à quibus illæ cognoſcerentur; qua ratione tuliſſet Apoſtolus, vt ſacrorum Miniſtrorum cauſſæ non apud ſacros iudices, ſed profanos, agerentur?

Ad extremum, hanc ipſam ſententiam confirmant verba Conſtantini Imperatoris; qui libellos repudiauit querelarum, quos ad eum in Concilio Nicæno nonnulli Epiſcopi detulerunt: quos eſt his verbis affatus, *Vos à nemine diiudicari poteſtis; quia* DEI *ſolius iudicio reſeruamini*: quam ſententiam illum, docente B. Sylueſtro, imbibiſſe credendum eſt, extántque ea Conſtantini magni verba, 11. q. 1. can. continua. ex Cod. Theodoſiano, lib. 16. tit. de Epiſc. audien. c. vlt. vbi Imperatores Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, ſancientes de cunctis, qui neceſſitatibus Eccleſiæ ſeruiunt, vetant eos ad iudicia protrahi ſæcularia. Habent illi, inquiunt, ſuos iudices: nec quidquam iis publicis eſt commune cum legibus. Ex quo intelligi poteſt graue Scoti erratum, in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. §. Reſpondeo, non eſſe eſſentiale ordini: qui priuilegiũ exemptionis à foro laico in cauſſa ſanguinis ait Eccleſiæ datum eſſe à Conſtantino. Ex epiſtolis namque decretalibus primorum Pontificum Romanorum, eorumdémque martyrum, qui multos annos Chriſtianos Imperatores præcucurrerunt, planiſſimum fit, clericorum cauſſas à laicorum tribunalibus ſecluſas eſſe: nec vmquam licuiſſe, niſi apud Epiſcopos, Eccleſiaſticóſque iudices, eas actitari, ac iudicari.

Hoc primùm ſanxit B. Petrus, primus Chriſti Vicarius, vt auctor eſt Clemens Romanus, in ſua 1. epiſtola decretali. Hoc reliqui Apoſtoli ſtatuerunt: hoc Anacletus, qui anno octogeſimo poſt Chriſtum natum: hoc Alexander I. qui anno 109. Pontificatum geſſit: hoc Gaius, hoc Marcellinus, hoc Gelaſius, hoc alij multi antè tempora Chriſtianorum Imperatorum decreuerunt.

Quin etiam D. Petrus, eodé Clemente teſte tulit; vt cuilibet oppreſſo Chriſtiano ius liberum eſſet ad Sacerdotũ iudicium prouocandi: nec cuiquam fas eſſet eorum repudiare ſententiam: quod ipſum poſtea in ſua prima decretali iuſſit, confirmauítque Anacletus. Atque has leges inter Chriſtianos valere voluerunt, quo tempore in eos ab Ethnicis Imperatoribus & Regibus crudeliter ſæuiebatur.

Hoc perantiquo Eccleſiæ iure ſeptus Baſilius Græcorum Imperator, in oratione, quam ad Patres octauæ Synodi habuit, his verbis, atque hiſce ſententiis

" ac res ipſarum, non ſolùm iure humano,
" quin imò & diuino à ſæcularium perſo-
" narum exactionibus ſint immunes.

4 Decima & poſtrema ratio. Niſi immunitas, & libertas hæc Eccleſiaſtica eſſet à DEO: numquam ei ſeculi Principes ſummi aut aſſenſiſſent, aut fauiſſent; quibus nihil eſt moleſtius ac durius, quàm vel tantulum ſui iuris legitimi ac iuriſdictionis deperdere.

Sed operæ pretium eſt perantiqui & impij philoſophi audire teſtimonium, id quod nos de iure Eccleſiaſticæ immunitatis contendimus, comprobantis. Strato Lampſacenus, vt eſt apud Ciceronem in Lucullo, qui à rerum humanarum cura & adminiſtratione Deum auocabat, ex eorum Philoſophorum ſecta, qui pietatem minimè coluerunt, immunitatem operum, & vacationẽ ſacerdotibus Deorum dari pro certo ſumebat, ad DEI prouidentiam tollendam: abſurdúmque eſſe concludebat iis muneribus Deos occupari, quibus rectum minimè erat illorum ſacerdotes implicari.

Et Alexander magnus captis Thebis vendidit liberos homines exceptis ſacerdotibus; quemadmodum eſt apud Ælianum lib. 13. variæ hiſtoriæ, cap. 7. Et Cicero in oratione de Aruſpicum reſponſis:
" Lege, inquit, naturæ, communi iure gen-
" tium ſancitum eſt, vt nihil mortales à Diis
" immortalibus vſu capere poſſint. Atqui Eccleſiæ Chriſtianæ bona, ſunt DEI bona; ergo iure naturæ & gentium tueri debent libertatem.

QVÆSTIO XCIII.

1. NVnc in ſingulis Eccleſiaſticæ immunitatis partibus id ipſum, quod de eadem vniuersè demonſtrauimus, duce IESV conemur. Prima igitur immunitas in perſonis ab Eccleſia diuino cultui addictis verſatur: hàc iuris eſſe diuini nemo negauerit, qui ſacra à profanis nouerit ſegregare. Cùm enim vniuerſitas clericorũ ſacra ſit, poteſtati profanæ, & non ſacræ præeſſe debet, non obtemperare; illi præcepta dare, nõ ab ea accipere: in hac enim vniuerſitate ſunt paſtores & patres: in poteſtate & vniuerſitate laica oues, & filij: neque in Eccleſia Catholica paſtores, & parentes animorum, ab ouibus & filiis ad officium reuocantur; ſed ab his oues in ouile etiam bacillo, id eſt, Eccleſiaſtica animaduerſione, atque armis etiam, cùm opus eſt, compelluntur.

Itaque Couarruuias in lib. practicarum quæſtionum, cap. 31. concl. 2. fatetur opinionem eſſe communem, clericos iure diuino exemptos eſſe à poteſtate ſæculari; quam ipſam tribuit Gloſſæ in cap. ſi Imperator. diſt. 99. & Gloſſæ in cap. quãquam de cenſibus, quam ait ab omnibus eſſe receptam; profertque Cardinalem in repetione ca. perpendimus, Abbatem, Felinum, Decium in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitut. eamdémque Felinus in cap. 2. col. 1. de maiorit. & obedien. reſtatur eſſe communem: qui omnes adeo diuini iuris clericorum exemptionem eſſe contendunt, vt illi vlla humana lege derogari non poſſit.

Sed quid attinet ad opinionem diſſentium reuocare, quod eſt certa Oecumenicorum Conciliorũ auctoritate firmatum? Quorum Conciliorum verba ſunt in ea, quæ antecedit quæſtione, à nobis ſumma fide allata. Quare impius Ioannes Wicleffus meritiſſimè fuit in Concilio Conſtantienſi condemnatus, qui delirans, iactabat à poteſtate ciuili Eccleſiaſticos non eſſe exemptos in ciuilibus & criminalibus.

Secunda immunitas eſt fori, ſeu iudiciorum, vt in ius, & ad tribunalia profana magiſtratuum vocari clerici non poſſint, neque apud tales magiſtratus profanos cauſſam dicere. Immunitatẽ hanc quamuis dicat Sotus in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. concl. 5. non expreſsè conſtare (verba ſunt eius) eſſe de iure diuino; dicit tamen eſſe iuri naturali & diuino maximè conſentaneam: ipſi verò addimus ita eſſe 2.

omnino

omnino cum diuino & naturali iure coniunctam, vt ſecus ſine graui errore nemo poſſit opinari: huc enim ſpectant tam multa arguméta in priorem quæſtionem collata: huc item tendunt quæ Sotus in illa concl.5. ſapienter argumentatur.

Primum: Quia iure diuino ſunt Eccleſiæ Miniſtri conſtituti: ergo ex eodem iure eſt, vt non debeant à ſæcularibus iudicibus euocari; & ab ſuis Eccleſiis, muneribúſque ſacris abduci: *Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire*: & *nemo militans* DEO *implicat ſe negotiis ſecularibus*. 2. ad Timoth. 2. Deinde, quia cùm in cauſſis Eccleſiaſticis iure diuino à foro ſæculari immunes ſint clerici, vt non modò Catholici, ſed etiam hæretici crediderunt, vſu venire poſſet ſæpenumero; vt eodem tempore cauſſæ ſpirituales & ciuiles concurrerent: & propter illas ad tribunal Eccleſiaſticum, propter has ad profanum oporteret accedere: nec ſatis conſtituere poſſent, qui poſtularentur, ad vtrum ſe priùs conferre deberent.

3. Pòſt, indignum, indecorum, ac turpe eſſet; vt, qui homines ſpirituales, & ſacri, iudicium dare debent in ſeculares, atque eos errantes coërcere, iſ à ſæcularibus, hoc eſt, parentes à filiis iudicarentur & punirentur: quo nihil à recta ratione & diuina lege cogitari poteſt diſiunctius. Tum, ſi Apoſtolus 1. Corinth. cap. 6. acriter obiurgauit primos Euágelicæ Eccleſiæ Chriſtianos, quòd apud Ethnicos iudices cauſſas diſceptarent, cùm poſſent ſibi è cœtu fidelium deligere, à quibus illæ cognoſcerentur; qua ratione tuliſſet Apoſtolus, vt ſacrorum Miniſtrorum cauſſæ non apud ſacros iudices, ſed profanos, agerentur?

Ad extremum, hanc ipſam ſententiam confirmant verba Conſtantini Imperatoris; qui libellos repudiauit querelarum, quos ad eum in Concilio Nicæno nonnulli Epiſcopi detulerunt: quos eſt his verbis affatus, *Vos à nemine diiudicari poteſtis; quia* DEI *ſolius iudicio reſeruamini*: quam ſententiam illum, docente B. Sylueſtro, imbibiſſe credendum eſt, extántque ea Conſtantini magni verba, 11. q. 1. can. continua. ex Cod. Theodoſiano, lib. 16. tit. de Epiſc. audien. c. vlt. vbi Imperatores Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, ſancientes de cunctis, qui neceſſitatibus Eccleſiæ ſeruiunt, vetant eos ad iudicia protrahi ſæcularia. Habent illi, inquiunt, ſuos iudices: nec quidquam iis publicis eſt commune cum legibus. Ex quo intelligi poteſt graue Scoti erratum, in 4. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. §. Reſpondeo, non eſſe eſſentiale ordini: qui priuilegiũ exemptionis à foro laico in cauſſa ſanguinis ait Eccleſiæ datum eſſe à Conſtantino. Ex epiſtolis namque decretalibus primorum Pontificum Romanorum, eorumdémque martyrum, qui multos annos Chriſtianos Imperatores præcucurrerunt, planiſſimum fit, clericorum cauſſas à laicorum tribunalibus ſecluſas eſſe: nec vmquam licuiſſe, niſi apud Epiſcopos, Eccleſiaſticóſque iudices, eas actitari, ac iudicari.

Hoc primùm ſanxit B. Petrus, primus Chriſti Vicarius, vt auctor eſt Clemens Romanus, in ſua 1. epiſtola decretali. Hoc reliqui Apoſtoli ſtatuerunt: hoc Anacletus, qui anno octogeſimo poſt Chriſtum natum: hoc Alexander I. qui anno 109. Pontificatum geſſit: hoc Gaius, hoc Marcellinus, hoc Gelaſius, hoc alij multi antè tempora Chriſtianorum Imperatorum decreuerunt.

Quin etiam D. Petrus, eodẽ Clemente teſte tulit; vt cuilibet oppreſſo Chriſtiano ius liberum eſſet ad Sacerdotũ iudicium prouocandi: nec cuiquam fas eſſet eorum repudiare ſententiam: quod ipſum poſtea in ſua prima decretali iuſſit, confirmauítque Anacletus. Atque has leges inter Chriſtianos valere voluerunt, quo tempore in eos ab Ethnicis Imperatoribus & Regibus crudeliter ſæuiebatur.

Hoc perantiquo Eccleſiæ iure ſeptus Baſilius Græcorum Imperator, in oratione, quam ad Patres octauæ Synodi habuit, his verbis, atque hiſce ſententiis

proceres Imperij, cæteróſque laicos, allocutus eſt. *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè conuerſamini, quid amplius dicam, non habeo; quam quòd vobis nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſſis ſermonem mouere. Hæc enim inueſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, Sacerdotum eſt: qui regiminis officium ſortiti ſunt: qui ſanctificandi, qui ſoluendi, & ligandi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas & cœleſtes adepti ſunt claues: non noſtrum, qui paſci debemus; qui ſanctificari; qui ligari, vel ligamento ſolui egemus*, & poſt aliquantò. *Oportet ergo cum timore & fide ſincera hos audire; & facies eorum vereri: cùm ſint Miniſtri Domini Omnipotentis, & huius formam poſſideant, & nihil amplius, quàm ea quæ noſtri ordinis ſunt, requirere.*

Sequitur tertia immunitas bonorum; quorum eſt bipartita ratio: nam alia ſunt omnino in patrimonio Chriſti & pauperum; quorum nullam partem Imperatores, aliique Principes ſine ſacrilega vſurpatione decerpere poſſunt: quoniam Dei voluntate, & iuſſu certóque naturæ perſuaſu eorum bonorum Miniſtri, & diſpenſatores ſunt maiores minoréſque Sacerdotes, atque ij, qui beneficiis præfecti ſunt Eccleſiaſticis: & de hac immunitate, vel leuiter dubitare ſitne ea diuina lege conſtituta, hominis eſt in diuinarum legum diſciplina parum aut nihil admodum exercitati.

Altera eſt immunitas bonorum, quorum veri ſunt Domini clerici, ciuilique titulo, ac iure ea adipiſcuntur, vti ex teſtamento, ex donatione, ex induſtria ſua, ac labore, quo de genere immunitatis, à diuinâne lege fluxerit, non pauci dubitarunt. Victoria, lib.1. relectionum de poteſtate Eccleſiæ, ſect. 7. concl. 2. ait, iure diuino à penſitandis tributis Principibus, liberatos eſſe ſolos religioſos qui vitam Apoſtolicam ſequuntur, reliquos clericos non item; quia, qui commodum ſentit, ſentire etiam debet incommodum. Driedo, in 1. lib. de libertate Chriſtiana, cap. 9. conſiderat. 7. Donatione Principum Eccleſiam ſcribit immunitatem bonorum aſſecutam eſſe. Medina priuilegium huiuſmodi immunitatis Principum benignitati refert acceptam in C. de rebus reſtituendis q. 15. quibuſdam adductus argumentis, quibus fortaſſe imperitis imponat, peritis non item. Couarruuias, in lib. practic. qq. c. 31. cùm in concluſ. 1. poſuiſſet, clericos in iis quæ verè ſpiritualia & Eccleſiaſtica ſunt, iure diuino eximi, in tertia reliquit, in temporalibus & criminalibus iure Pontificio: & in quarta addidit, nullum Principem ſæcularem huic immunitati derogare poſſe, necà Summo Pôtifice ſine culpa reuocari; cùm in eam immunitatem tota Chriſtiana Reſpubl. conſenſerit. Sotus, in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. concl. 6. ad hunc modum ſcribit de hac tertia ſpecie immunitatis.

Sexta concluſio. Quamuis clerici, neque in ſuis perſonis, neque in ſuis bonis 5.
» eſſent iure diuino liberi, nihilominus Pa-
» pa potuit, etiam inconſultis Principibus,
» & debuit eos ab eorum exactionibus &
» foro excipere: cui quidem exemptioni
» Principes contrauenire nequeunt. Hæc ille. at ſi huiuſmodi immunitatem inuitis Principibus potuit ac debuit Rom. Pontifex largiri vniuerſitati clericorum, nimirum admonente iure naturali, ac diuino, id fecit, atque adeo, quia in clericos, & eorum bona nihil iuris erat Principibus: nam ſi fuiſſet, cur illis inuitis, & non conſultis tali iure ſpoliandi erant? præterquam quòd iidem Principes, quorum potentiæ & viribus non ità facilè reſiſtitur, in iure ſuo conſeruando, & non amittendis cenſibus acerrimo ſtudio & contentione laborant.

Quare mihi perſuaſum eſt, natura admonente & impellente Deo, Principes reddidiſſe Eccleſiæ, Eccleſiaſticiſque perſonis, quod per vim ac tyrannidem, priuſquam noſtræ religionis ſacris expiati eſſent, eripuerant.

Sic igitur cenſeo, iure diuino à tributis 6.
Principum, & cenſibus eſſe totũ clerum immunem. Primùm: Quia id non obſcurè in

rè in ſua decretali, Quamquam, de cenſibus lib. 6. dixit Bonifacius VIII. Deinde: Quia luculenta eſt auctoritas in c. 47. Geneſ. vbi proditum eſt, cùm Ioſephus totam regionem Ægypti in ditionē Pharaonis ſubiunxiſſet, liberam eam partem reliquiſſe, quæ à Sacerdotibus tenebatur; & cùm ex quinta parte vectigales vniuerſos feciſſet, Sacerdotes immunes reliquiſſe: de quibus Sacerdotibus Diodorus » in 2. lib. teſtatū reliquit: Omnes in Ægy- » pto Sacerdotes immunes eſſe: eos poſt » Reges ſecundum honoris & dignitatis » locum tenere: publicorum vectigalium, » quorum eſt tripartita ratio, primam Sa- » cerdotum collegio aſſignari, nedum tri- » buto aliquo onerari. Herodotus verò in » Euterpe, ſiue lib. 2. eoſdem Sacerdotes » ſcribit non exiguis affici commodis; nihil » è re ſua domeſtica conterere; nihil eroga- » re; ſingulis coctos cibos ſacros quotidie » præſto eſſe; carnes bubulas & anſerinas » abundè ſuppeditari.

Ex hoc loco ſacrarum literarū in Epiſt. ad Rom. cap. 13. argumentum ducit D. Thom. æquitati naturali valde conſentaneam eſſe clericorum immunitatem. » Vnde etiam, inquit, apud Gentiles liberi » erant à tributis illi, qui vacabant rebus » diuinis. Quis porrò inducat animum credere, per Ioſephum, virum ſanctiſſimum, diuinorúmque conſiliorum fideliſſimum interpretem plus immunitatis voluiſſe Deum dæmonum imperriri Sacerdotibus, quàm ſui incorrupti cultus in noua lege Miniſtris?

7\. Nec mireris, immunitatem à Ioſepho & Pharaone, Dei nutu illis Sacerdotibus datam eſſe; quia non propter eorum cultum, qui impius erat, & Deo perinuiſus, eſt impertita immunitas; ſed propter alia quædam non vulgaria, quæ in illis inerāt bona, quæ ex Chæremone Stoico memorat S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Io- » uinianum: Eximia enim caſtimonia illos » antiquos fuiſſe Sacerdotes ſcribit; num- » quam ſe mulieribus miſcuiſſe: numquam » cognatos & propinquos, ac ne liberos quidem vidiſſe; omnia mundi negotia, » curáſque rerum caducarum poſthabuiſ- » ſe; in templo ſemper fuiſſe, rerum natu- » tas, cauſáſque & ſyderum rationes con- » templatos eſſe: atque ex eo tempore, quo » cultui, quem agnoſcebant ipſi, deſeruire » cœperunt, ſe à vino & carnibus abſtinuiſ- » ſe: panem rarò comediſſe; oleum dum- » taxat in oleribus nouiſſe ad nauſeam gu- » ſtatúſque aſperitatem leniendam; ouum » etiam & lac vitauiſſe; quorum alterum » carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe » dicebant colore mutato: cubile è folis » palmarum, quas *baias* nuncupabant, con- » texuiſſe: ſcabellum accliue & ex vna par- » te obliquum pro puluillo in terra capiti » ſuppoſuiſſe: bidui triduíque inediam ſu- » ſtinuiſſe: humores corporis, qui naſcun- » tur ex otio, & ex vnius loci nimia man- » ſione victus caſtigatione ſiccaſſe, vt mi- » nùs mirandum ſit, tantam illorum conti- » nentiam & frugalitatem beneficio im- » munitatis à DEO remuneratam eſſe. »

Atqui iſthæc bona hærebant in illis: ad alios minimè dimanabant: at Euangelicæ Eccleſiæ bona maxima & diuina, vt ſacrificia, vt publicæ preces, quæ Deo ſunt acceptæ, vt animorum procuratio, vt ſcelerum expiatio, vt ſanctitas & diuina gratia per Sacramenta à Sacerdotibus noui teſtamenti communicata ad cunctum Chriſtianum populum manant. Vt meritò ex certo ſcito Dei, nihil tributi vlli principi, ſeu populi vniuerſitati, aut ex pecunia, aut ex alio genere bonorum ſoluere debeant Sacerdotes & clerici. 8.

Altera etiam cauſſa Ioſephum adducere potuit, quamobrem Sacerdotibus Ægypti decreuerit immunitatem tributorum. Quoniam in ea Prouincia ſuum genus iam collocatum erat: ne ipſum ab Ægyptiis vexaretur: atque vt illa ipſa immunitas penes ſuæ gentis Sacerdotes maneret.

Tertia cauſſa ex diuino decreto fuiſſe videtur: vt hoc exemplum ad Chriſtianos Principes noſtræ religionis artibus excultos deflueret; ne iniquis vectigalibus, & cenſi

cenſibus ſacram Chriſti familiam affligerent.

Atque ob id ipſum, Artaxerxem Regem, veri Dei legis expertem, Deus ipſe permouit, vt ſui cultus Miniſtros, immunitatis, de qua diſſerimus, honore afficeret; ſuarúmque prouinciarum & ciuitatum Rectoribus præciperet his verbis: Vobis quoque notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus & Leuitis & cantoribus, Nathinæis & Miniſtris domus Dei huius, vt vectigal & tributum, & annonam non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. At quanto eſt vero ſimilius Chriſtianis Principibus prohiberi diuinitus, ne illa ipſa ſuis, ſuíque filiis veris Miniſtris imponant?

9. Tertiam rationem adhibeamus. Nec DEVS nec natura patitur, vt parentes pendant vectigal filiis, ſed potiùs vt filij parentibus: ſed Sacerdotalis ordinis filij ſunt Principes illorum verò ſunt Sacerdotes parentes: quare, &c. Itaque Toſtatus, ſtomachoſiùs in noſtrorum temporum Principes inuehens, explanans ea verba, ſtatuta cibaria ex c. 47. Gen. atque eos cum Regibus antiquis Ægypti conferens, hanc ſententiam atque orationem exprompſit. In quo Reges & Domini huius noſtri temporis admodum exprobabiles redduntur; quippe qui Eccleſiis, in quibus ſanctiſſimus veri DEI cultus agitur, qui apud Gentiles nō fuit, non ſolùm bona non conferunt; ſed etiam antiquorum Principum donatione collata auferunt: Miniſtris Eccleſiaſticis exactiones, extractionéſque partim publicas, partim priuatas imponentes: vt iam idem Rex & Epiſcopus & Papa videatur. At valde abominandum eſt vt filiorum ſeruituti parentes ſubiiciantur. Hactenus ille.

Quartā rationem ne prætermittamus. Tributa & vectigalia præſtantur Principibus, atque eorum propria videtur eſſe immunitas, quia bene merentur de populis, multis in eos officiis ac beneficiis conferendis: ergo, cùm multo plura & præſtantiora & diuiniora accipiant Principes ab ordine Eccleſiaſtico, ei deberent ipſi tributum conferre: quod Reges faciebant Ægyptij, teſte Diodoro, non autem ab ordine auferre, eidémque per iniuriam imperare.

Denique ſi æquitati naturali eſt hæc immunitas maximè conſentanea, vt D. Thom. in epiſt. ad Rom. cap. 13. teſtatur, quid ipſi vereamur affirmare iuris eſſe diuini, cùm æquitas ſit primum ius ipſum diuinum? *Virga enim æquitatis, virga regni tui*, ad Hebr. 1. & Pſal. 44. ex editione 70. & Pſal. 10. *Æquitatem vidit vultus eius*. & Pſal. 16. *Oculi tui videant æquitatem*. & Pſal. 118. *Æquitas teſtimonia tua. Et omnia mandata tua æquitas*. & Prou. cap. 8. *Meum eſt conſilium, & æquitas*. 10.

Dices: at D. Thom. in 2. ſent. d. 44. q. 2. art. 2. ad 1. & D. Bonau. in eamdem diſt. art. 3. q. 1. num. 35. & Richardus, in eamd. art. 3. q. 1. ad 1. ex illo loco Matth. c. 17. *Ergo liberi ſunt filij*, eliciunt, libertatem, immunitatémque tributorum, iis conceſſam eſſe à Deo, qui vitam ſequuntur Apoſtolicam; neque quidquam, quod ſuum ſit, in terris poſſident: ergo reliqui clerici non habent à iure diuino immunitatem: nego conſequentiam; neque enim ſuperioribus Theologis, iis locis quos indicauimus, propoſitum fuit de iure immunitatis toti Eccleſiaſtico ordini tributæ diſputare, ſed ea de re tantùm; Vtrùm Chriſtiani ſeculi Principibus, atque adeo tyrannis ſubeſſe debeant: & quoniam concludunt, legitimis Principibus ſeculi obſequi, & obedire debere Chriſtianos: ideo auctoritatem illam Euangelij, ergo filij ſunt liberi, qua perſonam ſuſtinentes aduerſarij vſi erant, interpretati ſunt, illic Chriſtum nō de cunctis Chriſtianis locutum eſſe, ſed de ſe ipſo, ſuíſque Apoſtolis, atque de iis qui eorum vitam atque inſtitutū imitantur.

Quæ veriſſima videtur eſſe interpretatio: num autem aliunde confici poſſit, communi clericorū, diuino naturalique iure immunitatem datam eſſe, illic nec quæſierunt, nec negarunt hi magiſtri Theolo

Digitized by Google

Theologi. Tametſi D.Hieronymus in illum ipſum locum Matth.cap.17. ſcripſerit, clericos propter Domini honorem tributa non ſoluere, & D.Auguſtin. l.1.qq. Euangel.q.23. dixit filios regni illius, intelligens clericos, non eſſe vectigales.

11. At enim D. Thom. in epiſt. ad Rom. cap.13. interpretans verba illa Apoſtoli: *Ideo enim tributa præſtatis: miniſtri enim* DEI
» *ſunt, in hoc ipſum ſeruientes*, hæc ſcribit: Ab
» hoc tamen debito liberi ſunt clerici ex
» priuilegio Principũ; quod quidem æqui-
» tatem naturalem habet. Vnde etiã apud gentiles liberi erant à tributis illi qui vacabant rebus diuinis. Si igitur priuilegio Principum ius eſt adeptus immunitatis clerus: ergo non eſt iuris diuini & naturalis.

Reſpondeo primùm, non dicere D. Thomam ius immunitatis impetraſſe à Principibus clericos, ſed à debito liberatos eſſe ſoluendi: at illud debitum & onus antequam imperatores Euangelij iugo ceruices ſubiecißent, tyrannicè, non iuſtè Chriſtianus clericus ſuſtinebat: quo onere à Conſtantino iam Chriſtiano ſoluti ſunt; & toti communitati clericorum eſt reddita immunitas; quæ mirandum in modum ab imperatoribus Chriſti nomini & religioni offenſis vexabatur. Ergo Eccleſiæ, quod ſuum erat, fuit à Conſtantino reſtitutum.

Deinde dicere poſſumus; cùm in iure immunitatis duo inſint, alterum poteſtas, ſeu facultas non ſoluendi; alterum vſus, ſeu immunitatis executio; primum à natura, & à DEO conceſſum eſt clericis; ſecundum etiam, à Principibus. vel dic immunitatẽ dupliciter conſiderari poſſe, in actu, inquam, primo, vt philoſophicè dicam; & in actu ſecundo. In actu primo, à natura & à Deo, in actu verò ſecundo, eſt etiam à Principibus.

Adde, quod minimè eſt abſurdum, idem priuilegium & beneficium eſſe à pluribus. Quotidie impreſſoribus à multis principibus tribui ſolet priuilegium, ne eorum libri alibi imprimantur. Quare illud ipſum immunitatis priuilegium, quod iam inde à principio à Deo inſtitutum eſt, à natura probatum, deinceps variis ſanctionibus, ab Imperatoribus & Regibus, & Pontificibus, & retentum, & defenſum, & communitum fuit. Atque hæc interpretatio valet in ea omnia iura humana, quæ ab aduerſariis ſolent colligi, vt vincant Eccleſiæ immunitatem à beneficentia Principum profluxiſſe.

Sed aliis quibuſdam argumentis huic immunitati obſtrepunt aduerſarij. Sic enim commentatur ſecum Medina, C.de reb.reſtit.q.15. ius poſitiuum, atque etiam Euangelicum, non tollit obligationes naturales; vt ſoluendæ pecuniæ; vt ſuis dominis ſeruiendi: ergo neque clericorum ordo iura principum impedire debet. Conſequentiam probat: quia huius generis debita & obligationes non tolluntur Baptiſmo. 12.

Reſpondeo, multa eſſe in argumentatione hac vitia: primum quod ius immunitatis putat eſſe poſitiuum: at ipſi docuimus multis rationibus, eſſe naturale ac diuinum.

Secundum vitium: quòd non vidit in hac parte, de qua controuertitur, quid inter Baptiſmum, atque ordinis Sacramentum interſit: namque Baptiſmus in cœtũ tantùm fidelium eos, qui baptizantur, adſcribit, ſiue ſeruos, ſiue dominos, conditionem hominum non mutat. At ordo iam effectos fideles ab vna iuriſdictione, hoc eſt, profana, in aliam, quæ eſt Eccleſiaſtica, & ſacra, traducit; & in eam claſſem transfert, quæ ciuili præeſt, & moderatur.

Tertium vitium; quòd non animaduertit quantùm interſit inter debitionem pecuniæ & obediẽtiæ, non manente eodem vitæ genere: Nam qui pecuniam alteri debet, quacumque is conditione ſit, ſiue priuatus, ſiue perſona publica, ſiue dominus, ſiue ſeruus, ſiue Rex, ſiue Imperator, ſiue Sacerdos, ſiue Epiſcopus, ſiue Pontifex ſummus, eam reddere debet: At obedientia, quæ ratione conditionis

BB &iuriſdi

Google

& iuriſdictionis vni debetur, mutata conditione & iuriſdictione deſinit. Ita miles, ſi à Rege Hiſpaniarum, ad Galliarum tranſeat, non ampliùs paret Regi Hiſpaniarum, ſed Galliarum: &, ſi clericus qui vni ſeruit Epiſcopo, alterum ſibi deligat, huic obtemperabit.

13. Vrget hoc etiam argumento Io. Medina. Qui vxore non aſſentiente ſacrum ordinem ſuſcipit, non liberatur onere ſeruitutis cõiugalis: ergo neque ordo ſuapte natura tollit onus dominis ciuilibus ſeruendi, & præſtandi quæ debentur.

Reſpondeo, Medinam in turpem incidere paralogiſmum: qui non attendit, quantùm interſit inter ſeruitutem coniugalem, & ciuilem, quæ debetur Principi, quem ſibi eligunt ciues: nam coniugum ſeruitus ita inſtituta eſt iure naturali, diuino & Põtificio; vt quod ſpectat ad vinculum, diſſolui non poſſit, niſi alterutrius interitu; ſi matrimonium ratum & conſummatum fuerit: ſi tantùm ratum, nonniſi morte, aut ſolemni voto religionis, aut Romani Pont. auctoritate, vt Canoniſtis & non infirmi ordinis Theologis placet.

At ſeruitus, quæ debetur Principibus, ſic omni iure conſtituta eſt, vt poſſit ea ſolui mutata iuriſdictione, & traductione ad claſſem ſuperiorem communitatis, cui claſſi cùm præſit Chriſti Vicarius, ſumma illius maieſtas non patitur ſocium Principem profanum in ſua ſacra regenda multitudine.

Rurſus oppones. At clerici ciues ſunt: nam Ariſt. in 7. lib. Politic. c. 12. diuidit ciuium multitudinem in Sacerdotes & Magiſtratus. Sunt igitur clerici, ciues: ſi ciues, ergo patri communi, & rectori ciuiũ parere debent, & ſoluere, quod ius eſt ſoluere. Soluitur argumentum.

14. Huius ciuitatis, quæ apud Chriſtianos, ex hominibus profanis & ſacris coagmẽtatur, ſummus rector & paſtor, non eſt vllus profanus Princeps, ſed Romanus Pontifex Chriſti Vicarius; cui totius multitudinis à Chriſto eſt cura atque adminiſtratio commiſſa: quod ipſum in 3. cap. noſtri Apologetici pro monitorio Pontificio 27. argumentis oſtendemus. Imperatori, aut cuius alij Principi ea duntaxat eſt à populo pars profana commendata, cuius commodis & fortunis, vxoribus, liberis, parentibus conſulat, honore, fama, vita tuenda. Perges argumentando.

At legibus iuſtis Principum obtemperare debent cuncti clerici. Reſpondeo, illis quoque legibus debere eoſdem Principes morem gerere, ne publicam iuſtitiam, pacem, politicámque tranquillitatem perturbent; id enim naturæ, Dei, humanique iuris exigit æquitas. At, ſicut ſi Principes in ſuas peccent leges, puniuntur à DEO; ita, ſi in illas committant clerici, non poſſunt à poteſtate plecti profana, quod ipſum reſponſum nec leuium auctorum teſtimonio, nec tenuium argumentorũ momentis eſt à nobis oſtenſum in libro Apologetico, cap. 2.

Premunt nos etiam Chriſti exemplo, qui ſoluit tributum. Matth. 17. quantò igitur magis deberent clerici ſoluere? Reſpondeo primum, quod Chriſtus fecit, voluntate feciſſe, nulla neceſſitate: quod ipſum nemo Catholicus negabit: nam huic noſtræ contraria propoſitio tamquã hæretica cõdemnata eſt à Ioanne XXII. vt Turrecremata teſtis eſt in 4. lib. de Eccl. part. 2. cap. 37. Neque ea omnia, quæ in vita mortali à Chriſto Domino adminiſtrata ſunt, & geſta, leges ſunt omnibus ſuæ diſciplinæ alumnis neceſſariæ illa ipſa agendi: multa enim, etiam ſi vellent, agere non poſſunt.

Deinde, magna ſacrarum literarum intelligentia auctores tradiderunt, illud, quod à Chriſto exegerunt, tributum, Matth. 17. ſacrum, non profanum fuiſſe; templo, non Cæſari fuiſſe perſolutum. In his eſt Hilarius: namque didrachma tributum erat ſacrum; denarius, Imperatorium. Quamquam, vt prodidit Ioſephus, lib. 7. de bello Iudaico, c. 26. ipſum quoque didrachma, poſt templum euerſum, pro

Digitized by Google

pro tributo cœptum eſt ſolui Romanis Imperatoribus.

15. Atqui addunt immunitatis Eccleſiaſticæ oppugnatores, Chriſtus ſubiectus fuit Pilato, cui dixit, *Non haberes poteſtatem in me vllam niſi datum tibi eſſet deſuper*, Ioan. c. 19. quantò magis igitur in tributis conferendis clerici ſubiicientur ſæculi Principibus?

Reſpondeo, poteſtatē, qua abuſi ſunt illi, qui conſpirarũt ad perdendum Chriſtum, eodem Chriſto teſte, poteſtatem fuiſſe tenebrarum, & Satanæ: atque hac, dante & permittente Deo, & Pilatus, & Iudæi vſi ſunt ad humani generis liberatorem interficiendum. Dicere autem, vel ſuſpicari, Chriſtum Opt. Max. qui non ſolùm vt Deus, verùm etiam vt homo orbis terrarum, & omnium hominum dominus erat, vlli Principum ſubiectum fuiſſe, Catholicorum horrent aures, & meus animus ſemper horruit; atque in explanatione 1. cap. epiſt. ad Hebr. grauiſſimorum Patrum auctoritate, non ſecus quàm nos ſemper ſenſimus, de dignitate humanæ naturæ Chriſti, cuilibet eſſe ſentiendum omnino oſtendimus.

Illa enim Apoſtoli verba, ad Hebr. 1. *Quem conſtituit heredem vniuerſorum*. pertinere ad naturam humanam Chriſti, ſicut illa, quæ ſequuntur, *per quem fecit & ſecula*, ad diuinam referri Doctores non pauci affirmarunt. Nos item alibi perlonga diſputatione demonſtrauimus, Chriſtum, vt hominem, rerum omnium creatarum » verum Regem extitiſſe. Denique, inquit » Medina C. de reb. reſtitut. q. 15. hac ratio- » ne vnica videtur tenendum, quod nos » dicimus; quia ſcilicet nihil debet dici eſſe » de iure diuino, quod ex ipſo iure diuino » oſtendi nō poſſit. Cùm ergo præfata cle- » ricorum exemptio non poſſit ex iure di- » uino oſtendi, ſequitur, &c. Hæc Ioan. Medina.

Errauit igitur Concilium Lateranenſe, ſeſſ. 9. & Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. & Bonifacius VIII. in ſua Decretali, quamquam, de cenſibus, qui non ſecus quàm illa duo Oecumenica Concilia immunitatem haurire non dubitauit ex iure diuino, & ipſi ex ipſa Hierarchia Eccleſiaſtica, quæ eſt ex iure diuino, & ex multis locis æquitatis naturalis, & ſacrarum literarum nonnullis, eam quoque eruimus.

In eo etiam errauit: quòd ius diuinum ad Scripturam ſolam coanguſtat, cùm illud ſit etiam è traditionibus aptum: in quo iure traditionum arbitror eſſe Eccleſiæ immunitatem. Neque verò ſilent de Canone tributum 23. q. 8. nam Canon, ſecundum, ead. cauſſa, & q. & Can. magnum. 11. q. 1. ad rem non faciunt. Vrbanus igitur Papa ſic. Tributum in ore piſcis piſcante Petro inuentum eſt: quia de exterioribus ſuis, quæ palam cunctis apparent, Eccleſia tributum reddit. Igitur clerus non potitur ex iure diuino hac, de qua diſputamus, immunitate. 16.

Reſpondeo, ſi quidquam concluderet ille Canon aduerſus veram ſententiam, cogeret etiam non eſſe datam Eccleſiæ immunitatem, nec iure Imperatorio, nec Pontificio: Nam dicit, Eccleſiā tributum reddere. Quare ne repugnantia ſit vlla in decretis, & ſanctionibus Eccleſiaſticis, dicendum eſt, Vrbanum, loquutum eſſe de eo genere bonorum immobilium, quod antequam ad Eccleſiam perueniret, vectigale ſeu tributarium erat: res enim cum onere ſuo tranſmittuntur Eccleſiis. Sed neque ſemper, aut agri, aut prædia, quibus eſt onus quodpiam adiunctum, communitatibus ciuilibus, aut Principibus ſunt nomine vectigalis obnoxia, vt ex hac, quæ ſuccedit, quæſtione intelligetur.

ADDITIO.

Superiora de Eccleſiaſtica immunitate à nobis diſputata, multis antea annis meditata fuerant, atque conſcripta. Sed quoniam à nonnullis Theologis recentioribus contra Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem quædam excogitata ſunt, cuiuſmodi ea ſint, videamus, & depellamus.

Obiicitur nobis ab iis locus ex oratione D.Gregorij Nazianzeni ad cines metu perculſos, vbi iure diuino non modò populum, quem ſolabatur: ſed etiã ſe ipſum in præſtandis tributis ſubeſſe Principibus fatetur: &, quod conatur, efficit verbis Apoſtoli, ad Rom. cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* In qua argumẽtatione triumphare viſus eſt neſcio quis. Nos in quinto cap. noſtri Apologetici pro Apoſtolico monitorio huic Theologo reſpondimus, nihil in ea oratione à D. Gregorio Nazianzeno contra immunitatem, libertatémve clericorum efferri; ſed ad eam confirmandam certa argumenta adferri, neque ſe Principibus inferiorem, ſed ſuperiorem iis Imperio palàm profiteri.

18. Nam, cùm illa oratio in partes ſit diſtributa duas; in priore mœrentem multitudinem conſolatur, ſimúlque eam iuris diuini commonefacit; vt Principibus obediat, vectigálque iis pendat: moréque oratorio ſuam perſonam cum auditorum perſonis miſcens, quod eorum erat proprium, ad ſe transferre videtur. Verùm peroraturus alteram partem cauſſæ, quæ Principes attingit, eam hiſce verbis exor-
» ditur. Atque hæc mihi ad ſubditos par-
» rim monendi, partim conſolandi gratia
» dicta ſint, mihi inquam pauperi paſtori,
» paruum hunc gregem componenti, &
» inſtituenti, cum quo gaudente gaudere,
» & mœrente ingemiſcere paſtoritiæ meæ
» legis præſcripto iubeor. Quid autem vos
» Principes & præfecti: Ad vos enim iam
» noſtra ſe conuertit oratio. Quid igitur di-
» citis? aut quid inter nos conuenit? An me
» liberè loquentem æquo animo feretis?
» Nam vos quoque imperio meo ac thro-
» no lex Chriſti ſubiicit. Imperium enim
» nos quoque gerimus; addo etiã præſtan-
» tius ac perfectius: niſi verò æquum eſt ſpi-
» ritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia
» terrenis cedere.

Ex quibus D. Gregorij comprehenſionibus verborum colliguntur hæc omnia. Primum eſt, admonitum de pendendo tributo, nec ad D.Gregorium, nec ad clerum pertinere, ſed duntaxat ad populũ. Secundum illud eſt: quòd ad populum dicitur Nazianzi, nequaquam in cunctos valere Chriſtianos: quorum multi ſunt immunes, vectigaliúmque onere ſoluti. Tertium eſt, non enuntiationem aduerſantium immunitati clericorũ, ſed proſus contrariam D.Gregorium perſuadere.

Harum trium rerum, quæ ex illa oratione pateſcunt, primam & tertiam perſpicuis verbis iterat & confirmat in oratione quadam alia ad Iulianum tributorum exæquatorem, quem veriſimile eſt eum fuiſſe præfectum, quem in oratione ad ciues perterrefactos alloquitur: Sic igi-
tur clariſſimus Eccleſiæ doctor in hac al- »
tera oratione: Oues paſtores ne paſcite, »
nec ſupra fines veſtros aſſurgite: ſatis »
enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini. Iudices »
ne iudicate; nec legiſlatoribus leges præ- »
ſcribite. Nec quidquam dubitandum eſt de Prælatis, ac iudicibus Eccleſiaſticis à clariſſimo doctore & oratore illic verba fieri. Atque in extrema oratione ad eumdem exæquatorem Eccleſiaſticorum hominum indicans immunitatem inquit: *Qui Cæſari nihil, omnia Deo habent.*

Recentes aduerſarij libertatis Eccle- 19.
ſiaſticæ aggregant multa Concilia, quæ aiunt auctoritate Imperatorum conuocata eſſe; in iis principem locum illos tenuiſſe; Eccleſiaſticorum cauſſas iudicauiſſe; à patribus Concilij iudicia de cauſſis Eccleſiaſticis, ab Imperatoribus facta, comprobata eſſe.

Reſpõſum à nobis eſt, huius argumenti tum ſuperioris, tum recentis memoriæ hæreſeos architectos extitiſſe: illud à Cardinali Turrecremata in 3. lib. de Eccleſia, c. 6. 7. 8. 22. 23. 24. 25. & à Cardinali Bellarmino, lib. 1. de Conciliis, & Eccleſia, c. 12. 13. & 14. egregiè confutatum eſſe. Caput generalis Concilij, Romanum eſſe Pontificem, eiúſque cogendi auctorem eſſe à nullo Catholico addubitari: in eo conuocando Imperatores eidem Romano Pontifici operam ſæpe nauaſſe: cuncta ex eius

Digitized by Google

ex eius voluntate geſſiſſe: ſi quid contra eius volũtatem ab Imperatoribus geſtum eſſet,irritum,& inane fuiſſe:eos in conciliis ad decorem & ornatum adfuiſſe: de cauſſis Eccleſiaſticis,aut non cognouiſſe, aut nutu Epiſcoporum,& poteſtate ab iis delegata ad ſedandas diſcordias cognouiſſe: ſi quid contra poteſtatem arbitriumque Antiſtitum ab Imperatoribus factitatum eſt, iniuria non iure factitatum eſſe. Vide ſi placet,quæ à nobis in noſtro Apologetico,cap.5.num.18.ad hoc diſſoluendum argumentum adducta ſunt:nec non quæ à noſtro patre Gretzero & Iulio Ruſo perdoctè reſponſa ſunt: ipſi enim in eo cap.noſtri Apologetici libri Marcelli Papæ teſtimonio,ex eius prima epiſtola Decretali ad Epiſcopos Antiochenæ prouinciæ,docuimus à ſanctiſſimis Apoſtolis decretũ eſſe,vt abſque ſummi Pon-
" tificis auctoritate nulla ſynodus habete-
" tur: quod intelligendum eſt de generali. Idem conſtitutum eſſe in Nicena Synodo, Concilij Alexandrini,cui interfuit S. Athanaſius,auctoritate confirmauimus.

Idem apertis verbis ſancit Pelagius II. in epiſt.1. fermè in principio ad Orientales. Idem in Concil.Lateranenſi à Leone X. ſeſſ.11.definitum eſt. Ibidem Imperatores ad decorandas ſynodos in iis fuiſſe, teſtibus Patribus Chalcedonenſis Concilij in epiſtola ad Magnum Leonem, demonſtrauimus,in eod.cap. noſtri Apologetici, verba Martiani Imperatoris, quæ extãt in actione ſexta Concilij Chalcedo-
" nẽſis exſcripſimus,quæ ſunt hæc ipſa. Nos
" ad fidem roborandam,non ad potentiam
" aliquam oſtendendam,ſiue exercendam
" exemplo religioſiſſimi Principis Conſtã-
" tini ſynodo intereſſe volumus;vt veritate
" inuenta non vltra multitudo prauis do-
" ctrinis attracta diſcordet, vel ne vlteriùs
" prauis perſuaſionibus à recta ſeparentur
" fide.

20 Proferunt etiam Eccleſiaſticæ libertatis oppugnatores ex Codice Iuſtinianeo, & Theodoſiano, conſtitutiones ac leges non paucas,quibus iura dantur ab Imperatoribus, Clericis & Epiſcopis, multáque præſcribuntur. Reſpondimus, eas leges per Imperatores partim mandato Romanorum Pontificum, partim poteſtate data Principibus,latas eſſe,nonnullas etiam per vim & iniuriam conſtitutas eſſe; nulliúſque aduerſus clericos aut iuris aut ponderis habere potuiſſe.

Quidam prætereà ſcriptores, populis imponere auſi ſunt,in politicis, Imperatorem eſſe Romano Pontifice ſuperiorem: idq; ipſum magnum ſanctiſſimúmque Gregorium primum in epiſtola ad Mauritium Imperatorem non obſcurè indicaſſe, cùm ſe illi tamquam ſeruum ſubiicit.

Neque animaduertunt hi imperatoriæ dignitatis aſſentatores,quod in ea epiſtola à Gregorio ſcriptum eſt,à ſumma animi Chriſtiani demiſſione profectum eſſe, quæ facit,vt Pontifices Maximi, qui patres,rectores, & iudices ſunt à Deo conſtituti omnium fidelium,ſeruos ſe ſeruorum Dei in ſuis epiſtolis appellent: qui mos non à D.Gregorio, vt nonnulli ſuſpicantur,ſed à ſuperioribus Pontificibus manauit; quemadmodum ipſi alio loco certis teſtibus approbauimus: duobus etiam & viginti argumentis à nobis concluſum eſt, Imperatorem eſſe Romano Pontifice inferiorem, illique ipſi ſubiectum.

Ex eo quoque capite iſti noui Theo- 21.
logi, contra libertatem Eccleſiaſticam argumentum arceſſunt:Quòd Leuitæ Moſaicæ legis Regibus parebant,qui Leuitæ imaginem gerentes miniſtrorum Chriſtiani ſacerdotij,noſtros etiam miniſtros, in iure ac poteſtate Principum debere eſſe demonſtrabant.

Commentum hoc multis modis redarguitur. Primùm:Quia viri in Theologica diſciplina, & in ſacrarum litterarum ſcientia minimè hoſpites inficiantur, tribum Leuiticam,& ſacerdotalem profanis ſiue Regibus ſiue Principibus, paruiſſe, quin potiùs hos ad eam, atque ad ſacerdotes, in magnis controuerſiis, atque in

rebus legum illarum dubiis, tanquam ad legitimos iudices, confugiſſe: id quod faciendum omnino fuiſſe probant certa auctoritate capitis 17. Deuteron. & c. 19. ex 2. Paralipomenon. Quod idem verbis haud ambiguis teſtatur Ioſephus lib. 2. cont. Apionem, apud quem hæc eius extant verba, ἡγεῖται δὲ τούτων ὁ πρῶτος ἀεὶ κατὰ γένος. οὗτος μὲν πρὸ τῶν ἄλλων ἱερέων θύσει τῷ Θεῷ, φυλάξει τοὺς νόμους, δικάσει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων: κολάσει τοὺς ἐλεγχθέντας ἐπ' ἀδίκῳ. Ὁ δέ γε τούτῳ μὴ πειθόμενος, ὑφέξει
» δίκην ὡς εἰς τὸν Θεὸν αὐτὸν ἀσεβῶν. Quorum
» verborum hæc commoda & fida eſt in-
» terpretatio. Præeſt autem his ſemper, qui
» genere eſt primus. Et hic quidem ante
» alios ſacerdotes ſacrificabit Deo: custo-
» diet leges: iudicabit de controuerſiis: in-
» iuſtitiæ conuictos puniet. Qui verò huic
» non paruerit, pœnam ſufferet veluti in
» Deum impiè agens.

Nec vllum, qui argumento reſiſtunt, hoc aiunt eſſe connexũ. Leuitæ, aut ſacerdotes veteris legis, rebus in multis, Regibus nauabant operam: cum iis ad caſtra proficiſcebantur: multa quę edicebantur à Regibus, præſtabant: ergo in eos habebant Reges coërcendi ſeu vindicandi poteſtatem. Nam iſthæc omnia poſſet Princeps vnus alteri, aut alicui duci Chriſtianus ſacerdos ſua ſponte præſtare, qui duci, cui tradit operam, nihil omnino iure debeat.

22. Deinde, Principes Theologi concedunt, Sacerdotibus ac Leuitis prioris teſtamenti imperaſſe Reges, ideo quòd illud ſacerdotium imperfectum erat, nec re vlla cum ſacerdotio nouæ legis comparandum, cuius auctor fuit Chriſtus verus ac naturalis Deus; illúdque tantùm extulit, vt nõ ſolùm mortalibus, verùm etiam beatorum Angelorum dignitati prætulerit. Accipe catechiſmi Romani verba de ordinis ſacramento præcipientis in §. His igitur explicatis. *Hæc enim poteſtas cæleſtis eſt, omnémque Angelorum etiam virtutem ſuperat.* Et de ſacerdotibus antea cùm loqueretur, dixerat: *Non ſolùm Angeli, ſed Dij etiam, quòd Dei immortalis vim & numen apud nos teneant, appellentur.*

Atque hanc ſecundam rationem argumenti diluendi, quod è Leuitis petitũ eſt ab aduerſariis, ſecuti ſunt hi omnes, D. Thom. 1. lib. de regim. Principum, cap. 14. Alexan. Halen. in 3. par. ſummæ Theologicæ par. 40. memb. 5. non longè ab extremo. D. Bonauent. in 4. ſent. diſt. 24. in verborum explanatione, num. 2. prope in calce: Cardinalis Turrecremata in ſumma de Eccleſia, lib. 2. c. 49. ad tertiũ argumentum. Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ. lib. 1. c. 62. fermè in extremo. Toſtatus in cap. 2. lib. 3. Regum, & in Ioſue, cap. 3.

Quod autem quidam ſcripſit, poſtquã 23.
ſummus ſacerdos creatus fuit Aaron, cũctum populum cum tribu Leuitica in imperio Moyſis manſiſſe, qui ciuilem tantùm retinuit iuriſdictionem, ſanè certè per ſummam ſacrarum litterarum inſcitiam dictum eſt: nam vtramque poteſtatem ſacram & politicam in Moyſe ſemper fuiſſe, teſtimonio Dauidis, Apoſtolorum, multorúmque doctorũ planum fecimus, dum huius errores eiiceremus. eſt enim in Pſalm. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius.* Apoſtoli, apud Clementem Romanum in 2. lib. Apoſtolicarum conſtitutionum, cap. 29. Moyſem, Pontificem & Regem appellant, & lib. 6. cap. 3. eumdem legiſlatorem, cuſtodem, Põtificem, Regem nominant. D. Auguſt. q. 23. in Leuiticum
de Moyſe & Aarone ſic. Ergo tunc ambo »
ſummi ſacerdotes erãt Moyſes & Aaron: »
idem ipſum iterat in explanatione Pſalm. 98. D. Gregorius Nazianzenus in oratio-
ne ad Gregorium Nyſſenum. Ambo, in- »
quit, æquè ſacerdotes: Moyſes enim, ait »
ille, & Aaron inter ſacerdotes eius: ille «
Principum princeps, & Sacerdotum ſa- «
cerdos. Idem ſcribit D. Hieronymus 1. lib. «
contra Iouinianum.

Philo in vita Moyſis in calce libri ſcriptum fecit, Moyſen, Pontificem, Regem, & legiſlatorem Hebræorũ extitiſſe. Alius auctor homo in Eccleſiaſtica hiſtoria non litteratè eruditus, mendaciter ſcribit, ab Ottone

Ottone Romæ Pontificatu abdicarũ eſſe Ioannem XII. in eiúſque locũ Leonem ſuffeciſſe: cuius opinionis errorem Cardinalis Baronius reuincit in 9. volum. ſuorum Annalium, anno Domini 774. & volum. 10. anno Domini 963. à pag. 775. ad 777. nam Ioannem XII. in ſuo Pontificatu perſeueraſſe Catholici eruditi nõ dubitant.

24 At, inquiunt libertatis Eccleſiaſticæ obtrectatores, ſi filij etiam ſacris ordinibus initiati in poteſtate ſunt ſuorũ patrũ, à quibus coërceri poſſunt: cur principum effugere debent iuriſdictionem, à quibus clericorum partes in poteſtate atque imperio habentur? Primùm in cap. 5. noſtri Apologetici, negauimus clericos ſacris ordinibus præditos in vindicatrice iuriſdictione eſſe ſuorum patrum: id quod ſacrarum ſanctionum præcipui interpretes docuerunt. In Gloſſa capitis, cùm indecorum, eſt, ob quemlibet ordinem ſacrũ eximi clericum è patria poteſtate: probat id auctoritate Laurentij, canonum ſcientia nobilitati, & aliorum, ad eámque rem leges profert canonicas. Hoc idem confirmat Oſtienſis in caput, tum voluntate, de ſenten. excommun. num. 13. Sacer, inquit, ordo liberat à patria poteſtate: quia liberat à ſeruili, quod plus eſt. Hoc idem placuit Antonio Butrio in eamdem Decretalem, num. 25. ſui Commentarij. Is, qui ſcholia elucubratus eſt in Panormitanũ, eamdem tuetur ſententiam, illiúſque multos profert patronos: eam defendit Angelus in verb. excom. 5. num. 10. Ioannes Andr. in cap. indecorum, num. 13. de clerico loquẽs: Quoad violentam, inquit, poteſtatem, & manus iniectionem, eſt liber. Ac licèt Panormitanus in cap. cùm indecorum, de ætate, & qualit. ordin. & in cap. cum voluntate, de ſententia excommunicat. in bonis paternis ac profectitiis clericos quoque maiorum ordinũ poteſtati patriæ ſubiiciat, tamen ius eoſdem puniendi illis adimit: eiuſdémque ſententiæ comites Innocentium atque Oſtienſem nominat. Clericum quoque cuiuſcumque ordinis in religione profeſſum extra patris poteſtatem eſſe cuncti fatentur.

Ad hunc ergo modum in aduerſarios conuertitur argumentum. Clerici profeſſi, & maioribus ordinibus præditi in patrum poteſtate non habentur: ergo neque in poteſtate principum.

Hoc igitur fuit in noſtra reſponſione primum: illud verò ſecundo loco addidimus, potuiſſe Eccleſiam parentum poteſtati ſubiicere clericos, tum minorum tum maiorum ordinum: ſed octo de cauſſis non decuiſſe, vt eos principum poteſtati manciparet: quarum prima in perſona principum, ſecunda in perſona populi laici, tertia in perſona clericorum, quarta in perſona parentum, quinta in iuriſdictione Romani Pontificis cæterorúmque Prælatorum, ſexta in auctoritate Eccleſiaſticarum legum, ſeptima in ipſa Eccleſiaſtica immunitate ac libertate, octaua in diuini cultus ratione conſiſtit: ſingulas cauſſas in illo quinto capite executi ſumus.

Ad eamdem libertatem immunitatémque expugnandam, tutam ſibi arcem in iis verbis Apoſtoli ad Roman. cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, conſtitutam ſibi eſſe alij putauerunt. Nam locum Apoſtoli ad fulciendam tantùm ciuilem Principum poteſtatem, cui morem gerere cuncti clerici debeant, valere contendunt. 25.

At nos, vt iſtos de ea arce deiiceremus, hæc omnia adhibuimus. Primùm admonuimus in eamdem arcem ad libertatem Eccleſiæ quatiendam impiis artibus Marſilium Patauinum plus ducentis & quinquaginta abhinc annis aſcendiſſe, è qua à fortiſſimis incorruptæ religionis ducibus exturbatus fuit, in quibus fuit Albertus Pighius, qui perfidum hũc hæreſiarcham toto quinto libro ſtrenuè grauitérque confutat.

Deinde D. Chryſoſtomo, Theodoreto, & Oecumenio interpretibus, oſtendimus, Apoſtolum non de principibus, ſed de

de ipſamet poteſtate præcepiſſe,cuius interpretationis adſtipulatores eſſe docuimus D.Thomam,D.Bonauenturam,Durandnm Ægidium Romanũ, Dionyſium Carthuſianum, in poſtremam diſtinctionem lib.2.ſentent.

Tum,ex D.Thoma explanante verba Magiſt. ſent. illius extremæ diſtinctionis addidimus, non cuilibet poteſtati obediendum eſſe;ſed illi quam Deus inſtituit vt ei obediatur (neque enim poteſtati dæmonum, quamuis à Deo ſit, obtemperare debemus.)

Pòſt, ſubiunximus ex D.Bonauentura artic.2.q.1.ex Richardo artic.2.q.1.ex Durando q.2.num.6.ex Ægidio q.3. ex Carthuſiano q.4. in illammet diſtinctionem extremam 2.lib.ſentent. in poteſtate tria poſſe ſpectari, eſſentiam, acquiſitionem, vſum;eſſentiam eſſe à Deo:acquiſitionem verò & vſum poſſe eſſe aliunde.Quapropter apud Oſeam c.8.eæ ſunt voces Dei: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui.* Quin eo loco probauimus *ſententiam Apoſtoli* ad vtramque poteſtatem,ſacram & profanam, accommodari,ſumptis ad eam rem grauibus teſtibus,D.Bernardo in epiſt.183.ad Conradum Imperatorem, vbi verbis illis ipſis Apoſtoli obedientem illum conatur efficere Romano Pontifici: D. Anſelmo interpretante epiſtolam ad Romanos: D. Thoma loco paullò antè indicato: Alexandro Halenſi in 3.par. q.40. membr.5. ſanè D.Irenæus lib.5.aduerſus hæreſes, & D.Ambroſius in commentario edito in epiſtolam ad Romanos, & Tertullianus in Scorpiaco extrema pagina,cùm ad hũc modum pronunciant ſententiam Apoſtol. *Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote:* perſpicuè declarãt non tantùm de laica, ſed etiam de Eccleſiaſtica poteſtate à D.Paulo dari præceptum.

Sexto loco affirmauimus,hanc veriſſimam eſſe præceptionis Apoſtolicæ interpretatione, vt vnuſquiſque ſuo legitimo præſidi obtemperet, homo Gallus Regi Galliarum, homo Hiſpanus Regi Hiſpaniarum, Germanus Imperatori, religioſi ſuis Prælatis, omnes Chriſtiani Romano Pontifici Chriſti vicario cunctorum patri, paſtori, ac iudici.

Extremum monitum noſtrum fuit:epiſtolam ad Romanos non fuiſſe miſſam à diuo Paulo ad monachos & clericos; ſed ad eos Chriſtianos, qui ab impietate abiecta dæmonum recentes erant; falſòque rebantur, quòd ab idolorum cultu ad Chriſtianæ pietatis caſtra defecerant,ideo ciuilis etiam poteſtatis iugum ab ſuis ceruicibus eſſe deiectum.

De illius quoque Marſilij illud hauſtum eſt ſentina. Paulum à Feſto ad Cæſarem tamquam ad ſuum legitimum iudicem prouocaſſe, cùm ſine ſcelere nemini,inquiunt,liceat ad iudicem non ſuũ prouocare.Inaniſſimum argumentum. 26.

Paulus,ad exponendam iniuriam, quæ ſibi fiebat,ad iudicem ſuperiorem Feſti, non ſuum, prouocauit:vt ſi quis captus à latrone,& ab eo affectus iniuria, ad eius Ducem & Principem appellaret, velletque ſe ad eumdem deduci,ad Petrum iudicem ſuum verum non appellauit: quia appellatio eiuſmodi perodioſa, & Chriſtianis damno fuiſſet, nec ad vitationem inſidiarum inimicorum, ſuámque liberationem profuiſſet.

Dicere verò in ea cauſſâ,de qua eſt in Actorum lib.c.25.& ob quam ad Cæſarem Paulus appellauit, legitimum Apoſtoli iudicem Cæſarem extitiſſe, hæretica eſt aſſeueratio:ſequeretur enim,Principes profanos etiam gentiles, ne dum Chriſtianos, de cauſſis ad religionem fidémque orthodoxam pertinẽtibus iure poſſe cognoſcere.

Omnibus hiſce captioſis argumentationibus mirifica intercurrit ratiocinatio cuiuſdam auctoris quam in ſuo libro iueniliter iactat.Comminiſcitur enim,hominem animal eſſe politicum, ſeu ciuile, id eſt, vt is interpretatur, ciuili dominationi ſubiectum, & hanc proprietatem ab hominis natura non poſſe diuelli,cùm illi ſit intima.

Hoc

Hoc verò commentum nulla probabili ratione ab eo fabricatū, à nobis omnibus his breuibus conſectariis conſciſſum eſt. Ergo cùm à naturali & intima proprietate ad naturam, & à natura ad intimam proprietatem neceſſario connexo argumentemur, Adamus humani generis ſator ac princeps, non fuit homo, quia nemini ciuiliter debuit eſſe ſubiectus. Ergo Chriſtus, *qui fuit, & eſt rex Regum, & dominus dominantium, & princeps Regum terræ*, quemadmodum teſtis eſt Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi, cap.1. & 19. caruit natura humana: quia illi politica ſubiectio repugnabat. Ergo Anachoritæ, aut homines eſſe deſinerent, aut ſine Principum aſſenſu deſerta loca ac ſolitudines nec deligere, nec in iis commorari poſſent. Ergo ſollemnibus votis, qui religioſis ſodalitatibus obſtringuntur religioſi, per ſe ad claſſem ciuilis & profanę multitudinis pertinerent. Ergo, cùm homines in cœlo æternum ac beatum agitabūt æuum, animis iterum corporibuſque conſociatis, non erunt veri homines: quia ciuilibus poteſtatibus ſubiecti non erunt. Ergo ipſi Principes, qui dominantur in terris, homines nequaquam ſunt: quoniam dominari iis conuenit, nō ſubiici politico dominatui. Itaque dum conatus eſt cæteros homines & clericos ſubiicere principibus, ipſos Principes de hominū conuentu exemptos penè æquauit cum belluis.

28. Vociferatur alius, libertatis Chriſtianæ vocabulum nouum eſſe inuentum; ante Honorium III. in Eccleſia vſurpatum nō eſſe; nec dum ſatis inter Doctores conſtare, quid ea res ſit. Hæc minimè ferenda eſſe docuimus.

Primum illius erratum fuit, quòd libertatis, qua potitur Eccleſiaſtica claſſis, nomen, Honorij temporibus exortum eſſe ſcribit, anno poſt Chriſti ortum 1220. Atqui libertatem Eccleſiaſticam in magno Concilio generali Lateranenſi, in eo ſedente Innocentio III. qui Honorio anteceſſit, ſuo vocabulo appellatam conſtat ex cap.44. eiuſdem Concilij.

Secundum eius erratum fuit, quòd in » iis verbis Chriſti Domini: *Ergo filij ſunt liberi*, » Matth. cap.17. ſacram, Apoſtolorum, & Apoſtolos imitantium, atque adeo clericorum libertatem non agnouit: ſi enim liber ſine libertate eſſe non poteſt, ſicut nec bonus ſine bonitate, nec ſapiens ſine ſapientia: profectò quis hunc non intelligat vocem libertatis cum voce liberi neceſſariò implicitam peneque illi ſupparem eſſe?

Tertium erratum fuit: quòd non vidit, quamuis non vetuſtum libertatis Eccleſiaſticæ nomē eſſet, rem tamen ipſam eſſe vetuſtiſſimam, vt Concilium loquitur Coolnienſe.

Quartum erratum turpiſſimum fuit: quòd nondum conſtare inter doctores, ait, quid Eccleſiaſtica ſit libertas. Atqui, ſi iſte eorum doctrinā, à quibus doceri potuit, ac debuit, præceptam habuiſſet, nimirum libertatem Eccleſiaſticam id ius omne eſſe didiciſſet, quod Eccleſiæ, perſoniſve Eccleſiaſticis, ſeu à Deo, ſeu à Romanis Pontificibus, ſeu à Conciliis Oecumenicis, ſeu à Principibus, ſeu quoquo modo tributum eſt. Talis enim tradita eſt libertatis Eccleſiaſticæ definitio ab Innocentio, & à Panormitano, in cap. nouit, de ſententia excommun. quorum communem eſſe opinionem affirmat Sylueſter in verb. excommun.9. num.3. item à Bartolo in Authentica Caſſa, C. de ſacroſan. Eccl. item à Caietano in ſumma verbo excom. cap.31. item à Nauarro in ſumma cap.27. num.19. item à D. Anton. in 3. par. tit.24. cap.17. item à Roſella in verbo excomm. 1. excommunic.18. num.2. item à Sylueſt. loco iam patefacto, item ab Angelo in verbo excommun.7. caſu 12. item ab Armilla verbo excōm. excommun.31. item à Ioanne Tabienſi in verbo excōm. particula quinta, caſu 20. item à Ioanne Driedone in 2. lib. de libertate Eccleſ. cap.2. §. Verùm hic ſciendum, vbi diſcrimen inter libertatem Eccleſiaſticam, & libertatem Chriſtianam, his verbis conſtituit:

Verùm hic ſciendū, aliud eſſe libertatē »

" Eccleſiaſticam; aliud verò libertatem " Chriſtianam, ſeu libertatem Eccleſiæ " communem clerico & laico. Nam libertas Eccleſiaſtica eſt immunitas illa, ſecundùm quã perſonæ Eccleſiaſticæ & res Eccleſiaſticæ ſunt ex iure diuino, aut humano, aut ex priuilegio immunes, & exemptæ à ſæcularium iudicum poteſtatibus, iuriſdictionibus, tribunalibus, vectigalibus, & tributis impoſitis, aut imponendis à temporalibus principibus, ſeu iudicis: quemadmodum tractant Doctores in c. aduerſus, de immunitate Eccleſiaſtica: atque ita libertas Eccleſiaſtica facit perſonas Eccleſiaſticas immunes, ſeu liberas, & exemptas à legibus, & exactionibus ſæcularium principum, aut magiſtratuum. Libertas verò Chriſtiana non facit Chriſtianos ab huiuſmodi legibus liberos, & immunes.

Plura ſi de immunitate libertatéque Eccleſiaſtica cognoſcere aueat lector, promptum eſt ei petere ex cap. 5. noſtri Apologetici.

QVÆSTIO XCIIII.

1. Honeſtiſſimæ ciuitatis Epiſcopus, immunitatis Eccleſiaſticæ ſtrenuus propugnator, per internuntium me rogauit: An Eccleſiæ ſuæ agri, ſuorúmque clericorum non mouentia bona, perinde cenſa, vt laicorum, à cõmuni laico, eidem communi tributum pro ratione cenſus ſoluere debeant.

Debere, probare videtur canon, Tributum. 23. q. 8. qui eſt Vrbani Papæ; qui ait, de ſuis bonis, quæ apparent, Eccleſiam tributa reddere: quod verè dicitur in iis bonis, quæ priuſquam in iure eſſent Eccleſiæ, à laicis tenebantur, & in iure Principis erant, indéque vectigalia, & tributa colligebant: nec enim æquum videtur, quempiam ſuo iure nulla culpa ab eo contracta priuare: cur ergo, ſi antea erant vectigales agri, non item pòſt erunt, quàm in eorum poſſeſſionem Eccleſia venit?

Dices, quia ſicut in perſonas, vbi ſacræ ſunt effectæ, nihil iuris & poteſtatis habent Principes, vt ex vtraque diſputatione noſtra ſuperiore de immunitate perſpicuum eſt; ſic neque in cætera bona laicorum, vbi in ſacroſanctum Chriſti patrimonium migrauerint.

Atqui, vt interim cauſſam Principum tueamur, non par eſt immunitas perſonarum Eccleſiæ & bonorum: nam hæc alienari poſſunt emptione, venditione, permutatione; pignori opponi; quorum nihil in perſonam cadit Eccleſiaſticam; quæ abſolutam libertatem, immunitatémque habet. Ad hæc multa Eccleſia accepit à Principibus feuda, quorum ea eſt natura, vt dominium ciuile penes eum, qui rem largitur, ſit; naturale penes eum, qui accipit; id eſt, vt hic re vtatur, & fruatur, dominiúmque nanciſcatur vtile; ille, qui dedit, retineat dominium vtile; & proprietatis: &, ſi feudum ob creditam pecuniam à Domino directo feudatorio tamquam pignus in manu directi Domini ponitur, poteſt ex eo percipere fructus, quibus nõ reficit ſortem, aut viuum, ex cap. 1. de feudis. 2.

In altera parte contra communitatem laicam eſt hoc: quòd impium videtur Chriſti bona cenſere, & profanum vectigal quærere ex ea re quæ ſacra eſt, & in verum Chriſti patrimonium collata: cui omnes largiri ſua deberent, nihil de eius bonis detrahere.

Quæſtioni reſpondendum eſt, quemadmodum reſpondi, diſtinctione adhibita Panormitani in cap. extremum de vita & honeſtate clericorum, quam multi alij ante, & poſt ipſum vſurparunt. Bona laicorum, quæ fiunt Eccleſiæ, ſiue teſtamento, ſiue legato, ſiue donatione, ſiue permutatione, priuſquam in Eccleſiæ patrimonium peruenirent, aut onus fixum, certum, & perpetuum, nec varium habebant: aut onus varium, nec ſemper idem: ſi onus ſuſtinebant immutabile, & perpetuum, vniuerſitati laicæ, ſeu Principi ſoluent illud ipſum, quod antea ſoluebãt: 3.

ſin

ſin onus mutabile fuit,quia modò maiorem,aliàs minorem eſtimationem habuerunt:& nunc triburum maius, alio tempore minus ſolutum eſt,vt ferè accidit,ſine vllo onere perueniunt ad clericos.

Hæc ſummatim Panormitanus in illud poſtremum,cap.de vita & honeſtate clericorum, num. 12. ſui commentarij: vbi eiuſdem ſententiæ patronos citat Ioannem de Lign. in Clement. præſenti, de cenſibus, Ioannem Andream, & Archidiaconum in cap.1. de immunit. Eccleſ. lib.6. Vide Syluestrum, in verbo,Excommunicatio.9.num.13. qui præter illos auctores,quos nominat Panormitanus,profert etiam Dominicum Antonium. Vide Ioannem Tabienſem in verbo, Excommunicar.5.caſu 18.num.3.& diuum Antoninũ in 3.par.tit.24.c.26.in extremo. Vbi noſtra & Panormitani omiſſa diſtinctione quæſtionem ponit,& exponit his verbis:Quæritur,ſi ad clericum aliqua de iuſta cauſſa caſamentum ruſtici,& poſſeſſiones perueniant; & pro modo illarum, & quantitate ſoluebat ruſticus in quæſtis,& collectis,quæ communiter fiebant in loco ratione regiminis,vel alia: verùm ipſe clericus teneatur ſimiliter in prædictis pro modo & rata poſſeſſionum. Omiſſis aliis allegationibus pro, & contra, finaliter dici poteſt,quòd talis clericus liber eſſe debet à prædictis: quod probatur per cap.Quia nonnulli, de immunit. Eccleſ. lib. 6. Atque ita abſolutè reſpondit D. Anton.fortaſſe;quia onus perpetuum, & immutabile vix retinent bona laicorum; vel etiam quia Decretalis illa,Quia nonnulli:nõ minùs abſolutè decernit de immunitate prædiorum, & bonorum, quæ clerici poſſidet,quàm ipſe D.Antoninus.

4\. De feudo non vna & eadem eſt Doctorum explicatio. Quidam,vt Gloſſa,caput illud volunt tantùm fauere Eccleſiæ, non item laico. Aliis placuit, vt valeret in feudo,ac tributo ruſtico,cuius obſequia, & labores aut tantidem ſunt,quanti ſunt fructus,aut non multo pluris. Nonnulli cenſuerunt,fructus tunc capi poſſe, cùm inter eos ita conuenit à principio: verùm conuentum,& pactũ de vſura ſoluenda, nullius eſt momenti,ex cap.debitores de iureiurando.

Quarta reſponſio, eſt Oſtienſis, & Panormitani in illud cap.1. de feudis,quam Panormitanus ait eſſe communiorem,vt Decretalis æquè conſulat laicis,& clericis:naſcatúrque ex natura feudi, vt cùm ſuo domino oppignoratur feudum ab eo qui poſſidet,ad illum fructus pertineant, ad eumdémque interea redeat vſusfructus, cuius ſemper eſt proprietas, directúmque dominium.

Sanè quidem ſi expendamus verba Decretalis extrema,quæ ſunt:Ita demum, vt quamdiu fructus illos perceperis in ſortem minimè computandos, idem ille à ſeruitio,in quo tibi & Eccleſiæ tuæ pro feudo tenetur, interim ſit immunis: perſpiciemus fructus cõdonari domino feudi,quando credit pecuniam ſuo vaſallo, pro muneribus, & obſequiis, quæ ſubditus præſtare deberet;reddíque à ſubdito domino fructus pro laboribus, & muneribus: ſalua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XCV.

1\. LEgitima Principis auctoritate, in ciuitate, aſſe vectigal, quod antea impoſitum erat,augetur:quæſitum eſt, num clerici ſaluo iure ſuæ immunitatis ſoluere poſſint illũ aſſem,non coacti,ſed ſponte.

Reſpondeo, quemadmodum tunc reſpondendum fuit, clericos primùm non potuiſſe ſibi ius neceſſarium, onúſque imponere ſoluendi aſſis. Deinde, neque retenta libertate poſſe eumdem ſoluere non conſulto Romano Pontifice.

Primum nemini debet eſſe ambiguũ. Quia abdicare ſe priuilegio, ſeu iure immunitatis,aut toto, aut parte eius aliqua ſine crimine nemo poteſt è clero; &, ſi id facit, nihil facit. excipio illa dumtaxat tempora, quibus iure canonum clericus priuilegio non ſolùm immunitatis, verumetiam aliis priuatur.

» Eccleſiaſticam; aliud verò libertatem
» Chriſtianam, ſeu libertatem Eccleſiæ
» communem clerico & laico. Nam libertas Eccleſiaſtica eſt immunitas illa, ſecundùm quã perſonæ Eccleſiaſticæ & res Eccleſiaſticæ ſunt ex iure diuino, aut humano, aut ex priuilegio immunes, & exemptæ à ſæcularium iudicum poteſtatibus, iuriſdictionibus, tribunalibus, vectigalibus, & tributis impoſitis, aut imponendis à temporalibus principibus, ſeu iudicibus: quemadmodum tractant Doctores in c. aduerſus, de immunitate Eccleſiaſtica: atque ita libertas Eccleſiaſtica facit perſonas Eccleſiaſticas immunes, ſeu liberas, & exemptas à legibus, & exactionibus ſæcularium principum, aut magiſtratuum. Libertas verò Chriſtiana non facit Chriſtianos ab huiuſmodi legibus liberos, & immunes.

Plura ſi de immunitate libertatéque Eccleſiaſtica cognoſcere aueat lector, promptum eſt ei petere ex cap. 5. noſtri Apologetici.

QVÆSTIO XCIIII.

1. HOneſtiſſimæ ciuitatis Epiſcopus, immunitatis Eccleſiaſticæ ſtrenuus pro pugnator, per internuntium me rogauit: An Eccleſiæ ſuæ agri, ſuorúmque clericorum non mouentia bona, perinde cenſa, vt laicorum, à cõmuni laico, eidem communi tributum pro ratione cenſus ſoluere debeant.

Debere, probare videtur canon, Tributum. 23. q. 8. qui eſt Vrbani Papæ; qui ait, de ſuis bonis, quæ apparent, Eccleſiam tributa reddere: quod verè dicitur in iis bonis, quæ priuſquam in iure eſſent Eccleſiæ, à laicis tenebantur, & in iure Principis erant, indéque vectigalia, & tributa colligebant: nec enim æquum videtur, quempiam ſuo iure nulla culpa ab eo contracta priuare: cur ergo, ſi antea erant vectigales agri, non item pòſt erunt, quàm in eorum poſſeſſionem Eccleſia venit?

Dices, quia ſicut in perſonas, vbi ſacræ ſunt effectæ, nihil iuris & poteſtatis habent Principes, vt ex vtraque diſputatione noſtra ſuperiore de immunitate perſpicuum eſt; ſic neque in cætera bona laicorum, vbi in ſacroſanctum Chriſti patrimonium migrauerint.

Atqui, vt interim cauſſam Principum tueamur, non par eſt immunitas perſonarum Eccleſiæ & bonorum: nam hæc alienari poſſunt emptione, venditione, permutatione; pignori opponi; quorum nihil in perſonam cadit Eccleſiaſticam; quæ abſolutam libertatem, immunitatémque habet. Ad hæc multa Eccleſia accepit à Principibus feuda, quorum ea eſt natura, vt dominium ciuile penes eum, qui rem largitur, ſit; naturale penes eum, qui accipit; id eſt, vt hic re vtatur, & fruatur, dominiúmque nanciſcatur vtile; ille, qui dedit, retineat dominium vtile; & proprietatis: &, ſi feudum ob ereditam pecuniam à Domino directo feudatorio tamquam pignus in manu directi Domini ponitur, poteſt ex eo percipere fructus, quibus nõ reficit ſortem, aut viuum, ex cap. 1. de feudis. 2.

In altera parte contra communitatem laicam eſt hoc: quòd impium videtur Chriſti bona cenſere, & profanum vectigal quærere ex ea re quæ ſacra eſt, & in verum Chriſti patrimonium collata: cui omnes largiri ſua deberent, nihil de eius bonis detrahere.

Quæſtioni reſpondendum eſt, quemadmodum reſpondi, diſtinctione adhibita Panormitani in cap. extremum de vita & honeſtate clericorum, quam multi alij ante, & poſt ipſum vſurparunt. Bona laicorum, quæ fiunt Eccleſiæ, ſiue teſtamento, ſiue legato, ſiue donatione, ſiue permutatione, priuſquam in Eccleſiæ patrimonium peruenirent, aut onus fixum, certum, & perpetuum, nec varium habebant: aut onus varium, nec ſemper idem: ſi onus ſuſtinebant immutabile, & perpetuum, vniuerſitati laicæ, ſeu Principi ſoluent illud ipſum, quod antea ſoluebãt: 3.

ſin

ſin onus mutabile fuit,quia modò maiorem,aliàs minorem æſtimationem habuerunt:& nunc tributum maius, alio tempore minus ſolutum eſt,vt ferè accidit,ſine vllo onere perueniunt ad clericos.

Hæc ſummatim Panormitanus in illud poſtremum,cap.de vita & honeſtate clericorum, num. 12. ſui commentarij: vbi eiuſdem ſententiæ patronos citat Ioannem de Lign. in Clement. præſenti, de cenſibus, Ioannem Andream, & Archidiaconum in cap.1. de immunit. Eccleſ. lib.6. Vide Syluestrum, in verbo,Excommunicatio.9.num.13. qui præter illos auctores,quos nominat Panormitanus,profert etiam Dominicum Antonium. Vide Ioannem Tabienſem in verbo, Excommunicat.5.caſu 18.num.3.& diuum Antoninũ in 3.par.tit.24.c.26.in extremo. Vbi noſtra & Panormitani omiſſa diſtinctione quæſtionem ponit,& exponit his verbis:Quæritur,ſi ad clericum aliqua de iuſta cauſſa caſamentum ruſtici,& poſſeſſiones perueniant; & pro modo illarum, & quantitate ſoluebat ruſticus in quæſtis,& collectis,quæ communiter fiebant in loco ratione regiminis,vel alia: vtrùm ipſe clericus teneatur ſimiliter in prædictis pro modo & rata poſſeſſionum. Omiſſis aliis allegationibus pro, & contra, finaliter dici poteſt,quòd talis clericus liber eſſe debet à prædictis: quod probatur per cap.Quia nonnulli, de immunit. Eccleſ. lib.6. Atque ita abſolutè reſpondit D. Anton.fortaſſe;quia onus perpetuum, & immutabile vix retinent bona laicorum; vel etiam quia Decretalis illa,Quia nonnulli:nō minùs abſolutè decernit de immunitate prædiorum, & bonorum, quæ clerici poſſidēt,quàm ipſe D.Antoninus.

4. De feudo non vna & eadem eſt Doctorum explicatio. Quidam,vt Gloſſa,caput illud volunt tantùm fauere Eccleſiæ, non item laico. Aliis placuit,vt valeret in feudo,ac tributo ruſtico,cuius obſequia, & labores aut tantidem ſunt,quanti ſunt fructus,aut non multo pluris. Nonnulli cenſuerunt,fructus tunc capi poſſe, cùm inter eos ita conuenit à principio: verùm conuentum,& pactũ de vſura ſoluenda, nullius eſt momenti,ex cap.debitores de iureiurando.

Quarta reſponſio, eſt Oſtienſis, & Panormitani in illud cap.1. de feudis,quam Panormitanus ait eſſe communiorem,vt Decretalis æquè conſulat laicis, & clericis:naſcatúrque ex natura feudi, vt cùm ſuo domino oppignoratur feudum ab eo qui poſſidet,ad illum fructus pertineant; ad eumdémque interea redeat vſusfructus, cuius ſemper eſt proprietas, directúmque dominium.

Sanè quidem ſi expendamus verba Decretalis extrema,quæ ſunt:Ita demum, vt quamdiu fructus illos perceperis in ſortem minimè computandos, idem ille à ſeruitio,in quo tibi & Eccleſiæ tuæ pro feudo tenetur, interim ſit immunis: perſpiciemus fructus cōdonari domino feudi,quando credit pecuniam ſuo vaſallo, pro muneribus, & obſequiis, quæ ſubditus præſtare deberet;reddíque à ſubdito domino fructus pro laboribus, & muneribus: ſalua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XCV.

1. Legitima Principis auctoritate, in ciuitate, aſſe vectigal, quod antea impoſitum erat,augetur:quæſitum eſt, num clerici ſaluo iure ſuæ immunitatis ſoluere poſſint illũ aſſem,non coacti,ſed ſponte.

Reſpondeo, quemadmodum tunc reſpondendum fuit, clericos primùm non potuiſſe ſibi ius neceſſarium, onúſque imponere ſoluendi aſſis. Deinde, neque retenta libertate poſſe eumdem ſoluere non conſulto Romano Pontifice.

Primum nemini debet eſſe ambiguũ. Quia abdicare ſe priuilegio, ſeu iure immunitatis,aut toto, aut parte eius aliqua ſine crimine nemo poteſt è clero; & ſi id facit, nihil facit. excipio illa dumtaxat tempora, quibus iure canonum clericus priuilegio non ſolùm immunitatis, verumetiam aliis priuatur.

Rationes huius primi capitis ſunt: quia priuilegium immunitatis datum clericis non eſt huius vel alterius proprium, ſed totius Eccleſiaſticæ vniuerſitatis: quare nulla priuata pactio poteſt illi obeſſe. Sic enim Innocentius III. in ſua Decretali, ſi diligenti, de foro competenti. Neque priuilegio, quod eſt toti Eccleſiaſtico collegio indultum, poteſt priuatorum pacto derogari. Deinde, quia eiuſmodi abdicatio voluntatem & iuriſdictionem læderet Romani Pontificis; qui vult; omnes, & ſingulos ſuos clericos à tributis & oneribus laicorum omnino eſſe immunes; vt non ſolùm non cogantur ſoluere, ſed etiam vt nec ſponte ſoluant.

2. Confirmat ſecundam hanc rationem eiuſdem Innocētij altera Decretalis, cum tempore, de arbitris. Cuius ſumma ſic habet. Exemptus non poteſt renunciare priuilegio libertatis ſine licentia illius, cui ſubeſt. & Panormitanus in eamdem Decretalem notabili quinto ad hunc modū
» ſcribit. Quintò nota, & in hoc bene tene
» menti iſtum textum; quia quotidie al-
» legatur, quòd Eccleſia exempta non po-
» teſt renūciare priuilegio libertatis. Vnde
» licèt generaliter dicatur, quem poſſe lici-
» tè renunciare iuri, & fauori pro ſe intro-
» ducto, vt in cap. ad Apoſtolicam de regu-
» lar. & in l. ſi quis in conſcribendo, C. de
» Epiſcopis & clericis. tamen in priuilegio
» exemptionis tāgitur ne dum fauor exem-
» pti, ſed etiam fauor ipſius ſuperioris, qui
» exemit eum. & eximendo ab aliis imme-
» diatè illum ſuæ iuriſdictioni ſubiecit. Vn-
» de intereſt non perdere iſtam immedia-
» tam ſubiectionem: ſecus autem in aliis
» priuilegiis, in quibus verſatur dumtaxat
» fauor priuilegiati. Hæc totidem verbis
Panormit. ecquis ignorat priuilegia ſuis clericis data nolle Pontificem Romanū vt vllâ ratione mutentur?

3. Secundum autem caput, quod erat, clericos cōſeruato iure immunitatis ſpōte non ſoluere poſſe, quod iure vectigalis laici ſoluunt, certis ſanctionibus Pontificiis, & earum interpretū teſtimonio cuique poteſt eſſe notiſſimum. Nam egenti ciuitati, vel Principi à clerico ſubueniri æquiſſimum eſt: verùm id non aſſentiente Romano Pontifice, fieri non debere planum eſt ex interpretatione Innocentij, Oſtienſis, Ioannis Andr. in cap. Non minùs, de immunitate, ſuarum explanationum num. 9. & Panormitani in idem caput, num. 4. & Butrij in cap. peruenit, eod. tit. num. 6. & Ancharani in cap. Quia nonnulli, de immunit. lib. 6. num. 5. qui hanc ait Canoniſtarum eſſe ſententiam: quod ipſum ſeueris legibus ab Romanis Pontificibus ſancitum eſt, ab Innocentio III. in cap. aduerſus, de immunit. cùm is præeſſet Lateranenſi Concilio generali: à Bonifacio VIII. in cap. clericis, de immunitate, lib. 6. à Benedicto XI. in extrauagāti, quod olim, de immunitate, à Clemente V. in Concilio generali Viennenſi, cap. 1. eod. titu. A Leone X. in Concilio generali Lateranenſi, ſeſſ. 9. in conſtitutione, cuius eſt initium, Supernæ diſpoſitionis, ab aliis Romanis Pontificibus in Bulla Cœnæ, can. 18.

Et quamuis Bonifacij VIII. conſtitutio reuocata fuerit à Clemēte V. in Concilio Viennenſi, nihiloſecius à Leone X. in Concilio generali Lateranen. ſeſſ. 9. reſtituta fuit: in quo Concilio cunctæ Bonifacij VIII. conſtitutiones ad libertatem Eccleſiaſticam pertinentes, renouantur: & quod in ſua Decretali ſciuit Bonifacius, iiſdem verbis & ſententiis ſciuit Leo X. Et quidquid Concilium Lateranenſe nouiſſimum de libertate Eccleſiaſtica decreuit, confirmant, atque innouant cum omnibus cenſuris poſteriores Pontifices in Bulla Cœnæ, can. 18. vt illud item planum ſit; Bonifacij decretum noſtris temporibus in bullam Cœnæ tranſlatum eſſe, quemadmodum etiam Cardinalis Toletus teſtis eſt in ſua ſumma in tractatu de caſibus in bulla Cœnæ reſeruatis, excommunicatione nona.

Atque hi omnes ſuperiores Pontifices excommunicatione latæ ſententiæ Romano Pontifici reſeruata animaduertunt

in eos

in eos omnes, qui præſtationem ſolutionémve aliquam imponunt Eccleſiaſticis perſonis ſine Romani Pontificis aſſenſu; etiamſi recipiant à ſponte dantibus. Sed tamen non credit Toletus cenſura irretiri eos qui ſponte ſoluunt, quos tamen irretiebat Bonifacius. In hac enim parte neque in Bulla Cœnæ, neque in Concilio Lateranenſi apparet innouatam eſſe.

QVÆSTIO XCVI.

1\. Y. Clericus, comparatis copiis, multitudine armata & inſtructa, in alienam ditionem inuadit, adulteriis, cædibus, rapinis, otium publicum & tranquillitatem perturbat.

Opitulatúrne huic immunitas Eccleſiaſtica, ita, vt à Principe & Domino ditionis comprehendi non poſſit, & occidi?

Opinari quiſpiam poſſet, priuilegium immunitatis, & Canonis, datum clericis, adeo eſſe fixum, vt ob nullum flagitium illud amittant; quod longè eſt ſecus. Nam vt de Canonis priuilegio dicamus, multa incidunt tempora, & multi à Doctoribus numerantur caſus, cùm illud concidit, & delinquenti clerico perit. D. Thomas, in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. artic. 1. ad 1. quæſtiunculam, ſeptem collegit. Caietanus, in Summa, in verbo, Excommunicatio, cap. to. quinque. Tabiena, in verbo, Excommunicatio 5. à num. 24. ad 32. octo. Angelus, in verbo, Excommunicatio 5. à num. 2. ad 26. nouem: quamuis ab initio octo propoſuiſſet. Armilla, in verbo, Excommunicatio, Excommunicatione, 2. à num. 3. ad 7. decem. Roſella, in verbo, Excommunicatio, 2. à num. 3. ad 7. duodecim. Sylueſter, in verbo, Excommunicatio, 6. à num. 6. ad 8. quattuordecim. D. Ant. in 3. part. tit. 24. c. 1. §. 2. qundecim. Oſtienſis, in ſua Summa, lib. 5. de ſententia excommunicationis. §. Super illo autem Canone. 20. Nauarrus, omnium recentiſſimus in Summa, cap. 27. à num. 80. ad 87. numerat 28.

Oſtienſis, in cap. Perpendimus, de ſententia Excommunicationis omni aſſeueratione confirmat, clericum, qui in vitæ turpitudine, & ſcelerum infamia inueteraſſet, nullámque melioris frugis ſpem adferret, quamuis habitum & tonſuram latam gereret, omni priuilegio ſpoliatum eſſe. Si verò notorij ſunt, inquit ille, puta nudi incedunt, in furnis iacent, tabernas, ludos & meretrices frequentant: Et in hoc errore inueterati ſunt: ita, quòd nec ſpes correctionis eſt, reatus huiuſmodi omne priuilegium excludit. Iterat iſtud ipſum in Summa, loco citato. Sequitur Oſtienſem, Ioannes Andr. in eamdem decretalem. Perpendimus, de ſententia Excommunicationis: & alij, quos citat Panormitanus in explanatione eiuſdem decretalis, num. 9. Placuit eadem opinio Syluestro, in verbo, Excommunicatio, 6. num. 7. col. 2. vbi ſcriptum reliquit. Vnde » hæc opinio eſt practicanda: vbi iudices » Eccleſiaſtici ſunt in puniendo negligen- » tes: vel periculum in mora non patitur » eos adire: vel enormitas facinorum pœ- » nam maiorem expetit arbitrio bonorum, » quàm Eccleſiaſtica poſſit inferre; vt quia » ſunt publica, & ſcandaloſa, & Reipublicæ » valde nociua. Et licèt degradatio in enor- » mibus priùs regulariter requiratur; ſecus » in caſu expreſſo à iure. Oſtienſis opinio- » nem oppido communit decretalis Bonifacij VIII. qui clericos, quos ioculatores, goliardos, & quos buffones appellant, ſi per annum in his artibus ignominioſis perſeuerauerint, ipſo iure priuat omni clericali priuilegio.

Verùm contra Oſtienſem pugnat Pa- 3. normitanus, in illam decretalem, Perpendimus, & Alexand. conſ. 8. Panormitani opinio videtur eſſe communior, & curiæ conſuetudine comprobata; vt eiuſmodi flagitioſi clerici ad iudicem Eccleſiaſticum duci debeant ſuorum ſcelerum pœnas daturi. Quare Tabiena in Summa, perſtringens Syluestrum cenſuit his verbis in verbo, Excommunicatio, 5. num. 20. Quidam dicunt, quòd opinio, quæ »

» dicit, quòd perdit priuilegium fori, eſt
» practicanda. Sed me degente Bononiæ
» practicata eſt alia opinio Domini Alexandri
» toto approbante ſtudio: nec hucuſque
» bene reſponſum eſt ad dictum,
» cap. Si iudex. Hæc Ioannes Tabien. caput
» autem, quod eſt huius alterius opinionis
» fundamentum, eſt decretalis Bonifacij
» VIII. quæ incipit. Si iudex laicus, de ſententia excommunicationis lib. 6. vbi præcipitur cunctis ſæcularibus iudicibus, vt reus clericus, aut eo forũ Eccleſiaſticum poſtulante, aut ipſum repoſcente Eccleſia, protinus reddi debeat Eccleſiæ quamuis ſine habitu captus eſſet.

4. Mea igitur de propoſita quæſtione hæc olim fuit opinio: facinoroſum illum, & factioſum clericum, perniciem alienæ ditioni molientem, atque eam inuadenté, tuta conſcientia comprehendi poſſe, vt iudici ſiſtatur Eccleſiaſtico; quòd ſi veſtitu abiecto clericali eum quis aut mutilet, aut occidat, peccaturũ quidem illum interfectorem, pœnam tamen excommunicationis minimè ſubiturũ propter legem, Perpendimus, de ſententia excommunicationis.

Quòd ſi opponas: licet impune, & ſine vlla culpa clericũ occidere, qui meam vitam adoritur, cùm mihi conſulere non poſſum niſi eius nece: ergo pariter licebit id ipſum facere, quum meos fines aut oppida inuadit; negatur conſequentia. Primùm: Quia non eſt æqua ratio vitæ tuendæ & finium. Deinde, quia à finibus & ditione arceri poteſt, quamuis non interficiatur. Poſtremò, quia ſola eius comprehenſione vim illatam poſſum repellere: neque is cenſuram elaberetur excommunicationis, qui clericum, poſtquam iniuriam feciſſet, in tuto aliquo loco latitantem interficeret. Nam ſi latronem tibi occidere non permittitur, vbi rem furtiuam, ac ſe ipſum aliquò detulit: multo minùs id conceſſum eſſe debet contra clericum. Denique huius noſtræ diiudicationis Romana curia, nec non bulla in Cœna Domini fautrix eſt: hæc enim Canone 19. punit illos omnes iudices, tabellarios, ſcribas, executores, & ſubexecutores; qui in cauſſis capitalibus contra perſonas Eccleſiaſticas ſe interponũt, eas aut capiẽdo, aut de earum cauſſa cognoſcendo, aut proſcribendo, aut eiiciendo; aut ſententiam pronuntiando.

Huius cauſſæ iudicatæ appendicula hæc ſit: clericorum quattuor eſſe genera. 5.
Vni ſunt, qui vitam ex Eccleſiæ legibus agunt: His ius manet incolume immunitatis vniuerſum. Alteri, vel quia poſt ſuſceptos minores ordines à ſtatũ & conditione clericali omnino deſciuerunt; ſeu in eiſdem ordinibus bigami ſunt effecti; vel etiam quia ſunt ex eo genere, quos ioculatores, goliardos, & buffones Bonifacius VIII. appellat; vel quia ſunt actualiter degradati; vel etiam quia verbaliter depoſiti; & poſt depoſitionem improbas vitæ rationes corrigere nolunt: quibus omnibus eſt omne priuilegium clericorum ademptum.

Illi verò qui poſt verbalem depoſitionem vitia emendant, & vitę ſordes eluũt, Canonis & fori priuilegium retinent. De priuilegio fori diſertè affirmat Panormitanus in cap. Tuæ diſcretionis, de pœnis num. 2. Hic, inquit, loquitur de degra- »
datione verbali; quæ non priuat omni »
priuilegio fori, niſi poſtea ſequatur incor- »
rigibilitas, vt in c. Cum non ab homine. »
de iud. & de vtroque priuilegio, tum fori tum Canonis, ſic ſcribit in c. ad abolendam. de hæreticis num. commentarij 10.
Aut quis deponitur verbaliter, aut actua- »
liter. Primo caſu depoſitus tenet priuile- »
gium clericale reſpectu fori, & reſpectu »
Canonis. Si quis ſuadente, 17. q. 4. niſi »
poſt depoſitionem ſequatur incorrigibi- »
litas. Nam tunc ſecundùm verum intel- »
lectum capitis cùm non ab homine de »
iud. perdit omne priuilegium clericale; & »
abſque alia traditione comprimi poteſt »
per iudicem ſæcularem. Secundo caſu de- »
poſitus, ſi eſt actualiter, incontinenti per- »
dit omne priuilegium clericale; vt proba- »
tur de pœnis cap. degradatio lib. 6. Tertij »
ſunt:

ſunt: qui Canonis amiſſo priuilegio retinent fori: vt ij de quibus à nobis in hac quæſtione in cauſa. Y. diſceptatum eſt. Quarti & poſtremi ſunt, qui ſaluo priuilegio Canonis,perdunt fori,vt clerici;aut prima tantùm tonſura aut minoribus ordinibus initiati; qui non præſtant ea quæ à Concilio Tridentino,ſeſſ.23.cap.6. præ- » ſcribuntur hiſce verbis. Nullus prima » tonſura initiatus, aut etiam in minoribus » ordinibus conſtitutus, ante 14. annum » beneficium poſſit obtinere: is etiam fori » priuilegio non gaudeat, niſi beneficium » Eccleſiaſticum habeat,aut clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ mandato Epiſcopi inſeruiat; vel in ſeminario clericorum,aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad maiores ordines adipiſcendos verſetur.

6\. Quibus verbis cùm non leuis eſſet mihi ſcrupulus iniectus, ablato priuilegio fori, num Canonis illis clericis ſtabile permaneret: cuperémque illuſtriſſimæ Cardinalium congregationis reſponſo ea de re doceri, litteras ad ampliſſimũ Cardinalem Antonium Caraffam dedi: qui ad me congregationis illuſtriſſimæ reſponſum miſit, decernentis, iis clericis priuilegium Canonis relictum eſſe:quod reſponſum, ne à ſe ipſo diſſentiat, ſic cogimur interpretari, vt fori amiſſum ſit in cauſſis tantùm ciuilibus, in capitalibus non item: ita non licere neque in ciuilibus, neque in capitalibus violentam manum in clericum iniicere,vllâve eum pœna corporis coërcere: ſalua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XCVII.

1\. Z. Clericus, feminam annorum 40. retinet, quæ ſibi ad omnia opera & labores præſto eſt, ad quæ famuli conducuntur, illiúſque adſpectu & conſuetudine ad flagitium mortiferum mente concipiendum prolectatur.

Quæritur, an hic clericus ſtrumã hanc ſibi perniciosam execare quamprimùm debeat; & mulierculam illam domo exturbare.

Reſpondeo, omni abiecta cunctatione, hoc à clerico fieri debere; cùm nec ſacri Canones, nec diuina, naturaliſque lex eam peccati ſegetem illi permittat. Cùm enim Dei, & naturæ, & Eccleſiæ lege imperata ſit clerico, præſertim ei qui eſt ſacro ordine ornatus, caſtimonia: de qua re Conc. Lateranenſe, in c.vt clericorum mores. de vita & honeſt. clericorum. & Concilium Trid.ſeſſ.25.c.14.de reformat. neque ea ſolùm continentia & caſtitas à clerico requiratur, quæ ipſum teſtem habet, ſed etiam quæ teſtimonium arceſſit extrinſecus, vt rectè ait Sylueſter, in verbo, clericus, 2. num. 2. §. Quarto debet, proinde ſumma prouiſione animi, earum mulierum fugienda eſt clerico conſuetudo, quæ aut mali ſuſpicionem dimouere non poſſunt; aut delinquendi materiam ſuppeditant clerico.

Innocentij III. decretalis, quæ habetur extra, de cohabitatione clericorum & mulierum, incipit, à nobis; eſt huiuſmodi. 2.
Cum clericis quoque non permittas mu- » lierculas habitare, niſi forte de illis perſo- » nis exiſtant, in quibus naturale fœdus ni- » hil permittit ſæui criminis ſuſpicari. Et ſa- » crum Concilium Trident. in illo, quem protulimus, loco, ſancit his verbis. Prohi- » bet ſancta Synodus quibuſcunque cleri- » cis, ne concubinas, aut alias mulieres, de » quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel » extra detinere, aut cum iis vllam conſue- » tudinem habere audeant: alioquin pœ- » nis à ſacris Canonibus, vel ſtatutis Eccle- » ſiarum impoſitis puniantur. Syricius Pa- » pa, Canone, feminas, diſtinct. 81. vetat vllas feminas ad munia domeſtica haberi in domibus à clericis, exceptis iis quæ à Concilio Nicæno permittuntur: quæ autem hæ ſint mulieres, his verbis ſignificauit Concilium Nicænum, cap. 3. Inter- » dicit per omnia ſancta Synodus non Epi- » ſcopo, non Preſbytero, non Diacono, vel » alicui

alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, aut etiam idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones. Verùm poſtrema verba Græcè meliùs ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε, id eſt, niſi eas ſolas perſonas, quæ omnem vitarint ſuſpicionem. Itaque vult Concilium etiam præteritæ vitæ ſuſpicione caruiſſe mulieres, quæ domi aluntur à clericis. Quod decretum tranſlatum eſt in diſtinct. 32. Can. interdixit. & in cap. Cum omnibus. diſtinct. 81. quod Concilij eſt Carthaginenſis III. ex cap. 17. cauetur his verbis. Cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, auiæ, & materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum, & quæcumque ex familia domeſtica neceſſitate etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant: vel ſi filij eorum iam ordinatis parentibus vxores acceperunt; aut ſeruis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit.

3. Harum verò mulierum iuſta conſuetudo & retentio, quarum Concilium Carthaginenſe mentionem facit, vt ait Syluester, in verbo, Clericus, 2. num. 2. duo exigit; alterum eſt, vt neque feminarum, neque Clericorum exiſtimatio ſit ſuſpicionis odore corrupta; alterum, vt prolapſionis periculum in clerico ne timeatur. Itaque idem Sylu. Peccat, inquit, mortaliter, ſi cohabitet mulieri, de qua eſſe poſſit rationabilis ſuſpicio; etiamſi ſit conſanguinea, vel affinis: & multo magis ſi cohabitet maſculo tali, de quo rationabiliter ſuſpicari poſſit. Eamdem ſententiam verbis iiſdem confirmat Angelus, in verbo, Clericus, 2. num. 2. & Nauarrus, in Summa, cap. 25. num. 109. Peccatum æterno ſupplicio mactandū ſcribit peccare clericum, qui cohabitat, inquit, feminæ, qualiſcumque ſit illa, cognata, vel extranea; ſerua, vel libera; iuuenis, vel ſenex; credens aut credere debens ſe voluntate, vel opere, vel vtroque modo peccaturum. Canonibus verò certa quædam mulierum genera permittentibus, ait locum eſſe in foro exteriore, non in conſcientiæ, interiore, & DEI: qui Nauarrus item illic ſcribit: Parem culpam eſſe clerici, cùm ſolus domum petit mulieris, in quam commota eſt fornicationis ſuſpicio, aut mulieris adeo ſibi periculoſę; vt (verba ſunt ſenis) credere debeat ſe in conſenſum fornicationis mentalis, vel operis inductum iri: etiamſi eſſet religioſa, vel commater.

Clericus, inquit Lucius Papa, ſolus ad feminæ tabernaculum non accedat: & 4.
habetur diſtinct. 81. Can. clericus, & Canon, in omnibus, in eadem diſtinctione; qui depromptus eſt ex ſeptima Synodo Nicæna, id etiam præcipit. Et quamuis Ioannes Tabiena hoſce Canones exiſtimet non eſſe præcepti; quia, inquit, periculoſa eſt determinatio de mortali: nec non Armilla rationem præcepti ab iiſdem ſanctionibus ſemoueat in verbo, clericus, num. 15. peccaret tamen, inquit Armilla, mortaliter ratione ſcandali: &, ſi ex hoc exponeret ſe ſcienter peccato mortali: vel contumaciter, aut contemptibiliter hoc faceret.

Vera tamen eſt ſententia Angeli, Syluestri & Nauarri, Canones continere præceptum: quod non his contemnendis argumentis obtineri poſſet. I. Quia ſuſpectarum mulierum vitare conſortionem ad ſuam famam, ad Eccleſiaſtici ordinis exiſtimationem conſeruandam, ad laicæ multitudinis exemplum & vitandum ſcandalū, eſt apprimè neceſſarium: at iſthæc omnia legitimam habent præcepti materiam: ergo. II. Id perſuadet grauitas pœnarum, quas Eccleſia conſtituit in eos clericos, qui ſuis ſanctionibus in hac parte non obtemperant. III. Quòd aiunt, à profanis mulieribus magis concupiſci viros ſacros quàm profanos, vt illarum inflammatæ cupiditati reſiſtere non cuiuſuis ſit, ſed paucorum. Itaque leges Eccleſiaſticæ neceſſario & grauiſſimo decreto tantum periculum auertere

à cle

à clericorũ ordine debuerunt. IV. Quòd ad genus præcepti referuntur verba Gregorij Magni in cap. Oportet. diſtinct. 81.
» Neque enim (voces ſunt ſanctiſſimi Pon-
» tificis) ſilere debeo quòd (cum graui ani-
» mi triſtitia dico) Sacerdotes cum feminis
» habitare conſpicio: quod nefarium eſt di-
» cere, vel audire, & contra ſanctorum Ca-
» nonum ſancita: quid eſt hoc, nefarium?
» an non quod ad culpam minimè leuem
» pertinet?

5. Quintum. Quid? Diuus Cyprianus in illo aureo libello de ſingularitate clericorum, an non verbis planiſſimis principio oſtendit, diuino præcepto mulierum familiaritatem & conſuetudinem eſſe clericis interdictam? Séque à DEO commonefactum, vt feminarũ conuictu & conſuetudine ſuis clericis interdiceretur? Au-
» di Cyprianum. De hac re ſpecialiter vo-
» bis Domini correctionem ſcribere com-
» pulſus ſum: qui, miſerum me, pro veſtra
» negligentia cum ſeueritate conueniens,
» mandare præcepit, ne feminæ cum cle-
» ricis commorentur. Panormitani in c. 1.
de cohabitat. clericorum & mulierum,
» num. 2. hæc ſunt verba. Conſanguineas
» iuuenes, aliàs non ſuſpectas, poteſt cleri-
» cus bonæ famæ in domo tenere: ſed ex-
» traneas iuuenes nullomodo poteſt tene-
» re, quantumcumque ſint bonæ famæ:
» quia talis commiſtio eſt periculoſa: non
» ſic in conſanguinea: & hoc ſenſit Gloſſa
in c. volumus. diſt. 81. cui dicto Panormitani audientes ſunt non pauci, qui de rebus bonis & malis in ſuis voluminibus differunt.

Gloſſa, cuius meminit Panormitanus, quærit, vſque ad quem gradum liceat clericis cum conſanguineis habitare. Ita reſpondet, dici poteſt, quòd vſque ad ſecundum in linea tranſuerſali: ſed in aſcendente, vel deſcendente vſque ad ſeptimũ: vel hodie vſque ad quintum: Quia cum his naturale fœdus nihil ſæui criminis, &c. extra de cohabitatione cler. & mul. à nobis. Quæ ſecundum gradum conſanguinitatis tranſgrediũtur, ſi iuuenes ſint, ſunt à conuictu & conſuetudine clericorum ſegregandæ: ſi vetulæ, vt nec crimen nec ſuſpicionem efficere queant, poſſunt retineri: adhibétque Gloſſa hanc ipſam in ancillis diſtinctionem; quam ipſam accommodat in ſanctionem Syricij Papæ, feminas, diſt. 81. Feminas non alias eſſe patimur in domibus clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſſas habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.

QVÆSTIO XCVIII.

Coram ampliſſimo antiſtite, cum viro religioſo ac concionatore, altercatio mihi fuit. 1.

Poſſétne Romanus Pontifex ſibi deligere ſucceſſorem: is pugnabat poſſe; ego contra, non poſſe: necnon illud addidi, vno excepto Victoria, Hiſpano Doctore, neminem alium, quòd ſcirem ipſe, auſum eſſe dicere, quod ille concionator aiebat.

Nobis igitur in hac controuerſia ſatis eſſe deberet nomina efferri eorum; eorumdémque rationes adferre, qui, nos quod credimus, magna contentione defendunt. Ioannes de Turrecremata, qui in Concilio Florentino aduerſus Græcos pro Latinis acerrimè pugnauit, l. 2. c. 51. de Eccleſia, probat, tranſlato Sacerdotio legali oportuiſſe formam etiam aſſumendę perſonæ ad Sacerdotium transferri. In Sacerdotio legali vim habebat ſucceſſio originis & carnis: debebant enim Sacerdotes eſſe ex ſtirpe Aaron. Exod. c. 28. Decuit, ergo, inquit Turrecremata, vt huiuſmodi forma tranſlato Sacerdotio transferretur in aliam, vt iam non per carnis originem, ſed per electionem aſſumptio fieret perſonæ ad Pontificatum. Hæc eſt eius prima ratio.

Sumit ſecundam ex ſpiritualitate Sacerdotij Euangelici: cuius ſummus principatus non carni, ſed vitæ & ſpiritui meritò debetur. Tertiam, ex vniuerſitate Sacerdotij, quod ad omnes tribus & natio-

nes pertinere poteſt, ac pertinet. Quartam, ex qualitate vitę & ſanctimonia, quæ requiritur in maximo Sacerdote, quæ ſanctitas minùs periclitatur, difficiliúſque perit, ſi Sacerdotium ſummum non origine, ſed electione mandetur. Quintam, ex periculo fortuito, quod accidere poſſet, ſi ſucceſſione originis Pontifex eligeretur. Sextam, ex vtilitate populi Chriſtiani, cui Pontifex maximus præficitur. Septimam, ex ratione naturali: quia nullus videtur iuſtè præeſſe multitudini, niſi ex eius conſenſu: ita à Chriſto ait Eccleſiæ poteſtatem permiſſam eſſe ſibi creandi Pontificis.

2. Vnde, ſubiungit Turrecremata, de iure naturali & quaſi diuino videtur eſſe, quòd Papa non faciat ſibi ſucceſſorem, nec poſt mortem, nec poſt reſignationē. & paulò poſt: ſic ergo patet, quòd tam iuri diuino quàm naturali conſonum videtur, quòd ex electione vniuerſalis Eccleſiæ, vel illorum, ad quos de conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ tranſlatū eſt ius eligendi, ſicut hodie ſunt Cardinales, vt in c. in nomine Domini diſtin. 23. & 79. c. 1. fiat Papa, ſiue aſſumatur ſummus Pontifex.

Confirmat Turrecremata hanc ipſam ſententiam Canone Anacleti, diſtin. 79. electionem. Ad factum Petri, quem proditum eſt, Clementem ſibi ſucceſſorem inſtituiſſe, reſpondet, aſſentiente Eccleſia illum inſtitutum eſſe. Nam ad conſenſum inquit cleri & populi conſueuit antiquitus fieri electio diſt. 63. c. quanto, & c. plures. & ait Clementis inſtitutionē per modum electionis fuiſſe, quamuis formam eiuſmodi Eccleſia poſtea recuſauit. Idem Turrecremata in c. tranſitus d. 79. quærit: num Papa eligere ſibi queat ſucceſſorem, & præciſè negat, &, ſi id conaretur, nul-
„ lam fore electionem. Iſta, inquit, eſt con-
„ cluſio, quam ponit Hugo & Gloſſa, & ſa-
„ tis apertè colligitur 7. q. 1. per totum. De Clemente verò ſubſtituto à Petro, reſpondet illud diuina inſpiratione factum eſſe, nec ad conſequentiam trahendum.

3. Valdenſis in primo volumine aduerſus errores Wicleff. l. 2. art. 3. c. 30. docet, qua ratione potuerit Clemens Petro ſuccedere, ſuccedendi forma poſteris haudquaquam conceſſa. Debuit enim veritas reſpondere figuræ: ergo ſicut Aaron primus, & ſummus Sacerdos legalis ſignificabat Petrum primum Pontificem Euangelicum; ita cùm viuo Aarone creatus eſt Pontifex eius filius Eleazarus, indicabatur idem faciendum eſſe in Chriſti Eccleſia: vt viuo primò Pontifice Chriſtiano crearetur alter, qui fuit Clemēs: & quemadmodum reliqui legis Pontifices ſucceſſere, atque introierunt, eo, qui antecedebat, mortuo, vel expulſo, ſic etiam ſinguli Pontifices legis Chriſti.

Pugnant pro hac ipſa ſententia Armachanus contra errores Armenorum, & Gulielmus Ocham, quos citant Almainus & Caietanus, illóſque ſequuntur. Almainus igitur in tractatu de auctoritate Eccleſiæ, probat, ius eligendi Romanum Pontificem, non in ipſo ſed in Eccleſia reſidere; non in ipſo, neque tamquam eligente, neque tamquam ſtatuente, à quibus & quo pacto eligi debeat.

In hoc ſecundo errat Almainus: nam vbi Eccleſia vis ſuum eligendi conceſſit huic vel illi generi perſonarum, poteſt Romanus Pontifex rationem præſcribere, quemadmodum eligere debeant; & quod poteſt, etiam fecit ſapientiſſimis ea de re legibus conſtitutis. Illud autem Almaini & Ocham culpa vacat, quòd negant Papæ poteſtatem eligendi Papam: ſic enim argumentatur Almainus. Quia fieri poſſet, vt Eccleſia eo mortuo maneret ſine poteſtate eligendi: quam rationē inquit, tangit Gulielmus Ocham, in 3. par. dialogi tractatu 1. l. 1. c. 16. Diceret quiſpiam poteſtatem eligendi tam in ipſo quàm in Eccleſia eſſe.

Argumentantur ſecundo loco. Quòd 4
cùm ſentiret Pontifex ſibi mortem impendere, poſſet, ſiue ad illuſtrandum genus, ſiue ad familiæ ornamenta, & commoda augenda, ſiue ad propinquos locupletandos, alicui conſanguineo tradere,

ſeu,veriùs, prodere Pontificatum. Quæ ratio inuenta eſt ab Armachano 7.lib.qq. Armenorum c.19. collocata hic eſt à nobis. Poſſent item duo nefariis Simoniacíſque pactionibus partiri inter ſe vices, ac tempora Pontificiæ poteſtatis gerendæ excluſis viris optimis & rei Chriſtianæ vtiliſſimis.

De Petro autem Clementem eligente reſpondet Almainus in eod.cap.columna extrema. Caietanus, in 1.tomo opuſcul. tract. 2. de auctoritate Papæ, & Concilij probat eamdem concluſionem: Poteſtatémque electiuam Papæ, ſcribit regulariter eſſe in Eccleſia Romana; cuius Papa eſt Epiſcopus: multis aliis hoc poſtremum non placet, vt non multo pòſt intelligetur. & in reſp. ad quartum argumentum,
» his loquitur verbis. Ad quartum dicitur,
» quòd propriè loquendo neutro modo
» eſt poteſtas electiua in Papa, ſed quia po-
» teſt determinare Electores, & modum
» eligendi.

Argumentum verò, quod è facto Petri ducitur, multis modis refellit. Vel quòd Spiritus ſancti fecerit impulſu; vel propter poteſtatis excellentiam, quæ illius fuit propria; vel quia ſit factum incertum: ſi quidem Linus & Cletus creduntur Romanam rexiſſe Eccleſiam vt veri Pontifices ante Clementem; quem nominatum aiunt à Petro ſucceſſorem ſuum. Canonem verò, ſi Petrus, qui eſt Ioannis III.
» 8.q.1. hoc pacto interpretatur. Verba, in-
» quit, illa Ioannis Papæ III. tamquam nar-
» ratiua crediti facti accipienda ſunt, & non
» vt auctorizantia factum, quod narratur.
» Propter quod auctoritate illa vtimur, vt
» valeat, quantum valere poteſt. Huiuſque ſententiæ, de qua diſceptamus, patronos citat acutiſſimum Theologum Ocham & Armachanum.

5. Archidiaconus in c.Tranſitus. diſt.79.
» ſcribit: Quamuis Papa poteſtatem dare
» poſſit aliis ſucceſſores ſibi eligendi, ipſum
» tamen poteſtate carere ſucceſſorem ſibi
» eligendi. In cap. autem. 8. q. 1. ſi Petrus, dicit Petrum ſucceſſorem nominaſſe & elegiſſe, quia tunc non erant clerici, qui eligere ſibi poſſent Prælatum.

Parum meo quidem animo conſiderata reſponſio. Quis enim credat, tot annis, quibus Petrus, & vniuerſam, & Romanam gubernauit Eccleſiam, non fuiſſe & in Romana ciuitate & foris, clericos quàm plurimos? Panormitanus, in c.licet de vitanda, de electione, num. 2. commentarij ſui, ſententiam hanc his verbis ſubſcribit. Non tamen Papa poteſt elige- »
re ſibi ſucceſſorem, vt no. Gloſſ. in c. Apo- »
ſtolica. §. His omnibus. 8.q.1. & ſequitur Io.Andr. hic & Archidiac. in c.Tranſitus. 79.diſt. & tenetur hoc dictum communiter per Doctores, & eſt ratio. Quia effectus huiuſmodi electionis refertur ad tempus, quo non eſt futurus Papa. l. eum qui. ff. de iuriſdictione omnium iudicum. Sed conſtitutio, quam facit ſuper electione, admittitur, quia prouidet futuris ſcandalis; & in caſu, quo alius præter eum prouidere non poteſt. Poſſet tamen Papa dare poteſtatem alicui Prælato eligendi ſibi ſucceſſorem, vt in cap. Petiſti. 7.q.1. & tunc fit electio auctoritate Papæ, non propria. Syluester, in verbo, Excommunicatio, nono, excommunicatione, 2. num.
3. Papa, inquit, non poteſt ſibi eligere »
ſucceſſorem, ſecundùm D. Anton. & ra- »
tionem adfert ex Panormitano.

Fatentur nihilominus Ocham & Al- 6.
mainus; cùm Electores Romani Pontificis conuocari nō poſſent, alium ſibi poſſe ſurrogare. Gerſon, in tract. de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione vndecima, oſtendit, in Eccleſia & in generali Concilio eſſe plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ, quoad applicationem ad hanc vel illam perſonam, & in hoc non eſſe difficultatem.

Scio eſſe nonnullos, qui exiſtimāt, Cardinalibus extinctis, ius eligendi Pontif. Max. ad Romanum clerum remigrare; quòd ille ſit verus Epiſcopus Romæ, ſuáque Eccleſia parochialis ſit Eccleſia ſancti Ioan. Lateranenſis. Verùm Auguſt. Anconitanus, cuius opinionem ſequitur Diuus

Digitized by Google

Antoninus, in 3. p. tit. 21. c. 2. §. 6. probat multo tutius eo tempore futurum, ſi generale Concilium cogatur ad cuncta, quę oriri poſſent, incommoda tollenda. Quocirca in tali caſu inquit S. Ant. Imperator, & alij Reges & Principes Chriſtianorum poſſent, & deberent, Concilium Epiſcoporum cōgregare ad huiuſmodi electionem faciendam. Nec obſtat, quòd Concilium generale congregari non poteſt niſi auctoritate Papæ, vt habetur diſt. 7. per totum, quia hoc eſt verum ipſo viuēte, ſecus ipſo mortuo, & collegio Cardinalium deficiente. Hactenus D. Anton.

Sanè mihi magno eſt argumento non poſſe Pont. Maximum alium ſibi ſufficere; quia poſt Petrum numquam id à quoquam eſt factum; factum verò eſſet, ſi fieri potuiſſet: cùm certum ſit non ſemper optimæ frugis homines in illa Pontificia ac ſanctiſſima ſella ſeſſitauiſſe.

Canoni igitur Anacleti, diſt. 79. extre-
» mo credamus. Electionem, inquit, ſum-
» morum Sacerdotum ſibi Dominus reſer-
» uauit: licèt electionem eorum bonis
» Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis
» conceſſiſſet.

Romanum Pontificem qui hoc alióue tempore multitudinem regit fidelium, fide an ne diuina & Catholica credi oporteat legitimum eſſe Chriſti Vicarium.

QVÆSTIO XCIX.

1. INcerta mihi ratio conſilij fuit, ab reliquis huius primi voluminis quæſtionibus deberémne hanc, quam nunc paro, ſecludere, an potiùs in eas, quæ Romani Pontificis poteſtatem attingunt, includere. Sed illud magis conſultum fuit, includere.

Cùm igitur nec ſemel, nec iterum, ſed crebrò à multis hac quæſtione exagitatus ſim; num vniuerſitati Chriſtianorum, cui præeſt nunc hic, aliàs alius Romanus Pontifex, neceſſitatem impoſitam eſſe cenſerem diuina & Catholica fide credendi, illum ipſum verum & legitimum eſſe Chriſti Vicarium, quęſtionem Theologicam atque arduam minimè abijciendam putaui: cui pertractandæ eiuſmodi operam dabo: vt primùm quid ipſe, & cur ſentiam, quam breuiſſimè; deinde, iis quæ dici poſſunt contrà, pari breuitate reſpondeam.

Hæc mihi igitur multos abhinc annos 2.
ſententia firma inſedit: Pontificem Romanum ab iis delectum, quibus ius eſt eligendi, & quem eſt Chriſtiana complexa Eccleſia, veriſſimum Chriſti eſſe Vicarium: ídque ea fide, cui nullum poteſt ſubeſſe falſum, ab vnoquoque credi oportere.

Huius conſtantis perſuaſionis hæ poſſunt eſſe præcipuæ rationes. Prima. Quia contra ac nos credimus, opinanti neceſſe eſt cunctas religionis noſtræ, ac fidei nutare rationes, atque vniuerſa miſceri; id quod rationes, quæ conſequentur, planum facient.

Sit igitur ſecunda ratio. Fidei Catholicæ articulus eſt, Eccleſiam eſſe vnam, Catholicam & viſibilem: ergo eiuſdem fidei articulus eſſe debet, caput eſſe vnum, vniuerſale & viſibile: at hoc non eſt niſi hic illéve Pontifex: quandoquidem Pontifex, qui cogitatione ab hoc illóve abiungitur, non extat in rerum natura; nec oculis cernitur; nec quidquam agit, molitúrve in Eccleſia à Chriſto inſtituta: ergo fide Catholica cogimur credere, hunc vel illum, qui Chriſtianæ multitudini præficitur, verum & legitimum eſſe Pontificem.

Tertia. Veram & legitimam ſucceſſionem Pontificum in Romana Eccleſia & cathedra, fide Catholica, ne dum humana, credimus: Verùm ea ſucceſſio conſtat ex his illiſve, qui delecti ſunt, Pōtificibus, & qui

Digitized by Google

& qui Eccleſiam rexerunt: ergo ſin gulos hoſce credere debemus, fide, quæ omnem repellit falſi ſuſpicionem, veros ac legitimos fuiſſe Pontifices.

Quarta. Oecumenicorum Conciliorũ auctoritatem, & canones fidei ab iis traditos diuina infuſaque fide amplectimur: ergo eadem fide auctoritatem huius illiuſve Pontificis Romani colere debemus; ſine quo nec vllum Conciliũ poteſt eſſe legitimum; neque eius legibus & ſanctionibus alligatur Eccleſia antequam à Romano Pontifice confirmetur: conuocat autem Concilium, & illud confirmat, Syluester, Agapitus, Leo, Pius, Paulus: ergo hos veros & legitimos eſſe Pontifices, certa & Catholica fide credi debet.

Quinta. Si è cathedra reſpondens Romanus Pontifex decernat aliquid ad fidem Catholicam pertinens, illi decreto cunctus Chriſtianus populus fide Catholica aſſentiri cogitur: ergo illa ipſa fide neceſſarium eſt credere in Pontifice, qui auctor fuit decreti, legitimam fuiſſe poteſtatem decernendi. At qui decernit, eſt Petrus, Paulus, Stephanus, Clemens: Ergo hos vera, & legitima, & Pontificia auctoritate pollere fide Catholica debet eſſe perceptum.

3. Sexta. In cultu Sacramentorum, vniuerſam Eccleſiam errare nefarium eſt ſuſpicari: ergo cùm Romanus Pontifex toti fidelium cœtui ſanctum quempiam colendum proponit, & præcipit, in ea re falli, aut fallere, ipſe non poteſt: quia in neceſſaria cultus ratione errorem Chriſtiano populo obiicere non poteſt. Sed cùm quempiam in diuorum numerum refert, & à multudine Chriſtiana adorari imperat, id facit tamquam verus & legitimus Chriſti vicarius: Ergo eum talem eſſe Catholicè affirmare debemus.

Septima. Qui in Britannia pro tuenda Gregorij XIII. Pontificia auctoritate mortem oppetiuerunt, martyrum gloriã perinde ſunt aſſecuti, vt ſi pro fide Catholica ſanguinem profudiſſent: neque ſacri illi & fortiſſimi viri verebantur, quo tempore pro Gregorij XIII. Pontificia auctoritate dimicabant, quin pro fidei cauſſa decertarent.

Octaua. Romanam cathedram interpretem religionis, magiſtram ſacrorum ac morum eſſe incorruptam fide Catholica credimus: at nulla eſt Romana cathedra niſi quam hic illéve Pontifex tenet quem ſibi deligit Eccleſia: non is qui nuſquam fuit, vel futurus eſt in terris: ergo hunc vel illum verum & legitimum eiuſdem cathedræ antiſtitem eſſe fide, quæ errare non poteſt, credere debemus. Huic octauo argumento magnam auctoritatem tribuunt ea verba in fidei profeſſione edita à Pio IV. *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarũ matrẽ & magiſtrã agnoſco.* At Romanæ Eccleſiæ moderator & magiſter eſt Anicetus, Innocentius, Clemens: Hos ergo veros fidei & doctrinæ magiſtros Catholica fide debemus agnoſcere.

Nona ratio. Chriſtus Eccleſiaſticam inſtituit monarchiã; quæ totã conſequentem mundi ætatẽ eſt æquatura. Ergo cùm ſine monarcha monarchia eſſe nõ poſſit, diuinæ fidei eſt credere numquã verũ illi defuturum monarcham: hic autem alius fingi non poteſt niſi Petri ſucceſſor, qui legitimo aſſenſu, aut Eccleſiæ, aut eorum, ad quos ſpectat, eligitur: ergo hunc, ſeu illum electum Pontificem Romanum, verum & legitimum huius ſacræ monarchiæ caput, & Rectorem eſſe credere cogimur.

Decima. Docet fides Catholica, Chriſtianam Eccleſiam eſſe veram & legitimã Eccleſiam: ergo eadem docet, Romanum Pontificem, hunc vel illum, eſſe verum & legitimum Chriſti vicarium: propterea quòd is vniuerſitatis Chriſtianorum fons eſt, & proſeminator: quãdoquidem ab eo creantur Epiſcopi, ab his ſacerdotes, ab ſacerdotibus reliqui Chriſtiani; vt, qui dubitat de veritate Pontificatus Petri, Pauli, Bonifacij, Clementis, eumdem de veritate Eccleſiæ dubitare neceſſe ſit.

Vndecima. Fidei Catholicæ dogma eſt

Eccleſiaſticam Hierarchiā eſſe diuinitus conſtitutam:ſic enim in Concil.Trident.
» ſeſſ.23.can.6.Si quis dixerit in EccleſiaCa-
» tholica non eſſe Hierarchiam diuina or-
» dinatione inſtitutam,quę conſtat ex Epi-
» ſcopis, preſbyteris, & miniſtris,anathema
» ſit:ſed præcipua pars huius Hierarchiæ eſt Romanus Pōtifex caput illius, & Rector viſibilis. Ergo ſicut Hierarchiam diuina fide iubemur credere eſſe veram; ſic eius caput eſſe verum:caput autem hoc eſt;hic ſeu ille Pontifex, quem oculis & digito notare poſſumus:quare, &c.

Duodecima. Eſt item fidei Catholicæ dogma, Epiſcopos aſſumptos à Romano Pontifice, eſſe legitimos & veros Epiſcopos: ergo Pontificē,cuius autoritate aſſumuntur,fide Catholica fateudum eſt eſſe legitimum & verum Pontificem. Antecedēs huius enthymematis eſt Concilij Tridentini,ſeſſ.23.can.8.his verbis decernentis. Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, nō eſſe legitimos & veros Epiſcopos,ſed figmentum humanum, anathema ſit. Ergo Clemenrem, Pium, Gregorium, quorum auctoritate eliguntur Epiſcopi, veritate Catholicæ fidei cogente dicendum eſt eſſe legitimos & veros Pontifices.

Decimatertia. Qui ſacrarum ſanctionum aut Innocentij III. aut Alex. III. aut Gregor. IX. aut Bonifacij VIII. aut cæterorum Pontificum, quibus ſanctionibus in Eccleſia iudicia exercentur, auctoritatem aut infringeret, aut inficiaretur, pœnis hæreticorum flecteretur:ergo fide Catholica,eorum à quibus profectæ ſunt,veram & legitimam,& Pontificiam fuiſſe auctoritatem,credere neceſſe eſt.

Confirmatur hoc ipſum argumentum ex conſtitutione Pauli IV. edita contra ambientes Papatum, & contra tractantes de futuro Pontifice eligendo, viuente alio:nam decernit in eum,qui dixerit,quę ab eo in ſua conſtitutione decreta ſunt, aut illicita, aut iniqua eſſe, aut eumdem non potuiſſe,vel debuiſſe facere,quæ fecit,tamquam verum ſchiſmaticum & hęreticum puniri & damnari poſſe.

Poſtrema ratio. Qui Clementem VIII. cui Catholica paret Eccleſia, aut caput Eccleſię,aut verum Petri ſucceſſorem,aut Chriſti vicarium pernegaret, non in humanam,ſed in fidem orthodoxam, & cui non poteſt ſubeſſe falſum, peccaret, & tamquam verus hæreticus flammis cremaretur:ergo ad fidem infuſam diuinitus pertinet Clementem VIII. ab vnoquoque Chriſtiano verum, legitimúmque Chriſti vicarium prædicari.

Reſtat vt contrariæ opinationis fundamenta ſubducamus. Primùm,verę ſententiæ poteſt opponi,quòd ſalua fide Catholica quis de quocumque priuato ſacerdote ambigere poteſt, ſit nécne verus & legitimus ſacerdos:cur ergo ſine crimine hæreſeos non fas erit pariter de hoc Romano Pontifice ambigere? 4.

Reſpondeo:quia cum Romani Pontificis poteſtate implicita ſunt multa, quæ Catholica fide tenenda ſunt: vt quòd in eo poteſtas reſideat conuocandi & confirmandi Concilia:fidei controuerſias dirimendi:viros pios & religioſos poſt obitum in diuorum numerum referēdi:Epiſcopos creandi, Reges & Imperatores, quando oportet, regno atque imperio abdicandi:Eccleſiam vniuerſam regendi, atque ei ſalutares leges imponendi:quorum cùm nihil cadat in priuatum ſacerdotem,eum qui dubitat ſacerdotem eſſe, culpam hæreſeos non contrahit.

Addunt arguti opinatores. Atqui nemini fides Catholica,neceſſitatem imponit credendi Romanum Pontificem baptizatum eſſe:at ſine baptiſmo non poteſt eſſe verus ac legitimus Chriſti vicarius: non igitur cuiquā fides Catholica neceſſitatem imponit illum credendi eſſe verum Pontificem.

Verùm conuerſione eliditur argumentum:quia enim fide Catholica fateri cogimur eſſe verum & legitimum Chriſti vicarium in Eccleſia Catholica, ob tam multas allatas rationes,neceſſaria iam cōſecutio cogit eum eſſe baptizatum, eſſe orthodo-

orthodoxum, eſſe marem: atque id omne eſſe ſine quo poteſtas Pontificia conſiſtere nequit.

5. Eſt enim id prouidentiæ diuinæ non fallentis Eccleſiam, vt ſuus vicarius, quem ſuo paſcendo gregi vult eſſe præpoſitum, nulla re careat, quam poteſtas tãta, quam gerit, & munus, quod exequi debet, neceſſariò expoſcit: at expoſcit, vt ſit vir, nec fidei, nec baptiſmi, nec rationis expers: virum igitur illum, & fidelem, & baptizatum credi oportet neceſſariò: neceſſitate inquam cõſequentiæ, & diuinæ prouidentiæ, Eccleſiæ ſuæ conſulentis.

Et quemadmodum ſanctiſſimorũ Pontificum, Lini, Leonis, Gregorij fidem Catholicam, & baptiſmum in dubium reuocare eſſet hominis impij: ſic à piis mentibus abhorret in quouis alio Pontifice, qui gubernat eamdẽ Chriſti Eccleſiam, iſthæc ipſa in controuerſiam vocare.

Neque illud ab aduerſariis prçteriri ſolet, quòd cùm Romani Pontificis electionem nonnulla commaculent, & vitient, in quibus præcipua eſt ſimoniæ labes ex conſtitutione, quæ incipit, cùm tam diuino quàm humano iure, orbi Chriſtiano promulgata 1505. die 18. Ianuarij, vbi ſtatuitur, ſimoniacam Romani Pontificis electionem eſſe nullam, nec vllo vmquã tempore poſſe conualeſcere: quam conſtitutionem. Pius IV. confirmauit alia ſua, cuius eſt initium: in eligendis Eccleſiarum Prælatis conſequens eſſe, vt quantùm periculi ineſt in maximorum Pontificum electionibus, tantumdem inſit dubitationis in eorum, qui eliguntur poteſtate.

Reſpondeo, Deum, qui præcipua quadam prouidentia electioni ſui vicarij præeſt, atque eligentium ſtudiis ac ſuffragiis moderatur, aut non paſſurum, vt eiuſmodi vitia in electionem incidant; aut ſi inciderint, ea ſtatim detecturum: vt ne ſuus Eccleſiæ legitimus ſponſus, parens, rectórque deſit. Quæ verò ab humana hiſtoria ſuapte natura captioſa, fallacique arceſſuntur, ad hanc, quam ipſi tuemur veritatem conuellendam haud magno æſtimanda ſunt. Romanum autem Epiſcopum, diuina inſtitutione fuiſſe & futurum eſſe Petri ſucceſſorem, in cura & rectione vniuerſalis Eccleſiæ. Turrecremata, Driedo, Canus, & docere & perſuadere conati ſunt; legito Turrecrematam, lib. 2. de Eccleſia in multis capitibus. Driedonem lib. 4. de variis dogmat. c. 4. par. 3. Canum lib. 6. de locis Theologicis, cap. 4. 5. 6. Ab hoc enim poſtremo diſceptatore tam multa ſunt collecta teſtimonia Patrum ſanctorúmque Pontificum Romanorũ, vt vel curioſiſſimi cuiuſque animi expleuerit cupiditatem.

Neque ignorare fas eſt, quæ mira religione & fide à diuo Thoma pro Romano Pontifice in opuſculo de erroribus Græcorum ſcripta ſunt, in eo præſertim capite, cuius hæc ſunt prima, atque hæc prima ſententia. Similis autem error eſt, dicentium, Chriſti vicarium Romanç Eccleſiæ Pontificem non habere vniuerſalis Eccleſiæ primatũ; errori dicentium, Spiritum ſanctum à filio non procedere: ipſe enim Chriſtus Dei filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ſibi conſignat Spiritu ſancto quaſi ſuo charactere, & ſigillo, vt ex ſuprà poſitis auctoritatibus manifeſtè habetur: & ſimiliter Chriſti vicarius, ſuo primatu & prouidentia vniuerſam Eccleſiam tamquam fidelis miniſter Chriſto ſubiectam conſeruat.

QVÆSTIO C.

NOnnullus ſcire auebat, num Pontifex Romanus Pontificatu abdicare ſe poſſet.

Poſſe reſpondi: nec dari in hoc genere 1.
ſecus opinãdi facultatem, poſt decretum Cœleſtini V. à Bonifacio VIII. in ſuam Decretalem relatum, ext. de renunciatione, cap. 1. Illic enim narrat Bonifacius, qui Cœleſtino ſucceſſit, eumdem Cœleſtinũ auditis ſententiis ſuorum fratrum Cardinalium, auctoritate Apoſtolica ſtatuiſſe,

ac decreuiſſe Romanum Pontificem poſſe liberè reſignare:nec quempiam Cardinalium aliter cenſuiſſe ante conſtitutionem: factóque ſuum decretum Cœleſtinus confirmauit; nam poſtea Pontificatu ſe ipſe abdicauit;qui,licèt à Dante Ethruſco Poëta reprehendatur, rectiùs tamen inquit D.Ant.in 3.par.tit.22.cap.4.§.2.de eius renunciatione loquitur Franciſcus Petrarcha,,& ſentit fideliùs in lib.de vita ſolitaria ipſum commendans. Narrátque idem S.Anton.quattuor Pontifices extitiſſe qui ſua ſponte Pontificatu abierunt, iidémque ad diuos abierunt:quod ipſum ante D. Antoninum ſcriptis tradidit B. Auguſtinus Triumphus in libro de poteſtate Eccleſiaſtica,quæſt.4.artic.8.

Quinam quattuor illi fuerũt? Reſpondent idem Auguſt.& Anton.ex rebus geſtis ſanctorum fuiſſe Clementem, Cyriacum, Marcellinum, Cœleſtinum: quamquam ad idem præclarum facinus diuerſis cauſſis permotos: Clementem, quia à beatiſſimo Petro fuerat inſtitutus,ne quid ſimile Petri ſucceſſores conarentur: Cyriacum martyrij cupiditate inflammatũ, diuini ſpiritus inductu ac perſuaſu ſe cum XI. millibus Virginibus,cum Beata inquã Vrſula, totóque illo virginali choro conſociaſſe:Marcellinum ob thura ab ſe nefariis incẽſa Diis:Cœleſtinum, quòd tanto ferendo oneri imparem ſe eſſe cognoſcebat. Quamquam huic narrationi de Clemente,Marcellino,Cyriaco,à viris nõnullis doctis fides abrogatur.

2. Porrò Pontificiam ſanctionem ex iis quæ à Paludano de poteſtate Papæ ſubtiliùs diſputantur,ſic interpretatur S. Antoninus: vt renunciatio valeat, & is, qui dignitatem deponit, tunc demum deſinat eſſe Papa,cùm Cardinales aſſenſi fuerint: ſi abnuerent, abdicationem nullam eſſe: ſunt enim, inquit D.Anton. in hac acceptione, Papatus duo: vnum eſt ius ſuũ,quod ei acquiritur ex Canonica electione;aliud eſt ius Eccleſię,cui obligatur. Cuilibet autem licet iuri ſuo renunciare in omni eo in quo non eſt alteri obligatus,vel ſubditus.C.de pac.l.ſi quis.ſed qui ſemel ſe obligauit, non poteſt ſe ad libitum liberare:igitur Papa ex parte quidem ſua renunciare poteſt Papatui:ſed quia ſemel ſe obligauit Eccleſiæ,ex illa parte renunciare non poteſt niſi de aſſenſu Cardinalium;qui in omnibus,quę ad Papam ſpectant,repræſentant vices Eccleſiæ. Eſt enim Papa obligatus,ex quo acceptauit, Eccleſiam regere. Vnde niſi Eccleſia quitet eum,& conſentiat ſcilicet per Cardinales,videtur quòd non poſſit renunciare:ſed conſentientibus illis poteſt: & ſecundùm hanc diſtinctionem debet intelligi determinatio de renunciatione, cap. 1.lib.6. Hæc beatus Antoninus.

Sed remouendæ ſunt,quæ huic officere videntur ſententiæ.Primum argumentum. Qui renunciat,in manibus ſuperioris ſui hoc facere debet, ex cap. admonet de renunc.ſed Papa ſuperiorem non habet: ergo reſpondet Gloſſa, cap.1. de renunciat.lib.6. valere illud cap.in eos,qui ſuperiori ſubiiciuntur,in Romano Pontifice locum non habere. 3.

Secundum argumentum.Pontificia dignitas eſt à ſolo D E O: is enim electo ab Eccleſia Pontifici poteſtatem tribuit: Ergo is dumtaxat poteſt auferre.

Auguſtinus Triumphus Anconitanus in ſumma de poteſtate Eccleſiaſtica,q.4.ar.3. quem S.Anton.citat,& ſequitur in 3.par. tit.22.c.4.§.2. doctè huic dubitationi occurrit. Ait enim,ea,quæ ſunt à D E O, nobis aſſentientibus atque volentibus, noſtro item diſſenſu & contraria voluntate diſſolui: in quo genere eſſe Papatum nemini dubium eſt:triúmque exemplorum appoſitione id ipſum confirmat Auguſt. primum à natura, ſecundum à moribus, tertium ab arte arceſſit. Naturale eſt hoc. Creat D E V S animam: eiúſque ſolus eſt opifex,illámque cum noſtro corpore iungit. Verùm quia id agit,homine etiam id quod hominis eſt,agente;nam *ſol & homo generant hominem*, vt Ariſtot.ſcribit lib.2. Phyſic.tex.26. idcirco humana etiam voluntate animus amoueri poteſt à corpore

per

per interfectionem. Morale eſt huiuſmodi:gratia ab vno Deo infunditur animæ, ſed non planè otiantibus nobis. Nam, vt inquit Gloſſa in illud Thren. 4. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur* gratia Dei non conuertimur,niſi ex noſtra voluntate conuertimur. Sicut igitur gratiæ infuſio eſt à Deo aſſentiente homine;ſic eius peremptio eſt ab eodem homine per eius culpam, & auerſionem à ſuo Creatore. Artificioſum eſt huiuſmodi. Iuſſu Dei Moyſis tabernaculum,& Salomonis templum,fabricata ſunt;ſed ope & opera humana accedente: quocirca eadem ſunt opera diſſoluta.

4. Tertium argumentum.Matrimonij rati, & non conſummati, vinculum nulla renunciatione tolli poteſt: ſed Pontificatus eſt vinculum ſpiritualis matrimonij inter Papam,& Eccleſiam. Ergo nulla renunciatione vel reſignatione tolli poterit. Diuus Antoninus nodum ſoluit perinde vt Paludanus in l.de poteſtate Papæ. Aiunt enim, matrimonij carnalis & ſpiritualis vinculum valde eſſe diſſimile: matrimonium enim carnale, quod eſt verè Sacramẽtum inter fideles, legitimo contrahentium conſenſu exteriore ſigno,qui ſit declaratus, perficitur:ex quo oritur diuinum vinculum:quod non ſolùm in anima,ſed in toto compoſito ſubiectiuè inhæret.Quocirca quamdiu vtrumque ſuppoſitum manet in vita,manet etiam vinculum. *Quos enim* Deus *coniunxit, homo non ſeparet*. At conſenſus Cardinalium,ſeu Eccleſiæ eligentis, & conſenſus eius, qui eligitur Pontifex, nec ſacramentum eſt, nec ſacramentale,quamuis ex opere operato effectus cõſequatur diuinus;ſed vinculum eſt purè humanum ſolo conſenſu hominum:vnde contrario conſenſu tolli poteſt, quemadmodum vinculum ſponſalium. Pontificia igitur poteſtas quatenus eſt in Romana ſede,diuina eſt;ſed eadem poteſtas,quatenus permiſſa eſt huic, illive in ſede collocato,duplex habet fundamentum humanum; ipſum inquam hominem electum, & eligentium electique conſenſum: vtrumcumcunque autem horum fundamentum concidat, interit etiam poteſtas.

Cùm igitur nihil tã naturale ſit quàm vnumquodque diſſolui eo genere quõ colligatum eſt (quare obligationes, quæ ſolo conſenſu contrahuntur, conſenſu item contrario diſtrahuntur, ſi res ſit integra) idcirco cùm obligatio inter Eccleſiam & Papam ſolo conſenſu contracta ſit,contrario itẽ conſenſu dirimitur:quod tunc fit legitimè,cùm ipſe in Cardinaliũ ſinu, ſeu manibus Pontificatum deponit ipſis non repugnantibus,ſed abdicationi aſſentientibus. Nec à Papa ſtatui poſſet, ne ius electo Pontifici eſſet Pontificatum ipſum dimittendi, vt Auguſtino placet Anconitano in lib. de poteſt. Eccleſ. q.4. art.5. quem diuus ſequitur Antoninus in 3.par.tit.22.c.4.§.2.in extremo.

QVÆSTIO CI.

1. POteſt ne Pontifex maximus cuipiam poteſtatem tradere qua in eum tum in foro interiore,tum exteriore vtatur?

Nauarrus in ſumma cap.27. num.260. in impreſſis 1584.contra Sotum argumẽtans, probat id Pontificem Maximum facere non poſſe,nec ſibi ſacerdotem conſtituere poſſe, eidem iuriſdictione communicata eum à peccatis in foro pœnitentiæ abſoluẽdi:idque cum eiſdem probationibus iterat in commentario. c. placuit.diſt.6.de pœnitentia,à num.15.ad 22. *Nemo enim*, inquit, *alteri dat, quod non habet*. cap.quod autem,de iure patron. & l.vniuerſi.C.de leg. ſed Papa in ſe ipſum iuriſdictionem non habet, neque ſuper ſucceſſorẽ ſuum,ex cap.innotuit,de elect. iure enim naturali vetitum eſt vt quis in ſe ipſum iuriſdictionem obtineat, ex omnium ſententia, & l.penult. de receptis arbitris,& l.Ille, à quo.§.tempeſtiuum.ff. ad Trebelli.quare,&c.Ita conficit Nauarrus in ſumma,&in illo ſuo commentario, eos qui abſoluunt Papam à peccatis poteſtate

teſtate ſpeciali id facere accepta à DEO: idémque prorſus dicendum de iis à quibus cæteri Prælati abſoluuntur. Hoc autẽ tempore iuriſdictionem confeſſario concedi diuinitus probat item ex Gloſſ.2.c. ſanè.2.de officio deleg. & ex Panormitano ibidem, & ex Palud. in 4.diſt.17.q.3. col.3.

2. Verumenim D. Thomæ nobis potior debet eſſe ſententia, quam & vidiſſe, & ſecutum eſſe Nauarrum oportebat. Namque S.Doctor in 4.ſent.diſt.19.q.1.artic.3. quæſtiuncula 3.ad 3. adhibita diſtinctione, docet, Prælatos, abſolutionem ſuorum peccatorum, ſeu iuriſdictionem, qua in eos vtantur alij in foro conſcientiæ, concedere poſſe; iuriſdictionem verò, quam in eos ipſos exercere poſſit aliquis in foro exteriore, largiri non poſſe. Eius verba » hæc ſunt. Ad tertium dicendum, quòd » iudicium exterius eſt ſecundùm homi» nes; ſed iudicium confeſſionis eſt quoad » DEVM, apud quem redditur aliquis mi» nor ex hoc, quòd peccat, non autem apud » hominum prælationes: & ideo in exte» riori iudicio, ſicut nullus in ſe ipſo ſenten» tiam excommunicationis dare poteſt, ita » nec alteri committere, nec ſe excommu» nicare: ſed in foro conſcientiæ poteſt al» teri committere ſuam abſolutionem, qua » ipſe vti non poſſit. Vel dicendum, quòd abſolutio in foro conſcientiæ eſt principaliter poteſtas clauiũ, & ex conſequenti reſpicit iuriſdictionem: quantum autem ad poteſtatem ordinis omnes ſunt æquales, non autem quantum ad iuriſdictionẽ, & ideo non eſt ſimile. Rectè enim Petrus Aureolus referente Angelo in ſumma, verbo Confeſſio 3.§.2.ſcripſit, poteſtatem clauis abſoluendi à peccatis, & pœnam æternam in temporalem commutandi, & gratiam actiuè conferendi per modum applicantis actu meritum paſſionis Chriſti in charactere ſacerdotali, qui deleri nõ poteſt, fundatam eſſe: quamuis eiuſmodi poteſtas ab Eccleſia ligata ſit in hoc vel illo.

3. De Romano Pontifice largiente iuriſdictionem in foro conſcientiæ ei quem ipſe eligit, idem planè Sotus cenſet in 4. diſt.18.q.4.art.2.§.quòd ſi dicas. Sed multò ante Sotum D. Antoninus idem ſcripſit in ſumma 3.par.c.6.§.11.& 12. exſcribens verba ſuperiora D. Thomæ: ſed ante D. Antoninum, egregiè & ſubtilitate Theologica, tractauit eumdem locum Alexander Halenſis in 4.par.q.21.memb.3.art.2. §.2.in quo §.hæc omnia affirmat Alexan. Primùm. Clauium poteſtatẽ, vt is loquitur, quantùm eſt de ſe ad omnes ſe extendere, niſi ex ordinatione ſuperiorum manus inferiorum arctarentur, propter ſeruandum ordinem Eccleſiaſticum. Sacer- » dos enim, inquit, ex ſua ordinatione inſtitutus eſt mediator inter Deum iudicẽ, & hominem peccatorem: quantùm eſt ex parte Dei, non eſt differentia: quilibet enim ſuum ſacerdotem habet mediatorem, & cuilibet impreſſit Deus mediatoris characterem: ſed differẽtia eſt ex parte hominum: quia ſi quilibet eſſet Mediator cuiuſlibet, eſſet in Eccleſia confuſio: & ideo alij aliis ſubiecti ſunt; & qui ſubiiciuntur vni, non poſſunt dare alteri auctoritatem in ſe. Secundò, affirmat, perſonam liberam, cuiuſmodi eſt Romanus Pontifex, nulli homini ſubiectus, ſe cui maluerit poſſe ſubiicere, idque ei ius diuinum concedere: eíque tamquam ægroto, & DEI inimico opus eſſe medico, & ſequeſtre. Tertiò. Iuris Canonici conceſſu poſſe quemlibet auctoritatem ſuam cum altero communicare, dum communicantis conſulitur vtilitati: neque eius, aut alterius violatur auctoritas.

Quartò. Quod facit Pontifex, facere etiam poſſe Gregorianæ ſanctionis auctoritate alios Prælatos, qui ſacerdotes eligunt, à quibus abſoluuntur; quæ ſanctio habetur extra de pœnitentiis & remiſſionibus, can. ne pro dilatione, qui canon eſt Gregorij IX. Quintò. Prælatum ſubiiciendo ſe alteri eidem dare in ſe iuriſdictionẽ. Et, ſi obiiciatur, inquit, quòd non poteſt dare quod non habet in ſe, dicendum, quòd iuriſdictio & ſubiectio 4.

eſt

eſt ad alterum;& ideo,quamuis non poſſet quis ſibi eſſe ſubiectus,nihil prohibet ipſum ſubiici poſſe alij:maximè ſi eſt liberæ poteſtatis.Et quamuis alteri non poſſit Papa iuriſdictionem permittere ferendæ in eum excommunicationis,quia ſententia eſſet contra Papam , & Papa aliquo homine in terris in exteriore foro videretur eſſe minor; nihilominus in iudicio pœnitentiali,ac ſacramentali, in quo ipſe eſt DEO inferior, poteſt alteri in ſe iuriſdictionem dare ; præterquã quòd inquit Alexander, excommunicatio eſt contra hominem, ſed abſolutio pro homine : & homo non poteſt vti auctoritate ſua contra ſe,quamuis poſſet pro ſe. D.Bonauen. in 4.d.19.art.3.q.2. totidem verbis deſcribit ſententiam;ac dicta omnia Alexandri præceptoris ſui.

5. Nobis autem ſatis ſit hæc pauca verba à D.Bonauentura mutuatos eſſe, in quibus confirmatio ſententiæ ſita eſt, quam oppugnat Nauarrus. Ad illud inquit Bonauentura quod obiicitur de iuriſdictione,dicendum quòd Prælatus dat ei iuriſdictionem in ſe, ſe ei ſubiiciendo:& ſi obiiciatur quòd non poteſt dare quod non habet in ſe , dicendum, &c. ſoluit autem eodem modo , & iiſdem verbis , quibus magiſter ſuus Alex.Richar.in 4.diſtin.18. artic.5.q.1. affirmat Epiſcopum à ſuo Capellano non poſſe in foro exteriore excommunicari ex commiſſione Epiſcopi, poſſe autem ex eiuſdem commiſſione abſolui in foro pœnitentiæ ; quia in hoc foro peccatum facit Epiſcopum inferiorem:in illo non item. Caietanus in 2.tomo opuſcul.quęſito vnico:An ſacramenti pœnitentiæ miniſter poſſit eſſe ſacerdos abſque iuriſdictione,ſentit primùm in ſacramento pœnitentiæ , quod per ſe iudiciale eſt,non ex inſtitutione conſtitutionéve Eccleſiæ;ſed ex ipſius ſacramenti natura,requiri neceſſariò iuriſdictionem.

Dupliciter autem vult in quopiam reperiri poteſtatem iuriſdictionis, vel tamquam principium faciendi iudicij , vt in igne reperitur calor,quod eſt principium calefaciendi ; & in Principe poteſtas puniendi; & in maximo Pontifice poteſtas excommunicandi. Quorum exemplum primum valet in naturalibus. Secundum in politicis. Tertium in Eccleſiaſticis vel tamquam à partibus acceptũ ob id ipſum: quia in quapiam cauſſa ſe alteri ſubiiciunt.Sicut in iudicio accidit arbitrorum: vtrouis autem modo iuriſdictionem obtineat huius ſacramenti miniſter,eſt ſatis: & ſecundo modo cum iuriſdictione putat abſolui Romanũ Pontificem ab eo quem ſibi deligit,confeſſario. Ex hoc enim, inquit Caietanus , quòd ſummus Pontifex nulli in terris ſubditus eſt,poteſt ſe ipſum ſubdere in foro pœnitentiali cuilibet ſacerdoti:nec confeſſor ille habet propriè loquẽdo poteſtatem iuriſdictionis ſuper Papa pœnitẽte à Chriſto,vel Eccleſia,vel ab ipſo Papa , tamquam à ſuperiore ; ſed ex hoc ipſo, quòd Papa ſe ſubdit illi. Et hic modus iuriſdictionis reductiuè ſpectat ad iuriſdictionem delegatam;quamuis propriè non ſit delegata.

Ratiocinationem hanc Caietani improbat Martinus Nauarrus,& variè confutat. 6. Primùm, quia falſum eſt, voluntarios arbitros vllam habere iuriſdictionẽ, cùm ſolam habeant notionem, l. ait prætor, cum Gloſſ. à cunctis recepta.ff.de re iudic.l.notionem.ff.de verb.ſignif. Deinde,quia priuatorum conſenſus nõ poteſt præbere iuriſdictionem ei qui nullam habet.l.priuatorum.C.de iuriſdict.omnium iudic.& cap.P.& G.iuncta Gloſ.in fine de officio delegati. Poſtremò,quia Conciliũ Florentinum definit,miniſtrũ ſacramenti pœnitentiæ eum eſſe , qui auctoritatem habet ordinariam , vel ex commiſſione, ſeu delegatam. His fortaſſe difficile non fuerit pro Caietano reſpondere. Verùm nobis non Caietani,ſed veritatis eſt ſuſcepta defenſio,cui nonnullis propoſitionibus patrocinabor.

Prima propoſitio. Eos, qui Romanum abſoluunt Pontificem,à Deo immediatè poteſtatem accipere abſoluendi, ſi aſſeritur, periculosè aſſeritur:ſequitur enim, in

Digitized by Google

Eccleſia Dei duas primas eſſe poteſtates abſoluendi; quarum vna ab altera nõ dependet; id quod tum monarchiam tum Hierarchiam confundit Eccleſiaſticam; quæ requirit omnino vt vna ſit prima poteſtas, è qua reliquæ omnes manarint: ea autem eſt Romani Pontificis auctoritas, quæ ſola eſt à Deo immediatè profecta, & per hanc reliquæ omnes ortæ: id quod præclara ſimilitudine, & exploratis exemplis, à diuo Bonauentura probatur in 4. ſent. diſt. 19. art. 3. q. 2.

Adde quòd, vt argumentatur Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. ſequeretur, ſi quis eſſet, qui iuriſdictionem à Deo haberet in Romanum Pontificem, ab eodem cogi poſſe Pontificem ad ſuorum peccatorum confeſſionem: hoc enim poſſunt reliqui facere, qui poteſtatem ordinariam abſoluẽdi audiendíve confeſſiones, obtinent in aliquos. Præterquam quòd abſurdum videtur, vt cùm reliqui omnes Chriſtiani duos treſve habeant ordinarios, ſeu proprios ſacerdotes, Pont. Max. vniuerſos habeat ſacerdotes, qui eius excipere poſſunt confeſſionem.

7\. Secunda propoſitio. Romanum Pontificem ſuarum ſacrarum confeſſionum iudici iuriſdictionẽ deferre, ob idipſum, quià eum eligit, eidémque ſe ſubiicit, multò probabiliùs dicitur, quàm id quod à Nauarro affirmatur: dicitur enim non à gregariis facultatis Theologicæ magiſtris, ſed à Primariis, diuo Thoma, Alex. Halen. D. Bonauent. Richardo: vt taceam de minorum gentium Theologis: quibus in re Theologica multo magis credendum eſt quàm vni Nauarro.

Tertia propoſitio. Romanus Pontifex, cùm duplicem ſuſtineat perſonam, vnam ſummi iudicis ac paſtoris; alteram rei, & ſacra confeſſione peccata ſua expiantis, antequam ad ſacerdotis genua accidat, ſuas culpas confeſſurus, confeſſarium eligens poteſtate Pontificia, & cogente, eligit; illique iuriſdictionem in actu primo impertit, poteſtatem inquam ſine functione, quæ actus dicitur ſecundus. Cùm verò ad genua ſacerdotis proiectus ſua deteſtatur crimina, illi iuriſdictionem tribuit in actu ſecundo: nam rei ac peccantis confeſſionem audire, vſus eſt aliquis iuriſdictionis ſacramentalis.

Quarta propoſitio. Quod ait Nauarrus, Epiſcoporum & Prælatorum, qui ſibi deligunt ſacerdotes, à quibus abſoluantur, iuriſdictionem ab Epiſcopis non accipere, ſed à ſolo Deo, non verè dicitur: illam enim aut ab Epiſcopis, reliquíſque Prælatis, qui ius habent eligendi, ſumunt; aut à Romano Pontifice: à quo permiſſum eſt ius eligendi confeſſarij ipſis Prælatis, vt ex cap. poſtremo de pœnit. & remiſſ. perſpicuum eſt.

Quinta propoſitio. Pronunciatum illud, *nemo dat, quod non habet*: in hanc, quæ diſceptatur, quæſtionem non rectè à Nauarro accommodatur. Primùm quidem: quia in iis quæ inter ſe referũtur, ſeu quæ dicuntur ad aliquid, & in cauſſis æquiuocis apertam habent exceptionem. Pater enim, qui refertur ad filium, in filio filiationem producit, largiendo ei eſſe genitum: at pater filiationem non habet, ſed paternitatem. Item ſeruus, cùm nexu ſit alterius, in altero dominationem gignit; cuius eſt ſeruus expers omnino. Ad hæc, ſol luce & motu ſuo cauſſa eſt omnium formarum, quæ gignuntur in terris, quarum nulla inuenitur in ſole. 8.

Quid ergo mirum, ſi cùm iuriſdictio ſit ad aliquid, vt inquiunt Alex. Halenſ. & D. Bonauentura, cùm Pontifex ſit cauſſa maximè vniuerſalis, & æquiuoca eorum quæ in Chriſtiana geruntur Hierarchia, producere poſſit in altero iuriſdictionem in ſe, qua ipſum neceſſe eſt carere? Adde, quòd huius pronunciati: *Nemo dat, quod non habet*, ſi vſum in hac controuerſia illud habere debet, hæc non incommoda fortaſſe foret interpretatio, Romanus Põtifex in ſe nullam habet iuriſdictionem, cùm nemo ſit ſibi ipſi ſubiectus: quare nulli hoc concedere poteſt, nec mihi tribuere, vt in me ipſum habeam iuriſdictionem. At idem Pontifex ſummam in alios

alios haber iuriſdictionem; quare & mihi in foro conſcientiæ concedere poteſt, vt in eum, qui eſt alius à me, aliquam habeam iuriſdictionem. Fateor tamé, eumdem concedere non poſſe alteri iuriſdictionem, quam in eum exerceat in foro exteriore, ob rationes à Theologis allatas: & nihilominus Reſpublica quæ in ſe ipſam iuriſdictionem non habet, tradit Principi, ſi eum deligat, & ab eo regi velit, dominationem popularem, ſubiiciens Monarchæ, ſeu poteſtati vnius.

Opinionem igitur Nauarri in eius ſinu dimittamus: quã animaduerti Syluestro etiam Prierati placuiſſe in ſumma, in verbo, Confeſſor. tit. 1. q. 2. quam ipſam Doctori ſuo D. Thomæ diſplicuiſſe cognoſcere facilè potuiſſet.

QVÆSTIO CII.

1. PErente amico Petri, à Pontificis Romani Legato, gratiæ beneficiique cauſſà conceditur Petro; vt ciuitate ſua in ditionem Principis tantùm olei exportare poſſit, quantum quinquaginta iumenta ferre queunt: eam gratiam Petri amicus vult ſibi quæſtuoſam eſſe. Itaque Petrus, vt amici augeat vtilitates, priuilegiũ ſibi à Principe conceſſum mulioni vẽdit: in ſingula iumentorum onerá aureum exigit à mulione vehente oleum: quod extra ditionem quoque Principis contra edictum deferre init; redactam verò pecuniam ad abſentem amicum mittit Petrus.

Quæſitum eſt; quid de tota hac nundinatione è conſcientiæ iure cenſeri debeat, cùm Princeps magnis propoſitis pœnis olei euectionem in alienam ditionem prohibuerit. Sciſcitanti Petro reſpôdi, primùm, hanc mercaturam mihi ſordidam & flagitioſam videri: nam, licèt probabilem ea defenſionem habeat, quamdiu oleum intra Principis ditionem conſiſtit; culpa tamen graui non caret, dum in alienas terras inuehitur. Primùm. Quia iuſtas Principum leges, quæ publicam continent vtilitatem, violare flagitium eſt. Deinde, Quia vendere quod ſuum non eſt, perniciuum eſt.

At priuilegium, ſeu beneficium à Principe conceſſum, extinctum eſt, cùm Petrus Principis legem & voluntatem perfringens, eo abuſus eſt: cùm enim ſecus fit quàm ſit in priuilegio expreſſum, ipſum amitti ipſo facto tradunt Doctores. Vide Syluestrum, in verbo, Priuilegium, q. 10. Quòd ſi priuilegia, quæ inſigniter ius lædunt alterius, inutilia ſunt, ex l. quoties. C. de precibus, quæ Imperatori offeruntur: quantò magis quæ legi, in qua commune bonum & ius ſitum eſt, iniuriam faciunt inſignem? Ad hæc. Cauſſa ceſſante priuilegij, ceſſat priuilegiũ, vt Panorm. in cap. ſuggeſtum, de decimis. probat ex l. ex facto. ff. de vulgari, & pupillari ſubſtitutione. At cauſſa, cur Princeps gratiam conceſſit extrahendi olei, fuit ſubſidium ſuæ, non alienæ ditionis: ergo qui vtebatur, vel potiùs abutebatur, priuilegio, oleum, repugnante Principis ſanctione, terris alienis tradendo, deſinere ei debuit priuilegiũ; ne illud inciperet eſſe iniquũ. 2.

Adde. Quòd contra leges & Canones quæ fiunt, pro infectis haberi debent; vt à nobis ſæpe ex Pontificiis & Imperatoriis legibus probatum eſt: ergo illæ venditiones beneficij impetrati à benignitate Principis contra conſtitutionem Principis initæ, pro nullis ac non factis habendæ ſunt: ſiquidem id vendebatur, quod nõ erat, & quod legis violationem inſignem præferebat. Quocirca niſi mulio donare velit Petro, quod vti priuilegij venditor iniuſtus conſequi non poterat, Petrus reſtituere deberet non mulioni, qui turpiter dedit, ſed ciuitatis pauperibus; quæ ciuitas illa iniuſta olei exportatione, iniuria & damno videtur affecta. Quot autem modis priuilegium pereat, videto apud Gloſſ. in c. ſuggeſtum, de decimis, apud Panormitanum in idem cap. apud Sylu. & Summarum ſcriptores, in verbo priuilegium. 3.

QVÆSTIO CIII.

1. AB ſede Apoſtolica priuilegia multa
» conceduntur his verbis munita; vt
» reuocata numquam eſſe intelligantur,
» niſi de iis ſpecifica, indiuidua, ac de verbo
» ad verbum mentio habeatur.

Sæpe dubitatum eſt, vtrùm, cùm is, qui abrogat priuilegia, vtens hoc genere ver-
» borum, (Non obſtãtibus quibuſcumque
» priuilegiis) etiamſi de verbo ad verbum
» debeat de iis mentio fieri, abrogata cenſeri debeant. Ego ſanè ſemper abrogata eſſe contendi; nec à ſodalitatis noſtræ doctioribus Theologis ſecus vidi iudicatũ: idem ſentit Syluester, in verbo, priuilegium, q.10. Ac, licèt Panormitanus, in c. Cum inſtantia, de cenſibus, num. 5. ſui Commentarij, quæſtionem hanc dicat eſſe ſatis dubiam, & Federicum contrariam noſtræ amplexum eſſe ſententiam conſ. 225. nihilominus ait eum mutaſſe ſententiam conſ. 46. ſed nimirum Abbas ab hac vera non diſceſſit in eodem commentario cap. Cum inſtantia.

Probo hoc ipſum rationibus pernecesſariis. Prima ratio. Papa nec intelligentia, nec memoria, cùm condit legem, complecti poteſt ſingula ſingulorum priuilegia, à multis Pontificibus, magno annorum ſpatio, quamplurimis conceſſa. Ergo ſi velit legem ferre cunctę Chriſtianorum multitudini iuſtam atque vtilem, facere id minimè poterit; id quod vel tantùm cogitare res eſt plena temeritatis & periculi; ne quid grauius dicam.

Secunda ratio. Sequeretur; vt lex non conſtringeret eos, quibus imprimis neceſſaria foret: & propter quos aut ſolùm, aut præcipuè ferretur, vt verbi cauſſa: Si Romanus Pontifex abuſum cupiens tollere priuilegiorum, generali lege ſpoliaret eos, qui his illiſve priuilegiis vterẽtur.

2. Tertia ratio. Romanus Pontifex toti Eccleſiæ vel repugnanti poteſt ſalutarem legem imponere: quoniam poteſtatem condendarum legum, & totius Chriſtiani populi coërcendi, non ab vniuerſitate Chriſtianorum, ſed à ſolo DEO immediatè accipit; cùm tamen reliqui omnes Principes ab hominibus tum eligantur tum inſtituantur; tum auctoritatem iuriſdictionémque obtineant: ergo cùm voluerit generali lege, omnes ſingulóſque Chriſtianos obligare, officere illi priuilegia mendicantium, vel quorumcumque hominum haud debebunt: & ſanè, qui contra hæc diceret, de Romani Pontificis poteſtate non rectè ſentire videretur. Quare Panormit. in cap. illud. Cum inſtãtia. Satis eſt, inquit, quòd appareat de »
intentione ſua volente reuocare talia pri- »
uilegia. Verumenim nonnulla loca in iu- »
re Pontificio, quæ noſtræ ſententiæ refragari videntur, interpretãda ſunt. Namque ex cap. veniens, de præſcriptionibus, vt valeat ſecundum priuilegium, fieri debet mentio de primo. Quare Gloſſ. in verbo, nullam, inquit, ſic patet expreſsè, quòd ſecundum priuilegium debet facere mentionem de primo, ad hoc, vt reuocet illud: quod ipſum dixerat in cap. primum de reſcriptis; vbi hac de re Canonum interpretes. & 25. q. 2. in ſumma, idẽ dicitur. Diſputat hac de re Panormitanus in c. veniens, de præſcript. & in c. 1. de reſcript. cuius mihi æqua videtur eſſe explanatio; vt tunc neceſſariò exprimendum ſit priuilegium primum, quando ſecundum priuatum conceditur lædens ius alterius, quod ex priuilegio poſſidet: quia Auctor priuilegij ius alterius violare non vult. Nos autem non contulimus priuilegium cum priuilegio, verùm aut conſtitutiones, aut literas, quæ tuentur beneficium publicum cõtra bonum priuatum. Cap. cum ordinẽ, de reſcriptis, multo videtur rem vrgere vehementius: ſed tu interpretare cùm non conſtat de voluntate Pontificis per verba æquipollentia.

Ad hæc vim reuocandi priuilegia credimus poſita eſſe in illis verbis (*etiam ſi de verbo ad verbum*) hic enim mentio fit priuilegiorũ quantùm eſt ſatis. Finiam controuerſiam duobus documentis ex Panormitano adiunctis. 3.

Primum

Primum documentum eſt in c. ſecundum de reſcriptis, num. 4. commentarij, vbi admonet ſecutus Gloſſ. in illud cap. eum, qui reſcriptum Principis impetrauit, quod nec cum ratione, nec cum communi curiæ ſtylo conuenit, tamquam crimine falſitatis ſuſpectum ad Principem cum eodem reſcripto remittendum eſſe, atque ad id facere 19. diſt. in memoriam.
» Et idem dic, inquit, in priuilegio emana-
» to contra communem curſum priuile-
» giorũ: de quo vide Gloſſ. in cap. cauſſam. 2. de teſti. facit c. quod ſuper his de fide inſtrum. vide quod notat Cy. in l. fin. C. ſi contra ius, vel vti. pub. Ex his infertur, quòd vbi reſcriptum, vel priuilegium deuiat à communi ſtylo & ratione naturali, non debet commiſſarius illud exſequi; ſed expectare ſecundam iuſſionem principis. Facit cap. ſi quando inf. eo quod no. in d. l. fin. C. ſi contra ius; vbi per Cyn.

Secundum documentum eſt eiuſdem Panormitani, in caput Cùm ad hoc, de clericis non reſidentibus, num. 8. com-
» mentarij. Tene, inquit, mẽte hoc dictum
» doctorum; quòd priuilegium valde no-
» ciuum Eccleſiæ vel alicui, non valet; niſi
» faciat mentionẽ de hac enormi læſione.

Probo ratione. Princeps in dubio non intendit concedere priuilegium vni cum graui diſpendio alterius, l. quoties. C. de precibus Imperatori offerendis. & in dicto. §. Si quis à Principe. Ergo taciturnitas inducit ſubreptionem, vt in cap. poſtulaſti, ſup. de reſcri. & per hoc dictum poteris infringere multa priuilegia, quæ emanant quotidie à Romana curia.

Ex hoc ſecundo documento apparet, veram fuiſſe noſtram interpretationem capitis, veniens, de præſcr. non valere priuilegium ſpeciale nocens alteri ſpeciali niſi de hoc mentio fiat. Cuius mentio ſuperuacanea eſſet, quando generali conſtitutione Princeps conſulit bono publico; cui priuatum vniuſcuiuſque concedere & ſeruire debet.

QVÆSTIO CIV.

IOannes cum Lucretia inceſtum fecit, quæ affinitate contracta nuptiis illum contingebat: nam tertij & quarti gradus cognatione iungebantur, cuius cognationis erant ipſi tamen à primo ignari: ſed eadem deinde haud fuit ipſis ignorata. 1.

Ante & poſt cognitam affinitatem ab inceſto ſtupro haudquaquam ſeſe abſtinuerunt. Cùmque priuſquam iis eſſet explorata propinquitas, alter alterius connubium cuperent, fœdera futurarum nuptiarum doris ſtipulatione inter eos feriuntur. Verùm, dum futurorum coniugum nomina in templo, è Tridentini Concilij decreto, euulgantur, affinitatis impedimentum emergit, quo patefacto, ſupplici libello ad ſedem Apoſtolicam miſſo contendunt; vt impedimento cognationis ſublato, iis liceat matrimonio iungi; narrántque in libello, quum iis conſanguinitas eſſet occulta, ſtupri conſuetudinem habuiſſe.

Annuit eorum votis Romanus Pontifex. Sed quoniam de inceſto, quod poſt exploratam etiam affinitatem fecerunt, tacuerunt, dubitatum eſt, num beneficium impetratum iis valeat: quamuis in ſupplici libello diceretur infamem futuram mulierem niſi ei matrimonio ſubueniatur; qua maximè cauſſa permotum eſſe Pontificem maximum apparet ex litteris diſpenſationis.

Tota hæc ad me cauſſa delata eſt; vt quid ipſe de genere gratiæ, cuius auctor fuit Romanus Pontifex, ſentirem, exponerem.

Tribus id me rogantibus reſpondi, gratificationem mihi irritam ac nullam viſam eſſe. Nam id, quod gratiæ & beneficij cauſſa ab ſede Apoſtolica conceſſum eſt, niſi mendacio, fraude dolóque petitio caruerit, pro non conceſſo Pontificiarum legum & magnorum Doctorum auctoritas habet. Illud item Pontificij iuris conſultiſſimi ſedulò præcipiunt, vt in 2.

precibus,

ipſas tamquam per veri ſuppreſſionem obtentas, viribus carere decernas: ſcribit ad Epiſcopum Imolenſem. & in c. poſtu-
» laſti. eo. ad Epiſcopũ Veratiſamen. Com-
» modum reportare non debet de huiuſ-
» modi litteris vt pote veritate tacita im-
» petratis.

5\. Sed luculenta, & quæ totum hunc locum conficit, eſt eiuſdem Decretalis, ſuper litteris, de reſcriptis. Hoc enim pacto,
» atque his ipſis verbis diſtinguit. Nos igi-
» tur inter eos, qui per fraudem, vel mali-
» tiam, & illos, qui per ſimplicitatem vel
» ignorantiam literas à nobis impetrant,
» huiuſmodi credimus diſcretionem adhi-
» bendam: vt ij, qui priori modo falſitatem
» exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in
» ſuæ peruerſitatis pœnam nullum ex iis
» litteris commodum conſequantur: & ita
» videlicet, quòd delegatus, poſtquam ſibi
» ſuper hoc facta fuerit fides, nullatenus de
» cauſſa cognoſcat: inter alios autem, qui
» poſteriori modo litteras impetrant, duxi-
» mus diſtinguendum: quæ falſitas ſugge-
» ſta fuerit, vel quæ veritas ſit ſuppreſſa.
» Nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas
» occultata; quæ quamuis fuiſſet tacita, vel
» expreſſa, nos nihilominus ſaltem in for-
» ma communi litteras dediſſemus. Dele-
» gatus nõ ſequens formam in litteris ipſis
» appoſitam, ſecundùm ordinem iuris in
» cauſſa procedet. Si verò per huiuſmodi
» falſitatis expreſſioné, vel ſuppreſſionem
» etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ,
» quia tacita vel expreſſa, nos nullas prorſus
» litteras dediſſemus, à delegato non eſt
» aliquatenus procedendum. Sed Ioannes ad eorum numerum aggregandus eſt, qui priore modo litteras impetrant: ergo nullum ex iis commodum conſequi potuit. Alex. III. in Decretali ſuper eo. de cohabitat. clericorum & mul. ſcribit his
» verbis. Porrò, ſi litteras à nobis obtinue-
» rit, quæ facti ſeriem non contineant, no-
» lumus illas ſibi prodeſſe. Sed litteræ impetratæ non continent veram ſeriem facti: ergo non poſſunt Ioanni prodeſſe.

6\. Lex item ciuilis reſcriptum contra ius, vel vtilitatem publicam, non vult fauere illi, qui aut mendacio eſt vſus, aut etiam falſa iuris factive narratione, vel tacendi fraude. C. ſi contra ius vel vtilitatem publicam. l. præſcriptione. & in lege vniuerſa reſcripta. C. de diuerſis reſcriptis eſt,
nulla Principis valere reſcripta, niſi hæc »
apponatur clauſula: ſi preces veritate ni- »
tantur: quam item clauſulam Panormi- »
tanus affirmat in reſcriptis quoque Pontificiis, aut interponi, aut intelligi ſemper debere, in commentario Decret. ſuper
litteris: imo hoc ipſum præſcribit Decre- »
talis Alexandri III. ex parte de reſcr. ad Cantuarienſem Archiepiſcopũ. Sic enim
Alex. In huiuſmodi litteris intelligenda »
eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur. »
Si preces veritate nitantur. »

Colligamus nunc nonnulla dicta Doctorum, quæ cuiuſque animũ ad id quod defendimus ipſi, neceſſariò torqueant. Panormitanus, quem Syluester & Angelus, in verbo, reſcriptum, & alij Summarum ſcriptores potiſſimè ſequuntur, huiuſmomodi enunciata, ſeu præcepta reliquit. Principio interpretationis in c. ſuper lit-
teris de reſcr. Doloſa ſubreptio vitiat re- »
ſcriptum in totum: ſi autem procedit ex »
ſimplicitate vel ignorantia, catenus vitiat, »
quatenus fuit cauſſa conceſſionis. & pau- »
lò pòſt. Nota primò, quòd ſubreptio do- »
loſa, ſiue in vero tacendo, ſiue in falſo ex- »
primendo, vitiat totum reſcriptum, licèt »
non fuerit cauſſa totius reſcripti, ſed fortè »
formæ ſpecialis tantùm; & hoc in pœnam »
ipſius mendacij, & num. 4. & ex hoc no- »
ta textum apertum, quòd ſubreptio do- »
loſa vitiat omnia contenta in reſcripto; »
licèt reſcriptum contineat multa ſepara- »
ta, etiam ſi ſubreptio non fuerit cauſſa »
obtinendi ea; quod eſt valde notabile: »
nam ſi hoc habet locum in contentioſis, »
fortiùs debet procedere in litteris gratio- »
ſis: verùm, ſi non eſt doloſa, non vitiat »
omnia contenta in reſcripto: ſed eam par- »
tem tantùm, cuius fuit cauſſa. & notab. 1. »
Hæc parificantur quoad hoc, taciturnitas »
veri, & ſuggeſtio falſi. & notab. 2. ſi ſub- »

FF reptio

„ reptio non doloſa fuit cauſſa totius re-
„ ſcripti, vitiat totum.

7. Ignorantia nõ excuſat ſubreptionem, „ ſi fuit cauſſa inductiua conceſſionis. Sub- „ reptio non doloſa ſi fuit cauſſa vnius rei „ tantùm, habet vitiare illam rem tantùm, „ & non aliam. num. 5. & vult hoc ſentire Doctores Rotæ deciſ. 369. aliàs 270. in „ antiquis. Ea ſunt, inquit, num. 7. com- „ mentarij exprimenda, quæ poſſunt mo- „ uere animum Principis ad cõcedendum, „ vel non concedendum, vel ad difficiliùs „ concedendum: & hoc probatur in c. Poſtulaſti. Papa enim daret beneficium habenti aliud tenue, ſed non ita facilè, vt habenti nullum. num. 7. probátque id ex verbis Gloſſ. in verbo, litteris: & in caput ad aures. eod. tit. de omnibus fienda eſt mentio, quæ poſſunt inducere Principem ad non concedendum, vel non ad ſic facilè concedendum, vt eſt tex. notabilis. in c. poſtulaſti, infrà eod. & ibi per Oſtienſem. & in caput. Cum noſtris, de conceſſ. præben. num. 17. Illud tacitum habet inualidare litteras, quo expreſſo Papa non dediſſet litteras, vel non ita de facili, vt in cap. ſuper litteris, & in cap. poſtulaſti de reſcriptis. & in cap. conſtitutus. eod. tit. num. 5. ſubreptio vitiat gratiam, & litteras ipſo facto, adeò, quòd proceſſus inde ſecutus, eſt nullus. & in caput, Dudum Eccleſia de electione, num. 13. Diſpenſatio ſubreptitia eſt ipſo iure nulla. fac. 1. & 2. de fil. presbyt. l. 6. & in l. 1. ff. de natalibus reſtituendi.

8. Et idem dicendum in omnibus litteris gratioſis, ſecus in litteris impetratis ad lites: illæ enim non ſunt nullæ, ſed per exceptionem annullandæ; & de his vide quæ dixi pro ratione diuerſitatis in cap. ad audientiam de reſcriptis l. ſecundo. valere autem litteras contentioſas, ſeu iuſtitiæ, ſeu ad lites, ex ſententia Doctorum affirmat. in cap. ſuper eo. de cohabit. cler. & mul. & in cap. poſtulaſti, de reſcr. vult ſubreptione vitiari litteras, non ſolùm cùm cauſſa eſt inductiua & finalis, ſed etiam impulſiua; regulariter verò, inquit, ceſſante cauſſa impulſiua, ſeu impulſiua exiſtente falſa, non ceſſat diſpoſitio, vt no. in c. poſt tranſlationem, de renuntiatione. & in l. cùm tale. ff. de cond. & demonſtr. & C. de falſa cauſſa adiecta, lege per totum. In commentario cap. ſuper litteris de reſcr. obiicit ſibi caput, gratia. de reſcr. lib. 6. reſpondet primum ex ſententia Ioan. Andr. Decretalem illam ad nullam rem aliam accommodari poſſe, niſi ad eam dumtaxat, quam tractat. Panorm. nihilominus in commentario ad ſimile trahi poſſe putat, concurrentibus, inquit, quattuor.

Primum eſt, vt ignorantia ſit probabilis. Secundum, vt non præiudicetur iuri tertij. Tertium, vt Princeps conceſſurus ſit gratiam illam non expreſſa veritate, quamquam non tam facilè. Quartum, vt gratia non excedat caſum proprium.

Oſtienſis, in ſumma, tit. de reſcriptis, num. 22. §. Quæ poſſunt obiici, ſcribit, „ per ignorantiam, aut ſimplicitatem vitia- „ ri litteras, cùm aut tacita eſt veritas, aut „ ſuggeſta falſitas; & princeps aut non con- „ ceſſiſſet, aut non ſic, inquit, de leui, quan- „ do ſecus narratum fuiſſet. & in cap. cùm in noſtris, de conceſſione præbendæ, re- „ fellens Innocentium, ait, ex omnium ſen- „ tentia litteras ad beneficia ſpectantes „ nullas reddi, ſi ſint ſubreptitiæ: idem in eamdem Decretalem col. 1. affirmat Ant. Butrius, & col. 3. In quantum, inquit, In- „ nocentius ſentit, quòd litteræ ad benefi- „ cia quoad finem gratiæ non ſunt ipſo iu- „ re nullæ, in hoc malè ſentit: quia contra „ doctrinam generalem. & paulo antè. „ Hæc eſt veritas; quia quoad gratiam ex „ ſubreptione reſcriptum eſt nullum. „

9. Nec verò ab re fuerit nonnulla hic adſcribere, quæ in duobus Nauarri conſiliis obſeruaui ab huius loci tractatione minimè aliena. In ſecundo igitur volumine ſuorum conſiliorum. l. 5. de ſententia excommu. conſ. 28. defendit, ſubreptione vitiari quidem reſcripta Papæ, ſed non ordinarij; ac nomine reſcripti intelligi tantùm Papale, Imperiale, Regium.

Quam

Quam opinionem oportebat cum ſuo auctore eſſe extinctam. Primùm; Quia eumdem habet inuentorem & patronũ. Deinde; Quia gratis dicitur, titulum de reſcriptis tributum eſſe tantùm reſcriptis Papæ: cùm reliqui tituli de conſtitutionibus, de electione, de conceſſione præbendæ, de foro competenti, peræque ad tribunalia Pontificum maximorum & minorum pertineant. Deinde; Quia idem Nauarrus in illo conſilio ſubreptione ait ad nihilum recidere etiam legatorum reſcripta; cur non Epiſcoporum? præſertim cùm horum ſit in Eccleſia DEI magna & ordinaria poteſtas? Deinde; Fraudulenti & fallaces precatores ea pœna afficiuntur ab Eccleſia, vt, cùm aliquid ſe impetraſſe crediderint, nihil tamen impetrarint: quia mendacio ac dolo huiuſmodi pœna debetur. Cur ergo non pariter plectendi erunt, cùm pari dolo & fallacia decipiunt inferiores Prælatos? Deinde; Cùm ius non humanum ſolùm, ſed etiam naturale & diuinum pœnam tribuat falſo doloſóque rogatori, ecquæ iuſtior & humanior eſſe poteſt, quàm vt eo priuetur beneficio quod eſt precariò aſſecutus, ſiue Regem, ſiue Imperatorem, ſiue Pontificem maximum, ſiue quempiam alium fefellerit?

10. Deinde; Legitimus punitor falſi teſtis eſt præcipuè ordinarius iudex: ſed Epiſcopus eſt iudex ordinarius: ergo ab hoc rogator falſus & mendax tamquam falſus teſtis plectetur: tamquam falſus teſtis, inquam, quia qui ſupplici narratione & obſecratione aliquod beneficiũ rogat Principem, is qui rogat, teſtis eſt eorum omnium quæ narrat: ergo nihil aut falſi dicere, aut veri reticere debet. Nam ex eorum ſententia, qui in vtroque iure enucleando Principes extiterunt, falſus eſt teſtis, non modò qui mentitur mendacio vtens; ſed qui occulit veritatem, præſertim cùm eam aut interrogatus iure, aut ex officio eloqui debet. Conſule Doctores in cap. 1. de crimine falſi. conſule Bartolum in authen. de teſtibus, & Baldum in l. preſbyteri. C. de Epiſcopis & clericis, & in l. vbi exigitur, §. Dolo. ff. de edendo.

Fauet his D. Auguſt. qui ſcribens ad Caſulanum his loquitur verbis. » Vterque reus eſt; & qui veritatem occultat; & qui » mendacium dicit: quia & ille prodeſſe » non vult; & iſte nocere deſiderat. » Hoc igitur, quod ait Auguſtinus, ſiue fiat apud maiorem, ſiue ad minorem Principem, cùm rogatur per fraudem & dolum, in rogatorem animaduertetur; ſed nulla erit animaduerſio benignior, quàm vt ei impetrata ne proſint. Sententiam autem illam Auguſtini habes in Canone Quiſquis, 11. q. 3. & in c. 1. de crimine falſi. Ad extremum ſi, quod contrahendo cum priuatis hominibus & vulgaribus, fit irritum, ſi dolo agatur; quod ipſi in noſtra diſputatione de contractibus probauimus; quanto magis quod precariò agitur cum Epiſcopis, irritum eſſe debebit, ſi quod dederunt, inducti fraude dederũt?

Hanc igitur opinionem in ſui inuentoris & patroni ſinu dimittamus: & ab eo conſilio, quod in primo volumine l. 3. tit. de regularibus eſt 78. vtiliora ac veriora ſumamus. 11.

Primum documentum, num. 1. ab eo traditum eſt huiuſmodi. » Expreſſio qualitatis, quæ Principem reddit ad gratiam » concedendam difficiliorem, non vitiat: » vt cùm quis impetrat beneficium, quod » verè eſt ſimplex, dicendo quòd eſt cura- » tum, valet impetratio, vt ſentit Rota de- » ciſ. 73. de reſcr. in antiq. quam ſequitur » inter alios Felinus, in d. c. ſuper litteris, » num. 2. »

Secundum documentum. » Taciturnitas eius, quo expreſſo æquè Princeps fe- » ciſſet gratiam, non nocet. cap. dudum de » præbend. lib. 6. »

Tertium documentum. » Expreſſio falſi » per ignorantiam vel ſimplicitatem, non » reddit gratiam nullam, niſi quatenus eſt » cauſſa conceſſionis. d. c. ſuper litteris, vbi » id omnes annotarunt. »

Quartum documentum. » Narratio falſi » per ſollicitatorem, vel negotiorum ge- »

» ſlorem facta, non videtur tanti momenti,
» quanti facta per ipſammet partem, vt
ſentit Rota tit. de reſcr. deciſ. 74. in antiq.
Hæc ſunt Nauarri, ſuiſque verbis.

12. Addamus hoc item quintum documentum ex eodem, atque eius verbis in
» Manuali c. 22. num. 86. Omnis expreſſio
» falſi mouētis Principem ad gratiam con-
» cedendam nocet: non autem quælibet
» taciturnitas veri idem facientis: ſed ſolùm
» ea quæ tacet verum, quod iura iubent
» exprimi, ſecundùm Ro. in nou. deciſ. 32.
» de reſcr. num. 5. & Bellarm. deciſ. 698. &
» Felin. vbi ſuprà pro quo facit optimè lex
» 2. C. de Epiſc. aud. Cui adde idem videri
» dicendum de tacente ita verum, quod
» æquipollenter exprimit falſum: quia de
» æquipollentibus idem eſt iudicium. l. fin.
ff. mandati.

Noſtram verò opinionem in hac controuerſia ſubſcribit his verbis in eodem
» num. experientiſſimus ſenex: Qui impe-
» trat diſpenſatione contrahendi cum co-
» gnata, cum qua rem habuit tacito ince-
» ſtu, videtur æquipollenter tacitè dicere,
» quòd non commiſit illum: & ita æqui-
» pollenter exprimit falſum: & conſequen-
» ter gratia efficitur nulla.

Eſt item memoria dignum ſextum hoc
» huius magiſtri documentum. Ipſa diſpen-
» ſatio, & actus diſpenſandi, ſunt reſtrin-
» genda; quia ſunt contra ius. poteſtas au-
» tem diſpenſandi eſt, inquit, fauorabilis
» iux. Gloſſ. ſollemnem in Clem. 1. de offic.
» Vic. receptam communiter per omnes;
» quorum aliquos citat, & ſequitur Felinus
» in c. poſtulaſti, de reſcr. num. 10.

13. Nunc eorum ſunt depellenda argumenta, qui nobiſcum in hac diſſident cauſſa. Primùm ad hunc modum ratiocinantur. De Pontificij beneficij vitio non ex iuris tantùm Canonici auctoritate & interpretum ſenſu, ſed multò maximè ex Romanæ curiæ conſuetudine cenſendū eſt: At Romana conſuetudo mentionem inceſtus in eiuſmodi ſupplicibus libellis non requirit.

Reſpondeo, ſicut ſæpius in hac quæſtione reſpondi, incredibile mihi videri Romanæ curiæ conſuetudinem ab Romanis ſanctionibus diſcrepare: & in Romanis iudiciis Romanas leges & Pontificias contemni. Deinde, ad Benedictum Iuſtinianum, Societatis Iesv Sacerdotem, ac Theologum, Pœnitentiariæ, quæ eſt, ad Diui Petri, Rectorem, Romam litteras dedi, quibus eum obnixè rogabam, vt eius conſuetudinis vim ſedulò exploraret, atque ad me perſcriberet: amici functus officio ad meam Italicam Epiſtolam his verbis Italicè reſcripſit. *Dico, che lo ſtile della Corte, & de Tribunali di qui, s'accorda con la Decretale ſuper literis; & ſequita appunto la diſtinctione, che in quella da il Pontefice.* Nam id quoque petebam, vt, num, quod in curiæ iudiciis gerebatur, cum Innocentij III. Decretali ſuper litteris de reſcr. conſentiret, palam ſignificaret & pòſt aliquantò. *La Curia Romana, & noi qui lo pratichiamo ogni giorno; tiene, che, quando ſi dimanda diſpenſa, ſi taceatur inceſtus, la gratia ſia nulla.*

Nec ſecus ſenſit Nauarrus, qui in Romanæ curiæ moribus & inſtitutis Romæ conſenuit; cuius verba ac ſententia ſunt à nobis ſuprà recitata: ergo primum hoc argumentum retorqueri in aduerſarios optimè poteſt.

Secunda ratio. Cauſſa, quæ Pontificem maximum impulit ad beneficium inceſtis affinibus dandum, ea fuit: ne mulier ſempiternas turpitudinis notas ſubiret: cùm igitur gratia data non nitatur inceſto, illud commemorare ſuperuacaneum fuit. 14.

Reſpondeo, tribuendi beneficij, infamiam cauſſam videri poſſe idoneam, ſi per ſe ſpectetur, & ab inceſtu ſeiuncta; non item cum illo coniuncta: cùm plus odij ſæpenumero ſit in inceſtu quàm commiſerationis in facinoroſorum infamia; criménque inceſtus ad vlciſcendum incitet ſæpe vehementiùs, quàm iuſta dedecoris pœna ad ignoſcendum.

Tertium argumentum. Culpam inceſtus, ac pœnam poteſt ſuo iure Epiſcopus tollere,

Digitized by Google

tollere:non igitur neceſſe erat ad Romani Pontificis Tribunal deferre.

Reſpondeo. Inceſtum tum ad Epiſcopum,tum ad Romanum Pontificem ſpectare:ad hunc,cùm eius rei adiunctio,ſeu circumſtantia eſt,quæ à Romano tantùm Pontifice cognoſci & iudicari debet: ad illum,cùm ab eiuſmodi re ſeparatur. Vel dic, Illud,quod gratiā,quæ ab ſede Apoſtolica exſpectatur, difficiliorem reddit, explanandum eſſe,ſiue ad Romanū Pontificem,ſiue ad eius legatum,ſiue ad Epiſcopos,ſiue ad quoſlibet alios inferiores Prælatos,iudicéſve pertineat.

Quartum argumentum. Peruſinæ ciuitatis Epiſcopus Neapolio Comitolus frater meus patruelis mihi Peruſiæ narrauit,id iam in morem curiæ perductum eſſe; vt cùm ab inceſtis hominibus rogatur Romanus Pontifex,vt illis poteſtatem faciat ineundi connubij; addúntque non ſibi ſatis eſſe compertum vtrúmne in inceſta conſuetudine animū geſſerint iungendi coniugij,hanc additionem Romæ contemni,atque ex poſtulatione demi ſolere:ergo meminiſſe inceſtum non videtur neceſſarium.

Verùm non videtur eſſe tanti rationis concluſio.Nam curia ſapienter verborum illorum adiunctionē inducere ſolet; quia interiorem alienæ voluntatis motū,eumdémque incertum indicat; de quo ipſo cognoſcere & iudicare Dei tantùm eſt, nullius humanæ poteſtatis. At inceſtum, de quo loquimur ipſi, actio eſt corporis exterior: actio ſuapte natura adſpectabilis,& eorum,qui illud admittunt confeſſione patefieri ſolet:illiúſque cognitio,atque iudicium humanæ poteſtati permittitur. Itaque rei vtriuſque ratio eſt longè diſſimilis.

15. Reſtat poſtrema ratio omnium probabiliſſima. Pontificiæ diſpenſationis ſcriptum, iubet Epiſcopum de inceſto flagitio iudicium facere:ergo inceſti non fuit Pontifex neſcius: aut certè pro patefacto illud habuit.

Huius argumenti haud eſt reprehenſio difficilis. Si enim inceſtum reſciuit Pontifex,aut etiam pro explicato habuit,confecta res eſt; omníſque concertatio ſublata.Valuit enim rogatoribus gratia.Verùm ſi Pontifex (quod mihi maximè fit veriſimile) vocabulo inceſtus non tam genus culpæ,quod inceſtum verè eſt, & nominatur, quàm ipſam illicitam corporum commiſtionem intellexit , à ſententia, quam adhuc defendi, non diſcedo.

Sic autem intellexiſſe Pontificem illud perſuadet:quòd Precatores dixerūt,priuſquam inter eos affinitatis ſeu cognationis eſſet orta notitia , corporum voluptati ſeruiſſe:at poſt ortam, eidem ſeruierunt: quare mendacio & fraude gratiam ſurripuerunt.

Dices,eius,qui affinium negotium procurabat Romæ,hanc eſſe culpam,& fraudem contractam: ita innocentibus non debere nocere.

Reſpondeo,non debere nocere,vt iterum non poſſint ad ſedem Apoſtolicam confugere, & ab ea audiri,& beneficium conſequi:nocere autem,vt nunc non valeat, quod per dolum & fraudem impetratum eſt.

Ad extremum illud addiderim,de noſtri ordinis hominibus nemini fuiſſe hanc quæſtionem propoſitam , qui de ea non ſimiliter,atque nos iudicauerit.Vt ne quis nobis fortè ſuccenſeat tamquam ſingularis nouæque opinionis auctoribus ac patronis.

QVÆSTIO CV.

POterat hæc quæſtio cum iis quæ de matrimonio ſunt, admiſceri : verùm commodior ei videtur eſſe locus in reſcriptis Pontificiis. 1.

Aurelius mulierem filio ſororis vxoris ſuæ prognatam,vxorem poſcit,id eſt,eam quæ ſe tertio affinitatis gradu contingit.

Eſſet ne ea propinquitas impedimento nuptiis, è ſuo parocho requirit Aurelius: is, cùm ſpatium ad reſpondendum

poſtulauit, reſpódit, iungendo connubio nullum obiici impedimentum. Nubit igitur, de ſententia parochi, ſolemni & publico Eccleſię ritu, mulier ſuo propinquo.

Diſcunt deinde, è ſacerdote haud imperito, in rato iuſtóque matrimonio minimè ſe locatos eſſe: gratia opus eſſe Pontificia ad illud retinendum coniugium. Diploma impetratur Pontificium: Romæque adſeruatur: ob pecuniæ inopiam ad propinquos coniuges non perfertur.

Exquiſierunt cùm de Pōtificia diſpenſatione conſtet, quamuis ad eos allata nō ſit, poſſint ne tuta conſcientia in contracto matrimonio, atque in connubij mutuis officiis permanere.

2. Ad renouandum contractum matrimonij, litterarum delationem non fuiſſe neceſſariam tria hæc perſuadere poſſent. Primùm, quia magna conſenſione Pontificij iuris præclari magiſtri docent, gratiam Pontificiam, vt ſit grata, & efficiat id ad quod tribuitur, litteris nullis egere: voce eius, qui eam largitur, contentam eſſe: litteras, ſeu ſcripturam ad illam probandam tãtùm requiri. Ita Gloſſa in Clementina. Dudum, de ſepulturis, non longè ab extremo: ita Archidiaconus, & Ioãnes Andreas in procemio lib. 6. quos ambos citans ſequitur Panormit. in cap. in noſtra, de reſcriptis, num. 11. ad quos item accedit Felinus in rubrica de conſtitutionibus, num. 5. vbi alios complures eiuſdē ſententiæ approbatores cōmemorat: eadémque ſententia Baldo fuit in legem, humanum, C. de legib. ergo iſtis affinibus gratia diſpenſationis valuit, ſtatim atque ab ore manauit Romani Pontificis.

Deinde, in foro conſcientiæ, gratiam Papæ ſine litteris prodeſſe ſcribit Felinus in eamdem rubricam, num. 6. & Nauar. in 1. lib. ſuorum conſiliorum conſil. 38. nu. 3. de temporibus ordinationū: ergo ſi propinqui, in quorum nunc cauſſa verſamur, potuerunt gratia vti ante litterarum aduentum.

Poſtremò, vt actus aliquis ratus ſit ac legitimus, duo ſunt ſatis, voluntas & poteſtas in eo qui agit: ſed Romanus Pontifex voluit & potuit remouere affinitatis impedimentum ante litteras confectas & perlatas: ergo, &c.

Verùm, mihi certior eſt contraria ſententia, iſtos non legitimos coniuges, non poſſe contractum repetere matrimonij ante litteras diſpenſationis acceptas. 3.

Ratione atque auctoritate id demonſtro. Prima ratio. Id more & conſuetudine curiæ quotidie agitur; vt beneficium diſpenſationis, quod in foro conſcientiæ alicui conceditur, vtile ei non ſit, niſi per virum, quem diſcretū appellant, accipiatur; qui ab ordinario ad ſacras audiendas confeſſiones approbatus ſit; & per Theologiæ magiſtrum, ſeu canonū Doctorem, habeatur: & quia mos curiæ vim legis obtinet, ex communi doctorum ſententia, qui in conſequenda gratia ab eo recederet, is gratiam perimeret.

Secunda ratio. Diſpenſationis, de qua eſt ſermo, beneficium ferè comites habet quaſdam conditiones, & onera, quæ ſi recuſet is cui beneficium defertur, nulla efficitur diſpēſatio: ergo is, apud quem collocatur beneficium, certis conditionibus affectum, cognoſcere conditiones debet: cognoſcere autem non poteſt, niſi litteræ inſpiciantur, inſpici non poſſunt, niſi perferantur ad eum qui petiuit beneficium, vt conditionibus aſſentiatur: ergo, vt cognoſcere eas poſſit, & accipere, videre litteras debet: ſed non videt, niſi reſignentur ab eo ad quem tamquam ad iudicem commiſſarium mittuntur: præſentes igitur litteras eſſe oportet, & veniſſe.

Tertia. Euenit ſæpenumero; vt, quæ per beneficium & gratiam à Romanis Pontificibus concedūtur, irrita ſint atque inania; vel quòd per fraudem, vel per mendacium falſámque rei narrationem, vel quòd per reticentiam eius quod ſileri minimè oportebat impetrantur: quarum rerum iudicium fieri ab iis debet, ad quos beneficij litteræ mitti ſolent obſignatæ; qui miniſtri conferendæ gratiæ, & quaſi iudices deliguntur. At iudicium æquum

ac verum

Digitized by Google

ac verum facere nequeunt niſi litteris acceptis:ergo eas adferre neceſſe eſt.

4. Confirmat hæc auctoritate ſua Ioannes Andreas in canonum doctrina nobilis magiſter. is enim in cap.1.de confeſſione præbend. explanationis ſuæ, num.17. lib. 6. alterius cuiuſdam doctoris adductus auctoritate,ſcripſit, ſingularia priuilegia firmitatem habere,ex quo ad eum peruenerunt,cui conceduntur:at diſpenſationis,de qua quæritur, gratia ſingulare priuilegium eſt.

Prudenter verò addidit Ioann. Andr. *ſingularia*, ea à *generalibus* ſecernens: hæc enim proſunt poſt legitimam notitiam & promulgationem:vti de priuilegio dicendum eſt reddito à Clemente VIII. iis ſacerdotibus, qui abſoluebant à multis caſibus Rom.Pont.reſeruatis: nunc enim vult etiam ab iis poſſe abſoluere, iis ſex exceptis, de quibus eſt in moderatione decreti; quo decreto priuilegium ademptum erat. Hoc inquam reſtitutum priuilegium, vt huic illive proſit religioſorum hominum ſodalitati minimè neceſſarium eſt,ſcriptum ad eos deferri,ſatis eſt idonea promulgatio. Syluester in verbo renunciatio, §.4.de priuilegio loquens ſingulari,quod non more legis promulgatur, ait vires non habere, niſi (verba ſunt eius) à præſentatione: tribuítque eamdem ſententiam Roſellæ in verbo indulgentia, §. 8.quamquam Roſella non ita,vt Syluest. perſpicuè ſuam indicat hac de re ſententiam. Vide eumdem Syluest.in verbo priuilegium, §. poſt. à Roſella ſuæ ſententiæ auctores nominantur Innocentius & Oſtienſis.

5. Verùm contraria diſſoluamus.Primùm igitur fatemur, Pontificiam, & cuiuſlibet Principis gratiam, quæ nec ius alterius, nec vllam legem, quæ Principis vincat auctoritatem,lædat,valere ſine vllo genere litterarum in foro conſcientiæ: dummodo tria illa non deſint; quæ ad eſſentiam gratiæ requiruntur, id eſt, poteſtas legitima,voluntas,& ſignum aliquod externum voluntatis index.

Deinde, aio, illud beneficium, cui lex aliqua humana reſiſtit, vt eſt diſpenſatio in gradu publico affinitatis in foro exteriore,nō valere,niſi probetur diſpenſatio, ſeu teſtibus,ſeu tabulis, aut litteris, quæ iudici fidem facere poſſint, publicum impedimentum publicè remotum eſſe, vt Felinus & Nauarrus in allatis locis aliíque teſtantur:ita Panormitanus in c.in noſtra, de reſcriptis, num.11. & Felinus in rubricam de conſtitut. num. 5. admonent ex Baldo in l.humanum.C.de leg. pro Epiſcopo ſeu Abbate non recipi debere eum qui in curia eſt eam dignitatem adeptus, niſi litteras edat:& à Bonifacio VIII. in quadam ſua Decretali,quæ incipit, iniuncta,addūt grauibus pœnis in eos animaduerti,qui ſine litterarum teſtimonio illos recipiunt, iiſdémque obediunt.

Quare Nauarrus lib.5. ſuorum conſiliorum conſtit.6. de priuilegiis, cuidam Prælato, qui ab ſede Apoſtolica impetrarat,vt tam ipſe quàm ſui ordines ſuperiores poſſent cum ſuis ſubditis in irregularitate,quæ ex delicto oritur occulto,perinde diſpenſare, vt à Concilio Tridentino conceditur Epiſcopis,ſeſſ.24.cap.6.de reformatione,nō audet ſuadere vt eo beneficio vtantur abſque litteris Pontificiis. 6.

Poſtremò, affirmo, ea diplomata Pontificia,quæ beneficium largiuntur litteris conſignatum,& nonnullis conditionibus ſeptum, quæ gratiam ſuſpendunt, antequam notæ & acceptæ ſint conditiones, & quæ certo cuidam perſonarum generi tradi ſolent; quæ tamquā iudices,& conditionum,& firmitatis gratiæ, à beneficij auctoribus adhiberi ſolent:neque in occulto animorum,neque in publico iudiciorum foro valere,niſi ab illis ipſis hominibus aperiantur,legantur, recognoſcantur,& de iure ac gratia litterarū iudicent: illámque ipſam ad eos, quorum intereſt, applicent.

Quæ omnia cum more curiæ Romanæ congruunt: qui mos voluntatem ac mentem gerit Pontificum Romanorum. *Stylus curiæ*, inquit Nauarrus, in 5.l.conſiliorum

liorum, conſil. 6. de priuilegiis pene in extremo, *facit ius omnium conſenſu, & habet intentionem, & mentem Papa.*

7\. Quapropter Aurelio reſpōdi, eúmque ſedulò commoneſeci, vt is ſuáque affinis nouum matrimonio poſt litterarum aduentum aſſenſum accommodarēt: quandoquidem ille, quem à primo præbuerūt, nullus fuit: nullúmque effecit contractū: neque gratia diſpenſationis ſola, ſine nouo ac legitimo conſenſu facere poterat, vt aliquid eſſet id quod à principio nihil fuerat.

Sublato verò, Romani Pontificis auctoritate, impedimento, ſatis eſſe clandeſtinè aſſentiri iterum coniugio, nec parocho, nec teſtibus præſentibus: iampridem reſpondit ac ſtatuit Pius V. Verumenim cù m impedimentum dirimens matrimonium iuris naturalis eſſet, vel diuini, qualis eſſet diſſenſiſſe coniugio alterutrū contrahentium, clandeſtinus non ſatis fuit conſenſus ſine facultate ſedis Apoſtolicæ, ſed publicus eſſet neceſſarius coram parocho & teſtibus: vt è quodam Clementis VIII. reſponſo ad me Roma miſſo cuique poſſet eſſe perſpectum.

QVÆSTIO CVII.

1\. Petrus duas vxores legitimè duxit: vtramque cognouit: ea re factus eſt bigamus.

Ritu Eccleſiaſtico eſt religionē quamdam profeſſus: & vt ſibi ad ſacros ordines, Eccleſiaſticáſque dignitates, eſſet aſcenſus, ſupplex à Romano Pontifice contendit. Pontifex roganti Petro minimè eſt aſſenſus: is igitur ad ſacrum Pœnitentiarię Romanæ prætoriū confugit; à quo, quod ſibi ab Romano Pontifice negatum erat, impetrauit. Diaconatus ordine erat iam Petrus initiatus. Cœpit deinde ſuſpicari nouo ſe genere irregularitatis teneri: quod ſuā vxorem adulterio neſcio à quo corruptam cognouerit. qua de irregularitate, cùm ad Pœnitentiariam Romanam ſupplicem libellum mitteret, per ignorantiā non per fraudem ſiluit.

In hac cauſſā quæſita ſunt hæc omnia. Primùm, num gratia diſpenſationis, quam pœnitentiariæ ſummus præfectus tribuit, valeat. Secundò, ſi valet, valeátne ad eam irregularitatem tollendam, quam efficit mulieris adulterium poſt adulterium à viro ſuo cognitæ: de qua irregularitate D. Thomas agit in 4. diſt. 27. q. 3. artic. 1. quæſtiuncula tertia ad quartum argumētum: aliíque Theologi in eamdem diſtinct. & Gloſſa in cap. ſuper eo. de bigamis; in verbo, in bigamis, ſummarúmque auctores in verbo bigamia. Tertiò, vtrùm Epiſcopus cùm Petro ordines contulit, irregularitatis impedimentum remouerit. Quartò, num ea irregularitas ingreſſu & profeſſione religionis extincta deletáque ſit.

His dubitationibus ad hunc modum mihi viſum eſt reſpōdere. De prima, Gratiam à Pœnitētiaria miſſam nullius fuiſſe momenti, ideo quòd ſubreptitia extitit. Conſtat enim & decretis Romanorum Pontificum, & ſententia Doctorum, qui ius Pontificium interpretati ſunt, gratiā, quæ obtinetur à Principe, nullam eſſe, cùm tacitum eſt id quod ſi propoſitum fuiſſet principi, quod petebatur, vel nullo modo cōceſſiſſet, vel certè difficiliùs conceſſiſſet, id quod à nobis in ea quæſtione primi libri, quæ incipit, Ioannes cum Lucretia, eſt multifariam demōſtratum. Sed iſte Petrus ſummum Pœnitentiarium celauit de repulſa, quam tulit à Romano Pontifice; cuius voluntati ſacer ille magiſtratus non reſiſtere, ſed obſequi maximè ſolet ac debet: quare inanis fuiſſe gratia exiſtimanda erit. 2.

De ſecūda difficultate, auctoritate canonum, communíque doctorum iudicio ſic ſtatuendum eſt: Petrum, poſtquam ſuā vxorem adulterio cōmaculatam cognouit, irregularem euaſiſſe, & bigamum, ea inquam bigamia, quæ interpretatiua nuncupatur: cuius multæ ſpecies ab iiſdem doctoribus nominantur: eſſe autem hunc 3.

Petrum

Petrum ob hanc cauſſam irregularem, conſtituit canon Cõcilij Neocæſarienſis, ſi cuius.diſt.34. nec non canon Concilij Martini Papæ,ſi laici,ead.diſtin.Quorum canonum auctoritatem ſecuti,idem affirmarunt D.Thom. in 4.diſtin.27.quæſt.3. artic. 1. ad quæſtiunculam 3. in reſpon. ad 4. nec euadit irregularitatem, quamuis ab Eccleſia cogeretur vir adulteræ debitum reddere,vt inquit idem D.Thom. Richardus in eamdem diſtin.artic.4.q.1. Durandus in eamdem q.4.num.7.Albertus in eamdem diſt. art.20. ad quæſtiunculam quintam.Palud.in eamd.q.4.art.2. quamuis id faceret imperio coactus Eccleſiæ,ex eiuſdem Palud.ſententia. Turrecremata in cap. ſi cuius, diſt.34. D.Antoninus in 3.par.tit.28.cap.3.affirmans illud ipſum quod D.Thom.& Paludanus. Syluester in verbo bigamus, num.3. Angelus in verbo bigamia, num.2. ſentiens cum D.Thom.& Palud. in eo quod addunt de præcepto Eccleſiæ iubentis debitum reddi. Tabiena,in verbo bigamus, num.3. Sotus in 4.diſt.27. q.3.artic.1. Gabriel in eamd.diſt.q.3,art.1.notab.2.citans & probans Angelum. Ioannes Maior in eamd.q.1. Oſtienſis in ſumma lib.1.tit. de bigamis non ordinandis.§.quot ſunt ſpecies. Panormitanus in cap.2.de bigamis, & in cap.ſi vir.de adult.vt ſileatur de multis aliis.

Et vir quidem contrahit hanc irregularitatem etiã ſi ignorans,nihilque ſciens de adulterio vxoris,eam cognoſcat,vt affirmant hi omnes iam indicatis locis, Albertus Magnus, Richardus, Paludanus, Turrecremata, Gabriel, D. Antoninus, proferens D.Thom.Raym.& Oſtien.Angelus,Tabienſis,Oſtienſis, Panormit.qui Panormitan.in cap.ſuper eo,de bigamis, num.7. confirmat id à doctoribus dici, nominátque Hug.Lau.Raym.in ſumma, Abb.Pet.Ioan.Andr. vnde multi ſunt bigami & ignorant inquit Palud.

Dubitandum igitur non eſt, hac irregularitate Petrum affectum fuiſſe; quæ cùm ſit à vera & propriè dicta bigamia diſtincta, nec in poſtulationis formula quidquam de ea dictũ ſit, Pœnitentiariæ gratificatio quamuis nihil vitij habuiſſet, tamen in hoc ſecundo genere bigamiæ Petro minimè profuiſſet.

4\. Adde quòd etiamſi beneficiũ diſpenſationis amplè interpretandum ſit, vbi perſonarum nomina,quibus beneficium datur,ſilentur,ſecus tamen,vbi exprimũtur perſonæ, vt ſentit Syluester in verbo diſpenſatio, num.9. q.5. laudátque Gloſſam & Panormitanum,in cap.poſtremum de ſimonia.

Verùm illic Panormitanus de facultate loquitur diſpenſandi alicui à Principe conceſſa.Sic enim ille num.Comment.5. » Nota,quòd dixi,quòd diſpenſatio nõ eſt » ſtricti iuris, quando conceditur in fauo- » rem illius, cui datur poteſtas:quod opti- » mè probatur ſic ſecundùm iſtum intelle- » ctum: ſecus ſi habetur reſpectus ad per- » ſonas,cum quibus eſt fienda diſpenſatio: » quia tunc debet fieri ſtrictiſſima diſpen- » ſatio:quia omnis receſſus à iure communi » eſt odioſus: vt eſt tex.in cap.fin. de filiis » presbyter.l.6.& in cap.quòd dilectio, de » conſanguinitate,& affinitate. Vbi Panormitanus nullum diſcrimen conſtituit inter perſonas tacitas,& expreſſas,quæ egẽt diſpenſatione, ſed inter eos tantùm, quibus datur,& à quibus datur, auctoritate diſpenſandi accepta aliunde, hoc eſt,quæ à Principe ad alium inferiorem iudicem dimanauit.

Ex quo intelligimus, diſpenſationem vnius irregularitatis ad aliã non pertinere: alioqui id eſſet dilatare,non coanguſtare interpretationẽ diſpenſationis. Ergo cùm Petrus duplicis bigamiæ vinculo conſtrictus eſſet,vno reuulſo,manet alterum.

5\. De tertia dubitatione ſic ſentio, Epiſcopum in ſacra ordinatione, nec velle nec poſſe in huiuſmodi irregularitate diſpenſare: cùm poteſtas in ea diſpenſandi ſit tantùm penes ſummum Pontificem. Qua de re his verbis ſuam Nauarrus ſententiam teſtatus eſt in ſumma cap.27.nu. 197. Sextò dico,quòd nemo alius à Papa

» in vera,vel interpretatiua, ad ordines ſa-
» cros poteſt diſpēſare,iuxta omnes:neque
» ad minores,iuxta Ioan. Andr. Anchar. &
» Phil.in cap.1.de bigam.l.6.vbi bonus tex-
» tus,& ibi Domin.Quamquam S.Thomas
» in 4.diſt.27. & Sylueſt.verbo,bigam.q.6.
» oppoſitum dicant, & Rota in deciſione
» 447. quorũ opinio admitti poſſet:quoad
» vſum ordinum ſuſceptorum, ſed non ad
» accipiendum nouos.

In cuius oratione duo dicta temperanda ſunt ac lenienda.Primum eſt illud, quod ait,omniũ ſuffragiis decerni ſolius Romani Pontificis beneficio poſſe bigamum ad maiores ordines aſcendere : id enim ab Epiſcopo concedi poſſe ,iis qui religioſam vitam & non profanam, colere volunt,crediderunt nonnulli,vt diuus Thomas ſcribit in 4.ſent.diſt.27.q.3.art.3. &Duran.in eamd.diſt.q.4.num.8.&ſanè Albertus Magnus in eam ipſam diſt.ar.22. in ſolutione argumentorum,cum eo hominum genere qui volũt ingredi religionem,id poſſe Epiſcopum, conſtanter aſſeuerat. Id ipſum facere poſſe Epiſcopum cum profeſſo religionis, ait in cap. lector. diſt.34.artic.2.concl.3. Turrecremata negátque ab eo idem beneficiũ tribui poſſe cupientibus ingredi religionem : id enim conſuetudine ait abrogatum eſſe, quod ante eum dixit Paludanus in 4.d.27.q.4. artic.5. concl.4. Ac nimirum Theologorum communis videtur eſſe ſententia ius non eſſe Epiſcopo in maioribus ordinibus diſpenſandi cum bigamo.

6. Secundum dictum Nauarri cum multorum & grauium doctorum ſententiis minimè congruit : qui cùm abſolutè ſine vlla adiunctione teſtantur, poteſtatem eſſe Epiſcopo cum bigamo in minoribus diſpenſandi, potiùs de promotione bigamorum ad hoſce ordines, quàm de executione ſuſceptorum , intelligi debent. Sicut, cùm dicunt, Papam in maioribus diſpenſare,de promotione & ſuſceptione ordinũ ſine dubio loquuntur.Quare Paludanus in 4.diſt.27. q.4.artic.5. concl.4. & Turrecremata in cap.lector.diſt.34.art. 2. concl.1. perſpicuis verbis docent cum bigamo poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt minores ordines tum ſuſcipere tum exequi poſſit: id ipſum planum facit Duran. in 4.diſt.27.q.4.num.8.& hoc ipſum aſſeuerat Gabriel in eamd. diſt.q.3.art.3. dubio 4.Sotus in eamd. diſt. q.3.art.3. hanc opinionem tamquã probabiliorem tuetur contra Gloſſam cuiuſdam Franc.in c. vnicum de bigam.in 6. quæ item placuit Syluestro in verbo bigamus, nu.7. & Tabienſi in verbo bigamia, nu.6. & Oſtienſi in ſumma. l.1.tit.de bigamis nõ ordinandis. §.poſtremo. & perantiquo nobilique Theologo Alberto magno in 4.diſt.27. artic. 22. in reſponſione ad argumenta. mihique hæc videtur inter Theologos communis eſſe opinio.

Verumenim Toletus in 1.l.de inſtruct. ſacer.cap.62. concl.4. contrariam ſententiam communem iudicauit, fortaſſe hærens in ſenſu interpretum ſacrarum ſanctionum;ad quam adiungit auctoritatem congregationis Concilij, ſeſſ. 23. cap. 17. Quæ congregatio (Toleti ſunt verba) ex ſententia Xiſti V. Epiſcopum cum vero bigamo, qui duas ſucceſſiuè duxerat, diſpenſantem ad primam tonſuram, & beneficium ſimplex, quod etiam eidem diſpenſato contulerat, iudicauit ipſo iure »
ſuſpenſum ab ordinum collatione:diſpen »
ſatum autem, ab exercitio ſuſpenſum & »
beneficij nullam fuiſſe collationem, nec »
fructus ſuos feciſſe.Hæc ille.Sed dici for- »
ſitan poſſet,hanc pœnam in bigamum,& Epiſcopum vſurpatam fuiſſe : quia à collatione tonſuræ ad collationem beneficij progreſſus eſt Epiſcopus.

Oſtienſis loco ſuprà citato pœnam ſu- 7.
ſpēſionis ab executione ordinis ſuſcepti, ordinato, & à collatione ordinum conferendorum,ordinanti infligit, quum maiores ordines conferuntur. probátque ex cap. quicumque pœnitens, diſt.50. ſi vera narrat Toletus,quē nec falſitatis,nec mēdacij inſimulare licet. rectiùs & tutiùs in collatione ordinum ſe tractabunt Epiſcopi,ſi quoquo modo bigamos vitauerint.

Dices

Dices, quid ergo ea abſolutio & diſpenſatio largitur initiandis: qua vtitur Epiſcopus in conſecratione miniſtrorum? Reſpondeo, ea vincula remoueri, quæ nexos latent, & quæ ad poteſtatem pertinent Epiſcopi.

8. De poſtrema quæſtione probabiliſſimè videor mihi poſſe opinari, ſolemni religionis ingreſſu non quamlibet abſolui irregularitatem, ſed eam, quæ eſt in iure expreſſa, vt ſentit Panor. in cap. 2. de Apoſt. Gloſſa tamen ſcribit, non tolli eas, quæ naſcuntur ex delicto, reliquas tolli: ſubiungit etiam hæc poſtrema verba Bernardus, cuius eſt illa Gloſſa. » Quidam dicunt, » quòd neutro caſu tollitur: ſed defertur » tantùm ad facilitatem diſpenſandi. Sed ne laboremus de opinione Gloſſæ, mihi ſanè minimè dubium eſt, bigamię irregularitatem non tolli per ingreſſum religionis.

Primùm, quia non maius eſſe debet religionis quàm baptiſmi priuilegium: ſed baptiſmus non tollit bigamiæ irregularitatem ex maximè cõmuni ſententia doctorum, quam confirmat Canon Auguſt. qui habetur diſt. 26. Acutius intelligunt, ſumptus ex Gloſſa ordinaria in cap. 1. epiſtolæ ad Titum: ſed ſententia eſt in lib. D. Auguſt. de bono coniugij cap. 18. & can. 5. Ambroſij, Vna tantùm, ex 1. l. de offic. cap. poſt. & quod pluris eſt, canon Innoc. Papæ. Deinde ponitur, ex eius epiſtola ad Rufum, Euſebium, & cæteros Epiſcopos Macedoniæ, cap. 2. qui canones in eamd. diſt. 26. relati ſunt: ergo multo minùs religio S. Benedicti, vel Dominici tollet ſuapte natura.

Deinde videmus, à Romanis Pontificibus concedi priuilegium religionibus diſpenſandi in irregularitatibus, exceptis iis quæ manent ex homicidio voluntario & bigamia.

Poſtremò, ſi qua eſt religio, cui poteſtas ſit amouendi hanc irregularitatem, illam videmus factam non iure communi, vel canonum, ſed priuilegij beneficiique ſingularis.

In hac poſtrema dubitatione nobiſcũ ſentit Angelus in verbo irregularitas, ſecundo, in extremo, & Toletus in 1. l. inſtruct. ſacer. cap. 83. qui ſolùm probant Panormitani ſententiam, vt religio nullam tollat irregularitatem, niſi quæ eſt in iure expreſſa. & Nauar. l. 5. conſil. conſil. 1. de homicidio, etiam priuilegio diſpenſandi ait ſemper intelligi debere exceptam irregularitatem homicidij voluntarij, & bigamiæ, in qua nec Papam, niſi ob maximam cauſſam, ſcribit diſpenſare.

QVÆSTIO CVII.

Indulgentiam, gratiam ſeu beneficium à Romano Pontifice, ſiue eius legato, Paulus habet: quærit num morte eius, qui dedit, gratia concidat beneficij. 1.

Reſpondi, minimè concidere, neque in quempiam doctorem incidi, qui ſecus opinetur. Paludanus in 4. ſent. diſt. 20. q. 4. art. 1. concl. 4. ſibi ipſi de re, quæ in manibus eſt, quærẽti his verbis reſpondet. Vtrùm indulgentiæ datæ durẽt poſt mortem concedentis. Dicendum eſt de Papa, quòd ſic, ſi hoc intendebat; puta ſi ſic dixit: quolibet anno, ſimpliciter: ſi autem dixit, vſque ad quinquennium, vſque tũc valent, & non plus, ſi ſuperuiuat; nec minùs, ſi antè moriatur: quia gratiæ non expirant per mortem concedentis.

Et de Epiſcopis idẽ videtur: nam quas concedunt in dedicationibus Eccleſiarũ, perpetuò prædicamus: ſi autem cõceduntur perſonæ, puta, vni conuerſo, ad illius vitam durant, non plus: ſed locus eſt immortalis. Vnde conceſſa loco tamdiu durant, quantum locus: propter quod ſi Eccleſia ſic deſtruatur, quòd oporteat eam dedicare iterum, per illam deſtructionem primæ indulgentiæ deſtruuntur. Hæc Paludanus.

Gloſſa in cap. extremum de officio legati, legatorum indulgentias ſcribit eſſe perpetuas: ſententiam Gloſſæ ſubſcribit Innoc. in c. quod tranſlationem. eod. tit. 2.

„ & Oſtienſis in cap.nemini. Quid inquit „ de indulgentiis? Reſpondeo, perpetuæ „ ſunt, ſicut ſtatuta & priuilegia arg.25.q.2. ſeruatis. Panorm.in idem cap.nemini, de offic. leg. opinionem Gloſſæ fatetur eſſe » communem, Quia priuilegia, inquit, ſiue » ſtatuta, debent eſſe perpetua. 25.q.2.c.1.

Ab Angelo proponitur quæſtio in verbo indulgentia, §.7. Vtrùm indulgentiæ durent poſt mortem concedentiũ: aitque durare, & multorum doctorum Pontificij iuris auctoritate id ipſum cõfirmat: quod idem Roſella facit in verbo indulgentia, num.6. & Syluester in verbo indulgentia num.16. Aſſentitur Nauarrus in tract. de Iobelæo, & indulg. notab.31.num.25. affirmans, communem, quã nos defendimus, eſſe ſententiam, illud item addens, nihil, quod per beneficiũ conceſſum eſt à Romano Pontifice eius interitu extingui, & num.26. id probat ex deciſione quadam Rotæ, idémque ſentit de qualibet gratia: de indulgentia verò, quod nos dicimus, ſcribit in eo tract. notab. 31. num.25. & nu. 28. ſequitur Paludanum, qui ſcriptum reliquit, dituto loco, cui conceduntur indulgentiæ, eas reuocari & tolli.

QVÆSTIO CVIII.

1. CVm extrema, quę eſt explicata, quæſtione, hæc conſequẽs iungenda eſt. Vtrùmne Iubilæa, quæ Chriſtianis largiuntur Romani Pontifices interdum, vt ipſis rectè ſanctéque gerẽdi Pontificatus à Deo conſilium & mentem impetrent, cum eorumdem Pontificum vita intercidant.

Hæc controuerſia mirè aliquot ab hinc annis multorum torſit ingenia: quando Innocentius IX. generali orbi Chriſtiano promulgauit Iubilæum, quo cuncti Deum Opt. Max. exorarẽt, vt de re Chriſtiana optimè promereri poſſet: & cum Iubilæo Innocentij IX. conſentiens fuit primum Clementis VIII. Verùm Clemens ſuo Iubilæo ſuperſtes fuit, Innocentius non fuit: nam priuſquam multas Chriſtianorum prouincias peragrare potuiſſet, ille immaturo fuit abreptus interitu: cuius occaſu occidiſſétne ab eo conceſſum Iubilæum, dubitatum fuit.

Ipſe in ea ſemper ſententia perſtiti, in qua etiam nunc perſeuero, occidiſſe illis, qui viuo Innocentio Iubilæi beneficio vſi non eſſent: certíſque nunciis allatum fuit à noſtri Patauini & Mediolanenſis collegij Theologiæ Doctoribus, idem iudicatum eſſe. Roma etiam ad ciuitatis Italiæ non obſcuræ Epiſcopum miſſum eſt, ſapienter illum feciſſe, qui poſt Innocentij IX. obitum Iubilæi promulgationem in ſua diœceſi inhibuiſſet.

Ad ſententiam hanc hæc me ducebãt. 2. Primùm, quòd nemo in hoc genere diſſerendi mediocriter exercitatus, non ſcribit, ad Iubilæi, & cuiuſuis indulgentiæ gratiam adipiſcendam cùm primis eſſe neceſſarium, nihil eorum prætermittere, quæ in iubilæo indulgentiâve præſcribuntur: ſed illius iubilæi hæc præcipua præſcriptio erat; vt ab immortali DEO cuncti precarentur, vt ipſe Innocentius IX. Eccleſiæ gubernacula, ad quæ acceſſerat, qua opus erat ratione tractare poſſet: ergo cùm eius interitu huius rei præſtandæ facultas erepta eſſet vniuerſis, ius item iubilæi conſequendi vnà ademptum fuit.

Deinde, quia perabſurdum videbatur; vt Innocentius, dum morabatur in terris, non poſſet ipſe ſui iubilæi eſſe particeps, niſi pro ſe ipſo viuo oraſſet; qualibet autem muliercula, & quiuis homuncio illo extincto particeps foret, ſi pro mortuo preces DEO adhibuiſſet.

Poſtremò, ſi quis viuo Innocentio IX. Deo non ſupplicaſſet, vt quod optabat & poſcebat ſanctiſſimus ille Pontifex, ſibi & rei Chriſtianæ fœliciter eueniret, atque ob id ipſum eam precationem omiſiſſet, quòd tanto Antiſtiti minimè neceſſariam eſſet ratus, ſine dubio iubilæi fructum haudquaquam cepiſſet.

Cur ergo ceperit poſt mortuum Pontificem,

tificem, cùm eam ſupplicationem, quam poſtulabat paſtor ille vigilantiſſimus eadem mors ſuſtulerit? Conditio enim quælibet iubilæi, quæ omnino extare debet, ſi eo quiſpiam potiturus eſt, inſcitiáne, an neceſſitate prætereatur, nihil intereſt. Sed nimirum contraria ſunt euertenda.

3. Primum argumentum. In proxima ſuperiore quæſtione à nobis demonſtratum eſt, nec indulgentiam, nec quamlibet aliam gratiam cum vita Romani Pontif. extingui, ſed poſt eius obitum permanere: ergo cùm iubilæum gratia ſit, & indulgentia, eo mortuo etiam viuet.

Reſpondeo, duplex eſt gratia, ſeu indulgentia; vna abſoluta & pura, nullam adſciſcens conditionem: atque hanc poſt mortem Romani Pontif. & eius qui concedere potuit, eſſe incolumem fatemur; altera eſt affecta honeſta conditione, ſeu conditionibus, quæ præſtādæ ſunt omnino, ſi non ſit futura gratia inanis. Ergo ſi conditiones poſt mortem eius, qui dedit, extare poſſunt, extabit etiam gratia, atque indulgentia; ſi extare non poſſunt, nec illa extabit.

Secundum argumentum. Conſtitutio, quæ multos habet fines, vno perempto non perimitur: ergo ea conſtitutio Innocentij, quæ Chriſtiano orbi iubilæum adferebat, cùm multiplicem finem præ ſe ferret, ſi ceſſauit vnus, qui erat precari Deum & Superos pro eodem Innocētio, vt in re Chriſtiana conſtituenda & moderanda ſapienter ſe gereret, non ideo conſequens eſt, vt tota ratio iubilæi debuerit euaneſcere.

Reprehenditur dupliciter argumentū. Primùm; Diſſimillima in hoc genere ratio eſt iubilæi, & ſtatutorum, ſeu legum: ſtatuta & leges, ſi diuerſos fines intuētur, non ad nihilum recidunt, quia è finibus vnus aliquis defluxerit; præſertim ſi non is finis deſierit, quò reliqui omnes ſpectant: At iubilæa & indulgentias conſentientibus ſuffragiis docent omnes Doctores, ſi vnum tantùm eorum quæ præcipiuntur, non fiat, non facienti nequaquam prodeſſe.

4. Deinde, quod in argumento dicitur, fateor verum eſſe, cùm finis non eſt intimus conſtitutioni & legi, ſed extrinſecus: ſi enim ad vim intimam legis pertineret, idque eiuſdem legis verbis declararetur; omni ſublata concertatione verborum, fine ſublato lex item tolleretur: atqui finis intimus iubilæi erat, vt non pro gubernatione cuiuſlibet Pontificis, ſed huius Pontificis, ſupplicatio fieret: ergo non potuit mutato fine manere iubilæum.

Tertium argumentum. Si alicuius iubilæi, quale fuit Innocentij IX. & primùm Clementis VIII. fit irrita gratia, Pontificis interitu: ergo Indis, & longinquarum prouinciarum exteris nationibus numquam poterit eſſe exploratum, num iubilæi beneficium ratum iis ſit: quandoquidem de vita Romani Pontificis certum ſcire non poſſint.

Reſpondeo, nec iis, qui Romæ, nec qui in Pontificia familia agunt, neque ipſi Pontifici eſſe poſſe perceptum, num ei iubilæi gratia valuerit: ſiquidem ad eam impetrandam tam multa ex communi Doctorum conſenſione requiruntur.

Deinde, diſiunctarum Prouinciarum hominibus hoc ampliùs quàm finitimarum, tributum eſt; quòd cùm ignari ſint vitæ mortiſve Pontificis, bona fide de ſuis peccatis confiteri poſſunt, & ea exequi, quæ in iubilæo ſignificantur: quibus rebus mira & eximia quædam bona aſſequuntur, quibus neceſſe eſt carere eos qui de morte Pontificis certiores facti eadem non præſtant: & quamuis homines longinqui & exteri, vbi fuerit ab iis intellectum, è viuis exceſſiſſe Romanum Pontificem, peccatorum reſeruatorum abſolutionem, ſi quibus fortè irretiti erāt, quærere debeāt, cæterorum nihilominus, quæ reſeruata non erant, legitima fuit confeſſio & abſolutio: in quo multo maius eſt illis ipſis hominibus ac mulieribus datum beneficium, quàm ſi omnium pœnarum, quæ ſuis ſceleribus debebantur, liberationem impetrauiſſent.

Primi generis legibus nemo vincitur ante totius temporis à legiſlatore definiti decurſionem. Secundi generis conſtitutionibus obſtringitur poſt legis acceptam notitiam. Conſtitutio Clementis VIII. eſt primi generis: nam, qui citra Alpes ſunt, duorum: qui trans ſunt, quattuor menſium iis ſpatium definit obſeruandæ legis. At Sotus omni neglecta diſtinctione in 1. lib. de iuſt. & iur. q. 1. art. 4. Panormitano aſſentitur: confirmat enim tempus Eccleſiaſticis conſtitutionibus appoſitum in hominum iudicio locum habere: in foro autem DEI legum conſcios obligari ante decurſa ſpatia præſcripti temporis; mentem verò Pontificum eſſe ait, vt poſtquam eorum conſtitutiones à Prælatis fuerint promulgatæ, neceſſitatem imponant obſeruandi; niſi aliud à Romanis Pontificibus in eiſdem conſtitutionibus ſignificetur.

Huius opinionis fundaměta ſacris ſanctionibus & ratione nituntur. Nam in Canone, ad hæc, de poſtulatione Prælatorum, quæ Decretalis eſt Innocentij III. ad Decanum, & capitulum Senonenſe,
» eſt his verbis. Nec ſit neceſſarium, cùm
» conſtitutio ſolemniter editur, aut publi-
» cè promulgatur, ipſius notitiam ſingulo-
» rum auribus per ſpeciale mandatum, vel
» literas inculcare: ſed id ſolùm ſufficit, vt
» ad eius obſeruantiam teneatur, qui no-
» uerit eam ſolemniter editam, aut publicè
» promulgatam.

3. Quo Canone Panormitanus confici putat, quod vult: cui tamen ſanctioni multis modis poteſt occurri: nam Pontifex iis de conſtitutionibus loquitur, quibus nullum eſt certum tempus præfixum. Dein dici poteſt, hoc tantùm ſtatuete ſingularem promulgationem, quæ ad huius illiúsve aures admouetur, minimè eſſe neceſſariam; ſatis illam eſſe, quæ generalis eſt; & quæ ad multitudinem eodem tempore perfertur, idque poſt legitimā temporis determinationem in iis conſtitutionibus, quæ certam diem habent præſtitutam, cuiuſmodi eſt Clementis VIII. conſtitutio, qua munerum largitione regularibus interdicitur.

Secunda Decretalis eſt Innocentij IV. relata in cap. 1. de conceſſione præbendæ lib. 6. §. Nec obſtaret, vbi ſic: Nec obſta- »
ret, ſi fortè obiiceretur, quòd lex ſeu con- »
ſtitutio, & mandatum, nullos adſtringūt, »
niſi poſtquam ad notitiam peruenerint »
eorumdem: aut niſi poſt tempus, infra »
quod ignorare minimè debuiſſent. »

Verum facilem hic locus habet interpretationem: nam non vnius magis quàm alterius opinionis ſuffragatur auctoribus: quandoquidem duplicem euoluit rationem quempiam legi adſtringendi; quarum prior vni; poſterior alteri contrariæ fauet ſententiæ. Deinde, dicere poſſumus Decretalem cauere de iis dumtaxat conſtitutionibus, quæ conſtituti temporis notam habent appoſitam. Proferūt etiam legem poſtremam. ff. de decretis ab ordine faciendis; ſed non multùm ea lege iſtorum iuuatur opinio: tantùm enim illic dicitur aduerſus ſcientes leges municipales, ſi eas violent, pœnas paratas eſſe.

Suam hi auctores hac ratione fulciunt 4.
opinionem. *Fruſtra expectatur euentus cuius nullus eſt effectus: & eum, qui certus eſt, vlterius certiorari non oportet per regulam iuris.* Eum qui. in 6. de reg. iur. Cùm igitur tempus inſertum in legem à legiſlatore eò ſpectet, vt notitiam legis quiſquis haurire poſſit; ſi priuſquam tempus huiuſmodi prætereat, legem quiſpiam cognoſcere potuit, fruſtra ad eamdem cognoſcendam & obſeruandam tempus longius expectatur.

Reſpondeo, in argumentatione aliquid probabilitatis ineſſet, ſi tempus certum daretur à legiſlatore ad notitiam ſolam legis, non item ad eius neceſſariam legitimamque promulgationem, atque obſeruationem; necnon ad poteſtatem cunctis iudicibus tribuendam, qua pœnis coërcere poſſint eos qui promulgatæ legi non paruerint. Reſtat vt quos contraria ſententia patronos habeat, videamus, eiuſdémque firmamenta conſtituamus.

Defen

5. Defenditur hæc altera ſententia ab Antonio Butrio, in cap. cognoſcentes, de conſtitut. col. 4. vbi ſcribit. Conſtitutione ante duos menſes (verba ſunt eius) non ligari etiam ſcientem, niſi contrarium exprimatur: à Decio in idem cap. num. 41. citante & ſequente Butrium: à Turrecremata, in cap. leges inſtituuntur, explanationis ſuæ q. 3. ab Imola, in cap. cognoſcentes, de conſtitutionibus, diſtinguente eo modo quo ſuprà dictum eſt: à Nauarro, in 1. volumine conſiliorum, conſ. 1. de conſtitut. à num. 15. ad 18. & in Summa, cap. 23. num. 44. Alphonſus de Caſtro, in 1. lib. de l. pœnali, in c. 1. fol. extremo, duorum menſium tempus conſtitutionibus conceſſum in foro exteriori opitulari ait ignorãtibus, quod item dicitur ab omnibus. Oſtienſis, in Summa, titulo de conſtitut. §. Quando conſtitutio ante duos menſes, negat conſtitutione Principis ſubditos obligari, nihilque excipit; quod ipſum facit Ioan. Andreas eadem verba Oſtienſis vſurpans, in ea verba, poſt regulam iuris in 6. data Romæ.

Confirmat hanc ſententiam autentica, vt nouæ factæ conſtitutiones, collatione quinta, vbi decernitur, vt Imperatoriæ leges, nonniſi poſt bimeſtre ſpatium, eos, qui in imperio ſunt, obſtringãt; quod ipſum tempus à Gloſſa, in verba illa, Data Romæ, in fine 6. Decretaliũ, & ab omnibus Canoniſtis, Summarúmque ſcriptoribus, & Alphonſo à Caſtro, & à Soto citatis locis transfertur item ad Pontificias conſtitutiones; quando in iis nulla fit certi temporis mentio.

6. Hæc ſentẽtia his tueri ſe poteſt argumẽtis. Primum eſt Turrecrematæ, in cap. leges inſtituuntur d. 4. q. ſua 3. Nemini auferri debet priuilegium conceſſum à Principe: ſed menſium duorum ſpatium conceditur à Principe: ergo nemini poteſt auferri. Maiorem ſyllogiſmi propoſitionem confirmat regula iuris in 6. indultum, his verbis perſcripta. Indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendũ; quam regulam Gloſſa nonnullis illuſtrat exemplis, quæ cum hac ſecunda ſententia valdè ſunt conuenientia.

Secundum argumentum poteſt eſſe huiuſmodi. Lex norma & regula eſt humanarum actionum, vt locis quàm plurimis teſtatur S. Thomas, præſertim in 1. 2. q. 90. art. 1. & q. 96. art. 5. Et quoniam lex generalis eſt, & vniuersè loquitur, vt inquit Ariſtoteles in 5. Ethic. c. 10. & alibi: Quoniam totius communitatis bonum propoſitum habet; neceſſe eſt, vt & vniuersè præſcribat & ratione quadam generali ad cunctorum animos applicetur: ratio autem eius applicandæ eſt notitia: ergo neceſſe eſt eam notitiam generalem eſſe: verùm notitia hæc cum decurſu certi temporis copulatur: ergo notitia, quæ tempus à Principe definitum comitatur, legis parit obligationem.

Tertium argumentum. Neminem lex aſtringit niſi promulgata legitimè; ſed legitimæ promulgationis tempus extra curiam Principis illud eſt, quod is obſeruandæ legi præfinit: ergo ante illud extremum non adſtringit.

Quartum. legis obligatio tempus illud conſequi debet, quo iudices ius adipiſcuntur eos qui committunt in legem, coërcendi: verùm iudices ante decurſum legitimi temporis non poſſunt illos, qui legi non parent coërcere: ergo.

Anquirunt Doctores, duorum menſium, aut cuiuſuis alterius temporis à lege adiecti, quando inchoetur ſpatium, à promulgatione ne facta in curia, an verò in Prouincia? Communis ſententia docet in Imperatoriis conſtitutionibus tempus inchoari à promulgatione facta in Prouinciis: in Pontificiis autem à promulgatione facta in curia. Ita Gloſſa in ea verba, Data Romæ. In fine regularum iuris in 6. ita Panormitanus, in c. nouerit de ſent. excommun. num. 3. licèt in cap. cognoſcentes de conſtitutionibus, hac de re multo anteà dubitaſſet. Verum, vt eſt in Græco prouerbio: δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, id eſt, *poſteriores curæ, ſeu cogitationes, ſapientiores.* 7.

Ab

Ab hac opinione ſcribit Roſella, in verbo lex. num. 8. recedendum non eſſe, & Syluester, eod. tit. q. 6. teſtatur conſuetudine hanc eſſe opinionem comprobatam: cæteroqui conſequens eſſe, nullam Decretalem vim obtinere obligandi, quia fortaſſe nulla in cunctis orbis Chriſtiani Prouinciis fuit promulgata. Quod argumentum eſt Gloſſæ in illa verba, Data Romæ, & Nauarri, in conſilio quod adduximus q. 4. num. 19. vbi affirmat id eſſe poſitum in conſuetudine curiæ: quæ conſuetudo vim legis habet: nec illud omittit Nauarrus, regulas cancellariæ, quæ nō publicantur, inquit, extra curiam, ligare omnes degentes extra eam.

8. Quare Angeli opinio, in Summa, verbo, lex, num. 13. & Soti, in 1. de iuſt. & iur. q. 1. art. 4. qui aiunt hoc velle Romanos Pontifices, vt ſuæ ipſorum leges palam in Prouinciis euulgentur: quod ſi non fiat, iis Chriſtianum populum non obſtringi; reiicienda eſt: quoniam communi ſententiæ, & conſuetudini curiæ aduerſatur, quamuis ad eamdem ſententiam Angeli & Soti valde propendeat Caietanus, in 1. 2. q. 94. art. 4. Nauarrus, in illo conſilio q. 4. num. 18. ſuo teſtimonio confirmat ſolitam eſſe curiam animaduertere in eos qui in Pontificis legem promulgatam peccant, quamuis totū bimeſtre ſpacium non fluxerit: conſuetudinem verò hanc ille ad forum exterius & vibicolas, vt eius verbis vtamur, deducit.

Maneat igitur, conſtitutiones Pontificias obſeruationem neceſſariā imponere iis qui extra vrbem commorantur, poſt legitimum tempus exactum, atque ab eo inchoatum, quo fuerunt in curia promulgatæ. Verumenim conſtitutiones, ſeu Capitulorum, ſeu Synodorum, & quæ ſpeciales nuncupantur, vinciunt eos omnes quibus ſunt notæ, vt omnes affirmant. Cùm dixi Synodorum, particulares Synodos intellexi.

9. Illud etiam fatentur omnes Doctores, apud iudicem etiā iuſtam cauſſam ignorantiæ legis probari poſſe, quamuis tempus à lege cōceſſum totum abierit: quam ſi quis probarit, pœnas effugiet: ſicut in interiore conſcientiæ foro illis non tenetur, ſi ei probabilis ignorantia legis patrocinetur. De eo quoque conuenit inter Doctores, poſt tempus legis ſeruandæ, ſi quid reſiſtente lege actum eſt, actum eſſe irritum, quamuis ab ignorantibus legem, ſit actum: extra autem irritationem actorum, ceteras pœnas iuſtè ignorantibus legem condonari.

De Matrimonio.

QVÆSTIO CX.

Puella virgo, matris domo à perdito homine abducitur; eam diuturna ſtupri conſuetudine implicatam tenet; ex eadem prolem ſuſcipit: ad ſaniora ſalutis ſuæ conſilia reuocatus, externo opifici in matrimoniū collocat: matrimonio concubini, in cuius domo puella verſabatur, Parochus adeſt. Puella, viri pertæſa, rurſum ſe domum concubini recipit: quam iniuriam minimè vir ferens, diuortium cum ea facere conatur: iactátque, cauſſam iuſtam eſſe diſſidij, quòd Parochi culpa fuerit matrimonium nullum: quandoquidem ei non alterutrius contrahentis, qui tantùm iure poterat, ſed concubini Parochus interfuit. 1.

Cauſſa delata eſt ad iudicem Eccleſiaſticum: in qua eum hærere animaduerti, ambigentem, num propter commorationem mulieris in domo cōcubini eiuſdem Parochum ſortita videretur. Quare quæ ab eo iudice ſententia pronuntiata ſit, mihi non liquet. Illud quidem eſt admodum probabile, coniugiū fuiſſe nullum; quia vero ac legitimo caruit Sacerdote.

Mihi ſanè fit maximè veriſimile, irritū ac nullum illud fuiſſe connubium; nec à legitimo Parocho virum & mulierē matrimonio innctos eſſe. Ius enim parœciæ improba fide & per ſcelus ac fraudem

HH nemo

Digitized by Google

nemo aſſequitur, ita vt in ea, Sacramenta percipere poſſit; vt docet Nauarrus, in ſecundo volumine ſuorum conſiliorum, lib. 3. de parochiis, conſilio primo, in quo diſputat de ratione, quemadmodum quis propter habitationem efficiatur, vt is loquitur, parochianus: ſed illa puella peſſima fide in amatoris ſui parœciam demigrauit: ergo ius ad Sacramenta in ea adipiſci non potuit.

Secunda ratio. Ex damnato domicilio & cum iniuria Eccleſiæ contracto ius Eccleſiaſticum percipiendi Sacramentum vllum oriri non poteſt: ſed domicilium, quod concubina cum concubino commune habet, eſt maximè ab Eccleſia damnatum: ergo, &c.

Confirmatur hæc ipſa ratio. Quamdiu concubina, vel pellex cum amatore ſuo commoratur, nullum Sacramentum ſuſcipere poteſt: quòd ſi velit, domicilium commutare neceſſariò debet: ergo ex eo domicilio ius ad Sacramenta obeunda naſci non poteſt.

3. Tertia. Hominum malitiis indulgendum non eſt, vt ait Iuriſconſultus. l. in fundo. ff. de rei vendicatione; neque iis amicitiis & ſocietatibus fauere vllo modo conuenit; quas libido, ſtuprum & ferina voluptas conciliauit. Quare eiuſmodi vitæ coniunctionem & domicilij rationem non ſolùm Eccleſia, nulla re adiuuat; ſed etiam vi, minis, ſententiis ac pœnis variis dirimit.

Quarta. Finge, ad ſuperius coniugium delectam eſſe villam concubini, eò ipſum cum puella, quam ſtuprauit, ſeceſſiſſe; poſt aliquot menſes ſceleratum coniunctum deteſtatum eſſe; eamdem in matrimonium illi ipſi opifici dediſſe; ac ruris Parochum ad matrimonium coniungendum acceſſitum eſſe; ſanè hoc matrimonium non ratum, ſed pro infecto habendum eſſet, vt in ſuo quodam conſilio oſtendit Nauarrus: propterea quòd ruris Parochus neutrius contrahẽtis eſſet proprius Sacerdos.

Idem ergo de eo coniugio ſentiendum eſt, quod in domo vrbana cõcubini contractum eſt: cùm non plus vrbana quàm ruſtica domus concubini iuris largiatur ad iuſta matrimonij fœdera ineũda, concubini parocho præſente, & coniuges copulante.

Quinta ratio. Eſt id Eccleſiaſticæ conſuetudini alienum, vt in eadem ciuitate quis duos Parochos habeat: niſi fortaſſe in ea duo haberet domicilia, in quibus æqualibus interuallis commoraretur: ſed illa puella pro legitimo Parocho eum habebat, qui matris erat: ergo concubini Parochus tunc ſuus eſſe non poterat. Atque hæc vna ratio vim animo meo adfert.

4. Mitto, incertũ eſſe, vtrùm ea ipſa puella, antequam nuberet, aut integrum annum domum ſui proci habitaſſet; aut in eadem permanendi animum gereret: quę res in parœciarum iure acquirendo, & in facultate percipiendorum Sacramentorum ſunt cum primis conſiderandæ.

Proprius Parochus in perceptione Sacramentorum non cenſetur eſſe alicuius, cui in aliena parœcia non fuerit annua manſio: hoc placet Innocentio, in caput, omnis vtriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſ. quem ſequitur Federicus conſilio 246. atque Syluester, in verbo, Confeſſor. 1. §. 10. opinionem hanc eſſe communem; à qua tamen recedit Panormitanus, in cap. idem, omnis vtriuſque ſexus: eſt item doctorum concors ſententia, nõ ex domicilio, quod quis in aliqua parœcia extructum habet, ſed ex habitatione ad Sacramentorum perceptionem ius oriri; quam defendit Innocentius, explanans decretalem, Omnis vtriuſque ſexus, num. 12. & Oſtienſis, in eamdem, num. 23. Io. Andreas, in eamdem; & Anton. Butrius, num. 13. in eamdem: qui omnes affirmãt, mercenarios, ſcholares, viatores & peregrinos, à ſuis propriis parochis petere debere, vt extra parœciam ſuam ſumere poſſint Sacramenta.

Panormitanus, in caput in noſtra, de ſepulturis, num. 11. ſui commentarij, quærit, quænam ſit Eccleſia parochialis. Primùm

Primùm refellit Federici opinionem in conſ. 246. exiſtimantis, ſine domicilio, & animo illic habitãdi perpetuò quempiam in tribũ parœciæ transferri. Profert contra Federicum legem, Generali, §. vxori. ff. de vſufruct. legat. ex qua confici ait, neminem dici poſſe in aliquo loco eſſe, niſi ſit illic manſurus: adfert Decretalem, is qui, de ſepult. in 6. Adducit Ioannẽ Andr. in nouella, qui ſcripſit, eum, qui belli tempore è villa in vrbem ſe recipit, animo ius repetendi bello confecto, ſi in vrbe decedat, ad Eccleſiam villæ, funeris quartam pertinere.

5. Aggregat ad hos Dom. Ant. Butrium, in ſua quadam quæſtione affirmantem, ciues Florentinos, ad vitandam peſtilentiam, ſi ſe Bononiam conferant, eo conſilio, vt profligata peſte ad familiarem larem redeant, diem ſuũ Bononiæ obeundo, quartam funeris Florentinæ Eccleſiæ Parochiali deberi; nec ſecus iudicatum eſſe Bononiæ. Idem contendit auctoritate Pauli, in Clementinam Dudum, de ſepulturis, docentis, cùm quis in aliena parœcia, in qua annum vixit, de vita exiit, quartam funeris partem inter Eccleſiam parœciæ, & quæ eſt domicilij, & eam quæ dicitur habitationis, diuidi: ad hanc ſententiam comprobandam valere ait Panormit. c. 2. & 3. de ſepultur. lib. 6. vbi in viris parochialibus locus domicilij, non habitationis ponderatur.

Itaque Panormitanus quattuor enuntiationibus ſententiam ſuam hac de re teſtatur. Prima, quum aliquis ſuum aliò tranſtulit totum domicilium, tunc in loco, quò tranſtulit, ſuam nanciſcitur parœciam. ex cap. extremo de Parochiis. Secunda, cùm retẽto primo domicilio quærit ſecundum; & in vtroque ſe pariter collocat, in vtroque domicilio parœciam habet. ex cap. 2. de Parochiis, lib. 6. Tertia: Quum retento domicilio primo, migrat aliò tamquam peregrinus, nouam parœciam nequaquam adipiſcitur. ex cap. Romana. §. Contrahentes, de foro compet. lib. 6. Quarta: Si priore domicilio retento commigrat aliò, ſed non animo illic perpetuum domicilium conſtituẽdi, anceps relinquitur quæſtio.

Is tamen credit, Parochialem cenſendam eſſe Eccleſiam, quæ eſt domicilio, non quæ eſt habitationi nexa: quamuis in Eccleſia permanſionis ſuadente neceſſitate poſſit ſuſcipere Sacramenta. in cap. verò poſtremum de parochiis, multa perſequitur genera domiciliorum, de quibus nos diligenter diſſeruimus in primo volumine noſtrorum caſuum. caſu 20. & 21. de quibus ſic decidendo Panormitanus. Vnum eſt domicilium naturale, alterum voluntarium: illud duplex, vnum originis, alterum paternum, vtrumque immutabile. Voluntarium, cùm aliò quiſpiam migrat animo illic perpetuò commorandi, ſiue vnus, ſiue plura ſint loca. Parochus autem domicilium habet, vbi Sacramenta adminiſtrat: religioſus, vbi eſt profeſſus. Porrò Oſtienſis, in Summa, titulo de Parochiis: §. Quis intelligatur parochianus, ait aliquem dici parochianum ratione domicilij.

QVÆSTIO CXI.

1. LVcretia ob leuem metum aſſenſa eſt matrimonio. Quæſitum eſt, vtrùm id ratum iure conſcientiæ ſit cenſendũ coniugium. Ratum eſſe aiunt Richardus in 4. ſent. diſt. 29. art. 1. quæſt. 1. Sotus, in eamdem diſtinct. quæſt. 1. art. 3. verſu; hinc ergo primum argumentum. & in 7. lib. de iuſt. & iur. quæſt. 2. art. 1. quibus locis ſcribit, votum & matrimonium, quibus cauſſam attulit metus leuis, valere.

Almainus, in 4. ſent. diſtinct. 29. quæſt. 1. affirmat, inter omnes conuenire, ex metu leui effici matrimonium: hæc Almaini aſſeueratio, quemadmodum vera ſit, non multò pòſt cognoſcetur. Huic opinioni ſuffragatur Canon, veniens. ſecund. de ſponſal.

Aduerſaria ſententia, quæ matrimonium, de quo ambigitur, irritum facit, eſt

Gabrielis, in 4.ſent. diſt.29. quæſt.1. art.2. concl.4. Nauarri, in Summa, c.17. num. 29. & c.22. num.51. notab.1. & Couarruuia, in 4. Decretal. part.2. cap.3. §. 6. num. 4.

2. Nunc meam ipſe ſententiam duplici propoſitione indicabo. Prior propoſitio. Matrimonium leui metu contractum iure humano ratum eſt, iure inquam ciuili & Eccleſiaſtico. Primùm, quia huiuſmodi metum paſſis denegant actionem iudices: neque enim vllus eſſet litiũ & controuerſiarum exitus, ſi audirentur ij, quibus paruus metus infertur. Deinde, quia non credunt quempiam terrore leui adductum geſſiſſe quod geſſit.

Poſterior propoſitio. In foro animæ & Dei, eſt veri quàm ſimillimum, leui metu perinde matrimonium vitiari, vt graui, ſi libertati conſenſus non ſecus quàm magnus obſiſtat.

3. Hæc poſterior propoſitio his rationibus comprobatur. Prima, iure diuino & naturali, vt probant Theologi, in 4.ſent. diſt.29. ſummam libertatem requirit coniugium: cui libertati error, fraus, vis, metúſque aduerſatur: ergo ſi metus, quamuis paruus, tollat hanc libertatem, neceſſe eſt, nullum tum diuino tum naturali iure eſſe coniugium.

Secunda. In definitione matrimonij ponitur indiuidua vitæ conſuetudo: at huic quilibet iniurioſus metus non parum officit. Confirmatur hæc ſecunda ratio. Nullum arctius amicitiæ vinculũ cogitari poteſt eo quo vir & vxor copulantur. Verùm metu quolibet iniuſto hoc vinculum inciditur: nullus enim amat, quem metuit, inquit Ariſtot. in ſecundo Rhetoricæ, cap. 4. ergo ex eo metu non poteſt legitimum exiſtere connubium. Tertia cauſſa perturbans & bona matrimonij magna ex parte corrumpens, non poteſt verum gignere matrimonium: id facere poteſt non ſolùm cadens in virum conſtantem metus, ſed etiam in timidum hominem, vel mulierẽ: ergo. Quid enim de generatione atque educatione prolis, quid de fide mutua inter coniuges, quid de perpetuo conuictu, quæ bona ſunt matrimonij tria, ſperare conuenit, vbi nõ amor & libertas conſenſus, ſed vis metúſque dominatur; quicumque tandem ille ſit metus?

Quarta. Ex cauſſa iniurioſa, & iniuſta, iuſtus effectus naſci non poteſt: ſicut nec iniuria iuris poteſt eſſe procreatrix: ſed metus iniuſtus matrimonio obiectus, etiã leuis, facit interdum, vt quis eligat connubium, quod metu ſublato numquam eligeret: illud igitur nec iuſtum, nec verum poteſt eſſe connubium. 4.

Quinta iniuſtitia, quę admiſcetur contractui, onus imponit neceſſarium reſtituendi, idque iure diuino & naturali: ergo metus quilibet iniuſtè maculans contractum reſtituendi, legem parit neceſſariam, & pro iniuria ſatisfaciendi. Sed reſtitutio, vt definiunt Theologi, eſt alienæ rei redditio: ergo Lucretiæ, cui eſt facta iniuria, reddi debet, quod ei ablatum eſt: ablata eſt libertas conſenſus: ergo hęc ipſa libertas reſtitui ei debet: ſed non reſtituitur, ſi firmum & ratum ſit metu leui initum matrimonium: hoc ergo nullum & irritum eſſe oportet.

Sexta ratio. Id, quod facit Sacramentum eſſe falſum, facit illud ipſum nullum: ſed metus non ſolùm magnus, verumetiam paruus, facit vt coniugium habeat vim falſam ſignificandi matrimonium ſpirituale inter Chriſtum & Eccleſiam quod & voluntarium eſt, & mira caritate firmatum: ergo coniugium, de quo quærimus, nec verum coniugium, nec verum poteſt eſſe Sacramentum.

Septima. Ab omnibus, inquit Couarruuias, in 4. Decretalium, p.2.c.3. §.6. n.4. receptum eſt, vt metus, qui ſufficit ad reſcindendos reliquos contractus, matrimonium efficiat nullum: hoc item ait Nauarr. l. 3. conſiliorum tit. de ſponſal. conſilio 36. num.10. Sed iure conſcientiæ non ſolùm timor cadẽs in virum fortem, ſed etiam minor reſcindit, nullóſque reddit contractus: ergo nullum reddet matrimo 5.

trimo

trimonium : minorem probat Nauarrus non ſolùm auctoritate ſua in ſumma c.22. num. 51. & cap.17. num.29. verumetiam auctoritate Oſtienſis, & Ioannis Andreæ in cap.verum,de iureiurando, & Adriani in qq.de reſtitutione,quæſt. quæ incipit, verſu,ex quibus omnibus:& Soti in lib.4. q.7.quibus ipſe addo Angelum in verbo metus.§.15.Syluestrum eod.tit.§.9.& Couarruuiam in regulam peccatum.par.2.§. 3.num.7.à quo alij citantur.Quòd ſi leuis metus iure conſcientiæ non transfert dominium in eum,qui nobiſcum contrahit, multò minùs in contractu matrimonij transferet: qui contractus eſt ſummæ libertatis.

Quare, quod dixit Almainus, de hoc conuenire inter omnes, leui metu effici matrimonium,interpretandum eſt in foro Eccleſiæ, non item in foro conſcientiæ, & Dei.

QVÆSTIO CXII.

1. DE duobus matrimoniis, vix opinabilibus, à nonnullis opinio mea pertentata eſt.

Prioris connubij ratio fuit huiuſmodi. Nobilis fœmina à filio rata ancillæ ſuæ cubile noctu iniri, clam in eo ſe cubili collocat,ancilla pulſa. Filius de matre nihil ſuſpicans,ad famulæ lectum ſtata hora accedit; matrem pro ſerua cōprimit: grauida mater compreſſu illo efficitur:interea filius domo in longinquas terras diuertit:illícque negotiandi cauſſa plus decem annos cōmoratur. Dum abeſt filius, filiam parit mater: eámque domi alit, ac curat ſedulò:domum reuertitur filius : in ea puellulam offendit pulchellam,& iam nubilem: eam adamare incipit: è matre ſciſcitari, quænam ea, & vnde ſit: mater, miſerrima conditione infantem, ac pietatis ergò illius ſe curam ſuſcepiſſe.

Filius,cùm puellæ amore quotidie magis inflammaretur, matri denunciat velle ſibi virginem in matrimonium collocari. Pernegat mater:quòd nuptiarum cōiunctio totam familiam dedecoraret; cùm virgo,nullis opibus,nulla nobilitate eſſet. Quæ omnia cùm fruſtra filio obtruderentur,ducit illam vxorem,Eccleſiæ cærimoniis ritè ſeruatis;nubítque filia,ac germana ſoror ſuo germano fratri, veróque ac naturali patri. Multos annos ſuſceptis liberis amiciſſimè & coniunctiſſimè viuunt.

Mater inceſti coniugij conſcia, cùm diutius conſcientiæ aculeum ferre non poſſet, ſuo prodendo crimine matrimonij accuſationem meditatur. Neque enim ſine ſuæ æternæ ſalutis exitio nuptias illas diſſimulari poſſe credebat. Poſſetne de conſanguinitate inter virum & vxorem ſilere mater, nulláque aduerſus matrimonium in Eccleſię facie contractum inſtrui deberet accuſatio, per litteras ad me Venetias miſſas,ſum rogatus ſententiam.

Reſpondi, nihil contra matrimonium 2. iſtud moliendum eſſe. Primùm,quia illud nec coniugibus,nec proli quidquam noceret; non coniugibus, quoniā fide optima copulati erant, iuſtáque facti ignorantia laborabant,nō proli;quia ob eamdem fidem legitima ab Eccleſia cenſetur. Deinde:quia cuncti matris conatus futuri eſſent inanes ad matrimonij firmitatem labefactandam. Cùm enim Eccleſia ſine certis probationibus, publica, & ſolemni ritu inita, connubia non diſſoluat, iſtud non diremptura;cui ab accuſatrice matre nihil poſſet apponi:præterquam quòd ipſa de ſuo ſcelere confeſſa,tamquam imprudētiſſima,& ignominiæ ſordibus contaminatiſſima,ab iudice Eccleſiaſtico exploderetur. Pòſt admonebam,impudentia matris, coniugum bona fide violata, nonniſi maxima incommoda exſpectanda fore. Ad extremum, rem perſimilem, ac prope eamdem,quæ me puero iactabatur, commemoraui, Pontifice Paulo III. de pari matrimonio illius iuſſu inter graues Theologos diſceptatum eſſe; nec ſecus eos quàm nos iudicauiſſe. Sententiam noſtram viri hoc doctrinæ genere

pereruditi ſubſcripſerunt.

Verumenim mulieris inani religione, & precibus parochus perterrefactus, factum ad iudicem Eccleſiaſticum hortante muliere detulit; qui cùm ea conuellere adortus eſt, quæ non iure vllo mouere fas erat, permiſcuit omnia; inimicitias & inteſtina odia inter coniuges excitauit; ac reliqua mala, quæ nos augurati eramus, ſunt omnia conſecuta.

3. De ſecundo nunc matrimonio, quod nihil minùs quàm primum, turpitudinis habet, videamus.

Nefarius ſacerdos cum duabus mulieribus ſacrilegam conſuetudinem habet; ex vna, filium; ex altera, gignit filiam. Filius & filia iam adoleſcentes, omníſque conſanguinitatis ignari inter ſeſe amare incipiunt, atque de nuptiarum fœdere agere. Conſanguinitas eorum patri dumtaxat nota; qui pater tunc eorumdem parochus erat. Parochus ex decreto Concilij Tridentini palam edicit in templo, parari nuptias inter Luccetiam & Franciſcũ: ſi cuipiam de parœcia exploratũ aliquod eſſet impedimentum, denunciaret omnino. At impedimentum norat, vt dictum eſt, ſolus parochus, verus futurorum coniugum pater.

Quæſitum eſt, num impedimento ſacrilegæ propinquitatis tacito is poſſet matrimonio iungere ſuum filium ac filiam. Mihi eſt ſcelus poſt factum narratum.

Eſt viſum nonnullis Theologis taceri potuiſſe, & matrimonium impediri non debere. In quo turpiſſimè ſunt illi lapſi Theologi. Poterat enim ac debebat parochus adire Epiſcopum; & apud eum teſtari ſibi certum eſſe impedimentũ, quod illi obſtabat matrimonio, quamuis probare non poſſet. Epiſcopus verò eius teſtimonium iuratũ repellere non potuiſſet. Quia licèt vnico teſti fides ferè minimè habeatur; nihilominus multa incidũt tempora, cùm ei creditur: præſertim cùm agitur de peccato, vel matrimonio haud legitimo impediendo, vt cautè Doctores admonent. Vide Syluestrum in verbo Teſtis, quæſt.5. vbi inquit, *Teſtis vnus impedit matrimonium contrahendum:* & Angelus verb. eod. num.24. Tabi. eod. tit. q.7. ſeu num.8. Adde D. Antoninum in 3. par. tit. 9. cap.11. ante §.1.

QVÆSTIO CXIII.

N. Deperit Franciſcam, petitque ab eius matre, vt eam ſibi in matrimonium collocet: negat ſe mater id facturã: ideò, quòd alteram natu grandiorem filiam habet, quam dicit priorem nupturã: hanc ſi velit, in matrimonium ducere, per illam poſſe. 1.

N. adductis ſacerdote ac teſtibus, cum maiore natu puella ad hunc modũ connubium init: Accipio te in vxorem, dummodo ea res mihi honori ſit, (metuebatur enim, ne puella ab quopiam alio compreſſa eſſet) & dummodo, inquit, fratres mei matrimonio aſſentiãtur. Poſt initum contractum tres noctes concumbunt N. & puella: hanc cùm crederet ab alio corruptam antea, ab ſe conatur auellere, eíque nuntium remittere, tamquam nec ſuæ, nec legitimæ vxori. Quæritur vtrùm N. liceat à iure connubij abire. Huius quæſtionis explicationi nonnullæ hypotheſes, quæ à doctoribus admittũtur, præmuniendæ ſunt.

Prima hypotheſis. Tam matrimonio quàm cuiuis contractui quattuor hæc addi poſſunt, demonſtratio, modus, cauſſa, conditio. Demonſtrationis nota eſt relatiuum qui, quæ, quod, & nomen indicans qualitatem: vt tecum contraho, quæ honeſta es, vel duco te virginem: nam virgo qualitatem indicat perſonæ. Signum modi eſt aduerbium, vt, duco iſtam puellam, vt dignitatis aliqua fiat meæ familiæ acceſſio. Cauſſæ index eſt, quia: volo te meã eſſe vxorem, quia diues, quia prudens. Conditionis notæ ſunt, ſi, cùm, niſi: accipio te vxorem, ſi pater meus fuerit connubio aſſenſus: cum mihi dos numerata fuerit: niſi intra tres menſes inimicitiæ ali- 2.

quæ

quæ inter meos & tuos domeſticos ortæ fuerint. Tria illa priora ſiue falſa, ſiue vera fuerint, matrimonium, & quemlibet aliũ contractum non ſuſpendunt, niſi fortè in naturam migrent alicuius ſuſpendentis conditionis.

Secunda hypotheſis. Conditiones nõnullæ ſunt præteritæ, vt, tecum contraho, ſi vir tuus eſt mortuus: quædam præſentes; vt, ſi es virgo, ſi es bonę exiſtimationis: atque hæ non faciunt pendere matrimonium: nam ſi illæ extant, valent; ſi non extant, eſt nullum tunc cùm contrahitur: aliæ ſunt futuræ, atque hæ ſunt tripartitò diuiſæ: namque alię neceſſariæ ſunt, id eſt, neceſſariam & naturalem cohibent cauſſarum efficientiam; vt, tecum contraho, ſi ſol cras oriatur; aliæ impoſſibiles; vt, ſi cœlum digito tetigeris; aliæ poſſibiles ſeu contingentes: atque harum nonnullę turpitudinem continent; nonnullæ honeſtatem; &, ſi turpes ſunt, aut tribus bonis matrimonij, id eſt, inſeparabilitati, fidei, proli opponuntur, aut his bonis non aduerſantur.

3. Neceſſariæ habentur pro non adiectis, nec impediunt matrimonium: nam in ſuis cauſſis neceſſariis habentur tamquam præſentes, vt ſentit D. Thom. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. quem ſequuntur reliqui omnes Theologi, & Panormit. in c. penult. de condit. app. citatque Oſtienſem: quamuis Gloſſa ſecus dicat errore lapſa philoſophię; atque adeo recedit à certis ſollemnibuſque legibus. in l. ſi pupillus de nouationibus, eſt his verbis: Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, purè videtur ſtipulari. & inſtit. de verb. oblig. §. conditiones.

Quæ per rerum naturam certa ſunt, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta ſint: conditiones verò impoſſibiles habentur etiam pro non appoſitis, ex cap. extremo de condit. appoſ. Turpes, ſi ſunt contra tria bona matrimonij, efficiunt nullum matrimonium, vt, tecũ contraho, ſi venena ſterilitatis, ſeu abortus, procuraueris: eſt enim cõtra prolem; vel, ſi tuo corpore quæſtum feceris: eſt enim contra fidem: vel, donec te ditiorem nobiliorémve inuenero; quod eſt contra inſeparabilitatem: reliquæ turpes reiiciuntur, tamquam nullæ: honeſtæ autem, & contingentes matrimonij ſuſpendũt obligationem.

Verùm in hanc ſecundam hypotheſim incidunt duo argumenta Durandi; quibus is inceſſit has leges Eccleſiæ à matrimonio tamquam ſuperuacaneas, & nullas remouentis conditiones turpes & impoſſibiles. Sic enim argumentatur in 3. lib. ſententiarum, diſt. 39. q. 4. in qua quærit: vtrùm promiſſorium iuramentum factum ſub conditione inhoneſta, ſit obligatorium: ſine cõſenſu nullum eſt matrimonium, vt iura volunt; ſed qui contrahit conditione turpi, non conſentit, niſi extante conditione: quare, &c. Item conditio impoſſibilis adiecta ſecundùm modum, inquit, communem loquendi conſueuit magis exprimere diſſenſum, quàm conſenſum, ſicut volens negare alicui, quod petit, Dabo tibi, inquit, quod petis, ſi cœlum digito tetigeris. Et ideo ſubiungit Durandus, Peritioribus ſolutionem harum dubitationum dimitto.

Ego tamen, qui doctrina cum Durando nullo modo ſum comparandus, conabor vtrique rationi ſatisfacere, duobus iactis fundamentis. 4.

Primum eſt. Non minorem, imò multò maiorem auctoritatem in condendis legibus toti Eccleſiæ penes Romanum Pontificem, quàm penes quemlibet aliũ ſæculi Principem reſidere: Tum quia is poteſtatem ab vno Deo immediatè ſibi datam habet, reliqui autem Principes, à multitudine, à qua deliguntur; tum quia is in legibus ad bonos mores & fidẽ pertinentibus errare non poteſt: cùm cæteri Principes & Legiſlatores falli poſſint; & ſæpe in ſuarum legum conditione fallantur.

Igitur ſi licuit imperatoribus leges ſcribere, quibus conditiones turpes & impoſſibiles in legata & teſtamenta inſertas

remit

remittunt,nec pro adiectis haberi volunt inſtit.de legat.§.poſtremo.ff.de conditionibus inſtitutionum.l.1. l. conditiones 1. & 2.& lege filius:cur non potuit æquiſſima lege id ipſum facere Romanus Pontifex in lege Chriſtiani matrimonij?

Secundum fundamentum,omnes qui parent Principibus, eorum etiam ſanctis legibus,quibus commune bonum continetur, parere neceſſe eſt. &, cùm contrahunt, ex eorum legibus contrahere eos oportet,& hoc velle credendũ eſt. Quare, qui matrimonium in Chriſti Eccleſia quærunt,eos quærere ex Eccleſiæ legibus credi debet:quare cùm Eccleſia in matrimonio aliquas improbat conditiones, illos quoque eas reſpuere putandum eſt. Quare,& ſi voluntate ſimplici, naturali, & antecedente velit contrahere, ſecus quàm lege præſcribitur Eccleſiæ, tamen voluntate conſequente,hoc eſt,voluntate deliberata,voluntate abſoluta,quæ eſt voluntas legis, præcepti & obedientiæ, vult contrahere ſic prorſus, vt Eccleſia decernit.

5\. Hæc mihi ſolutio videtur optima. Sed ex tertia hypotheſi illuſtrior erit ſolutio horum argumentorum. Hypotheſis autem eſt huiuſmodi:ſi, qui ponit conditionem, nullo modo vellet ea non extante aſſentiri matrimonio, quamuis in Eccleſiæ foro cenſeretur cõtractum matrimonium:in foro tamẽ conſcientiæ,eſſet nullum, vt affirmant Theologi. In Eccleſiæ etiam foro,quãdo conſtaret aſſentiri noluiſſe, pronunciaretur contractus nullus, quæcunque tamdem fuiſſet appoſita cõditio ſiue turpis,ſiue impoſſibilis. Adrianus in tract.de conſenſu matrimonij art. » qui incipit,ad diſcernendum 6. in ſol.7. dubij, hanc docet eſſe communem Doctorum ſententiam.

Secunda hypotheſis,vt conditio futura honeſta ſuſpendat matrimonium,quatuor requiruntur.

Primum eſt, vt inſeratur, antequam verba de præſenti pronuncientur:quia, vt inquit Paludanus in 4.diſt.29.q.2.artic.3. concl.2. eodem momento,quo verba cõplentur, à Deo coniungitur & perficitur matrimonium. Hoc puto eſſe verum, quãdo poſt verba præſentis temporis adiecta conditio, aut non efficeret vnam enunciationem, ſeu orationem; aut contractui abſoluto moram iniiceret;vt,ſi diceret, Accipio te in vxorem meam:& poſt aliquanto adiungeret, dummodo procures venenum ſterilitatis: tunc enim non vitiaretur matrimonium. Verùm, ſi non interrupta oratione diceres, Accipio te, dummodo, &c. matrimonium eſſet nullum. Quod ipſi dicimus, certum eſt ex Decretali Gregor.IX. ſi conditiones, de condit.app.vbi conditiones contra bonũ matrimonij, illud euertentes, ponuntur poſt verba, Contraho tecum,& non ante.

Secundum,vt ambo contrahentes annuant conditioni:alterutro enim conditioni reſiſtente non labefactatur matrimonium,vt Theologis placet iuxta atque Canoniſtis. Atque hæc eſſent,inquit Oſt. mulieribus prædicanda, & inculcanda, quem ſequitur Adrianus in tractat. de ſponſalibus dub.9.§.circa hæc, quæ dicta » ſunt. »

Tertium, vt ante conditionis aduentum non nouus oriatur conſenſus.

Quartum, vt nec corporum coniunctio contingat:nam vtroque modo receditur à conditione : copulatione enim corporum corruere conditionem quamlibet honeſtam,& purum effici matrimonium in vtroque foro admonet Gabriel in 4.diſt.27.q.2.art.3.dub.3.copulatio autem eſſe debet cum affectu matrimoniali.

Quinta hypotheſis.Matrimonium ſubiectum conditioni honeſtæ futuri temporis,non eſt matrimonium, ſed ſpõſio matrimonij:nihilque intereſt, ſi dicas: Contraham tecum,ſi pater meus conſenſerit: & ſi dicas,Contraho tecum,ſi pater conſenſerit. 6.

Eſt plana hæc D.Thomæ ſententia in 4.d.29.q.1.art.3. quæſtiuncula 3.quem reliqui omnes Theologi ſequuntur vno excepto Paludano; qui à Theologis ad iuriſperitos·

riſperitos defecit in 4.diſt.29.art.5.conc.8. Quemadmodum à Canoniſtis ad Theologos defecit Couarruuias, vt teſtis eſt Nauarrus in 2.volumine ſuorum conſiliorum lib. 4. de conditionibus appoſ. conſil.1. qui Nauarrus de hac quæſtione in eo conſilio accuratè diſputauit, Couarruuiam videto in Epit.4. Decretal.par.2. cap.3. Tuentur D.Thom. ſententiam D. Bonauent.in 4.diſt.28.art.1.q.3.Richar. in eamd.diſt.art.2.q.2. Duran. in eamd.q.2. Maior,diſt.27. q.4. Adrianus in tract. de conſenſu matrimonij,q.2.art.qui incipit, " ad diſcernendum 6.Gabriel in 4.diſt.28. q.2.art.3.dub.1. Sotus in 4.d.29.q.2.art.1. Nititur hypotheſis hæc ſummorum Pontificum ſanctionibus, & neceſſariis rationibus.Extat Vrbani III. Decretalis ſuper eo, de condit.app. in qua ait apertè conſenſum interpoſita conditione, ſi pater conſenſum præſtiterit, nō eſſe de pręſenti habendum; quamuis de præſenti exprimatur. Quid clariùs pro Theologorum ſententia à Romano Pontifice poterat afferri?

7. Quare veteres recentéſque Theologi hac reſponſione Pontificia tamquam tutiſſimo clypeo ſe protegunt; puderéque deberet Canoniſtas in re tam perſpicua eos hallucinari. extat etiam Decretalis Innocentij III. Per tuas litteras.cod. tit. vbi conſenſum expreſſum de præſenti interiecta conditione, Si pater & patruus viri ſponſalibus conſentirent, dicit eſſe ſponſalia;& ſemper vocat ſponſalia, numquam autem matrimonium.Neque huic Decretali Gloſſa eſt auſa fucum facere. illa enim idem affirmat.

Pugnemus argumētis.Primùm:Tria sūt D.Bonauenturę.Primū maiorē ſubit obligationem,qui ſimpliciter de futuro promittit,vt, ducam te, quàm qui ſub conditione ſe in præſenti obligat:ſed prior modus obligationis parit ſponſalia. Ergo poſterior non poteſt gignere matrimonium, in quo eſt multò arctior obligatio, quàm in ſponſalibus.

Secundum,ſi cum conditione conſenſus efficeret matrimonium: ergo ea, quæ facta eſt vxor propter matrimonium conditionatum,conditione non adueniente, deſineret eſſe vxor:At vxor eſt indiuidua comes viri. Tertium matrimonium non tantùm eſt obligatio,ſed ipſius vinculi indiſſolubilis vnio, & perſonarum coniunctio,inquit D.Bonauent. ſed coniunctio non eſt niſi per præſens, ſicut obligatio per futurum: quia qui ſe obligat, ad aliquid præſtandum ſe obligat; qui autem coit ſocietatem cum alio, præſentibus & abſolutis conſenſibus illam coit: quod certè eſt peringenioſum argumentum.

Quartum.Qui ſic contrahit,Te in meā accipio vxorem, ſi pater fuerit aſſenſus; 8.
adueniente conditione cogitur contrahere,ex Decretali ſuper eo,& ex communi ſenſu Doctorum: ergo antè non contraxerat; neque enim iteratur matrimonium.

Quintum. Conuenit Theologis cum Canoniſtis, qui cōtrahit de præſenti conditionis honeſtæ futuræ appoſitione, ſi abſolutè deinde per verba de præſenti cum quadam alia contrahat, eius valere matrimonium,& ſecuta conditione non infirmari ſecundum contractum abſolutum. Ergo certo eſt argumento priorem contractum non fuiſſe matrimonium,ſed ſponſalia tantùm.Atque hæc eſt demonſtratio.

Sextum. Nullum ſacramentum recipit conditionem ſuſpenſiuam:matrimonium apud Chriſtianos eſt ſacramentum: ergo ſuſpendente conditione fieri non poteſt. Et hæc eſt demonſtratio ſeptima. Fieret, vt priuato hominis cōſenſu dirimi poſſet matrimonium,cùm tamen eius dirimendi duo tantùm ſint modi ex communi Theologorum conſenſu; vnus per interitum naturalem; alter per profeſſionem, ſeu votum ſollemne religionis,cùm illud non eſt conſummatum.Quòd autem auctoritate priuata cuiuſlibet Cerdonis, & mulierculæ non approbantis conditionē appoſitam, matrimoniū diſſoluatur, quis æquo animo ferre queat?

9\. Sexta hypotheſis. Matrimonio conditionato,de quo loquimur,ſi adueniat cõditio, non fit verum matrimonium, niſi nouus conſenſus à contrahentibus adhibeatur. Sotus in 4.d.29.q.2.artic.1.conc.3. ait, hanc eſſe omnium Theologorũ ſententiam. Veritas huius hypotheſis neceſſarium habet nexũ cum veritate quintæ. Nam ſi matrimonium contractum conditionato conſenſu non habet niſi nomẽ matrimonij,ſed naturam verorum ſponſalium induit: ſequitur,vt ante conditionis euentum ſint ſponſalia conditionalia, poſt aduentum autem,abſoluta:à ſponſalibus autem ad matrimonium non tranſitur,niſi per nouum conſenſum matrimonialem, & abſolutum per verba de præſenti. Nihil verius. Admonet etiam Adrianus in eo artic. de conſenſu matrimonij, qui incipit, ad diſcernendum 6. col.5. in fine,ex eiuſmodi contractu per verba ſecundùm vocem de præſenti,ſed cum conditione futura,non oriri impedimentum vllum iuſtitiæ publicæ honeſtatis: quia ſponſalia conditionata illud non pariunt: ex cap.vnico de ſponſ.in 6.

Septima hypotheſis. Sponſalia ſiue abſoluta,ſiue conditionalia,poſt Concilium Trident. non migrant in matrimonium per copulam ſubſequentem, vt rectè inquit Nauarrus in ſumma cap.22. num.26. & cap.25.num.144. quamuis ante Concilium ſecus eſſet dicendum. Verùm, quia Paludanus,& Canoniſtæ quintæ & ſextæ hypotheſi valde infeſti ſunt, quid eorum argumenta valeant, videamus.

Sic enim illi, ſi reliquis omnibus contractibus apponi poſſunt cõditiones, cur non item matrimonio? &, ſi reliqui contractus euadunt puri extante conditione, cur non item matrimonium?

Quænam ratio aut diſcriminis,aut exceptionis excogitari poteſt? Reſponſio multiplex.

Prima, quia matrimonium Chriſtianũ ſacramentum eſt; quare in illud conditio ſuſpendens cadere nequit.

Secunda, quia matrimonium, vt definit Magiſter in 4.diſt.27.eſt viri mulieriſque maritalis coniunctio, inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ cõſuetudinem retinens. Si coniunctio:ergo adeſſe debẽt ea quæ coniunguntur,id eſt, perſonæ, & id quo colligantur, id eſt, conſenſus de præſenti perfectus,& abſolutus:ſi indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens:ergo non poteſt diuidi propter conditionem non ſecutam.

Tertia, quia in reliquis contractibus fictione iuris conſenſus contrahentium perſeuerare creditur, cùm in alium obligationem transferre non poſſint, nec alteri dare,quod vni eſt permiſſum: ſi ſecus fiat,reſcinditur.

Secunda obligatio: at in matrimonio conditionato licet alteri nubere,vel aliã ducere,non quòd nõ peccet,qui primam decipit, ſed quia matrimonium abſoluto conſenſu cum ſecunda initum valet: nec iura ad primam cogunt redire.

Paludani propria ratio eſt hæc in 4.d. 29.q.2.art.5.concl.8. Cùm dicit D.Thom. matrimonium contractum ſub conditione de futuro poſſibili,& honeſta,comparari ſponſalibus, aut intelligit pro nunc, aut pro tunc;non pro nunc,cùm apponitur conditio,quia nec matrimonium,nec ſponſalia eſſent cùm non extet conditio. Addamus ipſi robur huic priori parti argumenti;donec enim extet conditio,conditionalis conſenſus nullus eſt, vt inquit Oſtienſis ſuper cap. ſuper eo, de condit. appoſ. citàtque legem, cedere diem.ff.de verb.ſignificat. non pro tunc, id eſt, cùm aduenerit conditio. nam illa extante fit verum & purum matrimonium. Ratio indigna tanto Theologo,vt meritò dixerit Adria. in illa q.2.de conſ. matrimonij artic. Ad diſcernendum 6. Salua reuerentia tanti Doctoris,temerè ſatis Doctorem ſanctum correxit, & deſertis Theologis ad iuriſtas confugit. 11.

Breuis igitur ſolutio eſt hęc:& pro nũc, & pro tunc ſunt ſponſalia:pro nunc,conditionalia; pro tunc,abſoluta. Sponſalia autem conditionalia eſſe,& dici,fatentur in ſuis

in ſuis Decretalibus Romani Pontificis Vrbanus III. Innocentius III. qui,quod dicit D.Thom.ipſi quoque decernunt:& Bonifac. VIII. conſtitutionem edidit de ſponſalibus,quæ conditionem habent,& quæ pariter ſunt abſoluta: matrimonium verò eſſe,aut dici cum conditione futura nec Canones docent, nec Theologi credunt, nec rationes permittunt.

12. Poſſet etiam hoc argumentum adferri pro Canoniſtis. In ſponſalibus non fit vlla traditio rei promiſſæ cum iure poſſidendi; ſicut fit in matrimonio conditionato,& in omnibus contractibus fieri poteſt,in quibus transfertur dominium.poſſum enim tradere tibi equum meum hoc pacto,vt ſit tuus,ſi pater meus dixerit,ſibi placere: interim tu retines equum.

Reſpondeo, in aliis contractibus ius poſſidendi ſeparari poſſe à iure proprietatis,& dominij:in matrimonio nō poſſe, quia conſiſtit in mutua & perfecta traditione corporum.

Quid igitur de propoſita quæſtione ſentiendum? Paucis id propoſitionibus docebo.Prima propoſitio. Si mulier conditionibus à viro interpoſitis non eſt aſſenſa,imo verò,quia ſilens diſſentire potiùs viſa eſt, (nam in hoc genere cauſſæ taciturnitatem pro diſſenſu Doctores interpretantur)conditiones inutiles fuerūt, ac ſi non eſſent adiectæ:fuitque verum & purum matrimonium ante omnem corporum commiſtionem in foro Eccleſiæ: in foro DEI ſecus dicendum.

Secunda propoſitio, ſi mulier neutri conditioni contradixit, quod non eſt credibile, prior illa, dummodo ea res mihi honori ſit,id eſt,ne hanc,quam duco, corruptam inueniam, potuit eſſe honeſta; potuit etiam eſſe turpis;honeſta, ſi tactu honeſto,puta,matronarum,virginitatem puellarem pertentare volebat; flagitioſa, ſi ipſe tactu impudico, & nefario concubitu id cognoſcere auebat. Diſtinctio hęc eſt Gabrielis,de huius ipſius conditionis natura diſputantis in 4.ſent.diſt. 28.q.2.art.3.dub.3. quam ante eum tradidit Angelus in verbo matrimonium 3.§. 7. & ſequitur Syluest. in verb. matrimonium tit.3. num.8. & tribuunt Cardinali explicanti cap.per tuas, de condit.appoſ.

Et quamuis nonnulli crediderint,hanc 13. conditionem; volo te vxorem meam eſſe,ſi inueniaris virgo,eſſe turpem; nihilominus communis Doctorum ſententia credit eſſe honeſtam:præſertim ſi contrahens idcirco ad hanc conditionem deſcendit,vt vitet bigamiam:hoc enim nomine eſſe honeſtam tradunt Oſtien. in c. extremum,de condit.appoſ.Butr.in c.per tuas,eod.tit. & alij multi. Palud.in 4.diſt. 29.q.2.art.5.concl.4. Adrianus in tract.de conſenſu matrim. artic.qui incipit,ad diſcernendum,6.dub.6. & principes ſummarum ſcriptores habent pro honeſta.

Quamquam hoc argumento doceri poſſet,& eſſe vanam,& turpem,ſeu bonis moribus contrariam.

Futilis eſt & vana;quia,qui eam adiicit, putat dari certa ſigna virginitatis in mulieribus,cùm ea non dari ſuperioribus annis in frequenti cœtu medicorum & philoſophorum Academiæ Patauinæ perſubtili inter eos Doctores habita diſputatione conſtitutum ſit.

Dices,ex cap.22.Deuter.colligi virginitatis ſigna reperiri in muliere.

Reſpondeo,locum Deut. in cuiuſdam alterius quæſt. diſputatione fore à nobis perpendendum.Præterquam quòd ſi quę veſtigia muliebri inſtrumento inſint virginitatis,interire ſolent, non ſolùm cùm à viris cognoſcuntur: verùm etiam cùm vel ſuis, vel alienis manibus ſe ipſæ conſtuprant,cùm etiam vteri morbis medentur:quo tempore & vaſorum ſpatia laxari, & membranam, ſi qua eſt, abrumpi artis medicæ inſtrumentis neceſſe eſt.

Quod verò Matthiolus lib.1.ſuorum commentariorū,in Dioſcoridem, cap.93. ſcribit teſtari Pruthenos,ad eorum littora maris fluctibus ſuccini genus quoddam deferri,cryſtalli imaginem exprimens: in quo ſuccino mirificam hāc vim ineſſe affirmāt;vt eius potione, fœmina corrupta,

& virgo internoſcatur: nam ſi cum vino detur, efficere, vt corrupta vrinam protinus reddere cogatur; id quod virgini euenire negant; hoc inquam ego, plus reor vanitatis habere quàm veritatis. Cuius vanitatis ea cauſſa phyſica excogitari poſſet: Quòd mulieres quarum integritas ea ratione exploratur, fama vulgi deceptę, metu perculſæ, ſuccinum ſumunt, quando amiſſæ virginitatis ac labis ſibi ſunt conſciæ: metu verò vrinam cieri ac fundi, auctor eſt Ariſt. in 4. lib. de partibus animal. cap. 8.

Turpis, quia puellæ, ſi fortè aut corrupta eſſet, aut nulla ſua culpa ſigna pudicitiæ virginalis amiſiſſet, dedecoris & infamiæ ſordes aſpergerentur, totiúſque familiæ nomen & ſplendor fœdaretur: id quod ſeminarium in ciuitatibus eſſe poſſet maximarum diſcordiarum, odiorum, & inimicitiarum ſempiternarum. Sed tamen à communi ſententia recedendum non eſt, cùm puellæ virginitas ſine crimine & ſine eius infamia poteſt explorari.

14. Tertia propoſitio, ſi hæc oratio, Duco te, modò id mihi honori ſit, recidat in conditionem præſentis temporis; id eſt, ſi tu es virgo; matrimonium non ſuſpenditur, ſed illud fit, ſi extet conditio: non fit, ſi non adſit: & fortaſſe, qui ſic loquutus eſt cum parentibus puellæ, verba ad præſens potiùs quàm ad futurum referebat.

Quarta propoſitio. Altera illa conditio, ſi fratres mei non diſſenſerint, vel, *pur che i mei fratelli ſi contentino*, poſſunt etiam ſpectare tempus præſens, vel futurum; ſi futurum, ſuſpenditur obligatio; ſi pręſens, non ſuſpenditur. Si enim fratres probaſſent factum, ſi ſciuiſſent, vel reſciſcentes futurum, oſtendêrunt contrahenti ſe minimè aduerſaturos, valeret matrimoniũ. Quòd ſi conditio ad hunc modum concepta ſit, niſi fratres mei ſe conſentire dicant, eorum conſenſus ſciſcitandus eſſet, non qui verbis declarabatur, ſed qui mente tantùm cõformabatur tunc cùm contrahebatur. vt Adrianus ait in illa q. de conſenſu matrimonij, §. ad diſcernẽdum. 6. in ſolut. 4. dubij.

Cùm igitur tam multa in hac cauſſa controuerſa viderem, de ea retuli ad illuſtriſſimam Congregationem, à qua enodari ſolent difficultates, quæ è decretis Tridentini Concilij quotidie exiſtunt: illa cùm de re tota bis diſſeruiſſet & iudicaſſet, bis item ad Romanum Pontif. retuliſſet, cenſuit matrimonium illis ambabus conditionibus affectum ob ſequentem copulam verum matrimonium extitiſſe. Ergo idem ipſi cenſeamus: dicamúſque longè diſparem eſſe matrimonij, futuri temporis conditione contracti, & nudorum ſponſalium ratione: nam hæc ob copulam ſequentem in matrimonium purum non migrant poſt Concilium Tridentinum: migrat autem matrimonium.

QVÆSTIO CXIIII.

QVæſtio, quam nunc inſtituimus, eſt ex Indiis allata, mihíque ab earum regionum procuratore Romam miſſo, propoſita. 1.

Duo igitur in ea orbis terræ parte Chriſtiani, ambo Eccleſiæ Catholicæ ritu matrimonium inire cupiebant: cui tamen Epiſcopus propter oppoſitum quoddam impedimentum, ſed non dirimens, obſiſtebat: ſacerdoti etiam parocho interdixerat cõiugio ne intereſſet. Futuri ſponſi rus abeunt: parochum ſeducũt: rem diuinam vt facere velit hortãtur; eidem poſt Chriſti corpus & ſanguinem perceptum denunciant, vt nuſquam diſcedat; velle ſe Eccleſiæ inſtituto matrimonij lege coniungi. Teſtes aderãt: excipiebat parochus Epiſcopi interdicto ſe impediri, quominus illi præſto eſſet connubio. Illi, quia conſtitutum habebant nuptiarum fœdere iungi, præſente parocho, & teſtibus matrimonium contrahunt.

Quæſitum eſt, fueritne matrimonium légitimum ac ratum. Qui pugnaret matrimonium irritum eſſe, ſic argumentari poſſet.

Digitized by Google

poſſet. *Nulli ſua fraus, & improbitas debet eſſe emolumento*: His autem contrahentibus fuiſſet, ſi iuſtum ac ſtabile matrimonium initum eſſet. Præterea, cùm conſenſus legitimus Parochi & Epiſcopi, qui legitimi ſunt Chriſtiani matrimonij Miniſtri, non adfuerit, non videtur ſolo contrahentium conſenſu id quod factum eſt, firmari potuiſſe.

2. Mihi tamen minimè dubitatum fuit matrimonium illud iure conſtitiſſe. Primùm: quia, vbi eſt vera forma & materia Sacramenti, ibi neceſſe eſt verum exiſtere Sacramentum: Verùm in eo matrimonio vera forma & vera materia adhibita eſt, quæ eſt mutua corporum traditio nullo dirimente impedimento vitiata: Vera item, & legitima forma, id eſt, mutua contrahentium conſenſio coram Parocho & teſtibus ſigno exteriore declarata: quare de veritate matrimonij dubitari non debet. Deinde; Quia Epiſcopi interdictum nullum obiicies impedimentum vim habens diſſoluendi matrimonium, non plus matrimonio obeſſe debet, quàm Eccleſiæ interdictum, cùm impedimentum opponit non dirimens: ſed interdictum Eccleſiæ non euertit matrimonium propter impedimentum non dirimens, quamuis interdicto non pareatur: ergo neque Epiſcopi interdictum irritum potuit facere matrimonium illud contrahentium, ſibi non obſequentium, nec Parochum audientium.

3. In contrariis argumētis haud multùm eſt roboris: nam fraus, quæ contractum efficit nullum, ea eſt, quæ conſenſum tollit contrahētium: in matrimonio autem, de quo diſſeritur, nec viri nec mulieris eſt deſiderata conſenſio. Parochi verò, aut Epiſcopi conſenſus non requiritur neceſſariò. fieri enim poteſt, vt Epiſcopus, aut Parochus priuati commodi cauſſa alicui incommodare velint matrimonio; quibus tamen repugnantibus Parocho, reſtibúſque præſentibus iniri poteſt. Vnde ſecundum item argumentum deiectum eſt.

Immò verò illud addiderim: quamuis Parochus, & teſtes, graui metu perterrefacti in eam villam perducti eſſent, non ideo matrimonij contractum vitioſum futurū fuiſſe: quandoquidem Concilium præſentiam dumtaxat harū perſonarum exigit, vt earumdem teſtimonio poſſit eſſe compertum, fueritne legitimum matrimonium celebratum: id quod perſpici poteſt, eorum item teſtimonio, qui matrimoniis adſunt etiam non inuiti, ſalua ſemper veriore ſententia. Poſtquam id de iure viſum eſt reſpondere, incidi in Conſilium quoddam Nauarri, in quo quæſtio ab eo tractatur huius noſtræ non abſimilis. Extat conſilium illud in 2. part. ſuorum conſiliorum lib. 4. conſ. 20.

QVÆSTIO CXV.

C. Mulier, & D. vir quarto conſanguinitatis gradu coniūcti de contrahendis nuptiis deliberant, ſed mulier cognationis conſcia, qua perimebantur nuptiæ, Parochum Sacerdotem conſulit, num cum D. poſſit habere connubium. Poſſe reſpondit Parochus. Ita mulier D. conſanguineo ſuo coniungitur: multos annos in eo matrimonio manent. 1.

Mulier, ſuperſtite marito, adulterij conſuetudinē habet cum quopiam alio, cui ſe ſpondet nupturam, viro conſanguineo mortuo: ex hoc ſecundo, dum primus viuit, filium ſuſcipit, qui primi hereditatem adibit: nam proles eius legitima exiſtimatur. Decedit primus; nubit ſecundo; quicum intemperantiſſimè & ſpurciſſimè viuit.

De toto hoc genere quid ſentiendum ſit, dubitationis & conſultationis fuit. Mihi in ſeptem rebus viſum eſt quæſtionem eſſe.

Prima quæſtio eſt: fueritne matrimonium illud, quod Parochi conſilio, ſeu reſponſo, eſt cum conſanguineo initum. Secunda, ſubierintne vir & mulier cenſuram excommunicationis latam à Cle-

mentina, de cōſanguinitate & affinitate. Tertia. Proles in eo matrimonio ſuſcepta, fueritne legitima. Quarta. Fueritne ſecundum connubium iuſtum ac verum: quandoquidem eum duxit virum, à quo cognita eſt futuri coniugij fide data, dum in vita maneret primus. Quinta. Prolem non legitimam detegeréne vxor debeat; ne cum filiis primi viri ad hæreditatem vocetur. Sexta. Poſsítne vitam agere cum ſecundo inter quos viuitur impuriſſimè. Septima. Quid conſilij in omnibus hiſce difficultatibus Sacerdos capere debeat.

Primæ difficultati ſatisfacere non eſt magni negotij: Certum enim eſt, nuptias illas inter C. & D. nullius fuiſſe momenti. Quandoquidem matrimonia in quarto conſanguinitatis gradu contracta ſine ſedis Apoſtolicæ auctoritate, diſſoluuntur quotidie, quāmuis à principio bona fide contrahentium inita fuerint: & deinde ab iiſdem cognitum iniri non potuiſſe.

Multò plus eſt in ſecunda quæſtione difficultatis: cùm enim ſine malo dolo nemo cenſuris excōmunicationis irretiatur; cùm malus dolus abſuiſſe videatur ab vtroque coniuge, ambo item vitaſſe videntur pœnam excommunicationis. ſiquidem mulier ſui Parochi conſilio eſt vſa: vir autem ignarus creditur fuiſſe cognationis.

3. Sed mihi verba Clementinæ de conſanguinitate & affinitate conſideranti probabilius eſt mulierem excommunicationem minimè effugiſſe: nam in conſtitutione illa cauetur his verbis: Qui diuino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis, conſtitutione Canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religioſos & moniales, ac clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere: Verùm mulier hæc ſcienter contraxit in gradu conſanguinitatis, Eccleſiaſtica lege interdicto: ergo in excommunicationem incidit.

Dices, conſtitutionem animaduertere in eos, qui poſtpoſito diuino timore in periculum ſuarum animarum, ac temere id audent facere; quæ cadere minimè videntur in iſtam mulierem, quæ ad ſuum Parochum conſilij cauſſa adiit.

Reſponderi poteſt, ſupinam & craſſam ignorantiam iuris, quod etiam cerdonibus & ruſticis notum eſt, propter imperitiam Parochi non deſiiſſe fraudi fuiſſe mulieri: præſertim cùm ea primaria eſſet, & peritiores in ciuitate conſulere debuiſſet. Sanè Decretalis, cùm inhibitio. §. Si quis huiuſmodi, de clandeſtina deſponſatione, eos, qui ad huius generis connubia damnata accedunt, ceu ignorantiam affectantes, condemnat his verbis: Cùm illi taliter contrahēdo nō expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur: & quoniam ignorantia ſupina & craſſa cum dolo æquatur à Doctoribus, quos ipſi in aliis noſtris diſputationibus & reſponſis nominauimus, & ſecuti ſumus; idcirco oppidò veriſimile eſt mulierem, excommunicationem Clementinæ incurriſſe; quamuis pœnam ipſam excommunicationis ignorare potuerit.

Sed ſiue ad ciuilem, ſiue ad Eccleſiaſticam luendam pœnam non requiri ſcientiam pœnæ, ſed iuſtę legis eam infligentis, à nobis alibi multorum auctoritate & rationibus probatum eſt. 4.

Venio ad tertiam quæſtionē; fueritne ex primo matrimonio ſuſcepta proles legitima.

Reſpōdeo, ſi cognationis impedimentum etiam viro cognitum fuit, propter malam vtriuſque contrahētis fidem, prolem non fuiſſe legitimam: quòd ſi impedimentum illi ignoratum fuit, ob eius bonam fidem, fuiſſe legitimam, ex Decretali, cùm inhibitio, de clandeſtina deſponſatione, & cap. ex tenore, qui filij ſint legitimi.

Verùm,

Verùm, nec bona fides, poſtquam detectum eſt impedimentum dirimẽs, ſubueniret matrimonio, niſi illud in facie Eccleſiæ contractum eſſet, populóque antea denuntiatum, ex illa Decretali, cùm inhibitio. In quam Decretalem docet Gloſſa quot modis clandeſtinum dicatur matri-
„ monium. Dicitur, inquir, clandeſtinum,
„ quod fit contra tenorem huius conſtitu-
„ tionis, videlicet non præmiſſa denuntia-
„ tione; tenet tamen quoad Eccleſiam, ſed
„ filij nati inde detecto impedimento, ille-
„ gitimi erunt. Quam ſententiam probaſſe videtur Nauarrus, in ſumma, cap. 22. num.
„ 70. cùm ſcripſit his verbis: Tertiò aduer-
„ tendum, quòd ſi contraheretur coram
„ Parocho & teſtibus, non præmiſſa trina
„ denuntiatione, vel non omiſſa, legitimè
„ valeret quidem matrimonium, ſed dice-
„ retur clandeſtinum quoad alios effectus,
„ quàm annullationis matrimonij: quia
„ quoad alios non videtur derogari iuri an-
„ tiquo: à quo non eſt recedendum vltra
„ quàm recedit nouum, lege præcipimus. C. de appellat.

5. Quarta dubitatio erat. Num cum viro ſecundo, quæ ſecutæ ſunt, iuſtæ fuerint nuptiæ: ſiquidem matrimonio ſecundo adulterium anteceſſit cum futurarũ nuptiarum ſponſione.

Reſpondeo, ſecundum connubiũ eſſe verum matrimonium: nam corporum commiſtio nefaria, quæ nuptias ſecundas præcucurrit, non fuit verum adulterium, quod ſine vero matrimonio nõ conſiſtit; vt rectè Nauarrus, in Summa, cap. 22. nu.
» 46. Sic enim ille. Dixi adulterari: quia, ſi
» non erat verè coniunx, licèt putaretur ta-
» lis, non impedit, c. ſignificauit. de eo qui duxit in matrimonium.

Quintæ difficultatis hæc vera videtur eſſe explicatio: Si nobili feminæ, ex prolis non legitimæ ſignificatione, honoris vel famæ, ſeu etiam vitæ graue aliquod periculum poſſet oriri, vitium prolis retegere non cogitur: ſed damna ſarciet, quæ ad legitimos heredes peruenient; ſi conſortem bonorũ eum habituri ſint, ad quem iure non venit hereditas.

6. De ſexta quæſtione aio, ſi mulier abſque Dei contumelia, ob flagitioſam obſcœnitatem, abſque iniuria matrimonij, ſuæque animæ interitu, cum viro nequit vitam traducere, ab eo diuertere omnino debere; quamuis diuortij cauſſam Eccleſiæ probare non poſſit, vt docet Paludanus, in 4. diſt. 39. quæſt. vn. art. 3. quem ſequitur D. Antoninus, in 3. par. tit. 1. cap. 21. in fine. Sylueſt. in verbo diuortium quæſt. 6. Nauarrus, in Summa, cap. 22. num. 22. Sotus, in 4. diſt. 36. quæſt. vnica, art. 3. §. Circa ſecundam concluſionem. Vide etiam Paludanum, diſt. 35. quæſt. 1. art. 4. conc. 3.

Poſtrema dubitatio erat: Sacerdotis, qui in Pœnitentiæ Sacramento mulierem audit, quæ neceſſaria eſſent munera.

Reſpondeo, primum munus eius eſſe: Iſthæc omnia, quæ à nobis ſunt reſponſa, docere mulierem: eorum enim notitia neceſſaria iis eſt qui ſtatum deligunt matrimonij. Deinde, non eam abſoluere à peccatis, priuſquam à ſuo viro diſceſſerit, eiúſque thorum deſeruerit. Poſtremò, eamdem mulierem digna ſuis ſceleribus pœnitentia mulctare.

QVÆSTIO CXVI.

LVcretiam Pomponius in concubinæ locum ducit: diuturnã cum ea adulterij conſuetudinem habet: vxore mortua, Lucretiæ futurarum nuptiarum ſpem his verbis iniicit. Ducerem te vxorem, ſi tuæ doti amita centum nummos aureos adiiceret: vtitúrque hac ſponſione Pomponius, quòd concubinæ virum ex hominum vita demigraſſe credit. Pellex negat ſe velle nubere, quippe quæ de abſentis viri interitu animi pendebat. Vbi de mariti obitu certum nuncium accepit, Pomponium ſibi exoptat virum. Hanc Pomponius vel indotatam ducet; ſi nihil ſit, quod impediat: nam à flagitioſo conuictu & concubitu diſcedere vehementer cupit. 1.

Quæri

2. Quæritur num inter Pomponium & Lucretiam matrimoniũ conſiſtere queat. Dixi poſſe conſiſtere.

Primùm, quia promiſſio, quæ matrimonium impedit & dirimit, ſiue illam adulterium antecedat, ſiue ſequatur, requirit, vt alterius coniugis ſuperſtitis vterque adulter, mulier inquam, & qui adulterio mulierem polluit, ſcientiam habeat, aut vero probabilẽ opinionem, ex omniũ ſentẽtia. At Pomponius, cùm promiſſum Lucretiæ fecit, eam viro carere certò credebat. Deinde, promiſſum quod vnus efficit, debet coniũgi cum recepto alterius: at pellex adulteri ſui promiſſum non recepit; imò illum liberauit.

Quare in cap. 1. de ſponſa duorũ; quod eſt ex Auguſtino, diſtinguitur duplex fi- » des, vna pactionis, altera conſenſus. Si ali- » quis, verba ſunt Decretalis, alicui mulieri » fidem fecerit pactionis, non debet aliam » ducere: ſi aliam duxerit, pœnitentiam de- » bet agere de fide mentita. Pomponius non poteſt dici fidem Lucretiæ dediſſe pactionis, cui illa non fuerit aſſenſa; nec promittenti ſtipulantíve Pomponio ipſa quidpiam aut repromiſerit, aut reſtipulata fuerit. Quare l. 1. ff. de pactis dicitur. » Pactum à pactione dicitur. Vnde & pacis » nomen appellatum eſt: eſt autem pactio » duorum pluriúmve in idem, placitum & » conſenſus. Inter Pomponium & Lucretiam ante ſui viri mortem non fuit aliquod in matrimonium futurum, placitum & conſenſus.

3. Denique promiſſio, quæ gignit hoc impedimentum dirimẽs inter adulterum & adulteram, eſt, vt tradit Syluester, deſponſatiò de futuro: Deſponſatio autem, ſeu ſponſalium ratio ſine mutua promiſſione, & vera pactione, eſſe non poteſt. Idem ſequi videtur Richardus. Vide hunc in 4. d. 35. art. 3. q. 4. & Syluestrum in ſua Summa, in verbo, Matrimonium, 8. q. 9. Et quia nefarium eſt Deum inuiſum habere, cùm quis eius ſuſcipit Sacramenta: idcirco Pomponio & Lucretiæ, ad me de connubio, quod inire optabant, adeuntibus, tria planè ſuaſi.

Primum eſt, vt donec legitimo matrimonio iuncti fuerint, viuant ædibus tectiſque diſiuncti. Secundum, vt interea flagitiorum omnium, quæ pellicatus perditæque conſuetudinis tempore admiſerunt, diligenter repetita memoria, apud legitimũ Sacerdotem de iis integrè confiteantur. Poſtremò, vt criminum confeſſione & abſolutione, & Euchariſtiæ Sacramento expiati, cum altero altera nubat ex Tridentini Concilij decreto, ſeſſ. 24. c. 1. de reformatione, id eſt, coram duobus tribúſve teſtibus, & Parocho præſente, alióve Sacerdote, ipſius Parochi vel Ordinarij conceſſu. Quæ omnia ſedulò ſe executuros eſſe receperunt.

QVÆSTIO CXVII.

Homo Latinus fidem mulieri Cretenſi adſtrinxit ſuam, illam ſe ducturum in matrimonium. 1.

Quæſiuit vtrùm pacto & promiſſo teneatur.

Reſpondi, non teneri: quoniam, Græcum vel Græcam, in quibus ſit incorrupta religio; & qui Romani Pontificis auctoritatem ſequantur; & qui non ſint Latinorum odio crudeliter imbuti, in eorum præſertim regionibus, vix vſpiam reperias. Hæreticorum autem & Schiſmaticorum optare connubia non licet; cùm omnibus illis ſit Sacramentis Eccleſiæ interdictum. In Canone, Non oportet, 28. q. 1. eſt his verbis: Non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias eis dare.

Dices, Canon cauet de hominibus hæreticis, non de fœminis: verùm hæc exceptio nulla.

Primùm: Quia non ſexus diſcrimen, ſed ſceleris atrocitatem lex punit, in quocunque tandem hominum vel mulierum genere ea inueniatur. Deinde; Quia non magis homo quàm mulier eſt propter hæreſim ab Eccleſiæ corpore auulſa. Deinde,

Deinde, quia non magis mulier hæretica, quàm vir, eſt Sacramentorum particeps. Cum igitur neuter ſine ſacrilegio ſuſcipere poſſint Sacramenta, ad ea inuitare illos, vocare, vel hortari, vel comitari non licet.

Deinde, quis non videat æquè, imò faciliùs prolem infici poſſe falſa religione matris, quàm patris?

Poſtremò. Quis ſibi in iis regionibus, vbi Apoſtolicæ Eccleſiaſticæque diſciplinæ vix vlla extant veſtigia, veræ fidei conſtantiã & virtutis firmitudinem polliceri queat? in quod hominũ genus verſum illum Epimenidis tamquam verum vaticinium protulit Apoſtolus, in epiſt. ad Titum, cap. 1. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί· id eſt, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri?*

2. Cùm igitur promiſſa & conuenta, quæ ſacris contraria ſunt ſanctionibus irrita ſint, etiamſi iuriſiurandi religione ſepta ſint; fit, vt iſte Latinus promiſſum ſuum exſoluere Græcæ mulieri non debeat: deberet autem ſi illa ab ſchiſmatis & hæreſeos crimine abhorreret: nullúmq; æternæ ſalutis exitium viro Latino prolive impenderet.

Illud item hoc loco admonuerim: quamuis matrimonia cum hæreticis ius prohibuerit, tamen, ſi iuncta fuerint, non diſſolui: ius enim prohibet dumtaxat & impedit, non tamen dirimit. Etenim cùm diſpar cultus matrimonia reddat nulla; diſparitatem eiuſmodi Eccleſia nõ in hæretico, ſi baptizatus ſit, ſed in eo dumtaxat, qui Baptiſmo careat, vt Iudæo & Pagano, agnoſcit. adde etiam Catechumenum, qui de cunctis noſtræ fidei articulis nihil ambigat.

QVÆSTIO CXVIII.

1. TRebatius vxorem ducit Septimiam; tres annos eam habet in matrimonio. Toto hoc tempore propter nimiam muliebrium vaſorum anguſtiam, nequiuit eam agnoſcere. Ita ſedis Apoſtolicæ auctoritate fit diuortium: iungitúrque mulier nouo viro & vir nouæ vxori.

Trebatius, aliquot pòſt annis prioris vxoris cupiditate inflammatus, gliſcente libidine ad eam accedit; cum eadem concumbit; coitum abſoluit; naturæ ſpatia laxata reperit.

Quæſitum eſt, num Septimia reddenda ſit Trebatio; an in ſecundi viri ſinu dimittenda. Quæſtioni viſum mihi eſt hiſce propoſitionibus eſſe reſpondendum. Prima propoſitio. Impotentiæ coëundi impedimentum, ſiue à natura ſiue à maleficio ſit, matrimonij vinculum non rumpit, niſi ſit perpetuum. Res certa eſt tum ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus, tum ex Theologorum conſenſu in 4. ſentent. diſt. 34.

Secunda propoſitio. Perpetuum impedimentum decretalis Innocentij III. fraternitatis tuæ, de frigidis & maleficiatis, illud eſſe decernit, quod non poteſt niſi aut miraculo diuinitus, aut cum vitæ diſcrimine remoueri: ſi enim humanitus, iuſtáque ratione tolli poſſet, perpetuum minimè cenſeretur. 2.

Tertia propoſitio. Ad impedimenti perpetuitatem probandam, trium annorum ſpatium ab Eccleſia conceditur; quo tempore ſi impedimentum non ceſſat, diuortij ſententia ab Eccleſiaſtico iudice pronũciatur, ex ſanctione Cœleſtini III. laudabile, de frigidis & maleficiatis. Sed & ipſa Phyſica ratio perſuadet non in omnibus viris & mulieribus, qui connubio copulantur, idem tempus valere poſſe, ſed in iis dumtaxat, inter quos proportio cernitur ætatis & corporum magnitudinis, atque membrorum. Si enim quiſpiã Giganteo corpore, annos quadraginta natus, puellam duodecim ducat annorũ, quid mirum ſi illa neque poſt tres annos ſit tam vaſto corpori habilis? fortaſſe erit, cùm annum aget virgo aut vigeſimum ſecundum, aut vigeſimũ quintum. Quare ſcimus nonnullas fuiſſe mulieres, quæ ſeptimo anno poſt contractum matrimonium

nium à ſuis viris & cognitæ fuerunt & liberos procrearunt.

3. Quarta propoſitio, ab omnibus recepta Theologis. Eccleſia de perpetuitate iudicans impedimenti matrimonij, falli poteſt, & ſæpe fallitur; cùm error in facto, non in iure verſetur. Quare Innocentius in extremo illius Decretalis, fraternitatis. De talibus, inquit, non eſt facile iudicare, cùm finale iudicium pendeat ex futuro.

Quinta propoſitio. Quando in impedimento cognoſcendo animaduertit Eccleſia deceptam ſe eſſe, diremptum matrimonium redintegrat, & ſecundum diſſoluit: quamuis eorum, quorũ intererat, aſſenſu fuerit factum diuortium. Docentur hæc à D. Thoma, in 4. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 2. Vnde, inquit ille, ſi Eccleſia ſe deceptam inueniat, per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, inueniatur carnalem copulam cum eadem vel alia perfeciſſe, redintegrat præcedens matrimoniũ, & dirimit ſecundum: quamuis de eius licentia ſit factum.

Sexta propoſitio. Quando mulier primo viro non apta, congrediens cum ſecundo, qui & temperatione corporis & membrorum ratione eſt primo ſimilis, habilis euadit primo, ex omnium ſententia illi reſtituitur; quam ſententiam verba confirmant Decretalis, fraternitatis.

4. Septima & vltima propoſitio. Si mulier à primo diſtracta coniugio, ex concubitu cum ſecũdo viro, primo qui eſt haud ſimilis, ad priorem habilis & accommodata efficitur, num in eius manum redire debeat, magnæ dubitationis eſt: Negant enim nonnulli in primum matrimonium redire debere, maximè ſi non fuit ſecundus ſimilis primo. Opinio hæc fuit Durandi, in 4. diſt. 34. q. 2. §. Si verò: & Paludani, in eandem diſt. q. 2. art. 2. conc. 2. Syluest. in verbo, Diuortium, q. 19. vult primo reſtitui debere, ſi ſecundus illi ſimilis fuit, aut verò de ſimilitudine dubitatur; citátque Gloſſam & Panormit. in cap. fraternitatis, de frigidis & maleficiatis; qui nolunt primo reddi, cùm illi mulier impotens eſt, & minimè idonea.

Verùm, qui aliter ſunt opinati, hi ſunt Innocentius, Oſtienſis, Ioan. Andr. in illud cap. fraternitatis. In hanc ipſam ſententiam propendet D. Thom. in 4. ſent. d. 34. q. 1. art. 2. Richardus, in eamdem d. art. 2. q. 2. non ſecus exiſtimat quàm Innocentius, nec ſecus Gabriel, in eamdem d. q. 1. art. 2. concl. 1. coroll. 1. in quo ſic ſcribit: Frigiditas reſtricta ad vnam perſonã, tantùm humano modo curabilis, non eſt impedimentum dirimens, ſed arctitudo iſtius mulieris humano modo curata eſt: ergo non erat impedimentum perpetuũ: & propoſitione 3. coroll. 4. ſi mulier arcta contrahens cum ſecundo cognoſcitur ab eo, vel alio quodam, & per hoc aptatur ad commiſtionem, non tamen poteſt à primo carnaliter tractari ſine graui ſui corporis periculo, non debet priori reſtitui, à quo non poteſt niſi cum magno corporis periculo tractari. Verùm Septimia nunc abſque omni periculo à ſuo primo viro tractari poteſt: igitur ad illum remeabit.

Hoc idem iudicium de hac cõtrouerſia Sotus habuit in 4. ſent. d. 34. q. 1. art. 2. diſſidens à Durando, quem citat, & ab aliis nonnullis.

Poſterior hæc ſententia mihi videtur 5.
eſſe verior & decretali, fraternitatis, magis conſentanea. Primò: Quia impedimentum, quod ope humana & opere licito atque conceſſo tolli poteſt, non eſt perpetuum: ſed impedimentum, de quo diſceptatur, ſine vllo miraculo, opere licito atque conceſſo ſublatum eſt, hoc eſt commercio, quod Septimiæ cum ſecundo viro fuit: perpetuum igitur eſſe non potuit.

Accedit eôdem hæc ſecunda ratio ex verbis Decretalis deprompta. Ex poſt facto, inquit Innocentius, patuit, quia cognoſcibilis illi erat, cuius ſimili commiſcetur. Sine dubio verba hæc Decretalis non referri poſſunt ad prima illa tempora, quibus ea mulier de qua in Decretali, virum vtrumque experta erat: tunc enim

erant diſſimillimi cum eadem muliere comparati: quia vnus longo temporis interuallo agnoſcere illam non potuit; alter potuit: ergo ſimilitudo vtriuſque viri cadit in illud tempus, quo clauſtra pudoris reſerata ſunt à ſecundo viro & mulier apta eſt reddita etiam primo. Similitudo igitur non poteſt referri ad prima tempora commercij connubialis, neque ad rationem, comparationémue corporum virilium inter ſe, ſed ad eorumdem corporum comparationem in facultate naturali eiuſdem mulieris cognoſcendæ: vt tam primus quàm ſecundus vir hac re dumtaxat ſimiles à Romano Pontifice dicantur, quia coniugalem actum, ſiue concubitum cum eadem explere poſſunt.

Poſtrema ratio. Ex poſtrema periodo Decretalis ſumitur; in qua Innocentius planè eamdem quæſtionem quæ à nobis diſſeritur, proponit; neque quæſtionem euoluit: verùm eius enodationem elici poſſe ait, ex iis quæ ſuprà in eadem Decretali reſponſa erant: nimirum illa indicans verba, vnde ipſi ſecundum argumentum conformauimus. Quòd ſi Gloſſa ſubtiliùs ſententiam Pontificiam introſpexiſſet, ex quæſtione illa poſtrema ab Innocentio poſita, ſed non expoſita, reſponſionem naturæ contrariam nequaquam collegiſſet.

Sed Oſtienſis documentum mihi perplacet, quo dum de hoc genere conſulebar, vſus ſum: conſultori enim ſuaſi, vt de re tota ſedes Apoſtolica conſuleretur, indéque reſponſum auferretur: id enim in eiuſmodi controuerſijs arduis faciendum eſſe admonet idem Oſtienſis.

QVÆSTIO CXIX.

1. PArochus nonnullus hanc ad me cauſſam detulit. Antonio duo ſunt filij, Franciſcus & Ioannes. Franciſco naſcitur filius Marcus: Ioanni, filia Lucia: alius quidam alienus, qui Cytharus appellatur, vxorem ducit Luciam: Lucia mortua ducit aliam.

Quæritur, num ſecunda hæc vxor Cythari poſt viri ſui mortem in matrimonium collocari poſſit Marco. Breuiter in eo eſt quæſtio: vtrùm Marcus Cythari cognatus habere poſſit vxorem ſecundam ipſius Cythari. Ipſe cùm grauibus eo tempore occupationibus atque negotiis diſtinerer, quo allata eſt quæſtio, diem inſequentem Parocho condixi, quo ad accipiendum reſponſum ei redeundum erat. Verùm poſt multos annos etiam nunc mihi ipſius aduentus eſt in expectatione.

Comparata autem reſponſio hæc erat. Antiquorum Canonum iure iuſtas iſtiuſmodi nuptias non eſſe: quoniam ſecundum affinitatis genus, genus dico, non gradus, attingunt: iure autem veteri conſtitutum erat, vt neque in tertio genere affinitatis legitimæ nuptiæ haberentur, vt liquet ex Decretali contradicimus, & ex Canone, porro, Iulij I. 35. quæſt. 3. ſed ex noua Decretali Innocentij III. in Concilio Lateranenſi, quæ incipit. Non debet, de conſanguinitate & affinitate, hiſce temporibus impedimentum ex genere affinitatum ortum, quieſcit in primo genere, ad ſecundum & tertium non progreditur.

Gloſſa Decretalis Innocentij, Non debet, hac ratione atque his verbis genera affinitatis deſignat. Si vis habere primum genus affinitatis adde per carnis copulam alicui de tua conſanguinitate aliquam perſonam, & illa perſona eſt affinis omnibus conſanguineis viri ſui in primo genere affinitatis: & hoc genus tantùm prohibitionem habet. Vnde mortuo viro illius mulieris, puta fratre tuo, illa non poteſt habere aliquem de conſanguinitate viri ſui. Ergo patet quòd omnes conſanguinei & conſanguineæ vxoris meæ ſunt mihi affines in primo genere affinitatis. 2.

Si vis habere ſecundum genus affinitatis, adde perſonam per carnis copulam

» primo generi hoc modo: Vxor fratris mei
» eſt mihi in primo genere affinitatis: mor-
» tuo fratre meo adde illi alium virum, &
» ille erit mihi affinis in ſecundo genere
» affinitatis; & ille ſecundùm antiqua iura
» non poterat, illa mortua, accipere ali-
» quam de conſanguinitate prioris mariti
» vſque ad quartum gradum: & de iſto ſe-
cundo genere habes 35. quæſt. 3. de pro-
pinquis: ſed hodie non prohibetur, vt
hic dicitur.

» Si vis habere tertium genus, adde per-
» ſonam perſonæ per carnis copulam ſe-
» cundo generi, & ſic habes tertium ge-
» nus.

Sotus in 4. ſentent. diſtinct. 41. quæſt. vnica, articul. 1. ſecutus D. Thomam, Diuum Bonauenturam & Richardum, quos citat, tria affinitatis genera ſic enucleat. Si Maria fratri meo eſſet matrimonio coniuncta, erit mihi & ſorori meæ affinis in primo genere. Si autem fratre meo defuncto eadem Maria nuberet Petro, ille fiebat mihi & ſorori meæ affinis in ſecundo genere, &, ſi Maria defuncta, ille poſtea Petrus duceret Annã, illa efficiebatur mihi affinis in tertio genere. Ex qua explanatione intelligimus vxorem ſecundam leuiri mei, ſeu cognati, quæ eſt extra omne conſanguinitatis meæ genus, in ſecundo genere affinitatis mihi coniunctam eſſe: quo affinitatis genere fœdera iuſti connubij non impediri ex ſanctione Concilij Lateranenſis & Innocentij III. ſatis exploratum eſt.

5. Quocirca, inter Marcum & ſecundam vxorem Cythari, qui cognatus eſt Marci, iniri poſſe matrimonium, dicendum eſt. Roſella, in verbo, impedimentum, 14. num. 5. huius meminit caſus, quem eueniſſe ſcribit eo tempore quo is hoc de genere commentabatur.

Petrus cum Berta matrimonium contrahit: è qua filiam ſuſcepit; quam Sempronio nuptum collocauit. Petrus, poſtquam deceſſit Berta, ducit ſecundam vxorem; diem item obit filia Petri, vxor Sempronij.

Quærebatur: poſſetne Sempronius alteram Petri ſui ſoceri vxorem habere poſt ſoceri interitum. Reſpondítque Roſella poſſe illum habere: Si quidem vxor illa ſecunda Petri ſecundo affinitatis genere generum contingebat. Syluester, in verbo, Matrimonium, 8. quæſt. 15. §. Similiter ſi Petrus, hanc item adfert quæſtionem.

Petrus habuit ſucceſſiuè duas vxores, Bertam & Mariam: ex quarum prima, id eſt Berta, genuit Margaritam filiam; quæ nupſit Martino. Martinus poteſt in vxorem accipere Mariam ſecundam vxorem Petri. Et ſic, inquit ipſe, datur caſus, in quo gener accipere poteſt eam, quæ fuit vxor ſoceri ſui: ergo quis vxorem ducere poteſt affinis ſui in primo gradu; quantò igitur magis poterit Marcus vxorem ſecundam Cythari cognati ſui habere, cum quo intercedebat Marco neceſſitudo tantùm in ſecundo genere?

Porro autem beneficium à Concilio Lateranenſi nuptiarum libertati tributum, vt iis obeſſe non poſſit, niſi qui ſe primo affinitatis genere attingunt, magna nititur æquitate; neque enim quiſquam fit mihi affinis, quia perſonam ducit non mihi conſanguineam, ſed ideo, quia perſonam ducit mihi eiuſdem ſanguinis ſocietate coniunctam: atque ideo meo connubio illa prima affinitas obeſſe debet, non nocere ſecunda, neque tertia; cùm neutra hæc propriè per ſe gignat affinitatem, ſed impedimentum ſolùm, quod in Canone, porro, 35. quæſt. 3. impedimentum nuncupatur publicæ honeſtatis iuſtitiæ: quod impedimentum, vti dictum eſt, vltra primum genus non labitur.

QVÆSTIO CXX.

PRimaria fœmina cum viro primario nubit, animo à connubio diſſentiens: multos annos in matrimonio manent; necnon liberi procreantur: mulier tanti 1.
flagitij

flagitij conſcia, crimen, dum de peccatis ſuis confiteretur, ſacerdoti patefacit.

Duo hîc quæſita ſunt. Primum, vtrùm vir & fœmina iterum contrahere matrimonium debeant, nouo conſenſu interiore atque exteriore adhibito. Secundũ, liceátne hoc iis facere clandeſtinè, ſine parocho, & teſtibus, abſque Romani Pōtificis conceſſu: cùm matrimonia clandeſtina à Tridentino Concilio ſublata ſint; & iuſta eſſe non poſſint, niſi coram parocho, & minimùm duobus teſtibus celebrentur; vt planum fit ex ſeſſ.24. cap.1. de reformatione matrimonij.

Mihi hæc ſententia fuit, neceſſarium eſſe vtriuſque coniugis nouum aſſenſum externo ſigno declaratum: cōtrahere verò eoſdem clandeſtinè non poſſe ſine Romani Pontificis auctoritate. Aiebam exteriorem aſſenſum neceſſarium eſſe; quia matrimonium eſt contractus humanus, qui reuocatur ad illud genus contractuum; *Do, vt des:* Nos autem in diſputatione noſtra de contractu, vbi de generalibus cauſſis eius diſſeruimus, demonſtrauimus, veram contractus formam eſſe contrahentium legitimam cōſenſionem, ſigno aliquo externo declaratam. Cùm igitur hoc matrimonium ſimulatum fuerit: verâque forma à principio caruerit, nanciſci illam non poteſt, niſi eiuſmodi conſenſio renouetur.

2. Quòd ſi, quum poſt contractum matrimonij, impedimentum quodpiam ſeſe oſtendit, quod ab Eccleſia remoueri poteſt, vbi remotum eſt, neceſſe eſt iterum contrahere, quòd nemo inficiatur, quantò veriùs erit id neceſſariũ, cùm impedimentum oblatum eſt matrimonio, in quo Eccleſia nihil poteſt, cùm impedimentum ſit iuris diuini ac naturalis?

Paludanus in 4.ſent. diſt.27.q.2.art.2. externum conſenſum probat in matrimonio requiri: & quia contractus eſt, & quia ſacramentum, eidémque matrimonio, quatenus ſacramentũ eſt, magis principale eſſe ſignum exterius quàm conſenſum. ſic ille in 2.concl. illius artic.1.

Iam verò clandeſtinam contrahendi rationem ſine auctoritate Romani Pontificis vſurpari non poſſe perſpicuum eſt, cùm eam improbet Concilium Tridentinum, & irritam eſſe decernat. Quare, vt rata ſit, Romani Pontificis auctoritate opus eſt, cui huiuſmodi Concilij iura ſubiecta ſunt.

Et quoniam non defuit, qui de vtraque difficultate mecum diſſentiret, auctoritate, captioſiſque argumentis recentis cuiuſdam Theologi victus: idcirco de omni controuerſia diligentes ipſe litteras dedi ad patrem Stephanũ Tuccium, Romanæ pœnitentiariæ Rectorem; vt ab quopiam Tribunali, cuius iudicio ſtandũ eſſet, reſponſum impetraret. 3.

Conſuluit is pater doctiſſimus & religioſiſſimus Clementem VIII. Pontificem maximum; à quo hoc tulit reſponſum, atque ad me Venetias miſit.

Pontifex reſpondit eſſe neceſſarium nouum conſenſum vtriuſque coram teſtibus, & parocho, admonito priùs marito de matrimonij nullitate: ſed ad euitãdum ſcandalum diſpenſat, vt ſecretò inter ſe contrahant renouato conſenſu, cum legitimatione prolis: in pœnitentiam mulier per biennium ieiunet ſemel in menſe: & communicet decimo quinto die: & tertiam partem Roſarij recitet quotidie, niſi ex obliuione, vel alio legitimo impedimento.

Quare poſt Apoſtolicæ ſedis diiudicationem nemini eſt ampliùs integrum de re ſecus opinari.

QVÆSTIO CXXI.

HÆret hæc quæſtio cum proxima ſuperiore: nam ſacerdos confeſſarius mulieris, vt viri aſſenſum ad nouum matrimonium ineundum faciliùs eliceret; eiúſque animum ab omni ſuſpicione mali auerteret (erat enim vxori ſuboffenſus, & nonnulla ſuſpicio eius animum exulcerarat) vt exiſtimationi ac pudicitiæ fœ- 1.

minæ conſultum eſſet, viro perſuaſit, matrimonium inter eum & vxorem ſuam eſſe nullum: ideo, quòd ea, antequam nuberet, continentiam Deo vouiſſet: quod voti genus matrimonium quod conſecutum eſt, irritum fecit. In quo vir deceptus eſt: falſæque doctrinæ error eſt ei obiectus: quandoquidem continentia voto promiſſa Deo, niſi ſollemnis ſit, qualis eorum eſt, qui eam in aliqua religione ab ſede Apoſtolica approbata profitentur, atque eorum qui ſacris ordinibus initiati Epiſcopo ſpondent, matrimonium non dirimit (excipe votum continentiæ etiam non ſollemne in ſocietate Ieſu emiſſum) continentiæ autem votum, quo obſtrinxit ſe mulier, certum eſt ſimplex fuiſſe, nō ſollemne: ergo vir nouo matrimonio cōſenſum accommodauit per errorem, atque deceptus.

Meritò igitur dubitatum eſt, num contractus noui matrimonij errore initus, ratus ac iuſtus fuerit; cùm errantis non ſit conſenſus. Eſt enim in lege, Nihil conſen-
» ſui. ff. de regula iuris his verbis. Non vi-
» dentur, qui errant, conſentire: & in l. ſi per errorem. ff. de iuriſdictione omnium iudicum, dicitur non conſentire eos qui
» errant: Quid enim, inquit lex, tam con-
» trarium conſenſui, quàm error? & in l. ad probationem. C. de locato & conducto,
» dicitur, Inſcientiam errantis non habere
» conſenſum, & in l. cum teſtamentum. C.
» de iuris & facti ignorantia dicitur, Erran-
» tis nullam eſſe voluntatem, & in l. non id-
» circo, eod. tit. dicitur, Errantis nullum eſſe conſenſum.

2. Nihilominus tamen mihi viſum eſt ſecundum valuiſſe matrimonium: propterea quòd cōtractus tunc per errorem redditur nullus, cùm illius eſt cauſſa error. Quòd ſi is qui contrahit errans, ſcrens etiam contraxiſſet, error non vitiat contractum: At vir, quamuis ſciuiſſet votum mulieris nō habuiſſe vim diſſoluendi matrimonium, accommodaſſet conſenſum nouo coniugio: id enim tum ratio tum neceſſitas ſuadebat. Primùm, quia ſuſcepti liberi educatrice & altrice parente caruiſſent, ſi vxor à viro dimiſſa fuiſſet: Deinde, quia cùm matrimonium palam, & in Eccleſiæ facie contractum eſſet, ſolo viri diſſenſu diremptum numquam fuiſſet: ſiquidem impedimentum, quod matrimonio obſtabat, occultiſſimum erat. Poſtremò, quia diuortium, inimicitias atque odia inter nobiliſſimas familias grauiſſimáque incommoda excitaſſet. Nec ſecus quàm nos, duo graues Theologi, ad quos de hac controuerſia relatum eſt Romam, quorum vnus fuit Cardinalis Toletus, reſponderunt.

QVÆSTIO CXXII.

Xacilius, ſenex durus & immitis, Saſſiæ filiæ, niſi nubat Torquato, ſepta 1.
ſacrarum monialium denunciat; aut eum maritum illi futurum, aut in monialium domicilio ſibi tondendum eſſe capillum: vtrum optet, in eius poteſtate eſſe: triduū ei tantùm dari ad deliberandum.

Filia, quæ à Torquato vehementer abhorrebat, quòd grauia & odioſa multa de eo inaudiſſet, minis ac verbis aſperioribus patris perterrefacta, incluſioni & religionis vinclis, connubij ſeruitutem non parum duram ſibi cenſuit anteponēdam: quare matrimonio cum Torquato coniungitur.

Quæritur, vtrùm illud fuerit matrimonium; præſertim cùm puella, dum nuberet, ſexdecim eſſet annorum.

Reſpondi, nullum illud, atque irritum 2.
fuiſſe connubium: quia aut omnino conſenſu caruit; aut certè conſenſu caruit libero, qui debet metum excludere cadentem in conſtantem virum. Mala enim, quæ à patre intentabantur puellæ, non ſolùm teneræ virginis mentem labefactaſſent, ſed etiam viri fortis animum conuelliſſent.

Etenim in malis, quæ vir fortis reformidat, à doctoribus numerantur carcer, præſertim perpetuus, ſeruitus, amiſſio bonorum, ſine quibus vita ſuſtineri non poteſt.

teſt. Quæ omnia mala vno & eodẽ tempore adoleſcentulæ comparabãtur. Nam moniales in ſuis ſacris domiciliis, quaſi in perpetuo carcere commorantur; qui intolerabilis iis eſſe ſolet, quæ inuitæ in illum coniiciuntur. Seruitutis item iugum minimè ferendum videtur illis, quibus repugnantibus imponitur: Eędem omniũ bonorum, quæ aut habent, aut habere poſſunt, poſſeſſionem amittunt. Videmus etiam Eccleſiam, cùm grauiore pœna in quempiam animaduertit, hac vti, vt in monaſterium, ad pœnitentiam agendam eum detrudat.

3. Quæres, num ſaltem apud Deum valere potuerit illud matrimonium, ſi puella verbis territa patris interiorem conſenſum contractui præbuit: nam apud Eccleſiam eſſe nullum conſtat inter omnes, certúmque eſt ex ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus: nam in Decretali Alex. III. Cùm locum, de ſponſalibus, eſt his verbis: Cùm locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit: neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſquam requiritur, coactionis materia repellatur. Idem decernitur in Decretali eiuſdem, veniens, 2. & in Decretali Honorij III. Conſultationi, eod. tit.

Verùm, num, quod irritum habet Eccleſia, Devs etiam habeat, ſempérque habuerit, dubitatum aliquando fuit. Nec defuerunt qui crederent Deum iuſtum illud velle eſſe coniugium, cui cauſſam attulit iuſtus metus, ſiue qui hominem conſtantem permouere poſſet: quorum errorem meritò redarguunt ij, qui tutiorem Theologiæ rationem inuenerunt, vt D. Thomas in 4. ſent. diſtin. 29. q. 1. artic. 3. quæſtiuncula 1. D. Bonauentura in eamd. diſt. art. 1. q. 1. & Scotus in eamd. q. 1. art. 2. & Richard. in eamd. art. 1. q. 1. & Durand. q. 2. vt alij tam multi taceantur. Omnes enim hi probant, libertatem conſenſus, quo & vis & metus excluditur, non ſolùm Eccleſiæ, ſed iure etiam diuino & naturali requiri: ita vt ſine tali conſenſu, nullum conſiſtere queat verum matrimonium.

Rectum mihi viſum eſt hoc loco D. Thomæ & Scoti ſententias exſcribere. 4. Diuus igitur Thomas his verbis vſus eſt in eo loco: Dicendum ad primam quæſtionem, quòd vinculum matrimonij perpetuum eſt: Vnde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium: metus autem, qui cadit in conſtantem virum perpetuitatem contractus tollit: quia poteſt peti reſtitutio in integrum: quia talis coactio metus, qui cadit in conſtantem virum, tollit matrimonium, & non alia. Conſtans autem vir iudicatur virtuoſus, qui eſt menſura in omnibus operibus humanis, vt Philoſ. dicit in 3. Ethic. Quidam autem dicunt, quòd ſi adſit conſenſus, quãuis coactus, interius eſt matrimoniũ, quantùm ad Devm, ſed non quantum ad ſtatum Eccleſiæ: quæ præſumit ibi non fuiſſe conſenſum interiorem propter metum. Sed hoc nihil eſt; quia Eccleſia non debet præſumere de aliquo peccatum, quouſque probetur: peccauit autem ſi dixit ſe conſentire, & non conſenſit: vnde Eccleſia præſumit eum conſenſiſſe, ſed iudicat illum conſenſum extortum non eſſe ſufficientem ad faciendum matrimonium.

Sed præclarè Scotus conficit eumdem 5. locum in 4. diſt. 29. q. 1. art. 2. vbi ſic. De ſecundo dico: quòd conſenſus coactus in iſtam, non ſufficit ad contractum matrimonij: vt expreſsè habetur extra de ſpõſ. cùm locum, & cap. veniens 2. & cap. conſultationi. Sed quæ eſt ratio iſtius? Reſpõdeo, & à cauſſa formali iſtius contractus, & à cauſſa efficiente, à qua eſt quòd contractus habet talem formam: & à cauſſa finali, propter quam efficiens dedit contractui talem formam.

Primum patet. Quia iſte contractus eſt datio: & licèt non liberalis: quia dat, vt detur ſibi æquale; eſt tamen libera datio: quia contra dationis rationem eſt, quòd non ſit libera.

Secundò à cauſſa efficiente: quia Devs talem inſtituit iſtam tranſlationem ſummè liberam. Vnde non eſt iſtud ab Eccle-

ſia

ſia determinatum,ſed tantùm expreſſum. Patet enim, quòd etiam in lege naturæ erat iſtud requiſitum in contractu matrimonij.Gen.2. *Adhærebit vxori ſuæ*:ſed non adhæret quis illi, quod inuitè tenet. Et Geneſ.24. dicitur de Abraham, qui dixit illi ſeruo ſuo: *Si noluerit mulier tecum venire, tunc liber eris à iuramento*: & cùm peteret ille Rebeccam, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus voluntatem eius*; & ſtatim quęſierunt parentes: *Vis ire cum homine isto?* Reſpondit, *Ibo*.

Tertiò, ex parte finis, quæ eſt proles procreanda: ex quo naſcitur indiſſolubilitas vinculi:ad iſtum competit iſtam dationem eſſe ſimpliciter liberam: quia (vt dictum eſt, vt habetur 20.qu.3. præſens) » Quod quis non diligit,facilè contemnit. Dicit etiam quidam, quòd poſſet dici Eccleſiam illegitimare perſonam aptam etiã pro illo tẽpore, pro quo eſt coactio: quia ſicut poteſt illegitimare ſimpliciter: ita etiam in caſu, vel ad tempus:ſed hoc non credo:imò ſtatutum Eccleſiæ hoc requirit ad naturam iſtius contractus ab efficiente determinatam, propter finem, ad quem eſt.

6. Richardus in 4.diſt.29. art.1. q.1. & in eamdem Durandus, q.2. id ipſum ratione hac, quæ item aliorum eſt, perſuadent. Quia matrimonium, cùm ſit ſacramentũ, coniunctionem ſignificat Chriſti & Eccleſiæ:quæ coniunctio ac neceſſitudo nõ vllo metu, ſed magno amore conflatur: ergo id ipſum ineſſe debet in ſacro eius copulationis ſigno.

Altiſiodorus in 4.lib. Summæ cap. de 6. impedimento matrimonij, quod alij » non reliquerunt, indicans inquit, Matri» monia coacta ſolent habere peſſimos fi» nes, vt dicit Ambroſius: non enim poſſunt » ſe diligere ſic coniuncti. Ipſe hanc addo » rationem. Nullus contractus initus ob » metum cadentem in conſtantem virum » valet, iure conſcientiæ, vt multorum Do» ctorum teſtimonio, & ratione à nobis eſt » oſtenſum in noſtris diſputationibus de » contractibus:ergo nec matrimonium, qui contractus eſt, valebit, ſi eius cauſſa vis » ſit, aut metus. »

Sed obiicies. Multo maior eſt ſeruitus, quam adfert Baptiſmus baptizato (nam totum Chriſtianæ legis iugum ei imponit) quàm ſeruitus cõiugij, quam ſubeunt coniuges: ſed ſeruitutem, quam efficit Baptiſmus, non repellit metus cadens in conſtantem virum: ergo nec coniugalem par metus extinguet.

Reſpondent D. Thom. D.Bonauent. Altiſiod. & alij, longè diſparẽ eſſe vtriuſque ſacramenti rationem. Sacramentum enim baptiſmi, inquit D.Bonauent. in 4. diſt.29.artic.1.q.1. eſt opus DEI non hominum:ſed matrimonium eſt à conſenſu hominum.

Præterea, vt idem affirmat, totum eſſe 7. matrimonij cauſſatur à cõſenſu:in baptiſmo non ſic. Altiſiodorus autem ait in baptiſmo operari Deum, hominem verò, vt ita dicatur adoperari: In matrimonio verò » ipſe homo, inquit, operatur: nempe id » ipſum vult dicere, quod D.Bonauent.

Scotus diſſimilitudinis rationem in vtroque ſacramento preſsè & acutè tripliciter euoluit in illa diſt.29.q.1.art.2. Primùm: quia conditio baptizati efficitur melior, non ſic matrimonio adſtricti.

Secundò, inquit, quia voluntas ſuperioris ratificat per talem conſenſum coactum aliquem fieri filium Eccleſiæ:non ſic autem in matrimonio.

Tertia ratio:quia baptiſmo quis ius aſſequitur adoptionis:quæ adoptio non ita libero eget conſenſu, ſicut matrimonium: Namque adoptio in eum etiam conuenit, qui nondum compos eſt rationis: at matrimonium non permittitur ei, qui nondum vtitur ratione, atque conſilio. Solet illud etiam opponi ex Apoſtolo ad Coloſſ.3. *Filij obedite parentibus per omnia.*

Diuus Thomas, reliquíque Theologiæ gymnaſiarchæ reſpondent; Apoſtoli præceptum ad eas res pertinere, quæ patriæ ſubiectæ ſunt poteſtati:at ius deligendi ſibi honeſtum vitæ ſtatum naturale eſt, cui patria poteſtas incommodare non debet.

Matri

Matrimonia verò præcipi à parentibus non poſſe filiis probant D. Thom. in 4. ſent. diſt. 29. q. 1. art. 4. & D. Bonauent. in eamd. art. 1. q. 2. & Richar. in eamd. art. 1. q. 3. & Scotus in eamd. q. 1. art. 2.

8. Poſſet tamen, inquit Gabriel in eamd. diſt. q. 1. art. 3. dub. 1. Pater præcipere filio, » vt contrahat cum aliqua de hac vel illa » familia, dum filius aliàs ſine præcepto pa- » terno contrahere tenetur, vt inquit Præ- » poſitus in cap. cùm olim de ſponſal. aut » dum ex præcepto diuino ſtante hominũ » paucitate præceptum de contrahendo » obligaret pro loco & tempore. Hæc illi, quæ mihi ſanè parum videntur certa.

Neque ea, quæ ſanctis Patriarchis diuino impulſu, & propter arcanas rationes permiſſum eſt, paſſim cæterorum hominum, aut fœminarum parentibus concedenda ſunt. Richardus & Scotus obiiciunt ſibi legẽ, Sed quę patris. ff. de ſponſ. vbi non fit poteſtas filiæ diſſentiendi à patre in contrahendis nuptiis, niſi cùm ei virum eligit moribus indignum, vel turpem.

Reſpondent iidem, eiuſmodi iuribus ciuilibus ſacras Eccleſiæ leges aduerſari: atque ea re audienda non eſſe. Mihi perlegenti iura de ritu nuptiarum, occurrit » hæc lex. Si patre cogente ducit vxorem, » quam non duceret, ſi ſui arbitrij eſſet, cõ- » traxit tamen matrimonium, quod inter » inuitos non contrahitur: maluiſſe enim hoc videtur. hæc in ea lege, Si patre cogẽte. Verùm admonet Gloſſa non intelligi legem, ſi adhibito metu: obſtat enim lex, ſi mulier, §. ſi dos. ff. quod metus cauſſa.

9. Poſtremò, argumentari ſic quiſpiam poſſet. Vir conſtans idem eſt, qui virtute præditus, ergo metus nõ datur cadens in conſtantem virum, quo matrimonium impediri queat: nam in eum metum coniectus vir conſtans numquam contraheret, vt culpam effugeret: neque enim fieri videtur poſſe, vt, ſi metus aliquis rumpat matrimonium, ſine ſcelere quis illud eligere poſſit: neque non matrimonium, ſed concubinatum pellicatùmque eligeret: ídque ſiue animo cum verbis conſentiens, ſiue diſſentiens.

Quantùm ipſe ex Scoto & Gabriele colligere potui (qui tamen non perinde vt nos argumentantur) qui metu grauioris impendentis mali nuptiarum coëunt ſocietatem, ſi à verbis nõ diſcrepet mens, vitare illos peccatum, licèt verum matrimonium, nec DEI, nec Eccleſiæ iudicio efficiatur: illorum enim verborum, *Accipio te in meam*, ea vis eſt, vt Scotus & Gabriel interpretantur: Accipio te in meam, » (verba ſunt Scoti) quantùm in me eſt, » præſuppoſita violentia iſta; & ſi DEVS » ratificaret per talem conſenſum, qualem « nunc habeo, traditionem corporis mei » fieri, traderem tibi meum: & in tantùm » trado, quantùm tradi poteſt per talẽ con- » ſenſum. Hæc Scotus.

Neque verò Scotus, neque vllus Theologus concederet poteſtatem fieri perterrefacto viro, aut mulieri, corpus ſuum vllo modo cum altero commiſcendi, aut iis tactionibus, vxoriiſque complexibus, & oſculis vtendi, qui ſolis veris coniugibus permittuntur. Quare dum ea mente, quã euoluit Scotus, pronunciantur verba, caueant qui ad contrahendum metu adducuntur, ne animus tunc ad vllum coniugij actum traducatur, eúmque concupiſcat: quia coniugalis non eſſet, ſed fornicarius, atque nefarius.

Itaque Saſſiam adoleſcentulã, ſi, quod 10. verbis declarabat, animo amplectebatur, probabile eſt non peccaſſe: vel quia ignara fuit huius impedimenti irritantis matrimonium: vel quia ſi gnara, ea ratione implicita, ac tacita, quam attulit Scoti interpretatio, excuſari potuit. Quòd ſi diuturnam conſuetudinem cum viro, in cuius manũ venit, habuit, ſobolémque procreauit, iuſta quoque inſcitia iuris veniam dare illi potuit: nã exiſtimare potuit metum illum non ita officere potuiſſe contractui, vt eum irritum faceret.

Sciſcitatus eſt Saſſiæ pater: Num matrimonium filiæ ſuæ diuturna conſuetudine in eadem domo, & in eodem thoro potuerit

tuerit conualeſcere: id enim ſignificare videntur verba Bonifacij VIII. in Decretali, vnica, de deſponſatione impuberum. Nam decernit ſponſalia impuberum, quæ propter defectũ conſenſus nulla fuerunt, non poſſe conualeſcere, niſi fortè longa cohabitatione, quæ conſenſum indicet.

Reſpondi, poſt Concilium Tridentinum, non eſſe locum Decretali. Nam matrimonium, cui legitimus à principio defuit conſenſus, & eſſe nullum & in facie Eccleſiæ renouãdum eſſe, vt ſatisfiat Tridentinæ ſynodi decreto, reſpondit Clemens VIII. Et quando auctoritate Romani Pontificis liceret clandeſtinè iterum contrahere, vtriuſque coniugis coire debet conſenſio libera, & ſigno aliquo externo declarata: vt in aliis reſponſis à nobis dictum & probatum eſt.

Vidit id ante Concilium Tridentinũ Gabriel in 4.diſt.29. q.1.artic.3. propoſ.3. hiſce verbis ab illo expoſita. Tertia propoſitio. Probabile ex dictis, quòd quantumcunque longæua cohabitatio, ac perſonæ coactæ taciturnitas, munerum largitio, amplexus, & oſcula, adiuncta carnali copula, & ſi qua ſunt ſimilia, cõtractum ex metu iuſto nec perficiunt, nec ratificãt, nec confirmant ſine actu poſitiuo nouo liberi & mutui conſenſus coniugalis, ſufficienter expreſſiuo, & hoc in foro conſcientiæ. Patet ex dictis.

Sed idem Gabriel, in eodem artic. & propoſitione, quærit num perſona rudis, & proba, quæ timore iuſto perculſa contraxit, ſi poſt metum affectu vxorio conſortem connubij cognoſcit, credens metum illum non obſtitiſſe iuſto matrimonio, illa bona fides faciat matrimonium, quod nullum fuerat, ratum. vbi negantiũ doctorum ſententiam & rationem explicauit, hæc verba attexuit. Verùm oppoſitum facilè poſſet defendi: in quo turpiter hallucinatus eſt Gabriel, retexens ea quæ ſæpius in eadem quæſt. inculcauit, & poſt Concilium Tridentinum, à quo irritantur clandeſtina matrimonia: & poſt reſponſum Clementis VIII. opinio, quam ait Gabriel poſſe defendi, error eſt pernicioſus.

Ergo Saſſiæ alterutrũ omnino faciundum eſt, vt, aut à viri non ſui contubernio recedat; aut, ſi in eo manere velit, matrimonio iterum liberè aſſentiatur, viro quoque liberè aſſentiente, vel præſente parocho, & duobus teſtibus; vel, ne res grauiùs offendat animos cæterorũ, ipſamque Eccleſiam, ab Romano impetret Põtifice, vt clam ſine parocho & teſtibus, inter ſe ambo contrahere queant.

QVÆSTIO CXXIII.

Ardua fuit mihi poſita Ferrariæ quæſtio, ab antiquo collegij noſtri ſacerdote, quæ multorum exercuit torſitque ingenia: in cuius controuerſiæ diſceptatione primùm aliorum Doctorum ſententias exponam: deinde, meam ipſe indicabo. 1.

Quærebat igitur, num Petrus, homo Chriſtianus, qui puerum Iudæo & Iudæa natum ſuſcipit, cùm ſacro baptiſmate abluitur, poſſit eius matrem, cùm ſimiliter renata fuerit, in matrimonium ducere.

Quod cùm quæritur, illud item quæritur; an is, qui baptizat, vel tenet filium Iudæi, vel non baptizati, cum eius patre, vel matre cognationem cõtrahat ſpiritualem. Contrahi dixerunt hi omnes. Gloſſa, in cap.1.30.q.1. explanans verbum ex lauacro. quam Gloſſam à Doctoribus approbatam eſſe in ſua ſumma ſcribit Roſellæ Auctor, in verbo impedimentum, impedimento 6. num.26. D. Antoninus in 3. par.tit.1.cap.13.§.3. Angelus in verbo matrimonium 3.num.11. Roſella loco citato. Sylueſter in ſumma, verbo matrimonium 8.quæſt.8. dicto 12. in qua ſententia ait eſſe diuum Thomam.

Contrariam ſententiam perſuadet Sotus in 4.diſt.42.q.1.art.3. in quam ſententiam adducit diuum Thomam: ſed de diuo Thoma diligentiùs erit conſiderandũ. Poſterior opinio quãuis patronum vnum 2.

habeat

habeat Sotum, firmis tamen ſe tuetur rationibus.

Prima ratio. Affirmant D. Thomas, Richardus, Paludanus in 4.d.42. & vniuerſus Theologorum cœtus, vt teſtis eſt Sotus loco, quem iam indicauimus; ſi non baptizatus baptizet, vel ſuſcipiat, quempiã, cum eo, quem baptizat, vel ſuſcipit, nullam gigni cognationem ſpiritualem: cùm eius non baptizatus ſit minimè capax: id quod concedit etiam Ioannes Andreas interpretans illam regulam iuris, ex eo, lib.6. ad quam interpretationem vel potiùs diſputationem, lectorem reiicit Panormitanus, in rubrica de cognatione ſpirituali. Scio Gloſſam in cap. in baptiſmo, de conſecrat. diſt.4. & Gloſſam in c. peruenit, 30. q. 1. ſignificare nonnullos, qui paullò ſecus quàm Theologi ſenſerunt; in quibus etiam fuit Angelus. Verùm, quod docent Theologi, in hac parte firmum videri & haberi debet. Si ergo non baptizatus non contrahit affinitatem vllam ſpiritualem baptizando, vel tenendo, cur cum eo contrahat Chriſtianus baptizans, aut tenens eius filium, vel filiam?

Secunda ratio. Sacramentorum, ſacrarúmque cæremoniarum, quas Eccleſia colit, legibus non deuinciuntur Iudæi, ac reliqui omnes non baptizati: ergo neque lex cognationis ſpiritualis ad eoſdem pertinebit.

Poſtrema, ne ſingulas conſectet: ſicut nemo poteſt cognationem quampiã naturalem ſuſcipere, niſi ſit naturaliter natus, ita neque in quempiam ſpiritualis cadere poteſt, niſi ſpiritualiter in baptiſmo generatus. In hanc ego ſententiam diſcederem non inuitus, niſi cõtraria vinceret numero auctorum, & pondere. Neque tanti ſunt allata argumenta, vt haud maiore negotio repelli poſſint.

3. Hac enim diſtinctione concidit primũ. Dupliciter ſpiritualis affinitas in aliquem deriuatur. Primo modo, per ſe: primò, directè, principaliter, antecedenter, actiuè, & actione, vt ita dicam, miniſteriali. Secundo modo, per accidens, ſecundariò, indirectè, acceſſoriè, conſequenter, paſſiuè.

Primo modo in eum tantùm deriuatur, qui ſacramento baptiſmi conſecratus eſt. Cùm enim hoc genus cognationis, vt magnis placet Theologis, ſit ex ſtatuto Eccleſiæ, placuit ei, vt, qui ex ſacro baptiſmi charactere cũ ipſa nulla agnatione tenetur, non poſſit cognationis ſpiritualis eſſe miniſter, & quaſi procreator. Secundo modo, infidelis eiuſdem affinitatis eſt particeps. In ſecundo argumento ineſt labes ac vitium. Quamuis enim Iudæi, nec fidei noſtræ, nec ſacramentorum legibus teneantur: quia nec ad fidem Chriſtianã, nec ad Chriſtiana ſacramenta ſuſcipienda cogi debent: quãuis cæremonias noſtras, quibus fidem ipſi noſtram teſtamur, obſeruare minimè cogantur: leges tamẽ morales, & quibus politica iuſtitia cõtinetur, ſeruare debent, ſicut reliqui omnes Chriſtiani: nullas iniurias vel contumelias aut Chriſto, aut eius ſanctiſſimæ matri, aut noſtris ſanctis, aut noſtræ religioni, vel cultui imponere poſſunt: Multas item leges Eccleſiaſticas quæ ſacros noſtræ religionis ritus attingunt, violare non poſſunt.

De multis recitemus nonnullas. Lege Alexandri III. quæ habetur ext. de Iudæis. cap. Iudæi de ciuitate, & cap. conſuluit, non eſt conceſſum, vt nouas ſynagogas exædificent, ſed vt veteribus contenti ſint, eáſque reficere poſſint. Idem Pontifex in cap. Quia, eod. tit. tulit, vt paraſceues iidem Iudæi totum diem, oſtia, & feneſtras ſuas clauſas habeant. Innocentius III. ſanxit in Concilio generali, vt eſt in cap. in nonnullis, eod. tit. vti è Iudæorum & Sarracenorum genere tam viri quàm mulieres à Chriſtianis habitu ſecernãtur.

Ac ne Iudæi lamentationis, & Dominicæ paſſionis tempore, in publicum prodeant: quaſi noſtras ſordes & fletus, quos pertriſtis illius temporis recordatio expoſcit, ludibrio & contemptioni ducentes. Quæ lex cum Chriſtiani cultus dignitate valde cohæret. Iudæus, qui per frau- 4.

Digitized by Google

dem mulieris Chriſtianæ,eius viro necem attulit,ad fidem noſtram conuerſus habere illam vxorem non poteſt,ex c.laudabilem, de conuerſ.infidel. Lex, quæ bigamum ſacris ordinibus initiari non ſinit, eſt item Iudæis impoſita; vt quamuis ad noſtri baptiſmi ſacramentum accedant, ob illam ipſam notam à ſacris ordinibus tamen prohibeantur:quemadmodum eſt in Canone. Acutius. diſt.26. Spõſalia,quæ ſunt futurarũ nuptiarũ promiſſio, & matrimonij quædã inchoatio, cum Hebræa muliere iniri ea conditione poſſunt; ſi ea Iudaica ſuperſtitione repudiata,Chriſtiana ſacra ſuſceperit:vt ex Can. Non oportet, 28.q.1. colligit Gloſſa explanans cap. quod antecedit. Illi. Cur ergo nõ potuit eadem Eccleſia genus affinitatis ſpiritualis,cùm in ſacramentis Baptiſmi & Confirmationis,miniſter vel ſuſcipiẽs eſt Chriſtianus, cum Iudæo vel Pagano communicare,quando perſona ſuſcepta in ſacramento Baptiſmi eſt Iudæa vel Pagana?

5. Tertia & poſtrema ratio non peræqua proportione concluditur. Neque enim neceſſe eſt,vt, ſi cognatio naturalis exigit cognatum naturaliter natum; ſpiritualis poſtulet eum, qui ſit ſpiritualiter natus: Namque perſonas, inter quas prior cognatio verſatur,natura ipſa principio conſtituit:poſterioris, Pontificum arbitrium: quòd eo affinitatis genere & Chriſtianos, & non Chriſtianos vincire potuit,& ſpiritualiter natos, & non natos. Quid? ſi quiſpiam ſcelerata ac nefaria mente ad baptiſmum accedit,in cuius quidem anima character ſine diuina gratia imprimatur,erit ne hic ſpiritualiter natus?minimè verò. ſpiritualis enim natiuitatis & ortus eſt gratia veriſſima cauſſa; per quam nos ſibi Devs in adoptionem mancipat. Sed tamen hic ipſe,qui baptiſmi ſacramẽtum ſine ſuorum flagitiorum expiatione. Imò cum immani ſacrilegio ſuſcepit,efficitúrne ſpiritualis cognationis capax? quis neget? at non eſt ſpiritualiter generatus, quamuis ſit baptizatus. Non verè dicitur igitur, oportere, eum qui affinitatis ſpiritualis futurus ſit conſors,ſpiritualiter eſſe procreatum. Niſi velimus, ſacram ipſam corporis ablutionem, & vitam ſpiritualem, & generationem ſpiritualem appellare, vel quia eiuſmodi vitæ, hoc eſt gratiæ,eſt cauſſa per ſe conficiens,vti inſtrumentum ad eam gignendam à Chriſto inſtituta:quam ipſam numquam non gignit,niſi polluta eius,qui ſuſcipit,cõſcientia impediatur,ac niſi ea deſint,quæ huic Sacramẽto adminiſtrando ſunt in primis neceſſaria, vera materia, vera forma, & vera miniſtri intentio: Vel etiam, quia idem ſacramentum vnicuique,qui eo initiatur, vitæ ſpiritualis degendæ neceſſitatem imponit: vel, quod vitæ ſpiritualis, quam baptizatus viuit, publicam exiſtimationem comprobat.

Id enim boni & eximij habet Sacramentum Baptiſmi,quo quis eſt regeneratus in Chriſto, vt de huiuſmodi homine, vel muliere nefas ſit malam opinionem habere, & ſuſpicari eos ad diabolum pertinere, niſi iſtos ipſos ex diaboli legibus vitam inſtituere cõſtiterit. De D.Thoma non liquet omnino, quæ illi fuerit in hac quæſtione ſententia: nec enim eam pertractauit. Verumenim,vt ne quid callidè reticeam, animum mihi ad ea quæ is in 4.ſentent. diſt. 42. q.1.art.3. ſcripſit, diligentiùs attendenti, ad opinionem magis Soti quàm Syluestri propendere videtur. Nam perſpicuè dixit, cum vxore non baptizata haudquaquã cognationem contrahi ſpiritualem, quia ſpiritualis vitæ eſt expers. Ac nimirum hoc genus facti D. Thom. innuit; cùm vir non baptizatæ mulieris baptizatur, vel tenetur; vt tenenti,vel baptizanti cognata non euadat mulier, quæ ab Iudaica vel pagana ſuperſtitione nequit auelli. 6.

Ante Conc.verò Triden.cognationem ſpiritualem manaſſe ad mulierem, vel ad vxorem eius, qui baptizabatur, vel tenebatur tam in Baptiſmo quàm in Confirmatione,ſi ea erat baptizata,nemo dubitat. Licèt nunc ſublata ſit eiuſmodi affinitas à Concilio Tridentino, ſeſſ.24. cap.2. de refor

de reformatione matrimonij. Nimirum vnius D. Thomæ & eius dicti, tanti apud me habetur auctoritas; vt in hac cauſſa hæream; ac de re tota, quæ controuertitur, ſedem Apoſtolicam conſulendam exiſtimem.

QVÆSTIO · CXXIV.

1\. K. Mulier Hebræa ipſos octo annos in Chriſtianæ religionis, quam complexa eſt, ſacris permanet; vir in domicilium deductus Catechumenorum, illic noſtræ fidei myſteriis imbuebatur, vt is etiam rite Sacramento Baptiſmi expiaretur: illic liberaliter & humaniter à præfectis & miniſtris domus tractabatur. Hic ipſe, antequam Chriſtianum ſe velle eſſe declaraſſet, duos filios cuidam opifici Chriſtiano vendidit: opifex in poteſtatem eorum tradidit, qui rationes domus Catechumenorum gubernant, quorum opera pueri baptizati ſunt. Pater cùm propediem baptizandus crederetur, domum, in qua Chriſtiano more inſtituebatur, relinquit: Proficiſcens, vxori, cui nondum Baptiſmi Sacramentum impertitum erat, denunciat, integrum illi eſſe id ipſum facere, quod is moliebatur; quibus verbis ad fugam vxorem impellebat: ea reſpondit, ſibi certum eſſe in Chriſtianorum numerum & cœtum venire: cupiebat perfidus ille ſecum filios abducere: ſed voti haud factus eſt compos. Octo abeunt anni, cùm nullus rumor de vita ſui viri ad Hebræam mulierem, ſed iam Chriſtianam, affluxit. Cuius frater multas luſtrat ciuitates; vt de viro ſuæ ſororis cognoſcat: nihil certi nec fama, nec auditione accipit: ſuſpicantur eum emigraſſe è vita. Mulier connubium optat Chriſtianum.

2\. Quæſitum eſt, cùm nihil certi ſciretur de viri Iudæi interitu, vtrùm matrimonio cum homine Chriſtiano iungi legitimè poſſet.

Mulieris matrimonio, quod ea expetit, hæc obſtant. Primùm, quia fieri poſſet, vt vir etiam eius Chriſtianus iam factus eſſet: neque enim cùm diſceſſit, teſtatus eſt ad Synagogam ſe redire. Deinde: Quia non rogatus eſt à muliere velletne in eius conſortione viuere. Poſtremò: Quia credibile eſt, eum etiam nunc in numero eſſe viuorum. Nihilominus tamen opinio, quæ mulieri fauet, mihi videtur eſſe probabilior, ob ea quę ſubiiciam argumenta, quibus duo iaciam fundamenta. Primum eſt D. Thomæ in 1.2.q.97.art.3. vbi dupliciter docet quempiam ſuam animi declarare ſententiam ac voluntatem. Primùm, verbis; deinde, factis: ſicut autem ratio & voluntas, inquit ille, hominis manifeſtatur verbo in rebus agendis; ita etiã manifeſtatur per facta. Et in eadem quæſtione ſcribit noſtri animi ſenſa ac motus actionibus exterioribus maximè efficaciter detegi, actúſque eiuſmodi certi iudicij, ac deliberantis animi ſignum adferre, præſertim ſi actiones crebrò repetantur. Per exteriores, inquit, actus multiplicatos interior voluntatis motus & rationis conceptus efficaciſſimè declarantur. Cùm enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis vitio prouenire, inquit idem S. Doctor.

Secundum fundamentum eſt Scoti, in 3.
4.ſentent.diſt.39.quæſt.vnica, art.2.ad argumenta, & Gabrielis, in eandem diſt. q. vnica, art.2.conc.4. Minimè neceſſarium eſſe conſtitutionem aliquam Eccleſię neceſſaria ratione niti, ſatis eſſe, ſi probabili nitatur: ita Eccleſia proſpiciẽs impendentia mala, quæ ex matrimonio cum infideli contracto oriri poſſent fideli (nam non euenire illa non poſſe, valde eſt probabile) conſtituit, iuſta cum infideli & pagano connubia haberi non poſſe. Diſparem autem cultum ex Eccleſiæ ſtatuto dirimens eſſe impedimentum affirmant Theologi in 4.ſent.diſt.39.

Hiſce conſtitutis fundamentis proba- 4.
tiones pro muliere Hebræa exædificemus. Prima probatio. Si vir Iudæus vxori dixiſſet cum ea commorari ſe nolle, ius

noui connubij ſtatim fuiſſet mulieri ex Decretali, Quanto, de diuortiis, & ex omnium Theologorum ac Canoniſtarũ ſententia: ergo, cùm fuga Iudæus ſuæ coniugi id ipſum ſignificauit, cuius conſuetudine tot annos carere voluit, quam ipſe de ſuis rebus abſentis numquam certiorem fecit, cùm à Catechumenorum domo diſceſſerit, poſtquam in eam ingreſſa eſt vxor, haud obſcuram voluntatis ſuæ mulieri atque aliis ſignificationem confecit, minimè ſibi eſſe iucundam conſuetudinem ſuæ vxoris.

4. Secunda probatio. Noſtra hac ætate ſi alter è coniugibus Chriſtianam ſuſcipit religionem, cum altero, qui in perfidia reſtitit, vnà vitam agere ei non permittitur, niſi infidelis ſpondeat ſe pariter in Chriſti fide atque Eccleſiæ poteſtate futurum. Nunc, inquit D. Thomas, in 4. ſent. diſt. 39. q. vnica, art. 3. pari paſſu ambulant vtrique, ſcilicet Gentiles & Iudæi: Quia vtrique obſtinati ſunt. Et ideo niſi vxor infidelis conuerti velit, non permittitur ei cohabitare, ſiue ſit Gentilis, ſiue Iudæa. Idem Richardus ſcribit, in eamd. diſt. art. 2. q. 1. §. Modernis: & Durandus, in eamdem diſt. q. 2. Idem etiam Gabriel in eam ipſam diſt. q. vnica, art. 2. conc. 5. his verbis. Tametſi olim ex conſilio Apoſtolico licuit conuerſo fideli manere cum infideli coniuge pro eius conuerſione in caſu certo: hodie tamen non licet, niſi ſufficiẽter monitus, vt conuertatur, quantocyus conuerti, & baptizari voluerit. Hoc idem teſtatur Sotus, in eamdem d. q. vnica, art. 4. §. Eſt tamen hodie conſideratè. Eſſe autem Iudæum commonefactum, vt noſtram capeſſeret religionẽ, dubitari non debet.

Verùm ipſe perfidiæ ſuæ non obſcura dedit documẽta, cùm in fugam ſe dedit, quo tempore de eius Baptiſmo [illegible] agebatur: quando ſurripere conatus eſt pueros baptizatos, non ampliùs in eius paterna poteſtate conſtitutos, quos ipſos rapere ſi potuiſſet, ſine dubio ad Iudaicam impietatem traduxiſſet.

Siquidem & Phyſica & valde probabilis eſt ea ratio Paludani, in 4. ſentent. diſt. 39. quæſt. vnica, art. 2. concl. 2. Vnuſquiſque parentum nititur prolem trahere ad ſectam ſuam: ſicut de beato Auguſtino habetur, quòd optante fideli matre, vt baptizaretur, contradicente Gentili patre, Baptiſma eius dilatum eſt: ergo propter periculum prolis, quod inde poteſt generari, & eſt educanda ad cultum Dei, quod infidelis creditur veriſimiliter impedire, licet dimittere; ſicut in caſu propter ſeipſum, quando nollet cohabitare niſi ad infidelitatem pertrahendo. Vnde hodie, quia eſt maius periculum peruertendi fidelem, quàm ſpes conuertendi infidelem, ex conuictu, non permittitur. 5.

Si igitur vxori ius ſublatum eſt cum viro Iudæo manendi, quòd is obfirmati animi & obſtinatæ ſententiæ in Iudaica ſuperſtitione perſiſtendi ſatis firma attulit argumenta, qui etiam ad priſtinam impietatem reuocare vxorem & filios conatus ſit, in quo vndique grauis in Deum contumelia ſeſe oſtendit, ſanè iudicare poſſumus matrimonij ruptum eſſe vinculum. Manere, inquit Sotus, in illa diſtinctione & quæſtione art. 3. concl. 4. §. Sed rogas. Cum contumelia creatoris eſt, vel in Chriſtum, vel in eius fidem conuitia iactare: aut moliri, vt fidelis coniux ad ſuam ſectam peruertatur: aut alia morum corruptela inficere.

Ac meo quidem animo par eſt iniuria, ſi infidelis cum baptizata iam prole id moliatur. Illæ verò voces Iudæi ad mulierem Iudæam: Tibi etiam integrum eſt, & temporis ratio permittit, vt idem, quod ego, facias; improbitatem animi illius non obſcurè teſtantur. Quapropter data videtur iam eſſe mulieri poteſtas ad nouum migrandi coniugium: ſi vera ea ſunt quæ tum à Soto tum à Gabriele ſunt ſcriptis tradita.

Nam Gabriel his verbis: Cùm igitur diſcedit infidelis, fidelis conuerſus non tenetur eum ſequi; ſed poteſt alibi contrahere viuente infideli, in 4. d. 39. quæſt. 6.

vnica,

vnica,art.2.conc.6.& Sotus. Iam modò ſi infidelis admonitus conuerti renuit, neceſſariò debet fidelis ab illo dimoueri,atque adeo iure poteſt ſecundæ concluſionis vti,alias optando nuptias. diſtinct. 39. quæſt.vnica,art.4. §. Eſt tamen hic conſideratè. Atque affirmat profeſſione fidei alterius coniugis conuerſi matrimonium dirimi,ſi nolit alter profiteri: verùm mulier Chriſtianam fidem profeſſa eſt:iſtum autem Iudæum,poſt octauum annum,ſatis apparet non eſſe profeſſum: atque ex iis quæ ante diſceſſum geſſit, liquet noluiſſe fidem noſtram profiteri: ergo conceſſum eſt mulieri Chriſtianas nuptias experiri.

Tertia probatio.Si poſt multos annos, quibus coniux infidelis cum fideli commorari noluit, fideli ius non eſſet Chriſtianum matrimonium inire, Chriſtianæ religionis iugum fideli impoſitū nimiùm graue ac durum videretur: in poteſtate enim perfidioſi eſſet coniugis,fidelem in perpetuum matrimonio priuare. Idque, vt ſuum tum in vxorem, tum in Chriſtianum matrimonium, tum in Chriſti fidē, odium exprometet. Quæ omnia ſunt ab Eccleſiæ benignitate atque clementia, & Chriſtianæ religionis facilitate quàm maximè aliena.

7. Quarta probatio. Matrimonium infidelium, niſi diuino, aut naturali iuri, aut iuſtis ipſorum legibus repugnet, legitimum quidem ab Eccleſia habetur, ſed non ratum: hoc eſt, quod diſſolui non poſſit, quamuis commiſtione corporum fuerit abſolutum:cuius rei cauſſa eſt, quæ mox intelligetur. Concluſio eſt hæc Magiſtri ſententiarum in 4. d.39. c. extremo, de matrimonio; cui ad vnum aſſentiuntur omnes Theologi; D. Thom. in illam diſt.quæſt.vnica,art.5. D.Bonau.art.1. q.1. num.28.Scotus,q.vnica,art.1. Richardus, art.1. q.2. Paludanus, q.1.art.1. Et alij in eamd.diſt. Imò verò non Theologorum modò eſt hæc ſententia, ſed certiſſimum Romani Pontificis eſt Innocentij III.decretum. in cap. Quanto. de diuortiis,vbi loquitur his verbis. Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit: quia Sacramentum fidei cùm ſemel eſt admiſſum,numquam amittitur. Ac D.Ambroſius,in cap.7.prioris ad Corint. Non enim, inquit, ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt: vt habetur 28. q.1. in fine. Itaque D. Bonauentura in eo, qui indicatus eſt, loco, diſtinguit matrimonium in ratum & legitimum, vti eſt fidelium; in legitimum & non ratum, quod eſt infidelium: in ratum, ſed non legitimum;vt eſt matrimonium contractum à fidelibus in occulto.

8. Eamdem diſtinctionem matrimonij Richardus adhibet diſt. 39. art. 1. quæſt.2 & Gabriel in eamdem diſtinct. q. vnica, art.1. iiſdem verbis, quibus Richardus, quem citat,& ſequitur. Quoddam(verba ſunt Richardi)eſt coniugium legitimum, & non ratum: quoddam ratum, & non legitimum; quoddam legitimum, & ratum: legitimum & non ratum, eſt quod legali inſtitutione, vel Prouinciæ moribus contrahitur: quod tamen ſeparabile eſt: Ratum & non legitimum, eſt matrimonium contractum inter fideles, qui Sacramentum Baptiſmi ſuſceperunt contemptis ſolemnitatibus, quæ debent adhiberi ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ, & patriæ morem, vt matrimonium clandeſtinum: Ratum eſt,quia inſeparabile eſt: illegitimum eſt,propter contemptum ſolemnitatis, quæ ſecūdùm legem, & patriæ morem adhiberi debet: legitimum & ratum,eſt contractum inter fideles, qui Baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt: & non ſunt perſonæ illegitimæ ad contrahendum: & ſolemnitates debitas ſecundùm conſtitutionem Eccleſiæ, & morem patriæ, adhibuerunt.

Dico ergo, quòd inter infideles non poteſt eſſe matrimonium ratum: quia,vt oſtenſum eſt in arguendo, tale matrimonium ſeparabile eſt per alterius conuerſionem ad fidem,altero in infidelitate remanente.

manente. Ex quo perſpici poteſt, ſui iuris & ſententiæ iam eſſe mulierem in Chriſtianis nuptiis contrahendis.

D. Thomas in 4. ſent. d. 39. q. vn. art. 2. probat, matrimonium infidelium, quamuis legitimum, ſi cum Chriſtiano coniugio conferatur, imperfectum eſſe, &, vt
» ille ait, materiale: loquitur his verbis. Ma-
» trimonium principaliter inſtitutũ eſt ad
» bonum prolis, non tantùm generandæ,
» quia hoc ſine matrimonio fieri poſſet, ſed
» etiam promouendæ ad perfectũ ſtatum:
» quia quælibet res intendit effectũ ſuum
» naturaliter perducere ad perfectum ſta-
» tum: eſt autem in prole duplex perfectio
» conſideranda; ſcilicet perfectio naturæ,
» non ſolùm quantùm ad corpus, ſed etiam
» quantum ad animam, per ea quæ ſunt de
» lege naturæ; & perfectio gratiæ: & prima
» perfectio eſt materialis, & imperfecta re-
» ſpectu ſecundæ: & ideo cùm res, quæ ſunt
» propter finem ſint proportionatæ fini;
» matrimonium, quod tendit ad primam
» perfectionem, eſt imperfectum, & mate-
» riale reſpectu illius, quod tendit in perfe-
» ctionem ſecundam; & quia prima perfe-
» ctio poteſt eſſe communis fidelibus &
» infidelibus, ſecunda autem eſt tantùm fi-
» delium, ideo inter infideles eſt quidem
» matrimonium, ſed non perfectum vlti-
» ma perfectione ſicut eſt inter fideles.

9. Illud etiam demonſtrant Theologi, tria bona, quæ in Chriſtiano inſunt matrimonio, infidelium abeſſe coniugio: in eo bonum fidei deſideratur, bonum prolis, & bonum Sacramenti. Bonum fidei; quia, qui DEO non eſt fidelis, vix homini eſſe poterit: bonum prolis; quia ad cultum Dei ea non inſtituitur: bonum Sacramenti; quia coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, aut cœleſtis gratiæ cum anima ſignificare non poteſt. Itaque prior pars argumentationis perſpicua eſt: quòd infidelium matrimonium ratum eſſe non poſſit: cùm adeo rude ſit & imperfectum. Ad hæc, vt inquit D. Thom. in eadem d. & quæſtione, art. 3. pari paſſu currunt infidelitas & adulterium; quia vtrumque eſt contra bonũ prolis. Atque vt ſcriptum eſt, ab Altiſiodorenſi, in 4. lib. ſuæ Summæ, cap. 4. de impedimentis matrimonij, fornicatio ſpiritualis maior eſt in corde, quàm corporalis in carne. Ita conſequens eſt, multò pauciora ac minora in diſtrahendo coniugio infideliũ requiri, quàm fidelium.

Quinta probatio. Omnes tres cauſſæ, quæ vim habent rumpendi matrimoniũ, quod eſt inter infideles contractum, hic adſunt. Prima cauſſa eſt, non conuerſum coniugem conuictum recuſare conuerſi: hic enim repentè ſe ex ædibus Catechumenorum proripuit, atque in alienas regiones ſemigrauit, ſatis apertè vxorem ab ſe reiecit.

Secunda cauſſa, animus in Iudaicæ ſuperſtitionis ſecta obſtinatus, & Chriſtianę religioni infenſus: cuius quidẽ animi iſte transfuga teſtimonium dedit minimè fallax. Tertia voluntas, tum vxoris tum prolis ad priorem impietatem referenda. Nec difficile eſt tres illas coniecturas quæ contrariæ cauſſæ mulieris videbantur depellere.

Prima fuit huiuſmodi. Fieri poſſet, vt ille Iudæus in quapiam alia Chriſtiani orbis parte ad Chriſti fidem acceſſerit. Diſcutitur hæc coniectura dupliciter. Primùm, hoc genus loquendi, quod aſſumit hæc aduerbia, *forſan*, *fortaſſe*, vel hæc etiam verba, *fieri poſſet*, non magis fauere aientibus quàm negantibus, nihilque certi ex ea forma ſermonis concludi: quòd ſi aliquid probabile efficeretur, illud prodeſſe deberet matrimonio, quod expetit mulier, non obeſſe. Deinde aio, concluſiones, ac veritates morales, quibus eſt fides habenda, non gubernari illis aduerbiis, aut verborum formulis, de quibus iam dictum eſt, quæ ad neutram partem animum inflectunt, ſed multò maximè veriſimili ac probabili regi oportere, quando à neceſſario derelinquimur. Ac licèt ſæpe veriſimile pro probabili, & probabile pro veriſimili vſurpetur; nihilominus ipſi, cùm aliàs in diuerſo docendi genere verſaremur,

Digitized by Google

fatemur, ex Ariſtotele oſtendimus, inter rem vtramque permagnum conſtitutum eſſe diſcrimẽ: quandoquidem hominum opinione nititur probabile;rei autem natura id quod eſt veriſimile. Probabile,inquit Ariſtoteles, in 1. Topic. cap. 1. *Eſt quod videtur aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus: & his,aut omnibus, aut plurimis, aut maximè inſignibus, & claris*: Ἔνδοξα τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς σοφοῖς· καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. ſic ille Græcè. Sed nullus ſapiens animum vmquam inducet hunc in alia Prouincia Chriſtianam fidem profeſſum eſſe; ſed multò magis in vetere manſiſſe perfidia: ergo coniectura illa omnis eſt probabilitatis expers: veriſimilis autem nullomodo. Namque *veriſimile*, quod Ariſtoteles εἰκὸς dicit, in ſecundo priorum Analyticorum, cap. 24. definiuit id eſſe quod cognoſcunt in pluribus ita fieri, aut non fieri; ita eſſe, aut non eſſe: vt odiſſe qui inuident; amare qui amant:cuius definitionis eſt ea perſimilis quæ ab eodem eſt allata in primo Rhetoric. cap. 2.

11. Quis igitur à coniectura ita aberret, vt iſtum Iudæum de Chriſtiana religione ſuſcipienda in locis longinquis cogitaſſe ſuſpicetur? à quo ea contracta ſunt ante diſceſſum,quæ nemo noſtrę fidei cupidus vmquam eſſet auſus coſtari? Nam iſte religionis noſtræ præcipua myſteria edoctus, nulla à Chriſtianis moderatoribus ad fugam ei oblata occaſione, profugit: & cùm tempus Baptiſmi aduentaſſet, in fugam ſe contulit, nimirum quando & victu, ceteriſque rebus quàm liberaliſſimè commodiſſiméque habebatur.Iſte ad eamdem fugam vxorem ſollicitauit: iſte ſaluti filiorum, qui iam in Catholicæ Eccleſiæ complexu erant,inſidiatus eſt: iſte, ſi Chriſtiana fides ei cordi erat, illam confiteretur, vbi ſuam coniugem, vbi liberos habebat; vbi noſtræ fidei rudimenta perdidicerat; & in ea ciuitate par erat Chriſtianam religionem profiteri,ybi tot ſibi erant obærati; & quorum hypothecas ac pignora poſſidebat: iſte, ſi alibi ſe communi religione cum Chriſtianis conſociaſſet, ea de re ad vxorem & liberos litteras dediſſet:eóſque ad ſuſceptã Chriſti religionem conſtanter retinendam cohortatus eſſet: &, quos turpi fuga offenderat, iis omnibus petenda venia ſatisfeciſſet. Denique cùm iſte è ſecta Hebræorum ſit peruicacium; & quorum eſt in Chriſti fidem omni crudelitate imbutum odium, ab ea non deſciuiſſe plus quàm veriſimile eſt.

Itaque primam illam coniecturam per ſe valde imbecillam multis aliis coniecturis quàm maximè veriſimilibus diſiectam eſſe nemo non videt.

12. Secunda coniectura illa erat: quòd nõ denunciatum ei fuit, vt is quoque Chriſtianam religionem complecteretur, ſi vxoris contubernium appetebat: at ideo hoc prætermiſſum eſt, quòd ante eius fugam non erat ſalutari aqua expiata vxor; necnon dolo & fraude eius contigit, vt denunciari non poſſet: voluit enim tum à Chriſtianis hominibus, tum ab omni iure humanitatis fugitiuus eſſe; & in regiones neſcio quas ſe abdere; vnde ad vxorem nihil aut fama,aut hominum ſermone dimanare poſſet.

At ipſa lege & conſuetudine Chriſtianæ religionis,cuius fortaſſe non erat ignarus, dici poteſt ſatis admonitum eſſe. Si quidem hæc eſt à Chriſtiana & Eccleſiaſtica politia lex ſancita; vt, ſi alteruter coniux in numero velit eſſe Chriſtianorum, alter item ſit, ſi frui conuictu velit eius qui prior ad noſtra ſacra conuertitur.

Adde,quòd Panorm. in cap. Quanto. de diuort. eiuſmodi denuntiationem minimè neceſſariam eſſe arbitratur,ſi aliunde infidelis coniugis voluntas poteſt eſſe perſpecta:ſic enim ille.in cap.Gaudemus. num. 15. ſui commentarij. Oſtienſis dicit »
hîc, quòd inter fideles matrimonium nõ »
diſſoluitur, vt ſuprà, c. prox. inter infide- »
les verò debet iudex præfigere terminum »
remanenti in infidelitate,vt cohabitet fi- »
deli: quòd ſi noluerit, diſſoluitur matri- »

„ monium ſolutum.Hoc dictum mihi non
„ placet : licèt vtile ſit illud à principio ſeruare ; vt clarè appareat de voluntate infidelis : ſatis eſt enim quòd aliis modis apparere poſſit, quòd noluit cum fideli habitare. Cùm igitur tot annos iſte Hebręus in diſiunctione religionis, atque ſententiæ perſeuerarit, à ſua vxore voluntariè diſtractus, ſatis oſtendit id voluiſſe, vt ea res ſuas, & ille viciſſim ſuas ageret.

Mitto quòd de præſtituendo tempore infideli coniugi ſcribit Oſtienſis, mulieris cauſſæ non incommodare : nam ſi iudex Iudæo tempus vllum definire voluiſſet; illud aut vnius aut alterius anni fuiſſet. Iam verò octo annorum tempus effluxit: amplius igitur Hebræo conceſſum eſt, quàm illi iudicis ſententia tribuiſſet.

Panormitani verò ſententiæ mirificè fauent Richardus, Paludanus, Gabriel, Sotus, in iis qui indicati ſunt, locis : imò, quod caput eſt, fauet Apoſtolus in priore ad Corint. cap. 7. *Si infidelis*, inquit, *diſcedit, diſcedat : non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror, in huiuſmodi* : fratrem & ſororem inſtituto naſcentis Eccleſiæ Chriſtianum & Chriſtianam appellat : ſeruituti autem ſubiectum non eſſe, interpretantur Theologi, primi matrimonij legibus ſolutum eſſe.

Iſte nebulo ab vxore diſceſſit, cùm breui ſciret illam futuram eſſe Chriſtianam: ergo mulieri ius relinquitur liberũ Chriſtiani connubij.

13. Tertia ac poſtrema ratio, ſeu coniectura in eo poſita erat ; quòd credibile eſſet, Hebræum illum etiam tunc morari in terris : neque conſtitutiones ſacræ ſinunt coniugem vnum noui coniugij fœdera inire, niſi de abſentis coniugis interitu, certum acceperit nuncium.

Reſpondeo, quod ab Eccleſia de fidelium matrimonio conſtitutum eſt, ad infidelium matrimonium conuerti nõ dedere : cùm iam ſatis argumentati ſimus, viuo coniuge infideli, atque adeo præſente, poſſe à coniuge, qui ad Chriſti fidem conuerſus eſt, Chriſtianas nuptias cõtrahi. Quòd ſi aliis etiã coniecturis pugnandum eſſet; opinioni eſſet locus, matrimonium inter fugitiuum Hebræum, & hanc mulierem fuiſſe nullum : aut, quia contra Dei leges, & naturæ, initum ; aut quia in iis gradibus, qui in Leuitico, cap. 18. vetiti ſunt, contractũ ; aut quia idem Hebræus, vna viua vxore, alteram duxit : cùm Iudæorum ſit ingenium valde procliue ad diuortia atque repudia ; quòd repudium cum poteſtate alterius vxoris ducendæ contra naturam eſſe probat D. Thomas, in 4. ſent. diſt. 39. quæſt. vnica, art. 3. ad 5.

Nam vna repudiata vxore, alteram habere, ſimiliter eſt, vt plures habere, quemadmodum illic ſentit D. Thomas.

Quòd ſi repudium Hebrææ nationi permiſſum fuit olim à lege Moyſis, id ad duritiam cordis eorũ factum eſt, vt Chriſtus dominus iiſdẽ dixit Hebræis; Matth. 19. Cuius repudij neque lex naturæ, neque ſcripta, neque Euangelica approbatrix fuit aliquando.

Omnes has cauſſas, quamobrem matrimonium inter perfidum Hebræum & relictam mulierem nullum fuiſſe ſuſpicari poſſumus, perſequitur D. Thomas in 4. ſent. diſt. 39. q. vn. art. 3. Ergo vxor transfugæ Hebræi, Chriſtiani matrimonij ineundi iure prohiberi non debet.

QVÆSTIO CXXV.

Sellæ mulieri Hebrææ maritus eſt Sarug : ea eſt Chriſtiani Baptiſmi & matrimonij cupida. 1.

Tria auet ſcire. Primum eſt: cùm ei filij trium quattuórve annorum ſint, num eos poſſit è patria eximere poteſtate, atque in ſuam tutelã transferre : ſecundum, vtrùm ſibi ius ſit dotis repetendæ : tertium, an homini Chriſtiano nubere poſſit.

Reſpondi primæ quæſtioni. Simulátq; Sella, paterna ſuperſtitione repudiata, in Chriſtianorum adoptiua venerit, filios in eius tutelam eſſe venturos ; ad hanc enim ſententiam Decretalis nos deducit

Gregorij

Gregorij IX. ex litteris, de conuerſione infidelium,& Canon.Iudæi.28.q.1. Nam, quamuis proles paternam ſanguinis conditionem ſequatur; tamen cùm de religione agitur, matris ſequitur; ſi illa ad fidem Chriſti conuertatur; quod liquidò affirmat Gloſſa,in cap.ex litteris, de conuerſione infidelium; quam Gloſſam magiſtram cuncti ſacrorum Canonum interpretes ſequuntur. Innocẽtius, Oſtienſis,Ioan.Andreas, Anton.Butrius, Panormitanus atque alij, in illud ipſum caput. Vbi ſic Innocentius. *Si mater conuerſa fuerit, ipſi & non patri aſſignaretur puer.*

2. Ac licèt lex,Nec filium,C.de patria poteſtate; prolem poſt triennium educari & ali velit à patre: nam primo triennio, quòd potiùs lacte quàm cibo egeat infans, alẽdus eſt à matre,vt inquit Oſtienſis; nihilominus fidei cauſſa, aliiſque nominibus, de quibus mox, proles maior etiam triennio matri committitur conuerſæ. eiúſque rei cauſſæ quinque ab Oſtienſe exponuntur, in cap. ex litteris, de conuerſione infidelium.

Prima eſt. Quia pater nequam eſt: ergo non debet penes patrem filius morari. Secunda. Quia pater inſidiatur non ſolùm vitæ corporali, ſed etiam ſpirituali. Sed, ſi corporali inſidiaretur, remoueretur ab eo:ergo multò magis remouendus erit, cùm inſidiatur ſpirituali: quod non rarò accidit, cùm viribus omnibus adnitantur Iudæi ne eorum filij ad Chriſtiani Baptiſmi religionem adſpirent. Tertia ratio. Quia in hoc caſu mulier debet reputari vir:habeat ergo priuilegiũ viri. Quarta. Quia pater præſtat diuortio cauſſam. Quinta. Fauor fidei; quæ in hac materia eſt præcipua cauſſa; & hæc quinta inquit reſpondet ad omne, quare.

Ergo, concluſio eſt eiuſdem Oſtienſis, in hoc caſu filius matri adiudicabitur: cùm potiora ſint iura ſua, & poterat, vt inquit idem in extremo commentario, ſententiam Gregorius IX. breuiter complecti hoc modo.
» Si quis duorum coniu-
» gum ad fidem conuerſus fuerit, in infidelitate altero remanente, liberi infantes »
conuerſo adiudicentur: doli verò capa- »
ces ſuo iudicio relinquantur. »
Atque hanc ipſam formulam verborum in ſuum contraxit commentarium Ioann. Andreas; eiuſdémque meminerunt Butrius & Panormitanus; à quo Panormitano magis aperta eſt adhibita interpretatio verborum illorum, quæ leguntur in formula Oſtienſis. *Doli verò capaces ſuo iudicio relinquantur.*

Quibus verbis id tantùm ſignificatur, 3.
in poteſtate filiorum, qui ratione vtuntur, eſſe, Chriſtianam profiteri religionẽ, aut auitam: at in ceteris rebus, in patris conuerſi debere eſſe poteſtate:neq; enim poſt Chriſti ſuſceptam religionem,minus iuris obtinet pater in filium, quàm antè obtinebat; quod confirmat Panormitanus ex 2.cap.de Iudæis: vbi Iudæo ad noſtram fidem accedenti ſua bona relinquuntur vniuerſa; non tamen ea, inquit Panormitanus, quæ per vſurariam prauitatem acquiſita ſunt:quam exceptionem auctoritate Gloſſæ & textus probare nititur; quæ tamen exceptio perſpicua non eſt in verbis Decretalis, niſi fortè illis verbis contineatur.
Si fide pura noſcuntur »
venire, tunc demum Baptiſmatis gratiam »
mereantur: at fides pura non eſt, quam »
noxa lethalis inquinat: nemo autẽ igno- »
rat, vſuras reſtituere nolle, crimen eſſe »
mortiferum: fenerator igitur Hebræus »
Baptiſmatis Sacramento renaſci non po- »
teſt, niſi à fenore omnino recedat. Vide- »
tur ergo, inquit Gloſſa, quòd vſurarius »
Iudæus non debeat baptizari, niſi vſuras »
reſtituat, ſuprà de pœnitentia diſt. 5. Fal- »
ſas, quia obligationes in Baptiſmo non »
tolluntur. Hæc Gloſſa. Veris dominis »
reſtitui oportere vſuras, cùm ad noſtram fidem conuertuntur Iudæi;decreuit Paulus III. in conſtitut.cupiẽtes Iudæos.Ipſis verò addicit tamquam pauperibus bona reſtituenda, ſi veri domini non extant.

Quod verò aiebat Abbas, filium Iudæi doli capacem, ſi Iudæus ſit, ad fidelem patrem pertinere, auctor ſcholiorum in

Panormitanum antea traditum eſſe à D. Thoma affirmat: Etenim D. Thomas, in 4.ſent.d.39.q.1.art.4. non longè ab extremo, ſcribit, prolem iam adultam poſſe ſequi, aut patrem, aut matrem fidelem: ætate verò minorem fideli parenti tradendam eſſe. Idem affirmat Durand. in ead. diſt.q.2.ad 3.argum.& Palud. in eamd. q. vnic. art.2. conc.3. & Sotus in eamd. q. 5. art.3. conc.4. §. Dubitatio. Atque hæc de prima dubitatione.

4. Secundum in contentione poſitū erat; num mulier ſuam poſſet dotem redhibere. Dico redhibituram eſſe ſtatim, atque in numerum Sella adſcripta erit fidelium. Res enim iampridem diiudicata eſt in Decretali prima de donationibus inter virum & vxorem, & dote poſt diuortium reſtituenda: ſic enim eſt in illa decretali: » Mulieres, cùm pro aliqua licita cauſſa à » propriis viris fuerint ſeparatæ, totam do» tem præcipimus ſibi reddi. Quam Decretalem explanans Panormitanus, mulieris cauſſam egregiè expedit: Sic enim ille. Quia iſte textus loquitur indiſtinctè, & generaliter, ibi, *fuerint ſeparatæ*, credo diſpoſitionē textus habere locum, etiamſi ſit ſeparatio facta quoad thorum, & mutuam ſeruitutem, in eo caſu, in quo mulier non venit dote priuanda, vt puta, ſi propter nimiam viri ſæuitiam ſeparatur matrimonium: vel quia vxor ad fidem eſt conuerſa; vel in caſu ſimili.

Nec tantùm Sella omnem ſuā dotem recuperabit, verumetiam domina erit eorum bonorum omnium, quæ hereditaria ſucceſſione ad eam peruentura erant: ſi maiorum ſuorum ſuperſtitionem coluiſſet, vt admonet Panormitanus. in cap. Iudæi. in 2. de Iudæis & Sarracenis, notab. poſtremo.

Vltimò, inquit, nota quòd Iudæi non perdunt agnationem poſt conuerſionem ad fidem: vnde ſuccedere debent ſuis attinentibus, & parentibus, ſicut primò. non enim debent eſſe deterioris conditionis conuerſi ad fidem, quàm quando erant in Iudaiſmo.

Et, vt finis ſit huius noſtræ ſecundæ reſponſionis: Sella, iam Chriſtiana, non ſolùm dotem ſuam recipiet integrā, verumetiam fructus quos maritus percipit è dote, ſeu ante matrimonium, ſeu poſt diuortium, vt ab Oſtienſe probatum eſt, in cap. mulieres, de donat. inter virum & vxoré. Ratio plana eſt, quia cùm dos viro detur ad munera ſubeunda matrimonij, ea vti non poteſt vir ſolutus oneribus. Paulus III. in conſtitutione, Cupientes Iudæos, ſancit, iis ad Chriſtiana ſacra accedētibus, omnia dari debere, quæcumque in ſua perfidia manentibus eſſent adepti, iiſque quoquomodo debebantur.

Quòd ſi Sarug, aut iura quædam Hebraica aut Iudaïcas conſuetudines obtrudens, tergiuerſaretur, nihil efficeret; neq; eſſet audiendus: propterea quòd Iudæorum inter ipſos, aut quæ ipſis cum Chriſtianis ſunt controuerſiæ, noſtris legibus, non ipſorum, diſceptari debēt ac dirimi. Sanè lex, Iudæi. C. de Iudæis, iubet, cunctas Hebræorū cauſſas Romanis legibus diiudicari: ſic enim in ea lege. Iudæi com- » muni Romano iure viuentes, in his cauſ- » ſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum » quàm ad forum, leges, ac iura pertinent, » adeant ſolemni more iudicia: omnéſque » Romanis legibus conferant & excipiant » actiones. 5.

Id quod magnam rationem & æquitatem habet. Nam, cùm Iudæi ob noſtrum Regem, & Dominum Chriſtum IESVM, interfectum, ſerui, & quaſi mancipia effecti ſint Chriſtianorum; nullàque ſua iudicia, ac tribunalia, nec vllos Magiſtratus habeant, ad noſtra iudicia, atque ad noſtros Magiſtratus in ſuis controuerſiis confugere debent.

Quærebatur poſtremò: vtrùm Sellæ, cùm in numerum recepta fuerit Chriſtianorum, ius futurum ſit Chriſtiani ineundi matrimonij. Quæ difficultas ab Innocentio III. in cap. Quanto, de diuortiis, propoſita atque expoſita eſt; cunctique Catholici Doctores expoſitionem eius ſequuntur: in ea enim Decretali docet 6.

primò,

primò, infidelium matrimonia eſſe vera. Secundò, coniugem, qui noſtram amplectitur religionem, tres ob cauſſas poſſe Iudaico repudiato connubio matrimonium contrahere Chriſtianum.

Prima cauſſa eſt, ſi infidelis ſuam nolit abiicere perfidiam, nec vult cum conuerſo commorari, conuerſi repudiata ſocietate. Secunda, ſi cum fideli non abſque DEI contumelia victurus eſſet. Tertia, quãdo fidelem ad priſtinam impietatem reuocaturus eſſet: ſed vtrùm in quolibet horum caſuum ipſo iure matrimonium cum infideli contractum ſolutum ſit, antequam Chriſtianum cõtrahatur, an poſt Chriſtianas nuptias contractas, haud leuis dubitationis eſt: qua de re diligenter à nobis in ea, quæ ſequitur, quæſtione, diſceptatur.

QVÆSTIO CXXVI.

1. DArius, omni Iudæorum ſecta abiurata atque reiecta, Baptiſmi ſacramento eſt Chriſtianam adoptionem adeptus.

Is vxorem habet Hebræam, atque in ſuæ gentis ſuperſtitione tuenda nimiùm obfirmatam: apud illam non contemnendum peculium, ac inſtrumentum domeſticum reliquit: illud recuperare non poteſt, niſi Hebraico quodam ritu ei repudium mittat; cui repudio etiam Rabinus aliquis intereſſe debet. Nam vterque cõiux, tam fidelis quàm infidelis, poſt traditum libellum repudij, arbitrantur ſibi factam poteſtatem noui quærendi coniugij.

Petit igitur Darius, num Chriſtianis legibus permiſſum ei ſit, inſtituto, & more Hebræorum cum iſta vxore ſua diuortiũ facere ad res ſuas recuperandas, ac ad nouas nuptias conficiendas.

Negaui hoc illi eſſe permiſſum. Primùm, quia etiam nunc conſtare primum videbatur matrimonium. Deinde, quia licèt Darius vxorem duxiſſet Chriſtianã, non ideo facultatẽ is dare poſſet Hebrææ vxori alteras nuptias inter Iudæos adipiſcendi. Poſtremò, quia tam de connubiis quàm de cæteris rebus controuerſiæ Hebræorum non eorum ſed noſtris legibus conſtituendæ ſunt ac finiendæ: cùm penes illos dicundi iuris nulla poteſtas ſit nullàque iudicia eis permiſſum ſit exercere.

Atque vt meum de tota cauſſa iudiciũ cuique magis poſſit eſſe perſpectum, in nonnullas propoſitiones conferam, quæ ad totum hoc genus cognoſcẽdum mihi in primis viſa ſunt neceſſaria.

Prima propoſitio. Inter infideles vera ſunt matrimonia: id decernit Innoc. III. in Decretali, Quãto, de diuortiis: à qua ne tranſuerſum vnguem cuncti diſcedunt Theologi in 4. ſentent. diſt. 39. 2.

Secunda. Non ſimulátque alter coniux infidelis Chriſtiano baptiſmo ablutus eſt, anteactum matrimonium ſolutum eſt. Decretum eſt id eiuſdem Pontif. in cap. Gaudemus, de diuortiis. quod omnes itẽ ſunt complexi Theologi.

Tertia. Quamuis vera ſint apud infideles matrimonia, ea tamen rata non ſunt, vt in ſuperiore quæſtione oſtenſum eſt. tum ex cap. Quanto, de diuort. tum ex communi ſenſu Theologorum.

Quarta. Tres cauſſæ in Decretali Innocentij III. Quanto, de diuort. explicantur, cur matrimonia inter infideles contracta diſſoluantur, cùm alteruter ad Chriſti fidem conuertitur. Prima eſt, cùm infidelis, conuerſi fidelis reſpuit conuictũ. Secunda, cùm nõ vult ſine iniuria creatoris cum fideli commorari. Tertia, cùm ex infidelis conuictu ad fidelem pernicies atque animi exitium permanaret. Quæ cauſſæ ſunt his verſibus à ſacrarum ſanctionum magiſtris comprehenſæ.

Deſere ſpernentem, vel blaſphemare volentem,
Vel te credentẽ, ſcelus ad mortale trahentem:
Nam ſunt abſque mora ſic vincula rupta priora.

Quæ omnes & ſingulæ cauſſæ num ipſo iure ante nouum initum connubiũ prius

diſſoluant, inter graues Auctores eſt altercatio.

3. Quinta propoſitio. Perquam probabilis eſt eorum opinio Theologorum, ac Canoniſtarum, qui ob illas cauſſas aiunt ipſo iure prioris connubij vincula rupta eſſe. Id defendunt Richardus in 4.ſent. diſt.39.art.2.q.2. Aſtenſis in ſumma par.2. lib.8. tit.21. artic.2. q.5. Angelus in verbo matrimonium 3.num.3.vbi opinionis huius etiam Auctorem profert Panormitanum. Ad hanc propendere videtur Scotus in 4.ſent. diſt.39.art.1. in ſolut.dub.2. & D.Antoninus in 3.par.tit.1.c.6.In hanc ſacrorum Canonum Principes interpretes concurrunt, Gloſſa in cap.quanto, de diuortiis,& in cap. ſi infidelis 28.q.2. Archidiaconus in illud cap.Oſtienſis in cap. quanto, de diuortiis, quem fideliùs citat Archidiaconus pro ſua ſententia, quàm Aſtenſis pro diui Thomæ opinione:eamdem ſequitur Panormitanus in cap.quanto, num.6. & 7. & in cap. gaudemus, de diuortiis, num.15. fauet opinioni Canon Gregorij Magni, ſi infidelis. 28.q.2. cuius Canonis in ſua Decretali, Quanto, ab Innocentio fit mentio. Sic igitur Gregorius: *Contumelia quippe creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* Verùm quibus contraria probatur opinio, ſic Canonem interpretātur Gregorij, Soluitur ius, non id, quod ad eſſentiam ſpectat connubij, ſed quod ad thori domicilijque ſocietatem pertinet: Namque animaduertunt in Canone non dici vinculum ſolui matrimonij, ſed ius.

Primi auctores opinionis hac firma vtuntur ratione: Qui enim conuenit, vt conuerſo pagano, aut infideli, ius ſit ad nouum migrandi coniugium, niſi priore diſciſſo? Dici poſſet non antè rumpi prioris matrimonij vinculū, quàm ſit nouum contractum: quemadmodum apud Chriſtianos matrimoniū ratum, ſed non conſummatū, conſtare ſcimus ante ſollemnē religionis ingreſſum: poſt illum, protinus euaneſcere.

4. Sextam igitur conſtituamus propoſitionem quinta multò probabiliorem; quā ij defendunt Theologi, qui nolūt noſtræ fidei profeſſione; neque tribus iis de cauſſis, quæ in quarta propoſitione expoſitæ ſunt, ipſo iure matrimonium ceſſare infidelium, ſed tunc demum, cùm ſecundum eſt legitimè in Chriſti Eccleſia celebratū. Docet id D.Thomas in 4.ſent.diſt.39.q.1. art.5. huic adſtipulatur Paludanus in eamdem, diſt.q.1.art.2.concl.3. hanc probabiliorem ait eſſe Maior in eamd.diſt.q. vnica. ſolam hanc retinet Turrecremata in cap. ſimili modo 28.q.1.ad 2.argumētum: profertque eiuſdem ſentētiæ defenſorem D.Bonauentur. Verùm hic Doctor ambigua vtitur oratione. Eadem placuit Syluestro, in verbo, matrimonium 8.q.10. caſu 6.vbi Panormitanum refellit, ſolámque D.Thomæ ſententiam veram eſſe conſtituit. eamdem cōplexus eſt Ioan. Tabienſis in verbo, impedimētum, impedimento.8o.num.3.vbi tamquam falſam Panormitani eiicit opinionem. Armilla in verbo matrimonium, num.36.vbi Panormit. ſcribit malè dixiſſe. Pro eadem argumentatur Sotus in 4.diſt.39. q. vnica, artic.4. Hanc elegit Dionyſius Carthuſianus in 4.diſtin.39.colum.penult.quæſtionis ſuæ: hanc tuetur Nauarrus in ſumma cap.22. num.48. Et Gloſſa ab ipſa veritate victa de re in vtramque partem diſputans, in cap. gaudemus, de diuortiis, ad hanc ſecūdam ſententiam tamquam ad veriorem animum conuertit, verbáque illa in canone Gregoriano, *Contumelia creatoris ſoluit ius matrimonij*, perinde, vt nos, interpretatur.

5. Nobis hæc item illorum verborū percommoda videbatur explanatio: ſoluit contumelia, id eſt, iuſtam cauſſam ſoluendi adfert; vt cauſſalis ſit enuntiatio. Citant huius ſecundæ opinionis Patronum etiam Raymundum. Præcipuum & vnicum huius ſententiæ fundamentum hoc eſt. Propterea quòd Innocentius III. in cap. gaudemus, de diuortiis, ſcribit his verbis. Quòd ſi conuerſum ad fidem & illa » conuerſa ſequatur, antequam per cauſſas » prædictas legitimam ille ducat vxorem, » eam

eam recipere compelletur. Ergo propter tres illas cauſſas, non erat ipſo iure obligatio extincta vinculi matrimonialis. Gloſſa in cap. illud. Gaudemus, reſpondet, licèt matrimonium ſit ſolutum, tamen reſtituitur iure poſtliminij in fauorem fidei.

Quam Gloſſam meritò explodit Richardus loco iam indicato. Neque enim matrimonium dici poteſt poſtliminio redire: cùm eius eſſentia è cōſenſu pendeat contrahentium. Et quoniam cùm infidelis ſui coniugis conuerſi pariter ſequitur religionem, ſine nouo conſenſu in priore permanet matrimonio, neceſſariò dicendum eſt, illud non fuiſſe peremptum. Durandus in 4. diſt. 39. q. 2. pro vtraque pugnat opinione; ſed ſecundam magis ſibi placere oſtendit. D. Bonauentura in eamdem diſt. art. 2. q. 1. modò hanc, modò illam probare videtur: numero enim 30. ſcribit his verbis. In his tribus caſibus poteſt à fideli dimitti; & per contumeliam factam matrimonio, & creatori, vinculū poteſt frangi, & poteſt cum alia contrahere. Ergo ſi poteſt frangi, non eſt ipſo iure fractum.

6. Cui prima arrideret ſententia, dicere poſſet, duplex genus eſſe potentiæ: nam vna eſt coniuncta cum actu, altera ab illo abiuncta. dicamus planiùs. Dicimus aliquid poſſe fieri, non quia nō fiat, ſed quia fit. Ita dicimus DEVM ſolùm per ſe poſſe eſſe beatum, non quia non ſit actu beatus, ſed ideo, quia eſt: ſic dicimus ſolo ſanguine vitam ſuſtineri poſſe animalium; non ideo, quòd non ſuſtineatur, ſed eam ob rem, quia ſuſtinetur.

Quibus exemplis liquidò apparet potentiam actui ſuo eſſe coniunctam: nec ſecus fortaſſe intellexit D. Bonauentura, cùm ſcripſit: Poteſt frangi, non quia non ſit fractum vinculum; ſed quòd reuera ruptum ſit: quandoquidem neceſſe eſt id omne, quod fit, poſſe fieri: Altera eſt potentia ab actu ſeiuncta: cùm dicimus aliquid eſſe, vel fieri poſſe, non quia ſit, vel fiat: ſed quia eſſe, vel fieri poſſit. Ita dicamus, iuſtum fieri poſſe iniuſtum; & diuitem, pauperem; & ſapientem, ignarum: ad quam potentiam torqueri poſſunt verba D. Bonauenturæ.

Pro prima opinione idem Doctor ſic ſcripſit in eodem articulo, ac numero. Concedo igitur, quòd ſolutionem matrimonij contracti in infidelitate tria faciūt: Primum eſt ipſius imbecillitas: ſecūdum, eſt cultus diſparitas: tertium, creatoris vel matrimonij iniuria: primum reddit poſſibile ad ſolutionem: ſecundum diſponit, & tertium diſſoluit. Atque hic locus D. Bonauēturæ valdè ſuffragatur primæ ſententiæ aduocatis.

Quamquam ſecundæ patroni reſpondere poſſent, verbum illud, diſſoluit, non ſignificare diſſolutionem iam factam, ſed cauſſam illius faciendæ; vnà cum matrimonio quod conſequetur: vt nec matrimonium ſine illa cauſſa contrahendum, neque cauſſa illa ſine contrahendo matrimonio prioris coniugij vinculum poſſit incidere. Hoc igitur concluſo, atque perfecto; repudium à Dario Iudaico ritu mitti non poſſe vxori Iudææ.

Septimam addamus propoſitionē. Hiſce temporibus, cùm quotidiano vſu eruditi ſimus eſſe Chriſti nomen Iudæis perodioſum, ſi vna ex tribus illis cauſſis, quæ in quarta propoſitione expreſſæ ſunt, adſit, coniux fidelis non debet conuictore vti coniuge infideli. 7.

Octaua propoſitio. Verùm, ſi ſine fidei fraude, ſi ſine peſte vxoris, & abſque DEI iniuria infidelis cum fideli coniuge commorari vellet, poſſet fidelis in ſuum contubernium infidelem recipere, ſed non cogitur; vt coniunctis ſententiis Theologi, & Canonum interpretes docuerunt.

Nona. Cùm octauæ propoſitioni eſt locus, ac fidelis coniux infidelis reſpuit conſuetudinem, vitam fidelis ducere debet cœlibem: neque enim facultas ei datur ad nouas nuptias deuolandi; ſecus dicendum cùm fidelis ſperneretur ab fideli coniuge atque is ab eius conſuetudine abhorreret.

Quibus nouem propoſitionibus primæ illi

Digitized by Google

illi rationi ſatis eſt factum,cur diuortij libellũ legibus ac moribus Hebraicis vxori Iudææ tradere non poſſit Darius.

Secunda cauſſa cur id moliri non deberet Darius, ea fuit, quòd propter illud diuortium,quamuis is noui & Chriſtiani coniugij lege obligatus eſſet,non ideo ſuę vxori ius datum eſſet alterius connubij.

8. Itaque decima ſit propoſitio. Coniux, qui fidelem coniugem ſequi noluit, non poteſt nouum ſibi coniugem deligere ex ſua gente;quæ eſt in eadem perfidia.Non me latet,Richardum in 4.ſent. diſtin.39. artic.2.q.3. duas contrarias hac de re explicaſſe ſententias:vnam,quæ infideli poteſtatem tribuit nouarum nuptiarum:alteram,quæ negat. Scio,Durandũ, in eamdem diſt. q.2. mirari ſe, quemadmodum potuerit Eccleſia ſeruitutem hanc imponere infideli : & nihilominus opinionem indicat eſſe communem;quæ illi facit admirationem, cùm ſic ſcribit.Si autem non » conuertatur,dicunt,quòd in pœnam ſuæ » obſtinationis interdictum eſt,vt non poſ- » ſit cum alio contrahere primo viuente. Sed hoc eſt ſatis mirum, quòd Eccleſia tradat infidelibus leges contrahendi ma- » trimonia. Cùm verò ſcribit:Dicunt quòd » in pœnam,&c. nullam contrariam ſubindicans opinionem, ſatis oſtendit, quod nos in decima aſſeueramus propoſitione, Theologicam eſſe aſſeuerationem.

Ac nimirum ſine ſcelere non poſſe infidelem nouum ſubire cõnubium, trium Doctorum,quos Eccleſia in diuorum numerum retulit, ſententia eſt apertiſſima: D.Gregorij magni, D.Thomæ, ac D. Bonauenturæ:ſic enim Gregorius in canon. » ſi infidelis, 28.qu.2. Contumelia quippe » creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum » qui relinquitur:infidelis autem diſcedẽs, » & in Deum peccat, & in matrimonium: » nec eſt ei fides ſeruanda coniugij: quia » propterea diſcedit, ne audiret Chriſtum » Deum eſſe Chriſtianorum coniugiorum. & S.Thom. in 4.diſt.39.q.1.art.5.ad 3.lo- » quitur his verbis. Ad tertium dicendum, » quòd poſtquam fidelis contraxit,ſolutum eſt vinculum matrimonij ex vtraque par- » te:quia matrimoniũ non claudicat quan- » tùm ad vinculum; ſed quandoque clau- » dicat quantùm ad effectum. »

Vnde in pœnam vxoris infidelis ei in- 9. dicitur,quòd non poſſit cum alio contrahere magis, quàm ex virtute matrimonij præcedentis:ſed ſi poſtea conuertatur,poteſt ei concedi diſpenſatiuè, vt alteri nubat;ſi vir eius aliam vxorem duxit. D.Bonauentura in 4.ſent.diſt.39.art.2.q.2. docens quemadmodum matrimonij vinculo impeditus ſit infidelis,ad hunc modum ſcribit. Notandum, quòd vinculum ma- » net dupliciter, aut ſecundùm veritatem » ſacramẽti,aut in pœnam peccati. Quam- » diu vir fidelis relictus manet in ſtatu, in » quo poteſt mulier infidelis redire ad eũ, » mulier eſt alligata quantùm ad veritatem » ſacramenti. Sed quando vir eſt in ſtatu,in » quo non poteſt ei coniungi,vt ſi alteram » ducat, vel intret religionem, vel accipiat » ſacrum ordinem,mulier ſoluta eſt ſecun- » dùm veritatem ſacramenti: quia amplius » non eſt vxor,ſed tamen alligata eſt in pœ- » nam peccati: Vnde non licet ei nubere, » quouſque ſoluatur à culpa:& hoc non eſt, » quamdiu eſt infidelis. Turrecremata ex- » planans canonem ſimili modo, 28.qu.2. reſpondens tertio argumento,idem confirmat auctoritate D. Thomæ & Bonauenturæ. Et hanc pœnam infideli non Eccleſia ſed Devs infligit propter iniuriam,qua infidelis Deum ipſum,veram fidem, & matrimonij ſacramentum afficit: cuius pœnæ Eccleſia eſt promulgatrix. Quare non poteſt Hebræus conuerſus vxori non conuerſæ poteſtatem dăre noui coniugij coniungendi,etiam tradito libello repudij.

Tertia cauſſa erat, cur id faciundum 10. non ſit:propterea quòd Chriſtiani ad Iudæorum tribunalia & iudicia, quæ apud eos nulla ſunt, vocari non poſſunt: ſunt enim eorum culpa tamquam mancipia Chriſtianæ addicti Eccleſiæ: cuius voces audire,ac nutus intueri debent Hebræi.

Quare cùm de cauſſa matrimonij,quæ ſpiri

ſpiritualis eſt,agatur:& in ciuitate Catholica agatur, nimirum à Catholicis, Eccleſiaſticiſque magiſtratibus cognoſci & iudicari debent. Itaque Canones munus omne quo Iudæi videri poſſent Chriſtianis eſſe ſuperiores,iis denegant,vt Canon XIIII. Concilij Toletani III.& Concil. IV. Toletani,cap.64. & habetur 17.q.4. conſtituit. Qui Canones renouantur ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi generali, cui is præfuit. Extat Decretalis extra, de Iudæis, quæ incipit:Cùm ſit nimis abſurdum (& verba cōſequentia hæc ſunt) vt blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim poteſtatis exerceat; quod ſuper hoc Toletanum Concilium prouidè ſtatuit,nos propter traſgreſſorum audaciam in hoc generali Concilio innouamus.Decernítque,vt vniuerſa compendia,ſeu lucra, quæ ex muneribus, quibus indigni ſunt, faciunt Iudæi,ſeu pagani,cum Chriſtianorum iactura, Epiſcopi arbitrio pauperibus diſtribuantur. Et officium, inquit Pontifex, cum pudore amittat, quod irreuerenter aſſumpſit: nec vult, Iudæum, qui munere eo indignè, & contra Canones functus eſt, cum Chriſtiano habere poſſe commercium, quoad lucrū ſit diſpartitum egentibus.

II. Innocentij III.Decretalem confirmauit Gregorius IX. in cap.ex ſpeciali, eod. tit.&Paulus IV.in conſtit.contra Iudæos edita,quæ incipit. Cùm nimis abſurdum. In qua teſtatur, eos ſua culpa perpetuæ ſeruituti eſſe ſubmiſſos:ſtatuítque vt effectu operis, verba ſunt conſtitutionis, recognoſcant ſe ſeruos:Chriſtianos verò liberos per IESVM Chriſtum Deum, & Dominum noſtrum effectos fuiſſe; iniquúmque exiſtere, vt filij liberæ filiis famulentur ancillæ: quæ verba petita ſunt ex Decretali Innocentij III. Et ſi Iudæos, extra de Iudæis. Lex verò codicis,de Iud. poſtrema, ait, Iudæis omnes adminiſtrationes & dignitates interdictas eſſe: cui legi hanc ſummam præpoſuit Bartolus. Iudæi non poſſunt habere aliquem honorem. Et lex, ſi qua, eod.tit. lata eſt his verbis. Si qua inter Chriſtianos & Iudæos ſit contentio, non à ſenioribus Iudæorū, ſed ab ordinariis iudicibus dirimatur. Quam legem interpretans Salicetus. Iudæus,inquit,actor, vel reus forum ſequitur Chriſtianum.Extat item lex,Iudæi.C. eod.tit. proximæ ſuperioris ſimilis, cuius ſententia hæc eſt, Bartolo interprete. Cauſſa Iudæorum ſecundùm iura noſtra eſt agitanda.

Ad tres rationes, cur Darius repudij libello Hebraica conſuetudine bona ſua recuperare non deberet,quarta hæc addi poterat,quòd iudiciorum Chriſtianorum auctoritate multò faciliùs ac citiùs recuperauiſſet.

QVÆSTIO CXXVII.

I. PEtrus Margaritã nuptam habet, eámque ſecum ducit comitem: villas ac rura mercium ſuarum diſtrahendarum cauſſa obiens,is morbo arreptus in ſtabulo interiit: ſed Margarita morienti nō adfuit:iam enim in vrbem ſe receperat; vnde locus, vbi deceſſit Petrus, non longè aberat.

De morte ſui viri accepto nuncio Margarita veſtitum mutauit; pullámque veſtem biennium geſtauit. Et quoniam de mariti obitu fama percrebuerat, ac famæ duo teſtes producebantur,Margarita nouum petebat connubium: ſed, quoniam non poterat eo iungi, niſi certius quiddam ad Eccleſiaſticum iudicem delatum fuiſſet, pronunciat vicarius, cum viro, quem optabat, illam non poſſe habere connubium.ſed ſiue teſtium peruerſitate, ac dolo, ſiue parochi incuria, certior illa notitia,quam & vicarius,& ius matrimonij exigit,quæſita non eſt. Quare Margarita & quidam Alexius coniugij fœdera ineunt:quod cùm reſciuiſſet vicarius,dubitare cœpit,num auctoritate Eccleſiaſtica matrimonium illud,quod in facie Eccleſiæ iam celebratum erat, dirimendum foret.

Digitized by Google

2. Meam cùm exquireret ſententiam, reſpondi, dirimendum eſſe; quòd nullum eſſet: cùm ad ſecundum matrimonium propter ſolam famam migrari non poſſit, quemadmodum egregiè à Panormitano probatur in cap. In præſentia, de Sponſalibus, argumentum ducente ex verbis Decretalis, quæ ſunt hæc: Conſultationi tuæ taliter reſpondemus: quòd quantocumque annorum numero ita remaneant viuentibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare: nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorũ. Ob quæ verba ſic in commentario ſuo Panormitanus. Pondera verbum, *certum*: nam fama procedit ex auctore incerto, & plerumque fallaci, vt not. in c. veſtra, de cohabit. cler. & mul. Ac etiam in perſona nuntij deberet conſiderari qualitas perſonæ; & vtrùm deponat per verba veriſimilia: nam agitur non de modico præiudicio abſentis.

Atque huius ſententiæ ſuæ magiſtrum dilaudat Bartolum in leg. 2. ff. quemadmodum aperiantur teſtamenta, in §. Si dubitetur: vbi ſcribit, in rebus maximi præiudicij, vt is loquitur, non ſatis eſſe famam ad alicuius mortem probandam, vt cùm agitur, inquit, de homicidio, de mutatione ſtatus, de ſecundis nuptiis: nam cùm agitur de ſecundis nuptiis, requirit ſollemnem illam notitiam, de qua eſt in l. Hodie quantiſcumque. C. de repudiis: quam ſollemnitatem correxit Decretalis Clementis III. In præſentia. Ad fœdera enim ſecundi coniugij certus ſatis eſt nuntius.

3. Sunt verò memoria & cognitione digna, quæ de natura famæ, & eius effectibus ab eodem Bartolo litteris conſignata ſunt, explanante legem de minore. ff. de quæſtionibus: nam in num. 7. Commentarij, Fama, inquit, eſt communis opinio voce manifeſtata ex ſuſpicione prouenienſ: ſed ſuſpicio non gignit certam cognitionem: ergo fama mortem probare non poteſt: ita vt ſecundarum nuptiarum iniri poſſint fœdera. Ac numer. 11. adferens definitionem famæ: Communis, inquit, eorum opinio, qui ſcire debent, & ad quos ſpectat hoc ſcire, facit famam: quis autem diuinare poſſit duos illos teſtes veræ famæ teſtimonium dediſſe, cùm Petrus ſupremum vitæ diem in ea villa confecerit, ad cuius indigenas nihil pertinebat de morte hominis cognoſcere?

Idem ſcribit, vbi de morte agitur alicuius viri magni, & negotio valde magno, famam requiri totius ciuitatis: vbi de negotio paruo, ſatis eſſe famam viciniæ. Nemo neſcit matrimonium ſecundum rem eſſe permagni ponderis: ergo ad eam rem fama eſſet opus totius villæ: cuiuſmodi famam non credo in iudicium eſſe allatam. Fama, vt inquit Bartolus, num. 15. eiuſdem commentarij, oriri debet à viris fide dignis, vt liquet ex Decretali, qualiter, & quando de accuſationibus: ergo ſi duo illi teſtes non docuerunt famam grauium hominum auctoritate, in probando ſuccubuerunt. Idem in num. 19. in probatione famæ, eiuſmodi exigit teſtes, qui dicere poſſint ſe huius illiúſque, & multorum voces de re aliqua audiuiſſe.

Ideo, inquit Bartolus, teſtis qui probat famam, debet dicere, dico maiorem partem populi hoc ſentire: quia audiui maiorem partem populi hoc dicere: aliàs non eſſet probata fama. Si teſtis dicit, quòd eſt publica vox, & fama, certè non probat: quia nõ reddit cauſſam per aliquid, quod percipiatur ſenſu: non enim dicit ſe audiuiſſe à maiore parte populi, ſed dicit, quòd hoc dicitur: debet ergo dicere, audiui publicè dici à maiore parte hominum huius ciuitatis, num. 21. & 22.

Mihi minimè dubium eſt, in probandi ratione illos teſtes duos à præceptionibus Bartoli receſſiſſe: Debet teſtis, inquit ille, num. 23. nominare aliquam ſaltem perſonam honeſtam, & poſtea dicere ſe audiuiſſe ab aliis; confirmat id Innocentij & Speculatoris teſtimonio: quòd ſi neminẽ nominat, 4.

nominat, ac dicit ſe non recordari, eius
» teſtimonium non valeret. Fama, inquit
» Bartolus, vt ſit fama, debet oriri ex veriſi-
» milibus cauſſis inducentibus populum ad
» ſic opinandum: alioqui eſſet vana vox po-
» puli, num. 31. & in cauſſis, inquit, in qui-
» bus ſententia facit magnum præiudicium,
» requiritur plena cognitio, & plena pro-
» batio. C. de iudicibus, l. iudices: hoc ille
interpretans legem, ſi conſtante. ff. ſoluto matrimonio, num. 8. Ergo cùm plena & abſoluta notitia de morte Petri non ſit habita, credet Eccleſia etiam nunc illum in numero eſſe viuorum, nec migrari poſſe ad ſecundum matrimonium. Quandoquidem Gloſſa, & Bartolus in leg. 2. ff. quemadmodum aperiantur teſtamenta, teſtantur per centum annos quemlibet præſumi viuere. Atque ad id probandum vtuntur lege poſtrema, C. de ſacroſanctis Eccleſiis. Quare, etiamſi planè probata eſſet fama obitus Petri, ad ſecundas nuptias contrahendas non eſſet ſatis.

Non ſum ignatus, Butrium de fama ita
5. diſtinguere ſolere, quòd aut è longinquis aut vicinis locis perfertur: ſi è longinquis, famam eſſe ſatis ad nouum connubium; ſi è propinquis, non eſſe ſatis: conſtat autem in propinquo loco diem ſuum obiiſſe Petrum: diſtinctio verò illa Butriana non probatur Panormitano: quòd verba Decretalis illi aduerſantur; quam tamen diſtinctionem viri non vulgaris doctrinæ non reiiciunt. Nauarrus in 2. volum. ſuorum conſiliorum, par. 4. conſ. poſtremo,
» ait, relinqui arbitrio iudicis. An fama, in-
» quit, mortis coniugis abſentis ſatis probet
» eam ſola, vel cum aliis coniecturis: etiamſi
» nulli ſint teſtes deponentes de viſu, vel
» ſcientia mortui.

Equidem malim ego in hac quæſtione cum Bartolo & Panormitano, quàm cum Nauarro ſentire: nã iis verba Decretalis in præſentia mirificè fauent. Ac licèt nonnullus mihi Eccleſiaſticarum cauſſarum iudex affirmarit Bartoli de fama doctrinã Rotæ auditores minimè ſequi: ídque promptum eſſe ex quadam Rotæ deciſione: nihilominus tamen cenſendum nõ eſt, ab eo tribunali grauiſſimo Bartoli doctrinam exulaſſe. Primùm: quia non ſtatim ſequitur, omnem eius doctrinæ partem à Rota Romana improbatam eſſe: quia fortaſſe aliquam non probauit. Deinde quòd ſummi Iuriſcõſulti doctrinam quampiam condemnare vnius videtur eſſe Romani Pontificis. Tum, quia deciſiones Rotæ iudicium habent ſingularis facti, non generalis doctrinæ. Poſtremò, quia deciſionibus, quæ circumferuntur Rotæ impreſſis non ea fides haberi ſolet, quæ debetur iis, quæ ab illorum iudicum auctoritate, ac voce proficiſcuntur: ita non magni fiunt ab ipſiſmet Rotæ auditoribus deciſiones eæ, quæ typis excuſæ in horum illorúmve manibus verſantur: quę omnia illuſtriſſimus Cardinalis Paleotus, qui ante Cardinalis adeptam dignitatem, in Romana Rota ſententias dixit, mihi Bononiæ confirmauit.

Maneat igitur, cùm Petri mortem fama minimè cõfirmarit, inter Margaritam & Alexium matrimonium non conſtare, ſed Eccleſiæ auctoritate ſeparari debere.

QVÆSTIO CXXVIII.

Cornelia poſt viri ſui diſceſſionem, 1.
quem tres annos exſpectauit, cùm domum nõ reueniret, de vita eum exiſſe rata, iterum nubit. Dum ſecundo potitur connubio, prior vir redit.

Quæſitum eſt, quid iuris ſit in hoc genere, & num primo viro mortuo, cum ſecundo manere Cornelia queat. Reſpondi, Primùm Corneliã viro ſuo primo reddendam. Deinde, ſi quandò cum ſecundo viro fuit matrimonio iuncta, dubitauit de viri primi morte, vel cùm de eius vita cognouit, à ſecundo cognoſci ſe eſt paſſa, cum ſecundo nubere numquam potuiſſe. è contrario, ſi bona fide quæ dubitationem repellit, contraxit ſecundas nuptias: & ſtatim atque reſciuit de primi viri vita, à conſuetudine ſecundi ſe ipſa

ſegregauit, redire poterit ad primum qui Corneliã rato matrimonio tenere omnino debebit. Vide Syluestrum in verbo matrimonium, 8.q.13.

Ad hæc, ſi pactum futuri matrimonij inter Corneliam & ſecundum maritum cum adulterio fuit; aut ſi gnari vitæ primi viri connnubij fœdera inierunt, poſt primi viri mortem, inter eos non poteſt conſiſtere matrimonium, ſic decernẽte Clemente III. in cap. ex litterarum, & in c. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium, quam per adulterium polluerat: ſuiq; decreti auctores & approbatores duos laudat Romanos Pontifices Clemens: nec Concilij Triburienſis prætermittit auctoritatem in cap. olim: cuius capitis ſumma eſt huiuſmodi. Item plus eſt, aliquã facto ducere, quàm fidem dare. Item hæc impedimenta impediunt & dirimunt matrimonium.

2. Neque Clemens III. diſpenſare voluit cum eo, qui prima viua vxore, ſecundam duxerat, & cum eadem decem annos vixerat; totidémque liberos procrea-
» rat. Cùm multiplicitas prolis ita ſuſceptæ
» magis eorum crimen exaggeret, & diutur-
» nitas temporis peccatum non minuat, ſed
» augmentet, inquit Clemẽs in illa Decretali, Cum. Item ſi vir ſecundus Corneliæ probabiliter ac iuſtè ignorabat mortem veri mariti, & vxorio affectu Corneliam cognouit, tùm ea iungi cõnubio poterit poſt primi mariti obitum: hoc enim docet Decretalis, Veniens ad præſentiam, de eo, qui duxit in matrimonium. Prætetea, ſi ſecundus contraxit cum Cornelia de facto: verùm nec ante, nec poſt contractum matrimonium cùm ea corpus miſcuit, poſt primi mariti mortem ducere illam poterit per legem Eccleſiaſticam, quæ habetur in Decretali Innocẽtij III. ſi quis vxore viuente, de eo, qui duxit in
» matrimonium, &c. quãmuis vtrique ipſo-
» rum (verba ſunt Pontificiæ ſanctionis)
» pro eo, quòd in hoc grauiter de-
» liquerint, ſit pœnitentia iniungenda.

QVÆSTIO CXXIX.

Sextilius maritus Quintiliæ, tranſmit- 1.
tit in terras longinquas: tres annos viri diſſidium fert vxor mœrens: longioris moræ pertæſa, virum alium optat: ſed quia mors illi ſui viri incerta erat, neque potuiſſet ab Eccleſia impetrare, vt ſociare cum altero connubium poſſet; doctorem quempiam conſulit: quidnam in hoc genere facto opus eſſet.

Reſpondit, duos quoſdam comparandos eſſe teſtes, qui de ſui viri abſentis interitu apud iudicem teſtentur: producuntur teſtes; iidémque ſubornati, & falſi: mortis Sextilij dant teſtimonium: ad ſecundas nuptias ſollemni ritu auctoritate Eccleſiæ venitur.

Duo in hoc genere rogatus ſum: alterum, vtrùm Cornelia exigenti ſecundo viro debitum reddere potuerit: alterum, an poſt allatum nuntium de ſui mariti vita, idem debitum reddere poſſit, & exigere. In hoc cardine tota vertitur quæſtio; fueritne ſecundum matrimonium iuſtum ac verum. Nullum igitur, & ſacrilegum fuiſſe, hæ rationes peruincunt.

Prima, vbi impedimentum obiicitur diſſoluens matrimonium, illic matrimonium eſſe non poteſt; præſertim ſi impedimentum eiuſmodi non eſt contrahentibus ignoratum: ſed Quintilia ſciente impedimentum ſecundi matrimonij, illud contractũ eſt: ergo quantùm ad eam ſpectat, matrimonium ſacrilegum fuit, nedum nullum.

[illegible] enim ſunt Eccleſiæ leges, quæ 2.
ſecunda matrimonia nullo modo concedunt, niſi de morte coniugis prioris certum ſciatur. Sic ſtatuit Clemens III. in Decretali ſua, In præſentia; de ſponſalibus, vbi decernitur, eas mulieres, quæ ipſos ſeptem annos viris ſuis præſtolatæ ſunt, ſiue quòd in hoſtium poteſtate, ſiue quòd peregrinantes in aliqua orbis terræ regione verſentur, nec certum nuncium de ipſorum vita acceperint, nouum matrimo

» trimonium non poſſe contrahere. Licèt,
» inquit Roman. Pontifex, ſuper hoc ſolli-
» citudinem adhibuerint diligentem; &
» pro iuuenili ætate, ſeu fragilitate carnis,
» nequeant continere, petentes aliis matri-
» monio copulari; Conſultationi ergo tuæ
» taliter reſpondemus; quòd quantocum-
» que annorum numero remaneat, viuen-
» tibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum
» conſortium Canonicè conuolare: nec au-
» ctoritate Eccleſiæ permittas contrahere,
» donec certum nuncium recipiant de
» morte virorum.

Iam verò intemperans hæc & perdita mulier, cùm de viri morte nihil certum haberet; neque, vt certior fieret, vllam operam dederit; cùm pellicatui ſuo (quid enim matrimonium attinet dicere) Eccleſiæ leges reſiſtere intelligeret, ad nefarias nuptias falſorum teſtium machinam adhibendam cenſuit.

Secunda ratio, contra voluntatem Eccleſiæ, eiúſque ſanctiſſimas leges connubium irritantes, ſi coniugiorum fœdera iciuntur, nulla ſunt: verùm nefario mulieris connubio voluntate & lege obnixa eſt Eccleſia: ergo nullum fuit matrimonium; nullum enim pactum nullámque conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege prohibente contrahere, vt eſt in lege, Non dubium. C. de legibus: ſed iſti duabus legibus maximorum Pontificum prohibentibus contrahere, imò lege naturæ prohibente contraxerunt: ergo nullus eſt inter virum & vxorem contractus connubij ſubſecutus.

3. Et poſt aliquanto, in eadem lege hæc
» ſunt: Ea quæ lege fieri prohibentur, ſi fue-
» rint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro in-
» fectis etiam habeantur: tantóque id, quod
ſciſcit lex, verius eſt, quantò eſt dolus ac
fraus inſignior in iis, qui in legem, atque
in legiſlatoris ſententiam committunt:
» cùm nemini debeat ſua malitia eſſe lu-
» croſa. ff. de dolo malo. l. 1. & ff. eodem. l.
Ne ex dolo, & ex Decretali Innocentij
III. ex tenore, de reſcriptis.

Tertia ratio. Sine forma contractus, nequit cohærere contractus: ſed forma contractus, vt eſt à nobis in libris noſtris de contractu probatum, eſt legitima contrahentium de re quapiam agenda, vel non agenda ſigno aliquo externo declarata conſenſio: ergo cùm Quintilia, & ſuus ille, quem expetebat virum, non potuerint ex lege Eccleſiæ ſecundo matrimonio accommodare conſenſum, accommodatus conſenſus fuit nullus; quare matrimonium nullum.

Dices: tu rem minimè dubiam, argumentando dubiam facis: cui enim in mentem venire poſſit, nexum ſecundi matrimonij ratum eſſe potuiſſe, cùm Sextilius maritus Quintiliæ legitimus etiam in vita maneret?

Reſpondeo, eo conquiſitas eſſe ſuperiores argumentationes, vt illud etiam illuſtre facerem; quamuis è viuis exceſſiſſet Sextilius, nulla ſecundarum nuptiarum fœdera tamen extitiſſe: propterea quòd ſine certa notitia prioris coniugis demortui ſancita fuiſſent; ſiquidem Eccleſia ſecunda non vult rata eſſe coniugia, niſi contrahentibus prioris coniugis mortui ignorantia probabilis opituletur. Videto Sylueſtrum, in verbo, Matrimonium, 8. quæſt. 13. in extremo: & Nauarrum, à quo citatur Syluester, in Summa, cap. 22. numer. 56.

Ex his omnibus colligimus, peſſimam 4.
hanc & perditiſſimam mulierem, coniugij debitum numquã aut petere aut reddere potuiſſe. Nec inter eam, & quem elegit, concubinum, conſtare matrimonium poſſe; niſi iis Romanus Pontifex largiatur; vt nouo & clandeſtino conſenſu illud ipſum iterent; vel potiùs, vt quod irritum erat, ratum faciant.

Impudica verò mulier hæc omnia peccata admiſit. Primum fuit, adulterium animo conceptum: dum eum appulit ad nouum connubium; cuius nullum eius erit. Secundum, cogitaſſe de falſis teſtibus, quos ſceleratis mendaciis inſtruxit. Tertium, ſacrilegi iuriſiurandi in iudicio

iiſdem teſtibus cauſſam attuliſſe, eóſque ad peierandum impuliſſe. Quartum, corrupta mentis conſcientia matrimonium palam celebraſſe. Quintum, cum eadem conſcientia connubiale debitum exegiſſe. Sextum, eadem conſcientia illud reddidiſſe. Septimum, tamdiu in pellicatu permanſiſſe.

Neque hæc nefaria mulier à peccatis abſolui poteſt, niſi ab huius viri conſuetudine, & thoro omnino diſcedat. Quòd ſi cum eo nubere velit, ſupplici libello id petat ab ſede Apoſtolica.

QVÆSTIO CXXX.

1. O Adulterio violat vxorem alterius, clauſtra quidem inuadens pudoris, ſed intra vas naturale ad generationẽ fabricatum, nihil effundit: eidem mulieri ſiue pactione, ſiue iurata ſponſione futurarum nuptiarum fidem aſtringit.

Hic adulter duo doceri voluit: alterum fuit, vtrúmnam ob eam fidem & concubitum matrimonij ſpe deiectus fuerit: quo poſt adulteræ virum defunctũ, cum ea coniungi optaret: Alterum, num viua, ſeu etiam mortua adultera, matrimonij vinculo cum eius ſorore cõſtringi poſſet.

Reſpondi. Et promiſſum connubium ratum eſſe, & nuptiarũ fœdus cum adulteræ ſorore fieri poſſe. Sororis quidem adulterę connubium ideo adipiſci poteſt; quoniam ex illo concubitu nulla manauit affinitas; quæ in fornicario coitu ſeminum commiſtionem requirit, vt eſt auctor D. Thomas, in 4. diſtinct. 41. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula 4. ad 1. Quantumcunque, inquit, aliquis clauſtra pudoris inuadat, & frãgat, niſi commiſtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas: quamuis in matrimonio per verba de præſenti ante conſummationem contrahatur, atque adeo in ipſa conſummatione, vt idem affirmat. Verùm ſi aut fides, aut iurata pactio vim habuerunt ſponſalium cum mutua fide contrahentium, ſororem eius quæ polluta eſt ducere non poſſet propter impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

Affinitatem autem illam, quæ ex legitimo oritur matrimonio labi ad quartum gradum, & eſſe impedimentum dirimẽs, declarauit Pius V. in Extrauaganti ad Romanum. Sine ſeminum verò commiſtione, ex fornicario & illicito coitu nullam naſci affinitatẽ docetur ab omnibus. 2.

In eo verò variari ſolet inter Doctores; vtrùm ad gignendam affinitatem ſatis ſit viri tantùm ſemen in muliebrem agrum incidere; quamuis nihil largiatur femina præter locum: an ſit neceſſe aliquid etiam ab ea proiici. Verior ſententia eſt, viri ſolius ſatis eſſe pollutionem intra vas muliebre, mulieris verò non eſſe ſatis: ratio eſt. Quia mulieris ſemen, vt Phyſicis rationibus conficit Ariſtoteles, in 1. lib. de generat. animalium, cap. 20. non eſt neceſſarium ad generationem prolis.

Poterit etiam idem adulter poſt interitum viri adulteræ, illam in matrimonio habere; quam intra naturale vas non polluit: propterea quòd concubitus ille verum adulterium non fuit.

Quattuor enim crimen requirit adulterij, vt impedimentum ſit dirimens matrimoniũ. Primum eſt, vt, qui delinquunt, vterque ſuæ ignorantiæ probabilem habeant excuſationem. Secundum, vt adulterium vallatum ſit, aut fide data, aut promiſſo cum iureiurando futuri connubij. Tertium, vt primum matrimoniũ iuſtum fuerit, ac legitimum. Quartum, vt pollutio intra vas mulieris ſequatur. Hæc quattuor ex D. Thom. exponit Sylueſter, in verbo, Matrimonium, 8. q. 9. 3.

Totidem etiam res requiruntur in eo, qui vxorem duxit quampiam, dum vir eius viueret. Vide Diuum Antoninum, in 3. part. tit. 1. cap. 5. Sylueſt. vbi ſuprà: Angelum, in verbo, Matrimonium, 3. impedimento, 7. Nauarrum, in Summa, cap. 22. num. 46. & 47.

QVÆ

QVÆSTIO CXXXI.

1. N. Ciuis Vicetinus cupit ſibi vxorem dari Franciſcam; quam multos annos adamauit: ſed quia N. Viceria exſulat, Franciſcam Venetias curat adducendam, vt illic matrimonium contrahatur: facultas contrahendi Venetiis datur à Vicario generali Epiſcopi Vicetini.

Petitum eſt; vtrùm eiuſmodi facultas ſit ſatis ad ineundum connubium Venetiis. Nauarrus, in 2. volum. ſuorum conſiliorum, lib. 4. de ſponſal. conſ. 37. & conſ. 52. negat eſſe ſatis: quia cenſet, perſonam Epiſcopi extra ſuam diœceſim, & parochi extra ſuam parœciam, eſſe priuatam, & non pollere ea auctoritate publica, quam Concilium requirere videtur in matrimoniis celebrandis. Hæc eius eſt potiſſima ratio in conſ. 37. reliquæ ſunt perinfirmæ. Itaque negat ipſe aut Parochū extra ſuam parœciam, aut Epiſcopum extra ſuam diœceſim, contrahendis matrimoniis inter ſuos intereſſe poſſe.

Mihi contraria ſententia viſa eſt, & videtur etiam nunc veriſſima. Cùm ex decreto Concilij Tridentini, ſeſſ. 24. c. 1. de reformatione matrimonij, conſtet, formam ab eo præſcriptam & ſeruandam in celebrandis matrimoniis in eo intrinſecè & eſſentialiter ſitam eſſe, vt adſit Parochus, vel alius Sacerdos de licentia Parochi, ſiue ordinarij; ac duo præterea teſtes: ergo reliqua omnia extrinſeca ſunt, & accidentaria, puta locus, tempus, & reliqua eiuſmodi.

2. Ad hæc illuſtriſſimorum Cardinalium congregatio, ad quos Concilij Tridentini ſpectat declaratio, teſte eodem Nauarro, conſ. 52. declarauit, præſentiā alterutrius Parochi contrahentium ſufficere, in quacunque parœcia matrimonium contrahatur: vt mirum ſit, Nauarrum, poſt hanc declarationem ſentire ſecus potuiſſe. Nec defuit nonnullus doctor; qui, quod nos defendimus, ſcripto quoque publico comprobarit.

Argumentum Nauarri, quod is tanti facit, apud me eſt minimi pretij: quandoquidem Concilium in eo perſonarum genere, quarum eſt matrimonio contrahendo neceſſaria præſentia, non alicuius publici officij auctoritatem per ſe requirit; alioqui teſtes è priuatorum hominum claſſe ſumpti, & ſimplex Sacerdos Epiſcopi conceſſu, vel Parochi proprij, adhibitus, non eſſent idoneæ perſonæ, quod eſt ſtultum aſſerere: ſed id vnum exigit; vt perſonæ ſint eiuſmodi, quæ contracti matrimonij plenam Eccleſiæ fidem facere poſſint. Quòd ſi iudex, qui extra ſuæ iuriſdictionis locum iudex non eſt, licentiam minori tribuere poteſt, vt extra locum ſuæ iuriſdictionis contractū inire poſſit, cur idem hoc nō poſſit Epiſcopus in contractu matrimonij? Si Epiſcopus parœcis ſuis peregrinantibus in alienam prouinciam, veniam largitur Sacramenta Confeſſionis & Euchariſtiæ ſumendi, cur etiā non matrimonij? Adde: quòd ſi nomen Epiſcopi & Parochi nomen eſt hominis publicam perſonam ſuſtinentis, ſequitur, vt quæcunque eorum fiunt auctoritate, publica auctoritate fiant.

Quare, ſi Epiſcopus, vt matrimonium à ſuis in aliena ciuitate ſuſcipiatur, concedit, publica id auctoritate factum intelligetur.

QVÆSTIO CXXXII.

Martha nuptui locatur Petro: hic aliò proficiſcitur. Martha, quòd virum ſuum extinctum eſſe crederet, alteri nubit: in ſecūdo matrimonio ipſos quatuor & viginti annos degit, filióſque ſuſcipit. Poſt tantum temporis ſpatium de primi viri vita nuncium accipit. 1.

Multa hîc quæſita ſunt. Primùm, peccaueritne Martha cùm ſecundas nuptias contraxit de morte mariti ſui non facta certior: ſiquidem in Decretali, In præſentia, de ſponſalibus, Clemens III. certum nuncium de abſentis coniugis morte requirit;

quitit; vt ſecundi matrimonij vinculo legitimè copulari poſſit coniux præſens.

Primæ huic quæſtioni ex ſententia eorum, qui non tantam notitiam in contrahentibus requirunt, quantam in Eccleſia, auctoritate cuius ſecundum contrahi debet matrimonium, reſponderi poteſt, ſi Martha, ea fide & perſuaſione imbuta, quæ ad rem eamdem faciendam viri ſapientis animum permouiſſet, ſecundum matrimonium iniuit, illam extra omnem culpam fuiſſe.

2. Secunda quæſtio habebat; num in eo matrimonio procreati liberi legitimi eſſent: reſpondendũ eſt, ſi vel ante vel poſt Concilium clandeſtinè contractum eſt matrimonium, neque ſeruatis iis, quæ præcipiuntur ab Innocentio III. in cap. cùm inhibitio, de clandeſtina deſponſatione, prolem non eſſe legitimam; ſi verò in facie Eccleſiæ contractum ſit, nec prætermiſſæ ſint denuntiationes, atque impedimentum dirimens, aut vtrique aut alterutri contrahenti ignoratũ fuit, prolem cenſeri legitimam.

Tertia quæſtio erat, num Martha ſecundo viro reddere queat debitum, atque ab eo viciſſim exigere. Reſpondetur: Si aut Marthæ certum eſt de viri ſui vita; aut ita pendet animo, vt in neutram partem dare ſe poſſit, petere nullomodo poſſe, nec exigere, ſi mariti vita explorata ei ſit; quòd ſi dubia, reddat, exigat autem nullomodo: Quia in reddendo poteſt è mente dubitationem diſcutere, ne ſecundi viri iuri noceatur: in exigendo autem, à dubitatione probabili animum auertere non debet; quia dubitatio, quæ viro non debet obeſſe, ſibi nocet. Conſulatur Decretalis, Dominus ac Redemptor, de ſecundis nupt.

Quid ergo conſilij capiet Martha, ſi de vita primi mariti compertum habeat? Reſpondeo, ſi reuerſus fuerit primus vir, ad eum remigret; ſi abeſſe voluerit, thorum ſecundi deſerat, & vitam cœlibem agat: atque cum eo tamquam ſoror cum fratre commoretur.

QVÆSTIO CXXXIII.

AN viro cum vxore concumbenti criminoſum ſit, inchoatum coitum non abſoluere, ex me viri pij ac religioſi exquiſierunt. 1.

Reſpondi, probabiliorem mihi eorum videri ſententiam, qui negant id eſſe criminoſum; ſed potiùs ad leuem & interdum ad nullam culpam pertinere. Hominem ſic cum ſua vera vxore coëuntem, crimine, ſeu mortifero flagitio, expediunt hi haud leues doctores, Paludanus, in 4. diſt. 31. quæſt. 3. art. 2. D. Anton. in 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 6. vbi Paludani ſententiam exſcribit, atque his verbis ſubſcribit. Licet » appetere non plures habere habere filios, » quàm poſſit nutrire: nec tenetur ipſe de- » bitum petere, nec actum inchoatum con- » ſummare niſi vxore petẽte. Angelus idem » docet in Summa, verbo, Debitum coniugale, num. 27. Idem quoque Armillæ, verbo eod. num. 9.

Hæc tamen opinio neceſſaria quadam eget moderatione; quæ in duobus conſiſtit. Primum eſt, vt ab eiuſmodi concubitu probabile pollutionis periculum alterutri coniugũ ne immineat. Secundum, vt ſit coniux eo contenta coitu: nam ſi perfectum exigeret, eo priuari ſine ſcelere non poſſet: ſi tamen iuſtè peteret.

Hanc ego opinionem multò quàm contrariam veriſimiliorem eſſe ratione & auctoritate confirmo: Toti verò conſequenti probationi triplex fundamentum præmunio.

Primum fundamentum eſt; ex ſententia Theologorum omnium, qui ducem ſequuntur Diuum Auguſtinum, tria eſſe matrimonij bona, quibus coniugũ actus excuſantur, Prolem, Fidem, Sacramentũ; de quibus ſic D. Auguſtinus, in 9. lib. in Geneſim, cap. 7. Hoc autem bonum tripertitum eſt, Fides, Proles, Sacramẽtum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur: in prole, vt amanter ſuſcipiatur, 2.

benignè

benignè nutriatur; religioſè educetur: in Sacramento autem, vt coniugium non ſeparetur, & dimiſſus & dimiſſa nec cauſſa prolis alteri coniungatur. Secundum fundamẽtum. Tribus his bonis tres item fines ſubiecti ſunt. Primus eſt, prolem gignere. Secundus, legitimo coniugi iure petenti debitum non denegare. Tertius, periculum fornicationis vitare, vt eiſdem Theologis placet.

3. Tertium fundamentum. Qui ad ſatiandam libidinem nullo horum trium finium propoſito, vxorem init, idem cum alia muliere, quæ ſua non eſſet, minimè facturus, peccat ille quidem, ſed peccatum leue, haud æterno ſupplicio dignum: id docuit D. Auguſtinus: id ſecutus eſt Magiſter ſententiarum in 4. diſtinct. 31. id Theologi reliqui. D. Thom. D. Bonauen. Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Richardus, Durandus, Paludanus, ceteri omnes, qui rectè ſenſerunt.

Princeps huius ſententiæ, his verbis loquitur, Auguſtinus, in lib. de bono coniugali, cap. 6. Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamẽ cum coniuge, propter fidem thori, venialem habet culpam: adulterium verò, ſeu fornicatio lethalem habet culpam. & cap. 10. Illum concubitum ſecundùm veniam concedit Apoſtolus, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſſa procreandi; & aliquando nulla cauſſa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant: ſi tamen non ita ſit nimius, vt impediat, quæ ſepoſita eſſe debent, tempora orandi: nec immutetur in eum vſum, qui eſt contra naturam. Poſtremis his verbis fortaſſe adductus eſt Albertus Magnus, vt ſcriberet in 31. diſtinct. Magiſtri lib. 4. ſent. nihil eorum quæ vir cum vxore agit intra vas legitimum, culpam eſſe mortiferam. D. autem Thom. in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 1. art. 4. ad hunc modum. Si enim ad actum matrimonialem virtus inducat, vel iuſtitiæ, vt debitum reddat; vel religionis, vt proles ad cultum Dei procreetur; eſt meritorius: ſi autem moueat libido ſiſtens infra bona matrimonij, vt ſcilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, eſt peccatum veniale: ſi autem extra bona matrimonij efferatur, vt ſcilicet cum quacumque muliere id facere proponeret, eſt peccatum mortale.

4. D. Bonauentura, in 4. diſt. 31. art. 2. q. 3. his verbis eamdem ſententiã teſtatus eſt. Qui cognoſcit vxorem propter delectationem finalem, aut mouetur in delectationem in tanto impetu, vt cognoſcat vxorem, ſicut meretricem; & hoc tunc eſt, quando eam cognoſceret, etiamſi non eſſet vxor: & tunc peccat mortaliter: quia tunc ponit ibi finem vltimum: & tunc verè & propriè fruitur; & nimis vehementer amat: ſi autem in ea vult delectari, quia vxor, & nullo modo eam cognoſceret, ſi vxor non eſſet, tunc non eſt omnimoda inordinatio: & tunc eſt peccatum veniale, & excuſatur per bonum matrimonij, vt nõ ſit mortale. Alexandri Halenſis, qui magiſter fuit Sancti Bonauenturæ, ſubiicienda ſunt verba ex 3. par. quæſt. 35. memb. 8. de ſexto Decalogi præcepto differentis.

Quæritur vtrùm remotis his tribus cauſſis, ſcilicet prolis habendæ, & debiti reddendi, & fornicationis vitandæ, prohibeatur coitus coniugalis iſto præcepto, quo prohibetur coitus illicitus. Et poſt aliquanto quæſtioni reſpondẽs. Solutio. Coitus coniugalis alius eſt licitus, alius permiſſus, alius prohibitus: licitus, ſicut dictum eſt, coitus coniugalis triplici de cauſſa: permiſſus verò eſt coitus ex fragilitate, ſeu infirmitate carnis proueniens: in quo quæritur coniugalis delectatio, ſed ſub Deo; vt Dei amor præponatur illi delectationi: & iſte coitus venialis eſt; quamuis non fiat cauſſa prolis, nec reddendi debitum, nec vitandæ fornicationis, ſed cauſſa delectationis talis in coniuge propria, & non aliena. Vnde dicitur 32. q. 2. iuxta auctoritatem Auguſtini & Apoſtoli, inſtitutio coniugij extra paradiſum facta eſt, vt infirmitas prona in ruinã

turpitudinis honeſtate exciperetur coniugij. & Auguſt. de adulterinis coniugiis.
» Vſus naturalis ſi vltra modum prolabitur,
» in vxore quidem eſt venialeːin meretrice
» verò damnabile : prohibitus coniugalis
» coitus eſt,qui ex voluntate ſubdita libidi-
» ni contra honeſtatem coniugij, & ordi-
» dinem rationis procedit : vt illud, quod
» fit ad ſatiandam libidinem per meretri-
» cias blanditias.Secundùm quem modum
» dixit Hieron.Nihil fœdius quàm vxorem
» amare quaſi adulteram. Ex his fundamentis,& Doctorum ſentétiis, firma depromunrur argumenta ad opinionem, quam ipſi delegimus,perſuadendam.

5. Primum argumentum. Multò eſt fœdius commiſcere cum vxore corpus ad exſaturandam libidiné,quàm inchoatum concubitum, & inſanientem libidinem, voluptatémque cohibere: ſed illud flagitio vacat: ergo multò magis hoc.

Secundum quod cófirmatio primi eſt arguméti. Coire ad corporis voluptatem ciendam, atque explendam, ſemper eſt malum, connubialem actum interrumpere non ſemper eſt malum: ergo ſi illud indulget matrimoniú, multò magis hoc indulgere debet. Maior propoſitio eſt nota: minor probatur. Si enim quis, vt vitæ imminens propulſet periculum; ſi, ne in grauiorem morbum incidat; ſi, vt ne voluptati intemperanter ſeruiat, ſi vt fetum ne opprimat, inchoatum coitum perficere nolit, optimè facit atque honeſtiſſimè.

Tertium argumentum. Non ſemper licet homini prolem procurare,vt in loco ſacro, ex ſententia meliorum doctorum, vt tempore menſtruorú,vt cùm ob adulterium ius exigendi debiti amiſit: vt cùm ſibi vel alteri coniugi grauius malú quodpiam animi, vel corporis impendet : vt cùm prægnans eſt mulier, & periculum eſt, ne muliebris vterus noui ſeminis appetens coitus ſtimulante voluptate hiet, conceptámque generationis materiam nec dum coagmentatam deiiciat; aut fetus extinguatur; aut, ſi nouus concipitur, ne poſtea abigatur. Quamuis enim mulier è genere eorum animalium ſit, quæ ſuperfetant,vt docet Ariſt.in lib.4. de generat. anim. c. 5. nihilominus idem affirmat aucto iam fetu in vulua mulieris rarò ſecundum fetum ingigni ex nouo coitu adhibito; & quamuis excitari poſſit, tamen non perfici,ſed abigi ſolere. Cùm ergo his temporibus non liceat coitus, quis non videat, ſi fuerit inchoatus, poſſe non abſolui : cùm coiens non minùs in culpa ſit abſoluendo, quàm inchoando?

Quartum argumentum. Licet coniugibus, ſi ſic inter eos conuenerit, prorſus ceſſare ab actu coniugij,& alterutri licet numquam petere: cur ergo non licebit ſæpe inceptum interrumpere, cùm plus ſit omnino actum non exercere, quàm inchoatum dimittere? 6.

Dices,id non rectè cócludiːnam actus religionis, & virtutum non ſemper cogimur exercere : verùm, cùm illos exercemus, debemus qua decet ratione obire: pertinet autem ad connubialem actum, vt perficiatur.

Reſpondeo, primùm non me in argumento temere poſuiſſe aduerbium *ſæpe:* vt indicarem eos actus cónubij, quorum & vitioſa eſt inchoatio,& iniqua progreſſio;quos ſicut ſuſcipere non licet,ita nec abſoluere,aut continuare decet. Deinde, non prorſus conſideratè dicitur ad actum connubialé ſpectare,vt perficiatur. Quæ enim perfectio intelligitur?ea ne, quæ ſeminis habet deciſionem? at multi ſunt, qui ſemen nullum emittunt vitio aliquo valetudinis, quo poſt nuptias laborare cœperunt: quibus tamen coitus non eſt interdictus. an ea quæ proli procreandæ eſt idonea? verùm hac carent ſteriles, qui tamen à concubitu coniugali minimè arcentur.

Poſtremum. Si nihil eorum quæ vir agit cum vxore ſua, intra naturale vas, eſt culpa,quę abalienet à DEO, vt placet Alberto, quem D. Antoninus, Sylueſter & Angelus citant, & probant, mihi ſanè non liquet, quemadmodum actus interruptio

ruptio in crimine ponenda ſit, cùm ſit ex eorum genere quæ intra legitimum vas cum vxore fiunt. Nam intra vas ipſum & actus agitur, & eius incipit interruptio.

7. Verùm quæ ab aduerſariis bene & ratione ædificata videri poſſunt, ſunt diruenda. Sic enim illi argumētantur. Actus coniugij à natura & Deo comparatus eſt ad prolem gignendam: hunc autem ordinem peruertit, qui concubitum non perficit; quare agit perflagitiosè.

Reſpondeo, multis modis peccare argumentum. Primùm ſequeretur, eos, qui ſteriles ſunt, & liberos ſuſcipere nequeūt, debitum nec exigere, nec reddere poſſe; nec enim finem iſtum naturæ conſequi poſſunt. Deinde: Concedendum eſſet, neminem ſe à complexibus cōiugalibus, atque ab ſua vxore abſtinere poſſe: ac vota perpetuæ continentiæ coniugibus nefaria eſſe; quod dicere per ſe impium eſt atque nefarium: nam & matrimonium inſtitutum eſt, & vxor data, ad filiorum procreationem.

Poſtremò oſtenſum eſt, abſque fine generandæ prolis, matrimonij vſum non eſſe criminoſum: ſunt enim alij fines, & bona, quibus matrimonium honeſtatur, atque vxorij amplexus.

Illius autem propoſitionis: matrimonium, vxor, & matrimonij actus, inſtituta ſunt à natura ad ſpeciē, & ſobolē propagandā: duplex eſt perappoſita interpretatio. Prima eſt hæc: hæc omnia natura, & DEVS naturæ auctor fabricauit, vt cauſſæ veræ eſſent generationis & propagationis, principiaque neceſſaria. Secunda, vt matrimonio iunctis, ac nuptis, tunc impoſita neceſſitas foret operam dandi liberis, cùm alicuius ingentis ac communis boni eſſet oborta neceſſitas. Cùm enim generandi præceptum ſit affirmatiuum, niſi ſeſe oſtendente neceſſitate non cogit.

8. Secunda eorum argumentatio eſt huiuſmodi. Prorſus deteſtabile eſt impedire conceptum ac generationem: impedit autem, qui coitum non abſoluit: quare, &c. Addúntque rationi robur auctoritate Canonis, aliquando, 32. quæſt. 2. qui ſumptus eſt ex lib. de nuptiis, & concup. Auguſtini. Reſpondeo vim omnem argumentationis hac vera diſtinctione elidi.

Duplex eſt modus impediendi conceptus, vnus poſitiuus, alter negatiuus: prior præbet medicamenta ſterilitatis & abortionis; ex agro generationis ſemen extrahit; gignendi inſtrumenta languēfacit ac tabefacit, aut dæmonum malorum arte, aut verò cauſſis phyſicis, qui modus eſt ſceleſtiſſimus, omnique iure damnatus.

Poſterior modus nihil machinatur eiuſmodi, ſed temperantiæ amans intactam vxorem, aut intactum virum relinquit: blandæ voluptatis illecebras, quamuis conceſſas, reſpuit: neque in legitimo coniuge eas experitur: quod cùm fit, generatio quoque liberûm, & humanæ ſpeciei propagatio impeditur: ſed modus ipſe honeſtus eſt & ſanctus: à quo modo non inſigniter recedit is qui inchoatum coitum intermittit: quia metuit, ne filios poſſit alere & educere; aut aliam ob cauſſam non flagitioſam id ipſum molitur.

Canon autem ille priorem prohibet modum; vt eum legenti cuiuis poteſt eſſe perſpicuum. Atque de eodem modo locutum eſſe Scotum certa ratio à nobis expoſita cuilibet perſuadet. Sententia tamen contraria placuit Syluestro, in verbo Debitum coniugale, q. 7. & Roſellæ.

QVÆSTIO CXXXIV.

VNi coniugi de altero abſente, déque actu coniugij, cogitanti, illecebra cogitationis voluptatem ciere, aut excitatam veneream fouere, criminoſum ſit nec ne, nunc diſputamus. 1.

Criminoſum eſſe pernegabat Theologiæ magiſter nonnullus: neque vlla ratione ſententiam impuræ voluptatis patronam excuti ſibi ſinebat: quòd diceret ſe illud ipſum ſentire, quod viri doctrina & pietate inſignes antè ſenſiſſent; vt D. Antoninus, in Summa, part. 2. tit. 5. c. 1. §. 6.

Petrus Sotus in Inſtitut. tractat. de diſtinctione peccatorum lectione 9. Caiet. & Armilla, in Summis, verbo, Delectatio moroſa: addebat etiã D. Chryſ. hom. 17. in Matth. in ea verba. *Qui viderit mulierem,* &c. Matth. 19. Palud. in 4. d. 9. q. 5. art. 1. & Gerſonem Alphabeto 38. litt. L.

Huius opinionis duæ videntur eſſe rationes præcipuæ. Prima, Quia talis eſt voluptas, qualis eſt actus, à quo fluit: ſed actus coniugalis cogitatus, eſt licitus: ergo licita voluptas. Secunda, ſi præſente vxore poteſt quæri voluptas ex tactibus, oſculis, amplexibus, quamuis non referatur ad concubitũ, cur non licebit quærere ex eadẽ abſente in viri tantùm cogitatione commorante? & cur ea delectatio non excuſabitur bono matrimonij?

2. Tam putidæ defenſioni blandiſſimæ dominæ ipſe omni conatu reſtiti: in eámque fortibus ducibus comitatus tela minimè contemnenda rationum immiſi. Duces fuerunt, qui etiam nunc ſunt. D. Antoninus, in 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 6. vbi culpam mortiferam contrahi ſcribit ab eo qui voluptatem quærit ex cogitatione, amplexu, tactu: neque de eo laborat is qui cogitat vt ad concubitum perueniat. At qui mentem, & corporis ſenſum delinit illis voluptariis cogitationibus abſentis vxoris, non poteſt ad concubitum peruenire: quare culpam contrahit mortiferam.

Angelus, in verbo, Cogitatio, ait, viduam delectari poſſe actu coniugij præterito, ſed non præſenti: at voluptas, quæ mouetur in ſenſu, oritur ex actu, quaſi ſit præſens: quia præteritũ non eſt obiectum ſenſus: quare voluptas illa præteritorum actuum non deſerit mentem, nec permanat ad corporis partes obſcœnas. Defenditur hæc noſtra ſententia à Caiet. in 1. 2. q. 74. art. 8. ad 4. à Sylu. in verbo, Delectatio, q. 3. ab Armill. eod. tit. n. 4. qui citat, & ſequitur Sylueſt. à Ioanne Tab. in verbo, Cogitatio, q. 7. à Nauarro, in Summa, cap. 16. num. 10.

Haſtas nunc vibremus argumentorũ. Primum argumentũ. Sicut aliud eſt matrimoniũ, aliud matrimonij cogitatio; ita aliud eſt actus coniugalis, aliud eius cogitatio: quare licèt ex actu coniugij vero capere poſſis voluptatem veneream; ex cogitatione tamen actus huiuſmodi capere non potes, niſi fortè actus immineret matrimonij, ad quem ea voluptas referretur, atque in eo expleretur.

Secundum ſpectrum, & idolum, quod 3.
in animo geris vxoris tuæ, non magis eſt vxor tua, quàm quoduis aliud ſimulacrũ vxoris tuæ, aut è marmore, aut ex ebore: ergo ſicut non poſſes in ſimulacro marmoreo, aut eburneo quærere turpem illam voluptatem, ſic nõ potes ex eo, quod in cogitationis tuæ officina tibi fabricaſti.

Tertium. Peruerteres naturæ ordinem in rebus iis, quæ ad humanæ ſpeciei propagationem inſtitutæ ſunt; graue eſt crimen: cùm ergo voluptas venerea à natura comparata ſit propter generationem, quæ eſt ex legitima corporum coniunctione; qui eam non propter actum generationis legitimum quærit, ſed propter ſeipſam, & in ea tamquam in vltimo conquieſcit, grauiter delinquit, neceſſarium naturæ ordinem violãndo.

Quartum. Actus futurus, vel præteritus, connubij exerceri non poteſt: exercetur enim, qui præſens eſt: at percipere ſenſum voluptatis licet tantùm ex eo actu, qui poteſt exerceri: ergo ex huiuſmodi actibus cogitatis percipere eam non licet.

Quintũ. Voluptas, quæ illo vxoriæ cogitationis igne gliſcit, non eſt illa, quam poſtea cum tua vxore experieris; ſed nimirum numero differant: ſi poſterior dumtaxat delectatio tibi conceditur, non igitur prior; niſi fortè, quia cum poſteriore copulabitur; & quid vnum cum ea efficietur.

Denique fatentur omnes, impudicas 4.
tactiones coniugũ in ſuis ac propriis corporibus, ſiue ab aliis, ſiue ab ipſis ſint, peccata eſſe mortifera: ergo ſi tactus impudicus ſe tangentis mulieris, & voluptas impudica cenſenda eſt, quæ finem commiſtionem

ſtionem corporum legitimam non habet: cur non impudica exiſtimabitur ea, & nefaria, viri, quæ ſuæ vxoris imaginem tenet tens animo titillatur, quæ vxoris conſortione caret, ſæpequenumero caritura eſt neceſſariò?

Diſce autem hoc loco duobus modis tactum aliquem eſſe impudicũ. Primùm, quia eius finis eſt actus aliquis flagitioſus: Deinde, quia quamuis eiuſmodi fine vacet; finem tamen conſtitutum habet in obſcœna voluptate. Vtrouis modo impudicitia contingat in tactu, neceſſe eſt eum eſſe nefarium.

Duæ contrariæ rationes facillimè depelluntur: errat prima, quia iam demonſtratum eſt, actus connubialis cogitationem longiſſimè diſſidere ab eo qui inter coniuges corporum commiſtione exercetur.

Secunda nullam vim habet apud eos qui docuerunt, inter coniuges tactus voluptuoſos, niſi ad concubitum referantur, peccata eſſe mortifera: docuit id Petrus Paludanus in 4. ſent. d. 31. q. 3. art. 2. conc. 6. quem ſecutus eſt D. Anton. in 3. par. tit. 1. c. 20. §. 6. & Syluester in verbo, debitum coniugale: & alij nonnulli, quamuis ea de re ſecus placuerit Caietano, Armillæ & Tabienſi Ioanni.

Sanè ea voluptas, quam ſibi comparat vnus coniunx altero præſente, ſuapte natura incitat ad actum coniugij, in quo expleri poteſt: id quod dici nequit de ea voluptate, quæ abſente coniuge concitatur.

5. Neque à Doctoribus, quos Magiſter ille venditabat, iudicatum eſt aliter atque à nobis conſtitutum eſt. Caietanus enim in ſumma, vbi de cogitatione moroſa: viduam, & virum cogitantes actum coniugij, & memoriam illius iucundam vſurpantes, ait peccare venialiter: quia ſine neceſſitate, aut pietate eiuſmodi ſuſcipiũt cogitationes: ac nimirum de cogitationis delectatione loquitur, quæ non diſcedit à mente, ſed quæ approbationem habet illorum actuum, quibus perfuncti ſunt coniuges, cùm matrimonio vterentur: Armilla non ſecus quàm nos, in verbo, delectatio moroſa, num. 3. nam citat & ſequitur Syluestrum.

Petrus Sotus non tam probat quàm improbat aduerſariam ſententiam in ea lect. 9. vbi enim multis diſſeruit de peccatis moroſæ cogitationis, quærit de cogitatione actuũ matrimonij, in quibus aut vidua verſatur, aut vir abſente vxore: eamque cogitationem minimè damnat: Vbi apertè declarat ſe loqui de actibus coniugij præteritis: nam his dumtaxat gaudere vidua poteſt: æquatque viduam, & virum ab ſua vxore diſtractum: & cùm dixit gaudere poſſe ea cogitatione, & obiecto; oſtendit ſe nõ de voluptate venerea, quæ in corpore habitat, loqui, ſed de approbatiua animi iucunditate: gaudium enim propriè in animo dicitur, non in corpore: & non habet corporis immutationem, vt traditum eſt à D. Antonin. in 1. par. tit. 6. cap. 5. ante §. Ad hæc ſtatim: ſubiicit Petrus Sot. extra actus coniugij non licere quærere delectationem: cogitatio autem concubitus coniugalis non eſt actus coniugij, cùm etiam ſine vlla culpa ineſſe poſſit in eius animo, qui connubij capax non eſt.

Doctores autem, cùm de delectatione 6.
diſputant moroſa; incidunt in eam controuerſiam, quæ nunc à nobis diiudicatur: id quod non obſcurè declarat, eos de delectatione loqui, quæ humani eſt animi, & cuius affectio propria, eſt moroſa delectatio, qua carent muta animantia: & quæ peræquè reperitur in iis peccatis quæ materiæ expertem voluptatem habent, vt eſt hæreſis, mentis elatio, & alia huiuſmodi. D. Anton. in illa 2. par. tit. 6. & §. nihil in alterutram partem ſcripſit: D. Chryſoſtomus in homilia, è qua promitur teſtimonium, hoc, atque hac oratione edocet: Si enim vis videre, atque „
ex viſu capere voluptatem, adſpice propriam coniugem: & illius vſque amore „
perfruere: hoc enim nulla lex prohibet „
omnino. Quæ verba aurei Doctoris, id „
tantum efficiunt, quempiam aſpectu, &

 volupta

voluptate, & amore, & complexu frui poſſe ſuæ vxoris: quod nemo negat: ſed licere id, quod nos negauimus, nec leuiſſimo veſtigio indicant.

De Paludano hallucinatus eſt hic noſter doctor turpiſſimè: contrariam enim ſententiam eruere è verbis Paludani debuerat: his enim loquitur verbis in 4.d.9. q.3. art.1. Maritus conſentiens in pollutionem cum vxore præteritam, vel futuram, propter delectationem, non peccat mortaliter: quamuis deliberatè conſentiat, dum tamen non excedat limites matrimonij. & paullò antè vniuersè docuerat; quādo inita ratione conſilij, certóque iudicio aſſentiri quis pollutioni queat.

„ Quando, inquit Paludanus, cauſſa, quę „ excuſat pollutionem à peccato, concurrit „ in conſenſu, excuſatur conſenſus à pecca- „ to, ſicut pollutio.

7. Ex his Paludani verbis tria percipimus. Primum eſt, maritum poſſe iuſtum præbere conſenſum pollutioni præteritæ, vel futuræ, ob delectationem aut perceptam, aut percipiendam, ex actu vxorio, ſiue connubiali: id eſt, licet viro approbare & amplecti, propter voluptatem, quam ſenſit vel ſentiet, pollutionem, quæ præterit, vel futura eſt, cum legitima corporum commiſtione. At ob voluptatis præſentis obſcœnæ ſenſum verſari poſſe ſine crimine in earumdem pollutionum cogitatione atque approbatione, id ne ſomniando quidem finxit Paludanus.

Alterum Paludani illud eſt. Eiuſmodi conſenſum, vt flagitioſus ne ſit, intra matrimonij fines conſiſtere debere: at non conſiſtit, ſi præſentis libidinis ſenſu ſponte commoueatur; quo tempore legitimè vtendi coniugio nulla eſt ei facultas, ſiue propter interualla locorū, ſiue ex re quapiam alia.

Id quod ex eo, quod in Paludani ſententia tertiū eſt, rectiùs intelligetur: nam ſcribit, quæ cauſſa facit, vt pollutio culpa vacet, eamdem facere, vt vacet conſenſus, ſi eadem in conſenſu reperiatur.

Cùm ergo pollutio viri voluntaria, ne vitioſa ſit, egeat actu coniugij, extra quem actum criminoſa eſt: neceſſe eſt, vt quando maritus & vxor congredi nequeunt, nulli nec pollutioni, nec venereæ voluptati abſque graui ſcelere dare operam poſſint: quandoquidem, vt in diſputatione iteratum eſt, non, cogitatio actus connubialis, eſt actus cōnubialis, ſed ipſemet actus, cùm inter coniuges in corporum coniunctione exercetur.

Quòd ſi Paludanus in 4. ſent. diſtin. 31. q.3. art.2. concl.6. quem item D. Antoninus & Sylueſter ſequuntur, quemadmodum in hac ipſa quæſtione oſtendimus, voluptarias tactiones coniugum in mortiferis numerat criminibus, niſi ad concubitum referantur, an non numerabit eas voluptates venereas, quæ ad concubitum, quo tūc nulla ratione potiri poſſunt coniuges, cùm abſint, referri minimè queunt? 8.

Gerſonem verò in eo alphabeto 38. non quidem litteræ, l. ſed. D. notab. 7. loqui non de fœdæ voluptatis motione, qua commouetur corpus, ſed de ea delectatione, quę in ratione & mente quieſcit, illud eſt certiſſimo argumento: quòd non ſecus vult poſſe oblectari adſpectu mulieris, qui eam contemplatur, atque nuptos cogitatione actuum, qui ſunt è caſto coniugio: atqui adſpicienti mulierem, nec Gerſon, nec vllus alius Doctor concedit voluptatis ſenſum obſcœnæ: idem ergo ſenſus abſentibus coniugibus de ſuis amplexibus & corporum commiſtionibus cogitantibus denegandus erit.

Hæc igitur opinio eſt cum ſuo patrono à Chriſtianis mentibus, atque animi aſſenſionibus ablegenda.

QVÆSTIO CXXXV.

Petrus clam vxore ſua adulteranit, amiſit ne ius exigendi debiti? 1.

Ait Nauarrus in ſumma cap.22. nu.23. negant hi omnes, Turrecremata in cap. in coniugio 32. q.1. Caietanus in 1. volumine

ne opuſcul. Tract. 31. reſponſione 4. Sotus in 4. diſt. 36. q. vnic. art. 3. Archidiaconus in illud cap. In cõiugio. Gloſſa in cap. extremum de adulteriis.

Et hæc ſententia, ideo vera eſt: quia nec reus ſui accuſator cogitur eſſe extra ſacramentum pœnitentiæ; nec ſuum prodere crimen: & nemo ſuo iure ſpoliandus eſt, niſi cauſſa cognita; vt illic argumentatur Caietanus.

In hac ego ſententia libenter conquieſco. Nec enim quidquam rationis habere videtur, vt vir intermiſſa conſuetudine exigendi debitum, in ſuſpicionem vxori iis de rebus veniat quas in ſuis viris metuunt mulieres.

QVÆSTIO CXXXVI.

1. QVæſitum eſt, an mulier, quam protinus deſcribam, coniugij & ſui corporis vſum clam domum aduentanti viro iuſtè denegare poſſit.

Fœmina eſt egregia forma: ad pellicatum & flagitium à pleriſque inuitata: filias habet nubiles, quàm ſe formoſiores; quarum pudicitiæ inſidiantur non pauci: filiis etiam paruulis abundat: ſumma rerum omnium inopia conflictatur: piorum hominum eleemoſynis ſe & familiam alit ægerrimè.

Vir ære dirutus, qui dudum rationes conturbauit; creditorum, à quibus ſingulis momentis appellatur, metuens vincula, ex terris profugit: homo ſine re, ſine familiari lare, ſine fide: valet corpore & viribus: & cùm aliquid lucri ad familiam ſuſtentandam facere poſſet, vitam agit otioſam. Certis temporũ interuallis vxorem, filios, filiáſque reuiſit; non vt quidquam iis adferat, ſed vt auferat: nam cibaria neceſſaria vxori, & liberis, magno labore & ſtudio conquiſita conſumit: quibus conſumptis, nouo fœtu grauidatam vxorem relinquit, atque aliò abit: ídque identidem facit.

Ea re, qui à piis hominibus & fœminis in eam familiam ſumptus fiunt, minuuntur. Qui vxorem, & virgines tuentur, illiúſque afflictæ domus curam gerunt, ij eamdem domum inire non audent, ne aut flagitioſæ cõſuetudinis inſimulentur; aut turpitudinis alicuius nomen ſubeant. Vnde intermiſſa hac cura & conſuetudine proborum virorũ, tum vxori, tum filiabus ingens & maximè probabile creatur periculum pudicitię, exiſtimationis, Chriſtianæque ſalutis amittendæ.

Hæc igitur cùm ita ſint, quæritur, num mulier reuertentem domum maritum à concubitu tuta conſcientia repellere poſſit. Scio intactam hanc quæſtionem à doctoribus relictam eſſe: ſed tamen eius explicationem ex multis eorum ſententiis, cùm de coniugali debito diſſerũt, cenſeo hauriendã eſſe: quod nunc ipſi molimur. 2.

Illud igitur Scoti in 4. ſentent. diſt. 32. de coniugali debito præcipientis, tamquã fundamẽtum conſtituamus: ſic enim ille. Redditio debiti ex obligatione eſt actus » præcepti affirmatiui, explicantis iuſtitiam » commutatiuam: præceptum autem affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper: ſubiicítque ſubtilis Doctor exceptiones duas, cùm vnus coniux alteri non cogitur ſoluere debitũ. Prima exceptio eſt, » cùm coniux, inquit ille, amiſit ius petendi, vel non habet ius petendi pro nunc. » Secunda quando obligatur ad non reddendum vinculo fortiori. »

In priorem exceptionem hæc tempora includuntur, cùm alteruter coniux adulterium commiſit: cùm ſollemne votum religionis nuncupauit: cùm poſt contractum matrimonium bimeſtre ſpatium nondum effluxit: toto enim hoc ſpatio vterque vitare poteſt corporum commiſtionem, vt ad ſtatum religioſæ vitæ deligendum non ſint contractæ nuptiæ impedimento.

Ad exceptionem poſteriorem hæc reuocat Scotus. Vel cùm reddere debitum vergit in detrimentum inquit propriæ incolumitatis: tenetur enim magis diligere propriam incolumitatem, quàm iſtud debitum

bitum reddere alteri coniugi: vel, ſi ſit cauſſa occiſionis fetus in vtero prægnantis: vel cauſſa abortus. Ad hæc enim cauenda, inquit ille, tenetur fortiore vinculo, quàm ad reddendum debitum iſti.

3. Quæ ſententiæ veræ ſunt in hoc genere, atque ab omnibus retentæ. D.Thomas in 4.diſt.32.artic.1. Vir, inquit, tenetur vxori reddere debitum in iis quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalua tamen priùs perſonæ incolumitate: & in eod.art. ad 2. Vxor non habet poteſtatem in corpus viri niſi ſalua conſiſtentia perſonæ ipſius, vt dictum eſt: Vnde, ſi vltra exigat, non eſt petitio debiti, ſed iniuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere. Atque in eodem articulo: Non tenetur mulier reddere, ſi habet infirmitatem: & in artic.3.eiuſdem.quæſt. ad 4. argumentum, iterat, mulieri in viri ſui corpus ius non eſſe contra ſalutem corporis eius. In quo axiomate nemo eſt qui à D.Thoma diſſentiat: quod ipſum à Durando duplici ratione confirmatur in 4.ſent.diſt.32.q.1. num.6.

Secunda ratio eſt illa Scoti, prima eſt Richardi, ab eo expoſita his verbis, in eamd. diſt.32.art.1.q.1. Noluit DEVS virum obligari mulieri in iis quæ ſunt contra rectam inclinationem naturæ: Recta autem inclinatio naturæ iſtius hominis per priùs eſt ad actum nutritiuæ, quo cõſeruatur proprium indiuiduum, quàm ad actum generatiuæ, qui ordinatur ad conſeruationem ſpeciei: nam prius ſumit de nutrimento, quod neceſſarium eſt indiuiduo; & ſuperfluum reſeruat ad actum generationis, & ideo homo non tenetur ad actum generatiuæ in notabile præiudicium incolumitatis corporis proprij. & in art.4. quæſt. 1. ad 2. Carnalis concubitus numquam eſt debitus, nec de iure naturæ, quando eſt in notabile præiudicium prolis.

4. Verùm de hoc altero dicto Richardi poſtea. Nunc id vnum cõſtituamus, cum iniuria vitæ, vel valetudinis, actum non iuſtum eſſe connubij: Quia, inquit Durandus, ſecundùm ordinem caritatis quilibet tenetur plus ſibi, quàm alteri; ſi redditio debiti vergat in periculum perſonæ propriæ, non tenetur quis alteri debitum reddere, & iſtud omnes concedunt.

Et tamen vnus inuentus eſt Gabriel, qui à concordiſſimo Theologorum ſenſu diſcrepantem ſententiam adferre minimè dubitarit, in 4.ſenten.q.vnica, art.2. concl.11. Illud enim tamquam firmiſſimũ ſumit ad argumentandum. Quòd mulier mariti ſui ſpiritualem vitã corporeæ ſuæ, nedum valetudini, debet anteferre: quare cùm virum ſuum intelligit mortiferam culpam, aut adulterij, aut incontinentiæ ſuſcepturum eſſe, niſi ad congreſſum illum admittat, ab ſuo corpore eum arcere non poſſe: quamuis congreſſio illa vxoris vitæ, & valetudini futura ſit periculoſa.

Atque hæc eſt Gabrielis Hectorea argumentatio: quæ quàm ſit nulla, hinc perſpici poteſt. Scelus enim, quod timetur in viro, nulli fraudi debet eſſe vxori, niſi ea ſit illius ſceleris cauſſa: quod dici hîc non debet, cùm tota peccandi libido ex improba voluntate ſit viri, ad eam illum nõ compellente vxore.

5. Neque vmquam peccati, quod peccat alter, nos ſumus conſortes, cùm iis paremus legibus, quæ à nobis negligi non poſſunt. Quid enim ſi quiſpiam intemperãtia & luxu perditus concupiſcat mulierem diebus feſtis in templa ad ſacra adeuntem: idque mulierem minimè fugiat, idcircóne itionem illam omittet? ne illius amore alter capiatur? minimè verò. Ita mulier, quæ vitam ſuam ac valetudinem curare & tueri debet, propter laſciuientem virum, prodere illam non debet.

Adde. Quòd mulier cùm vitam valetudinémque ſuam conſeruat, naturalem diuinámque legem maximè ſeruat: nam humanæ ſpeciei propagationi illam reſeruat: neque enim extincta, aut graui morbo affecta muliere, concipiendis, gignendis & educandis fetibus dari opera poteſt.

Vir ergo cùm propter ſuam incontinentiam

nentiam in vitæ diſcrimen adducit mulierem, quantum in ipſo eſt, humanæ ſpeciei & generationis fundamentũ euertit.

Ex quo perſpicuum eſt, mulierem, cùm à viri congreſſu ſuæ ipſius vitæ aut valetudini probabile conflatur periculum, illum non ſolùm poſſe, ſed etiam omnino debere à maritali complexu repellere. Quod ex his locis facilè confirmo.

Primum argumentum. Humanæ generationis & propagationis fundamentũ labefactare, atque ſubruere, nec viro nec vxori licet: id autem ſequeretur, ſi vitæ & valetudini ſuæ malo, vir & vxor congrederentur: ergo ſine ſcelere id moliri non poſſunt.

6. Secundum argumentum. Si ægrotanti mulieri denunciaret Medicus certum interitum illi futurum ex concubitu, idque vir eius nequaquam ignoraret, ſceleratè vir faceret, ſi cognoſcere vellet mulierẽ: nec minùs ſceleratè vxor ageret, ſi vellet ab eo cognoſci. Sic nec valentem mulierem, & corpore robuſtam licet viro in vitæ ſeu morbi periculum coniicere, neque illa pati ſe debet coniici.

Tertium argumẽtum. De hoc Gabrieli conuenit cum reliquis Theologis: quãdo cõcubitus, aut excludendi, aut eiiciendi, aut necandi fetus cauſſa exiſtit, tunc flagitij plenum eſſe concubitum: ergo in pari crimine cenſendum erit, cùm eius vitæ interitum machinatur.

7. Sit igitur hoc primum tempus, cùm neceſſitate ſoluendi coniugalis debiti exſoluitur mulier: nempe, cùm illius vita in diſcrimen adducitur. Secundum tempus illud tradunt eſſe Doctores in 4.ſent.d.32. cùm ſuæ valetudinis alteruter cõiunx periculum ſubit. Tertium tempus concedũt connubialis congreſſus vitandi, cùm ex eo iniicitur periculum fetui abigendo. Quartum eſt, cùm leproſus eſt alter coniux, atque eadem lue facilè, qui integro eſt corpore, infici poſſet: hoc apertis verbis ponitur à Paludano, in 4.ſent.diſt.32. q.1.art.2.concluſ.1.& à Durando in eamd. diſt.q.1.num.8.& ab Aureolo, quem Gabriel citat in ead.diſt.q.1.art.2.concl.11.

Quintum tempus, cùm mulier à conſuetudine thori virum reiicere poteſt, eſt menſtruorum fluxus, ex multorũ & grauium Theologorum ſententia: tunc enim ſi vir rem habeat cum muliere, graui ſe peccato obſtringere magna auctoritate Theologi docent.

Quam opinionem veriorem eſſe & probabiliorem ait D.Bonauent.in 4.diſt. 32.artic.3.q.1. tametſi veniam tribuit vxori, cùm inuita, & vt à grauiore malo virũ auertat, menſtruorum tempore illi debitum reddit. Sanè Scotus non cogi eo tempore vxorem debitum reddere perſpicuis verbis confirmat. Huic opinioni annuit quoque Richardus diſtin.32.art.1.q.1. vbi hanc tamquam certam propoſitionem ſcriptam reliquit. Carnalis concubitus » numquam eſt debitus, nec de iure naturæ, quando eſt in notabile præiudicium » prolis, de quo dubitari non debet, cùm » iam conceptus eſt animatus: in quo innumerabilium morborũ tunc ſemina ſparguntur, cùm menſtruorum tempore in » matris vtero coagmentatur & animatur. »

Diuus Thomas in eamd.diſt.q.1.art.2. 8.
in reſponſione ad ſecundam quæſtiunculam, ſine mortifero crimine negat maritum accedere poſſe ad vxorem menſtrua patientem; eúmq; ab ea poſſe auerti, morbum cauſſante: illi tamen valde vrgenti, quod petit, dandum eſſe.

Sed reuera ſententia quæ ſtatuit non eſſe reddendum, ſacrarum Scripturarum, & duorum Eccleſiæ Doctorum auctoritate maximè confirmatur: lex enim Leuitici cap.21. morti adiudicat vtrũque coniugem, *qui fluentibus menſtruis congrediuntur*: ex quo liquet peccatum eſſe mortiferum. Ac licèt ea lex in eo, quòd pœnam infligit, iudicialis extiterit, eóque nomine iam abrogata ſit: in eo tamen, quòd conſulit proli, & mala propellit multa atque ingentia, quæ eidem impendent, naturalis eſt atque diuina: quemadmodum à claris Theologis obſeruatum eſt.

Deteſtatur eiuſmodi coitum D.Hieronymus

nymus vehementer in 18.cap. Ezech. ac D.Auguſt. in q.64. in Leuiticum, in qua ſcribit, ab Ezechiele inter illa peccata (verba ſunt Auguſtini) quæ non figuratæ, ſed manifeſtæ iniquitatis ſunt, hoc etiam commemorari, *ad mulierem menſtruatam, ſi quis accedat.*

Non licet igitur mulieri, expetente viro concubitum, menſtruorum tempore, ad peccatum manifeſtæ iniquitatis ei ſociam & miniſtram eſſe.

Sextum tempus eſt, cùm herilia munia obeunda ſunt neceſſaria. Tunc enim cõiugalis thori datur vacatio. Ita D.Tho. in 4.diſt.32.q.1.art.3.ad 4.& Gabriel in eamdem diſt.art.2.concl.7. quare virum pro ſuo domino pugnantem non poteſt mulier à militia ad thori conſuetudinem reuocare.

9. Septima exceptio. Ante benedictionẽ nuptiarum, & duobus menſibus poſt inita nuptiarum fœdera, vterque coniunx iure ſoluendi debiti liberatus eſt ex Eccleſiaſtica cõſtitutione. Et quidẽ Syluester culpam æterna morte dignam contrahi putat ab eo coniuge, qui antequam benedicantur nuptiæ, debitum exigit coniugale, in verbo, debitum cõiugale, nu.11. quod ipſe non auſim affirmare: cùm videam à Tridentino Concil. ſeſſ.24.cap.1. ad coniuges non præceptum, ſed hortationem admoueri, ne eamdem domum ante benedictionem habitent.

Octaua exceptio eſt eiuſdem Gabrielis. Mulierem cõcubitu abſtinere ſe poſſe, & à ſuo ſinu diuellere virum, quum ob debitum coniugij, aut mortiferam aut etiam leuem culpam incurreret. Sed hæc exceptio interpretationis indiget.

Magis eſt generalis, & tuta, meo quidẽ animo, exceptio illa Paludani in 4.diſt.32. q.1.art.2.concl.4.ab eo his verbis perſcripta: ex quo actor perdit ius petendi, reus habet ius non debendi, & negandi, & excipiendi. Ex quo efficitur, quum alter cõiunx ſine culpa non poteſt debitum exigere, alterum ſine culpa poſſe negare.

Quæ tamen regula nonnullas haud leues obiicit difficultates; quas perſequi atque exponere non eſt mihi hoc tempore neceſſarium. Sunt item nonnulla alia tempora haud dubia, cùm vnus coniunx congreſſu alterius indignus eſt, & ſine vlla culpa reiici poteſt; vt quando adulterauit: aut ante initum matrimonium, vel etiam poſt illud, altero aſſentiente coniuge continentiæ ſe voto obſtrinxit.

Sed nobis in noſtra euoluenda quæ- 10.
ſtione ſeptem primis exceptionibus vtendum erit; ex quibus hæc eruimus argumenta. Primum. Ad corporis mortem vitandam coniunx vitare poteſt actum cõiugij: ergo multò magis ad interitum animæ vitandum, & ad ſuam pudicitiam, famámque retinendam, id ipſum facere poterit.

Secundum. Ob periculum probabile impendens alicuius morbi temperare ſibi à concubitu alteruter coniugum poteſt: ergo hoc ipſum permiſſum ei erit ob graue infamiæ periculum; quæ apud perſonas honeſtas pluris eſſe ſolet, quàm firma corporis valetudo.

Tertium. Si menſtruorum tempore mulier viri congreſſum fugere poteſt, ne multiplici morbo ac malo proles vexetur; cur eumdem fugere non poterit, ad propulſanda grauiora mala vitæ, honoris, æternæque ſalutis ſibi ſuiſque filiabus impendentia?

Quartum. Pro ſuo domino vir dimicans, iure coniugalis debiti, atque onere liberatur: ergo cùm mulier pro ſummi imperatoris DEI gloria, próque ſua ſalute decertat, eodem onere ſoluta erit.

Quintum. Si ſola Eccleſiæ lege vinculo connubialis congreſſus duobus menſibus poſt fœdera ſancita matrimonij vterque coniunx expeditus eſt, cur nõ erit expedita mulier, cùm lege DEI & naturę largiente, tum ſuæ, tum filiarum pudicitiæ, honeſtati, exiſtimationi, & ſaluti conſulit?

Neque ab re fore exiſtimaui, ſi in extremam hanc quæſtionem nõnullas ſententias Dominici Soti contulero; quæ extant

Google

tant in 4.ſentent.diſt.32.q.1.artic.1.

Prima ſententia. Qui, aut febri, aut dolore, aut alio malo corporis cruciatur, coniugij debito liberatur.

Secunda, qui neceſſariarũ rerum egeſtate premitur, nec numeroſam ſobolem alere poteſt, non eſt exiſtimandus mortiferi criminis reus, ſi coniugem, quod ſibi debetur petentem, non audit. Quia non credendum eſt, alterutrius coniugis eam mentem eſſe, vt, cùm ſibi concubitum poſcenti alter non retribuit, lethali culpa eam ob rem irretiatur. Quemadmodum ij qui debent pecuniam, creditoribus repetentibus dicere poſſunt ſe non tunc eſſe ſoluendo; & quamuis eſſent, petere licet vt ad repræſentandam pecuniam aliquid longioris moræ largiantur; ſic alterutri coniugi facere hoc conceſſum eſt, cùm ad coniugalis debiti cogetur ſolutionem: præſertim cùm coniugalis amicitiæ vinculo nullum aut arctius, aut amabilius fieri poſſit, aut debeat.

QVÆSTIO CXXXVII.

1\. MVlier. B. filium ſuum, baptizante ſacerdote domi, ſuadente neceſſitate tenuit: à nonnullis dubitatum eſt; num ob cognationem ſpiritualem cum viro ſuo contractam iure petendi debiti ſpoliata ſit: &, ſi ſpoliata eſt, cuius auctoritate recuperare illud ipſum poſſit.

Totum hunc locum, qui amplus eſt, & cognitione dignus, paucis propoſitionibus explicabo.

Prima propoſitio. Inter hãc mulierem & virum ſuum ſpiritualem ortam eſſe affinitatem certiſſimum eſt; quamuis Baptiſmi ſacramentum Eccleſiaſtica, quæ ſemoueri ab eo poteſt, ſollemnitate caruiſſet: eſt enim Soti error in 4.ſent.diſt.42. q.1.art.2. tanto Theologo planè indignus, cùm ſcripſit his verbis: Verumtamen, quia
» illic non celebratur ſollemniter ſacramē-
» tum, non planè affirmarem, quòd, ſi quis
» puerum teneret, cui alter aquam infunderet, tenens ille, cognationem contra- „
heret: quia vbi non eſt ſollemnitas, non „
dicitur propriè ſuſceptor: quo nihil potuit „
dici abſurdius.

Primum: Quia vbi eſt ſpiritualis generatio, illic etiam eſt ſpiritualis affinitas. ſed in ſacramento Baptiſmi, quamuis ſollemnitatis experte, eſt veriſſima ſpiritualis generatio, quare ex eo manat ſpiritualis affinitas. Quare D. Thom. in 4. ſenten. diſt.42.q.1.artic.3. quæſtiuncula 1. ad 2. argumentum de anadocho, ſeu de ſuſcipiēte, loquens: Anadochus, inquit, ratione „ 2.
ſpiritualis regenerationis, ad quam co- „
operatur, cognationem ſpiritualem con- „
trahit. Paludanus verò in eamd. diſt.q.1. artic.1. non ex ſollemnitate, ſed ex ſacramenti eſſentia cognationem naſci ſpiritualem ſæpius confirmat, eorum, qui ſecus opinati ſunt, ſententiam minimè probans. Nauarrus item vtiliter admonet in ſua ſumma cap.22.num.40. cùm puer domi baptizatur, tunc cognationem effici ſpiritualem; quamuis id ſine ſollemnitate fiat; non effici autem cùm poſtea in Eccleſia exorcizatur, & vngitur chriſmate: quia poſterior, inquit, actus non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale.

Secunda ratio contra Sotum. Qui abſque ſollemnitate baptizat, contrahit affinitatem ſpiritualem: neque id credo inficiatus fuerit Dominicus Sotus: ergo & qui ſine ſollemnitate tenet: nam vterque ex inſtitutione Eccleſiæ contrahit, vt Theologis placet.

Tertia. Cognationis ſpiritualis definitio à priſcis & nouis probata Theologis, eſt hæc. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas aut proximitas proueniens ex ſacramenti donatione, vel ad illud tentione; quæ totidem verbis recitatur à S. Bonauentura in 4.diſt.42.art.1.q.1. ſed actio dandi & tenendi ſollemnitate vacare poteſt, & ſæpenumero vacat; quare, &c.

Quarta. D. Thom. Bonauentura, Richardus, Durandus, Paludanus in 42. illam diſtinct. 4. ſenten. Cur in adminiſtratione ſacramenti baptiſmi tam qui ſuſci- 3.

pit recipientem ſacramentum, quàm qui illud recipienti impertitur, cognationem trahat ſpiritualem, hanc cauſſam adferũt. Nam ſicut procreatio naturalis patre eget ac matre, quibuſcum proles naturali cognatione coniungitur: ſic ſpiritualis generatio patrem ſuum ac matrem habet, quos is, qui ſpiritualiter generatur, ſpirituali affinitate attingit. Pater is eſt, qui ſacramentum largitur; mater, ſeu pro matre quæ eſt Eccleſia, is eſt, qui tenet, ſeu leuat de fonte. Verùm hic pater & hæc mater adſunt in ſacramentis, quamuis ſollemnia ex Eccleſiæ ritu abſint: igitur, &c.

Quinta ratio. Vetuſtiſſima conſuetudo Eccleſiæ, & conſilium, quo ſuſceptores, ſiue patrinos ad ſacram ablutionem adiungit, quæ manauit, teſte D. Dionyſio Areopagita, ab Apoſtolis, docet maximè propriè, & ſuſceptores, & ſponſores & fideiuſſores (his enim vocabulis à diuinarum rerum antiquis ſcriptoribus appellati ſunt) eos cenſeri, & eſſe, quamuis haud ſollemni ſacramento operam præſtent.

4. Quæ mens, qui finis Eccleſiam impulit, ad hos ſuſceptores dandos? diſce ex
» his Romani catechiſmi verbis. Vt igitur,
» poſtquam aliquis in hanc lucem editus
» eſt, nutrice ac pedagogo indiget, quorum
» ope atque opera educetur, ac doctrina &
» bonis artibus erudiatur: ita etiam neceſſe
» eſt, vt, qui ex Baptiſmi fonte vitam inci-
» piunt viuere ſpiritualem, alicuius fidei &
» prudentiæ committantur, à quo Chriſtia-
» næ religionis præcepta haurire, ad o-
» mnémque pietatis rationem inſtitui poſ-
» ſint: atque ita paullarim in Chriſto ado-
» leſcere, donec tandem viri perfecti iuuan-
» te Domino euadant. Sponſoris autem
verba exprimit Dionyſius, quæ erant hu-
» iuſmodi. Spondeo puerum inducturum,
» cùm ad ſacram intelligentiam venerit, ſe-
» dulis adhortationibus, vt abrenunciet
» contrariis omnino: profiteátur, peragát-
» que diuina, quæ pollicetur. Cùm igitur
munera ſuſceptorum eadem ſint, ſuſceptorum cum ſollemnitate, & ſine ſollemnitate, cur Sotus non vult amborum genus ad veram ſuſceptorum claſſem pertinere?

Sexta. Qui tenet, vel tangit puerum, qui baptizatur, quáuis nihil reſpondeat, ius adipiſcitur affinitatis ſpiritualis; at reſponſio pertinet ad ſolemnitatem: tenere autem, & tangere ad eſſentiam cognationis: quare ſollemnitas non eſt neceſſaria. Sed in re perſpicua nimis multa. Solet autem Eccleſia ad duo tantùm ſacramenta ſuſceptores adhibere, qui baptizatæ confirmatæque prolis, & eius amborum parentum. cognatus efficitur iure Concilij Tridentini, in ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimonij.

Quia duplex eſt tantùm generatio, ſeu 5.
natiuitas, vna in vtero, altera ex vtero, vt egregiè antiqui Theologi commentátur. Prima generatio conſiſtit in fetus animatione, ac vita: ſecunda, in oſtenſione; cùm in lucem editur, atque intuentium oculis obiicitur. primæ generationi reſpondet Baptiſmus: in quo quis accipit ſpiritus vitam: Secundæ confirmatio, qua comite quis in hominum conſpectum, & quaſi in aciem venit.

Secunda propoſitio. Hæc ipſa mulier ius connubialis debiti non amiſit. Nam qui aut neceſſitate, aut probabili ignorantia iuris, vel facti prolem ſuam confirmandam, baptizandamve ſuſcipit, quamuis cum altero coniuge ſuo cognationem habeat ſpiritualem, ius tamen exigendi debiti retinet ex omnium ſententia. Vide D. Thom. in 4. ſent. diſt. 42. quæſt. 1. art. 1. & D. Bonauent. in eamdem diſt. artic. 1. quæſt. 2. Richard. in eamdem art. 1. q. 1. Durandum, in eamdem diſtinct. quæſt. 1. Paludanum in eamdem quæſt. 1. artic. 1. concl. 7. quos reliqui omnes ſequuntur.

Secus verò dicendum eſſet, ſi vel extra tempus neceſſitatis vel probabili ignorantia non excuſante, vel malitia incitante, ſeu dolo quis ſuſceptor, vel ſuſceptrix in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis euaderet: nam qui in culpa eſſet, ius exigendi amitteret; legi tamen reddendi

Digitized by Google

dendi debiti ſubeſſet. Quòd ſi ambo deliquiſſent, neuter poſſet exigere: reddere tamen deberet ex ſententia Oſtienſis, quem citat & ſequitur D. Anton. in 3. par. tit. 1. cap. 15. §. 3. de quo tamen ipſo ego valde vereor, quamuis nihil contrarium ſtatuere audeam.

Tertia propoſitio. Quoniam Eccleſia nullas ab eo pœnas repetit, qui eius leges non violat; cùm hęc mulier extra omnem culpam fuerit; nec vlla ab ea ſit Eccleſiæ ſanctio contempta, ſicut debiti coniugalis ius nullum amiſit, ſic nulla opus ei eſt diſpenſatione.

6. Verùm qui in legem pœnámque commiſiſſet, à quo diſpenſatio petenda eſſet? His verbis quæſtioni reſpondet D. Antoninus, in 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Credo tamen, quòd ſuper hoc poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſcilicet quoad exactionem debiti; per ſimilitudinem de eo qui cognouit conſanguineam vxoris, cum quo poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad debiti exactionem, ſecundùm Petrum de Palude, vt habes ſuprà de impedimento affinitatis: ibi vide. Quamquam ſi pœna inflicta eſſet à Canone Romani Pontificis, vel Cócilij generalis, per Epiſcopum tolli minimè putarem; cùm in publicis noſtris ſcholis, & priuatis etiam reſponſis ſæpius dixerimus, ab Epiſcopis nihil fieri poſſe contra leges ſiue à Pontifice Maximo, ſiue à Concilio generali editas, niſi quatenus ei à conditoribus legum permiſſum ſit. Conſule Innocentium, in cap. dilectus, de tempor. ordin. niſi fortè aut conſuetudo, aut neceſſitas, aut caſus inopinatus, nec ab Auctore legis cogitatus, Epiſcopo poteſtatem daret. Vide Sylueſt. in verb. diſpenſatio, num. 8. 14. 15.

QVÆSTIO CXXXVIII.

1. MAritus inceſtè cognouit mulierem tertio conſanguinitatis gradu cum ſua vxore coniunctam, ſibique eodem gradu affinem.

Quæritur, an ius amiſerit coniugalis debiti exigendi: & cum eo diſpenſare Epiſcopus poſſit, néc ne.

Quo tempore ipſe in quadam periluſtri Italiæ ciuitate id muneris ſuſtinebam; vt, quæ ruri in Parochorum Conuentibus diſceptabātur, Chriſtiani officij controuerſias, & quæ à ſingulis Parochis dicebantur, ſententias recognoſcerē, atque corrigerem; animaduerti ſemel atque iterum, de priore parte quæſtionis minùs veram in multorum animos opinionem irrepſiſſe. Diuerſis enim temporibus eſt in diuerſis cœtibus iudicatū, inceſtū cum affine in tertio quartóve gradu non adimere ius maritalis debiti exigendi.

Quamobrem ſic exiſtimarent, tria eſſe videbantur. Primum, quòd Concilium Tridentinum affinitatem ex damnato coitu ortam, nó vult labi vltra ſecundum gradum: ergo ex eiuſmodi concubitu, vt nullum exiſtit impedimentum, quod officiat cóntrahendo matrimonio; ita nec vllum impedimentum obiicitur legitimum petitioni debiti coniugalis. Deinde, quia aiebant à Gregorio XIII. non ſecus in hac cauſſa reſponſum & declaratum fuiſſe. Poſtremò, quoniam duo doctores, & fama doctrinæ clari, & Romanæ curiæ ac conſuetudinis gnari, id affirmaſſe videntur in ſuis ſcriptis, Nauarrus & Toletus: ille, in 4. lib. ſuorum conſiliorum conſ. 3. de conſanguinitate & affinitate, num. 2. 3. & 4. hic, in Summa caſuum, lib. 7. cap. 11. Nam in ſecundo gradu ſcribit contrahi affinitatē cum impedimento ad petendum debitum; ſilet autem de gradibus remotioribus. & Nauarrus quidem teſtatur hac de re in ſacræ pœnitentiariæ prætorio diſceptatum eſſe, atque integram relictam eſſe quæſtionem.

Nos, quia eam proponimus, & ſæpius 2.
propoſitam nobis haud recuſauimus, pro parte noſtra explicare debemus. Mihi igitur non videtur ſuperior ſententiæ poſſe defendi. Tum quia inceſtus grauius eſt crimen, quàm adulterium, ex can. Adulterij, 32. q. 7. qui Canon eſt Auguſtini ex

lib. de adulterinis coniugiis: namque inceſtum in luxuriæ naturalis ſpeciebus eſſe omnium peſſimum docet D. Thomas, in 2.2.quæſt.154.art.12. quod etiam liquet ex Canone quemadmodū. §. Sunt enim, eadem cauſa,& quæſtione.

Cùm ergo quodlibet adulterium iure priuet adulterium petendi debiti, multò magis id efficiet quilibet inceſtus: quandoquidem ex omnium doctorum ſententia inceſtus in ſceleribus numeratur, quibus arcetur ſponſus, ſeu ſponſa à iure petendi debiti. Tum etiam, quia omnis inceſtus in ſponſis matrimonio iunctis eſt adulterium: ergo ratione quoque adulterij debiti exactionem impediet. Tum præterea, quoniam quoduis inceſtū cum affine maiorem infligit matrimonio contumeliam, quàm adulterium: quare magis petitionem debiti impedire debet. Tum denique, quia nullo antiquo ſeu etiam recenti doctori inſigni exceptio illa de tertio & quarto gradu affinitatis venit in mentem. Vniuersè enim, & abſolutè tradunt inceſtum impedimentum adferre coniugali debito exigendo, nec vllum gradum affinitatis excludunt, vt noua, nec ſatis tuta contraria videatur eſſe ſententia.

3. Quæ verò contra veriorem opinionē allata ſunt, facilem habent reprehenſionem. Nam Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij nihil de re, quæ in præſentia diſſeritur, ſtatuit: cui tantùm propoſitum fuit, de impedimentis matrimonium dirimentibus decernere, non de reliquis, ac de iis præſertim, quę ad coniugalis debiti petitionem pertinebant: quod ipſum tum ex genere verborum, tum ex ipſis decretis cuius planiſſimum fieri poteſt.

Neque contrarium reſponſum, aut iudicium profectum credo vnquam ab vllo Romano Pontifice eſſe: ſiue quòd Romanorum Pontificum eſt inſtituto perquam alienum, ſinere, ne dum efficere, vt, quæ in ſuo ipſorum iure ſapienter religioſeque conſtituta ſunt, dilapſa ad peiorem exitum fluant: ſiue quòd facinora,& facinoroſos, maximéque inceſtos maritos non ſolùm auctoritate vincere, verumetiam legum præſidiis vincire conſueuerunt: ſiue quòd Gregorius XIII. Pontificij iuris conſultiſſimus, & ſtudioſiſſimus, nihil ex eo relaxari voluerit, quod matrimonij ſanctitati vllo tempore poſſet officere,& coniugum delinquendi licentiam corroborare.

Quòd ſi Pontificatum Romanum gerente Gregorio XIII. à ſacra congregatione Tridentini Concilij aliqua manauit declaratio, quæ doceat, ex copula cum conſanguinea vxoris in tertio quartóque gradu nullum naſci impedimentum, ſeu contrahendo matrimonio, ſeu coniugij debito exigendo: id referri debet vel ad corporum commiſtionem, quæ matrimonium antecedit; vel, ſi ad eam, quæ matrimonium conſequitur, referatur, ita debet intelligi; vt, quamuis inceſta ſit corporum coniunctio, non ideo vim habeat impediendi debiti coniugalis ob nouam affinitatem, ſed quia crimen ſolum inceſtus illud infert delinquenti impedimentum. Nam inceſtum, qui affinitatem gignit ex nefaria corporum commiſtione, tum ratione affinitatis, tum ratione criminis prohibere ius poſcendi debiti inter coniuges nemo vnus non fatetur.

Iam verò Toletus, in Summa, lib. 5. c. 12. ſine vlla exceptione fatetur inceſtum cum conſanguinea vxoris qui admiſit, non poſſe petere debitum. Et Nauarrus, qui in citato conſilio, dixit eſſe plus impedire contractionem matrimonij, quàm petitionem debiti, in Summa, cap. 22. nu. 74. Scriptum reliquit, inter omnes conuenire (verba ſunt eius) ex inceſtu cum affine durante matrimonio admiſſo oriri impedimentum impediens contrahendū matrimoniū cum quacumque alia: ergo multò magis impediet debiti exactionē: neque Nauarrus in Summa de impedimento inceſtus loquens, diſcrimen vllum conſtituit inter ſecundum gradum, & alios duos remotiores. 4.

Verùm

Verùm in hoc impedimento diſpenſet ne Epiſcopus, quæ pars eſt altera quæſtionis, nunc videndum eſt. Toletus in illo 5. lib. & cap. poſſe diſpenſare Epiſcopum ait, comitem eiuſdem opinionis citat Armillam, in verbo, diſpenſatio. §. 18. quamquam non ſatis perſpicuè id eo loco dicit Armilla.

Placet mihi Panormitani ſententia in cap. 1. de eo qui cognouit conſanguineam vxoris. Vt Epiſcopus iure diſpenſare non poſſit cum ſponſo, qui verum commiſit inceſtum, niſi ex cauſſa, puta ob iuuenilem ætatem ad vetitas voluptatum illecebras nimiùm procliuem: & hanc communem ſcribit Panormitanus doctorum eſſe ſententiam. in cap. Tranſmiſſæ, de conſanguinitate & affinitate. Panormitanum ſequuntur Syluester, in verbo, Luxuria, q. 4. & Angelus, in verbo, Inceſtus. §. 5. Addit etiam Panormitanus, in caput Tranſmiſſæ, de conſang. num. 7. Commentarij, poſſe quidem innocentē vxorem ab inceſto viro debitum repoſcere, ſed non ideo reſtitui à muliere viro ſuo poſſe ius petendi amiſſum: propterea quòd virum iure petendi debiti priuat Eccleſia propter atrocitatem delicti, non ſolius cauſſa mulieris: contra quàm accidit in adulterio; in quo propter iniuriam factam innocenti coniugi, nocens priuatur: eámque ob rem innocentis voluntate poteſt illud ipſum recuperari.

Promit huius ſententiæ patronos Panormitanus Cardinalem & Antonium Butrium, quibus Syluester item loco, quem indicauimus, vltro accedit. Aliter Oſtienſi viſum eſt; quem illic egregiè Panormitanus refellit.

QVÆSTIO CXXXIX.

Maritus procreandorum liberorum faſtidioſus, ſaturandæ verò libidinis appetens, vxorem dum cognoſcit ſuam, quo tempore naturæ ager conſerendus erat, is ab coniuge diuulſus, ſacrilegæ effuſionis macula corpus ſuum afficit. Ac fermè ſemper nefaria illa libidine thorum fœdat maritalem: idque eſt vxori ſanè exploratum.

Ea doceri cupit: num concubitum petenti viro reddere, aut ſibi poſcere ſit crimino ſum. 1.

Arbitror vxori eſſe vtrumque crimino ſum. Etenim cùm illo deteſtabili viri facinore cuncta matrimonij bona diſſipentur, corporum commiſtionem non ſanctam, nec ratã, ſed pollutam & iniquam eſſe neceſſe eſt: animúmque mulieris facto viri ſui turpiſſimo contaminari, quum eius improbiſſimæ cupiditati, atque libidini non tam obnititur quàm famulatur.

Verùm, quod compreſſius argumentati ſumus, in certos ac diſtinctos, Theologicóſque locos, diducamus: vnde minimè fallacia argumenta ad id, quod ipſi in hac cauſſa credimus, confirmãdum eruemus. Horum autem omnium vnuſquiſque locus aut in pluriũ, aut in vnius magni Theologi auctoritate collocabitur. Sit igitur hic primus locus ex ſententiis D. Thomæ, Alberti Magni, Richardi, Durandi, Paludani, à quibus non diſſident alij, conflatus.

D. Thomas, in 4. ſent. diſt. 31. q. 1. art. 1. 2. ad 1. ſcribit, maritalem concubitum eſſe per ſe turpem, & bona, quæ honeſtant illum, ad matrimonij eſſentiam pertinere, & q. 2. art. 1. actum matrimonij non vult bonitatem induere, ſeu prauitatem exuere, niſi quia in eo bona adſunt matrimonij. Albertus eamdem ſubſcribit ſententiam in eamdem diſt. art. 4. item Richardus in eamdem, art. 1. q. 1. & Durand. in eamd. q. 1. num. 5. & Palud. in eand. q. 1. art. 3. concl. 4.

Probatio Durandi & Paludani eſt huiuſmodi: cùm enim maris & feminæ coniunctio indifferens ſit, id eſt, tum vitij tum honeſtatis particeps, vt à vitio recedat, honeſtis circumſtantiis munitam eſſe oportet: quæ circumſtantiæ in tribus matrimonij bonis ſitæ ſunt. Quæ bona exſequitur D. Auguſt. 9. lib. in Geneſim, c. 7. ac

ac de iis Theologi accuratè diſſerunt, in 4.ſent.diſt.31.

Eſt autem horum bonorum tripartita ratio: nam primum eſt & dicitur, Sacramenti: ſecundum, prolis: tertium, fidei. Primum in coniugum indiuidua ſocietate, atque indiſſolubili vinculo, conſiſtit: cuius vinculi abſoluta ratio matrimonij conſummati eſt propria, vt eiſdem Theologis placet. Secundi natura ea eſt, vt proles Dei cauſſà ſuſcipiatur, religioſéque & ſanctè educetur. Tertij ea vis eſt; vt neque vir ad aliam mulierem, quàm ſuam, neque vxor ad virum alium ſuo excepto accedat: rémque connubialis thori coniugali caſtóque animo gerant.

Ex hoc primo loco hoc ducitur argumentũ. Concubitus, quem cum ſua vxore exercet iſte impurus maritus vniuerſa matrimonij iura labefacit: ergo nefarium oportet eſſe concubitum. Antecedens perfacilem confirmationem habet. Nam bonum matrimonij, vt eſt Sacramentum, violatur, quia quo tempore in corporum coniunctione maximè perſiſtendum eſſet, eo tempore diſiunguntur, id eſt, in ſeminis ſeceſſione bonum corrumpitur prolis: quia eius odio, ac vitio mariti, muliebre aruum nec irrigatur, nec poteſt eſſe frugiferum.

Bonum fidei euertitur: quia prolem aut optanti, aut non recuſanti mulieri, aut culpam fornicationis vitare cupienti, non ſatisfacit maritus; atque eam iure ſuo ſceleratè priuat: & quemadmodum qui conditionibus bona hæc tria, aut vnum ex iis tollentibus, matrimonium contraheret, matrimonium non eſſet, ex cap. poſtremo, de conditionibus appoſitis, cunctorúmque doctorum ſententia: ita qui contra eadem bona actum moliuntur coniugij, coniugalem actum nequaquam agunt.

Id quod ex ſecundo loco planius fiet. Concubitus coniugalis, inquit D.Thom. in eamdem diſt.31. quæſt.2. art.1. non differt à fornicario, niſi per bona matrimonij: ſi ergo hæc non ſufficerent excuſare ipſum, tunc matrimonium ſemper illicitum remaneret. Et ob tres circumſtantias, de quibus iam dictum eſt, coniugalem concubitum diſtare à fornicario ſcripſerunt in eamdem diſt. Richardus, art.3. q.3. Durandus q.1. num.7. ad 1. argum. qui etiam in q.3. num.5. affirmat eiuſdem naturæ in ſpecie eſſe actum matrimonij, & fornicationis. Paludanus q.1. art.3. concl. 4. in fine: ergo cùm probatum ſit, in coitu, qui inter maritum hunc peſtiferum, & vxorem ſuam agitur, non ineſſe matrimonij bona, ipſum excuſantia, pro fornicario habendus erit: quare nec reddi nec exigi poterit.

Tertius locus. Probat Durandus in 4. diſt.31. quæſt.3. num.4. bona excuſantia actum matrimonij eſſe duo tantùm, bonum inquam prolis & fidei: nam bonum Sacramenti vult propriè in ipſo vinculo reſidere, atque inter omnia bona matrimonio eſſentialia magis principale ait eſſe bonum prolis, in eamdem diſt. q.2. num.6. Diuus autem Thomas, in eamd. diſt.31. quæſt.1. art.3. intentam prolem eſſentialiſſimum ſcribit eſſe in matrimonio. & Palud. in eam diſt. quæſt.1. artic.3. concl.1. fidem propter prolem in matrimonio reperiri confirmat. & Richardus diſt.32. art.4. q.1. affirmat concubitum coniugalem, principaliùs, verba ſunt eius, ordinari ad prolem procreandam, quàm ad remedium. Diuus autem Bonauentura in diſt.31. art.1. q.2. num.11. A dictamine, inquit, naturæ eſt, vt vir cubet cum muliere ad conſeruationem ipſius naturæ, & ſic eſt bonum prolis. Scotus ſic in eamdem diſt.31. quæſt. vnica. §. Tertium bonum. Bonum prolis eſt in matrimonio in obligatione ſub conditione, ſi eueniat, vt ſuſcipiatur grataner, & religioſè educetur, ideo eſt ibi ſub obligatione pro ſemper, & ad ſemper non impedire illud bonum ſtudioſè. Poſtremáque huius ſententiæ verba repetit in ſolutione argumentorum: nec ſecus Richardus docuit in eamd. d.31. art.2. q.1.

Durandus autem in illam diſtinct. 31. quæſt.3.

quæſt. 3. num. 8. & Palud. quæſt. 2. art. 1. concl. 1. ſentiunt cùm generatio prolis ſit finis principalis matrimonij, quando illa gigni poteſt, ſi coitus ad eam non referatur, vitioſum eſſe concubitum. Quòd cum maiore aſſeueratione dicit Paludanus, quàm Durandus.

At impura iſta Chriſtiani matrimonij lues non eò cum vxore ſua concubitum inſtituit, vt naſcantur filij, ſed vt ij, in nullo ſint numero: ſitque in humanam ſpeciem, cuius eſt iſte maritus pars indigniſſima, contumelioſus, crudelitérque ingratus.

Relinquitur igitur, ab vxore nec retribui, nec poſtulari vſum poſſe coniugij; quod tanto dedecore à viro affici non ignorat.

4. Id quod ex quarto loco rectiùs intelligetur. Diuus Auguſtinus, in libro de nuptiis, & concupiſcentia, ad Valerium comitem, cap. 15. de eorum coniugum culpa verba faciens quando non cauſſa propagandæ prolis (verba ſunt tanti doctoris) concumbitur, ſed libidinis cauſſa propagationi prolis obſiſtitur, ſiue voto, ſiue » opere malo, ita pronunciat. Qui hoc fa- » ciunt, quamuis vocentur coniuges, non » ſunt, nec vllam nuptiarum retinent veri- » tatem. Ac de iis diſſerens, qui venena ſte- » rilitatis procurant. Si ambo, inquit, tales » ſunt, coniuges non ſunt, &c; ſi ab initio ta- » les fuerunt, non ſibi per connubium ſed » per ſtuprum potiùs conuenerunt. Si au- » tem non ambo ſunt tales, audeo dicere, » aut illa eſt quodammodo meretrix mari- » ti, aut ille adulter vxoris.

Atque hæc poſterior pars ſententiæ extat in decretorum volumine cap. aliquando, 32. q. 2. & apud Magiſtrum ſent. in 4. lib. diſt. 31. cap. Qui verò, nec dubitandum eſt, quin quod de venenis ſterilitatis extulit Auguſtinus, idem de nefanda illa effuſione dicturus eſſet: præſertim cùm id primis prioris partis ſententiæ verbis ſubindicarit.

Gabriel, in 4. ſentent. diſtinct. 31, quæſt. » 1. art. 2. concl. 8. coroll. 4. Cognoſcens, inquit ſuam ſic, vel ſic, animo impediendi » fetum, vel cauſſandi aborſum, ne prolem » habere cogatur, grande & diabolicum » committit peccatum. & Palud. in eand. » diſt. q. 3. art. 2. concl. 5. his verbis loquitur. » Qui ideo ſemen extra fundit, ne habeat » plures filios, quos nutrire non poſſit, de- » teſtabilem rem cum filio Iuda operatur. » Gen. 38. Conſummare tamen actum non exiſtimat criminoſum niſi petente vxore.

Ecquis igitur aut ecquæ coniunx huic connubialis fœderis corruptori ſine ſcelere aut reddat, aut ab eo repetat non dicam debitum, ſed matrimonij fœdiſſimam iniuriam?

Quintus locus quarto finitimus. Triplex eſt, inquit Alex. Hal. in 2. p. quæſt. 35. 5. memb. 8. coniugalis coitus, alius licitus, alius permiſſus, alius prohibitus. Licitum facit triplex cauſſa. Prima, prolis. Secunda, fidei. Tertia, vitandæ incontinentiæ: permiſſus eſt, in quo quæritur delectatio, inquit ille, ſub Deo: prohibitus eſt, qui ex voluntate ſubdita libidini cõtra honeſtatem coniugij, & ordinem rationis procedit. Nec quiſquam ſecus quàm Alexan. in hac parte ſentit. Cùm ergo ſciat coniux nexum corporum à viro vel poſci, vel impetrari ad ſceleratam explendam libidinem, & ad matrimonij caſtimoniã commaculandam, ſcire quoque debet nefarium eſſe cum eo corpus ſexúmque miſcere.

Sextus locus. Probat egregiè Richard. 6. in 4. ſent. d. 32. art. 1. q. 2. non cogi vxorem petere à viro debitum: ideo quòd nemo creditor ſuum compellitur exigere debitum, licèt ſit pecuniarium. Nullúſque cogitur iure eo vti: quod pro ſe tantùm introductum eſt, extra, ad Apoſtolicam, de regul. ſicut igitur reddere, quod alteri debetur, eſt iuſtitiæ & neceſſitatis: ita, quod ſibi debetur, ab altero repetere, eſt voluntatis. & Durand. in 4. d. 15. q. 10. num. 12. Reddere, inquit, debitum, eſt neceſſitatis; petere, voluntatis.

Cùm igitur vxor in viro ſuo mortiferam noxam animæ vitare debeat, ſexum

cum eo commiſcendo, materiem eidem noxæ præbere non poteſt, nec debet: præſertim cùm ipſa poſſit laſciuientes corporis ſui voluptates multis modis compeſcere, inedia, oratione, verberatione, aliiſque afflictationis generibus, vt etiam docet Paludanus.

7. Reſpondeat quis pro vxore. At vir eius ſemper animum paratum gerit ad ſcelus: ergo non de eo ſollicita debet eſſe vxor. Verùm id non rectè dicitur. Quia enim, vt inquit Palud. in 4. ſent. d. 31. q. 3. art. 1. concl. 1. non demeremur habitibus, ſed actibus, neque parata voluntas ad malum peccat, niſi cùm agit; ceteróqui etiam in ſomno peccaret; & quia, vt idem Paludanus ibidem ſcriptum reliquit, quando limites matrimonij exceduntur, peccatur mortaliter: quandoquidem conſtat mulieri virum extra limites coniugij ratos libidinis inſania ferri, ne feratur cauere omni ſtudio debet.

Septimus. Furioſo, quo tempore furit, actus coniugij non debetur, inquit Richardus diſt. 32. art. 4. q. 2. in calce. Iſti igitur marito peiùs furenti, atque inſanienti reddere, aut ab eo flagitare, quæ amentia eſſet?

8. Octauus locus. Cùm quis committit ſe diſcrimini peccati mortalis, ſciens & volens, mortale committit ſecundùm communem Theologorum inquit Gabriel in 4. ſent. d. 31. q. 1. art. 3. dubio 2. Ergo cùm iſtius mariti vxor cum eo concumbens ſcire facilè poſſit ſuum inflammari corpus, atque obſcœnæ pudendæque voluptatis vehementem ſenſum cum periculo pollutionis cieri, vbi erit à viro diſtracta; niſi periculum hoc vitet, exitialem culpam neſcio qua ratione vitabit.

9. Nonus locus. Si vxor peccandi illam mariti ſui licentiam cohibere poſſet, nec reddendo, nec exigendo coniugij actu, facere omnino deberet: cùm ei multo magis, quàm aliorum, viri ſalus commendata eſſe debeat, ex communibus placitis Theologorum. Verùm ſi hanc inſtituat curandi viri rationem, eum fortaſſe ſanabit; ſicut ab aliis vxoribus eodem remedio ſuos viros ad ſanitatem nonnullos reuocatos eſſe conſtat: id igitur facere vxor debet.

Poſtremus locus. Magiſter ſententiarum in 4. d. 31. cap. Et eſt ſciendum, his 10.
verbis caput claudit. » Ecce coniuges dicuntur, qui ſolius concubitus cauſſa conueniunt, ſi tamen prolis generationem aliquo dolo malo non vitent. » & Durandus in eam d. q. 4. num. 5. peccatum mortale ait eſſe, quærere delectationem in vxore, non quia vxor eſt: ſed quia mulier. Atqui vxori cognitum eſt dolo malo prolis generationem vitari à viro: ſe non ad coniugalem iuſtúmque concubitum peti, ſed ad cæcam voluptatem, quam peræquè nequiſſimus maritus, & fortè libentiùs in alia muliere, ſi eius potiundæ facultas eſſet, conquireret: ergo maritum in ea ſexuum coniunctione, non tamquã coniugem, ſed tamquam adulterum, & veluti matrimonij horribilem peſtem, debet agnoſcere: atque ob id ipſum ab ſe illum auertere.

Ita mihi videtur Paulo Comitolo.

QVÆSTIO CXL.

VXor à viro ſuo ad flagitium impellitur; ſentítque illud ſe vitare non poſſe, ſi cum marito commoretur: crimen tamen mariti Eccleſiæ probare non poteſt.

Licitúmne erit ſibi ius dicere, & à 1.
viro diſcedere? Licitum eſſe ſcripſerunt hi graues auctores, Paludanus diſt. 35. 4. q. 1. art. 4. concl. 3. & diſt. 39. q. vnica, art. 3. D. Anton. in 3. par. tit. 1. c. 21. in extremo. Syluester, in verbo Diuortiũ q. 6. Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 21. quorum hæc eſt magna ratio. Si enim diſſidij, ſeu diſceſſionis cauſſa iuſta eſt periculũ corpori conflatum; quanto magis illud, quod animæ intenditur?

Huius ſententiæ, quæ vera eſt, hæc item ſunt firma præſidia. Primum: quia cùm

cùm non poteſt integra cum Deo geri amicitia, niſi aliæ diſcindantur; omnes aliæ amicitiæ, conſuetudines, ſocietates, ſodalitates ſunt planè dirimendæ: ipſa etiam vita amittenda: quanto ergo magis viri conuictus deſerendus?

Deinde; quia quem ſui delicti non verè pœnitet, ei nec venia vlla, nec ſalus datur à Deo: ſed vera pœnitentia conſiſtere nequit, niſi omnis peccandi propinqua amputetur occaſio: id quod Canon docet, Satisfactio de pœnitẽtia d.3 ſumptus ex lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus, c.54. vbi » his verbis Aug. Satisfactio pœnitentiæ eſt » peccatorum cauſſas excidere, nec earum » ſuggeſtionibus aditum indulgere. Et de relinquendo loco, vbi quis in ſcelus eſt lapſus, eſt Canon luculentus Iſidori de ſummo bono, lib. 2. c. 10. à Gratiano rela» tus in diſt. 81. valet. Congruum eſt enim, » (verba ſunt Canonis) inde etiam corpo» raliter auelli, vbi quiſque illecebris deſer» uiuit: nam locus, vbi quiſque prauè vixit, » hoc in adſpectu mentis apponit, quod » ſæpè ibi vel cogitauit, vel geſſit.

2\. Oppones, At Dominus, Matth. 5. ob » ſolam fornicationem iudicauit dimitti » poſſe vxorem: ergo non propter aliud peccatum.

Reſpondeo, multa peccare. Argumentum primum: quia illic loquitur Dominus, ſi ſequamur interpretationem Auguſtini & Chryſoſtomi, quam ſequitur Gloſſa ordin. & D. Thom. in illum locum Matthæi, non ſolùm de fornicatione car» nali, ſed etiam ſpirituali: Non enim, ver» ba ſunt Gloſſæ, fornicatio eſt tantùm ſtu» pri, ſed generaliter, quæ à lege Dei aber» rare facit.

Deinde: quia Chriſtus, antequam legem edixiſſet de poteſtate dimittendæ vxoris ob fornicationem, antea in eodem cap. ius neceſſarium conſtituerat de cunctis peccandi inſtrumentis remouendis: cùm dixit, *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te; &, ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te.* Quod præceptum iterauit Saluator apud eumdem Matth. cap. 18.

Poſtremò, ſanctimonia & doctrina tres excellentes Doctores, quod ipſi in hac quæſtione iudicauimus, perſpicua oratione comprobarunt. Sic enim Hilarius explanans ea verba, Si oculus tuus dexter, &c. Quia diuerſa inuicem membra, corpus tamen omnes vnum ſumus; abiicere à nobis, vel potiùs eruere propinquitates cariſſimorum hominum admonemur: ſi in illis aliquid tale cernamus, ne in conſortium criminis eorum de familiaritate veniamus.

D. Hieronym. in eumdem locum. In dextero oculo, & dextera manu fratrum, vxorum, & liberorum, atque affinium, & propinquorum monſtratur affectus: quos ſi ad contemplandam veram lucem nobis impedimẽto eſſe cernimus, debemus truncare huiuſmodi portiones: ne, dum volumus lucri ceteros facere, ipſi in æternum pereamus.

Et D. Chryſoſtomus enucleans eamdem legem Homil. 17 in Matth. loquitur 3. his verbis. Quam igitur ob cauſſam dex» trum poſuit, & manum adiecit? vt ſcilicet » diſceres non de membris eſſe ſermonem; » ſed de iis potiùs, qui nobis familiaritate » iunguntur. Et ſi igitur tantùm aliquem » diligis, vt eo dextri oculi vtaris vice; aut » ita tibi quempiam eſſe vtilem putas, vt » eum manus dextræ ducas loco; & hi ani» mæ tuæ fortaſſe incommodant, etiã iſtos, » inquit, à te abſcinde. Et diligentiùs vim » ipſam ſermonis examina. Non enim dixit à talium ſocietate diſcede, ſed maximam ſeparationem indicans, Erue, inquit, ac » proiice abs te. Hactenus Chryſoſtomus. »

At mihi hic duo conſidera. Vnum eſt, legem de peccati materia exſecanda priùs latam eſſe, quàm de vxore dimittenda: & hanc proximè illam à Chriſto promulgatam eſſe; vt intelligas, priorem legẽ multò grauiorem & ſanctiorem eſſe quàm poſteriorem: alterum, priorem legem eſſe neceſſitatis, cui ſit neceſſariò ſemper parendum; poſteriorem libertatis, & conceſſionis.

QVÆSTIO CXLI.

1. SÆpe dubitatum eſt, atque etiam nūc à multis viris doctis dubitatur, verúm ne propter clandeſtinum adulteriū vxoris, viro tantummodo notum, poſſit priuata auctoritate eam aut domo extrudere, aut relinquere, cùm in iudicio flagitium probari non poſſit.

Nonnulli perſuaſum habent abſque Eccleſiaſtici iudicis decreto poſſe domo eiici vxorem, vel certè ab ea diſcedi iure conſciētiæ, quamuis ab Eccleſia cogi poſſit ad eam recipiendam.

Huius ſententiæ princeps eſt Petrus Paludanus, in 4. d. 35. q. 1. art. 4. conc. 3. cui aſſentitur Sotus in 4. d. 36. q. vn. art. 3. vbi ſcribit, ab innocente viro adulteræ nec alimenta, nec copulam, nec conuictum deberi iure conſcientiæ: quare ceſſante ſcandalo, & ea non adeunte ad iudicem Eccleſiaſticum, dimitti poſſe aliò proficiſcendo. Idem defendit Panormitanus, in cap. poſtremum de adulteriis, & eorum ſcholiorum nonnullus auctor, quibus Panormitani commentarium illuſtrauit. Verba & argumenta Paludani hæc ſunt.

Tertia concluſio eſt, quòd ſi non poſſit probare, poteſt ſibi ius dicere; quia defectus probationis non eſt ex culpa ſua, ſicut debitorem fugientem licet capere. Similiter ſi quis furatus eſt mihi centum, & non poſſum probare, non ſolùm poſſum de ſuo tantumdem retinere, ſed etiā occultò accipere: ſicut Iſraëlitæ commodata ab Ægyptiis ſine peccato aſportauerunt. Quando enim iudicis copia haberi non poteſt, aut propter defectum iudicis, aut aduerſarij, aut aliter ſine culpa huius, iſte poteſt ſibi ius dicere, aliàs omnia bella eſſent iniuſta: nam vindicatio eſt etiam virtus ſubditi, & non ſolùm iudicis. Hæc Paludanus.

2. Quæ meo quidem animo facilem habent reprehenſionem. Nam, tametſi in ſua re recuperanda, cùm eam ab iudice obtinere non poteſt, ſibi ius quiſpiam dicere poſſit: hoc nihilominus in pœna alteri infligēda, præſertim cùm publica eſt, nullo modo poteſt; cùm pœna publica debeatur culpæ publicæ: & irroganda ſit à poteſtate publica: diuortium autem eſt pœna publica. Vix etiam, vt rectè Gabriel admonet in 4. d. 35. q. 1. art. 2. conc. 6. accidere poteſt, vt adulterium, ſi probari poſſit, ad iudicem tutò deferri non poſſit. Bella autem licèt non omnia, tamē multa ſunt iuſta, quia geruntur ab eo, penes quē publica & iudiciaria poteſtas eſt: tum quia cauſſam cur inferantur, palam habent iuſtam, atque probabilem. Vindicatio autem tunc eſt ſubditi, cùm vim vi repellit.

Quæ omnia in factum, de quo à nobis controuertitur, accommodari non poſſunt. Panormitanus duo affert, alterum ab ſe, alterum ab iis quorum eſt ſuperior ætas, multò antea excogitatum: ſuum ac proprium hoc eſt: quòd in cap. Agathoſa, 27. q. 2. Gregorius Magnus conſultus de ingreſſu in Monaſterium, quod maritus Agathoſæ ea inuita delegit, reſpondet, fas illi fuiſſe ingredi, ſi mulier fornicata fuerit.

Hinc ducit argumentum Panormitanus. Si enim, inquit, requireretur ſententia ad perdendam iſtam ſeruitutem coniugalem, non valuiſſet iſte ingreſſus ante ſententiam.

Equidem acutum Canonum interpretem in eo Canone Gregorij interpretando, tam parum vidiſſe admiror: ex quo contraria prorſus ſententia hauritur. Sic enim Gregorius lib. 9. ep. 44. ad Panormitanum notarium. Si verò nihil horū eſt, »
nec quondam fornicationis crimen, pro- »
pter quod licet viro dimittere vxorem, »
prædictam mulierem commiſiſſe cogno- »
ueris, ne illius conuerſio vxori relictæ in »
ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, vo- »
lumus, vt maritum ſuum illi, etiamſi tonſuratus eſt, reddere debeas, omni excu- »
ſatione ceſſante. »

In quo reſponſo quis non videt requiri 3.
criminis

criminis cognitionem Eccleſiaſticã quam permittit Gregor. Panormitano notario? quis non animaduertit iuſtitiam ingreſſus,& veritatem profeſſionis pendere ex ea cognitione & iudicio, quod daturus eſt notarius? nec virum Agathoſæ prius habendum eſſe profeſſum,quã vxor fuerit adulterij in iudicio conuicta? ſi enim apud iudicem Eccleſiaſticum cognitio adulterij facit ingreſſum licitũ: ergo eius ignoratio facit illicitum.

Alterum,quod fuit multò anteà à noſtris Theologis, D.Thom. Bonauent. Richardo,& aliis inuentum ſimul,& explicatum,hoc eſt, quòd Chriſto Domino pronunciante ob fornicationem dimitti poſſe vxorem, alia ſententia minimè eſt neceſſaria.

Reſpondent iidem Theologi, à Chriſto datam Eccleſiæ fuiſſe legem,ad quam illa ſententiam iudiciúmque formare & dirigere deberet: ſententiam autem minimè tuliſſe,ſed hanc omnem eidem Eccleſiæ condonaſſe:ſiquidem ſententia, vt illi ipſi Theologi affirmant,nihil eſt aliud, quàm legis applicatio ad ſingulare factũ. Applicat autem legem generalem ad particulare factum Eccleſia, ſeu iudex.

4. Porrò eius, qui in Panormitani commentarium ſcholia elimauit, Achillæum argumentum eruitur ex Can.Hieronymi. Dixit Dominus 32.q.1.ad quem, inquit, nemo aduertit. Sit mihi Deus ſupremus teſtis,quòd cùm eſſem ſcholaris, ponderaui ad hoc illum textum: ſed Deo ſit gloria,in cap.dixit Dominus,32.qu.1. vbi dicit, *Quod propter fornicationem,vel ſuſpicionem fornicationis liberè dimittitur vxor:* nam illud verbum, *liberè*,excludit ſententiam: quia eſt Canon latæ ſententiæ cap. pro humani.in verbo,*liberè*,de homic.l.6. Item excludit ſententiam alicuius,cap.de illis,de ſpõſ.c.1.de reg.l.6.c.fin.de teſt.l.6. c.2.de pœnis,l.6.ecce nunc caſum ibi, ad quem nõ animaduertit antiqua,nec moderna iuris prudentia.

His verbis, atque hac ratiocinatione homo ille tripudiat: ſed quàm pueriliter, quàm futiliter, nunc intelligetur. Si verbum, *liberè*, excludit alterius ſententiam, cur quotidie Eccleſia ſuis ſententiis propter fornicationem dirimit quoad thorũ & domicilium matrimonia? Cur quotidianis Eccleſiæ iudiciis mariti ſuas eiectas vxores ob occultum adulterij crimen repetere coguntur? Adhæc probare debebat hic ipſe auctor in eo canone; Dixit Dominus,nomen fornicationis,& ſuſpicionis,ſumi pro fornicatione,& ſuſpicione qualibet,quamuis probari non poſſit: at nos contendimus non vſurpari niſi pro manifeſta,aut Eccleſiæ iudicio conuicta. Poſtremò,vocabulum,ſeu aduerbium illud, *liberè*, parum liberè, vel fortaſſe nimium liberè eſt interpretatus, cùm huius dictionis multiplex ſit notio:hæc eſt perappoſita,& canoni congruens,vt *liberè*,ſit pro fidenter,tutò, omni remoto impedimento.

Huius igitur Hieronymiani decreti: 5.
Vbicumque eſt fornicatio,vel fornicatio- "
nis ſuſpicio,liberè vxor dimittitur:hæc eſt "
veriſſima à ſenſu Doctorum interpretatio. Quoties de fornicatione conſtat, vel de eius vehementiſſima & violenta ſuſpicione,quæ iudici vim poſſet adferre,& quæ manifeſta ſit,liberè vxor,ſiue Eccleſiæ auctoritate,à viro hoc ei permittente, ſiue ab ipſa Eccleſia dimittitur. Atque ad hoc, cùm eſſet Canonum auditor ſcholiaſtes ille, attẽdiſſet, modeſtiùs & veriùs iam doctor ſcripſiſſet.

Reliquum eſt, vt Doctorum, qui meliùs & prudentiùs contrariam ſententiam explicarunt,aciem ſpectemus:quæ videlicet conſtat his præſtantiſſimis ducibus,D. Thoma, in 4.ſent. diſt.35.q.1.art.3. S. Bonauentura,in eamd.diſt.q.3. Richardo in eamd.art.1.q.3.Durando,in eamd.q.1.Gabriele in eamd.q.1.art.2.concl.6.Maiore, in eamd.q.1. Turrecremata,in cap.ſeculares,33.q.2.Tuetur hæc ſe ſententia ſanctione Concilij Carthaginenſis, vbi interfuit D.Auguſt.quę reperitur in Concilio Agathenſi,cap.2. & habetur 33.q.2.ſeculares: namque Concilium ſtatuit à communio-

Digitized by Google

ne ſanctæ Eccleſiæ, & populi cœtu eos excludendos eſſe, qui ſuas abiiciunt vxores, priuſquam in iudicio damnentur. eſt excommunicatio ferendæ ſententiæ. Nicolaus Papa in ead.q.cap.3. idem conſtituit, ſed nulla adiuncta cenſura. Ad Can. ſæculares, reſpondere quis poſſet, eum loqui de illo, qui ſine graui cauſſa vxorem dimittit; vel ita dimittit vt non amplius tamquam ſuam agnoſcat, ſed ideo, vt aliã ducat.

Huius opinionis argumenta hæc ſunt. Quia nullus ſe debet vlciſci: at vltionis genus eſt dimittere vxorem. Quia nullus debet eſſe actor & iudex. Quia diuortium pœna eſt publica; ergo ob publicam culpam imponenda: hæc ratio eſt omnium firmiſſima. Addamus nos; quia crimen proximi occultum non eſt indicandum in vulgus; quod accideret, ſi ob occulta coniugum adulteria diſſidia fierent: quis enim non peſſimè de ea muliere ſuſpicetur, à qua palam receſſit maritus? nec alia cauſſa, quàm eius vita turpis, & adulterio commaculata, fingi probabiliter poteſt.

Addunt etiam Theologi, valde abſurdum videri, ſi in lege Chriſti ſine iudicis auctoritate diuortia fiant, quæ ſine eadem auctoritate in vetere lege prohibebantur.

6. Fatentur tamen Theologiæ, & Pontificiæ diſciplinæ magiſtri complures, priuata auctoritate vxorẽ poſſe dimitti, cùm peccatum eſt certum, & patet; aut ita in promptu, vt ſtatim innocẽs coniunx probaturus ſit. Richardus diſt.35.4.art.1.q.3. putat in matrimonio clandeſtino (quod ante Concilium Tridentinum verum erat matrimonium, nunc autem eſt nullum) licere propter fornicationẽ viro tantùm notam relinquere vxorem, ſecus in matrimonio aut in facie Eccleſiæ, aut coram teſtibus inito. Ego neque in matrimonio clandeſtino illud putarem licere, quando eiuſmodi matrimonium vulgi opinione & aſſenſu verum matrimonium exiſtimatetur.

QVÆSTIO CXLII.

CÆſar in matrimonium Clitomachã ducit; cuius virginalis integritas, in primo congreſſu ei ſuſpecta fuit: aliquot poſt annis illã domi incluſam, cum quodam ſubter cubile latitante offendit: eamdem rus inuitatus maritus, ſuæ matri commendat, neceſſarióque cõmeatu inſtruit. Interea, dum vir abeſt, Clitomacha quotidie iura connubialis thori violare: atque in omni cœno nefariæ libidinis volutari: illo etiam die quo viri aduentus in exſpectatione erat, multis rebus viri amotis, & intercerſis, neſcio quò cum quodam inceſto ſacerdote ſemigrauit: & tamen ei eſt à marito ignotum: cui ab impudiciſſima muliere hæc eſt gratia relata: quòd ægrotanti miſero ſcutellã veneno imbutam dedit; quo is interiſſet, niſi medicorum ope perniciem depuliſſet. 1.

Idem Cæſar, vxore, eiuſque matre poſtulantibus, dotis aliarumque rerum tabulas confecit. Nec viri clementia delinitæ fœminæ impię, Cæſarem ad iudicum tribunalia abripiunt: vbi coactus dicere cauſſam, ſuámque defendere innocentiã, adulterij Clitomachã conuicit; quæ cauſſa cecidit: & id omne, quod obtinere cupiebat, amiſit; iudicúmque ſententia eſt in vincula coniecta, quibus nõ niſi mariti benignitate poterat exſolui.

Cùm ita ſeſe res habeat, quæſiuit Cæſar; num abſque Eccleſiaſtici iudicis auctoritate, ab ſe dimittere vxorem queat, & cum illa diuortium facere. 2.

Reſpondi, cùm iuſta cauſſa diuortij ſit adulterium per ſe notum, & iudicum ſententia iam nimiũm patefactum, nullamque ſpem mulier afferat melioris frugis, ſine Eccleſiæ auctoritate, thoro ac domo exturbari à Cæſare poſſe Clitomacham; neque dignam quæ in eius matrimonium & domicilium redeat.

Neque verò noſtra eſt hæc, ſed Romani Pontificis Alexandri III. aſſeueratio in cap. ſignificaſti, de diuortiis, iudicantis, eum,

eum, qui ob notorium adulterium vxorem dimiſerat, Eccleſiæ iudicio non exſpectato, ad eam recipiendam compelli non debere, niſi forrè conſtaret, virum cum alia muliere adulterium commiſiſſe. Quam Decretalem Innocẽtius, Oſtienſis, Ioan. Andreas, explanantes, admonent notorium dici adulterium, vel aliud crimen, cùm iudici & aliis eſt notorium: vel etiam aliis tantùm: & probationes ſunt in promptu.

Addit etiam Panormitanus ob adulterantis confeſſionem in iudicio effici crimen notorium. Omnibus tribus his modis impuriſſimæ mulieris adulterium notorium euaſit: ergo abſque noua Eccleſiæ ſententia, thoro & domicilio ſuo maritus eam potuit exturbare.

Et quoniam vnus Gabriel, in 4. ſenten. diſt. 35. q. vnica concl. 5. parum attendens animum ad verba Decretalis, ſignificaſti, de diuortiis, atque ad ea, quæ à ſacrarum ſanctionum interpretibus, atque ab eximiis Theologiæ magiſtris ſcripta ſunt, negauit ius eſſe innocenti coniugi ab adulterante diuertere, quãuis palam ſit adulterij reus, niſi Eccleſiaſtica ſententia condemnatus ſit, & Panormitani etiam auctoritate nouum ſuum inuentum confirmat: idcirco non incommodum erit verba Panormitani adſcribere, vt intelligat Gabriel, quàm longè à veritate, & Panormitani ſenſu aberrarit: ergo in cap. ſignificaſti, communem hanc ſententiam ſępius inculcauit, & in cap. extremo de adulteriis, num. 6. verbis luculentis eamdem expreſſit, cùm hoc modo ſcripſit.

3. Quoad ſecundam & tertiam quæſtionem, concludit Gloſſa, quòd, ſi adulteriũ eſt manifeſtum, propria auctoritate poteſt denegare debitum coniugale, & eam de domo expellere: ſecus, ſi occultum: & idem Oſtienſis hic, & Ioan. Cald. & poſt aliquanto. Primum dictum ſequor. Pro hoc adduco textum in cap. Agathoſa 27. q. 2. vbi quidam propter adulterium mulieris intrauit monaſterium: & ibi Papa dicit, quòd ſi poteſt conſtare de adulterio, licitè intrauit: ſi enim requireretur ſentẽtia ad perdendam iſtam ſeruitutem coniugalem, non valuiſſet iſte ingreſſus ante ſententiam, argum. in c. quidam de conuerſ. coniugatorum: ad idem facit caput, ſignificaſti, de diuortiis; & hoc puto verum indiſtinctè ſiue manifeſtum ſit adulterium, ſiue occultum: Nam ipſe DEVS dedit hanc poteſtatem coniugi; vt poſſit dimittere propter fornicationẽ: nec dictum caput Agathoſa diſtinguit. Fateor tamen, quòd Eccleſia compellet ad reſtitutionem, niſi ſibi conſtet de adulterio. Itaque, quod nos dicimus, Panormitanus explanatiùs dicere non poterat.

Veniamus ad Theologos. D. Thom. in 4. ſentent. diſt. 35. q. 1. Richardus in eamd. diſt. art. 1. q. 3. Durandus in eamd. q. 1. Carthuſianus in eamd. q. 1. nolunt neceſſariam legem imponi innocenti coniugi recipiendi nocentem, ſi ei paratæ ſint probationes aduerſum nocentem adulterij affinem. In hac cauſſa non ſolùm probari potuit, ſed in publico iudicio mulieris adulterium probatum eſt, atque conuictum.

Sed Cæſari non modò Theologi, & 4.
ſacrorum Canonum interpretes: verumetiam ſacræ ipſæ ſanctiones magnopere opitulantur. Mitto Decretalem, ſignificaſti, de diuortiis. Extat canon Sicut, 32. q. 1. ſumptus ex commentariis D. Hieronymi
in Matth. cap. 19. Sicut crudelis eſt, & ini- »
quus, inquit Hieronymus, qui caſtam di- »
mittit; ſic fatuus eſt, & iniuſtus, qui retinet »
meretricem: nam patronus turpitudinis »
eius eſt, qui crimen cęlat vxoris. Ioan. Tur- »
recremata interpretationem faciens ver- »
borum illorũ, *retinet meretricem*, ſic ſcribit. »
Retinet, inquit, cohabitando, debitum »
reddendo, exigendo; cùm eius crimen ſit »
notorium: vel cùm poteſt eam punire, vel »
eſt inde iam confeſſa, vel conuicta: vt vir »
prætextu incredulitatis ſuam patientiam »
diſſimulare non poſſit. & ſequens canon, »
Dixit Dominus: Cùm illa vnã carnem in »
aliam diuiſerit, & ſe fornicatione ſeparauerit »
à marito, non debet teneri; ne virũ »
quoque

quoque ſub maledicto faciat, dicēte ſcriptura. Prouerb. 18. *Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt.* Vbicumque eſt igitur fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, liberè vxor dimittitur. Quod verè dicitur de ſuſpicione violenta & probata.

Et Canon quartus eiuſdem cauſſæ & quæſtionis, mœcham vxorem duorū annorum pœnitentia mulctat: Canon verò ſextus, trium annorum. Quòd ſi corrupta adulterio mulier criminis luem ſalutari pœnitentia eluiſſet, recōciliari in gratiam viri poſſet.

5. Defenditur hæc ipſa ſententia à Paludano in 4. ſentent. diſt. 35. q. 1. concl. 2. cùm his verbis ſcribit. Secunda concluſio eſt de dimiſſione, & eiectione quantùm ad domum & cohabitationem: vbi licet auctoritate propria, vbi eſt notorium, ſcilicet, per ſententiam: ſed iam ibi eſt auctoritas iudicis, & per confeſſionem factam in iure: item per facti euidentiam: quia nulla poteſt tergiuerſatione celari. & Maior in 4. diſtin. 35. q. 1. ad hunc modum loquitur. Si ſit fornicatio notoria, poteſt vir vxorem propria auctoritate dimittere: ſi verò delictum nōn ſit notorium, diuortiū debet fieri per Eccleſiam: alioquin inſtante altero compelletur cohabitate. Adulterium autem eſt notorium ex mulieris cōfeſſione: vel quia ex alio ſobolem ſuſcepit, ex quo eſt à marito cognita: vel quia cum alio verſatur in domo, menſa, & huiuſmodi, quod nulla tergiuerſatione poteſt negari.

Ab hac percelebrata opinione conſtanter videntur ſtare omnes, qui controuerſias humani officij exponunt. D. Antoninus in 3. par. tit. 9. cap. 8. §. 5. Angelus in verbo adulterium, num. 3. Sylueſter eod. tit. num. 8. Roſella in verbo diuortium, num. 12. vbi auctoribus Innocentio & Panormitano: Data inquit notorietate delicti, non exſpectatur ſententia Eccleſiæ. Tabiena, in verbo adulterium, num. 2. Quamquam in Venetis codicibus ſit labes inſignis. nam citans Panormitanum, ait, Quando adulterium eſt notorium, nō poteſt propria auctoritate expellere vxorem. Illa dictio negans tollēda eſt omninio, vt ſit, *poteſt propria auctoritate, &c.* Id enim multifariā & verbis perſpicuis ſcriptum reliquit Panormitanus: ſic enim hic iuris Pontificij conſultiſſimus ſcripſit in commentario capitis, Plerumque de donatione inter virum & vxorem, nu. 4. ex quo commentario verba mutuatus eſt Ioan. Tabienſis. Nota quòd maritus poteſt propria auctoritate à ſe abiicere vxorem adulteram: quod intelligitur adulterio exiſtente notorio; vt dico plenè in cap. fin. inf. de adult. vbi Gloſſa: & hoc etiā caſu vxori repetenti dotem, obſtat exceptio adulterij: & ſic nota, quòd, quoad dotem lucrandam paria ſunt, matrimonium ſeparari iudicio Eccleſiæ, vel propria voluntate vxoris, vel mariti ob cauſſam fornicationis. Armilla in verbo diuortium, nu. 7. & Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 23. communem item tuentur opinionem.

Maneat igitur, Cæſarem iuſtum cum nefaria illa ſua vxore feciſſe diſſidium; neque contra officium facere, ſi nec in ſuam gratiam, nec domum reducere illam velit.

QVÆSTIO CXLIII.

1. Petreius homo tenuis, fœminam adoleſcentem vxorem ducit; ad cuius effuſam libidinem ſatiandam cùm non eſſet ſatis thorus maritalis, ea impudentes procos conquiſiuit: ita ad earum mulierum cœtum aggregata eſt, & in eam domum compulſa, vbi eius generis fœminæ aſſeruantur. Sed vir illinc eductam domū ſuam reduxit: atque in gratiam cum illa rediit: verùm ea mariti lenitate facta deterior, iiſque redactis omnibus, quæ marito in dotem dederat, ab eo diuertit, nouos adulterinos quærens amplexus. Iam verò, vt credibile eſt, impuris ſuis expletis libidinibus & cupiditatibus, tertium ſe ad maritum ſuum recipere vellet; atque in eiuſdem veterem gratiam reſtitui.

Quæritur,

Quæritur, num Petreius iubere eam poſſit valere, ſibíque viuere, nullo alio præterea Eccleſiæ iudicio exſpectato: atque interim ſit Petreio conceſſum Eccleſiaſtica percipere ſacramenta.

2. Meum de tota cauſſa iudicium in nonnullas propoſitiones conferam: quamuis ſuperioris quæſtionis explicatio huic, quę in manibus habetur, fermè nullum locum relinquere videatur.

Sed tamen ſit prima propoſitio. Si vxoris adulterium adeo apertum fuit, vt nullus ſit inficiationi locus, ſine publico Eccleſiæ iudicio dimittere illam Petreius potuit, ex cap. ſignificaſti, de diuortiis.

Secunda propoſitio. Si vir poſt vxoris pellicatum, & gratiæ reconciliationem, in nullum eſt adulterium lapſus, odio, ac ſimultate omni ex animo poſita, acceptam iniuriam condonans vxori, domum illam accipere non cogitur, nec connubialis thori iura illi concedere: ipſe verò Chriſtianorum ſacramentorum vſu, atque perceptione prohiberi non debet.

Tertia propoſitio. Si vir, poſtquam ignouit vxori, mœchatus eſt; placari illi debet, & domum reducere, ac ius thori reddere, etiamſi adulterium viri fuerit clandeſtinum, vt præcipiunt graues auctores, D. Thomas in 4. diſt. 35. q. 1. artic. 6. & Paludanus in eamd. diſt. q. 1. art. 2. caſu 1. & Nauarrus in ſumma, cap. 22. nu. 23.

Legito ſummarum ſcriptores in verbo, diuortium. Scio Eccleſiam non eſſe ſolitam, propter adulterium peruulgatum & notum mulieris, cùm ea à viro reiecta fuit, virum cogere, eamdem recipere, niſi fortè propter adulterium viri, de quo conſtare poſſit Eccleſiæ, vt prudenter obſeruauit Gloſſa in cap. ſignificaſti, de diuortiis.

3. Quarta propoſitio. Si veriſimilibus coniecturis perſpici poteſt eiectam vxorem inſanabilem eſſe, nec ſceleratum animum mutaturam, thori vſum maritus permittere illi non poteſt: ne videatur fouere eius peccatum.

Sanctorum Patrum teſtimonia hoc præcipientium à Magiſtro ſententiarum in 4. d. 35. collecta ſunt, quos ſacra Theologorum cohors ſequitur, vt D. Thomas in 4. ſent. diſt. 35. q. 1. artic. 2. & in eamd. S. Bonauent. art. 1. q. 2. Durandus q. 1. & Richardus artic. 1. qu. 2. & Maior q. 1. §. poſt » concluſiones. & Paludanus qu. 1. artic. 2. » concluſ. 1.

Quinta propoſitio. Quando vterque coniunx adulteratus eſt, is, qui crimen ſuum vera pœnitentia expiauit, non cogitur recipere illum, qui pari pœnitentia flagitium ſuum nō abluit: delictum enim correctum & non correctum nequaquā ſunt paria.

Concluſionem hanc confirmat Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. artic. 2. caſu 1. & D. Bonauentura explanans verba Magiſtri.

QVÆSTIO CXLIIII.

OBnixè meam hac de re multi rogarunt ſententiam: vtrùm, vir, & in 1.
ſuam gratiam, & domum, recipere vxorem debeat; quam propter adulterium ablegauit; atque à viro derelicta, pœnitentia & lacrymis crimen diluit.

Aiebant autem, qui me conſulebant, acri contentione, & opinionum diſſidio, hanc cauſſam inter viros doctos agitatam eſſe: in quo non mediocriter miratus ſum: quòd in dubium rem minimè dubiam, & à magnis Theologis in 4. ſent. diſt. 35. iampridem conſtitutam reuocarint.

Neque enim eximiorum ſcripta magiſtrorū mihi peruoluenti occurrit vnus, qui innocenti coniugi neceſſariam legem imponeret reuocandi eum, qui tamquam nocens, & coniugij thoro iniurius eiectus eſt. Inueni autem multos, qui iſta neceſſitate inſontem coniugem exſoluunt, vt diuum Bonauenturam his verbis in d. 35. art. 1. q. 5. ſcribentem, & quæſtioni, de qua diſceptatur, atque ab eo propoſita erat, reſpondentem.

Reſpondeo, dicendum, quòd ad re- 2.
conciliationem faciendam, aut vterque cōcordat: aut vterque diſcordat: aut vnus

petit,& alter repugnat:ſi vterque concordat,abſque dubio fit:ſi vterque diſcordat, nec poteſt,nec debet fieri,ni fiat propter ſcandalum Eccleſiæ;quòd vterque fornicatur publicè.Si autem alter petit,aut nocens petit innocentem: & ſic non debet cogi ad reconciliationem: aut innocens nocentem, vt vir caſtus vxorem adulteram; & ſic ipſa inuita debet reconciliari per iudicium Eccleſiæ:quia, ſicut iura dicunt, *Quod in meum fauorem introductũ eſt, in meum damnum non debet retorqueri*, C.de leg.l.quod fauore.Aut nocens nocentem petit, vt mulier, quæ priùs eſt fornicata, repetit virum,qui eſt poſt diuortium fornicatus,& ſic reſtituẽdus eſt maritus vxori inuitus:non quia actio mulieris reſuſcitata ſit,ſed in pœnam fornicationis, quia abuſus eſt priuilegio libertatis. Quãtumcumque tamen mulier faciat pœnitentiã, numquam acquirit ius in virum ipſo nolente, niſi vir fornicetur: & hoc propter contumeliam,quam intulit matrimonio: quia directè peccauit cõtra bonum fidei.

Hæc diui Bonauenturæ diſtinctio extat etiam apud Durandum in eamdem diſt.q.2. Paludanus in eamd. diſt.35.qu.2. artic.2. hoc modo diſtinguit. Aut nocens petit innocentem;& tunc non debet cogi: intelligit innocentẽ non debere cogi, quia pœnitẽtia non tollit actionẽ 34.q.2. admonere,& multo minùs exceptionem: quia faciliùs tollitur actio quàm exceptio. argum.ff.de ſuperficiebus.l.1.§. quod autem.ff.de re iud.l.inuito.§.damus. Reliquam diſtinctionem ſuperuacaneum duxi exſcribere.

3. Maior in eamd. diſt.q.1.prope finem, & Gabriel in eamd.diſt.q.1.art.2.concl.9. idem quod D. Bonauentura & Paludanus:in quam concluſionem nonam multa congerit teſtimonia Gabriel, eámque hac ratione firmat.

Quòd vir dimittat vxorem adulteram legis eſt, 32.qu.1.cap. Dixit Dominus, in Euangelio. Et quod legis eſt, non deletur pœnitentia:aliàs qui fuit pœnitens,nõ eſſet plectendus:quæ ratio multo antea à Durando in illam diſt.35.q.2. & à Paludano q.2.artic.2. confirmata fuit:nam Durandus non aliter atque D.Bonauentura, & Paludanus,Maior & Gabriel,hac de re, de qua diſſerimus, ſenſit: nec aliter Sotus in 4.diſt.39.q.vnica,art.3.concl.4. nec aliter Sylueſter,in verbo,diuortium q.8.

Verùm quæ collecta ſunt in illa concluſione nona à Gabriele ſunt notitia digna; quorum primum eſt: Planum apud omnes,non ius eſſe, non correcto petendi correctum.Itaque ſi quiſpiam aut ante aut poſt diuortium adulterij crimen contraxiſſet, illúdque pœnitentia deleuiſſet, conſortem delicti, ſed non pœnitentiæ, recipere non cogitur.

Secunda res eſt.Cùm ambo mœchantur coniuges, eum, qui mutuum contubernium repoſcit, debere credi eſſe correctum, atque adeo iure conſcientiæ in gratiam recipiendum,niſi vir,aut velit ſuſcipere ſacrum ordinem, aut religionem profiteri; aut verò, ſi eſt mulier, profiteri religionem.Quia ſicut in matrimonio nõ conſummato quilibet poteſt intrare religionem,ſiue fornicatus ſit,ſiue non:quòd ius non perdit fornicando; cùm de hoc non habeatur ſcriptura: ſed tenetur vel matrimonium conſummare, aut religionem intrare. Ita vxore fornicante conſummato matrimonio poteſt vir vel religionẽ intrare,vel ſacris initiari. Quæ duo ponuntur,etiam à Paludano loco citato.

Tertium monitum Gabrielis.Innocens 4.
nocentem coniugem, qui erratum ſuum non emendauit,recipere nõ poteſt:quod tum à Magiſtro in diſtin.35. tum ab aliis Theologis dicitur. D. Thomas in illam diſt.q.1.artic.6. ſcribit his verbis. Si vxor » poſt diuortium de peccato pœnitentiam » agens emendata fuerit, poteſt eam ſibi » vir reconciliare: ſi autem in peccato in» corrigibilis maneat,non debet eam ad ſe » aſſumere,eadem ratione,qua non licebat » eam,nolentem à peccato deſiſtere, reti» nere. Richardus,Paludanus,& cęteri ver» bis D. Thomæ aſſentiuntur: ſed tamen Paludanus huius tertij moniti Gabrielis

mode

moderationem adhibet in eam ipſam diſtinct.35.q.1.artic.3.concl.4.

Richardus, in eo, quem citauimus loco, ſequutus Gloſſam in cap. Gaudemus, " de conuerſione coniugatorum ſcribit. Si, " qui innocens eſt, admonetur, vt poſtliminio " nocentem recipiat, intra duos an" nos recipere debere: quoniã ſi tranſacto, " inquit, biennio mulier religionẽ intrauerit, " aut votũ caſtitatis emiſerit, ante bien" nium de licentia viri, non poterit eam vir " reuocare.

Verùm duorum Doctorum auctoritate commoueri quis poſſet, & à communi Theologorum ſententia diuelli. Namque à Magiſtro D. Gregorius & Hermes citantur; qui aiunt, recipi debere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, ſed non ſæpe. Dicemus horum ſententiam non neceſſitatem adferre officij, ſed honeſtatẽ quãdam & humanitatem.

5. Multò plus negotij & modeſtiæ ea mihi faceſſit quæſtio, quam ampliſſimi cuiuſdam Præſulis vicarius poſuit. Vtrùm, ſi poſt diuortium iudicio Eccleſię factum, innocens fornicatus fuerit, teneatur quærere, & recipere vxorem.

Perquiſitè hac de re diſſeritur à Paludano in 4.diſt.35.q.2.art.2. Doctorum variis expoſitis ſententiis: tractatur eadem à Durando in eamdem diſtin.q.2. & à Gabriele quæſt.1.artic.2.concl.9. Sententia quæ ad veritatem propius accedit, ea videtur: nocenti correcto neceſſitatẽ nullam imponi recipiendi non correctum, atque in hoc vno omnes conſentiunt. Verùm ſi nocens nocentem petat, vtrùm reconciliari ambos oporteat in foro conſcientiæ in contentione ponendum non eſſet: quandoquidem, ſi vtriuſque coniugis adulterium Eccleſiæ probatum eſſet, vtrumque ſine dubio coniugij & thori conſuetudinem referre cogeret: vt rectè inquit Paludanus: ergo quod Eccleſia publico iure & iudicio faciendum præciperet: priuato iudicio, & conſcientiæ tribunali imperante, eoſdem facere oportet: præſertim cùm ſit Theologica lege ſancitum, vt coniunx adulter etiam occultus non debeat eiicere alterũ adulterantem, cuius eſt notum adulterium. Datur etiam facultas nocenti, ſi ad nocentem nõ vult reuerti, aut ſacros ordines, aut religioſum ſtatum ſuſcipiendi. vt à Paludano aliiſque non paucis affirmatum eſt.

Qui Palud.in 4.d.35.q.2.art.3.concl.4. 6. tria exequitur tempora, cùm vir non cogitur eiicere mulierem adulteram; quamuis non ſperetur correctum iri. Primum eſt cùm eam incluſam tenere poteſt domi, ad quam nulli ſit aditus. Secundum. Quando eius peccandi libido magis domi quàm foris compeſcetur. Tertium. Quando viro valde dubia ſua eſt continentia: quia, inquit Paludanus, non tenetur vir plus corrigere vxorem, quàm dominus famulum: ſed dominus famulum, vel ſeruum excommunicatum non tenetur expellere, ſed licitè poteſt ab eo licitum ſeruitium petere: ergo poterit etiam ad vitandam fornicationem einſmodi vxore vti vir: atque eo liberiùs, quòd magis obnoxia eſt mulier viro, quàm ſeruus domino. Igitur, addit Paludanus, cum detrimento iuris ſui non tenetur eam expellere.

Iura etiam Eccleſiaſtica adulteræ mulieris retentionem prohibentia, ſic interpretatur, vt locum habeant, cùm fidelium animi offenduntur: quare ad animorum offenſionem tollendam præcipit Paludanus, vt vir cauſſam, quare apud ſe adulteram retinet vxorem, in vulgus eloquatur.

Verùm has peſtilentes belluas, animo 7. & corpore corruptas, ſit ne è re & ſalute maritorum domi retinere, & alere, ipſi viderint.

Sit igitur quæſtionis extremum. Innocenti & caſto coniugi ſontem adulterum ſeu adulteram ius eſſe liberum ad lares familiares, & ad cubilis ſocietatem reuocandi: quamuis ab errato receſſerit, & adulterij culpam pœnitẽtia expiarit: Nocentem verò, & mœchum cõiugem, cum coniuge, qui, vel quæ pari ſcelere coniugij

iugij ſanctitatem polluit, connubialem amicitiam conglutinare debere, connubialiſque conuictus & cubilis fœdera renouare; alterúmque alteri matrimonij iuſta officia præſtare: & quia id fieri nequit, niſi abſens de abſente inueſtiget diligentiùs, vbi ſit, quid agat; & niſi eum perquirat, & inueniat, & ad priſtinum contubernium, & cubilis ſocietatem inuitet: idcirco videntur hæc faciunda omnino, ſalua ſemper meliore ſententia.

Videto, ſi lubet, Syluestrum in verbo diuortium, queſt. 10. Nauarrum in ſumma cap. 22. num. 23. Panormit. in cap. gaudemus, & in c. extremum, de diuortiis.

QVÆSTIO CXLV.

1. Aetius fœminæ propinquę matrimonium promittit, ſi id gratiæ beneficiique cauſſa Romanus Pontifex conceſſerit; vt nexu matrimonij ſuam illam vxorem efficere poſſit. Fœmina impetrat ab ſede Apoſtolica, vt cum ſuo propinquo iugare nuptias queat.

Quæritur, num propinquum, promiſſum efficere oporteat, nec fidem datam mulier fallere vlla ratione poſſit.

De re ſubtiliter & copioſè diſputatur ab Adriano in 4. ſenten. Tract. de ſponſalibus dub. 10. & is quidem fatetur ingenuè Doctorum communem eſſe ſententiam, Aëtium promiſſo non teneri: communem verò ſententiam cùm indicat, nimirum intelligit Canoniſtarum, Innocentij, Oſtienſis, Ioan. Andreæ, & aliorum. Panormit. autem in cap. ſuper eo, de condit. appoſ. hanc ipſam quæſtionem tractauit. In Canoniſtarum ſententiam diſceſſit etiam Victoria in ſumma ſacram. quæſt. 258. & Sotus in 4. ſent. diſt. 29. q. 2. artic. 1.

Horum omnium fundamentum eſt, eiuſmodi promiſſionem & ſtipulationem bonis moribus eſſe contrariam: in quo mea quidem ſententia labuntur: vt ex iis quæ ad ſententiam Adriani probandam ſumentur, cuiuis liquere poterit. Suæ verò cauſſæ quibuſdam etiam legibus auctoritatem & firmamentum adiungunt: quæ leges poſtea expendentur à nobis diligentiùs.

Nunc incommodum non erit, quæ Adriani ſententiæ fidem facere poſſunt, breuiter exponere, & argumentando perſequi. 2.

Sit igitur primum argumentum. Earum rerum, quæ ſuapte natura, nec malæ ſunt, nec vlli iuſtæ legi repugnantes, iuſta ac firma poteſt eſſe pactio: ſed paciſci de futuris nuptiis inter propinquos, arbitrio & conceſſu Romani Pontificis expetito, nec turpe eſt, nec vllam æquam legem perſtringit: ergo inita de ea re pactio rata eſſe debebit, quamdiu Romani Pontificis non infirmetur auctoritate.

Secundum. Frigiditatis, atque impotentiæ coëundi impedimentum multo magis matrimonio officit, quàm affinitatis gradus; quod impedimentum auctoritate Pontificia tollitur: nam primum impedimentum iuris diuini eſt ac naturalis, ab humana poteſtate ſemotum: ſed, qui ad ſui regni quietem, & diuturnam pacem, alteri Regi reciperet eius ſe filiam ſterilem in matrimoniū ducturum, ſi aut Dei aut naturæ munere fœcunditatis aliquando potis fuerit; promiſſio, & receptum valeret, & procreandi facultate adepta, fidem ſuam liberare omnino deberet: ergo multo magis id ei faciundum eſt, qui affini, eo modo, vt dictum eſt, nuptias ſpopondit.

Tertium. Tua viua vxore nullo modo alteram habere potes: nihilominus tamē, ſi alteri mulieri promiſiſti ſecundum connubium poſt tuæ coniugis mortem, illam ducere debes, ac ſtare promiſſo: cur ergo eam non vis habere nuptam, cui connubij iuſti fidem dediſti?

Quartum. Si quiſpiam mortifero morbo affectus, voueat Deo, ſe religionem ingreſſurum, ſi diuinitus conualeſcat, poſtquam conualuerit, votum quo ſe obſtrinxit, prorſus reddet; quamuis conditio, quæ 3.

voto

voto adiungebatur, apud naturam impoſſibilis eſſet: ergo qui ſponſione matrimonij, cum aſſenſu Romani Pontificis, alteri obligatur, obligatio nequaquam irrita erit.

Quintum. Ea vis eſt aientium & negantium enunciationum; vt ſi vna ſit impoſſibilis, altera ſit neceſſaria: ergo, ſi quis cum altero ſponſionem faciat, ni Papa diſpenſet, ſe centum ſoluturum, nullo exſpectato euentu, centum deberet ſoluere: quia ſi diſpenſare eſt impoſſibile; ergo non diſpenſare eſt neceſſarium; at neceſſaria conditio obligationem non moratur: vt certa atque ciuili lege eſt definitum.

Sextum. Si poteſtas facta ſit ab ſede Apoſtolica, cum ſua affine aut conſanguinea coniungendi matrimonij, & ipſe tuæ conſanguineæ, ſeu affini ſpondeas connubium, ex ea ſponſione oritur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis etiam poſt Concilium Tridentinum: ergo ſponſalia nullam habent turpitudinẽ: quando cum ſedis Apoſtolicæ conſenſione atque auctoritate coniunguntur.

Septimum. Iudicio Eccleſiæ is, qui ſua viua vxore, alterius mulieris errore iuſto atque inſcitia abuſus, cum ea nexum init nuptiarum; priore defuncta coniuge, cogitur poſteriorem accipere in matrimonium: neque illum, qui cum ea contraxit, nexu coniugij ſoluit Eccleſia, vt planum eſt ex Decretali Alex. III. propoſitum eſt nobis, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium: ergo Eccleſia non habet pro turpibus eas conditiones, quas honeſtas efficere poteſt Romanæ cathedræ auctoritas.

4. Atque iſthæc omnia ſunt in parte Adriani; quam ipſe his ſeptem rationibus propugnauit. At verò ij, à quibus is diſſentit, legibus potiùs quàm telis pugnant rationum. Leges verò has proferunt. l. inter ſtipulantem. §. Sacram rem. ff. de verb. obligation. & l. continuus. §. Cum quis. ff. eod. & l. ſi ſtipuler. ff. eod. hæc autem poſtrema videtur ſola ad rem facere. Nã Paulus Iuriſconſultus, contra bonos mores ſcribit eſſe, ſponſionem facere de contrahendis nuptiis cum ſorore, vel adoptiua. Verùm Adrianus appoſitè interpretatur leges eas infeſtas eſſe abſolutis promiſſionibus, non iis, quæ honeſta conditione muniuntur.

Mihi hæc item tuta videretur eſſe reſponſio. Æquum non eſſe, ciuilium ſtipulationum legibus Eccleſiaſticorum ſponſalium iura commetiri: ſiquidem conſtat non pauca in ciuilibus ſtipulationibus improbari, atque irrita eſſe, quæ in connubialibus probantur, & rata ſunt: ciuilis ſtipulatio facta nuribus nulla eſt: at ſponſalium valet, & iuſta eſt. Ciuilis non contrahitur litteris: ſponſalium contrahitur. Ciuilium iura ſtipulationum non ſinunt vnum pro altero ſtipulari, niſi eius aut filius, aut ſeruus ſit: quare ſi tecum ipſe ſic ſtipuler; dabis Titio centum; & ipſe reſtipuleris, dabo Titio centum. Si Titius non eſt meus aut ſeruus, aut filius, nihil illi dabis: quamuis reſtipulando dixeris te daturum. at iure Canonum dabis: vt ait Gloſſa, in c. quoties, 2. 1. q. 7. quam Gloſſam caſuum conſcientiæ explicatores ſequuntur. Conſulito Syluestrum & Angelum, in ſuis ſummis in verbo, ſtipulatio.

Itaque multò eſt probabilius, quod aduerſus ſe ipſum Adrianus, in illa ſua quæſtione poſuit pro argumento, & quod ab Adriano ſumptum in ſuam tranſtulit Sotus. Si enim affinitas, quæ poſt ſponſalia naſcitur, illa perimit ex c. veniens, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ. & ex cap. 2. de conſanguin. & affinit. ergo multo magis rumpet eadem ſponſalia affinitas, quæ iam erat: cum multò facilius ſit ortum rei, ne naſcatur, impedire; quàm rumpere, poſtquam nata eſt. 5.

At negat Adrianus argumentationem rectè concludi: propterea quòd multa ſuperuenientia, inquit, ſoluunt vinculum ſponſalium; quæ, ſi præeant, non impediunt: namque lepra, paralyſis, deformitas, oculi amiſſio, fornicatio, ſi antegrediantur ſponſionem matrimonij, ſuapte

natura illam non impediunt: Verùm, ſi conſequantur, impediunt: ſicut in Decretali, quemadmodum, de iureiur. ſtatutum eſt: idque propter magnam vel negotiorum mutationem, vel ſtatus nouitatem, qui perſonam, cum qua contractum eſt, attingit.

Huc adde; quòd affinitas è ſponſalibus nata ea euertit; quia eſt illis contraria: at affinitas legitimè ab eo, qui poteſt, diſpenſata, non eſt ampliùs contraria. Verumenim, ſi quis verbis præſentis temporis vtens diceret: Te meam vxorem eſſe volo, ſi Romanus Pontifex diſpenſet: eo diſpenſante, nouo eſſet opus conſenſu, ex veriore & magis communi ſententia; licèt aliter ſit viſum Angelo, in verbo, Impedimentum, 3. num. 4. quem ſtrenuè oppugnat Syluester, in verbo, Matrimonium, 3. num. 9. & à nobis eſt alibi perſpicua argumentatione demonſtratum non ſecus exiſtimari debere.

FINIS PRIMI LIBRI.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS,

DE IVREIVRANDO, ET VOTO.

QVÆSTIO I.

1. MEORVM auditorum efflagitatu, cùm viderent ipſi præceptionem & obligationem iuriſiurandi, cum præceptione & obligatione voti valde cohærere; &, quæ de re vna affirmãrur, in alteram ſolere transferri; eorum votis & poſtulatis obſecutus, nonnulla è Theologorum ſcriptis & diſputationibus collegi, atque ad hanc breuem ſummam eorumdem verbis, quantum fieri potuit, redegi; vt, qui de iureiurando, aut voto rectè iudicare volet, quoſdam locos paratos habeat, & nonnullas minimè fallentes vias.

Ergo iuriſiurandi & voti parem eſſe rationem & nexum, in multis, tum propter materiam tum propter finem, oſtendunt Theologi, qui de iureiurando diſputant in 3. ſentenr. diſt. 39. & de voto, in 4. diſt. 38.

2. Turpe iuramentum, vel votum, ſeruandum non eſt, ex omnium ſententia. Incautum iuramentum non eſt obligatorium: probat Magiſter in 3. d. 39. Item D. Thom. in eamd. d. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. quia quod pro caritate inſtitutum eſt, contra caritatem non militat: ſed pro caritate iuramentum inſtitutum eſt: præterea nihil attingit propriam virturem, quod perfectum non eſt, ex 7. phyſ. Cùm ergo iuramentum tribus comitibus perficiatur, ſi illi non adſint, non eſt obligatorium. eiſdem vtitur rationibus Turrecremata, in c. ſi aliquid 22. quæſt. 4. Additque D. Thom. iuramentum effici indebitum, ſi vel ſalutem impediat, vel viæ perfectæ ſit contrarium, & in eo non relinqui niſi obligarionem ſecundam; quæ eſt ad peccatum, non primam, quæ eſt ad faciendum. Hæc ipſa confirmantur ab eod. D. Thom. in quodl. 5. art. 27. vbi dicit, impedimentum ſpiritualis profectus non eſſe ex DEO; iuramentũ verò, quod ſeruandum eſt, eſſe ex DEO: quare eo non debere, aut poſſe impediri ſpiritualem profectum. Cuncti Theologi aſſentiuntur D. Thomæ, in 3. ſent. d. 39. Bonau. art. vlt. q. vlt. Scot. q. 1. art. 3. Richard. artic. 2. q. 3. Durand. q. 3. & reliqui omnes. Maioris in 4. ſent. d. 38. q. 1. col. 3. hęc ſunt verba,
Iuramẽtum ſuper materia de ſe licita nõ »
obligat, quando per ſe maius bonum ſe- »
cludit. »

Scotus diſtinguit quadruplex iuramentum, doloſum, incautum, coactum, & carens his tribus conditionibus: duo priora

Digitized by Google

priora non vult habere vim obligandi. Quamquam de doloſo ſecus opinentur. D. Thom.& Richard. & alij nonnulli; reliqua duo obligant. D. Bonauentura tradit nullum iuramentum eſſe validum ac ratum, quod iuſtitiæ perfectionem impugnat.

3. Facitque triplex iuramentum, quod dicitur incautum: Primum quod vergit in ſalutis detrimentum, id eſt, quod ſine peccato mortali conſummari non poteſt; & hoc non eſt obligatorium: Secundum, quod vergit in ſalutis diſpendium, & ſpiritualis profectus eſt impedimentum, & hoc caret obligatione; quamuis ſine peccato ſeruari poſſit, vt votum de non ingredienda religione. Tertium, quod aliquando poteſt vergere in diſpendium ſalutis, aliquando in augmẽtum profectus ſpiritualis; vt votum de non acceptanda prælatura: & huiuſmodi iuramentum ſeruandum eſt: quando non vergit in ſalutis diſpendium, ſed in augmentum profectus; non eſt ſeruandum quando ſecus accidit. Richardus, omne iuramentum, inquit, quod derogat caritati, non obligat: quia omnia præcepta ordinantur ad caritatem: ſcribit etiam iuramentum non eſſe obligatorium, quod tollit opus ſupererogationis, & perfectionis; nec etiam iuramentum de non faciendis iis, quæ melius eſt facere quàm non facere, vel de faciendo quæ melius eſt non facere, quàm facere. Quæ omnia valent etiam in votum: ad quod pertinent maximæ propoſitiones.

4. Ad omnẽ v. partem huius tractationis per quam vtilem eſſe duxi additionem, quam molimur ex conſtitutione Gregorij XIII. ab eo anno Pontificatus ſui poſtremo, hoc eſt, tertiodecimo, edita 1584. Non. Septemb. quę incipit, Inter Apoſtolicas: qua ipſa innouat atque confirmat quamdam Nicolai Papæ III. quæ obligationem tollit cuiuſlibet iuriſiurandi, quod aut de re illicita, aut impoſſibili, aut quod contra libertatem Eccleſiaſticam concipitur: innouat etiã reliquas omnes Canonicas ſanctiones aduerſus corruptelam iurationum huiuſmodi promulgatas. Et quoniam, vt inquit Gregorius, » non debet iuſiurandum præbere iuranti » occaſionem peccandi, cùm iuramentum » non fuerit inſtitutum, vt vinculum eſſet » iniquitatis: idcirco his ipſis verbis ſciſcit, » ac ſancit. AC etiam præcipimus, & interdicimus Prælatis, Canonicis, & aliis ſupradictis, nec non Eccleſiarum capitulis, » & Monaſteriorum, ceteriſque Conuentibus, ciuitatum quoque, caſtrorum & terrarum communitatibus, & perſonis quacumque dignitate præditis, ne vlla omnino iuramẽta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel libertati Eccleſiaſticæ aut decretis » Tridentini Concilij obuiantia ſiue ante, » ſiue poſt electiones, confirmationes, prouiſiones, receptiones, admiſſiones, aut » alios actus vbicumque, ac quocumque » tempore, etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis quantocumque tempore obſeruatæ, quæ potiùs corruptela eſt cenſenda, ſiue in genere, ſiue in ſpecie præſtare, reddere, ſiue exigere, néue ſuper » præſtitis, redditis, vel exactis hucuſque in » iudicio, vel extra inquietare audeat quoquo modo, vel turbare. Illos etiam, qui » iuramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, » vel Eccleſiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilij obuiantia exigere contenderint, Epiſcopos videlicet, & alios quoſcumque Pontificali dignitate præditos » ſuſpendimus à diuinis. Capitula verò, & » Conuentus, eorúmque Eccleſias, & loca » omnia interdicto Eccleſiaſtico ſupponimus, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodamus, inhabileſque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipſo: nobiſque & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti relaxationem ſuſpenſionis, & interdicti, nec non abſolutionem ab excommunicationis ſententia » huiuſmodi perpetuò reſeruamus. Decernentes, eos qui talia iuramenta ſcienter » præſtiterint, vſu, & cõmodo rei, & gratia, » cuius cauſsâ iurauerint, eo ipſo priuatos » eſſe; alios verò ignorantes ad præſtitorum » iuramen

» iuramentorum huiuſmodi obſeruatio-
» nem minimè teneri. Nec non irritum &
» inane quidquid ſecus per quoſcumque
» ſcienter vel ignoranter attentatum eſt
» hactenus, & deinceps contigerit atten-
» tari.

5. Propoſitionum prima eſt Canonica ducta ex Iſidoro lib. 2. de ſynonimis, probata à Theologis, immo verò inter Ca-
» nones Eccleſiæ tranſlata. In turpi voto
» muta decretum: quod incautè vouiſti, ne
» facias: impia eſt enim promiſſio, quæ ſce-
» lere adimpletur, & habetur, 22. quæſt. 4. in malis.

Secunda: Votũ debet eſſe de eo quod eſt actus virtutis: peccatum enim Deo diſplicet; & ſolum opus virtuoſum eſt Deo acceptum. D. Thom. in 2. 2. q. 88. art. 2. & D. Bonau. in 4. d. 38. art. 1. q. 2. requirit in voto omnes illos comites, quos exigit iuſiurandum, veritatem, iudicium, & iuſtitiam. Iuſtitiam, vt id, quod vouetur, ſpectet ad ſalutem, ſitque bonum & honeſtum: iudicium, vt vouens deliberatè voueat, & non præcipitanter: veritatem, vt diſcretè & iuſtè voueat, & hoc perſoluat. Franc. de Mayronis, in eamd. diſt. partic. 1. votum ait eſſe actum meritoriũ: meritorium autem intelligit, quod eſt capax meriti, vel certè quod non ſit demeritorium. & Turrecremata explanãs Can. in malis, 22. q. 4. *In malis promiſſis reſcinde fidem*; in malis, inquit, ſiue mortalibus, ſiue venialibus. Hinc inferimus eius vota, & promiſſa, qui vouendo peccat, id eſt, cuius votiua actio eſt peccatum, eſſe impia, & nulla; nec aliam in iis obligationem ineſſe, niſi ad peccatum, & ad pœnam æternam, ſi mortifera culpa ſit infectum votum. Et ſecus ſentire, vel docere, non ſolùm eſt euertere omnem doctrinam Theologicam de obligatione voti, ſed interimere eſſentiã obligationis votiuæ; quæ obligatio, ſicut qualibet promiſſio, nulla eſt, niſi acceptetur à Deo: à Deo autem nihil acceptatur, quod eſt contra caritatem, & iuſtitiam: ergo votum culpa infectum præſertim mortifera non acceptatur à Deo.

Tertia, Richardi. Votum magis dependet à fine, quàm à materia, & bonum opus relatum ad finem malum, eſt formaliter malum d. 38. art. 1. q. 1. 6.

Quarta eſt Durandi, in 3. diſt. 39. q. 4. Conditio inhoneſta appoſita voto, ſi ſit inhoneſta in ſe; & non in ordine ad promiſſum, nec informans promiſſum, non vitiat votum; vt cùm vouet quis ſe ieiunaturum, ſi peccauerit: ſi verò informat promiſſum, & in ordine etiam ad illud ſit inhoneſta, vitiat votum; vt, cùm vouet quis ſe curaturum, vt cantetur miſſa in gratiarum actionem, ſi fuerit factus compos, aut furti, aut adulterij, aut homicidij. Huius regulæ haud diſſimilis eſt hæc Caietani in 2. 2. q. 88. art. 2. §. Sed quid dicẽdum, Cùm promiſſum ordinatur, vt effectiuum, aut impetratiuum mali? blaſphemia potiùs eſt quàm votum; vt, cùm quis iurat, aut vouet, ſe daturum mille, ſi victoriam ex iniuſto bello reportarit; & quamuis, qui ſic iurat, non putet ſe blaſphemare, quid tum? Iudicium enim de voto, ſit inquit Caiet. ſecundùm naturam voti, non ſecundùm ignorantiam vouentis.

Quinta eſt Caietani, in eumdem articulum. §. Ad euidentiam huius difficultatis. finis malus, aut eſt finis actionis; vt, cùm quis vouet dare eleemoſynam propter vanam gloriam: aut eſt finis voti; vt, cùm quis vouet dare mille, ſi conſequatur victoriam in bello iniuſto: vtrouis modo quis voueat, non valet votum.

Addo ego ad has regulas duas alias.

Sit ergo ſexta. Quando iudicium eſt 7.
ferendum de aliquo voto, ſeu iuramento, ſpectanda eſt materia, & finis, quæ exprimuntur in illis, & nobis proponuntur; neque confugiendum eſt ad alios fines nobis incertos; & qui latere potuerunt in animo iurantis, vel vouentis: hoc enim non eſſet reſpondere de iure, ſed diuinare. Prior hæc regula valet cùm eſſet ex ſcripto iudicandum de voto: ſecus autem, ſi ex verbis & ſermone vouentis.

Septima. Cùm finis intrinſecus voti ſit acquiſitio eius rei, quam à Deo optamus; & propter quam aliquid ei promittimus; videndum eſt, vt acquiſitio ſit per medium honeſtum,& licitum: Nam,ſi ſecus contingat,finis erit flagitioſus. Neque ſatis eſt finem per ſe eſſe honeſtū, ſed oportet etiam acquiſitionem eſſe talem: nec enim finis aut ſecundùm eſſentiam, aut ſecundùm apprehenſionem, aut ſecundùm appetitum eſt finis voti, ſed vt acquiſibilis, & ſecundùm acquiſitionem. Quare cùm voues te daturum mille, ſi DEVS te liberauerit infamia, votum valet: nam acquiſitio finis Deo tātùm committitur: ſi verò voueas, ſi te liberauerit per interfectionem inimici tui, iam finis eſt ſacrilegus; & induit malitiam medij. Nam quemadmodum malus finis inficit medium; ita medium prauum peruertit & tabefacit finem bonum.

8\. Quòd ſi obiicias, valere votum eius, qui vouet ſe daturum centum, ſi è concubina prolem ſuſceperit,vbi vides finem voti,ſeu rem, quæ à DEO expetitur, coniunctam eſſe cum medio prauo. Reſpondeo, votum hoc idcirco ratum eſſe, quia prolis conceptio, & ſuſceptio, eſt DEI & naturæ beneficium; & medium per ſe, quo acquiritur non eſſe morale, nec ex humana pendens voluntate;ſed eſſe phyſicum; hoc eſt, actiui & paſſiui principij, viri, inquam, & feminæ fecunditatem; quæ fecunditas per ſe eſt à DEO,& non ab noſtro libero arbitrio, ſiue bono, ſiue malo.

Id quod certiſſimo argumento conuincitur.Nam multi viri,multæ etiam feminæ vellent eſſe fecundæ, prolémque gignere; nec tamen eius compotes fieri poſſunt:multi etiam viri,ac mulieres nollent concipere,aut gignere fetum,nihilominus concipiunt ac gignunt. Ad hæc belluæ, furioſi, amentes, in quibus nulla vis eſt vitij,ſeu virtutis,in quibus nulla eſt actu libertas,qua rectè,ſeu flagitioſè agere poſſint,tamen gignunt.

Naturæ, igitur & DEI efficax actio cauſſa eſt prolis generandæ: adulterinus autem coitus, per accidens.

At ſi voueas te pauperibus largiturum centum, ſi opimum beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè fueris conſecutus, impium eſt,ac nefarium votum: quia beneficij adeptionis per ſe & immediatum medium eſt ſimoniaca largitio.

Ad extremum addo, ſi quis optaret à DEO prolem, vt adulterinam, vel inceſtam,cùm talis proles ſit DEO inuiſa,nec optabilis,ſeu eligibilis,votum etiam eſſet nullum, ac nefarium.

De iureiurando coacto, ſeu metu extorto.

QVÆSTIO II.

Controuerſantur Doctores, vtrùm iuſiurandum coactum imponat ei, qui iurauit, neceſſitatem ſtandi promiſſis, atque conuentis. 1.

Quæſtio tractatur à Theologis in 3. ſent.d.39,in qua hac ipſa de re Magiſter.à Canoniſtis in Decretalibus de iureiurando.à iuris ciuilis peritis in authentica,Sacramenta puberum. C. Si aduerſus venditionem.

Quæritur ergo vtrùm eiuſmodi iuſiurandum ſit iure aliquo obligatorium. Scotus in 3. ſent. d.39. q.1. art.3. indicat quæſtionis difficultatem, & ait quærendas eſſe opiniones.

Reſpondeo, iure ciuili non eſſe obligatorium. eſt enim his verbis in ea authētica Imperatoria, quam modò citaui. Sacramenta per vim, vel per metum iuſtum extorta,nullius eſſe momenti iubemus. Eſtne obligatorium iure Canonico? minimè,vt inquit D.Bonauentura,in 3.d. 39.art.2.q.2. idque accidere ait in foro Eccleſiæ duabus de cauſſis.

Prior eſt. Quia Eccleſia præſumit, eū, qui ſic iurauit, caruiſſe voluntate implendi iuramenti. Deinde; Quia ei, qui per mali

malitiam & metum impulit alterum ad iurandum, nullum ius acquiritur; vt ne commodum reportet ex ſua malitia. & in foro exteriori non eſſe obligatorum hoc genus iuriſiurandi, confirmat etiam D.Thom. in 3. d.39. q.1. art.3. ad 2. & Richardus in eamd. d. art.1. q.2. & Palud. ibid. q.1. conc.3. & Durandus in 3. d. ead. q.2. & Gabriel ibid. q.1. concl.8.

Quare Soti ſententia, qui obligationē iuriſiurandi coacti in 8.l. de iuſt. & iur. q. 1. art. 7. probare nititur in foro conſcientiæ ex cap. ſi verò, & ex cap. verum de iureiurando, non probatur.

2. Sed numquid coactum hoc iuſiurandum valet iure conſcientiæ? aiunt omnes ſuperiores Theologi iam citati in iiſdem locis. & D. Thomas etiam in 2. 2. q. 89. artic. 7. ad 3. & in eamdem quæſt. Caiet. & q. 98. art. 3. ad 1. Sotus etiam in 4. diſt. 29. q.1. art.3. Adrianus in 4. tract. de reſtit. c. aggredior, verſ. Ex quibus omnibus. Archiepiſcopus Florentinus in 2. p. tit.10. cap.6. caſu 5. Syluester, verb. Iuramentum 4. §.7. Angelus, in verb. Iuramentum 5. §.9. Tabiena, in verb. Iurare. §.20. Nauarrus, in Summa, cap.12. num.14. Panormit. in cap. 1. de iureiuran. affirmátque eſſe opinionem communem.

Verumenim hæc ſententia, quæ eſt omnium Doctorum, indiget explanatione: ergo ſciendum eſt, eum, qui coactus metu iurat, ſe, verbi cauſſa, latroni inuadenti, ac minitanti, numeraturum centum aureos, dupliciter iurare poſſe; primo modo, vt cùm iurat, velit facere, quod iurat; & tunc oritur obligatio: ſecundo modo, vt nolit facere, & hoc dupliciter; vel nulla honeſta ſimulatione vtens cùm iurat; cuiuſmodi hæc eſſe poſſet, iuro tibi me daturum centum, ſed tacitus apud ſemetipſum dicat, ſi cogar iure, vel ſi neceſſaria aliqua cauſſa tibi debeam: vel licita aliqua tergiuerſatione vteris. Si iuret ſe daturum abſolutè ſine vlla exceptione, quæ latet in corde, & nolit dáre, cùm iurát; falſum iurat iuſiurandum; & culpa tenetur mortifera: quamuis non oriatur iuſiurandum in foro conſcientiæ obligatorium: ſi verò iurat, ſe daturum, ſi fuerit coactus; ſi debeat, nec peccat dum iurat, nec vlla contracta eſt obligatio iuriſiurandi.

3. Ad hæc notandum eſt ex D. Thom. in 2. 2. q.89. art.7. ad 3. in iuramento coacto duplicem eſſe obligationem; vnam, qua aliquid homini promittitur; & hæc tollitur per coactionem: nam hoc meretur is qui vim intulit, vt ſibi promiſſum non ſeruetur: alteram, qua quis Deo obligatur, vt impleatur quod per eius nomen promiſſum eſt; & hæc non tollitur in foro conſcientiæ: quia aliquis debet potiùs rerum ſuarum iacturam & damnum temporale ſuſtinere, quàm iuſiurandum violare. Occurrendum nunc eſt quibuſdam dubitationibus.

Prima dubitatio. Quòd peccatū peccat, qui iuſiurandum verum, ſed tamen coactum, non ſeruat. Angelus, in verbo, Metus, §.11. putat peccatum eſſe veniale: quia Canon. Verùm, de iureiur. dicit. Sed, " ſi non ea attenderint, non ſunt tamquam " pro mortali crimine puniendi. Verùm D. " Thomas in 2. 2. q. 98. art. 3. ad 1. ait eſſe peccatum mortale: ita B. Anton. & Sotus de iuſt. & iure, & Syluester, in verbo, Metus, locis citatis. & Panormitanus, in c. ſi verò, extrema columna. Sed in eodem loco dicit quidpiam intolerabile Panorm. eum, qui iurat ſe aliquid facturū, coactus metu, carens intentione ſe obligandi, ſi ſit homo imperfectus, venialiter peccare, mortaliter verò, ſi ſit perfectus: cùm eiuſmodi iuſiurandum ſit falſum; & ideo mortiferum, ex ſententia omnium Theologorum. Verba Decretalis D.Thom. q. 98. art.3. ſic interpretatur, vt peccent quidem mortaliter, ſed tamen pœna iis minor infligatur: ergo Canon, vt inquit Sotus, in loco citato de iuſt. & iure, non loquitur de culpa, ſed de pœna infligenda.

Secunda dubitatio. Cùm votum, ex 4. ſententia D.Thomæ, in 2. 2. q.89. artic.8. maiorem obligationē habeat quàm iuſiurandum, quia votum eſt promiſſio quæ

fit Deo: iuramentum autem ferè coniunctam habet promiſſionem, quæ fit homini. Ad hæc, cùm obligatio voti naſcatur ex fidelitate, quæ debetur Deo, iuſiurandum verò ex reuerentia: & infidelitas quàm irreuerentia, peior ſit, quia infidelitas irreuerentiam continet, non autem omnis irreuerētia infidelitatem: cur ergo votum factū ob metum cadentem in conſtantem virum, eſt nullum, iuramentum autem eſt obligatorium?

Panormitanus, in cap. ſi verò, de iureiurando, in extremo extremæ columnæ, hanc explicat cauſſam. Non idem ſtatuit Eccleſia in voto, & iuramento: quia iuramentum eſt familiare, & quotidianum hominibus: & ne præbeat occaſionem hominibus deierandi, non perinde vult eſſe irrita iuramenta coacta, vt vota: votum autem rariùs emittitur; neque inde tam crebrum creatur periculum.

Ego dicerem diſparem eſſe rationem voti, iuriſque iurandi: Nam votum eſt omnino voluntaria promiſſio, & obſequium, quod præſtatur Deo gratis: idcirco debet eſſe planè voluntarium, non coactum: at iuſiurandum eſt propter honorem primæ veritatis: honor autem primæ veritati debetur etiam ab inuitis; nec impediri debet vllo metu, nec vllius mali terrore.

5. Addit autem Sotus de iuſt. & iure loco citato: Si quis ad votum adderet iuſ-
» iurandum, eum iuriſiurandi religione
» obligatum iri, diſpenſationéque egere.
» Quin etiam matrimonium, quod ſuapte natura miram requirit libertatem, ſi fit metu & cum iureiurando coacto, eget diſpenſatione, vt ſentit D. Bonauentura in 3. ſent. d. 39. & Sot. l. 8. de iuſt. & iur. q. 1. art. 7.

Quæres cur contractus, cuius cauſſa fuit dolus, non firmatur iureiurando, vt probat Syluester, in verbo, Iurament. 4. §. 8. & citat alios: firmatur autem, ſi metus fuit cauſſa contractus.

Ratio eſt: quia dolus excludit voluntatem, & neceſſariam rei gerendæ cognitionem, non item metus. Is qui iureiurando metu extorto aliquid lucratus eſt, debet reſtituere? omnino. Is autem, qui obligatus eſt iureiurando, poterit vel à ſuo Epiſcopo liberari, vel à Romano Pontifice.

Iuramenti autem abſolutio quando ad Papam, & quando ad Epiſcopum ſpectet, vide apud D. Thom. in 2. 2. quæſt. 89. artic. 9. ad 3. & apud Panormitanum & apud Innoc. in c. quanto de iureiur. quos ſequuntur alij. Quid ſi iurauit ſe non repetiturum pecuniam ſuam? poterit hoc denunciare iudici; qui illi ſuccurret, vt inquit Durandus. Quid ſi iurauit ſe non denunciaturum? Iuramentum eſt nullum in hac parte: quia contra correptionem fraternam, vt inquit D. Thom. in 3. vbi ſuprà: & in 2. 2. quæſt. 89. artic. 7. ad 3. dicit eſſe contra iuſtitiam: necnon Paludan. & quia contra publicam iuſtitiam, & vtilitatem, vt ait Durandus loco citato in 3. diſt. 39. quæſt. 2.

De doloſo iureiurando.

QVÆSTIO III.

SÆpenumero quæſtione hac tentatus ſum, quæ olim exercuit, atque etiam nunc ingenia Theologorum exercet.

Vtrùm is, qui doloſo & ſacrilego iure- 1.
iurando alterum fallit, idque iuratus promittit, quod præſtare animus recuſat, in foro conſcientiæ & Dei præſtare cogendus ſit. Diui Thomæ ſententia fuit in 2. 2. q. 89. artic. 7. ad 4. dolo adhibitum iuſiurandum non fauere iuranti, ſed ei, cui iuratur: atque ad huius mentem & interpretationem accommodandum eſſe, atque ſeruandum: hoc enim voluiſſe Iſidorum in 2. lib. de ſummo bono, cap. 31. cùm ita ſcripſit. Quacumque arte verborum »
quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ »
teſtis eſt, ita accipit, ſicut, cui iuratur, intel- »
ligit. Verùm ſi ab animo iurātis abeſt do- »
lus,

Digitized by Google

" lus,tunc id tenendum eſt,quod concepit
" fieri oportere,atque ex iurantis mente,ac
" ſenſu iuſiurandum interpretari debemus.
Huc enim pertinent D.Gregorij verba in
" lib.27.mor.c.7. Humanæ aures talia ver-
" ba noſtra iudicant,qualia foris ſonant:di-
" uina verò iudicia talia foris audiunt, qua-
" lia ex intimis proferuntur:apud homines
" cor ex verbis, apud Deũ verò verba peri-
" ſantur ex corde. Vtraque hæc ſententia
demptis illis verbis, ***apud homines,&c.*** ha-
betur in decreto Gratiani 22.quæſt.5.can.
Quacumque arte,& can.Humanæ aures.

2. Requirit autem iuſiurandum promiſ-
ſorium duplicem veritatem, vnam, quæ
ineſſe debet in actu iurandi,alteram in re
iurata, id eſt, vt, cùm quis iurat, animum
gerat id faciendi quod iurat,ac dicit; hæc
eſt prior veritas: ad hæc,vt præſtet quod
iurando promittit:hæc eſt poſterior veri-
tas: alterutra ſi deſit,periurij reus eſt, qui
iuſiurandũ iurat. Sic docent noſtri Theo-
logi ſecuti definitionem Magiſtri ſenten-
" tiarum in principio diſtin.39.lib.3. Periu-
" rium eſt mendacium iuramento firmatũ.
M.verò Tullius in 3.lib.officiorum peie-
" rare more Romano,ita definit:Non enim
" falſum iurare, peierare eſt, ſed quod ex
" animi tui ſententia iuraueris,ſicut verbis
" concipitur more noſtro, id non facere
" periurium eſt.

Hoc igitur credidit D.Thom. animo alterum fallendi conceptum iuſiurãdum, obligationem parere faciendi promiſſi: comites eiuſdem ſententiæ habet hos omnes,Alexandrum Halenſem in 3.par.q. 31.membr.3.art.3. & membr.4. Albertum Magnum in 3.ſent.diſt.39.art.8. qui vult, iurantis doloſè verba ducenda eſſe ad ſententiam eius, cui iuratur, etiam cùm dolo exigit iuramentum (id quod non conceditur ab aliis Doctoribus) Turrecrematã,in cap.Quacumque arte, 22.q.5. Tabienam, in verbo iurare, num.14. Nauarrum,in Manuali,cap.12.num.13.aitque eſſe communem ſententiam Canoniſtarum, D.Antoninum in 2.par.tit.10.c.1.§.1. tutiorem hanc diui Thomæ ait eſſe ſententiam & conſulendam. Caietanus pro ea pugnat in 2.2.qu.89.art.7. & Sotus in 8.l.de iuſt.& iur.q.1.art.7.qui ambo affirmant, iuramento promiſſorio tam naturalem eſſe obligationem efficiendi, quod promiſſum eſt, quàm naturale eſt igni, eſſe calefactiuum,& homini eſſe diſciplinabilem:hoc poſterius exemplũ eſt apud Caietanum, prius apud Sotum.

Additque Caietanus, à quo mutuatus 3.
eſt Sotus, extra mentem iurantis in iuramento promiſſorio hæc tria reperiri,iurationem,promiſſionẽ, quæ iuratione confirmatur, & promiſſionis expletionem; quibus intra mentem iurantis tres intentiones, reſpondere poſſunt, vt quis velit iurare,ſed non promittere,ſeu contrahere promiſſoriã obligationem: vel,quamuis velit iurando promittere,nolit tamen promiſſum facere:ad gignendam obligationem præſtãdi rem promiſſam ſatis ait eſſe primam intentionem tantùm iurandi;reliquas duas non eſſe neceſſarias. Dominicus Sotus prorſus eodem modo philoſophatur.

Huius opinionis præcipua firmamenta poſt contrariæ ſententiæ explicationem indicabimus.

Contrariæ igitur ſententiæ hos haud leuis pretij auctores habemus,diuum Bonauenturam, in 3.ſent.diſt.39. art.3.q.1. & in 4.diſ.38.art.1.q.1.Scotum in eamd.diſt. q.vnic. artic.3. Richardum in eamd. diſt. art.2.q.1. qui licèt in vtramque partem diſputet,in hanc tamen propendet;Gabrielem,in eamdem diſt.q.1.art.2.concl.5.qui idem planè, quod Scotus; Angelum, in verbo iuramentum 5.num.32. caſu 19. licèt in verbo iuramentum 4.in principio, ſentire cum D.Thoma videatur Sylueſter in verbo iuramentum 4.q.19.& q.17. deductus eſt in opinionem diui Bonauenturæ,& Sotus loco citato in opinionem D. Bonauẽturæ veniſſe Sylueſtrum affirmat: licèt approbator ſententiæ diui Thomæ viſus ſit in verbo,Iuramentũ,3.q.2.Panormitanus eamdem his verbis comprobauit in c.ſi verò de iureiurando, in extremo

» commentarij. Iuramentum non debet eſ-
» ſe obligatorium, ſi non habet animum
» obligandi: Roſella in verbo, Pactum, ait in quacumque promiſſione nemine obligari ſi animum non gerit ſe obligandi: atque id communiter teneri à Theologis in 4. ſentent. diſt. 38.

4. Huius poſterioris ſententiæ firmiora præſidia duo ſunt. Primum eſt, canon ille D. Gregorij. Humanæ aures. 22. q. 5. quia DEVS non animum ex verbis, ſed ex animo verba iudicat. Cùm igitur falsò doloſève iurantis verba cum animo non conſentiant, verba illa carere interiore veróque conſenſu decernit DEVS.

Secundum præſidium eſt in lege obligationum. ff. de actionibus & obligationibus, quæ indicat ſine animo ſubeundæ obligationis non contrahi obligationem: cui legi vtriuſque iuris & Theologiæ Doctores aſſentiuntur.

Quare Scotus in 3. ſentent. diſt. 39. qu. vnica, art. 3. loquens de eo qui dolo iurat, ait, mortiferam ab eo culpam contrahi: tamen, inquit, poſt illud iuramentũ non remanet obligatus: quia in priuatis obligationibus nullus obligatur, non intendens ſe obligare: & Gabriel Biel, in eamd. diſt. q. 1. artic. 2. concl. 5. in priuatis obligationibus nullus non intendens ſe obligare, coram DEO obligatur: quia Deus iudicat ſecundùm ſecretum conſcientiæ.

Contrariæ verò ſententiæ duobus aliis fundamentis ſic reſpondent. Prius fundamentum eſt auctoritas Iſidori, quacumque arte. 22. q. 5. dupliciter reſpondet D. Bonauent. in 3. diſt. 39. art. 3. q. 1.

Primus modus reſpondendi hic eſt,
» DEVS ita accipit, id eſt, reputat eũ obli-
» gatum ad pœnam. Secundus modus, Vel
» poteſt, inquit, ſermo cauſſaliter intelligi,
» vt dicatur, quòd DEVS ſic accipit; quia,
» ſic vult accipi ab Eccleſia: & ſic etiam vult
» iudicari.

Secundum fundamentum prioris ſententiæ eſt hoc: quia fraus & dolus nulli debet patrocinari: hoc ſic ſubruit diuus Bonauentura.

Ad illud, quod obiicitur, quòd fraus & dolus non debent alicui patrocinari, patet reſponſio per iam dicta: quia fraus & dolus non patrocinatur iſti in foro Eccleſiæ, imò compellitur ab ipſa Eccleſia iuramẽtum tenere, ac ſi iuraſſet fideliter: non patrocinatur etiam in foro DEI: quia ex hoc ipſo obligatur, & efficitur reus magnæ pœnæ. Vnde ſi veniat ad pœnitentiam eſt ei grauis pœnitentia imponenda; & ſanum conſilium eſt, & decens, vt merito culpę ſibi imponatur, vt iuramentum compleat, in quo proximum decipere intendebat, licèt non poſſit ſibi probari in facie Eccleſiæ. Hactenus S. Bonauentura.

Aſtenſis, in ſua ſumma rem in medio relinquit, vtriuſque ſententiæ explicatis argumentis lib. 1. tit. 18. art. 7. q. 2.

Mihi quid in hac controuerſia probabile videatur, nonnullis ſubiectis propoſitionibus patefaciam. 5.

Prima propoſitio. In Eccleſiæ foro, iuſiurandum fraude conceptum vim habet obligandi: quia Eccleſia animi noſtri ſenſum & propoſitum ex verbis haurit. Id nemo inficiatur.

Secunda propoſitio. Nec ſecus DEVS vult ab Eccleſia iudicari; cuius iudicium, cùm ſit humanum, non diuinum, ex indiciis etiam humanis & argumẽtis, quamuis ſint ſuapte natura incerta, atque ex teſtiũ dictis, quæ falli & fallere poſſunt, vult ferri iudicium.

Tertia propoſitio. Iuramentum promiſſorium ſimulatum, ac mendax, ex vi promiſſionis, ſeu contractus, nullam in foro DEI habet obligationem.

Prima ratio: quia & nos publicè ſæpe docuimus, & ſcriptis, ac priuatis reſponſis ex ſententia Panormitani ſæpiſſimè teſtati ſumus, fictum ac ſimulatum cõtractum pro nullo haberi: ergo ſimulata promiſſio pro nulla etiam habenda erit. Quare, in lege, contractus imaginarij ff. de actionibus & obligationibus, eſt his verbis: Con- »
tractus imaginarij iuris vinculum non »
obtinent: cùm fides facti ſimulatur non »
intercedente veritate. Quid valent illa »
verba?

» verba, vinculum iuris nõ obtinent:id eſt,
» carent obligatione, quæ definitur ab im-
» peratore in inſtitut.de obligat.in princi-
» pio eſſe iuris vinculum, quo neceſſitate
» aſtringimur, &c. & C.plus valere quod
» agitur, l.1.in contractibus rei veritas po-
» tiùs quàm ſcriptura perſpici debet: ſi po-
» tiùs quàm ſcriptura, ergo potiùs quàm
» verba.

6. Secunda ratio. Enunciatum illud Scoti de quo ſuprà, In priuatis obligationibus nullus obligatur non intendens ſe obligare, exiſtimo eſſe veriſſimum: nam confirmatur auctoritate legis obligationum. ff.de act.& Gloſ.in 3.cap.de voto, quam legem & gloſſam Doctores ſequuntur: prudenter autem dixit Scotus, in priuatis obligationibus: nam generalibus cuiuſmodi ſunt obligationes iuſtarum legum, quis etiam inuitus tenetur.

Tertia ratio ex D.Thoma, in 4.ſenten. diſt.38.q.1.art.1. quæſtiuncula 2. qui conſtituens diſcrimen inter obligationem, quæ nos facit obnoxios DEO, & eam, qua homini deuincimur, affirmat, obligationem, quæ cum homine contrahitur, fieri verbo exteriùs expreſſo; ei autem, inquit, qui cor intuetur, oportet quòd fiat obligatio volũtaria interiori verbo: quod verbum ratio enunciat: atque hinc probat, promiſſionem eſſe actum rationis: quod ipſum hac ratione confirmat: quia promittens rem promiſſam ad alterum ordinat: omnis autem ordinatio rationis eſt, quare promiſſio eſt actus rationis.

Ergo ex hac ratiocinatione D.Thomæ concluditur, eum, qui iurat, promittens aliquid, quod non vult habere illum cui promittit, verẽ non promittere: nec ex vi promiſſionis irretitum eſſe apud DEVM. Addit in ead.q.& art.1. D.Thomas, neminem obligari voluntate alteri, niſi ſoli DEO, cuius eſt ſolius cognoſcere voluntatem; nec magis quempiam cogi poſſe ad interiorem promiſſionẽ, quàm ad fidem.

7. Quarta propoſitio. Iuramentum promiſſorium doloſum, nec iuramenti vi in conſcientiæ foro obligat iurantem. Primùm, quia huiuſmodi iuſiurandum nihil eſt aliud, niſi promiſſionis cõfirmatio: ſed non confirmatur id quod non eſt: promiſſio autem in doloſo iureiurando verè non eſt: vt in tertia propoſitione probatum eſt: quare, &c. Deinde, quia obligatio aut dicendi aut faciendi quod verum eſt, non oritur ex mendacio, ſed ex ipſa veritate; ſicut obligatio cuiuſlibet virtutis & honeſtæ actionis exercendæ, non manat aut à vitio contrario, aut improba actione contraria: ſed fictum & doloſum iuramẽtum eſt mendacium, quia periurium: quare non poteſt efficere obligationem vllam aut dicendæ aut faciendæ veritatis. Tum: quia, vt inquit Paludanus in 4.diſt. 38.q.1.concl.3.caſu 1. Iuramentum, quod »
eſt ſeruandum, ex Deo eſt: ſed iuramen- »
tum mendax, ac doloſum ex diabolo eſt, »
qui pater eſt mendacij, quare, &c. Poſtre- »
mò, quia maiorem agnoſcunt Theologi obligationem in voto, quàm in iuramento, licèt parem, Canoniſtæ.

Huius maioris obligationis cauſſam his verbis exponit D.Thomas in 2.2.qu.89. artic.8. Nam obligatio voti cauſſatur ex »
fidelitate, quam DEO debemus; vt ſcili- »
cet ei promiſſum ſoluamus: obligatio au- »
tem iuramenti cauſſatur ex reuerentia, »
quam debemus ei; ex qua tenemur, quòd »
verificemus id, quod per nomẽ eius pro- »
mittimus: omnis autem infidelitas irreue- »
rentiam continet, ſed non conuertitur. »
Videtur enim infidelitas ſubiecti ad Do- »
minum eſſe maxima irreuerentia: & ideo »
votum ex ratione ſua eſt magis obligato- »
rium, quàm iuramentum. Hæc D.Thom. »
Sed votũ mendax & falſum coram DEO eſt nullius obligationis, licèt grauiſſimè vouens peccet, & in Eccleſiæ iudicio præſtare debeat, quod vouit: ergo idem de iuramento dicendum eſt.

Soluunt dupliciter argumentum. Pri- 8.
mùm, dicunt nonnulli, votum fieri DEO; iuramentum homini. Contra. Iurare poſſumus interdum ſoli Deo; vt ſi quis dicat, Deus, tibi iuro me hoc facturum, vel non »
facturum. Deinde, falſum eſt non fieri iu- »
ramen

ramentum Deo quamuis illud recipiat homo: quandoquidem illi fit, cui nos obligat: ſed per ſe nos obligat Deo: quare, &c. Quare D. Auguſtinus ſerm. 30. de verbis Apoſtoli, Quid aliud eſt iurare, quã ius reddere Deo, quando per eum iuras? Et ſæpius repetit Deo deberi iuramentum, & illi reddendum.

Secundò, reſpondent, iuramentum fieri per deliberatam verborum atteſtationem, & per hanc contrahi obligationem: votum autem vires ſumere ex intentione vouentis.

Hoc verò nihil eſt. Primùm, quia ex cap. veniens, de iureiur. & ex Gloſſa in illud caput, habetur etiam iuramentum « vim habere ex intentione iurantis. Deinde, falſum eſt, iuramentum obligandi vim nanciſci ex deliberata verborum atteſtatione; cùm etiam locutione tantùm interiore concipi poſſit. Poſtremò: quia votum ſollemne habet etiã deliberatam & publicam verborum atteſtationem. Ita non verum eſt illud diſcrimen inter votũ & iuramẽtum apud Albertum Magnum » in 3. ſent. diſt. 39. art. 8. Iuramentum, verba » ſunt eius, eſt promiſſio exterior confirma- » ta per inuocationem diuinæ veritatis: & » ideo propter reuerentiam diuinæ verita- » tis obligat. Votum autem conſiſtit prin- » cipaliter in voluntatis libertate interiore.

9. Ad extremum, nullum iuramentum » eſt obligatorium, inquit Richardus in 3. » ſent. diſt. 39. art. 2. q. 3. quod derogat alicui » præcepto, vel conſilio. Sed iuramentum » falſum & doloſum derogat præcepto ve- » ritatis dicendæ: quare, &c. Itaque, quod dicunt Caietanus, & Sotus, ex intentione iurandi oriri vinculum ſubeundæ obligationis promiſſoriæ & implendæ, verum eſt in iuramento, quod eſt actus latriæ, & verum iuramentum: alioqui, qui iurat latroni minitanti necem, ſe daturum centum, carens intentione dandi, obligaretur: nam iuratat ſequela non conceditur communiter à Doctoribus, & quia fermè ſemper accidit, vt qui doloſè iurat, non gerat animum contrahendæ obligationis, ob id ipſis in conſcientiæ foro non videtur cogendus, vt iuratum promiſſum efficiatur.

Quinta propoſitio. Tria tamen ſunt tempora, cùm id, quod ſimulato iureiurando alteri promiſſum eſt, neceſſariò diuina naturalique lege dependendum eſt. Primum eſt, cùm proximo imminent ſcandala, ſimultates, inimicitiæ, odia, cædes. Secundum, cùm iactura famæ, honoris, rei familiaris. Tertium, cùm iuranti malitioſè, & fictè, irrogandæ & ſubeundæ eſſent eæ pœnæ, quæ in periuros conſtitutæ ſunt: quas cognoſce è ſummarum ſcriptoribus, in verbo, Periurium.

Sexta propoſitio. Quia ferè hæc mala, quæ commemorauimus, comitari ſolent doloſo & fallenti iureiurando, propterea credi poteſt D. Thomas abſolutè pronunciaſſe, ob doloſum iuramentum naſci obligationem rei promiſſæ exſoluendæ.

Septima propoſitio. Quamuis ex malitioſo & fraudulento iuramento nullum exiſteret trium illorum malorum; quamuis occultũ eſſet, nec iurans periurij conuinci poſſet in Eccleſiæ foro, nihilominus iuranti ad pœnitentiæ Sacramentum accedenti non ſolùm grauis pro periurio pœna imponenda eſt; ſed etiam pro pœna iniungendũ; vt, quod malo dolo promiſit, re ipſa præſtet: nec enim fas eſt huic ſacrilego atque impio hominum generi vllo modo fauere.

Videtis quàm iſta deteſtãda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda, inquit diuus Auguſtinus, de homine loquẽs periuro. ſerm. 30. de verbis Apoſtoli to. 10.

QVÆSTIO IV.

Rogatus num crimen æterno ſupplicio mactandum ſit, iuſiurandum rei paruæ non ſeruare. 1.

Reſpondi, non eſſe: quòd hæc ſit opinio verior, & plurium doctorum, magna æquitate nixa. Eſt D. Anton. quem Sylu. & Nauarrus citant, in 2. par. tit. 10. c. 4. §. 1. Syluestri,

Sylueſtri, in verbo, iuramentum 3. qu. 1. circa finem. Tabienæ, in verbo, iurare q. 11. ſeu num. 12. Nauarri, in ſumma cap. 12. num. 10. Soti in 8. lib. de iuſtit. & iur. q. 1. artic. 7. & q. 2. art. 3. concl. 5. Et reuera nimiùm videtur durum noxia lethali irretire matres, quæ iuratæ ſpōdent infantibus pueris pomum, aut rem perexigui pretij, quā tamen nō largiuntur: necnon eos viros ingenuos, qui hortāte modeſtia iurati negant ſe prægreſſuros, vt comites honore afficiant; nihilominus tamen antegrediuntur. Nec rationis eſt, cùm in cæteris omnibus præceptis materiæ leuitas culpam tollat lethalem; vt idem lex iuriſiurandi non efficiat.

Caietano contraria fuit opinio in 2. 2. q. 89. art. 7. ad dubium primum.

2. Eſt autem ingenioſa ac Theologica illa Soti admonitio lib. 8. de iuſtit. & iur. q. 1. artic. 7. duas in promiſſorio iuramento ineſſe veritates, alteram aſſertionis, ſeu dictionis: vt id, quod iuratur, ſiue paruum, ſiue magnum ſit, animo efficiendi iuretur: atque hæc prima veritas non pendet è qualitate & quantitate rei, quæ iureiurando promittitur: altera veritas eſt affectionis ſeu executionis; vt id, ad quod iuſiurandum aſſumptum eſt, fiat: atque hæc neceſſariò pendet tum ex qualitate, tum quantitate materiæ: ex qualitate, quia ſi mala, ſi maiori bono adferēs impedimentum, non eſt ex omnium ſententia ſeruādum iuſiurandum: ſin materia iuſta fuerit, & rei, quæ fieri poſſit, ac debeat, ſi leuis ea ſit, & parui momenti, quāuis omittatur, non niſi leuem culpam contrahi: id quod, vt iam dictum eſt, æquitatem habet; & quamdam diuini etiam iuris comitatem: quam conſcientiæ tribunalia debent æmulari.

QVÆSTIO V.

1. DVplex factum hæc continet queſtio. Primum eſt, vtrùm Lucius, qui iuriſiurandi interpoſita religione, Philenæ pactus eſt nuptias, à ſponſalibus ad ſacrorum virorum ſodalitium commeare poſſit; vt ſollemnem in eo DEO continentiam, paupertatem, atque obedientiam profiteatur.

Reſpondi, controuerſiam iampridem ab Alexandro III. in Decretali, commiſſum, de ſponſalibus, diiudicatam eſſe: illic enim reſpondit, tutius eſſe ante religionis ingreſſum matrimonium contrahere, & poſt contractum, modò conſummatum non ſit, religionem ingredi. Nonnulli tamē, nec pietate, nec doctrina vulgari, ſine culpa Lucium aiunt ob religionis ingreſſum ab iure ſponſalium abire poſſe.

Secundum factum hoc eſt. Caius & Marcella futuri connubij mutua, eadémque iurata ſponſione ſeſe deuinciunt. Num alter alterum ſtipulationis iuratæ nexu liberare queat, dubitationis fuit. 2.

Mihi ad Panormitani libuit abire opinionem, Caium voluntate Marcellæ, & hanc voluntate Caij contrahendarū nuptiarum neceſſitate exſolui poſſe: ſi ad pactionem iuratam ventum eſt cauſſa dumtaxat paciſcentium. Verùm, ſi confecta pactio non tam ſtipulantium vtilitatem & commodum, quàm DEI honorem, & cultum ſpectabat: obligatio comite iureiurando contracta non conſenſu contrahentium, ſed Eccleſiaſtica auctoritate remoueri poteſt. Hæc à Panormitano docentur, in cap. præterea, de iureiur. & num. 6. ſui commentarij, profert eiuſdem ſententiæ adſtipulatores Innocentium & Speculatorem. A Panormitano faciunt Sylueſter, in verbo Spōſalia q. 10. & Angelus eod. titu. num. 20. & Couarruuias, in cap. Quamuis, pactum lib. 6. de pactis, §. 3.

Quamquam Nauarrus in ſumma, c. 22. num. 25. §. Porrò ſponſalia, credit, ſponſalia, quamuis propter vnum Deum adiunctum habeant iuſiurandum, mutuo eorum, à quibus res ſponſa & iurata eſt, conſenſu poſſe diſſolui: in quo non ſolùm Panormitano, qui ſatis commodam in-

uenit diſtinctionem, & rationem expediendæ quæſtionis, verùm etiam Gloſſæ contradicit; quæ nulla adhibita exceptione, in illud, cap. præterea, ſcripſit, matrimonij ſponſionem, iuriſiurandi religione firmatam, contrahentium voluntate ac mutua conſenſione perimi non poſſe: quod multò verius eſt quàm quod attulit Nauarrus, multóque tutius: etſi Gloſſæ opinioni præferenda videtur Panormitani quæ æquior ſit, ac magis approbata, ac D.Thomæ verbis, in 2.2.q.89.art.9. in reſp.ad 2.comprobata. Vbi ſic S.Doctor.

» Ad ſecundum dicendum, quòd homo poteſt alteri promittere aliquid ſub iuramento dupliciter. Vno modo, quando promittit aliquid pertinens ad vtilitatem ipſius, puta, ſi ſub iuramento promittat ſe ſeruiturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promiſſione poteſt abſoluere ille, cui promiſſio facta eſt: intelligitur enim iam ei ſoluiſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundùm eius vtilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem DEI, vel vtilitatem aliorũ: puta, ſi aliquis ſub iuramento promittat alicui, ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille, cui promittitur, nõ poteſt abſoluere promittentem: quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed DEO, niſi fortè ſit interpoſita conditio, ratione cuius poſſit, ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.

QVÆSTIO VI.

1. Philonicus, adoleſcẽtulæ captus amore, his verbis ei pollicetur: Te ſolam vxorem opto & volo: atque iterùm adoleſcentis fœminæ patrueli fratri hiſce verbis idem confirmat: Abire hinc non poſſim, ſi mulierem aliquam nuptam mihi eſſe volo, tua excepta ſorore.

Poſt has pollicitationes, iſta mulier cuiuſdam monachi amore ſauciata, qui domum alterius mulieris, in qua adoleſcentula commorabatur, ventitare ſolebat, hominem illum religioſum ad flagitioſam & ſacrilegam conſuetudinem prolectare eſt minimè verita: cuius impudentia & refutata eſt ab illo viro frugi, atque etiã ad Philonicum delata; facinoriſque mulieris ſunt item nonnulli conſcij. Fœmina verò ad maiorem perniciem quotidie lapſa diris diuinum numen conuiciis ac maledictis inſectatur: tamquam inſana bacchatur: atque eam ab improbo dæmone agitari credunt domeſtici.

Percunctatus eſt Philonicus, num promiſſo & execratione, qua ſuam fidem ſtrinxit, & ſe mulieri ſemel, iterum eius fratri deuinxit, etiam nunc teneatur: an verò negotiorum, & perſonæ immutatio fœdus omne fregerit.

Mihi ſic iudicatum fuit: Philonicum 2.
religione promiſſi ac iuriſiurãdi liberatũ eſſe: ſi tamen vllum in pollicitatione interpoſitum fuit iuſiurandum.

Rem omnem, meámque ſententiam aliquot animaduerſionibus faciam planiorem. Prima animaduerſio. Duplex, inquit D.Thom. in 2.2.q.89.artic.1.ad 3. eſt » modus iurandi: Vnus quidem per ſimplicem DEI conteſtationem, ſicut cùm aliquis dicit: eſt mihi Deus teſtis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem eſt, vt dicit Auguſt. lib.1. de ſerm. Domini in monte, cap.30. Alius modus iurandi eſt per execrationem; dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verũ quod dicit. Hæc ille.

In priore ratione iurandi adhibetur Deus teſtis tantummodò: in poſteriore verò teſtis ac iudex, vt docet in illo artic. D.Thomas. In iureiurando autem, quod execrationem habet, an neceſſe ſit DEI nomen appellare, an non, D.Thomas nõ oſtendit: ego quidem exiſtimo non eſſe neceſſe: nam nec in eo iureiurando, quod ad conteſtationem vſurpatur, eſt neceſſe: ſatis enim eſt in vtrouis genere iuriſiurandi primam veritatem ſiue in Dei nomine auguſto, ſiue in re aliqua creata, indicare.

Secunda animaduerſio. Genera quæ- 3.
dam

dam humanæ locutionis ſint ne iuraiuranda, an non, ex animo iurantium ſpectari debent. Quemadmodum enim in iureiurando, quo quidpiam conteſtamur, interdum diuinum nomen inuocatur ad faciendam fidem, atque ad teſtificationẽ; nonnumquam enunciatur dumtaxat, nec tamquam teſtis ſumitur. Vt cùm quis ſic loquitur: Coram DEO; DEVS ſcit, num mentiar, id tantùm aliquando ſignificans non quidem Deũ ab ſe adhiberi teſtem: ſed quæ dicit, aut affirmat, illa Deum habere præſentem, & cognitorem: quod ipſum verum ſemper eſt. Animaduerſio hæc ſecunda eſt Caietani in illum artic.1. D.Thom. ad 3. argumentum: & quod euenit in iureiurando conteſtationis, idẽ vſu venit in iureiurando execrationis.

Tertia animaduerſio. Quando Philonicus ita locutus eſt: Hinc abire non poſſim, ſi aliam mihi opto vxorem, quàm ſororem tuam: pro certo exploratum non eſt, iurare ne voluerit an non: is quidem credit mentem potiùs iniuratam, quàm iuratam geſſiſſe: quoniam, inquit, Deum numquam nominaui.

4. Quarta animaduerſio. Si Philonicus non iurauit, ſtultè meo quidem animo ageret, ſi cum peſſima & impudica fœmina coniugij fœdera iniret: neque enim connubialis cõiunctus, ſed ſempiternarum inimicitiarum, & certi diſſidij fœdera ſancirentur.

Quinta animaduerſio. Quamuis Philonicus iureiurando fidem obligaſſet ſuã, quoniam futurus euentus, & id, quod ex promiſſo faciundum erat, adeo mutatum eſt, vt iam fieri nec deceat, nec debeat, puto ei iuriſiurandi non officere religionem; ſed tuta conſcientia mulierem repelli poſſe ac debere.

Huc faciunt verba diui Thomæ, quæ à nobis deſcripta ſunt in ea quæ huic antecedit quæſtione, ex 2.2.q.89.art.9.ad 3. Etenim cùm duplex exigatur veritas in iureiurando, quo quidquam promittitur, Altera, quemadmodum loquitur Caietanus in 2.2.q.89.art.7.ad 3.in reſp. ad 1.vt ſcilicet dicat verũ, hoc eſt, vt habeat propoſitum adimplendi: quoniam promiſſio vera includit animum adimplẽdi: Altera, in qua differt ab aſſertorio, vt faciat eſſe verum, quod promittit: & ſicut habet duplicem veritatem: ita habet duplicẽ obligationem, alterã cadentem ſub ipſo actu iurandi, vt ſcilicet iuret eſſe verum, vt in animo promittit: & in hac communicat cum aſſertorio iuramẽto: alteram cadentem ſuper rem, quæ implenda iuratur, vt ſcilicet faciat ſic eſſe tempore, quo tenetur: prior veritas diſpenſationem non recipit, neque impediri poteſt: poſterior poteſt, & ſæpe impeditur.

5. Quot autem modis impediatur, idem Caietanus docet, in ſumma, in verbo, Periurium. Namque quattuor modos enumerat. Primò, inquit, ex parte materiæ. Secundò, ex parte euentus. Tertiò, ex parte modi. Quartò, ex parte relaxationis.

Ex parte materiæ: quia actus euaſit moraliter malus; aut quia impedit maius bonum; aut quia res ſuapte natura indifferens eſt; aut etiam ei, qui iurauit, eſt talis.

Ex parte euentus: vel quia per ſe malus; vel quia obiicit iuranti impedimentum potioris boni.

Ex parte modi, cùm quis iurauit ſe non præiturum, tandem alterius coactu præit.

Ex parte relaxationis: vt iuramentum, inquit Caietanus, mẽtu extortum de contrahendo matrimonio videtur relaxatum ipſo iure: tutius tamen eſt relaxationem habere à ſuperiore, ſicut in cæteris iuramentis vi, vel metu extortis.

Diuus Thomas in illo artic.7.q.89. neceſſitatem ſcribit ceſſare efficiendæ rei, quæ iureiurando promiſſa eſt, quando vergeret in deteriorem exitum illius executio: quod accidere poteſt dupliciter; vel quia principio labes erat in eo, quod iurabatur; vel quia aliquid pòſt emerſit, quod non fuit præcognitum. Nec vult impleri iuſiurandum D.Thomas, niſi iudicium adſit & iuſtitia.

Ex his, quæ commemorata ſunt, & penè deſcripta ex D.Thoma & Caietano,

vnuſquiſque facilè intelligere poteſt, Philonicum faciendi promiſſi religione ſolutum eſſe.

6. Quando actus non eſt moraliter bonus, dicitur iuramentum vergere in deteriorem exitum: & hæc ſola cauſſa ſufficit ad irritum reddendum iuramentum, inquit Caietanus. Quis autẽ animum inducere poſſit, actionem cum perdita illa muliere ineundi connubij eſſe non malam: vnde tam multa & magna mala certum ſit exoritura, ſimultates, odia, venena, verbera, neces ac perpetuam mentium carnificinam?

Et in reſponſione ad primum dubium, dixerat Caietanus, *Iuramentũ imprudens ad nihil obligat*. At quę maior aut imprudẽtia, aut ſtultitia in contrahendo matrimonio excogitari poteſt, quàm non ampliùs cum fœmina, ſed cum furia, & impudentiſſima ac teterrima bellua coniugij coire ſocietatem? Idem Caietanus quærens in illius articuli commentario, §. ad euidentiam, num iuramentum omne liget in foro conſcientiæ, in reſponſione, hæc ait:
» Actus iuramenti promiſſus oportet quòd
» ſit bonus moraliter in indiuiduo: At contractio matrimonij eſſet quidem actus humanus, ſed non bonus moraliter in indiuiduo: nam hic contractus, vt eſt hic, ingentium & multorum malorum habet incluſa ſemina.

Ac remoto iureiurando nemo ſanæ mentis Philonico eiuſmodi connubium non dicam ſuadere, ſed ne leuiter quidẽ indicare deberet. Quare iſtius fœminæ in matrimonium ducendæ Philonicus nulla lege cogitur.

7. Nec parum cauſſam hanc Philonici adiuuat Decretalis Innocẽtij III. Quemadmodum, de iureiurando. vbi decernit, eum, qui iuratus mulieri recepit ſe illam ducturum vxorem, recepto ac promiſſo liberatum eſſe, ſi poſt ſponſionem iuratã, in fornicationem incidit, aut corporis de-
» formitatem. Si enim, inquit Pontifex, poſt
» contractum coniugium vir propter for-
» nicationem licitè poteſt vxorem à ſua cohabitatione dimittere: longè fortiùs an- »
te coniugium celebratum propter eam- »
dem cauſſam ſponſus licitè poteſt in ſuam »
cohabitationem non admittere ſponſam: »
quia *Turpius eijcitur quàm non admittitur hoſpes*, & paullò antè dixerat: Quia in illo »
iuramento talis debet conditio ſubintel- »
ligi: ſi videlicet illa contra regulam de- »
ſponſationis non venerit. Hactenus Pon- »
tifex.

At mulier regulam, & legem deſponſationis perfregit: namque ad ſacrilegum facinus monachum impulit: in animi deformitatem & prauitatem ruit voluntaria: quæ omnem corporis turpitudinem vincit. Præterquam quòd cum furentibus non ineuntur connubia: illa autem mulier furere & inſanire eſt etiam ſolita: ergo omnium legum cõceſſu ab illis ſponſalibus iuratis abire licet Philonico.

QVÆSTIO VII.

PVer, cui iam ſeptem annorum ætas 1.
acta erat, cùm videret periculoſo morbo matrem laborantem, ſi euadat ex morbo, vouet ſe religioſorum ordinum inſtituto ac more victurum: Mater conualeſcit; decémque labuntur anni, quibus is, qui vouit, de ſuo voto numquam cogitauit.

Duo in diſceptationem & controuerſiam ceciderunt. Primum fuit, num obligandi pueri vim illa votiua habuerit promiſſio. Secundum, num, quia pater ante decimum quartum annum votum non fecit irritum, poſſit etiam nunc irritare filio decimum octauum annum agente.

Sed de ſecunda quæſtione ſeparatè, nunc de prima videamus: cuius maximè proprium eſt inquirere, ſit ne quæuis ætas apta voto: modò ab ea vitioſa, ſeu honeſta actio proficiſci queat. Paludanus in 4. diſt. 38. q. 1. col. 2. non dubitat, ſponſione voti quamlibet vinciri ætatẽ, in qua vſus cadat rationis: his enim verbis ſcribit. Illa »
igitur deliberatio tẽporis, vel ætatis, quæ »
ſuffice

Digitized by Google

» ſufficeret ad obligandū diabolo per mor-
» tale, ſufficit ad obligandum Deo per vo-
» tum. Hanc Paludani regulam, & opinionem fere à cunctis probari teſtatur Nauarrus, in Summa, c.12. num.24. ac Gloſſam ad eamdem ſententiam adiungit. Innocentius idem probaſſe videtur, explanans cap. Scripturæ, de voto: vbi ſic. Impubes, ſi doli capax ſit, & fecerit votum abſtinentię, vel peregrinationis, vel aliud, debet illud adimplere, poſtquam paternam poteſtatem exiuerit: quia ſe obligauit Deo: quod potuit; ſicut per delictum ſe obligat diabolo. Oſtienſis in idem caput, affirmat illud ipſum quod Paludan. num.7. ſui Commentarij. Ioannes Andr. num.4. ſuæ explanationis, ſequitur Innocentium. Caietanus, in Summa, verbo, Votum, in cap. vbi excutit conditiones vouentis. §. Quod vt clarè, ſententiam Paludani his verbis ſubſcribit. Deliberatio, quæ ſufficit ad conſtituendū ſe ipſum ſeruum diaboli, multò magis ſufficere debet ad conſtituendum ſe ipſum debitorem DEO.

2\. Richardus, in 4. diſt.38. art.4. quæſt.2. vult, eum, in quo reperitur vſus liberi arbitrij, poſſe vouere: neque ſententiam aliam explicauit D. Thom. in 2. 2. q.88. artic.9. quærens vtrùm pueri obligare ſe poſſint ad religionis ingreſſum. & in 2. 2. quæſt.189. art. 5. ſi in pueris ſit plenus rationis vſus, ſcribit, voto poſſe ſeſe Deo obligare; quamuis auctoritate eorum, in quorum ſunt poteſtate, irritari poſſit.

Perfectum autem vſum hunc rationis docet D.Thomas naſci fere, ad decimum quartum annum progreſſa ætate. In quo articulo nono hoc item ſcriptū reliquit: Votum ſimplex efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis ſe obligare intendit. & in 17. opuſc. contra retrahentes homines à religionis ingreſſu, cap.12. ſcribit ad hunc modum. Votum ſimplex conſiſtit in ſola promiſſione DEO facta, quæ ex interiore mentis deliberatione procedit: votum ſimplex ex iure diuino efficaciam habet, quod nullo humano iure tolli poteſt.

Verumtamen in 4. ſentent. diſt.27. q.2. artic.2. rationem vouendi puerilis ætatis valde his verbis extenuauit. Ante primū ſeptennium nulli contractui homo aptus eſt: ſed in fine primi ſeptennij, incipit eſſe aptus ad aliqua promittendum: ad quæ ratio naturalis inclinat magis (intelligit ſponſalia) non autem ad obligandum ſe perpetuo vinculo: quia adhuc non habet firmam voluntatem: & ideo poſſunt tali tempore contrahi ſponſalia: ſed in fine ſecundi ſeptennij iam poteſt obligare ſe de his, quę ad perſonam ipſius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium.

Huic ſententiæ ſecundans D. Bonauentura, in 4. diſt.38. quæſt.3. num.27. ita ſcripſit. Ad illud, quod obiicitur de obligatione diaboli, dicendum, quòd illa fit ſola voluntatis libertate: ſed non ſic eſt de obligatione ad Deum, quantùm ad votum, quoniam reſpicit aliquod opus, reſpectu cuius frequenter liberum arbitrium non habet poſſe vel de facto, vel etiam de iure. Idem ſecutus eſt D. Antoninus, in 2. p. tit.11. cap.2. §.6. col.2. his verbis. Et licèt Hugo dixerit, quòd ſtatim cùm malitia ſupplet ætatem, poſſit ſe vouere Deo; ſicut & dare diabolo: tamen contrarium tenent communiter Caniſtæ. 3.

Hanc ſolam Sylueſter eſt complexus opinionem in verbo, Religio, 2.§.15. Neque enim ante decimum quartum annum vult à pueris voueri poſſe religionē: iterátque hoc ipſum, in verbo, Baptiſmus, §.8. Idem Angelus, in verbo, Religio, 2. §.6. vbi tamen contrariam ſententiam adſcribit D. Thomæ; ſuæque confirmatorem opinionis adfert Panormitanum, in cap. ſcripturæ de voto, & voti redemptione: negat enim in Commentario, num.7. puerilem ætatem, quæ nondum ad pubertatem, ſeu decimum quartum annum prouecta ſit, religionis votum ſuſcipere poſſe; poſſe autem cetera omnia, vbi fuerit doli capax; iam dixerat, in cap. venien-

tis, eodem tit. ſed in cap. ſcripturæ, fatetur, Innocentij opinionem, qui religionis voti nuncupandi, ante decimum quartum annum, pueris poteſtatem facit, eſſe vitiorem.

4. Sanè Roſella, in verbo, Votum, 2. §.3. Innocentium ſequitur. Sotus, lib. 7. de iuſt. & iure, quæſt. 3. art. 1. ſatis confidenter pronunciauit, puerum non teneri voto, niſi compertum ſit illi de vſu rationis, cùm vouebat: nam, ſi incertus & ſuſpenſus ob eam rem pendeat, ſoluit eum omni vinculo obligationis.

Ego verò malim in votiuis obligationibus, quum obſcuræ ſunt & ancipites, pro voto, quàm pro vouente pronunciare. Et, cùm ambigui quæſtio verſatur in hac ratione voti, de quo agitur, ſemper ſedem Apoſtolicam cenſerem conſulendã.

Quòd ſi in hac cauſſa, quæ adhuc diſceptata eſt, atque nunc etiam diſceptatur, meam ipſe ſententiam profiteri velim, iſthæc omnia affirmare auſim. Primùm, impuberem voto religionis obſtringere ſe poſſe Deo: id enim à pluribus Doctoribus defenditur: & valde veriſimilibus rationibus approbatur: ſunt enim pueri multi, etiam ante decimum annum conſenſus capaces: at conſenſus obligationem gignit naturalem. Poſſunt etiam pueri, ante pubertatis tempus, Hieroſolymitanæ peregrinationis votũ emittere, vt planum facit Decretalis prima, Alexandri III. de voto. Cur ergo religionis non poterunt emittere?

Aio ſecundo loco, quod aiunt etiam reliqui omnes, vota ab impubere ſuſcepta, ab iis, quorum arbitrio & poteſtate reguntur, irrita fieri poſſe.

Poſtremò dico mihi eſſe perquam veriſimile, pueri, de quo loquimur, ratione & conſilio, quod ad votum firmandum ſatis eſt, factum fuiſſe. Cernebat matrem periculosè ægrotantem, eius ſanitatem à Deo potiùs quam ab hominibus exſpectandum eſſe: medium ad eam impetrandam eſſe perappoſitum ſponſionem voti: quibus omnibus circumſpectis vouit. Quid obſecro vir magni & conſtantis conſilij in ea re aut rectius aut conſultius facere potuiſſet?

Igitur ad ſecundam quæſtionem accedamus: in qua nunc, diſputationis cauſſâ, tamquam exploratum ponimus, votum illud pueri ſano ab eo conſilio, nec puerili ratione factum fuiſſe. Illud præterea in hac cauſſa conceditur à patre non fuiſſe ante decimum quartum annũ irritatum. 5.

Quæritur, num perducto iam adoleſcente ad annum decimum octauum, poſſit eius votum etiam nunc à patre irritum fieri. Caietanus, in 2.2. quæſt. 189. art. 5. ſentit irritari poſſe, niſi poſt annos pubertatis confirmatum fuerit à vouente filio: excipit tamen ſollemne votum religionis; quod inficiatur irritari poſſe à patre poſt pubertatẽ, ſed intra annos dumtaxat pubertatis. In eamdem ſententiam Nauarrus deſcendit in Summa, cap. 12. num. 71. in eamdem labi videtur Angelus, in verbo, Votum, 2. §.6. & Syluester, in verbo, Votum, 4. num. 2. ſed reuera Syluester locum tractat valde Academicè, quod etiam facit Angelus.

Pro ſententia aduerſa argumentatur Sotus, in 7. lib. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. non longè ab extremo: nam falſum eſſe arbitratur auctoritate patris, votũ ſuſceptum à filio impubere ad nihil recidere poſſe, ſi intra tempus, quod pubertatem antecedit, non irritauit.

Huius opinionis hos ego reperi defenſores, Paludanum, in 4. diſt. 38. q. 4. art. 2. concl. 11. his verbis ſcribentem. 6.
» Vndecima concluſio eſt dubia: ſi impubes filius familiâs intrat religionem emittens votum ſimplex, vel ſollemne, patre inſcio, vel inuito, & ipſo retrahente ante annum, & diem; an puer poſt pubertatem, quando poteſt, inuito patre intrare teneatur: & videtur quòd non. Numerorum 30. Patre irritante votum puellæ in puellari ætate, ipſa amodò voti non tenetur. Thomas contra.

Ex quo habuit vſum perfectum liberi arbitrij, quo ad Deum, eſt obligatus: id autem

tem

tem intelligitur vel in puella non habente vſum rationis, vel durante puellari ætate. Vnde & coniunx retractus ab alio ad ſæculum coniuge mortuo, tenetur redire: & ſimiliter ſeruus retractus à Domino poſt votum, ſi factus eſt liber, tenetur re-
» dire. Innocentius, in cap. ſcripturæ, de vo-
» to, ait: Impubes, ſi doli capax ſit, & fece-
» rit votum abſtinentiæ, peregrinationis,
» vel aliud, debet illud adimplere, poſtquã
» paternam poteſtatem exiuerit: quia ſe
» obligauit DEO, quod potuit: ſicut per
» delictum ſe obligat diabolo. Tamen cum
» talibus facilè eſt diſpenſandum, & com-
» mutandum: cùm, licèt in aliquo ſint doli
» capaces, tamen non multa cognoſcunt,
» cùm ſint inexperti.

7. Innocentij ſententiam tamquam Innocentij recitat, neque improbat Oſtienſis, explanãs, cap. ſcripturæ, de voto, num. 7. ſtat quoque ab Innocentio, Ioannes Andr. in idem cap. num. 7. & Panormitanus in idem, Innocentij opinionem tutioré ait. Stat Tabiena, in verbo, Votum, tit. 4. num. 5. & 6. vbi de re diſputat copiosè, identidem repetens, quod tradit Paludanus & Innocentius: ſtat Roſella, in verbo, Votum, 2. nu. 13. ſtat etiã Angelus, in verbo, Votum, num. 13. vbi conſtantiùs locutus eſt quàm antea. Stat Gabriel Biel, in 4. ſentent. diſt. 38. quæſt. 1. litteræ X. vbi citat Angelum. Necnon il-
» lud ponit Gabriel. Cùm impubes votum
» ſuum ad illud tempus delegat, quo ſui iu-
» ris erit, à patre abiudicari non poſſe, ſed
» rem voto promiſſam præſtari à filio omni-
» no oportere.

Id quod aſſertione approbãt hi omnes, Angelus citato loco, Syluester, in verbo, Religio, 2. §. 15. citans Hugonem, Innocentium & Oſtienſem. Denique Caietanus, in 2. 2. quæſt. 88. art. 8. §. Ad hoc dicitur: his enim verbis in ſuo Commenta-
» rio. Aduerte, quòd ſi perſona ſubdita vo-
» ueret nunc aliquid, non pro nunc, ſed pro
» tempore, quo illud erit ſuum, quòd vo-
» tum tale eſt firmum: adeo, quòd non po-
» teſt à Superiore irritari: v. g. vxor nouit ieiunare, quando erit vidua: & ſic de aliis: & ratio eſt: quia res promittitur pro illo tempore, quo non erit in poteſtate Superioris.

Neque ego aliam ſententiam, ſeu opinionem, quàm hanc, affirmare poſſum.

QVÆSTIO VIII.

SAcerdos, in religioſam, ſacrámque familiam cooptatus, nepté habuit vtroque orbatam parente: Hanc propè decemnem, in monachorum domicilium, vbi viuebat ipſe, monachi toga amictam ſeducit. 1.

Puellam cœnobiarcha, reliquúſque ſodalium cœtus puerum eſſe arbitratur: ea muneribus iis omnibus, quæ tyronum propria, ac legitima ſunt, perfuncta, ſex & decem annos nata vnà cum nonnullis aliis tyronibus tria ſollemnia religionis vota nuncupat.

Poſt profeſſionem patruus de collocanda in matrimonium virgine, ſi modò in illo ſodalitio virginitatem ei tueri licuit ſuam, cogitat. Quid multa? de illo virorum cœtu educta puella matrimonio iungitur, iis obſeruatis, quæ Tridentinum Concilium in contrahendis matrimoniis ſeruanda eſſe decernit.

Hoc de toto genere quid ſentiré ipſe, & num religionis vinculis puella eſſet adſtricta, & num fœderibus nuptiarum vincula religionis rupta eſſent, in primaria quadam Italiæ ciuitate ſum obnixè rogatus. Quæ autem tunc mihi dixiſſe videor, nunc libens iterabo.

Primùm affirmaui, iterúmque affirmo, ambos, id eſt, neptem & patruum, ob ſacrilegum in monaſteriũ virorum ingreſſum excommunicationis cenſurã ſubiiſſe, cuius abſolutio eſt Romano Pontifici reſeruata: illud item ſecundo loco dicere potui, quod mihi ſatis exploratè perceptum erat, ſi adoleſcentulæ profeſſio fuit vera ac rata, irritum nullúmque fuiſſe contractum matrimonij: quòd ſi hoc ratum fuit, illam nullam extitiſſe. 2.

Verùm,

Digitized by Google

Verùm, quod in hac cauſſa tertiũ erat, atque præcipuum, eo tempore differere malui quàm iudicare, valuiſſetue ea profeſſio. Etenim cùm animaduerterem, non vulgares Doctores in magna varietate ac diſſenſione conſtitutos eſſe, vt paulo pòſt intelligetur, malui rei difficultatẽ, quàm meam opinionem, proponere. Verùm nunc, cùm aliorum ſententias annumeraro, quid mihi ad veritatem propiùs videatur accedere, nonnullis breuibúſque enunciatis enodabo.

3. D. Antoninus, in 3. p. tit. 16. cap. 5. ante §. 1. defendit valere profeſſionem viri, qui mentito ſexu profitetur in religione monialium; & mulieris, quæ ſimulato ſexu profeſſionem emittit in religione virorũ; eiuſdémque ſententiæ comites profert Franciſcum Zabarellam & Bartolum Brixianum. Syluester, in verbo, Religio, tit. 3. §. Seu, quæſt. 9. ſequitur eamdem ſententiam; citátque Archidiaconum, Bartolum Brixienſem & Zabarellã, vúltque, virum, in religione virorum; mulierem, in ſacrarum mulierum ſodalitio ad obſeruandam profeſſionem & regularem, vitam, cogi debere; teneríque ad eamdem religionem, non quidem in ſexu, ſed in ſpecie, ſiue in genere: dummodo in vouente intentio fuerit profitendi; licèt non fuerit ſeruandi profeſſionem. Nam, vt rectè ſentit Palud. in 4. ſent. diſt. 26. quæſt. 3. art. 2. quem alij ſequuntur, Sola obligatio ad vota, non impletio, verba ſunt Paludani, eſt de eſſentia religionis: nam, qui vult religioſus eſſe, ſed malus, intendit, inquit Paludanus, ſe obligare ad vota; licèt non intendat ſoluere, quod promittit.

Angelus, in verbo, Profeſſio, §. 3. Ioannes Tabienſis, & Armilla eod. tit. & Panormitanus, in cap. inſinuante, qui clerici vel vouentes, huius opinionis videntur patroni. Quærunt enim, vtrùm fœmina profitens religionem maſculorum in manibus ipſorum verè efficiatur religioſa: & reſpondent effici. Archidiaconus, in cap. quod interrogaſti, diſt. 27. commentarij ſui, num. 6. pimam probat ſententiam, quamuis in contrariam non paucos iiſſe affirmat. In hac prima acie doctorum eſt item ſpeculator lib. 4. particula 3. de ſtatu monachorum, num. 4. quæſtiuncula 38. propter can. quod interrogaſti, diſtin. 27. idem eſt in Gloſſa Bernardi, ad cap. 3. de regul. citari etiam ſolent Decretales, ex parte, de conuerſione coniug. vt clerici, de regular. & quod interrogaſti, d. 27.

Contra pugnant hi omnes, Gloſſa, in cap. tuarum, de priuilegiis: nam ait, eum, qui ſic profitetur, non eſſe compellendũ ad monachatum, ſed puniendum exilio. 4.
Hugo putauit, vt recitat Archidiaconus, eum, qui ita ſcelerate vouiſſet, monachũ non eſſe, ſed in Monaſterium retrudendùm, tum ad Eccleſię diſciplinam conſeruandam; tum ad præcidendam ceteris peccãdi licentiam; tum propter fraudem & dolum, qui nemini debet eſſe emolumento; & ob delictum, quo monaſterio illuſit. Non aliam opinionem affingit Bartolo Brixiano præpoſitus, in cap. quod interrogaſti, diſtin. 27. num. 13. ſui Commentarij. Idem credit Ioan. Andr. quando emiſit profeſſionẽ expreſſam. Oſtienſis, non cogendum ad regularium vitam, ſed exilio aliâve pœna mulctandum. Geminianus multiplici diſtinctione ad hunc modũ rem conficit. Si, verbi cauſſa, puella, de qua diſceptatur, expreſsè profeſſa eſt, ex qua profeſſione obligationẽ dumtaxat contrahere volebat cum eo ſodalitio, in quo profitebatur, nullum ortum eſt vinculum; quia nec maſculi in monaſteriis feminarum, nec feminæ in monaſteriis marium profiteri poſſunt, 18. q. 2. cap. definimus: profeſſio enim facta in monaſterio, quod vouentem recipere nõ poteſt, non obligat profitentem; idque probari putat ex Gloſſa, in cap. vnicum, de religioſis domibus, in verbo, Receptio, lib. 6. eſſet tamen digna pœna plectenda. Quòd ſi apparet, ad inſtitutum, vitæque religioſæ ſtatum migrare voluiſſe, tunc religioſa cenſenda foret; & regularis diſciplinæ vinculis conſtringenda.

In

In quo cum Ioanne Andr. ſentire ſe profitetur. Quòd ſi non expreſsè profeſſa eſt, ſed habitum tantùm religioſum ſumpſit, non eam exiſtimat monacham; ſed nihilominùs ad vitam monachicam ex ſententia Hugonis poſſe compelli.

Ad hanc ipſam Geminiani opinionem propendere videtur Præpoſitus in cap. Quod interrogaſti, diſt.27. diſputationis ſuæ num.13.

5. Sequitur, vt, quod polliciti ſumus, ſententiam noſtram enunciatis paucis explicemus.

Primum enunciatum. Harum omnium ſententiarum primæ libentiùs aſſentior; quæ ſit tutior, & ſacrorũ Canonum, qui profeſſioni magnopere fauent, religioni magis conſentanea.

Secundum. Si, quemadmodum puella ſimulauit ſexum, ſimulauit item profeſſionem, verè, & coram DEO non eſt profeſſa: quare ratum eſſet coram Deo matrimonium.

Tertium. Si ſex ab hinc annos contra Clementis VIII. interdictum recepta eſt, ac vouit in eo ſodalitio virorum, nulla fuit receptio, nullum votum: quare legitimè nubere potuit.

Quartum. Si ante Clementis VIII. vetitum, ex animo profeſſa eſt adoleſcens, non vitioſa, & irrita videtur fuiſſe profeſſio: neque Canon ſeptimæ Synodi, definimus, 18. q.7. irritat eiuſmodi profeſſionem; ſed conuictum tantùm, & in eodem cœnobio prohibet virorum ac mulierum manſionem, vt rectè primę opinionis defenſores reſpondent.

Nec refert, fueritne excommunicata puella, dum profitebatur. Primùm, quia ſicut excommunicatio non vitiat matrimonium carnale, ita nec ſpirituale, hoc eſt, profeſſionem. Deinde, quia excommunicatio erat occulta: ita non nocebat huic ſpirituali contractui, ſicut nec contractibus, actiſque ciuilibus. Hoc mihi videtur Paulo Comitolo, ſalua ſemper, &c.

* * *

QVÆSTIO IX.

Androgynus, id eſt, virili ac muliebri ſexu præditus, fœmineum ſexum dumtaxat præ ſe gerens, in quo tamen audio viri naturam ac ſexum magis valuiſſe, ſacrarum virginum ſodalitiũ optat; in quo vota nũcupat religionis ſollemnia: vitámque viuit illic impuriſſimam, modò hanc modò illam iniens monialem, tamquam ſacrilegus admiſſarius. 1.

Mittitur ab Epiſcopo ſacerdos, qui ſacras monialium confeſſiones arcano excipiat. Hæ, dum ſua peccata confitentur, immania etiam ſacrilegia cum Hermaphrodito admiſſa retegunt: illa quoque Androgynus Sacerdoti patefacit.

Hic, quæ partes ſuæ eſſent, Sacerdos poſtulauit. Reſpondi eas fuiſſe, quæ ſunt per incuriam, ſiue inſcitiam ab eo prætermiſſæ.

Primùm enim circumſpecti, ac ſemidocti erat Sacerdotis in re tam ardua cunctari; nihil ſuo iudicio ſtatuere; ſapientiores conſulere. Ab ſede quoque Apoſtolica ſententiam expectare. Deinde, ſubtiliter percunctando Androgyni mẽtem elicere debebat; quo tempore ad ſacrum illud virginum ſe contulit ſodalitium: nam, ſi vt inceſto flagitio illud pollueret, præter mortiferam noxiam, perquam veriſimile eſt excommunicationis pœnam ex Gregorij XIII. conſtitutione incurriſſe. Namque, viro potiùs quàm mulieri, monialium ingredi monaſteria, niſi ob rem iuſtam ac neceſſariam, nullomodo licet. Verùm, ſi non perdita mente, ſed bona fide illi ſe ſodalitati adiunxit, vt ſanctè & caſtè famularetur Deo: neque ad ſe vlla ratione Gregorianam legem pertinere arbitratus eſt, extra culpam & pœnam eſſe credendus erat. Poſtremò, vt mea fert opinio, admonendus erat, atque etiam cogendus, vt religioſis virilibúſque veſtibus indutus in virorum contubernio reliquã vitam traduceret: id ſi recuſarẽt, abſolutionis beneficio careret. 2.

4. Quærat quiſpiam, ſi in hoc Androgyno, aut vterque ſexus par fuiſſet, aut muliebris ſuperaſſet, quid conſilij capiendum erat.

Reſpondeo, in muliebri conuentu relinquendum. Sicut enim Hermaphroditus, cùm in eo maior vis eſt maris quàm feminæ, ſi connubium petit, tamquam vir petere debet; &, ſi maior ſit vis feminæ, tamquam femina nubit; quòd ſi ambo ſint ſexus æquales, vtitur ſuo arbitrio in altero coniuge eligendo. Quæ omnia diſcere potes ex ſummarum ſcriptoribus, in verbo, Hermaphroditus: ita non ſecus iudicandum eſt de matrimonio ſpirituali, ſeu de ſtatu regulari.

Quamquam hoc hominũ genus propter periculum ius ſuadet eſſe à ſacris DEóque deuotis familiis arcendum. Salua ſemper meliore ſententia.

QVÆSTIO X.

1. DOminicus Grinus, homo ſingulari ingenio ac diſciplina, rebus omnibus ornatiſſimus, mihique neceſſitudine ſumma coniunctus, ciuitatis Bellunenſis Canonicus, & in primario eiuſdem ciuitatis templo ſacrarũ literarum interpres, ad me Venetias miſit, vt ſibi de hoc genere voti, quod mox ſubiiciam, reſponderem: litteræ ad me ſunt perlatæ Ferrariam.

Eſt autem votum huiuſmodi: Commune ruſticum vouit menſe Iulio cunctis diebus Veneris, *di non lauorare*, id ſic interpretor, vel ab opere ſe ceſſaturum, vel opus ruſticum haudquaquam facturum. Qui nunc viuunt poſteri, cauſſam nuncupati voti ignorant: putant autem grauiorem aliquam ſuis maioribus eo menſe calamitatem inuectam ad hanc voti religionem eos adduxiſſe: Qui ſuperſtites ſunt ruſtici, in voti religione perſeuerant: ſunt tamen nonnulli, qui domi opus exercent: alij, qui operis ruſtici cauſſa aliò ſe conferunt: quidam rei diuinæ interſunt; alij non interſunt. Heri, quòd ſui ruſtici otientur per eos dies, ægrè ferunt: ſequitur enim, vt ad cauponas ac tabernas vinarias itent, atque interdum magno ſit agris malo operis ruſtici intermiſſio.

Quattuor in hoc genere quæſita ſunt. Primùm, vtrùmne votum obſtringat eos, qui nunc in terris morantur, ruſticos homines. Secundum, ſintne mortiferæ culpæ rei, ſi diebus Veneris menſis Iulij ſacrificanti Sacerdoti non adſint. Tertium, num ij, qui vel in alieno rure, vel domi ſuæ ruſtica, & non liberalia opera adminiſtrant, ſint eidem culpæ affines. Quartum, poſſitne Epiſcopus votũ huiuſmodi diſpenſare, aut in opus aliud ſiue perpetuum, ſiue certi temporis commutare: & cuiuſmodi illud deberet eſſe opus.

Huius quæſtionis cardo eſt illud primum caput, obligentúrne voto, qui nunc 2.
extant villæ incolæ. De quo, ac de ceteris capitibus his paucis & breuibus propoſitionibus mea fuit explicata ſententia.

Prima propoſitio. Votum, de quo diſputatur, non potuit adſtringere poſteros ſine eorum aſſenſu: quia perſonale eſt; votum autem huiuſmodi ab eo, qui facit, ad alium ſine eius aſſenſu tranſmitti non poteſt. Secunda propoſitio. Si poſteri aut tacitè aut expreſsè ſunt voto aſſenſi, illo tenentur. Tertia. Vnuſquiſque credendus eſt maiorum votum eo modo probaſſe, quo illud ſeruat. Quarta, Qui aut in ſuis domibus, aut in alienis villis opus exercent ſeruile, vel ruſticum, & qui rem diuinam omittunt, putandi ſunt noluiſſe religioſiùs votum ſeruare; ita nec criminis inſimulandi eſſent, illud tamen minimè effugerent, ſi earum rerum libertatem ſemel aſſentiendo voto, ſibi præcidiſſent. Quinta. Votum ex ea parte, quatenus ius dominorum lædit, & agro alieno colendo obeſt, ſeruari non debet. Sexta. Hos ruſticos ſatius eſſet liberare voto, aliquo meliore onere iis iniuncto, quàm voto periculoſo & ancipiti illos ipſos implicatos tenere. Septima. Sentiũt

graues Doctores Epiſcopis in omni votorum genere, quæ ſibi Romanus Pontifex non reſeruat, ius eſſe diſpenſandi, & ea commutandi.

3. Cùm igitur hoc, de quo controuertitur, non ſit ex eorum numero, quæ ad ſolius Romani Pontificis pertinent poteſtatem; poſſet, ac deberet Epiſcopus ruſticanam hanc multitudinem ad ſuas arationes & agricolationes reuocare, voti religione his Chriſtianis officiis commutata. Vt feſtis diebus, qui in menſem Iuliū incidunt, compotationes & ſaltationes vitent omnino. Vt quater in anno de ſuis peccatis apud Sacerdotem confiteantur. Quæ commutationis lex iis tantùm dicta intelligatur, qui maiorum ſuorum votum receperunt, non iis, qui aut ob infirmitatem iudicij, vel ætatis recipere non potuerūt; neque iis, qui deinceps naſcentur.

Scio, D. Thomam, eorū votorum, quæ perpetuitatem habent, diſpenſationem ac commutationem ſoli Pontifici Romano tradere, in 4. ſent. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. & in 2. 2. quæſt. 189. art. 7. Verùm D. Antoninus, in 2. part. ſuæ ſummæ, tit. 10. cap. 2. §. 9. notab. 4. & Syluest. in verbo, Votum, 4. quæſt. 3. dicto 6. in Diui Thomæ familia auctores minimè obſcuri, vt diui huius ſententiā cum aliorum ſenſu coniungant, dixerunt, S. Doctorem de votis perpetuis religionis, & continentiæ locutum eſſe. Quæ mihi interpretatio minùs apposita, & vera videri ſolet.

Namque, in 2. 2. quæſt. 189. artic. 7. vbi „ ſcribit S. Thom. In votis perpetuis ſolùm „ Pontificem Romanum diſpenſare, de voto diſſerit Epiſcoporum, quo diuinis obſequiis, & animarum curæ in perpetuum addicuntur; quam ſine auctoritate Romani Pontificis deſerere non poſſunt ex Can. licet, de regular.

4. Mihi duplex dicendi ratio probabilior venit in mentem. Prior eſt hæc. Vt Diuus Thomas de votis ſenſerit, quæ obligationem habent nullo tempore interruptam; ex quo genere ſunt vota religionis, continentiæ & curæ Paſtoralis, nō item votum ieiunādi diebus Veneris, ſeptem Pſalmos ſemel in hebdomada recitandi; ter eleemoſynam largiendi, octauo quôque die de ſuis peccatis confitendi.

Poſterior ratio eſt. Vt idem Doctor vota intellexerit, quæ ſunt in maioribus, non minoribus numeranda. Nam, in 2. 2. quæſt. 88. artic. 12. ad 3. perſpicuis verbis docuit; in votis maioribus, vt ſunt continentiæ, terræ ſanctæ, ſolum Papam diſpenſare: in aliis autem, vt ſunt ieiuniorū, peregrinationis, Epiſcopum: neque ieiunia perpetua à non perpetuis diſtinxit: nec ſecus locutus videtur, in 4. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2.

QVÆSTIO XI.

N. Cùm eius vxor periculosè ægrotaret, vouit ſe ad ædem Lauretanam religionis ergô profecturum; argenteam imaginem miſſurum; ſacellum in templo inædificaturum; duodecim pauperibus veſtes & cibaria ſemel præbiturum. N. deceſſit horum votorū nullo perſoluto. 1.

Quærunt heredes quid pro iis votis præſtari oporteat. Reſpondi, duodecim egentes cibo & amictu, induendos, ſemélque alendos eſſe; imaginem argento cælatam mittendam eſſe; ædiculam extruendā: pro peregrinatione verò, quam N. ſuſcepturus erat, & pro ſumptibus, quos in itinere feciſſet, nihil debere heredes: propterea quòd votum, quod teſtatoris perſonam attingit, dicitúrque perſonale, heredibus non tranſmittitur: tranſmittuntur ea, quæ realia vocantur; & quæ cum rebus ipſis copulata ſunt.

Harum rerum explicatarum ratio haud noſtra eſt, ſed horum minimè leuium autorum. D. Anton. in 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 5. Syluestri, in verbo, Hereditas, 3. quæſt. 10. Angeli, in verbo, Votum, 3. num. 8. Ioannis Tab. verbo, eodem, 3. num. 7. Armillæ, in verbo, Votum, num. 24. Nauarri, in Summa, c. 12. num. 56. quorum omnium

Doctorum ingenio & doctrina princeps eſt Petrus Paludanus, in 4. ſenten. diſt. 38. q. 3. art. 3. à quo de heredum officiis diſputante, eſt totus hic locus his quinque concluſionibus pertractatus: quas omnes hic auctoris verbis adſcribam.

2\. De herede ſunt quinque cõcluſiones. Prima. Quòd ſi eſt votum tantùm reale, vt fundandi monaſterium, vel dandi tantùm pro Deo, aut oblationem mittendi, aut tot armatos vltra mare, tunc heres tenetur, ſicut in aliis debitis. Secunda eſt, quòd ſi eſt tantùm perſonale, vt ieiunare, continere, vel crucẽ ſuſcipere, & ire vltra mare; heres non tenetur, niſi ſponte ſe obligauerit; ſiue ſit filius, ſiue extraneus. extra eod. licet. Tertia. Quòd ſi vtrumque eſt reale & perſonale; & vtrumque expreſſum, tunc tenetur ad reale: vt ſi nouit ire ad Sanctum Iacobum, & offerre vnum equum; heres non tenetur ire, ſed equum mittere: ſimiliter, ſi fundare monaſterium, & intrare; non tenetur intrare, ſed fundare. Quarta eſt, quòd quando votum eſt perſonale & reale, ſed perſonale eſt principaliter expreſſum, reale tacitum, & acceſſorium; vt ire ad S. Iacobum: non tenetur heres, expenſas, quas ille feciſſet eundo, ſtando, offerendo, redeundo, dare, ſicut nec ire. Et, ſi vouit intrare religionem, non tenetur bona dare; quia ſublato principali, ſummouetur acceſſorium. Similiter, ſi ſuſceperat defunctus crucem; non propter hoc tenetur heres illuc mittere expenſas, quas ille facturus erat, niſi ipſe hoc ordinauerit. Quinta eſt. Quòd perſonale intelligitur à perſona ſua, non aliena: vnde ſi ipſe vouit perſonas certas mittere vltra mare, reputatur votum reale: & ad illud heres tenetur: ſicut ſecundùm ius ciuile tenetur implere pollicitationem factam Reipub. à prædeceſſore.

Hæc Paludanus; quæ cùm à nemine refellantur, ſed approbentur ab omnibus, ſunt perquàm memoria & cognitione digna.

QVÆSTIO XII.

NQuum communem ceterorum hominum vitam ageret, multa diuerſaque vota nuncupauit: is tandem, in Diui Benedicti familiam cooptari ſe voluit; in eáque eſt ſollemni ritu religionem profeſſus. 1.

Quæritur, num voto ſollemni religionis reliqua omnia in ſuperiore vita ſuſcepta euanuerint.

Duplex eſt in hac quęſtione modus dicendi. Vnus Richardi, alter D. Thomæ. Richardus, in 4. ſent. d. 38. art. 3. q. 2. vtitur in explicanda quæſtione, hac diſtinctione; Aut is, qui vouit in ſæculo quidpiam, actualiter vel habitualiter intendit eo voto ampliùs nõ teneri; ita liberatur profitendo: Aut intendit teneri; ſic non liberatur: liberari tamen poteſt à ſuo Prælato.

Diſtinctionem hanc amplectitur Angelus, in verbo, Votum, 4. §. 2. ſed Diuus Thomas magis præcisè, ac Theologicè, probat eiuſmodi votorum obligationem in ipſa profeſſione prorſus deleri. Vide illum in 4. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 4. in corpore, & in 2. 2. quæſt. 88. art. 12. ad 1. & q. 185. art. 8. ad 2. & 189. art. 3. ad 3. in qua, & quæſt. 88. profert Alexandri III. Decretalem, ſcripturæ, de voto & voti redemptione.

Diui Thomæ rationes ſunt tres. Prima. Qui moritur priori vitæ, non tenetur ad ea ad quæ tenebatur in illa vita. Secunda. Quia quodlibet votum in ſæculo emiſſum, continetur in voto religionis, ſicut particulare in vniuerſali. Tertia. Quia ſingulares obſeruantiæ non conueniunt ſtatui religioſo. 2.

Ob primam rationem inquit Caietanus, in 2. 2. q. 88. artic. 12. ipſo iure omnia vota in ſæculo facta ſpirant in profeſſione. Sotus, in 7. lib. de iuſt. & iur. quæſt. 4. art. 3. vult eiuſmodi vota extingui auctoritate Eccleſiæ ob illam Decretalem Alexandri. Paludanus idem, quod D. Thom. nam in 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 1. concl. 6. negat

negat requiri auctoritatem ſuperioris irritantis;in cuius manu fit profeſſio: nam per ſolutionem & impletionem fieri ait ſuperiorum votorum liberationem.

Diſputat hac de re diligenter Gabriel in 4.diſt.38.q.1.art.5.dub.2.litt.aa. opinionémque D.Thomæ ait eſſe communem, & iure firmatam.

Hanc ipſam ſequitur Maior in 4.diſt. " 38.q.3.§. Tertio arguitur: quia quolibet voto melius eſt votum religionis;& argumentatur ex cap.ſcripturæ. D.Thomæ & Paludano prorſus aſſentitur D. Antoninus in 2.par.tit.11. cap.2.§.8. & Syluester in verbo,Votum 5.q.7.

Opinio D.Thomæ eſt ſimpliciter vera & retinenda: in quam pedarij cucurriſſe videntur omnes Principes canonum interpretes,explanantes caput,ſcripturæ de voto, & voti redemptione. Innocentius enim commentarij ſui primis verbis ſcribit hoc pacto. Hoc credimus ſine diſpen- " ſatione: ſed tutius eſt, vt diſpenſetur. " Vniuſcuiuſque autem ſentẽtia in eo ſpe- " ctatur, quod credit.

Innocentij dicto adſtipulantur Oſtienſis ſui commentarij, nu.2. Panormit.eod. num.Ioannes Andr.& Antonius Butrius, in calce commentarij.

QVÆSTIO XIII.

1\. QVam paro quæſtionem,abiicere cogitaram.Nunc ipſum egregij ſodalis contentione perfectum eſt;vt, quod animum induxerim, non tenuerim; ſed,vt gratum ei facerem,in hoc primum volumen conieecerim.

A nonnullo enim acriter decertatum eſt,eum,qui peregrinationis votum ſuſcipit; eiúſque voti commutationem petit, in commutandi ratione non totius itineris ſumptus numerandos eſſe, ſed eos dumtaxat,quos eundo,non item redeundo feciſſet,ob eam rem vnam,quòd, qui verbi cauſſa peregrinationem vouet Lauretanam, cùm ad illam ſacram ædem acceſſit,religioſéque ſalutauit,votum ſoluit. redire verò,ſeu aliò iter inſtituere,eſt vouenti liberum.

Hac vna ratione victi tres recentes auctores,duo Theologi,& tertius nõ Theologus, qui de Chriſtiani hominis officiis ſcripſit, manus dederunt.

At mihi contraria ſententia adeo vera 2. eſt,vt nulla eam ratio mouere poſſit. Eſt enim Pontificio reſponſo ac iure minimè dubio,eſt communi Doctorum decreto, eſt denique firma ratione ſubnixa.

De Pontificio reſponſo dubitarit nemo,qui Innocentij III. Decretalem, magnæ deuotionis, de voto, & voti redemptione,quaſi per tranſennam ſtrictim adſpexerit.

Namque Pontif. Romanus Trecenſis Eccleſiæ Epiſcopo de ſui voti religione conſulenti reſpondet. Hic enim Epiſcopus, cùm Eccleſiam ſuam in ditione Comitis Campaniæ ſitam haberet, eiúſque iura afflicta, & protritam iuriſdictionem cerneret; ad Comitem, qui in Hieroſolymitana commorabatur regione, tranſnauigare ſtatuit.Quamquam priùs in iis terris moritur Comes,quàm iter ingrediatur Epiſcopus:qui cùm ſciret ſuæ Diœceſeos cauſſa voti ſponſione ſe DEO obligaſſe, ſatius eſſe ratus eſt itinere ſuperſedere, quàm reclamante plebe, cui præerat, & ſpe publici commodi extincta illud conficere. Itaque Romam ad Innocentium III. contendit,de ſui voti religione deliberaturus.

Pontifex de tota cauſſa à Trecenſi Epiſcopo doctus hæc omnia cẽſuit.Primum, fortaſſe illum non debuiſſe ſuo populo non conſentiente eiuſmodi votum facere. Deinde, Non ei licuiſſe ſine Romani Pontificis venia ſe voto peregrinationis obſtringere. Poſtremò,voti cauſſa ſublata, faciliùs ceſſare potuiſſe effectum. Nihilominus voti religione retenta, ob viri canitiem, & ſeneſcentis ætatis imbecillitatem,quæ viarum incommoda, & labores perpeti nequiret, peregrinationem, quam vouerat, hac ratione, hiſque ipſis

» verbis commutauit. Tibi pro te,& famu-
» lis tuis licentiam concedimus votum pe-
» regrinationis taliter commutare ; vt ex-
» penſas, quas fueras in eundo, morando,
» & redeundo facturus,alicui religioſo cō-
» mittas in neceſſarios vſus terræ illius, ſine
» diminutione aliqua transferendas: labo-
» rem etiam laboribus recompenſes, ſolli-
» citiùs inſtando vigiliis, deuotiùs vacans
» orationibus, & in ieiuniis fortiùs te exer-
» cens.

3. Ad huius Innocentianæ conſtitutionis exemplum, & normam cæterorum votorum,quæ itineris ſumptus habent adiunctos, commutationes dirigendas eſſe, & Pōtificij iuris graues interpretes,ac Theologi haud paullò meliores& doctiores, quàm illi duo ſuperiores, perſuadent.

Quare Oſtienſis in ſacrorū Canonum explanatione penè princeps his ſententiis errori occurrit eorum,qui in commutandis votis labi facilè poſſunt.In eundo,morando, & redeundo hæc tria tempora in redemptione votorum ſunt regulariter conſideranda; ſicut etiam aliàs conſiderantur, cùm aliquis condemnatur in expenſis. Hæc ille in cap. magnæ, de voto, & voti redempt. §. Cum igitur, fermè in extremo,& in ſumma, eod.tit. §. qualiter vnius. In voto inquit peregrinationis ſic facienda eſt redemptio, vt expenſæ, quæ fierent in eundo,morando,redeundo,ad alias pias cauſſas erogentur;vtitúrque auctoritate Decretalis. Magna.

Eamdem ſententiam expreſſit Antonius Butrius,in eamdem Decretalem cōmentarij ſui, num. 6. eamdem probauit Ancharanus in eamdem Decretalem nu.
» 10. cùm ſcripſit. In votorum commuta-
» tione generaliter rationem habendā eſſe
» expenſarum itineris in eundo, ſtando,&
» redeundo.

4. In Theologis, eiuſdem ſententiæ patronos habemus Paludanum in 4.ſenten. diſt.33.q4.artic.3. concl.1. qui auctoritate & doctrina,iis omnibus qui ſecus ſentiūt, antecellit. D.Antoninum, in 2.par.ſummæ tit.11. cap.2.§.7. qui Paludanum nominat, & ſequitur. Angelum, in verbo, votum, ſect. 4. §.12. Roſellam in verbo, votum 5. num.6. qui cùm credere minimè vererentur Innocentij Decretalem æquiſſimam eſſe,eámque in omnes commutationes votorum valere,quæ impenſas itineris habent, non ſecus quàm ipſe Pontifex, pronunciare potuerunt.

Pontificiam autem legem ignoratam eſſe iis, qui contra opinati ſunt, aut verò diſſimulatam (nam apud illos eius nulla mentio) mirandum eſt. Quibus etiam ipſis aperta reſiſtit ratio: nam earum expenſarum eſt putanda ratio, quarum eſt cauſſa proxima votum:at votum peregrinandi Placentia Lauretum, eſt cauſſa expenſarum,quæ fient in eundo & redeundo: ergo vtraſque præſtari oportebit. Dices,liber eſt vouenti reditus:ergo reditus expenſæ negligendæ ſunt cōmutanti votum. Conſecutio nulla.Nam etiam vadēs poteſt ſecum ferre cibaria,& cauponum lucella fallere: verùm, ſi non ferat, theca nummaria damnum ſentiat neceſſe eſt. Neque auctori commutationis cogitandum eſt quid vouens facere potuiſſet,ſed quid re ipſa feciſſet.

Eòdem accedit,quòd commutationes votorum,quæ ſacræ ſunt, & à ſacra iuriſdictione pendent, ad canones commutationum ciuilium haudquaquam exigendæ ſunt:has enim moderatur rerum ipſarum natura & æſtimatio:illas autem,commutantis in primis arbitrium ac poteſtas. Ad extremum, cùm redemptio voti & commutationis verbo magis quàm re interſit; vt Gabriel ait in 4. ſent.diſt.38.q.1. artic.5. in promptu eſt, vouenti peregrinationem profectionémve ad quempiam locum,omne præſtandum eſſe, quantum in toto itinere inſumpſiſſet: nam in redemptione id fieri debere tradūt omnes.

Nec quemquam adhuc inueni ex iis 5.
qui ante Ioſephum Angles,& quemdam alium recentem Theologum ſcripſerunt, qui, quod ipſi commenti ſunt, vel leuiter ſuſpicatus fuerit. Nec tranſuerſum vnguē ab hac ſententia Caietanum, Nauarrum,

&

Digitized by Google

& Medinam diſceſſiſſe intelliget, qui eorum dicta attentiùs conſiderarit. Si quidem Caietanus in ſumma, differés de ratione diſpenſandi in votis, in verbo, voti diſpenſatio, vult haberi rationem laborũ & expenſarum quas feciſſet peregrinaturus, hoc eſt, in peregrinatione: at peregrinari quis dicitur, non ſolùm cùm pergit ad quempiam locum peregrinum, verũetiam cùm ex eo ad ſuum domeſticũ reuertitur domicilium.

Nauarrus, in manuali, cap. 12. num. 77. palam oſtendit ſe de Angeli ſententia in hac quæſtione ſentire: illum enim comprobatorem ſui dicti dilaudat: conſtat autem Angelum ſenſiſſe, quod nos defendimus. Iam verò Medina lib. 1. Inſtitut. confeſſariorum, ſcribit, labores & ſumptus itineris æſtimandos eſſe: at eſt quis in itinere, & iter facit, nõ modò cùm quòpiam domo proficiſcitur, ſed etiam cùm domũ repetit ſuam. At enim ſatisfecit iam voto, qui peruenit quò vouerat. Hæc enim eorum eſt Hectorea ratio; quæ mihi viſa eſt perridicula: mihi enim venit in mentem antequam eos vidiſſem.

Aliud enim, eſt ſatisfacere voto, cui obligatio, ſiue genus ſiue quãtitatẽ ſpectes, iuris eſt naturalis, ac diuini, vt docet Theologi: aliud ſatisfacere expenſis, ſeu explere ſumptus, quos gignit votum: licèt eiuſmodi ſumptus, ſiue qualitatem ſiue quantitatem conſideres, ex hominis vouentis pendeat arbitrio. Obligationi voti ſatisfecit itione tantùm: ſumptuariis verò rationibus, ſiue neceſſariæ, ſiue arbitrariæ ſint, non ſatisfit ante reuerſionem; nam itu & reditu exhauriuntur.

Quocirca Ludouicus Lopez, in ſuo directorio tract. de voto, eorum, qui ſecus docuerunt, opinionem non ſatis tutam ſibi videri profeſſus eſt.

QVÆSTIO XIV.

1. MVlier nec proba, nec caſtitatẽ paſſa, quò licenter viuere poſſit, voto continentiæ cunctis nuptiis nuntium remittit.

Quæſitum eſt, an iuſtum illud fuerit votum. Conſultori videbatur iuſtum ac ratum; in quo turpiſſimè hallucinabatur. Propterea quòd votum, nec vinculũ eſſe poteſt, nec debet, iniquitatis, neque ſcelerate viuendi inſtrumentum.

Iſta autem mulier eò ſuum referebat votum, vt ſibi impunè peccare liceret, huc enim ſpectabat vitæ libertas coniugali ſeruitute non impedita. Quî autem potuit mulier ſic vouendo DEO ſe deuincire, cùm tunc nexu effecta ſit ſerua diaboli? An non votum eſt promiſſio rei, quæ accepta eſt Deo? an non eſt actus religionis? At votum illud fuit Deo inuiſum, & virtuti religionis omnino contrarium: ac ſicut irritum eſt iuſiurandum, quod bonis moribus repugnat, ſic irritum eſt votum, cùm motum bonorum diſciplinam euertit.

Itaque, nihil hæſitans, reſpondi nullum iſtud votum extitiſſe; nec ſecus de eo Caietanum in 2. 2. quæſt. 88. art. 3. in ſui commentarij §. ad quintum dubium, ſub dubitatione relictum, indicauiſſe. Sic enim eo in loco Caietanus. 2.

Ad ſecundum dubium ſub dubitatione relictum, in 38. diſt. 4. ſententiarum à Petro de Palude dicitur cum diſtinctione. Quòd aut mulier talis intendit verè votum emittere, & obligare ſe ad id, ad quod tale votum ex ſe natum eſt obligare, quamuis non intendat ſeruare caſtitatem, ſed luxurioſè viuere, & de carne continuè cogitare, & tale votum eſt obligatiuum: ſicut profeſſio illius, qui propter auaritiam & commoda luxuriæ veræ profeſſionis vinculum ſubiit, nihil intendendo obſeruare, ipſum obligat, vt ſuprà dictum eſt: aut mulier intendit ſe obligare ſolùm ad non nubendum, vt liberiùs malè faciat, credens hoc poſſe cadere ſub voto. & ſic, cùm finis ſit malus, & id, quod eſt ad finem, non ſit de genere bonum, quia finis libertas eſt peccandi, & materia, quæ eſt ad finem, eſt nõ nubere, quod

conſtat

conſtat non eſſe de genere ſuo bonum: clarè patet, quòd votum tale non eſt votum, ſed promiſſio de non impediendo malum, procedens ex errore ſupponentis hoc poſſe eſſe materiam voti. Vnde ad nihil obligat tale votum. Hæc totidem verbis Caietanus.

QVÆSTIO XV.

1. Mater filiam ſuam nuptiarum expertem amatoris compreſſu grauidam agnoſcit; è cuius partu tum filię, tum maximæ familiæ exiſtimationis naufragium proſpiciens, beatiſſimæ Virgini vouet, ſi priuſquam pariat, extinguatur filia, mille aureis nummis ſe beneficij gratiam remuneraturam.

Contrà vouet filia, niſi parentes, illi, è quo grauida erat, in matrimonium collocent, cuiuſuis alterius viri ſe nuptias repudiaturam: nam inter filiam & amatorem tum coniugij pactio, tum corporum commiſtio interceſſerat: probatiſſimus ſacerdos requirebat quid de vtroque voto iudicandum eſſet, atque è conſcientiæ iure ſtatuendum.

Meus hic ſenſus fuit. Matris votum nullum fuiſſe & impium. Filiæ, ratum atque honeſtum. Matris votum ſcelere inquinatum fuit, quia optationem habuit mortis tum filiæ tum prolis, quæ neceſſariò vnà cum matre in aluo extinguenda erat; perpetuámque miſeriam extra vterum ſubitura: quæ nullo modo optari poterant. Tantíque flagitij beatiſſimam Virginem cauſſam & effectricem eſſe & cupiebat & precabatur: id quod haud leue ſacrilegium fuit: non igitur votum, quod officium religionis eſt, ſed graue flagitiũ, religioni ſuapte natura maximè contrariũ illud matris votum exiſtimandum eſt.

2. Et, quia, vt ſcribit Richardus in 4. ſent. diſtinct. 38. artic. 1. qu. 1. votum magis pendet à fine quàm à materia; vt eodem auctore opus ad finem malum relatum eſt formaliter malum: matris votũ labem habet minimè obſcuram. Dicat quiſpiã: immo verò ſanctum & religioſum apparet votum. Quia nec in materia, nec in fine turpitudo verſatur: non in materia: quia remuneratio beneficij, & mille aureorum nummûm largitio bona eſt: neque finis eſt turpis & inhoneſtus: nam hic eſt infamiæ depulſio.

Reſpondeo, finem intrinſecum voti illud eſſe quod optatur, & à Deo, ſiue à ſanctis petitur: id autem quod offertur, eſſe materiam: quid petebat mater? vt moreretur filia: ergo mors filiæ per ſe terminabat votum: quamuis animus vouentis finem haberet vlteriorem, ad quem mortem filiæ referebat: qui finis vlterior, erat infamiæ liberatio: quem finem neceſſe eſt fuiſſe etiam flagitioſum: quia medio ſcelerato quærebatur. Ergo, quamuis infamiæ fuga bona per ſe ſit; tamen vt apta eſt è tali medio non bono, non poteſt eſſe bona.

Et in voti obligatione expendenda iam docuimus, in iis regulis, quas iuriiurando & voto præmuniuimus, ducendam eſſe rationem materiæ, & finis: & videndum, num res vtraque honeſta ſit. Et quia finis voti eſt acquiſitio rei, quæ vouentis animum ad vouendum impellit, videndum eſt; num eius adeptio medium honeſtum habeat: ſi enim habet, finis eſt honeſtus; ſi non habet, non eſt honeſtus. Mater autem vouens infamiæ liberationem cum interitu filiæ & prolis copulabat: nec ſolitariè illam à Deo, ſiue eius Matre, poſtulabat.

Iam verò de voto filiæ ſic cenſeo, ratum & honeſtum illud fuiſſe: quia nec materiam, nec finem prauum habet: non materiam: quia vitam ducere cœlibem, & extra matrimonium, perfectius eſt quàm nubere: non finem: quia optare nuptias cum eo qui eius pudicitiam violauit; & cum quo de iungendo coniugio conuentum erat, omni culpa vacabat; erátque via tutiſſima ad omne infamiæ periculum propulſandum. 3.

QVÆSTIO XVI.

1. Miles à profanæ militiæ ſacramento ad Chriſti merendā ſtipendia in aliquem religioſorum virorum ordinem migraturū ſe vouet: huius ſorores egeſtate conflictantur: ipſe eſt in ære creditorum.

Duo in hac cauſſæ diſputatione quæruntur: alterum, ſororúmne inopia: alterum, num æs alienum militem hunc voti ſponſione liberet.

De primo diſputat D. Thomas in 2.2. quæſt. poſtrema, artic. 6. & quodlib. 3. art. 16. & quodl. 10. art. 9. & in 4. ſent. diſt. 38. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 2. ad 2. Alex. Hal. in 3. par. q. 23. membr. 4. art. 2. in expoſitione 4. præcepti. Diuus igitur Thom. in 2.2. loco citato ſic ſcribit. Non licet alicui filios habenti religionem ingredi omnino prætermiſſa cura filiorum, id eſt, non prouiſo qualiter educari debeāt: dicitur enim 1. ad Timot. cap. 5. *Si quis ſuorum curam non habet, fidem abnegauit: & eſt infideli deterior:* neque largitur filiis idem D. Thomas, vt patrem vel matrem deſerere poſſint: dum eorum opera egent neceſſariò. Si verò, inquit, non ſint in tali neceſſitate, vt filiorum obſequio multùm indigeant, poſſunt, prętermiſſo parentum obſequio, filij religionem intrare, etiam contra parentum præceptum: quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in iis quæ ſunt diuini obſequij: & magis obtēperandum eſt patri ſpirituū, vt viuamus, quàm parentibus carnis, vt Apoſtolus dicit ad Hebr. cap. 12.

2. Hæc D. Thom. eamdémque doctrinā in quodlibetis citatis inculcat: præceptionem etiā adfert tum in quodlibetis, tum in 4. ſent. locis citatis, tanto Magiſtro dignam; quam item confirmat Alexander Halenſis, in loco iam memorato: eum, qui in profano conuictu expertem ſceleris vitam traducere non poteſt, ſalutem corporis parentum ſuæ animæ ſaluti anteferre non debere.

Ex quibus locis iudicata relinquitur militis cauſſa: ſi enim ſororibus conſulere alia ratione, & aliorum ope poteſt, ſatisfaciat Deo, ac promiſſo; ſi etiam in communi & profana vita ſine Dei inimicitia commorari non poteſt, relinquere ſorores debet, atque ad Chriſti religioſa vexilla conuolare. Verùm ſi ſororibus eſt ipſe planè neceſſarius; & in Dei amicitia interim permanere poteſt, in mundi caſtris tantiſper verſabitur, dum ſororum neceſſitatibus proſpectum erit.

Deinceps ambigebatur: num, propter æris alieni ſolutionem, voti dilationem trahere poſſit: de quo libellus editus eſt à Gerſone in alphabeto 39. is extat. Vbi hæ omnes propoſitiones ab eo defenſitātur. 3.

Prima propoſitio. Peccat is, qui poſt contractum æs alienum, religionem ingreditur; quamuis eius ingrediendæ votum ſuſceperit.

Secunda, ſi illo ingrediente religio quidpiam conſecuta fuerit, illud dandum erit creditoribus.

Tertia, ceſſione bonorum non extingui obligationem diſſoluendi æris alieni: quandoquidem ſe diſſoluturum eſſe, cùm ad meliorem fortunam deuolarit, iurat.

Quarta, quamuis profiteatur, non ſpoliari iure, & poteſtate acquirendi peculij, quo ſuis ſatisfieri poſſit creditoribus.

Quinta, poteſt ingredi religionē, cùm incerta ſunt nomina, vel debita.

Sexta, quamuis iuraſſet, centum ſe cuipiam daturum, religionis ingreſſum non impediri illo iureiurando: quia in melius commutat.

Septima, cùm prorſus non eſt ſoluendo, iudicis auctoritate ingredi poſſe religionem: nam eodem permittente cedere bonis poteſt. Hæc Pariſienſis Cancellarius.

Contrà verò D. Thomas & Paludanus, in quos ferè cæteri concedunt, pugnant, cùm quis ſuis bonis cedit, liberè in religioſum ordinem cooptari poſſe. Audi diuum Thomam in 2.2. q. extrema art. 6. ad 3. propter pecuniam enim perſona liberi hominis ſecundùm iura ciuilia non obligatur; ſed ſolùm res: quia perſona li- 4.

beri hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ:vnde licitè poteſt exhibitis rebus ſuis religionem intrare:nec tenetur in ſæculo remanere; vt procuret, vnde debitum reddat.

Neque verò à ſenſu diui Thomæ diſiunctus eſt Paludanus,in 4.ſent.diſtin.38. q.4.art.3. concl.3. vbi hæc omnia aſſeuerat. Primum, omnia vota commutari in votum religionis,& per profeſſioné ſolui. Secundum,nouitiú,voto perſonali,quod ſuſcepit, quale eſt ieiunij, ſolutum eſſe; reali non item,vt eleemoſynæ largiendæ. Tertium, per profeſſionem debita perſonalia extingui, realia in monaſterium transferri:quia inquit obligatur non vltra valorem bonorum,ſi ignorauit, vel inuétarium fecit: ſicut nec quicumque alius hæres:dico autem bonorum,quæ ad monaſterium venerunt:nam de reliquis ſufficit cedere actionem : nec compellitur monaſterium litigare.

Diui Thomę iudicio ſtat D.Antoninus in 3.par.tit.16.c.2.§.1. necnon Angelus, in verbo,religioſus,à num.6.ad 10.& Syluester in verbo, religio 2.qu.4. in qua citat D.Thomam,Paludanum &alios.Ioannes Tabienſis,in verbo,religio,num.12.citans & ſequens eoſdem duces.

5. Hoc ipſum conficere hac argumentatione poſſumus. Plus eſt ſuum corpus tradere vxori, quàm pecuniam creditori:ſed religio, ſi non ſit conſummatum matrimonium, corpus vnius coniugis adimit alteri, iam traditum: ergo multo magis poterit creditori pecuniam adimere ſibi tradendam à debitore.

Neque hanc noſtram partem deteriorem faciunt tria Gerſonis arguméta:quorum illud primum eſt.Publicis ratiociniis obnoxij ingredi monaſteria non poſſunt, niſi ſint iis expediti,vt apparet ex Decretali Gregorij magni in Regeſto,lib.7. quæ extat in epiſt.11.ad Epiſcopos Siciliæ: negátque ſe Gerſon intelligere diſcrimen inter obligationes,quæ cum ciuitate, ſeu Principe,& quæ cum aliis priuatis hominibus contrahuntur.

At ſi vtriuſque obligationis vim penitus Gerſon introſpexiſſet, permagna diſcrimina inueniſſet.

Primum. Obligatio publicorum ratiocinatorum , de qua eſt in illa Decretali Gregoriana,relata in canon.legem,diſ.53. perſonalis eſt;at pecuniaria eſt realis,multò quàm perſonalis, leuior.

Deinde illa, de qua loquitur Canon, publica eſt, & perpetua, vt ſentiunt Doctores:quia, ſi temporis eſſet definiti,non obiiceret religioni impedimentum:noſtri militis obligatio eſt priuata & caduca.neque tanti priuatum bonum fieri debet, quanti commune.

Poſtremò, obligationi publicorú munerum fauet meritò lex Eccleſiaſtica, priuatæ non item:idque propter religioſi ſtatus perfectionem ac dignitatem.

Secundum Gerſonis argumétum. Religio,æs alienum factum ab eo quem recipit,ſoluere debet:cur ergo ante ingreſſum non ſoluet is qui fecit?

Reſpondeo, quia religio eſt ſoluendo, is qui ingreditur, non eſt ſoluendo. Ad hæc, quia religio ſacrum ſtatum ſuum ob ſolutionem nominum amittere non poteſt:at is,qui propter eorumdem ſolutionem reſiſtit in ſæculo, poteſt amittere.

Tertium argumentum.Contraria opinio in illius ſententiæ incurrit erratum, quod Pariſiis condemnatum fuit: nam opinabantur quidam,quempiam qui vtilis futurus erat Reipublicæ,opibus ac bonis diuitum in aliqua Academia ali poſſe, vt ſacris diſciplinis erudiretur. 6.

Reſpondeo, genus cauſſæ damnatum Pariſiis, à noſtro eſſe quàm maximè diſiunctum. Illic de opera,quæ Theologicæ doctrinæ nauatur, agebatur: hîc de ſanctiſſimæ vitæ ſtatu complectendo:illic de opera præſtanda hominibus, & de ciuilibus muneribus obeundis: hîc de diuinis obſequiis,ac de ſacratiore ratione DEO famulandi:denique illic de homine,cuius erat opera & perſona vni alicui Principi, aut ciuitati oppignerata: hîc de homine, cuius omnis induſtria, & vita vni DEO deuoueri, & conſecrari debet, videlicet cunctorum Principum,& ciuitatum ſummo

mo Principi, ac præpotenti Domino, atque Rectori.

Ratus ſum operæ pretium eſſe verbis Turrecrematæ totam hanc diſceptationem claudere. Sic igitur ille canonem interpretans, legem, diſt. 53. de iis diſſerens, qui ſunt publicis addicti officiis, atque
„ muneribus. Si verò, inquit, non ſunt ad-
„ ſtricti iuramento perpetuo, ſed ad tem-
„ pus, tunc eſt cōcluſio, quòd tales poſſunt
„ recipi in monaſterio, quamuis Princeps,
„ vel ciuitas contradicat: non enim iura-
„ mentum violat, qui illud in melius com-
„ mutat, extra de iureiurando, peruenit.

Cui ſententiæ adſcribit Raymundum, Hugonem, Innocētium, Oſtienſem, Goffredum: vt iam ſatis cuique poſſit eſſe intellectum, diui Thomæ ſententiam communi Doctorū aſſenſione eſſe celebratā.

Verùm, in extrema hac quæſtione iuuat lectorem commonefacere, conſtitu-
„ tionis Xiſti V. Cum de omnibus Eccleſiis §. cæteri, vbi ius adimit ingrediendi religionem decoctoribus: & quorum æs alienum ſuperat eorum bona, ſi ob eam rem timendum ſit, ne lis iis inferatur: aut iam ſit moleſtia illata; id quod ab huius militis cauſſa reor abeſſe.

QVÆSTIO XVII.

1. Simon religionem vniuersè vouet, nullum animo propriè reuertēs ordinem religioſorum: is, vt voto ſatisfaceret, ad Capuccinorum ſe confert ſodalitatem: vt in ea illorum diſciplinam experiretur: experientia didicit vitæ generi ſe imparem eſſe: ita ciuilis vitæ conſuetudinem repetiit. Diſceptatum eſt, num Simon, quod DEO promiſerat, implerit.

Certamen hac de re mihi fuit cum homine non indocto, & in hoc controuerſiarum genere non inexercitato, contendente, Simonem, quod ſui muneris & promiſſi erat, dependiſſe: de nulla alia religione illi præterea laborandum eſſe: fore autem laborandum, ſi non modò religioſum ordinem ſuſcepturū ſe vouiſſet, verumetiam in eo perſeueraturum; ſeu religioſam vitam perpetuam victurum, Ita ab ſe, ita ab aliis ſuæ doctrinæ æmulis ſæpe iudicatū eſſe; in cámque rem teſtes non ſpernendos daturū ſe pollicebatur; quorum auctoritate ſuum reſponſum & iudicium confirmari aiebat: verùm mihi illos teſtes poſcenti non edidit; neque edere aliquando potuiſſet.

Itaque conſulenti Simoni ſuaſi; vt, ſi 2.
cuperet voti ſpōſione ſe liberari, aut cunctarum religionum genera, quæ eſſent in prouincia: in qua is vouit, ſi in ſua eſſent; aut in alia experiretur; aut verò Romani Pontificis auctoritate, qui omnium religioſorum ordinum ſummus Antiſtes eſt, atque Hierarcha, onere alias religiones periclitandi liberaretur. Et quoniam Simon non erat homo nulla doctrina, huius meę ſuaſionis tres illi cauſſas expoſui, quas item illi magiſtro poſtea aperui.

Prima fuit: quia ſicut ſpecies nón perimit genus: neque enim è mundo ſublata ſpecie Leonis, natura animalis cōcideret: ſic obligatio ſpeciei, generis obligationē non extinguit. Cùm igitur is, qui vouet generaliter religionem, non cum vna aliqua ſpecie, ſed cum toto genere religioſorum ordinum obligationem contrahat, eo nexu & obligatione ab eo tantùm expediri poteſt, qui vniuerſo generi præeſt religionum (niſi velit vouens cunctarum facere periculum) præeſt autem toti generi ſolus Pontifex Romanus: quare, &c.

Secunda cauſſa & ratio fuit. Quia cùm vouent ſtatum religioſum, repudiare illum prudenti conſilio & ſaluo iure conſcientiæ non poteſt: quia, ſi verbi cauſſa Benedictinæ familiæ inſtitutum & ratio illum non deceat, decere tamen poterit, fortaſſe Dominicanæ, fortaſſe Theatinæ, fortaſſe Ieſuitarum.

Tertia erat in exemplo poſita.

Quemadmodum, qui cunctis Romanæ Rotæ auditoribus gratuitum famulatum vouiſſet, onere ſeruitutis ſolutus non eſſet; quia eius famulatum vnus, aut alter auditor recuſaret: ita, qui vniuerſitati religioſarum familiarū eſt voto deuinctus, non in libertatem priſtinam vindicatur,

vel quia vnam aut alteram pertentauit, aut quia duæ vel tres eum repulerunt.

3. Atque, vt cauſſa Simonis non meo reſponſo, & his rationibus niteretur, neque conſideret, vtriuſque contrariæ partis rationes in breuem ſummam contraxi, atque ad illuſtriſſimum Cardinalem Antonium Caraffam detuli. Is enim eas flagitarat: quem obnixè rogaui, vt de tota controuerſia ad illuſtriſſimam Cardinalium congregationem referret: vnde difficultatum, quæ in Concilij Tridentini decreta incidere ſolent, petitur explicatio: is libens retulit: habitáque diſputatione, atque conſultatione, illud ipſum, quod à nobis exiſtimatum erat, iudicatum fuit. Simonem perinde obligatione voti liberari poſſe, vt nos docueramus: periculum in vna ab eo factum voto nequaquam ſatisfeciſſe. Quod mihi Romæ ab eodem ſpectatiſſimo viro, & Cardinali ampliſſimo atque ſanctiſſimo narratum eſt.

QVÆSTIO XVIII.

1. Sergius adoleſcēs, annos ſexdecim natus, templum petit: illic genibus nixus ad diuerſas aras orat: inter preces, quas Deo, diuiſque adhibebat, de commutandis vitæ rationibus, atque de animo, ſacrorum ordinum & religionum inſtitutionibus informando acriùs cogitabat; neque eam rem tantùm cogitabat, ſed etiam optabat: num etiam voto nuncupato expetierit iam ætate prouectior, ambigit: quoniam annos permultos in rerum malarum artibus contriuit omnium rerum bonarum cura & meditatione abiecta. Hic diu cum turpi muliere turpiter conſueuit: cui tandem iureiurando depactus eſt nuptias: quas conficere nō audet, dubitatione voti deterritus: namque poſt tam longi temporis, vt dixi, decurſa ſpatia, nihil certi conſtituere poteſt, an ad religioſæ vitæ optationem, quæ illi in eo templo contigit, voti religionem adiunxerit: tametſi in eam potiùs partem mens ſe dat Sergij, vt voto deſiderarit illud ipſum, quod de vitæ ſtatu mutando animo complectebatur. Hæc ſunt in cauſſa.

Scire cupit, num coniugio promiſſo, votum non certum obſtet. Nonnulli qui de tota cauſſa diligentius à Sergio doceri potuiſſent: multáque ex eo appoſitis & neceſſariis interrogationibus elicere, reſponderunt. Quandoquidem de voto nō conſtat, Sergium iuriſiurandi fidem mulieri liberare debere, eámque in matrimonium ducere. 2.

Mihi verò longè mens alia fuit. Duo enim hæc cenſui, & nunc etiam cenſeo. Primum, eum, cuius mentem dubitatio probabilis perpellit, vouerit an non, diſpenſatione egere. Secundum, ſi de voto ad eiuſdem animū opinio allabatur probabilis, quòd ſit nuncupatum, ſine dubio voto teneri.

Videtur vtrique propoſitioni aduerſarius eſſe Sotus, in 7. de iuſt. & iur. quæſt. 3. art. 2. vbi ſcriptum reliquit; qui dubitat, vtrùm, cùm voueret, rationis & iudicij compos eſſet, voto non obſtrictum teneri. Requiritur, inquit ille, rem eſſe adeo certam & compertam, vt nulla aut tenuiſſima apud viros prudentes reliqua fiat dubitatio contrariæ opinionis. Monitum hoc pro captu meo hic ob id appendi: quòd vulgo exiſtimatur, dum res eſt dubia, potiùs eſſe in fauorem voti iudicium ferendum, nempe obligare. Crediderim namque prorſus contrarium: cùm iure eiuſmodi præſumatur non habuiſſe vſum rationis, non eſt in contrarium adigendus, niſi luculenter id ratio conuicerit. Melior eſt ſiquidem poſſidentis conditio: & hominem manere liberum cenſetur manere in ſua poſſeſſione.

Opinionem Soti defendit etiam Bartholomeus Medina lib. 1 inſtruct. Sacerd. c. 4. §. 7.

3. Qui iuſtam veniam excuſationis ſententiæ Soti dandam arbitraretur; dicere poſſet, non ipſum locutum de eius hominis voto, quem certū eſt ratione & conſilio vti; ſed de illius, quem ſciri nequit eſſe ſuæ mentis atque ſententiæ, vt ſunt multi pueri.

Verùm, qui abſolutè, nihil excipiens,

pugna

pugnaret, quodlibet votum anceps vim habere dubitantis conſcientiam deuinciendi, firmiſſimæ ad eam rem rationes ei ſuppeditarent: quarum hæc mihi prima occurrebat. Non minor exiſtimari debet obligatio, quâ Deo, quàm illa, quâ Eccleſiæ deuincimur: ſed, cùm dubitat quiſpiam, num aliquo Eccleſiæ præcepto teneatur, ad ſuperioris conſilium, atque auctoritatem confugere debet: ergo multò magis id ei faciundum eſt, cùm dubitat de obligatione cum Deo inita; vel quæ ad Deum pertinet.

Minorem ſyllogiſmi propoſitionem, nam maior ſatis eſt certa, communis doctorum ſenſus approbare videtur. Nam cùm de lege ieiunij agitur, qua ambigi poteſt, an hic illéve teneatur, eum ad ſuperiorem Doctores delegant.

Secunda ratio. Lex reſtituendi rem, quam quis dubitans an ſua ſit, poſſidet, eum ſpoliat; vt perſpicuè Alex. Halenſis affirmat in 4. p. ſummæ memb. 5. art. 3. §. 4. quam ſententiam Alexandri his verbis Adrianus in 4. ſent. in qq. de reſtitutione, quæſtione quæ incipit, Aggredior caſus ſpeciales. §. Sed cùm ſimplices, fol. 49. colu. in meo codice, qui ex ſolidis foliis
„ conſtat, confirmat. Si verò læſam habue-
„ rint conſcientiam, non ſolùm per iudi-
„ cium de iniuſtitia belli, ſed etiam per ſo-
„ lum dubium, non poſſunt permanente
„ illa conſcientiæ læſione ſalui fieri non re-
„ ſtituendo: quemadmodum nec is, qui du-
„ bius de validitate matrimonij exigit cō-
„ iugale debitum. c. Dominus, de ſec. nupt. & cap. Inquiſitioni, de ſententia excōm.

4. Et cùm leniendam ſibi ſententiam
„ exiſtimaret, in extremo illius §. hæc addi-
„ dit. Verùm non aſſero eum mortaliter
„ peccare; ſi ſtante dubio velit retinere,
„ quoaduſque inquirendo poſſit de dubio
„ certiorari: dum certioratus, & vbi certior
„ reddi non poſſit, intendat reſtituere: ſed
„ ſi animo ſimpliciter retinendi, iam peccat, etiamſi ſuum ſit. Et profitetur hanc ſententiam ſibi certam eſſe ex omnium Doctorum ſenſu.

In recentibus ſcriptoribus Ioannes Medina apertiſſimis verbis iubet, in C. de rebus reſtituend. q. 22. artic. 2. ad 6. rationem, Eum, qui lucratus eſt quidpiam in ludo, lucrum retinere non poſſe, ſi pendeat animi, & ambigat, an retinere queat: quia in diſcrimen ſalutem animæ ſuæ adducit: neque enim bonæ fidei poſſeſſor dici aliquis poteſt, qui dubitat de re, quam poſſidet, ſua ne ſit: quia bona fides dubitationem repellit.

Ergo, vt concludatur ſecunda hæc ratio; ſi quod dubitatur, ſit noſtrum, an alterius, alteri eſt dandum: cùm dubitatur, num quidpiam Deo reddere debeamus, illud à Deo eripiemus, vt noſtrum faciamus?

Tertia ratio. Si noſtro animo incidat dubitatio: num propter culpam mortiferam ſimus obligati diabolo, confeſſione & pœnitentia ſalutari expiare illam debemus: cur ergo, dum venit in dubium nobis obligatio, quæ Dei honorem & poteſtatem attingit, non ad eum adibimus, qui de ea cognoſcere & iudicare debet, id eſt, ad Romanū Pontificem; cùm agitur de votis maioribus, aut ad alios Prælatos, cùm de minoribus eſt quæſtio?

Quarta ratio. Graues, nec ambiguæ 5.
Romanorum Pontificum ſanctiones, in hunc ſenſum nos impellunt: ergo ab eo diuelli non debemus. In Decretali, Iuuenis, de Sponſalibus, præcipit Romanus Pontifex, vt, qui contraxerat ſponſalia cum puella nondum ſeptenni; & ignorabatur, num poſtea ſponſalibus aſſenſum illa accommodaſſet, ſit puellæ ſponſus omnino: & quia poſt puellæ mortē, cum qua non iniuit iuuenis matrimonium, puellæ ſororem duxerat vxorem, iubet ab ea ſeparari, & matrimonium diſſolui; quippe quod contractum fuit cum impedimento dirimente iuſtitiæ publicæ honeſtatis. Viden' vt dubitatio impedimēti priuet iuuenem illum ſua vxore, atque ad aliud vitæ genus eum traducat?

Qui igitur conuenit, vt, qui dubium habet vtrùm votiua ſponſione ſponſus euaſerit Dei, omni dubitatione & ſponſione ſpreta putidæ & laſciuientis

Digitized by Google

carnis vnius mulierculæ ſponſo illi eſſe liceat?

Decretalis, Dominus. de ſecundis nuptiis, & Canon, Inquiſitioni; de ſententia excomm. decernũt, eum, qui ambiguum habet coniugium ob probabilem rationem, & non leuem coniecturam; &, num iuſtum ſit coniugium, repetire nõ poteſt, coniugale debitum exigere non poſſe, ſed reddere dumtaxat. Eſt ne hîc melior conditio poſſidentis?

Clemens III. in Decretali. Ad audientiam: de homicidio, iudicat irregularem quemdam, qui leuiter puerum vulnerarat, è quo vulnere conualuerat: ſed quia iterum in morbum incidit, & obiit, nec certò ſciri poterat, num morti cauſſam vulnus illud attuliſſet. *Cùm in dubiis*, inquit Pontifex, *ſemitam debeamus eligere tutiorem.*

Quinta & poſtrema ratio illa maxima, & peruagata nititur Theologorum propoſitione: exponens ſe diſcrimini peccati mortalis peccat mortaliter: quam maximam propoſitionem iidem Theologi interpretantur de periculo dubiæ & ancipitis conſcientiæ: nempe, dum nihil conſtitutum cum noſtro animo habemus, liceat ne hoc, an non liceat: fieri poſſit, an non poſſit: quo tempore cunctorum eſt præceptio, illud tantùm ſumendum eſſe, in quo animæ ſalus periclitari non poteſt. Ergo, qui in maximi momenti obligatione cum DEO contracta dubitat, vt ſuam ſalutem in tuto collocet, tutiorem partem ſequatur oportet: hoc eſt, vt votum impleat, non omittat.

6. Atque cùm hæc argumentatus eſſem, duos eiuſdem ſententiæ patronos inueni, Gabrielem, in 4. ſentent. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. & Nauarrum, in primo volumine Conſil. lib. 3. de voto, & voti redempt. conſ. 18. qui non ſecus quàm nos de voti dubij obligatione ſententiam ſuam expoſuerunt.

Secunda propoſitio per ſe certa eſt, nec approbationis indigens. Sergij mentem non tam dubitantis quàm opinantis, in hoc genere eſſe ſimilem: Conſcientiam autem non ſolùm certa, ſed etiam probabili notitia & opinione gubernari debere, in publicis noſtris ſcholis, & ſæpe docuimus, & in diſputatione de diſcrimine ſcientiæ, fidei, opinionis, dubitationis, & ſcrupuli demonſtrauimus. Veriſſima eſt enim illa Alberti admonitio, in libro de homine, cùm ſcripſit: Tunc obligari con- » ſcientiam ad faciendum, quãdo id, quod » in ea eſt, eſt vel ſcitum, vel creditum, vel » opinatum; cuius dictum recitat, & ſequi- » tur Syluester, in verbo, Dubium, num. 4. Eſt item ſententiæ Pontificiæ parendum in Decretali iuuenis, de ſponſalibus. *In iis, quæ dubia ſunt, quod certius, exiſtimamus, tenere debemus.* Verba ſunt Pontificiæ ſanctionis. Etenim, qui ſecus ageret, palam à ratione diſcederet: quæ ſemper, quod magis probabile eſt, minùs probabili debet anteferre. Sergio huic noſtro probabilius eſt vouiſſe ingreſſum religionis, cùm verſaretur in templo, quàm non vouiſſe.

Cui opinioni fidem faciũt hæc omnia. Primum, quòd ad templum ſe contulit, vt multis ſuis ſceleribus remedium inueniret. Deinde; Quòd diuturnas preces adhibuit. Poſtremò; Quòd acriter intendit animum ad vitæ ſtatum commutandum. Vt ſit veri quàm ſimillimum, ad tam ardens ſtudium, & vehemens propoſitum, religionem, etiam promiſſum acceſſiſſe.

Quapropter Sergio iuueni ſemel, iterum, & ſæpius perſuadere conatus ſum; 7. vt vel in religionum ſacrarum caſtra ſe reciperet, atque illic ſollemnis profeſſionis pignore Chriſto duci authoraretur; vel, ſi id abnueret, à Chriſti Vicario opem imploraret. Sententiæ iudicis, qui ſecundùm mulierem, & iuſiurandum iudicarat, ne præſideret: quoniam iudicium non fit de rebus incertis, ſed de notis, atque perſpectis: ideo non potuiſſe, nec debuiſſe iudicem rationem ancipitis voti ducere: & quia anceps fuit, & quia clandeſtinum.

Ex his autem facilè retexuntur omnia, quæ ſunt à Soto detexta. Illud enim axioma,

Digitized by Google

ma, *Melior eſt conditio poſſidentis*, fefellit Sotum; qui ad cauſſam, de qua controuertitur, transferre illud non debebat. Primùm. Quia iuris ciuilis intelligentia haud mediocri auctores axiomatis interpretationem in id tempus conducunt, cùm ad turpe aliquid agendū quidpiam alteri datur. Deinde. Quia illius regulæ auctoritas non ſuffragatur iis, quorum poſſeſſio fidem bonam comitem haudquaquam habet: quæ fides bona dubitationem omnem ſummouet: nam, vbi eſt dubitatio, illic ne fides quidem eſſe poteſt, nedum bona: verùm ex communi doctorum ſenſu, iis opitulatur, qui ſunt bonæ fidei poſſeſſores: cum fide autem bona nequit conſiſtere dubitatio, vt planum eſt. Poſtremò. Quia dum de hominis ac Dei rationibus agitur, & cum diuinis humanæ pertenduntur: id ſua ſponte quiſque videt, quātò diuinę quàm humanæ debeant eſſe potiores: & quanto melior eius hominis ſit conditio, qui in Dei, quàm qui in ſua eſt poteſtate; & qui à Deo poſſidetur, eiúſque voluntate regitur; quàm qui ſe ipſe poſſidet, & ſuo arbitrio gubernatur.

Reliqua Dominici Soti, quia leuiora ſunt, flocci fieri debent.

QVÆSTIO XIX.

1. Extremam hanc de voto quæſtionem præterire debueramus, quod in ſuperioribus toties repetitum eſt, vota, quæ vitioſum & inhoneſtum finem habent, ipſa quoque inania & vitioſa eſſe.

Verùm, cuiuſdam Magiſtri mira peruicacia, qui palàm docebat nullum votum ob finem malum, effici nullum, coactus ſum propriam aduerſus hūc errorem inſtituere diſputationem.

Quæritur igitur: Num votum valeat, quod vitioſus finis polluit; vt, ſi quis voueat ſe daturum eleemoſynam mille aureorum nummûm ſi in bello iniuſto vicerit. Eiuſmodi votum irritum, ac nullum eſſe communis eſt Theologorum ſententia. Nam D. Thom. in 2. 2. q. 88. artic. 2. votum, quod nuncupatur Deo, vult eſſe opus virtutis: tale autem votum opus eſt vitij, non virtutis: nam, qui ſic vouet, quid aliud facit, quàm prouocare Deum ad malum, eiúſque opem ad peccandum petere?

D. Bonauentura, in 4. ſent. diſt. 38. art. 1. q. 2. requirit illos tres comites etiam in voto, qui iureiurando attribuuntur, Iuſtitiam, Iudicium, & Veritatem: Iuſtitia in eo ſpectatur, vt res, quæ vouetur, ad ſalutem pertineat: ſitque bona & honeſta, inquit ille: iudicium, vt deliberatè, non præcipitanter, voueat: veritas, vt iuſtè, & diſcretè voueat, & perſoluat. Verùm ſuperius votum caret bonitate, & honeſtate, & ad interitum animæ refertur ſuapte natura.

Richardus, in eamdem diſtinct. artic. 2. quæſt. 1. ſcribit, votum magis à fine pendere, quàm à materia: ſed, ſi praua ſit materia voti, votum redditur nullum: ergo multo magis, ſi flagitioſus fuerit finis: & in ead. quæſt. bonum opus relatum ad malum finē eſt formaliter malum. Eleemoſyna autem mille aureorum eſt quidem bonum opus, ſed relatum ad improbum finem.

Durandus, in 3. ſent. diſt. 40. q. 4. ſcribit, Cùm voto apponitur conditio turpis 2.
„ in ſe, & relata ad promiſſum, votum effici „
„ nullum: prorſus talis eſt conditio, qua ſu- „
„ perius votum afficitur.

Rationum momenta cuique mediocriter in Theologicis exercitato ſua ſponte occurrent. Votum eſt actus latriæ, & virtutis religionis: ſed votum ſcelerato fine infectum, immane ſcelus eſt; ergo non eſt votum, ſed nomen dumtaxat voti retinet. Ad hæc. Promiſſio, niſi acceptetur ab eo, cui fit, eſt nulla: ſed votiuam promiſſionem contra voluntatem Dei, hoc eſt, contra eius præcepta factam non vult Devs, neque illi poteſt eſſe accepta: ergo nulla. Præterea, Maleficia non habent aliam obligationem quàm ad ſuſtinendā pœnam peccati, & maleficij: ergo votum criminoſum propter finem hanc tantum habebit obligationem.

Sed

carnis vnius mulierculæ ſponſo illi eſſe liceat?

Decretalis, Dominus. de ſecundis nuptiis,& Canon, Inquiſitioni; de ſententia excomm. decernũt, eum, qui ambiguum habet coniugium ob probabilem rationem,& non leuem coniecturam;&, num iuſtum ſit coniugium, reperire nó poteſt, coniugale debitum exigere non poſſe,ſed reddere dumtaxat.Eſt ne hîc melior conditio poſſidentis?

Clemens III. in Decretali.Ad audientiam: de homicidio, iudicat irregularem quemdam, qui leuiter puerum vulnerarat, è quo vulnere conualuerat: ſed quia iterum in morbum incidit, & obiit, nec certò ſciri poterat, num morti cauſſam vulnus illud attuliſſet. *Cùm in dubiis*, inquit Pontifex, *ſemitam debeamus eligere tutiorem*.

Quinta & poſtrema ratio illa maxima, & peruagata nititur Theologorum propoſitione: exponens ſe diſcrimini peccati mortalis peccat mortaliter: quam maximam propoſitionem iidem Theologi interpretantur de periculo dubiæ & ancipitis conſcientiæ: nempe,dum nihil conſtitutum cum noſtro animo habemus, liceat ne hoc,an non liceat: fieri poſſit, an non poſſit: quo tempore cunctorum eſt præceptio, illud tantùm ſumendum eſſe, in quo animæ ſalus periclitari non poteſt. Ergo,qui in maximi momenti obligatione cum DEO contracta dubitat, vt ſuam ſalutem in tuto collocet, tutiorem partem ſequatur oportet: hoc eſt, vt votum impleat,non omittat.

6. Atque cùm hæc argumentatus eſſem, duos eiuſdem ſententiæ patronos inueni, Gabrielem, in 4. ſentent. diſt.38. quæſt.1. art. 5. & Nauarrum, in primo volumine Conſil. lib. 3. de voto, & voti redempt. conſ.18. qui non ſecus quàm nos de voti dubij obligatione ſententiam ſuam expoſuerunt.

Secunda propoſitio per ſe certa eſt,nec approbationis indigens. Sergij mentem non tam dubitantis quàm opinantis, in hoc genere eſſe ſimilem: Conſcientiam autem non ſolùm certa,ſed etiam probabili notitia & opinione gubernari debere, in publicis noſtris ſcholis, & ſæpe docuimus, & in diſputatione de diſcrimine ſcientiæ,fidei, opinionis, dubitationis, & ſcrupuli demonſtrauimus. Veriſſima eſt enim illa Alberti admonitio, in libro de homine,cùm ſcripſit: Tunc obligari conſcientiam ad faciendum, quãdo id, quod in ea eſt, eſt vel ſcitum,vel creditum, vel opinatum; cuius dictum recitat,& ſequitur Syluester,in verbo, Dubium, num.4. Eſt item ſententiæ Pontificiæ parendum in Decretali iuuenis,de ſponſalibus.*In iis, quæ dubia ſunt, quod certius, exiſtimamus, tenere debemus*. Verba ſunt Pontificiæ ſanctionis. Etenim,qui ſecus ageret,palam à ratione diſcederet: quæ ſemper, quod magis probabile eſt, minùs probabili debet anteferre. Sergio huic noſtro probabilius eſt vouiſſe ingreſſum religionis, cùm verſaretur in templo, quàm non vouiſſe.

Cui opinioni fidem faciũt hæc omnia. Primum, quòd ad templum ſe contulit, vt multis ſuis ſceleribus remedium inueniret. Deinde; Quòd diuturnas preces adhibuit. Poſtremò; Quòd acriter intendit animum ad vitæ ſtatum commutandum. Vt ſit veri quàm ſimillimum,ad tam ardens ſtudium, & vehemens propoſitum, religionem, etiam promiſſum acceſſiſſe.

Quapropter Sergio iuueni ſemel, iterum, & ſæpius perſuadere conatus ſum; 7.
vt vel in religionum ſacrarum caſtra ſe reciperet, atque illic ſollemnis profeſſionis pignore Chriſto duci authoraretur; vel,ſi id abnueret,à Chriſti Vicario opem imploraret. Sententiæ iudicis, qui ſecundùm mulierem, & iuſiurandum iudicarat,ne præſideret:quoniam iudicium non fit de rebus incertis, ſed de notis, atque perſpectis:ideo non potuiſſe, nec debuiſſe iudicem rationem ancipitis voti ducere: & quia anceps fuit, & quia clandeſtinum.

Ex his autem facilè retexuntur omnia, quæ ſunt à Soto detexta.Illud enim axioma,

Digitized by Google

ma, *Melior eſt conditio poſſidentis*, fefellit Sotum; qui ad cauſſam, de qua controuertitur, transferre illud non debebat. Primùm. Quia iuris ciuilis intelligentia haud mediocri auctores axiomatis interpretationem in id tempus conducunt, cùm ad turpe aliquid agendũ quidpiam alteri datur. Deinde. Quia illius regulæ auctoritas non ſuffragatur iis, quorum poſſeſſio fidem bonam comitem haudquaquam habet: quæ fides bona dubitationem omnem ſummouet: nam, vbi eſt dubitatio, illic ne fides quidem eſſe poteſt, nedum bona: verùm ex communi doctorum ſenſu, iis opitulatur, qui ſunt bonæ fidei poſſeſſores: cum fide autem bona nequit conſiſtere dubitatio, vt planum eſt. Poſtremò. Quia dum de hominis ac DEI rationibus agitur; & cum diuinis humanæ pertenduntur: id ſua ſponte quiſque videt, quãtò diuinę quàm humanæ debeant eſſe potiores: & quanto melior eius hominis ſit conditio, qui in DEI, quàm qui in ſua eſt poteſtate; & qui à DEO poſſidetur, eiúſque voluntate regitur; quàm qui ſe ipſe poſſidet, & ſuo arbitrio gubernatur.

Reliqua Dominici Soti, quia leuiora ſunt, flocci fieri debent.

QVÆSTIO XIX.

1. EXtremam hanc de voto quæſtionem præterire debueramus, quod in ſuperioribus toties repetitum eſt, vota, quæ vitioſum & inhoneſtum finem habent, ipſa quoque inania & vitioſa eſſe.

Verùm, cuiuſdam Magiſtri mira peruicacia, qui palàm docebat nullum votum ob finem malum, effici nullum, coactus ſum propriam aduerſus hũc errorem inſtituere diſputationem.

Quæritur igitur: Num votum valeat, quod vitioſus finis polluit; vt, ſi quis voueat ſe daturum eleemoſynam mille aureorum nummûm ſi in bello iniuſto vicerit. Eiuſmodi votum irritum, ac nullum eſſe communis eſt Theologorum ſententia. Nam D. Thom. in 2. 2. q. 88. artic. 2. votum, quod nuncupatur DEO, vult eſſe opus virtutis: tale autem votum opus eſt vitij, non virtutis: nam, qui ſic vouet, quid aliud facit, quàm prouocare Deum ad malum, eiúſque opem ad peccandum petere?

D. Bonauentura, in 4. ſent. diſt. 38. art. 1. q. 2. requirit illos tres comites etiam in voto, qui iureiurando attribuuntur, Iuſtitiam, Iudicium, & Veritatem: Iuſtitia in eo ſpectatur; vt res, quæ vouetur, ad ſalutem pertineat: ſítque bona & honeſta, inquit ille: iudicium, vt deliberatè, non præcipitanter, voueat: veritas, vt iuſtè, & diſcretè voueat, & perſoluat. Verùm ſuperius votum caret bonitate, & honeſtate, & ad interitum animæ refertur ſuapte natura.

Richardus, in eamdem diſtinct. artic. 1. quæſt. 1. ſcribit, votum magis à fine pendere, quàm à materia: ſed, ſi praua ſit materia voti, votum redditur nullum: ergo multo magis, ſi flagitioſus fuerit finis: & in ead. quæſt. bonum opus relatum ad malum finẽ eſt formaliter malum. Eleemoſyna autem mille aureorum eſt quidem bonum opus, ſed relatum ad improbum finem.

Durandus, in 3. ſent. diſt. 40. q. 4. ſcribit, „Cùm voto apponitur conditio turpis „in ſe, & relata ad promiſſum, votum effici „nullum: prorſus talis eſt conditio, qua ſuperius votum afficitur. 2.

Rationum momenta cuique mediocriter in Theologicis exercitato ſua ſponte occurrent. Votum eſt actus latriæ, & virtutis religionis: ſed votum ſcelerato fine infectnm, immane ſcelus eſt; ergo non eſt votum, ſed nomen dumtaxat voti retinet. Ad hæc. Promiſſio, niſi acceptetur ab eo, cui fit, eſt nulla: ſed votiuam promiſſionem contra voluntatem DEI, hoc eſt, contra eius præcepta factam non vult DEVS, neque illi poteſt eſſe accepta: ergo nulla. Præterea, Maleficia non habent aliam obligationem quàm ad ſuſtinendã pœnam peccati, & maleficij: ergo votum crimineſum propter finem hanc tantum habebit obligationem.

Sed

Sed pudet meam apud doctos certam, argumentando incertam & dubiam facere: neque enim vllus eſſet exitus argumentationum, ſi cunctas perſequi velim. Sed tollendæ ſunt nonnullæ dubitationes, quæ in errorem aliquos fortaſſe poſſent impellere.

3\. Prima dubitatio. Legata & inſtitutiones non vitiantur inhoneſtis conditionibus ex l.1. l. conditiones 1. & 2. l. filius. ff. de conditionibus inſtitutionum. Item cõditiones turpes appoſitæ matrimonio, niſi ſint contra tria illius bona, non vitiãt matrimonium, ſed vitiantur ipſæ, extra de condit. appoſit. cap. vlt. ergo idem cenſendum eſſet de voto.

Reſpondeo, legata, teſtamenta, matrimonia, quia ſunt inſtrumenta ad conſeruandam publicam vtilitatem atque iuſtitiam, & pacem, noluiſſe legiſlatores perturbari nefariis hominum pactis, & conditionibus: at votum eſt ob priuatum bonum vouentis: quod totum ab eius pendet voluntate. Præterea in legatis, teſtamentis, matrimoniis, obligatio continetur, quæ acquiritur hominibus: at in voto obligatio cõtinetur, quæ acquiritur Deo: homines autem, intimos fines humanæ mentis perueſtigare non poſſunt: ideo negligunt. At Deus illos vult & intuetur. Ad hæc, homines, in legatis & matrimoniis, ceteriſque humanis cõtractibus magis vtilitatem ſectantur, quàm eius cum quo contrahunt, probitatem. Devs verò contra: quia rebus noſtris non eget, à nobis exigit in promiſſis omnem honeſtatem.

Secunda dubitatio. Qui profitetur religionẽ, vt in ea luxurioſè viuat, firmum votum emittit: quod tamen ſcelerato fine fœdatur. Caietanus, in 2. 2. q. 88. art. 2. & Sotus, lib. 7. de iuſt. & iur. q. 1. art. 3. hac diſtinctione conantur ſe expedire difficultate. Finis malus poteſt coniungi cum obiecto, ſiue cum actione, quæ vouetur; vt cùm quis vouet eleemoſynam propter inanem gloriam; vel cum voto, vt cùm vouet quis eleemoſynã; vt Devs illi impertiat victoriam aduerſus hoſtes, quibuſcum gerit bellum iniuſtum: vel cum applicatione animi, vt in argumento propoſito: malus finis duobus prioribus tantùm modis extinguit votum.

Nõn placet diſtinctio. quî enim ſeparari poteſt finis malus ab ipſo voto, ſi coniungitur cum applicatione animi? Potéſtne fieri promiſſum, quin animus ad illud ſe applicet? Potéſtne fieri deliberatio, quin intellectus, & voluntas, & animus ſe applicet ad deliberandum? At conſtat, votum eſſe promiſſum, & quidem cum deliberatione. 4.

Mihi igitur ſic videtur dicendũ: aliud eſſe loqui de voto ſimplici, aliud de ſolemni, in eo, quia obligatio quæritur tantùm Deo, finis malus vitiat obligationem: nam Devs vult tantùm ſancta & honeſta: eáque non ex verborum prolatione, ſed recta animi intentione diiudicat. At in profeſſione, in qua obligatio non tantùm Deo, ſed etiam homini, & Eccleſiæ quæritur, quia Eccleſia de occultis non iudicat, idcirco profeſſionem pernicioſa mente factam non reſpuit: & ideo profeſſio valet: Quæres, valétne etiam apud Deum? ſic cenſeo. Deus enim in fauorem Eccleſiæ, ne decepta improbis fraudibus vouentis ſuccumbat, & in vindictam vouentis ſuſcipit eius profeſſionem: vúltque eum perinde ſua profeſſione in vtroque foro teneri, ac ſi optima mente vouiſſet.

Tertia dubitatio. Cur votum de danda eleemoſyna ſi quis victoriam ex bello iniuſto reportauerit, eſt nullum; eſt autem ratum, ſi ex concubina, ſeu adultera prolem ſuſceperit?

Reſpondetur, Quia opus iniuſtæ victoriæ eſt humanum, & peccatum: prolis autem conceptio, eſt opus naturæ, cuius eſt Devs cauſſa per ſe; eſtque victoriæ cauſſa, electio; conceptionis autem & prolis, natura, ſæpe etiam inuito generante, & hominis repugnante arbitrio.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS,

DE CONTRACTIBVS.

QVÆSTIO I.

Vtrùm contractus ſit nullus propter dolum, quando dolus cauſſam dedit contractui.

1\. TRIPLEX opinio: prima eſt communis iuris vtriuſque doctorum, & Gloſſarum vtriuſque iuris, Gloſſæ ciuilis in l. & elegãtem. ff. de dolo. & in l. 2. C. de reſcindenda venditione: & Gloſſę Canonicę, in c. cum dilecti, de emptione & venditione: quam opinionem ſequitur Panormit. in c. cum dil. eodem. & Oſtienſis in 2. lib. ſuæ ſummæ, vbi de dolo. & Theologi ſequuntur, qui ſummas de caſibus conſcientiæ conſcripſerunt, & Bartolus. Diſtinguit hæc opinio contractus bonæ fidei à contractibus ſtricti iuris; contractus bonæ fidei numerantur ab Imperatore in inſtitutionibus de actionibus. §. Actionũ, emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, depoſitum, mandatum, pignus, familia erciſcunda, commune diuidundum, &c. reliqui omnes contractus ex ſentẽtia Gloſſæ, qui reticentur ab Imperatore, ſunt ſtricti iuris. Non dicuntur autem contractus ſuperiotes bonæ fidei, quaſi bona fides non requiratur in omni contractu; ſed, quia, vt dicit Gloſſa in illo §. Actionum, in iis, qui ſtricti iuris ſunt, non aliud præſtatur, niſi id, quod exigit natura contractus. At in iis, qui ſunt bonæ fidei, etiam vſuræ præſtantur.

Hoc mihi non placet: nam hoc ipſum præſtari debet in mutuo, ſi mutuatarius fuit in mora ſoluendi; & eius culpa is, qui mutuam pecuniam dedit, damnum fecit. Item dicit eadem Gloſſa, in contractu bonæ fidei habetur ratio eorum, quæ cogitata non ſunt, & arbittio iudicis maximè gubetnantur: id quod non cadit in contractibus ſtricti iuris. Hæc omnia confirmat Gloſſa canonica in cap. Cum venerabilis, de exceptionibus, ad quam Gloſſam Panormit. vbi ſuprà, teiicit lectorem.

Prima ergo opinio dicit cõtractui bonæ fidei, ſi cauſſam dedit dolus, hoc eſt, ſi propter dolum initus eſt, eſſe eum nullũ; quamuis ſtare poſſit contractui is qui deceptus eſt, ſi velit. Baldus tamen, in l. non dubium. C. de legib. num. 17. addit ex ſententia Gloſſæ in l. à Diuo. ff. de ritu nupt.

Digitized by Google

deceptum non poſſe ſtare contractui, ſi præter dolum, id etiam habet, vt ſit initus contra legem: quod eſt bene & ſignanter notandum, inquit Baldus. Contractus verò prima vult opinio ſtricti iuris non effici nullos propter dolum.

Secunda opinio recitatur à Panormitano, in cap. cùm dilecti, de emptione & venditione, quæ auctores habet Petrum quemdam de Bella pertica, & Ioannem Andream, qui contendunt, ob dolum nullum contractum vitiari: vtitur proba-
tione hac, Bella pertica. Vbi eſt conſen-
» ſus, & ſubſtantialia contractus, ibi eſt
» contractus; ſed dolus nec tollit conſen-
» ſum, nec ſubſtantialia contractus: quia,
» ſi tolleret conſenſum: ergo vitiaret etiam
» contractus ſtricti iuris. Dolum enim, qui fuit in cauſſa contractus, propter quem inducitur quis ad vendendum, non vult Petrus eſſe in contractu, ſed in cauſſa, propter quam eſt inductus.

Errant Petrus & Ioannes Andreas: nam, cùm dolus coniunctum habeat perniciosum errorem, quo alter decipitur, impedit conſenſum: nec verum eſt dolum eſſe in cauſſa, non in contractu; cùm quis nolit vendere; niſi quia veram exiſtimat, & iuſtam cauſſam contractus. In eo autem Bellæ perticæ eſt error inſignis; quòd in contractu, cui cauſſam attulit dolus, tria quædam commentus eſt, dolum, & cauſſam in qua ponit dolum, & contractum, qui ex cauſſa naſcitur; cùm reuera dolus, qui gignit contractum, non ſit re ſeiunctus à cauſſa, ſed ipſamet cauſſa; & idcirco pariatur contractus nullus: quia eſt cum eiuſmodi errore, qui efficit inuoluntarium.

Habet etiam hoc peculiare dolus, vt non ſolùm ex parte eius, qui decipitur, & errat, efficet contractum nullum; ſed etiam ex parte eius, qui fallit improbè: nec enim recta ratio, nec ius patitur, vt ex ſua improbitate & iniuſtitia quis fructum ferat: ferret autem ſi dolosè contrahens cum alio contractum faceret firmum.

Tertia opinio eſt Baldi, in c. I. col. vlt. de plus petitionibus, vbi ait de iure Canonico omnes contractus eſſe bonæ fidei: negátque ſe vidiſſe textum aliquem in iure Canonico, qui ſubſtantialem aliquam ponat differentiam inter contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris: quare affirmat, de iure Canonico quemlibet contractum fieri nullum; ſi ei dolus cauſſam adferat. Sententia mihi hæc Baldi valde placet. Concludunt ergo primæ ſententiæ auctores contractus bonæ fidei fieri nullos propter dolum; quia ſecundùm maximam æquitatem iudicantur, vt ait Panorm. vbi ſuprà: contractus verò ſtricti iuris non videri nullos, quia ſtrictè iudicantur.

Opinionis Baldi hæ poſſent eſſe rationes.

Prima. Probatum eſt à nobis alibi, tum 2.
multarum legum auctoritate, tum Theologorum, & Ariſtotelis teſtimonio: conſenſum, & voluntarium, tolli propter errorem, atque inſcitiam; ſed, vbi alter decipitur iniuſto dolo, errat; & ob errorem facit, quod non feciſſet; niſi in fraudem eſſet inductus; ergo, quod facit, minimè voluntarium exiſtimari poterit.

Secunda ratio. Non patitur lex Dei, & naturæ, vt alicui ſit ſua improbitas emolumento: ſed eſſet, ſi valeret contractus, qui alterius contrahentis malo dolo initur: ergo.

Tertia. Si quis mendaciter dicat, ſe fratri meo eſſe perfamiliarem, mutuáque pecunia egere: atque eo mendacio me ad mutuam pecuniam dandam inuitet; peccat ille grauiter; & me ſtatim contractus pœnitere poteſt, illius patefacto dolo, atque mendacio: ergo argumento eſt, contractum fuiſſe nullum; qui tamen eſt ſtricti iuris: & ſi ab illo mendaci homine datam pecuniam ſtatim repetam, rectè fecero: ergo mutuum fuit nullum: nam, ſi valuiſſet mutuum, non mihi licuiſſet, doloſum illum hominem pecuniæ vſu ſtatim ſpoliare.

Itaque mihi ſententia Baldi perplacet. Quamquam idem Baldus tamquam iuris ciuilis

ciuilis interpres in l. non dubium. C. de legibus, num. 16. ex ſententia Gloſſæ, dixit contractus bonæ fidei fieri nullos ob dolum: quia per ſe repugnat bonæ fidei dolus: quæ ratio non valet in contractus, qui dicuntur ſtricti iuris; & in illis requiri ſummam æquitatem, in iſtis non item. Docet tamen idem Baldus in repetitione. l. Barbarius. ff. de officio prætoris, num. 22. in contractu, cui dolus cauſſam dedit, transferri dominium, ſi ſequatur rei traditio. Contractum mutui, ſtrictíve iuris effici nullum ob dolum, qui ei cauſſam dedit, probat Gerſon in compendio de contractibus ſuper q. 57. poſt decimum quartum dictum.

3. Sed enodandæ ſunt nonnullæ aliæ quæſtiones è nonnullis legibus ortæ. Prima, Eſt ne verum, quod ait lex, ſed & ex dolo. ff. de dolo, ex dolo tutoris in pupillum dandam eſſe actionem, ſi factus ſit locupletior? Reſpondeo, veriſſimè loquitur lex; cui etiam illud eſt addendum. Si tutoris dolo aſſenſus eſt pupillus, cùm eſſet doli capax, eum non modò reſtituere debere, in quo factus eſt locupletior, ſed etiam fructus, ſi extent, & rem, quam dolo eſt adeptus: & damna ſarciet; & lucra amiſſa compenſabit: quòd ſi dolo eſt minimè aſſenſus, rem, ſi extet, & fructus reſtituet; & id, in quo factus eſt locupletior.

Secunda quæſtio. Lex, ſi plures. ff. eo. decernit, in heredem, & in ceteros ſucceſſores actionem doli dari dumtaxat de eo quod ad eos peruenit: numquam ergo de toto, & de damno, & de lucro compenſando? planè de hoc toto, & de his omnibus dabitur actio: ſi heredum, & ſucceſſorum etiam fuit dolus malus, aut præcipiendo, aut aſſentiendo, aut aliquo modo ex iis qui in reſtituendi neceſſario iure ſpectantur.

4. Tertia quæſtio. Alius te dolo induxit, vt mihi venderes, quod ceteroqui minimè eras venditurus, & vendidiſti: tenétne contractus? proponit hanc quæſtionem Oſtienſis, in 2. lib. ſuæ Summæ, in tit. de dolo. §. 9. & cum Azone, quem citat, ſentit contractum valere: actio enim, inquit, de dolo, perſonalis eſt ex parte conuenti, & conuenientis, id eſt, ex parte eius, qui agit, & aduerſus quem agitur.

Verùm mihi lõgè alia eſt opinio, quam nonnulli alij defendunt, vt idem Oſtienſis teſtatur. Probo ratione & auctoritate. Ratio eſt; quia, cur contractus bonæ fidei efficiantur nulli, ſi dolus eorum ſit cauſſa, hæc eſt potiſſima ratio; quia dolus tollit eum titulum, qui neceſſarius eſt huiuſmodi contractibus: ſed hîc titulus eſt bona fides; cui maximè aduerſatur dolus: ergo à quocumque per fraudem & dolum is violetur, contractus redditur nullus.

Fauent huic ſententiæ eæ leges, quas proximè citaui. Nam in l. ſed ex dolo eſt; pupillum teneri ex dolo Tutoris; & dominum ex dolo Procuratoris ſui. & in l. plures, ſtatuitur ex defuncti dolo teneri ſucceſſores: ergo actio de dolo non eſt perſonalis eo modo quo dicit Oſtienſis.

Verùm, quæ à nobis diſputata ſunt de dolo, naturam funditus euertente contractuum, in contractus ciuiles valent: nam ſpirituales, cuiuſmodi eſt matrimonium, & profeſſio, nequaquam efficit nullos, niſi ſi dolus efficiat inuoluntarium ſimpliciter: tunc enim iure conſcientiæ nullus eſſet: & hoc diſcrimen miratur Gloſſa in caput extremum, 21. quæſt. 3. ſic enim illa. Et eſt mirum, » quòd in ſpiritualibus contractus dolo » initus tenet, ſed contractus metu initus » non tenet: cùm ſecundùm leges penitus » contrarium ſit. Nam ſecundùm leges » contractus dolo initus nullus eſt: ſed » contractus metu initus tenet, licèt reſcindatur » per actionem, quod metus » cauſſa. ff. quod metus cauſſa, per totum. » 5.

Verùm admirationi Gloſſæ ſic poſſet occurri: contractus ciuiles dolo effecti fiunt nulli: quia damno ſunt ei qui fallitur: ſpirituales contra ſunt bono: ſuum verò ſpirituale bonum nemo iure contemnit.

temnit. Contrà, vis & metus nullos reddit ſpirituales; quia deſinunt eſſe bono ei, cui vis terrórve infertur: nec enim perinde meretur apud DEVM, qui boni aliquid agit vi ac metu, vt is, qui ſine ſua culpa alterius dolo ac fallacia irretitur.

An metus efficiat contractus nullos.

QVÆSTIO II.

1. HAc de re iuriſconſulti diſputant in ff. de eo quod metus cauſſa geſtum eſt, & in C. quod metus cauſſa; & interpretes iuris Pontificij in capitibus de iis quæ vi metúsve cauſſa fiunt. Panormitanus in c. cùm locum, de ſponſal. multis verbis. & Oſtienſis, in 1. lib. ſuæ Summæ, in tit. de iis quæ vi metúsve cauſſa fiunt. Magiſter ſententiarum in 4. diſtinct. 29. & ibi tum veteres tum noui Theologi. D.Thom. D.Bonauent. Scotus, Richard. Paludanus, Durandus, Gabriel, Sotus, Summarum ſcriptores in verb. Metus, & in verb. Matrimonium, vbi declarant impedimentum coactionis & violentiæ. Nauarrus, in ſua Summa leuiter in c. 17. num. 4. fuſiùs in eodem c. numer. 29. §. per metum, & ſequent. & multo diligentiùs in c. 22. num. 51. & ſequentibus. Vbi diſputat de impedimento matrimonij, quod eſt violentiæ vel metus. Doctè etiā hac de re ſcripſit Couarruuias in 1. tomo ſuarum relectionum, part. 2. c. 3. §. 4. Nos autem huius rei, quæ ſatis inuoluta eſt, tractationem ad breuia & nonnulla quæſita reuocabimus.

2. Primum quæſitum. Cur metus obſtat contractui? Quia, vt reſpondet Alex. III. in quadam Decretali, quæ incipit cùm » locum, de ſponſalibus; conſenſus locum » non habet, vbi metus vel coactio intercedit. » Sine conſenſu autem non perficitur contractus. Quare idem Pontif. in c. Abbas, eod. » quæ metu, inquit, & vi fiunt, debent de iure in irritum reuocari. » & in l. 1. ff. de eo, quod metus cauſſa geſtum eſt, eſt his verbis. Ait Prætor, Quod metus » cauſſa geſtum eſt, ratum non habebo. » Adde, quòd non naſcitur ius ex iniuria: cùm igitur metum inferre alteri, & terrore ac minis illum cogere ad quidpiam agendum, iniuria ſit, non videtur ex ea ius aliquod verum in contractu exiſtere poſſe.

Secundum quæſitum. Cùm metus efficiat coactionem in voluntatis actu, qui eſt velle, ſiue electio; duplex autem cogitari poſſit coactio, vna ſufficiens, ſiue abſoluta; altera inducens ſiue conditionata: ſufficientem & inducentem vocant Alex. Halenſis in 4. p. q. 8. memb. 7. art. 2. §. 1. & Altiſiod. lib. 2. tract. 11. q. 3. & D. Bonauent. in 4. diſt. 4. artic. 2. q. 1. num. 22. abſolutam verò & conditionatam appellat D. Tho. diſt. 29. q. 1. artic. 1. & Gabriel in eamdem diſt. q. 1. artic. 1. concluſ. 2. 3.

Vtram coactionem gignere poteſt metus, ac vis extrinſecus allata? Reſpondeo, non primam, quam Ariſtoteles violētum ſimpliciter dicit in 3. Ethic. cap. 1. ſed ſecundam, id eſt, conditionatam ſeu inducentem; quam Ariſtoteles violentū mixtum nominat: neque enim voluntas ad ſuum interiorem actum promendum poteſt vllo modo cogi, cùm ille ſit intrinſecè & eſſentialiter volūtarius: quid enim magis voluntariū, quàm velle, propter quod reliqua omnia cenſentur, & ſunt voluntaria: inductiua tamen, & conditionata coactione cogi poteſt voluntas ac conſenſus: propterea quòd voluntas propter timorem quarumdam rerum, & propter quædam alia, nonnulla eligit, quibus ſublatis eadem nollet. Sufficienti autem & abſoluta coactione cogi non poſſe voluntatem, demonſtrant Theologi; & Durandus tribus firmiſſimis rationibus in 4. diſt. 29. quæſt. 1.

Tertium quæſitū. Quotuplex eſt metus cogens voluntatem ad aliquid eligendum? Diuus Bonauentura in 4. diſtin. 29. artic. 1. q. 1. & alij faciunt duplicem. Vnum 4. iuſtum

Digitized by Google

iuſtum, alterū leuem. Iuſtus cadit in conſtantem virū: leuis in inconſtantem. Conſtans autem eſt medius inter pertinacem & inconſtantem, vt inquit D.Thomas in 4.diſt.29.q.1.art.2. & metu maioris mali recta, & prudenti ratione ſtudet vitare minus: contrà pertinax ob minus malum eligit obſtinatè maius; quod etiam facit inconſtans. Ad hæc vir conſtans non quauis opinione impendentis mali mouetur, ſed vehementi: ſed inconſtans ac timidus, leui opinione.

Quartum quæſitum. Quænam ſunt illa, quæ metuit vir fortis & cōſtans? Diuus Thomas, D. Bonauentura, vbi ſuprà, & alij Theologi in 4.d.29. & iuris vtriuſque Doctores, ad iuſtum metum pertinere aiunt mortem, acerbum cruciatum, ſtuprum, ſeruitutem, ſtatus mutationē, diuturnum carcerem. Pertinet huc amiſſio bonorum, ait Panormitanus in c.Abbas, eod. & Angelus, in verbo, Metus §.3. & Syluester eod.tit.§.3.& Nauarrus in ſumma, cap.22.num.51.cùm ſine illis bonis vita ſuſtineri non poſſit. Pertinétne metus excommunicationis? Ait Gloſſa in cap. Olim inter, de reſtit. ſpoliatorū: ſed Ioannes Andreas in cap.cùm dilectus, diſtinguit: quia is, qui minitatur excommunicationem, aut iuſtè, aut iniuſtè minatur: ſi iuſtè, non pertinet ad hunc metum: ſi iniuſtè, pertinet: & hanc opinionem ait Angelus ſecutos eſſe Doctores Rotæ deciſ. 40. quam ipſe ſequitur, & Syluester, in verbo, Metus, §.4. Panormitanus in cap. Cùm dilectus, eod.tit. ait opinionē Ioan. Andreæ eſſe cōmunem; quam idem probat, & in cap.Olim inter, de reſtit.ſpoliat. num.10.& ait eſſe deciſionem Rotæ.

Pertinétne ad eumdem metum infamia? Negat D.Thomas in 4.diſt.29.q.1. art.1.ad 3. ſed Syluester interpretatur D. Thomam de infamia facti locutum eſſe, non iuris: quod idem ſentit Gabriel in 4. ſent.diſt.29.q.1. atque idem Panormit. in cap.Cùm inter, de reſtit.ſpoliat.& Gloſſa in l. Nec timorem.ff.de eo quod metus cauſſa: nam quamuis metum infamiæ neget contineri edicto de metu cadente in conſtantem virum, nihilominus hanc legem interpretatur de infamia facti, non iuris: eamdem ſententiam ſequitur Syluester & Angelus, in verbo, Metu, §.5. Atque hæc formidari à viro forti, ſiue ſibi, ſiue vxori, ſiue filiis intentētur, inquit D.Tho. addit Gabriel in 4.diſt.29.q.1.art.2.prop. 6.ex eod. D.Thom. Innocentio, & Angelo in ſua ſumma, perſonam patris, matris, & aſcendentium.

Quintum quæſitum. Sed quænam eſſet apposita definitio metus cadentis in conſtantem virum? Hæc nobis probabilis viſa eſt aliquando in noſtra diſputatione de libertate contractus. Metus cadens in conſtantem virum eſt inſtantis, grauis, iniuſtíque mali ab homine ſibi inferendi vehemens opinio. Dico grauis: quia leui malo non perturbatur vir conſtās, ac prudens, inſtātis: quia ea quæ longiùs abſunt: quamuis certò euentura ſint, non formidamus: omnes enim intelligunt ſe morituros: nec ea re tamen cruciantur. Id explicat Ariſtoteles in 2.de attic.rhet.cap.5. Grauis: & quoniam nullū eſt grauius malum quàm peccatum, ideo numquam animum inducet vir conſtātia & virtute præditus, vt ob quoduis impendens malum ſiue corporis, ſiue famæ, ſiue honoris, ſiue fortunarum, culpam ſubeat vllam etiam leuiſſimam: vt alibi à nobis grauium Doctorum auctoritate demonſtratum eſt, aduerſus Euſtratiū. Debet etiam eſſe iniuſtus metus, vt Doctores præcipiunt, & ex Gloſſa obſeruat Panormitanus in cap. Abbas, de his quæ metus cauſſa, num.7.

Sextum quæſitum. Quis erit æſtimator, & arbiter iuſti metus? 7.

Reſpondet Nauarrus, in ſua ſumma, cap.22.nu.51. ex ſententia Gloſſæ, in cap. cùm dilectus, de iis quæ vi, & ex ſententia communi eſſe iudicem, vel prudentem arbitrum, qui conſiderabit genus mali: ſítne graue, an leue: genus perſonæ, ſit ne, vir an fœmina: ætatem, ſitne puer, an adoleſcens, vir an ſenex: poterítque exiſtimare eiuſdem mali terrorem illatum vni eſſe

iuſtum, alteri verò eſſe inanem.

Septimum. Quotnam ſunt ea, quæ requirunt liberum conſenſum, qui excludat metum cadentem in conſtantem virum. Reſpondeo, hæc octo. Primùm ea quæ meritoria eſſe debent: vt ſatisfactio, confeſſio, eleemoſyna: quibus meritum adimunt minæ, & terrores graues, grauiúmque malorum. Secundum eſt matrimonium, cap. cùm locum, de ſponſal. & cap. Veniens 11. eod. & 35. quæſt. 5. notificaſti. Tertium, dotis ſolutio ac promiſſio, l. ſi mulier, §. ſi dos. ff. de eo, quod metus cauſſa geſtum eſt. Quartum, iuriſdictio: quare prorogatio eiuſdē ex iuſto metu eſt nulla, l. 2. ff. de iud. idem in l. ſi mulier Gloſſ. defendit. ff. de eo quod met. cauſſ. in qua lege affirmatur planiſſimis verbis numquã fore, vt id prætor ratũ habeat, quod metu geſtum eſt. Item Prælati electio metu factã eſt nulla, vt in cap.. vbi periculum, §. cæterum, de electio. in ſex. Quintum, auctoritas tutorum, quæ ſi metu extorta ſit, nullius eſt ponderis, l. 1. §. vlt. ff. de auctoritate, & conſenſu tutorum & curatorum. Sextum, abſolutio ab excõmunicatione, cap. vnico de iis quæ vi metúſve cauſſa fiunt, in 6. Septimum, teſtes reſtamentorum, qui quamdiu vinculis conſtricti tenentur, vel ſunt in poteſtate hoſtium, non valet eorum teſtimoniũ, l. qui teſtamento. ff. de teſtam. ſed reuera lex illa, qui teſtamento heres inſtituitur, non ita apertè hoc ſignificat, vt multi credunt. Octauum votum metu factum non valet: ſi loquamur de metu ab homine incuſſo; ſecus ſi loquamur de eo quo vtiliter diuinitus ſæpenumero homines commouentur. Hac de re vide Syluestrum verb. met. §. 8. & verbo, votum 2. §. 12. & Angelum verbo, met. §. 8.

8. Octauum quæſitum. Contractus initi metu cadente in conſtantem virum, ſunt ne ipſo iure nulli? Reſpondeo, iure ciuili non videri nullos, ſed reſcindendos officio & auctoritate iudicis: eſt communis ſententia: ſed iure conſcientiæ exiſtimo eſſe nullos: atque ita ex Theologorũ ſententia ſtatuendum eſſe apertè ſcribit Almainus d. 15. tract. de pœnit. q. 2. §. Theologi tamen tenent oppoſitum, & in quæſtione habita in Veſperiis, §. poſtrema. Quærat aliquis, num in foro DEI & conſcientiæ vis par ſit metus leuis ac Vehementis: ita, vt propter vtrumque fiat contractus irritus ſeu irritandus. Diſcrimen non conſtituunt aliquod inter vtrumque metum in conſcientiæ foro, neque Syluester in verbo, metus §. 9. neque Angelus eod. tit. §. 15. neque Nauarrus in ſumma, cap. 22. nu. 51. & cap. 17. num. 29. Ad quam opinionem ipſe aggregat Oſtienſem & Ioan. Andream in cap. verum, de iureiurando, & Adrianum in 4. de reſtitut. cap. aggredior. verſ. ex quibus omnibus, & Sotum lib. 4. de iuſtit. & iur. q. 7. Eadem opinio Couarruuiæ docto viro fuit in regulam peccatum. par. 2. §. 3. num. 7. à quo citantur alij nonnulli.

Prudenter autem admonet Adrianus in eo loco, quem citauimus, metum eſſe debere iniurioſum, & contra bonos mores, non quem magiſtratus iuſtè incutit; quicumque tamdem is ſit metus, ſiue cadat in animum conſtantem, & fortem, ſiue in imbecillum. Quid enim magis pugnat cum ratione, iuſtitia & æquitate, quàm ex iniuria alterius gigni ius illi quidpiam neceſſariò præſtandi? Nec non aliud admonet Adrianus, quàmuis is, qui metu coactus iurauit ſe alteri daturũ decem, dare debeat propter religionem iuriſiurandi, nihilominus eum, qui accepit reſtituere omnino debere; & ſi non accepit, abſoluere à iureiurando eum, qui iurauit.

Verùm nec præpoſterum, nec inconcinnũ erit octauæ huic dubitationi quæſtionem ſubiicere, in qua propriè diſceptetur de metu leui, num is iure conſcientiæ perinde corrumpat contractus, vt metus grauis conſtantis viri mentem perturbans.

* * *

QVÆSTIO III.

Num metus leuis iure conſcientiæ efficiat contractus nullos.

1. SVperioris quæſtionis dubitationem octauam enodantes, diximus, non ſolùm metu graui, verùm etiam leui vitiari contractus: idque communi Theologorũ ſenſu approbari: nec teſtes paucos adduximus, quos cuique promptũ eſt in illius dubitationis explicatione inſpicere.

Verùm quoniam huic veræ ſententiæ rationes nonnullæ aduerſæ ac perdifficiles intercurrunt, quibus confici videtur, non idem in foro conſcientiæ iudicium faciundum de metu leui, atque de graui: idcirco operæ pretium eſt contrarias rationes exponere, atque cum noſtris contendere; & quæ noſtris obſiſtunt, profligare.

Hæc igitur prima noſtræ cauſſæ argumentatio poteſt obeſſe. Quia leges, metum accipiendum, & metum autem. ff. de eo quod metus cauſſâ, & lex, vario. ff. de regul. iur. metus leuis, rationem nullam habent: eumdémque iudices cõtemnunt, neque actionem ei dant, qui metu eiuſmodi commouetur. Deinde, quia quæ leuia ſunt, non debent ordinem & ius peruertere rerum maximarum; & quibus hominum ſocietas continetur, ex quo genere ſunt contractus; quibus ſublatis, humanum genus magna pernicie dilapſum occideret. Poſtremò, quia matrimonij contractus, qui ſummam exigit libertatem, & multò maiorem, quàm reliqui omnes, initus paruo timore iure conſcientiæ valet, vt apertè ſcribit his verbis Richardus in 4. ſent. diſt. 29. art. 1. q. 1. Ergo aliter dicendum ad quæſtionem: ſcilicet, quòd duplex eſt metus, quidam non cadens in conſtantem virum, & coactio conſenſus per talem metum non impedit matrimonium, nec quantùm ad iudicium DEI, nec quantùm ad iudicium Eccleſiæ, argumento ad hoc, extra de ſponſal. Veniens 2. & Sotus in 4. ſent. diſt. 29. q. 1. art. 3. verſu hinc ergo primum argumentum, vult votum & matrimonium valere, ſi eorum cauſſâ leuis metus extiterit.

Sed quoniam, quæ de vtroque metu à nobis dicta ſunt, veriſſimè ex tot & tantorum doctorum auctoritate conſtituta ſunt, turpe eſſet ea reſcindere; quæ firmis etiam rationibus approbãtur. Nam ſi me cogis metu iniuſto, quicumque ſit ille, tecum contrahere, igitur mihi iniuriam facis: ergo hæc iniuria nullum tibi ius parit: imò neceſſitatem adfert & legem, vt mihi pro iniuria ſatisfacias. Satisfacere mihi non potes ex iuſtitiæ commutatiuæ præſcripto, niſi me in integrum reſtituas: & id, in quo me læſiſti, reddas: læſiſti autem in contrahendi libertate: ergo pro infecto habere debes, quod inter nos factum eſt: alioquin in priſtinum ego ſtatum non redirem libertatis meæ. Præterea, ſublata proprietate cõtractus, quæ illi quouis iure eſt neceſſaria, tollitur contractus: ſed in noſtro volumine de contractu docuimus in maximè neceſſariis, & intrinſecis affectionibus contractus eſſe libertatem, qua excluditur fraus, vis, metus, ignorantia: ergo quocumque modo & metu violetur hæc libertas, interit contractus. Ad hæc ius non ius, ſed iniuriam reſcindit; cùm ergo contractus initi metu viri conſtantis reſcindantur à iure, & à iudice, qui vt inquit Ariſtot. in Ethic. l. 5. cap. 4. *Ius eſt animatum*, fatendum eſt ob iniuriam reſcindi: & quia iure naturæ, & gentium ſunt nulli: & illius auctoritas ideo interponitur, primùm, vt id, quod antea ignorabatur eſſe nullum, eius decreto irritum eſſe intelligatur: deinde, vt, qui in contrahendo iniurioſus fuit, ſi ſua ſponte nolit contractum dirimere, & libertatem reſtituere ei, qui vi eſt iniuriam & metum paſſus, coactu & imperio id iudicis faciat.

3. Neque tam magni negotij eſt contraria redarguere: leges enim allatæ, vt auctor eſt Nauarrus, in Summa, c. 22. num. 51. notab. 4. & Angelus, in verbo, Metus. §. 15.

§.15. intelligenda ſunt in foro contentioſo. Nec audiuntur in iudiciis, qui timorem cauſſantur leuem, quòd exiſtiment iudices, merum eiuſmodi non cauſſam fuiſſe rei geſtæ. Tum etiam, ne fora & iudicia litibus compleantur: quam item ob cauſſam venditionem, quæ non habet vltra dimidium fraudem & deceptionẽ, non reſcindit: cùm tamen nullam probet aut fraudem, aut aliquem metum cum iniuria coniunctum. Atque ita diſſoluta eſt prima aduerſaria argumentatio.

Secundam diluere haud eſt operoſum. Cùm enim humanam ſocietatem contineat iuſtitia, iniuſtitia euertat; perturbari hominum genus, & commerciorum non poteſt, cùm profligatur iniuria omnis, & iniuſtitia, & iuſtitia retinetur: ſine qua ſi contraherent homines, humanam ſocietatem diſtraherent, non conglutinarent: nec mercarentur, ſed latrocinarentur.

4. Pluſculum eſt in tertio argumento negotij. Nam ſi metus leuis non vitiat matrimonij contractum, multò minùs ceteros vitiabit. Quod argumentum conuerſione ad hunc modum reprehenditur.

Communi doctorũ ſenſu metus quilibet etiam leuis creat contractus nullos: ergo multò magis nullum reddet contractum matrimonij; in quo omni iure maior requiritur libertas. Sed non ſolùm hæc refutatio ſua vi, ſed extranea etiam, id eſt, non indoctorum diſputatorum auctoritate ſubleuatur. Gabriel enim in 4. ſent.diſt.29.q.1.art.2.concluſ.4. his verbis
» conſtituit. Coactio leuis impediens, &
» tollens cõſenſum, impedit & dirimit ma-
» trimonium in foro conſcientiæ, ſed non
» in foro Eccleſiæ: quia Eccleſia præſumit
» de meliori, & ita de conſenſu libero. & Nauarrus in ſumma, c.22.num.51. not.4. diſputans de impedimento violentiæ, vel metus, his ipſis verbis, quod nos ſentimus, probauit.

5. Ad reddendum actum inefficacem co-
» ram Deo ſufficit quilibet timor, etiam
» minor iuſto: modò ſit cauſſa ſine qua non,
» ſaltem principalis eius, vt dictum eſt ſuprà
cap.17.num.29. poſt Adrianũm, & alios »
ibi citatos: & probatur efficaciter: quia le- »
ges conſtituentes diſcrimen inter alium »
& alium metum, ſe fundant ſuper præ- »
ſumptione: quia præſumunt alium eſſe »
cauſſam actus, aliũ verò non: & lex fun- »
data in præſumptione non habet locum »
coram Deo, ſi veritas ei nõ reſſpondet, »
cap.15. qui, & cap. Tua, de ſponſal. cum »
adnotatis. Hæc doctiſſimus iuxta atque experientiſſimus ſenex. Couarruuias in 4. Decretalium. par.2.c.3.§.6.num.4. ſcribit hoc ab omnibus eſſe receptum, vt metus, qui ſufficit ad reſcindendos reliquos contractus, matrimonium efficiat nullum: quod ipſum Nauarrus teſtatus eſt lib.3. ſuorum conſiliorum tit.de ſponſal. conſ. 36.nu.10. qui lib.1. conſiliorum, tit.de iis quæ metus cauſſa, conſ.3. num.3. ſcripſerat, metu facta aut iure ipſo eſſe nulla, aut certè reſcindenda. Nos autem eſſe iure conſcientiæ, Dei & naturæ nulla ſatis adhuc demõſtrauimus. Decretalis autem illa, veniens, 2.de ſponſal. non cogit, quod exiſtimauit Richardus: quia Romanus Pontifex tamquam iudex reſpondit; qui non perinde ſolet de leui metu, vt de graui, ſuſpicari, ob eas cauſſas quæ allatæ iam ſunt.

QVÆSTIO IV.

Utrùm contractus contra legem humanam initus ipſo iure ſit nullus.

DVo quæſtio hæc exigit: alterum eſt, 1.
an, quæ geruntur à contrahentibus repugnante lege, rata ſint in publicis iudiciis: alterum, an valeant iure cõſcientiæ.

Quæſtionem, non hac adhibita diſtinctione perſequitur Syluester in verbo lex, quæſt. proxima poſtremæ, & Angelus, in verbo lex, num.18. & Ioan. Tabienſis eod. tit.num.36. & Armilla eod.verb.num.9.

Quærunt autẽ illi ſimpliciter, an actus contra

Digitized by Google

contra legem ſit ipſo iure nullus:quod facit ad prioris partis noſtræ quæſtionis explicationem. Eſſe igitur in foro cauſſarum,& ipſo iure nulla,ea quæ prohibente lege committuntur & geruntur, probari facilè poteſt,tum auctoritate legum, tum rationibus. Gregorius Magnus canonem his verbis edidit: & habetur,25.q.2.c. imperiali.Imperiali conſtitutum eſt ſanctione apertè, vt ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia,ſed etiam pro infectis habenda ſint. Et in regula, quæ contra ius, de regulis iuris, eſt his verbis libro 6. Quæ contra ius fiunt,debent vtique pro infectis haberi, & in l.non dubium.C.de legibus, ad hunc modum cauetur. Nullum cõtractum inter eos videri volumus ſubſecutum,qui contrahunt lege contrahere prohibente:& paullò pòſt.Quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta,non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habeantur:licèt Legiſlator fieri prohibuerit tantùm;nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt.

Ad auctoritatem Canonum & legum, quæ valde ſunt luculentæ,accedunt momenta rationum nonnullarum,quæ mihi in mentem venire potuerunt: meliores præſtantiora aliorum ingenia parient.

2\. Prima. In hiſce noſtris reſponſis, & in publicis ſcholis ſæpiſſimè ipſi profeſſi ſumus,& probauimus, contractus formam ſitam eſſe in legitima cõtrahentium conſenſione: ergo, ſi contra legem conſentiunt, non legitimè conſentient: ergo veræ & neceſſariæ formæ expers contractus erit.

Secunda.Obligatio & actio,indiuiduæ ſunt proprietates, & comites contractus: ſed obligationem & actionem non parit contractus, cui aduerſatur lex: nam lex nullam largitur actionem,ſeu ius agendi ei,qui in illam ipſam commiſit: imò verò punit:ergo ſi tollit ius agendi, obligationem etiam elidit:nec enim locus eſt obligationi vllus actione remota: ſunt enim actio & obligatio ad aliquid: At peremptis intimis proprietatibus contractus, ipſum peremptum eſſe oportet.

Tertia. Pactum initum contra bonos mores, & quod turpitudinem habet, eſt nullum,vt à nobis tot legibus,tot auctoribus & rationibus demonſtratum eſt in quæſtione de turpi ſtipulatione, atque promiſſo:ergo cùm contractus ſit pactio, & conuentum vitioſum & flagitioſum,& contra obedientiam, quæ legi præſtanda eſt, nullius momenti eſſe neceſſe eſt: ſic enim eſt in l.pacta quæ, C.de pactis: Pacta, quæ contra leges, conſtitutionéſque, vel cõtra bonos mores fiunt,nullam vim habere indubitati iuris eſt. Quam legem confirmauit ſanctione ſua Gregor. IX. in Decretali poſtrema de pactis.

Verùm his opponunt nonnulli, quòd multa prohibentur iure;quæ tamen facta nequaquam ſunt inania,& nulla: nam ſi matrimonium contrahatur tempore vetito,valet; & diebus feſtis vendũtur nonnulla,quæ licitum nõ eſt vendere ob diei religionem: ipſa tamen venditio habetur rata. Syluester, in verbo, lex. q.28.ſcribit, Piſanellam & Supplementum, ſine vlla exceptione affirmare irrita eſſe omnia, quæ contra legem fiunt. Ipſe verò Syluester eo loco, & Angelus eod.tit. num.18 & Tabienſ.eod.tit.num.36.& Armilla in eod. verbo, num. 9. quattuor excipiunt caſus,cùm id,quod interdicente lege fit, valere ſolet. 3.

Primus eſt cùm cauſſa interdicti non eſt perpetua: verbi cauſſa cùm feriis quibuſdam,certíſque temporibus nuptiæ interdicuntur:ſecus cùm interdicuntur ob cauſſam perpetuam,vti eſt cauſſa affinitatis, aut impotentiæ, aut voti ſollemnis. Secundus cùm lex fauet alicui, priuatámque eius vtilitatem ſpectat: quam poteſt abijcere. Verùm lex non eſt, quæ fertur ob priuati hominis vtilitatem: ſecus verò dicendum,cùm alicuius generis vniuerſi propoſitum habet commodum; vt mulierum & viduarum, vt vxorum, vt militum. Tertius,quando lex certam formam præſcribit quidpiam agendi, ei qui ſuo iure illud ipſum poteſt agere. Quartus,

quando lex punit tantùm agentem, nec eius actum irritat: contrà ſi non puniret, ſed prohiberet.

4. Ioannis verò Andreæ in cap. ad Apoſtolicam, de regul. & communis doctorum, qui illum ſequuntur, vt teſtatur Angelus & Tabienſis, locis citatis, opinio eſt, cuncta, quæ contra legem fiunt, nulla eſſe, niſi aliqua alia lege ſuſtineantur; quæ mihi ſententia retinenda videtur. Sentio igitur, quæ repugnante lege fiunt, niſi illa ipſa aut alia lex, aut conſuetudo iuſta non habeat pro infectis, vitioſa & inutilia eſſe ipſo iure, & in cauſſarum foro.

Idémne de foro conſcientiæ, & Dei dicendum ſit, conſiderandum nunc eſt: & quidem in hoc item foro nullos cenſendos eſſe contractus hæc omnia docēt. Primùm, quia lex iuſta vim habet in foro conſcientiæ: ergo, ſi lex facit irritos contractus, quibus ea aduerſatur, faciet etiam in foro cōſcientiæ. Secundum argumentum. Vbi conſtat de facto, non aliter in foro cauſſarum, & animæ iudicādum eſt: cùm vna ſit iuſtitia, nec diuidatur: ergo ſi in publico foro cauſſarum acta contra legem pronunciantur nulla, nulla item in foro Dei & animi pronuncianda erunt. Tertium. Contractus initus cum pupillo, aut minore, ſi alienationis ſit, nullus eſt iure ciuili & in vtroque foro: quare, &c. Quartum. Alienatio rei Eccleſiaſticæ ſine Romani Pontificis auctoritate, & ſine euidenti vtilitate, locatio item fructuum fundi Eccleſiaſtici, quæ tribus annis ſit diuturnior, nulla eſt in omni foro, per extrauagantem Pauli II. Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienan. quæ ab aliis recentioribus Pontificibus Paulo IV. Pio IV. & V. confirmata eſt: ergo, &c. Quintum & poſtremum. Matrimonium initum cum aliquo impedimēto dirimente contra legem tantùm Eccleſiaſticam eſt nullum conſcientię iure, ex omnium ſententia, & Eccleſiæ generali conſuetudine, & quotidianis Apoſtolicæ ſedis reſponſis, & diſpenſationibus: ergo acta contra humanam legem in quouis foro pro inutilibus & infectis habenda ſunt.

Quamuis hæc ita ſe habeant, ipſa tamen veritas æquitáſque largitur, vt & interpretationis & diſtinctionis benignitate quadam illa ipſa temperemus. Dico igitur, cùm omnia iura naturalia, diuina & humana, æquitatem tueantur, in eo præſertim rerum genere, quæ prætermitti nonnumquam poſſint, & ſuſcipi contrariæ: dico, inquam, ab ipſa æquitate impetratum eſſe, vt, quod aut ob iuſtam inſcitiam, aut ob quampiam grauem neceſſitatem, ſiue impotentiam ſecus quàm humana lex ſtatuit, actum eſt, irritum & infectum eſſe non debeat. Quando præſertim intelligi poteſt legem & legiſlatorem eiuſmodi tēporibus concedere, vt à præſcriptione verborum diſcedi poſſit. Tunc enim menti paretur legis & legiſlatoris. Etenim, vt inquit D. Thom. in 1. 2. q. 96. art. 6. cùm ad ſuperiorem recurri non poteſt, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam: quia neceſſitas non ſubditur legi. Ac D. Antoninus in 1. pat. tit. 17. cap. vnico, de lege canonica, §. 6. commendat illud Gratiani. 1. qu. 1. remiſſionem, §. ſed notandum: Neceſſitas non habet legem, » ſed ipſa ſibi facit legem: & quoniam iuſta » ignorantia legis, ſeu facti, non minùs excuſationis habet, quàm neceſſitas: ideò, cùm quis aut per inſcitiam expertem culpæ, aut cogente neceſſitate ab humanæ legis præſcriptione recedit, ſi iura diuina, naturæ, & gentium, conſeruata ſint, nihil eſt cur illud factum infectū debeat eſſe: nam, vt factum ſit, & tolerari debeat, æquitatis ratio facit. 5.

Itaque hoc ius æquitatis ſuadet, vt matrimonium auctoritate Eccleſiæ palàm, & cum bona contrahentium fide celebratum, quamuis poſtea retectum ſit impedimentum quodpiam dirimens, quamuis ſit illud iuris naturalis & diuini impedimentum, ſi nec probari poteſt Eccleſiæ, nec obeſt contrahentium ſaluti, & retectum turbas facere poſſit, matrimonium tolerari debeat: & ob fidem probam proles erit legitima. Non tamen illud dederim,

Google

rim, vt quis vnquam ob quamlibet neceſſitatem cum impedimento dirimente nuptias ſciens contrahere poſſit: quia matrimonium non ſolùm eſt contractus humanus, ſed etiam ſacramẽtum; quod non permittit id omne, quod in reliquis humanis actis neceſſitas concedere ſolet. Et præterea conſtat, nec legem nec legiſlatorem velle, vt nullo caſu cum impedimento dirimente matrimonium contrahi poſſit.

6. De locatione fructuum Eccleſiaſticorum, cùm eius cauſſa, aut ignorantia iuſta, aut neceſſitas extitit, idem cenſeo. Nec aliter iudicandum eſſet de alienatione pupilli, aut minoris, quando ob eamdem neceſſitatem, vel ignorantiam cum eo contractum eſſet: nec vlla re in contrahendo conditio eius facta eſſet deterior: vt ipſi in alia noſtra diſputatione multis rationibus confirmauimus: certiſque legibus docuimus, non omnia, quæcumque cum minoribus geruntur, irrita eſſe, vel etiam reſcindenda: nam in lege, quòd ſi minor, §. nõ ſemper. ff. de minoribus, cautum eſt his verbis. Non omnia, quæ cum » minoribus geruntur, reſcindenda eſſe, ſed » ad bonum & æquum redigenda: & lex, non omnia, eod. tit. decernit, non ſingula, quæcumque annis viginti quinque minores gerunt irrita eſſe: ſed ea tantùm, in quibus vel ab aliis circumuenti, vel ſua facilitate decepti ſunt: & Nauarrus in 4. lib. ſuorum conſiliorum, tit. de ſponſal. conſ. 39. num. 11. probat, pupillum proximum pubertati, qualis eſt fœmina poſt nonum annum & dimidiatum, & mas poſt decimum dimidiatum, contrahere poſſe, & contrahendo obligari naturaliter ex l. 1. ff. de action. & obligat. & ex §. pupillus, inſtitution. de inutilibus ſtipulationibus: & ex aliis, quæ citat Decius in l. negotiis. ff. de regul. iuris.

7. Videndum autem eſt, ne in eius erratiluto hæreamus, in quo mihi narratum eſt, quempiam hæſiſſe hominem non indoctiſſimum ſuo etiam iudicio ſatis doctũ, qui docuit, qui ſciens cenſum inſtituit contra conſtitutionem Pij V. eum mortiferam quidem culpam contraxiſſe, ſed tamen, ſi iure gentium, vel naturæ contraxit, contractum valuiſſe: quod à viro ſapiente vel ſomniante fingi non poterat: quid enim tam contrarium bonæ fidei, quàm ſcelus, & lethale crimen? ergo cum fraude violat legem, qui in eam tale peccatum peccat. At fraus non ſolùm humanæ, ſed etiam diuinæ & naturali legi eſt maximè infeſta: quare tunc actum aduerſus legem humanam, non ſolùm humano iure, ſed etiam diuino ac naturali nullum eſt: humano quidem per ſe es & primò, diuino verò ſecundariò & conſequenter: quia hoc iure proſcribuntur doli, fraudes, & flagitia: quibus natura non dubitatur contaminari contractus, eodémque iure cogimur, humanis legibus iuſtis obtemperare.

Quocirca, qui vel inſcitia, vel neceſſitate, de qua ſuprà dictum eſt, adducti contra humanam legem, ſed tamen non contra mentem legis & legiſlatoris contraxerunt, ſtatim atque intellexerint ſe contra legem contraxiſſe, & potuerint contractũ ad humanæ legis formam dirigere, facere id debent: quia, ſi non fecerint, bona fide corrupta, inutilis etiam, & pernicioſus inciperet eſſe contractus.

Id ego vſque docui, & aliis, qui me conſuluerunt ſuaſi: & quoad facere potui, perſuaſi.

Ex turpi promiſſo, ſtipulationéve num aliqua oriatur obligatio.

QVÆSTIO V.

SAnè grauem, ſatíſque litigioſam diſputationem ordimur, quæ multos ab hinc annos inchoata à nobis, in libris noſtris de contractibus inſtitit. Nunc opitulante Deo re meliùs conſulta, & diutiùs explorata, ad exitum adducetur. Quæſtio 1.

enim non modò iuriſconſulto, ſed etiam eſt perquàm digna Theologo.

Vtrúmne ex flagitioſo promiſſo, atque conuento, vlla obligatio actióve exiſtat aut exſoluendi promiſſi, aut flagitandi. Verbi cauſſa, quis certæ pactione mercedis aut virginem in ſtuprum, aut alterius vxorem in adulterium, aut puerum in nefariam libidinem, aut ſicarium in necem alterius illexit.

Anquiritur, an poſt admiſſa ſcelera, poſtquam ſuis cupiditatibus ſatisfecit, is, qui pretium eſt pollicitus, recepto, fideique promiſſi ſatisfacere debeat, pactúmque pretium pendere. Dixi poſt admiſſa ſcelera: nam ante, vtrumque ſtipulatorem ab criminoſa ſtipulatione abire oportere omnes confitentur: nullis enim pactis, ſeu conuentis, aut ſibi aut alteri neceſſitatem imponere cuiquam licuit aliquando peccandi. Verùm, cùm quiſpiam mercedis pollicitatione obiecta, quod exſpectabat, conſecutus eſt, dependendi promiſſi conſcientiæ iure, cogine poſſit ac debeat, de eo non omnium Doctorum ratio oratióque conſentit.

Noſtræ ætatis nonnullus Theologus in ſua quadam diſputatione multis verbis hac de re diſſerens hæc omnia ponit. Primum, quodlibet peccatum, ſiue quod in committendo, ſiue quod in omittendo conſiſtit, non hactenus, vt Deum offendit, ſed propter voluptatem, vel laborem, pretium mereri. Secundum, ſceleratam fœdámque promiſſionem, vel ſtipulationem ad impetrandum facinus peccatum eſſe idem ſpecie, & numero cum eo quod admittendum eſt. Tertium, genus hoc ſtipulationum ante factum, ſeu euentum, nullam vim habere obligandi mercedis ſpóſorem, poſt factum habere. Quartum, poſt euẽtum iuſtitia naturali cogente ſoluendum eſſe pretium ei, qui pecunia corruptus facinus conſciuit. Quintum, communem hanc eſſe Doctorum opinionem. D. Thom. in 2.2.q.37. art.7. & q.62. art.5. ad 2. & Caietani eos articulos explicantis, & Adriani in quæſtione de meretricio quæſtu, & Couarruuiæ in regula peccatum, par.2.§.2. num.1. & Nauarri in manuali, cap.17.à, num.30.

Quæ omnia, excepto ſecundo, quàm rectè ab hoc doctore dicantur, ex hac noſtra diſputatione intelligetur. Oſtenſuri enim ſumus nihil eſſe in peccato pretio dignum, non actum, non voluptatem, nõ laborem, non quiduis aliud. Flagitij ſtipulationem prorſus irritam eſſe, & nullam, non magis ante euentum, quàm poſt illum: facinoroſæ operæ locatori nihil omnino deberi, nec ei ius eſſe aliquod promiſſæ mercedis poſcendæ. Hanc fermè omnium Doctorum eſſe ſententiam, duobus exceptis, Soto in 4. de iuſt. & iure, q.7. art.1. vbi etiam ſecum ipſe videtur pugnare, vt aliàs probaturi ſumus, & Caietano in 2.2.q.32. art.7. & planiùs in qu.62. artic.5. Nauarrus in 2. volumine conſiliorum lib.5. de ſentent. excommun. conſ.51. in extremo ſcribit, promiſſionem ex delicto etiam poſt impletam conditionem, eſſe nullam: verùm huius ſententia ſuo loco magis elucebit. 2.

Neque verò in ſecundo ſuo pronunciato, Theologus cui nunc aduerſamur, ſatis collineauit; cùm ſcripſit, eum, qui improba ſtipulatione crimen mercatur alterius, illud ipſum vitium, ſeu peccatum ſuſcipere, quod mercatur, furtum, ſi furtum; ſtuprum, ſi ſtuprum; homicidium, ſi homicidium emit. Atqui diſtinctio adhibenda erat neceſſariò. Etenim ſi is, qui turpi pollicitatione mercedis ſe alteri obſtringit ad facinus edendum, proiecta eſt impudentia, & animo parato ad flagitium committendum, & ad lucrum pro flagitio captandum, verum eſt pronunciatum Theologi: ſin autem qui pecunia, aliόve promiſſo corrumpuntur, voluntate à flagitio abhorrent, & flagitioſa lucella minimè conſectantur: is, qui hoc genus hominũ ad flagitij turpitudinẽ peruerſa ſtipulatione prolectat, duplicem culpã contrahit: primã, quæ eſt illa ipſa, pro qua mercedem offert: ſecundam, ſcãdali, quo animã occidit eius, quẽ ad delinquendũ inducit.

Sed

3. Sed ne forte à propoſito aberrare videamur, ad quæſtionis, quæ in manibus eſt, explicationem reuertamur: quæ quidem explicatio vt vndique completa ſit, tria mihi facienda ſunt omnino.

Primùm, docebo omnẽ ſtipulationem inhoneſtam; omne pactum, & conuentum, quod turpitudine & ſcelere fœdatum eſt, non eſſe ratum, eſſe inutile, nullámque parere obligationẽ & actionem in Chriſti & naturæ politia. Deinde oſtẽdam, etiam poſt factum vim nullam habere. Ad extremum, quæ contrariæ opinionis fidem extruere videntur, deiiciam omnia. Ac primùm illum locum de turpium ſtipulationum vitio, tum Pontificij, tum Imperatorij iuris auctoritate, tum Doctorum conſenſione, tum rationum firmitate haud difficile eſt tenere.

Totius igitur probationis principium ſit ius Pontificum, in quo hæ omnes reperiuntur ſententiæ præcipuas dumtaxat ſeligam. In Decretali, pactiones: quæ eſt » Greg. IX. de pactis, ſic Gregorius. Nam » etiam iuxta legitimas ſanctiones pactum » turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis, de » iure vel de facto nullam obligationem » inducit. Gloſſa in illa verba, rei turpis: nulla, inquit rei turpis eſt obligatio. ff. mandati l. ſi remunerandi. §. rei turpis: & » in verbo, legitimas, Secundùm leges tur» pe pactum non tenet. In regulis iuris hæc » ſunt. Non eſt obligatorium contra bonos » mores præſtitũ iuramentum. Regula non eſt obligatorium. de reg. iur. l. 6. Gloſſa, & habuiſti idem de impoſſibili ſuprà eodẽ, nemo poteſt, vt ibi dixi; hoc eſt impoſſibile moris, vel iuris; &, vt hic dicit Dynus, » quæ contra bonos mores ſunt, impoſſibi» lia dicuntur de iure. ff. de condi. inſtit. l. filius. & l. conditiones, & l. quidem. Non tenet ergo turpe pactum, vel contra bonos mores. Hactenus Gloſſ. & regula in » malis, eodem tit. in malis promiſſis fidem » non expedit obſeruari. In additione ex Dyno hæc item habentur. Idem Dynus, qui dicit mala promiſſa ipſo iure vitiari. ff. de pact. l. iuriſgentium. §. generaliter. & de verb. obligat. l. generaliter. & l. veluti. & l. ſtipulatio hoc modo. & l. ſi plagij. & l. ſi ſtipuler. inſtit. de inut. ſtipul. §. quod turpi. & in vtriuſque regulæ explanatione vtitur Gloſſa exemplis poſt factum. & in regula quæ contra. Quæ contra ius fiunt » debent vtique pro infectis haberi: at quæ » contra bonos mores fiunt, fiunt contra ius diuinum, humanum, & naturale, ergo pro infectis habebuntur. & 22. quæſt. 4. can. in malis promiſſis. In malis promiſſis » reſcinde fidem: quia impia eſt promiſſio, » quæ ſcelere adimpletur. Vbi Gloſſ. admo» net malum promiſſum non eſſe ſeruandum. & can. ſi ad peccatum. eadem diſt. & cauſſ. Non eſt appellanda fides, quæ » ad peccatum faciendum adhibetur, ex » Auguſtino de bono coniugali, c. 4. vbi Gloſſ. ait, nullam contrahi obligationem in turpibus.

Iura nunc ciuilia inſpiciamus. in l. generaliter. ff. de verborum obligation. his verbis cauetur. Generaliter nouimus tur» pes ſtipulationes nullius eſſe momenti. & » in l. mercedem. C. de condictione ob turpem cauſſam, ex ſtipulatione contra bo» nos mores interpoſita denegandas eſſe » actiones iuris auctoritate demonſtratur. » & in l. pacta quæ. C. de pactis. Pacta, quæ » contra leges, conſtitutionéſque, vel con» tra bonos mores fiunt, nullam vim habe» re indubitati iuris eſt. Huic legi par eſt il» la, quæ extrema eſt in eod. C. eodémque tit. & C. de inutilibus ſtipulationibus. l. ex inſtrumento. Cùm omnia quæ cõtra bo» nos mores in pacto, vel ſtipulatione de» ducuntur, nullius momenti ſunt. Quid leges apertiùs afferre poterant? idem probant duæ aliæ leges. lex alia. §. 1. ff. ſoluto matrimonio. & l. 1. §. Si conueniatur. ff. depoſiti. & in ff. de pactis. l. iuriſgentium. §. Si vt maleficium. Si vt maleficium fiat, » promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex hac » conuentione. & in ead. l. §. Si paciſcar, » Pacta à iure remota ſeruare non oportet, » & eodem. §. Stipulatio interpoſita de iis » pro quibus paciſci non licet, ſeruanda nõ » eſt, ſed omnino reſcindenda. & ff. eod. » 4.

Digitized by Google

„ l. ſi vnus. §. Illud, Illud nulla pactione „ effici poteſt, ne dolus præſtetur. Et ſe- „ quenti §. Pacta contra publicam vtilita- „ tem, vel quæ turpem cauſſam continent, „ non ſunt ſeruanda.& l.ſi plagij.ff.de verb. „ obligat. ſi plagij faciendi, vel facti cauſſà „ concepta ſit ſtipulatio, ab initio nõ valet: quæ lex iugulat omnino ſententiam illius Theologi:& inſtit.de militibus ſtipu- „ lationibus. §. Quod turpi. Quod turpi „ ex cauſſa promiſſum eſt,non valet. Leges alias non minùs illuſtres repetere poſſem, niſi has commemoraſſe ſatis cuique eſſet.

5. Prudentis item diſputatoris eſſet, Doctorum teſtimoniis in hac cauſſa ſuperſedere: cùm tam explanatæ legum voces ſuorum interpretum, omniúmque, qui illis parere debent, patrocinium minimè deſiderent. Sed quoniam res agitur cum pertinacibus aduerſariis, hoc genus probationis haud prætermittendum eſt.Bartolus,Baldus,Paulus Caſtrenſis,Alexand. Immola in l. generaliter. & in l.ſi plagij. ff. de verb. oblig. apertè hoc fatentur. & Baldus negat remunerari poſſe maleficiũ. & Alex.ex Paulo Caſt.in l.ſi plagij,ſcribit, diſpoſitionem remuneratoriam maleficij eſſe nullam:& hanc eſſe opinionem communem, Pontificij iuris explicatores videto in cap. poſtremum de pactis. in cap. quia plerique, de immunit. Eccleſ. & in cap. cùm ſit nimis de Iudæis.

Alteram partem diſputationis ingrediamur; certíſque rationibus perſuadeamus etiam poſt euentum & maleficium nullam ſupereſſe obligationẽ illius quoquomodo remunerandi: quam ſententiã Doctorum communem eſſe ſcribit Alex. in l.ſi plagij.ff.de verb. obligat. vbi docet ex Paulo Caſtrenſi,diſpoſitionem, verba ſunt eius, remuneratoriam maleficij eſſe nullam. & Baldus negat remunerari poſſe maleficium. Sed hunc ipſum locum argumentis vrgeamus: & primo loco exponamus ea quæ leges ſuggerunt: quæ quidem leges dicunt, ſtipulationes contra bonos mores eſſe nullas, nullam vim habere, nullam obligationem parere, pro infectis habendas eſſe, non eſſe ſeruandas, eſſe reſcindendas omnino, eſſe inutiles.

Sit igitur primum argumentum.Si poſt factum ſeruandæ ſunt: ergo habent aliquam vim, aliquod momentum: at id vniuerſæ leges inficiantur. Secundum. Sunt omnino reſcindendæ: ergo etiam poſt factum;alioqui non omnino, ſed ex parte,id eſt,ante factum dumtaxat. Tertium. Sunt pro infectis habendæ: at ex non facta ſtipulatione non poteſt ius facti oriri. Quartum. Non ſunt ſeruandæ: ergo nec poſt factum: nam certum eſt ante factum ab iis recedi, & non ſeruari inter ſtipulantes. Quintum. Sunt inutiles:ergo poſt factum nõ debent eſſe emolumento alterutri contrahentium;nec ei, qui ſceleratæ paruit ſtipulationi admittendo ſcelere: nam ante admiſſum certũ eſt fere illi non eſſe vtiles. Sextum. Fraudem admittere in depoſito, eſt res facti: at negat lex valere ſtipulationẽ de fraude non præſtanda in depoſito. Septimum. Lex, ſi plagij. ff. de verb. obligat. ſtipulationem conceptam cauſſa plagij faciendi,vel facti, non vult ab initio valere: ergo nec ante, nec poſt factum plagium: quæ lex rem totam conficit; de qua diſſeritur. Octauum. Obligatio & actio ſunt ad aliquid, vt ipſi ſæpe aliàs probauimus: ergo vbi non eſt locus actioni, nec obligationi erit: ſed poſt factum non poteſt ſtipulator vnus improbus aduerſus alterum agere:ergo alter ei non eſt obligatus; minor probatur: quia, vt eſt in l.itaque fullo. ff. de furtis; actionem ex improbitate ſua nemo conſequitur. Nonum. Concedit aduerſa ſentẽtia ſtipulationem flagitioſam ante factum eſſe nullam:ergo concedere debet etiam poſt factum: nec enim ſi poſt factum vim habet, eam habet ex nouo pacto,ſeu conuentione inter contrahentes,ſed ex illa,quę factum præcucurrit: at illa teſte aduerſario fuit nulla: ergo, &c.

Decimum. Stipulationis contractus eſt 7.

eſt ſitus in verbis, vt inter omnes conſtat: ſed turpis ſtipulatio formam non retinet contractus; quæ eſt legitima contrahentium conſenſio: ergo prorſus obligatione caret, ſiue quæ factum antecedat, ſiue quæ ſequatur. Vndecimum. Si obligatio vera & legitima, ſemel extincta, numquã reuiuiſcit: ergo multò minus obligatio; quæ numquam fuit ante factum; & pro infecta, nedum extincta habetur à legibus, à ratione, iuréque naturali, poſt factum aut reuiuiſcet, aut exiſtet. Duodecimum. Lex, ratio, natura, DEVS, multò magis oderũt, puniúntque turpitudinem rei factæ, quàm faciendæ; flagitij commiſſi, quàm committendi: ergo ſi propter turpitudinem rei nondum factæ obligationem tollunt ex promiſſo, & ſtipulatione, multo magis tollere debent ob turpitudinem iam factæ. Decimumtertium. Obligationes, quæ ad malum inducunt, & ſcelera fouent, tolerari nõ debent: ſed, ſi turpia promiſſa poſt factum ſeruanda forent, peccandi licentia corroboraretur; & aditus ad infinita ſcelera pateficeret: ergo. Decimumquartum. Ob eas ſtipulationes, de quibus contendimus, lex ciuilis poſt factum actionem nullo modo permittit, de quo ipſo nullus nobis contradicit: ergo nec ius naturale, nec diuinum, nec canonicum, permittere debent at ſublata actione nullus obligationi locus relinquitur, quare, &c. Decimumquintum. Votiuæ & iuratæ promiſſiones, quæ nos DEO deuinciunt, multo plus habent roboris, quàm humanæ: ſed ex ſententia communi Theologorum in 3. ſent. diſt. 39. & in 4. diſt. 38. promiſſiones eiuſmodi, ſi peccata ſint, etiam poſt factum ſeruandæ non ſunt: ergo multò minùs humanæ. Decimum ſextum. Ius ex iniuria non naſcitur, neque naſci debet: ſi ergo ex iniuria facienda cuiuſuis pacti & promiſſi interpoſitu nullum oritur ius; multò minùs ex iam facta oriri debet.

8. Poſtrema ratio eſt Durandi, cui nullus refragabitur, non praua animi contentione prouectus. Sic enim argumentatur in 3. ſent. diſt. 39. quæſt. 4. iuſiurandum, quod turpi conditione conceptum eſt, vbi ea extiterit, nõ eſſe neceſſariò ſeruandum. Qui votum facit inhoneſta conditione pollutum, ſi poſt conditionis euentum illud cogitur ſoluere, accidere id non poteſt, niſi quia furtum v.g. è ſententia euenit, at ob id votum ſoluere eſt nouo ſe impietatis ſcelere obligare. Quare, qui aiunt, poſtquam extitit conditio, voto ſatisfacere debere eum, qui ad votum turpem conditionem adiunxit, quamuis nõ ex cõditione fieri id debere dicant, aientia & negantia eodem tempore fateri coguntur, inquit Durand. tota enim obligatio è conditione apta eſt. Quæ argumentatio in omnia promiſſa & conuenta valer, quæ aut conditionis inhoneſtæ, aut flagitij adiunctione inquinantur. Vt, tantùm tibi dabo, ſi plagium, ſi necem feceris; ſi alio quopiam ſcelere mihi obſecutus fueris. Iuramentum, inquit D. Thom. in 3. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. quod de neceſſitate ad peccatũ obligat, ab alia obligatione euacuatur: id quod cadit in quamlibet promiſſionem non iuratam, cuius minùs arctum eſt vinculũ.

Dicunt pro teſtimonio in hac ipſa cauſſa, omnes illi, qui iubent reſtitui lucra facta cum turpitudine vtriuſq; partis: quorum communis exiſtimatur opinio: vt ex ea, quæ cum hac iungetur quæſtione intelligetur. Stat in hac eadem Nauarrus, in Manuali, c. 17. num. 31. vbi ait, titulum, quo aliquid pro maleficio datur, eſſe ipſo iure nullum: & num. 4. ſtipulationem factam meretrici de pretio dando, negat valere: nec meretricem ex ea poſſe agere: & numer. 41. opinionem hanc noſtram omnino confirmat. Couarr. in relect. reg. peccatum. l. 6. p. 2. §. 7. Stipulationes, de quibus loquimur, ait, verba ſunt eius, à legibus inualidari quoad ius agendi, ſed non quoad ius retinendi. Medina. C. de rebus reſtituendis, quæſt. 20. idem tuetur acerrimè: nec ſinit meretricem retinere quod lucratur, tamquam rem ſibi debitam;

tam; ſed tantùm ex donatione. Quamquam in calce illius quæſt.20.& quæſt.28. addat poſt factum ex fidelitate implendam promiſſionem: ſed ne ſecum ipſe pugnet, intelligamus eam fidelitatem ad obligationem tantùm gratuitam & moralem pertinere: quæ tamẽ ipſa conſcientiam minimè cogit ad agendum.

9. Quocirca circumſpectis rebus omnibus, rationibúſque ſubductis huius ſecundæ partis hæc ſumma eſſe deberet: in contractibus, pactionibus, ſtipulationibus, promiſſis, quæ cum honeſtate morum, cum legum ſanctitate pugnant, nullam obligationem, quæ ex contractu ſit, & dicatur, ineſſe: ſed obligationem dumtaxat ex maleficio; quæ facit, vt contrahentes non ſolùm vllo præmio, ſed æternis malis, atque tormentis apud Deum, apud homines etiam ſint vltimo ſupplicio digni. Verè enim illud à D. Thoma editum eſt in 4. lib. ſent. diſt. 17. quæſt.2. art.3. quæſtiuncula 2. ad 1. argum. Quilibet peccator nõ ſolùm æterna, ſed etiam temporali morte dignus eſt.

Ac ne diutius in rebus perſpicuis & per ſe cognitis hæreamus, ad tertiam partem diſputationis accedamus: atque ex altera parte, quæ dici poſſunt, videamus, ac diluamus.

Porro autem maximum aduerſariæ rationis fundamentum eſt, in flagitiis eorum, qui ad ſceleratè agendum aut corpora, aut operas ſuas locant, duo ſpectari debere, vnum eſt prauitas actionis, Deíque offenſio; alterum, quòd prauitas non eſt, vti eſt voluptas, moleſtia, entitáſque actionis: primum venale eſſe nequit; ſecundum per ſe, ſuaptéque natura vendibile eſt.

10. Verùm nulla id eſt accurata conſideratione inuentum. Si enim res quæpiam, quia ens eſt, vendibile eſt: ergo Deus, Angelus, animus rationalis, gratia diuina, ſacramenta quia entia ſunt, & quidem nobiliſſima, vendi poſſent. Ad hæc ſi res ſacræ, quæ omne pretium vincunt, venales eſſe non poſſunt; eã, quæ à prauitate abiungi nõ poſſunt, & quæ ſunt infra omne pretium, vendi poterunt? Adde, quòd res non cadit ſub contractum, aut venditionis aut locationis, quia res eſt; ſed quia vtilis: at res flagitioſa nec ſcelus patranti, nec cuiquam alij vtilitatem præbet: interimit enim virtutem; quæ præcipuum & verum bonum eſt in rebus humanis.

In voluptatem verò hæc item propriè dici poſſunt. Primum, voluptates, quæ improbas actiones ſequuntur, improbas eſſe, & ſuarum actionum naturam nanciſci, ſcripſit Ariſt. in 10. ethico. c.5. ergo voluptas, quæ eſt maleficij comes, ſcelerata eſt: ergo nec vllo minimo momento plus voluptati quàm ſuæ actioni tribuendum. Deinde, voluptas cum vitioſa actione hærens famulatur improbitati, & vitio, & illud facit diuturnius & iucundius; mala eſt igitur: nullius igitur pretij. Poſt, id, quod ab actione ſeparari non poteſt, pretium ſeparatum habere non debet: ſed voluptas ab actione ſeparari non poteſt, vt ait in eod. loco Ariſtot. ſic enim cum actione copulatur, vt illo ipſo teſte pene res eadem videatur: ergo ſeiunctum præmium habere non debet. Confirmatur. Nemo voluptati actionis, ſed ipſi actioni pretium pendit; vt ſcriptioni, lectioni, ædificationi, curationi, vectioni, nauigationi, foſſioni: quod certo eſt argumento, non voluptatem operis, ſed opus ipſum æſtimari: opus autem voluptuoſum malum tum apud Deum, tum apud homines non præmium, ſed ſupplicium mereri nemo ambigit. Tum ſi voluptas, aut moleſtia operis vitioſi meretur præmiũ: ergo diligi poteſt, & eligi: at quis ita deſipiat, vt ſine noua culpa quempiam credat diligere poſſe eam voluptatem, aut moleſtiam, quæ ex facinoroſa extitit actione? Poſtremò: ſi actus vitioſus, aut ratione entis, aut voluptatis, aut moleſtiæ, ſeu laboris meretur prẽmium, ſiue iuſtam mercedem, cur à principio ſtipulatio de pretio illis ſeparatim ſoluendo improbatur?

Hoc igitur euerſo fundamẽto, reliqua haud laboris operoſi fuerit ſummouere.

Secun

Secundum. Contrariæ opinionis firmamentum eſt: quòd ſtipulatio cum meretrice inita de dando pretio ob turpem concubitum, ſaltem poſt factum valet: cogitúrque ab iudice ſcortator conuentum pretium ſoluere: ſiquidem vt meretrix turpiter faciat in eo, quòd meretrix eſt, non tamen turpiter accipit, vt eſt in l. 4. ff. de condictione ob tur. cau. quam legem ſecuti ſunt omnes Theologi. & Alex. Halenſis in 4. p. q. 24. memb. 5. art. 3. §. 6. citans D. Auguſtinum, ait meretricem turpiter acquirere, ſed non turpiter accipere.

Ac fermè Doctorum indoctorúmque hominum conſpiratione conſtat, ſuum corpus vulgantibus meretricibus mercedem deberi.

Tria ſunt huius ſecundæ rationis capita: quæ noſtram diligentiam in excutiendo deſiderant. Primum eſt. Num ſtipulatio inter ſcortatorem, & ſcortũ valeat. Secundum. Vtrùm illa turpiter accipiat. Tertium. Vtrùm tamquam iure ſibi debitum capiat, quod capit.

De primo capite nemini aſſentiri poſſumus: ruerent enim illa omnia, quæ adhuc ædificauimus. Etenim ſi ſtipulatio & promiſſio comparata ad meretriciũ coitum, eſt iure naturali ac diuino interdicta; & eſt peccatũ ſuppliciis mactandum ſempiternis; turpem & flagitioſam eſſe oportet: nec cùm minùs quàm aliæ turpes ſtipulationes bonis moribus aduerſetur, non video cur hæc vna valere debeat. Scio Bartolum & Cynum in l. 4. ff. de cond. ob tur. cauſ. crediddiſſe eiuſmodi ſtipulationem valere: & de Cyno quidem teſtatur Roſella, in verbo, Reſtitutio, ſectione 14. num. 14. de Bartolo, Nauarr. in Summa, cap. 17. num. 40. quem ait à multis eſſe receptum; de vtroque autē Adrianus, in 4. tract. de reſtitutione, quæſtione, » quæ incipit. Oritur alia quæſtio.

11. Verùm potior nobis eſt Gloſſarum auctoritas in l. 4. ff. de cond. ob tur. cau. & in l. 2. cod. tit. & in l. affectionis. ff. de donat. quas multi complexi ſunt eodem teſte Nauarro, quæ negant meretriciam ſtipulationem, de qua nunc diſceptatur, valere, ex eáque agi poſſe. Et licèt Nauarrus Gloſſas, & Bartolum ita conciliet, vt hũc verè opinatum eſſe dicat in foro externo, illas veras eſſe dicat in foro conſcientiæ; nihilominùs cùm leges ciuiles ſint, & quæ fori ciuilis ſunt, tractent, nobis etiam in foro ciuili videntur eſſe intelligendæ.

Secundum & tertium caput interpretationis indigent. Meretrix enim & turpiter, & non turpiter, accipit: turpiter, ſi vel propter ſtipulationē, quæ crimiinoſa fuit, vel propter ſcortationem, quod crimen eſt: quum enim cauſſa acceptionis turpis eſt, turpem quoque acceptionem eſſe neceſſe eſt; nouóque crimine contaminatā: non turpiter accipit, ſi aut tamquam munus, ſeu tamquam quod gratuitum capit, quod capit, aut tamquam quid derelictũ, vt ait Nauarrus, in Summa, cap. 17. num. 40. ſecutus Antoninum: vel, vt nos cenſemus, ſi accipit tamquam lucrum à lege ſibi tributum, legéque iubente, vt mox enucleatiùs dicturi ſumus, ſibi addictum. Illud porro in Nauarro non probo, num. 36. quòd vitam profiteri meretriciam; vel, vt is loquitur, meretricari humano iure negat eſſe turpe: nam palam pugnat cum l. 4. ff. ob tur. cau. vbi dicitur *turpiter facere meretricem, quòd meretrix ſit.*

Tertium caput eſt multorum opinione infirmius. Primũ; quia illud, quod tamquam exploratum ſumitur, ſcorto promiſſum munus deberi, non habet multorum & grauium auctorum approbationem.

Huic enim luparum gregi nihil iuſtitiæ lege tribui oportere perſpicuis rationibus oſtendit Nauarr. in Summ. cap. 17. 12.
num. 38. & iis quæ antecedunt: & Medina C. de reb. reſt. quæſt. 20. nec mens alia Adriano fuiſſe videtur in qq. de reſtitut. quæſtione, quæ incipit. Reſtat inquirere » an extorta. Vbi ait opus facientis malum, » nullius eſſe valoris, verba ſunt eius: & quæſtione cuius eſt initium, Oritur alia » quæſtio. in eod. tract. non vult valere ſti- »

AAA pulatio

pulationem, qua leno mercedem lenocinij ſtipulatur; licèt donatio valeat. l. mercalem. C. de cond. ob tur. cau. nec eo loco Adrianus aliter de ſtipulatione meretricis ſentit. Deinde ſciendum eſt, non parū inter hæc duo differre, meretricem turpiter non accipere, & promiſſam mercedem iure perſequi. Nam turpiter non accipit, ſi eo modo accipit, vt paulò antè dictum eſt; turpiter verò; ſi vel propter flagitioſam ſtipulationem, vel propter flagitium accipit: quandoquidem in ſtipulatione & flagitio nulla ſit obligatio niſi ex maleficio.

Tertium igitur reſtat, vt quemadmodum iure pactum fœdæ libidinis pretium petere meretrix poſſit, exquiramus. Bartolus, Cynus, eorúmq; aſſectatores, ideo iure petere arbitrantur; quia à primo ſtipulatio rata fuit: id quod à nobis improbatum eſt. Alij nonnulli ius petendi in eo agnoſcunt; quia actus venereus vendibilis eſt: ſiue quia ens; ſiue quia voluptarius. Rationem hanc commenti ſunt explicandi Caiet. Sotus, Theologus ille locis à nobis quæſtionis initio patefactis, nec nō Couarr. in relect. reg. peccatum par. 2. §. 2.

Poterant huius opinionis patroni principem nominare Alexandrum Alen. qui in 4. par. ſummæ q. 33. memb. 2. art. 2. ſcribit his verbis. In actu coitus fornicarij,
» quia corpus, quod eſt liberæ poteſtatis,
» alicuius ſeruitio, & voluntati alterius ex-
» ponitur, ſicut accidit in expoſitione equi,
» vel domus: quod accipitur pro huiuſmo-
» di opere, vel actu, transfertur in dominiū
» accipientis; & iuſtè poſſidetur. Verùm hæc Alexandri ſententia parum adiuuat illos: nec enim dicit pro actu venereo pretium deberi meretrici: ſed, quod ei datur, in eius dominium transferri. Quare in q. 24. memb. 5. art. 3. §. 6. dicit iuſtum eſſe pretium pactum dare meretrici, vt poſſit, inquit, retrahi à peccato; & ne vlterius peccet: non dixit Alex. quia ſcortatio digna ſit pretio: ſed vt poſſit retrahi à peccato.

13. Sequitur vt meam ipſe ſententiam exponam: cuius expoſitio vereor ne nouitate ipſa minùs alicui probabilis videatur. Nam in modo Caiet. & Soti nihil eſſe veritatis ſuprà multis argumentis oſtendi.

Mihi igitur attentiùs cum animo meo conſideranti hæc tria occurrebāt. Vnum eſt. Ciuitatum principes, & legiſlatores neceſſitate adductos meretricum genus, quæſtúmque meretricium permittere, vt hoc minore malo multò maiora mala & ſcelera caueantur: nam, ſi meretrices ab hominum cœtibus obligarentur, eodem tēpore in ciuitates ſtupra, inceſtus, adulteria, ſacrilegia, aliáque innumera flagitia infunderentur, quæ ſapientis Rectoris, eſt, nulla ratione in hominum vita tolerare. Alterum eſt, ceterorum flagitiorum, quæ legibus puniuntur, lucra fiſcum vendicare, ex l. Lucius. ff. de iu. fiſ. lucrum autem ex peccato meretricio relinquere meretrici. l. 4. ff. de cond. ob tur. cau. idq; ob multa commoda, quæ ciuitatibus, hominúmque ſocietati comparantur. Tertium. Legem iuſtè in eum poſſe animaduertere, qui cum vulgari ſcorto volutatur: &, quia peccat, iuſtam ei mulctam irrogare: hæc autē, vt promiſſam mercedem ſoluat ſcorto, nulla alia ſententia iudicis exſpectata. Dico igitur meretrici pretium deberi non ex contractu aliquo iuſto; non propter peccatum ſuum, ſed ſcortatoris, quem communis iudiciorum conſuetudo, & lex mulctat eo modo, vt dixi.

Quæ verò à me de meretricibus dicta ſunt, de iis, quæ viros non habent, dicta ſunt: nam quæ viros ſuperſtites habēt, ab Eccleſia minimè tolerantur. Quare Peruſinæ ciuitatis Epiſcopus Neapoleo Comitolus frater meus eiuſmodi meretrices vinculis, verberibus & exilio punit. Ergo reliqua diſſoluamus.

Poſſent tertio loco nobis hæc omnia 14.
obiici. Sponſio futurarū nuptiarum; quæ ſponſalia vocantur, facta cum muliere ea conditione, ſi ſui corporis copiam ſponſori fecerit, valet: facta etiā remota omni conditione ab eo, qui vel cōſanguinitate,
vel

Digitized by Google

vel affinitate vel ſollemni voto caſtitatis impeditur, ante Conciliũ Tridentinum impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis gignebant ex Decretali prima de ſponſalibus, lib. 6. contractus item matrimonij turpis conditionis acceſſione, modò vnum aliquod è tribus matrimonij bonis non euertat, ratus eſt, ex c. poſtremo de conditionibus appoſitis.

Reſpondeo, iſtas omnes pactiones ratas in Eccleſia haberi, non ex vi ipſarum pactionum (nam apud alias nationes ratæ minimè eſſent) ſed ex ipſius Eccleſiæ conſtitutione; quæ matrimonio & ſponſalibus fauens turpes conditiones perinde interpretatur ac ſi non eſſent adhibitæ. Imò totum hoc argumentum noſtram cauſſam confirmat. Nam Eccleſia vt rati ſint illi contractus, ſummouet turpitudinem conditionum; & quaſi purè contractum ſit, ita iudicari vult. Eſtque memoria digna præceptio illa Durandi, in 3. ſent. diſt. 39. quæſt. 4. his verbis præcipientis. In promiſſionibus, obligationibus, legatis, contractibus, quæ ſunt hominis ad hominem, iura poſſunt ponere vel tollere obligationem in pœnam delinquentis, & in fauorem innocentis, ſeu in fauorem ſtatus contractus. Ita conditio impoſſibilis, vel inhoneſta, quæ non eſt contra bona matrimonij, habetur pro non adiecta, vlt. cap. de cond. appoſ. & in legatis conditio mala habetur pro non adiecta. Hactenus ille.

Quartam igitur captionem diſcutiamus. Facto Iudæ filij Iacob tamquam pro pugnaculo contra nos vtuntur. Is enim Thamar cùm hœdum ſpopondiſſet, ſi ea potitus eſſet, poſtquam cum ipſa conſuetudinem habuit, ne mendacij coargueretur, hœdum miſit. Viden', inquiunt, vt Iudæ exemplo ſit meretrici, quod promiſiſti, efficiendum?

Totum hoc propugnaculum quàm nullo negotio deiiciatur, ex rei geſtæ narratione cognoſcetur.

15. Narrat enim Moyſes Geneſ. c. 38. Thamar, veſtitu mutato, opertáque facie, ne à Iuda ſuo ſocero agnoſceretur, conſediſſe in biuio: illic aduenienti Iudæ præſtolatam eſſe; quam conſpicatus Iudas cùm ſcortum eſſe ſuſpicaretur, num cum eo corpus commiſcere vellet ſciſcitatur. Ar- »
illa, quid dabis mihi, vt fruaris concubitu »
meo? Cui Iudas: mittam tibi hœdum: illa »
rurſus, patiar quod vis, ſi dederis mihi ar- »
rhabonẽ, donec mittas, quod polliceris: »
cui petenti dedit annulum, armillam, & »
baculum. Miſit autem, verba ſunt ſacræ »
hiſtoriæ, Iudas per paſtorem, ſuum hœdũ, »
vt reciperet pignus, quod mulieri dederat; quam cùm paſtor minimè inueniret, »
accepiſſetque ab indigenis, nullam illic »
meretricẽ verſatam eſſe, retulit hœdum. »
Tunc Iudas: mendacij nos arguere non »
poterit, miſi enim hœdum. Tertio pòſt »
menſe quàm cum Iuda concubuerat mu- »
lier, nunciatum eſt Iudæ fornicatam eſſe »
Thamar nurum ſuam; quo nuncio incita- »
tus Iudas iuſſit eam produci, vt combu- »
reretur: at illa pignoribus exhibitis ſe ſe »
è flammis eripuit. In hac omni narratio- »
ne quid eſt obſecro, quod cauſſam non magis opprimat, quàm erigat, aduerſariorum?

Primùm, ſontis hominis nobis exemplum proponitur non innocentis: è quo ſumi ius non oportebat. Deinde, nos de meretricularum lucris, quæ ſine fraude & mendacio ſuo corpore merentes faciunt, diſſerimus: quibus mulieribus ius omne ignoſcit: iſti pro meretrice inceſtam mulierem, quæ fraudem capitalem admiſit; & cui nulla parcit lex, & cui turpia lucra adimit, nobis obtrudunt.

Quamuis enim D. Chryſoſtom. hom. 62. in Geneſ. tam Iudam quàm Thamar crimine liberare nitatur; eos tamen condemnat homil. 1. in Matth. & 3. homilia quidem prima & tertia, Thamar; homilia autem tertia, Iudam; quem ait non exiguum admiſiſſe delictum. Condemnat etiam D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum. D. etiam Hieronymus in quæſt. Hebraicis: à qua ſententia ipſi non diſceſſimus, quia communis eſt: tametſi contraria non

pulationem, qua leno mercedem lenocinij ſtipulatur; licèt donatio valeat. l. mercalem. C. de cond. ob tur. cau. nec eo loco Adrianus aliter de ſtipulatione meretricis ſentit. Deinde ſciendum eſt, non parũ inter hæc duo differre, meretricem turpiter non accipere, & promiſſam mercedem iure perſequi. Nam turpiter non accipit, ſi eo modo accipit, vt paulò antè dictum eſt; turpiter verò; ſi vel propter flagitioſam ſtipulationem, vel propter flagitium accipit: quandoquidem in ſtipulatione & flagitio nulla ſit obligatio niſi ex maleficio.

Tertium igitur reſtat, vt quemadmodum iure pactum fœdæ libidinis pretium petere meretrix poſſit, exquiramus. Bartolus, Cynus, eorũmq; aſſectatores, ideo iure petere arbitrantur; quia à primo ſtipulatio rata fuit: id quod à nobis improbatum eſt. Alij nonnulli ius petendi in eo agnoſcunt; quia actus venereus vendibilis eſt; ſiue quia ens; ſiue quia voluptarius. Rationem hanc commenti ſunt explicandi Caiet. Sotus, Theologus ille locis à nobis quæſtionis initio patefactis, nec nõ Couarr. in relect. reg. peccatum par. 2. §. 2.

Poterant huius opinionis patroni principem nominare Alexandrum Alen. qui in 4. par. ſummæ q. 33. memb. 2. art. 2. ſcribit his verbis. In actu coitus fornicarij, » quia corpus, quod eſt liberæ poteſtatis, » alicuius ſeruitio, & voluntati alterius ex- » ponitur, ſicut accidit in expoſitione equi, » vel domus: quod accipitur pro huiuſmo- » di opere, vel actu, transfertur in dominiũ » accipientis; & iuſtè poſſidetur. Verùm hæc Alexandri ſententia parum adiuuat illos: nec enim dicit pro actu venereo pretium deberi meretrici: ſed, quod ei datur, in eius dominium transferri. Quare in q. 25. memb. 5. art. 3. §. 6. dicit iuſtum eſſe pretium pactum dare meretrici, vt poſſit, inquit, retrahi à peccato; & ne vlteriùs peccet: non dixit Alex. quia ſcortatio digna ſit pretio: ſed vt poſſit retrahi à peccato.

13. Sequitur vt meam ipſe ſententiam exponam: cuius expoſitio vereor ne nouitate ipſa minùs alicui probabilis videatur. Nam in modo Caiet. & Soti nihil eſſe veritatis ſuprà multis argumentis oſtendi.

Mihi igitur attentiùs cum animo meo conſideranti hæc tria occurrebãt. Vnum eſt. Ciuitatum principes, & legiſlatores neceſſitate adductos meretricum genus, quæſtũmque meretricium permittere, vt hoc minore malo multò maiora mala & ſcelera caueantur: nam, ſi meretrices ab hominum cœtibus obligarentur, eodem tẽpore in ciuitates ſtupra, inceſtus, adulteria, ſacrilegia, aliáque innumera flagitia infunderentur, quæ ſapientis Rectoris, eſt, nulla ratione in hominum vita tolerare. Alterum eſt, ceterorum flagitiorum, quæ legibus puniuntur, lucra fiſcum vendicare, ex l. Lucius. ff. de iu. fiſ. lucrum autem ex peccato meretricio relinquere meretrici. l. 4. ff. de cond. ob tur. cau. idq; ob multa commoda, quæ ciuitatibus, hominúmque ſocietati comparantur. Tertium. Legem iuſtè in eum poſſe animaduertere, qui cum vulgari ſcorto volutatur: &, quia peccat, iuſtam ei mulctam irrogare: hæc autẽ, vt promiſſam mercedem ſoluat ſcorto, nulla alia ſententia iudicis exſpectata. Dico igitur meretrici pretium deberi non ex contractu aliquo iuſto; non propter peccatum ſuum, ſed ſcortatoris, quem communis iudiciorum conſuetudo, & lex mulctat eo modo, vt dixi.

Quæ verò à me de meretricibus dicta ſunt, de iis, quæ viros non habent, dicta ſunt: nam quæ viros ſuperſtites habẽt, ab Eccleſia minimè tolerantur. Quare Perufinæ ciuitatis Epiſcopus Neapoleo Comitolus frater meus eiuſmodi meretrices vinculis, verberibus & exilio punit. Ergo reliqua diſſoluamus.

Poſſent tertio loco nobis hæc omnia 14.
obiici. Sponſio futurarũ nuptiarum; quæ ſponſalia vocantur, facta cum muliere ea conditione, ſi ſui corporis copiam ſponſori fecerit, valet: facta etiã remota omni conditione ab eo, qui vel cõſanguinitate,

vel

vel affinitate vel ſollemni voto caſtitatis impeditur, ante Conciliũ Tridentinum impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis gignebant ex Decretali prima de ſponſalibus,lib.6. contractus item matrimonij turpis conditionis acceſſione,modò vnum aliquod è tribus matrimonij bonis non euertat, ratus eſt, ex c. poſtremo de conditionibus appoſitis.

Reſpondeo, iſtas omnes pactiones ratas in Eccleſia haberi, non ex vi ipſarum pactionum (nam apud alias nationes ratæ minimè eſſent) ſed ex ipſius Eccleſiæ conſtitutione; quæ matrimonio & ſponſalibus fauens turpes conditiones perinde interpretatur ac ſi non eſſent adhibitæ. Imò totum hoc argumentum noſtram cauſſam confirmat. Nam Eccleſia vt rati ſint illi contractus, ſummouet turpitudinem conditionum; & quaſi purè contractum ſit, ità iudicari vult. Eſtque memoria digna præceptio illa Durandi, in 3.ſent. diſt.39.quæſt.4.his verbis præcipientis. In promiſſionibus, obligationibus, legatis, contractibus, quæ ſunt hominis ad hominem, iura poſſunt ponere vel tollere obligationem in pœnam delinquentis, & in fauorem innocentis, ſeu in fauorem ſtatus contractus. Ita conditio impoſſibilis, vel inhoneſta, quæ non eſt contra bona matrimonij, habetur pro non adiecta, vlt.cap. de cond. appoſ. & in legatis conditio mala habetur pro non adiecta. Hactenus ille.

Quartam igitur captionem diſcutiamus. Facto Iudæ filij Iacob tamquam pro pugnaculo contra nos vtuntur. Is enim Thamar cùm hœdum ſpopondiſſet, ſi ea potitus eſſet, poſtquam cum ipſa conſuetudinem habuit, ne mendacij coargueretur, hœdum miſit. Viden', inquiunt, vt Iudæ exemplo ſit meretrici, quod promiſiſti, efficiendum?

Totum hoc propugnaculum quàm nullo negotio deiiciatur, ex rei geſtæ narratione cognoſcetur.

15. Narrat enim Moyſes Geneſ.c.38. Thamar, veſtitu mutato, opertáque facie, ne à Iuda ſuo ſocero agnoſceretur, conſediſſe in biuio: illic aduenienti Iudæ præſtolatam eſſe; quam conſpicatus Iudas cùm ſcortum eſſe ſuſpicaretur, num cum eo corpus commiſcere vellet ſciſcitatur. At » illa, quid dabis mihi, vt fruaris concubitu » meo? Cui Iudas: mittam tibi hœdum: illa » rurſus, patiar quod vis, ſi dederis mihi ar- » rhabonẽ, donec mittas, quod polliceris: » cui petenti dedit annulum, armillam, & » baculum. Miſit autem, verba ſunt ſacræ » hiſtoriæ, Iudas per paſtorem, ſuum hœdũ, » vt reciperet pignus, quod mulieri dederat; » quam cùm paſtor minimè inueniret; » accepiſſetque ab indigenis, nullam illic » meretricẽ verſatam eſſe, retulit hœdum. » Tunc Iudas: mendacij nos arguere non » poterit, miſi enim hœdum. Tertio pòſt » menſe quàm cum Iuda concubuerat mu- » lier, nunciatum eſt Iudæ fornicatam eſſe » Thamar nurum ſuam; quo nuncio incita- » tus Iudas iuſſit eam produci, vt combu- » reretur: at illa pignoribus exhibitis ſe ſe » è flammis eripuit. In hac omni narratione quid eſt obſecro, quod cauſſam non magis opprimat, quàm erigat, aduerſariorum?

Primùm, ſontis hominis nobis exemplum proponitur non innocentis: è quo ſumi ius non oportebat. Deinde, nos de meretricularum lucris, quæ ſine fraude & mendacio ſuo corpore merentes faciunt, diſſerimus: quibus mulieribus ius omne ignoſcit: iſti pro meretrice inceſtam mulierem, quæ fraudem capitalem admiſit, & cui nulla parcit lex, & cui turpia lucra adimit, nobis obtrudunt.

Quamuis enim D. Chryſoſtom. hom. 62. in Geneſ. tam Iudam quàm Thamar crimine liberare nitatur; eos tamen condemnat homil. 1. in Matth. & 3. homilia quidem prima & tertia, Thamar; homilia autem tertia, Iudam; quem ait non exiguum admiſiſſe delictum. Condemnat etiam D. Auguſt. lib.22. contra Fauſtum. D. etiam Hieronymus in quæſt. Hebraicis: à qua ſententia ipſi non diſceſſimus, quia communis eſt: tametſi contraria non

diſplicuerit D. Ambroſio, in 3. lib. comment. in Lucam, nec Theodoreto q. 94. in Gen. quæ D. Ambroſ. ſententia cùm ab Iuda Thamar culpam concubitus remoueat, machinam item contrariæ opinionis euertit.

16. Tum vt ad noſtra redeamus, Iudas miſit hœdum non ſolùm, vt mercedem, ſed multò maximè vt ſua pignora redhiberet: quod ipſum apertè ſcribitur in illo c. 38. & ante nos obſeruauit Adrianus. Poſtremò, hœdo mittendo, Iudas, non tam ius ex ſtipulatione turpi, quod nullũ erat, ſpectauit, quàm ne vllius mendacij inſimulari poſſet à muliere: eique, aut aliis deſpectui eſſet. Itaque 70. interpretes, pro illis verbis, *Non poterit nos arguere mendacij*, interpretati ſunt: ne fortè rideamur: nec ſecus Aquila & Symmachus. γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν, *ſimus in contemptum*: quam lectionem cum Codice Hebraico congruere affirmat illic Nicolaus Lyranus. Ita hoc argumentum ex Iudæ facinore non tanti pendendum erat.

Quintum argumentum. non eſt viri boni mentiri: ſed qui promiſſi fidem non liberat, mentitur: ergo. Reſpondeo aliud eſſe mentiri; aliud promiſſum non ſeruare: illud numquam licet: hoc ſæpe eſt neceſſarium: fidem enim ad peccandum adhibitam non eſſe fidem appellandam ſatis colligitur ex D. Auguſt. de bono coniugij, c. 4. & habetur, 22. q. 4. can. Si ad » peccandum. ex quo canone hoc poſtremum eruitur argumentum. Si quis, exemplum eſt Diui Auguſtini, cùm hominem ſpoliare non poſſit, ſocium quęrat; & cum eo de partienda præda paciſcatur: & commiſſo facinore totam auertat ipſe: Ille, inquit D. Auguſtinus vtrobique perfidus » profectò ſceleratior iudicandus eſt. Vtrobique; quia nec humanæ ſocietati, nec latrocinij ſocio fidem ſeruauit: ergo poſt factum videtur fides ſeruanda conſorti flagitij.

Sed nimirum in iſta auctoritate, & exemplo minimum eſt firmitatis; neque enim eò delabitur Auguſt. vt honeſtarum inhoneſtarúmque ſtipulationum, atque contractuum iura & obligationes confundat: verùm id tantùm agit; vt, qui ſpolia diuidere non vult, eum hominum opinione vſquequaque perfidioſum eſſe oſtendat: qui non modò bonorum virorum, ſed etiam latronum fidem & officium prodiderit: quamuis ex promiſſione ipſa nihil iuris ad prædæ iniquæ communionem ſocius conſequi potuerit: nemóque ex improbitate ſua actionem conſequatur, vt ex l. itaque fullo. ff. de fur. iam dictum eſt: nec iudicium de communi diuidundo locum habeat inter prædones l. communi diuidundo §. Inter prædones. ff. communi diuidundo: nullâque coiri maleficiorum ſocietas poſſit l. quod autem, & l. ſequenti. ff. pro ſocio: neque de re non noſtra, ac furtiuo ſpolio diuidendo iuſtum fœdus vllum feriri cum altero poſſit.

QVÆSTIO VI.

PRoximæ ſuperiori quæſtioni hæc eſt altera agnata: num lucrifacta per ſcelus turpium ſtipulationum & promiſſorum retineri poſſint; an ſint legibus reſtitutionis obnoxia. 1.

Et de meretricio quidem quæſtu fermè vnus eſt omnium doctorum ſenſus, reſtitutioni illum haudquaquam eſſe ſubiectum: niſi ſi vel immoderatus ſit; vel per fraudem, mendaciúmve quæſitus; aut iis dantibus factus, quibus alienandi ius non eſt: *fermè*, addidi; vt Ioannem Medinam excluderem, qui in C. de reb. reſt. q. 20. pugnaciter defendit, meretricem non poſſe lucrari quidquam ex ſua ſcortatione; niſi liberalis ſcortatorum accedat donatio; nihilque ſibi tamquam iure debitum capere poſſe.

Verumenim haud parua eſt inter homines eruditos cõtrouerſia; vtrùm quod publicis meretricibus ius concedit conſuetudinis, & mos iudiciorum, vt quæſtum, quem faciunt, ſibi faciant, hoc item

priuatis

priuatis occultíſque meretricibus largiatur. Angelus & Cynus.l.2.C.de cond.ob tur.cauſ.& Abb.in c.quia plerique de immunit. Eccleſ. aiunt, meretrices priuatas, quod ex meretricio lucrantur opere, debere in foro animæ reſtituere:quam opinionem communem appellat Adrianus: & quod denegant priuatis meretricibus, multo magis aliis mulieribus;vt vxoribus, vt virginibus, vt monialibus. Imò latiùs diducentes ſententiam, nolunt id lucri, quod vtrinque verſante turpitudine acquiſitum eſt,id eſt,cùm alter ob turpem cauſſam dedit,alter accepit,in ſuo ac proprio peculio numerari poſſe,ſed neceſſariò reſtituendum eſſe,non quidem danti, ſed pauperibus.

Et communem hanc eſſe opinionem teſtatur Nauar.in ſumma,cap.17.num.32. §.non obſtat 1. à qua poſtea diſceſſit,cùm eam antea defenſitauiſſet:& Couarruuias in relect.reg.peccatum, par.2.§.2. num.6. concluſ.3.ſcribit hunc frequentiorem doctorum eſſe conſenſum: & hanc ipſam tamquam communem agnouit, & ſecutus eſt Med.C.de reb.reſtit.q.2.& 20.comitéſque eiuſdem ſententiæ profert Innocentium in cap. quia plerique de immunit.Eccleſ.& Panormitanum ibidem, q.10.concl.3. & Oſtienſem in c.Cùm ſit, de Iudæis. In eamdem deductus eſt Paludānus in 4.d.15.q.2.art.4. & art.5.conc.3. Huic aſſenſus videtur Richard.in eamd. diſt.art.2.q.5.vbi pro regula ad reſtituendum ſumit; quoties id, quod acquiritur turpiter iure à dante repeti nequit:ſed hic ipſe in eamd. diſt.art.5. q.8. fauet illis qui lucri reſtitutionem non putant neceſſariam,niſi cùm lucrum ipſum eſt prohibitum. Adrianus in 4.tract. de reſtit.quæſt.
» quam his verbis exorditur. Reſtat inqui-
» rere,an extorta, penè in extremo, ſtatuit in eiuſmodi lucro ius reſtituendi neceſſarium: addítque ſatis eſſe reſtituere aut danti, aut pauperibus : & quòd danti reſtitui poſſit,probat ex Auguſtino epiſt.54.

2. Poſſet ſententia hæc his argumentis communiri. Primum, opus peccati nihil omnino meretur, niſi pœnam æternam: nec vllius eſt pretij, vt in ſecunda parte ſuperioris quæſtionis probauimus : ergo lucrum hoc retineri non poteſt. Secundum, titulus, quo aliquid pro maleficio datur,ipſo iure eſt nullus:ergo non transfert dominium. Tertium,quod datur pro actione honeſta,quam quis ſuſcipere gratis deberet, reſtituere debet danti : ergo, multò magis quod datur pro actione improba,quæ à cunctis vitari debet.

Inferioris memoriæ auctores non pauci contrariam ſententiā effecerunt communiorem : ſcilicet lucrum, quod vtriuſque contrahentis turpitudinem gerit, eo excepto,quod certis legibus damnatū eſt, quale eſt ſimoniacum, & quod ob rem iudicandam vel teſtimonium dicendum fieri ſolet,non eſſe à recipiente neceſſariò obiudicandum; quia licèt turpe ſit, non eſt tamē apud multos recentes iniquum, vt admonet Gabriel.

Hanc propugnant hi omnes. D.Anto. in 2.par.tit.2.c.15. in principio. Gabriel in 4.diſt.15.q.15.art.3. concluſ.1. ſed apertiùs diſt.16. eiuſdem 4.q.4.art.2. concl.3. Roſella in verbo reſtitutio, particula 14.§.15. Sylueſt.eod.tit.4.q.1.Tabiena eod.nu.10. Angelus eod. verſu, Turpe.Caiet. in 2.2. q.62.art.5. & in ſumma,verbo,reſtitutio, c.quod eſt proximum poſtremo. Armilla in verbo reſtitutio,num.19.& hoc inquit, tene,quicquid dicant quidam. Couarr.in relect.reg. peccatum.l.6.par.2.§.2.num.6. Nauarrus in ſumma,cap.17. nu.36.& 40. Sotus in 4.de iuſtit. & iur.q.7.artic.1.

3. neutrius partis mihi videtur eſſe : vtramque enim ſententiam concidens, nouam architectatur, & inconſtantia loquitur. Cùm enim ſecūdæ claſſis auctores in turpibus compendiis, quæ ſeruari non poſſunt ab iis qui ea compararunt, tantùm illa modò excipiant,quæ nominatim ſolet lex excipere; ille multa alia ſecernit, quæ ſtipulatione maleficiorum committendorum pariuntur,eáque maleficia eſſe decernit, quæ ſunt iuſtitiæ contraria, vt homicidium. In eo etiam ſuus videri ho-

Digitized by Google

mo voluit Sotus, quòd eiuſdem modi lucra ante iudicis ſententiam non pauperibus, vt alij omnes primæ claſſis iubent, ſed ei, qui turpiter dedit, reddenda cenſet. Atque Innoc. in c. quia plerique, de immun. ius affirmat iam à dante abſtuliſſe: & illud in ſacræ pœnitentiæ foro ſeruandum eſſe.

Inconſtantiam verò in eo patefacit ſuá, quòd lucrum ex homicidio vult reſtitui oportere, adulterij non item, niſi ingens efficiat adulterium, non ſecus, quàm homicidium iuſtitiam violat: *Cùm mulier ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir*, vt inquit Apoſt. 1. Cor. 7. Deinde, ſi ſuppellectilem, vt in verbo hæreamus Soti, non amplam ſeruare ſibi poteſt adultera, cur non etiam amplam? Ad hæc ſi vir adulterio magnas vberéſque mercedes collegiſſet, communicabit ne cum vxore, ne iuſtitiæ iura perfringat? nec enim minùs iuris eſt mulieri in corpus viri, quàm viro in corpus mulieris.

Quod argumentum torqueri item poteſt in eum doctorem, contra quem diſputatum eſt in quæſtione ſuperiore: is enim ſtatuit, id, quod mulier ex adulterio acquirit, deberi viro: ergo quod eodē modo vir acquirit, debebitur vxori.

Itaque hæc Soti non ſatis concinunt. Ille ipſe doctor lucrum filijfamilias patri tribuit: ſacræ Virginis ſeu monialis, ſodalitio, in quo commoratur.

At Couarruuiæ in reg. peccatum, par. 2. §. 2. num. 3. longè alia ſententia fuit: genera enim hæc perſonarum lege reſtituendi cuiquam exſoluit, etiam monacham. De monacha illi non aſſentior: quia, cùm nihil habere poſſit ſui ac ſeparati, quæ acquirit, monaſterio acquirit. Nau. in ſum. cap. 17. num. 34. mulieres, quæ meretrices non ſunt, è vinculis reſtitutionis eximūt; quod facit pariter Caietanus in 2. 2. qu. 62. artic. 5. ac reliqui omnes ſecundæ opinionis patroni.

4. Summa igitur huius ſententiæ hæc eſt. Demptis iis lucris, quæ non ſolùm turpia, ſed etiam iniqua ſunt, quia lex ipſa ſecernit ac damnat, reliqua omnia, quæ turpitudinem habent vtriuſque ſtipulatoris, ſeruari poſſe: quam ſententiam Gabriel in 4. ſent. diſt. 15. q. 13. art. 2. coroll. 1. tutiorem appellat, ideo, quòd non perinde, vt prima hominum conſcientias laqueis irretit.

Ex doctrina D. Thom. profecta videtur hæc ſecunda opinio, vt multis eſt perſuaſum: is enim in 2. 2. q. 32. art. 5. & q. 62. art. 5. non vult ea lucra intrat iura reſtitutionis eſſe, quando acceptio non eſt lege interdicta: quāuis ſint ex turpi cauſſa, ſed fortaſſe, quod dixit D. Thomas propter lucrum ſolùm meretricis dixit, vt exemplū declarat.

Et nimirum in hac parte, quæ à tot defenditur, maiora & plura ſunt rationum momenta: præcipua hæc ſunt. Primum in legum auctoritate minimè dubia poſitum eſt: ea enim, quum facti turpitudo tam dantem quàm accipientem attingit, accipienti magis fauent: & eius, qui capit & poſſidet, potiorem conditionem eſſe decernunt: legem audi, ſi ob turpem cauſſam. ff. de condit. ob tur. cauſ. Porrò, ſi & »
dantis & accipientis turpis cauſſa ſit, poſ- »
ſeſſorem potiorem eſſe: & ideo repetitio- »
nem ceſſare; tametſi ex ſtipulatione ſolu- »
tum ſit. & regula iuris Canonici lib. 6. In »
pari delicto, vel cauſſa, potior eſt conditio »
poſſidentis: at quo pacto potior ſitis, qui à »
turpiter dante accepit, ſi retinere non poteſt?

Quòd ſi quæras cur maiore odio iura 5.
proſequantur promittentem, & largientem mercedē ob turpem cauſſam, quàm accipientem: Reſpondeo, æquiſſima id ratione fieri. Etenim qui pretiis muneribúſque illectus facinus facit, vno modo peccat: & vnam culpam contrahit: at qui hominem ſæpe nec paratum, nec imminentem ad ſcelus, pollicitatione & præmio ad maleficium allectat, duplex crimen ſubit.

Primum eſt, quòd alteri vitam cœleſtis gratię eripit, & virtute ſpoliat, mancipium vitij facit, hoſtem honeſti, iuſtitiæ, publicique otij, humani generis, ac ſuorum ciuium

nium labem:& ad improbè ſemper agendum procliuem,atque præcipitem.

Secundum crimen eſt illud ipſum, ad quod alterū inuitat. Ita videas Innocentium III. in cap. mulieres de ſententia excōmunicationis, ſeueriùs animaduertere in eum,qui flagitium mandat, quàm in eum,qui committit. Areopagitæ verò acerbiorem pœnam infligebant ei, qui muneribus,& perſuaſu,quàm qui vi alienam vxorem corrupiſſet:quemadmodum eſt apud Lyſiam in oratione de cæde Eratoſthenis.

Secundum caput inſtitutę probationis eſt in regula Veruecelli, quæ poſtea probata eſt à quàm plurimis. Quoties certæ perſonæ res non eſt reſtituenda, reſtitutionem eſſe conſilij,non præcepti,voluntatis, non neceſſitatis, iis rebus exceptis, quæ inuito domino,aut oblatæ, aut poſſeſſæ ſunt.

Tertium caput eſt in illo axiomate Caietani, quando acceptio non terminatur ad iniuſtum,id eſt,nō eſt cum iniuria,aut damno cuiuſquam, non ſubeſt legibus reſtituendi.

Quartum,in ęquitate iuris naturalis,vt quando voluntate eius qui rem alienare poterat,ſumus emolumentum conſecuti, nos ipſi priuari minimè cogamur;& in alterum,contra eius qui dedit, voluntatem transferre.

6. Quintum caput in eo conſiſtit, quod ferè à prudentibus, eruditíſque ſacerdotibus factitatur: qui huiuſmodi perſonis onus reſtituendi nequaquam imponunt. Quamuis facetent conſultiſſimè, ſi ad auertendos homines ab ſimilium lucrorum cupiditate,& à ſceleribus,ad quæ eos improbi quæſtus auiditas impellit, in ſacræ confeſſionis iudicio ſic eos caſtigarent, vt omne in egentes conferrent, quantùm lucri fecerunt. Sanè certè nimiùm durus is arbiter haberetur, qui fabro mercedem omnem adimeret, quam locanda opera ad fabricandum opus lege interdictum accepiſſet:aut ſtipendia reſtituere militem cogeret,qui in bello, quod iniuſtum eſſe ſciebat, meruiſſet.

Quæ duo exempla à Couarruuia adferuntur in regula Peccatum, part.2. §.2. num. 6. illud autem Couarruuiæ in eo ipſo numero non libens admitto: quòd pecuniam acceptam ob maleficium, antequam ſit illud admiſſum,non vult reſtitui debere danti:quòd eum ad redhibendum lex faciat inhabilem. Non diſpliceret opinio niſi eſſet ſingularis.Illud etiam ſcito, quamuis fiſcus lucra maleficiorum vſurpare ſoleat. l. Lucius. ff. de iure fiſci, nihilominus ea à flagitiorum architectis retineri poſſe,quoad ſibi ſententia iudicis auferantur.

Quod verò Paludanus in 4.diſt.15.q.3. art.5.concl.2. & 3. quem alij nonnulli ſequuntur, ait, huius generis lucra à fiſco retineri non poſſe, ſed in pauperes eroganda eſſe;neque in ea plus iuris obtinere fiſcum,quàm eos à quibus ablata ſunt:hoc inquam eſt omnino eiiciendum: oppoſitum enim ratio concludit. Nam, ſi poſt ſententiam ad ea lucra captanda & ſeruanda non minus iuris habet fiſcus,quàm ſontes ante ſententiam habebant: ergo ſicut ſcelerum opifices illa, priuſquam à fiſco auferrentur,ſeruare ſibi poterant,ſic poſt ſententiam tamquam ſua ſeruare poterit fiſcus. 7.

Quamquam Paludanus nullo pacto concedit illa ipſa lucra ſontibus. Deinde, cùm fiſcus mulctas ob ſcelera irrogatas nocentibus reis in Principis cella aſſeruare meritò poſſit,cur hæc item, de quibus diſputatur, non condere poterit?

Iam verò perfacile eſt aduerſariorum telā retexere;ſi dicamus è flagitioſis promiſſis & pactis enata emolumenta retineri poſſe;aut quia lex facit eius, qui adipiſcitur, & poſſidet, conditionem meliorem;aut quia dono retinet, aut etiam tāquam derelictum,vt inquit Nauar.& ante eum Anton.in c.quia plerique, de immunit.Eccleſ. quem citat,& ſequitur ipſe Nauarrus in ſumma,cap.17.num.40.

8. Dum in hac controuerſia verſarer, propoſita mihi fuit quæſtio; cui ſæpius aliàs reſpon

reſpondi, de lucro aleatorio: de quo cùm impletæ ſint chartæ diſputantium auctorum; & cùm id lucrum, vt multis videtur, non præ ſe gerat turpitudinem iuris naturalis vel diuini, ſed imperatorij, quo plurimæ nationes non vtuntur: & quòd in hac parte à Chriſtianis etiam tribunalibus exſulaſſe dicant, quod mentis meæ ſenſum nunc aperiam nihil eſt: quem tamen ipſum minimè tegam in hac altera quæſtione. Vtrùm, cùm turpitudo verſatur tantùm ex parte accipientis, non autem dantis, retinere queat lucrum, qui accepit: verbi gratia, cùm quis mercedem capit, ne ſceleratè agat; vel, vt id agat, quod ei neceſſariò agendum eſt; ſi cauere culpam velit: iam enucleandum eſt. Sotus in 4.l.de iuſtit.& iur.q.1.artic.7. interdum ad nouas excitandas opiniones homo nimiùm audax, ius retinendi pretij impartitur iis qui vna excepta iuſtitia, ob reliquarum virturũ officia exequenda accipiunt: fatetúrque in contrariam ſententiam iſſe Gloſſam ciuilem ſummarúmque ſcriptores, ſiue vt is loquitur ſummiſtas.

9. Quorum ſententia ſequenda eſt, cùm non ſummiſtarum ſit tantùm, ſed etiam magnorum auctorum: quorum omnium hæc eſt aſſeueratio: ob ea virtutum munera, quæ gratis quiſque colere & efficere debet, ſi præmium poſcat, aut quid pretij capiat, reddi debere omnino. Adrianum non rediget Sotus in claſſem ſummiſtarum. At is ſic ſcribit in 4.ſenten.tract.de
» reſtit.quæſt.quæ incipit. Reſtat inquirere,
» an extorta. Secundùm omnes doctores pro illo, ad quod alias homo tenetur, non poteſt pretium quodcumque ſuſcipere: non dixit *ſecundùm omnes ſummiſtas*, quorum multi eius ætati ſucceſſerunt: ſed ſecundùm *omnes doctores*. Nec Medina ſummiſta eſt, qui idem defendit C. de rebus reſtitut.q.20. nec Couarru. ſummiſta eſt, qui in relect. regula, peccatum, par.2.§.2. idem affirmat, & Gloſſarum ait eſſe doctri-
» nam in l.4.§. ſi tibi iudicium.ff.de cond. ob turp.cauſ. quam Gloſ. ſingularem illic appellat Iaſon & Baldus in c.ſuper eo de tranſact.& in l.ciuile, C.de furtis & Gloſ. in c.qui cum fure, & in c.dilectus de exceſſ.prælato: nec mens alia Gabrieli eſſe potuit, qui in 4.ſenrent. diſt.15.q.13.art.2. concluſ.1. loquitur his verbis. Turpe lu- »
crum acquiſitum in caſu, quo conceditur »
repetitio per actioné de dolo, aut vi, aut »
metus cauſſa, ſiue per iudicis officium, eſt »
de neceſſitate ſalutis, ſi fieri poteſt reſti- »
tuendum: ſed lucrum, quod hi turpiſſimi »
moralium officiorum nundinatores au- »
cupantur, repetitur iure ab eo qui dedit, »
ex ſententia omnium doctorum, & gloſ- »
ſarum & legum etiam ciuilium: ergo, &c. »
Accipe verba legis, quæ penè in veſtibulo extant tituli.ff.de cond.ob tur.cauſ. ſi tur- »
pis cauſſa accipientis fuerit, etiamſi res ſe- »
cuta ſit, repeti poteſt. Viden', vt vniuersè »
lex loquatur? & l.4. Quoties ſolius acci- »
pientis turpitudo verſatur, Celſus ait re- »
peti poſſe. Quis autem neget eſſe pluſ- »
quam turpe, virtutum officia venalia habere? neque enim ad agendum vult ſe virtus mercede conduci.

Pecuniam à ſeruo fugitiuo datam ne indicetur domino ſuo, vult lex condici poſſe; at quis ſæpe non ex iuſtitia vlla, ſed tantùm ex caritate debet indicare fugitiuum ſeruum: ponuntúrque alia exempla, quæ ſunt extra cancellos iuſtitiæ.

Communem hanc Doctorum ſententiam hac ratione perſuadet Adrianus in quodlib.10.1.part.quæſt. Qui metu facit id quod præcipiente lege eũ facere oportet, peccat, de pœnit.diſt.1. ſi propterea, & per regulam iuris, qui timore, & per Gratianum 23.q.6.c.extremo, & 23.q.1. ad fidem, & D.Auguſtinum contra Petilianũ: »
ergo, qui pecunia, vel pretio rectè facit, »
non rectè facit: neque enim diligit bonũ, »
quod eſt neceſſe diligi, vt rectè fiat: vt il- »
lic inquit D.Auguſtinus. Ita nec flagitare, nec oblatum munus capere poteſt ex ſententia Adriani. Qui peccare etiam ait illum, qui eiuſmodi hominibus pretia, aut munera pollicetur; niſi fortè quibus offertur animum hi paratum gerant ad capiendum.

Repetit

Repetit eamdem ſententiam quodlib. 9.artic.3. ſed cuinam hæc lucra teſtituentur? nimirum ei, qui aut pretium, aut munus dedit poſſúntne munera capi non tamquam pretia neceſſarij officij,ſed tamquam inuitamenta,& ad illud prolectantia? poſſunt:vt nō contemnendi ante nos Doctores obſeruarunt.

De lucro & ludo aleatorio.

QVÆSTIO VII.

De perdito alearum ludo & lucro, quod ex eo quæri ſolet, diſputationem inſtituenti duo mihi in primis quærenda ſunt.

Primum, quid huius ludi nomine intelligatur. Secundum, quando quæſtus cupiditate initur, ſítne ſceleratus diuinā interimens caritatem.

Quod igitur ad verbi notationem ſpectat: Ludum aleatorium teſtatur Nauarrus in ſumma, cap.19.num.6. ex omnium ſententia quemlibet eſſe & appellari, qui magis caſu nititur, quàm arte: ſiue cubis, ſiue teſſeris,ſiue pictis tabellis,ſiue planis ſphærulis vnà cum teſſerarum iactu adhibeatur. Secundum caput eſt de genere culpæ, quam ſuſcipiunt,qui in aleæ ludo verſantur.

Multi, in quibus grauis eſt innocentis vitæ & doctrinæ auctoritas, ſentiunt & probant,mortiferum hunc eſſe animæ ludum, quando cupiditate alicuius magnæ rei lucrifaciendæ inſtituitur. Syluester in verbo ludus.q.4. cum Roſella,& Supplemento, & ſui ordinis doctoribus,noxam dicit eſſe lethalem.

2. Perſuadet id D.Anton. in 2.pat. tit.1. cap.23. §. 2. & §.6. addens, cubos, quibus luditur, ex oſſibus canis elaborari, quod vile & abiectum eſt animal: & quemadmodum vna & viginti notis interpuncti ſunt,ſic totidem ex eorum luſione flagitia exiſtere:quæ ſigillatim, ſuíſque nominibus appellat.

Primum,eſt iactura temporis.

Secundum,in Deum blaſphemia.

Tertium,mutuæ contumeliæ.

Quartum, bonorum patrimoniíque diſſipatio.

Quintum,Eccleſiæ contemptus,atque aduerſus eam contumacia.

Sextum, furtum.

Septimum,crimen gulæ,quoad cauponas itant.

Octauum, homicidium.

Nonum, fraterna inuidentia: inuidetur enim pecuniæ, & thecæ nummariæ alterius.

Decimum, rerum domeſticarum inopia,qua neceſſe eſt totam familiam conflictari.

Vndecimum,ſcelerata laus, quam ſibi tribuit is qui improbè vicit.

Duodecimum,mendacia,quibus aleatorius ludus abundat.

Decimumtertium,diuini cultus, vt ſacrificiorum, vt ſacrarum concionum,neglectus.

Decimumquartum, quòd multi ſunt eorumdem peccatorū participes, vt ſpectatores,vt qui credunt ludentibus pecunias,vt qui ludentes filios non puniunt.

Decimumſextum,diſſidium,& rixa ob ea quæ inter ludendum contingunt.

Decimumſeptimum,rapina ſeu raptus, cùm inuitum quis trahit ad ludum, vel recedentem prohibet, vel retinet.

Decimumoctauum, peſſimi exempli pernicies, quod proditur aliis ad eamdem ludi peſtem ſubeundam.

Decimumnonum,deſperatio,in quam traduntur nonnulli,vt etiam ſibi mortem conſciſcant.

Vigeſimum,ingens fœnus: ſi enim,inquit D.Antoninus,quis pro centum, quæ exponit mutuò, recipiendo decem, vel quinque,dicitur vſurarius; quid dicēdum eſt de eo,qui ponit ſe ad ludum cum decem florenis, & in eadem die lucrabitur per ludum centum florenos? certè videtur maxima vſura: vnde & pro ſe retinere non poteſt,ſed vel reſtituere in certis ca-

ſibus, vel pauperibus erogare in aliis: ſi autem perdit, ſibi imputet, & ſuæ fatuitati. Hæc D. Antoninus.

Vigeſimumprimum. Chriſtianæ diſciplinæ vituperatio. *Nam per ludum*, inquit ſanctiſſimus hic Archiepiſcopus, *ſeruitur diabolo*. Sicut enim DEVS inuenit viginti & vnam litteras primò: (nam aliæ poſtea ſunt ſuperadditæ ad componenda Biblia: vbi eſt omnis ſapientia reuelata) ita inuenit diabolus taxillum, biblia ſua: vbi poſuit viginti & vnum puncta, tamquam litteras ſuas nigras: vbi in vſu eius reperitur omnis malitia. Non ergo debet dici Chriſtianus qui deditus eſt ludo, cùm vituperet nomen Chriſti. Hactenus S. Anton.

3. Sanctus Bernardinus Senenſis, ſerm. 33. Dominica 5. in Quadrageſima, tomo 4. ludi, de quo agitur, duodecim enumerat iniquitates, ac totidem ludentium fatuitates: in quibus fatuitatibus ea eſt maxima, quòd perpuſillum oſſis exanimati fruſtum pro DEO adſciſcunt: cuius nutibus & motionibus magis quàm veri Deī iuſſis obſequuntur. Luſores ſcribit peiores eſſe quàm latrones ac fures; quàm eos, qui vias obſident, vt iter facientiū bona diripiant: malle ſe viuere de pecunia publicorum latronum, & graſſatorum, & prædonum, quàm aleatorum, quorum fœnore nullū eſſe in orbe terrarum horribilius, immaniúſque confirmat, conuenienter iis quæ à D. Antonino ſunt contra aleatorum fœnus prædicata. *Terribilior*, inquit D. Bernardinus, *vſura, quæ ſit in mundo, eſt ludus*.

Diuus Raymundus in ſumma, tract. 4. de eleemoſyna, c. de quibus fieri debeat eleemoſyna, nouē peccata memorat, quæ ludi huius nefarij ſunt proles legitima, atque damnata, quæ peccata reperies apud alios etiam citantes Diuum Raymundū, vt apud Archidiaconum diſt. 31. cap. Epiſcopus, apud Oſtienſem in ſumma de pœnitent. & remiſſ. num. 61. §. quid de ludo, ſiue aleatoribus: ad quæ S. Raymundi ſeptem alia ipſe addit Oſtienſis, apud ſummam confeſſorum, lib. 2. tit. 18. q. 23. apud Turrecrematam, in cap. Epiſcopus. 35. diſt. artic. ſuo 1. vbi probat, ludum alearum eſſe illicitum ratione iuris ciuilis, & canonici, & naturalis, propter multa mala quæ gignit. Numerat nouem peccata aleæ & Alex. Halenſ. in 4. par. q. 33. membr. 2. art. 5. aleæque ludum, graue dicit eſſe peccatū.

Angelus in verbo, ludus, facit triplicem ludum, tertium appellat diabolicum, in quo genere alearum ludū reponit: cuius duplex eſt ratio: vna ſimplex, altera miſta: ſimplex nihil habet aliud quàm vel chartulas pictas, vel teſſeras, vel talos, vel cubos, quos dados, ſeu taxillos vocant: miſta cum teſſeris & cubis, rotundas tabellas coniungit, quem ludum Sbarainum vulgus appellat: locum hunc Angeli citat Gabriel in 4. ſentent. diſt. q. 13. art. 1. notab. 3. vbi ſcribit his verbis. Lucrari à proximo, » vnde notabiliter damnificatur, peccatum » eſt mortale in quocumque ludo. Summa » confeſſorum loco, quem iam citauimus, mortiferum peccatum eſſe ait ludum aleatorium.

Conſtitutum ſit igitur, cùm quis non 4. ad honeſtam quamdam animi remiſſionem, & laxamentum, ſed ad vberioris quæſtus cupiditatem, qua re alteri non parum nocetur, ludum vſurpat alearum, eum in culpa eſſe mortifera: cùm non eò inſtitutus ſit ludus, vt alterius bona exhauriantur, & ad nos transferantur: ſed vt ludentium animi honeſtè oblectentur. Libuit in extremo huius quæſtionis verba Græca Ariſtotelis ex 4. Ethicor. cap. 1. adſcribere. ὁ μέν τοι κυβευτὴς, καὶ ὁ λωποδύτης, καὶ ὁ λῃστὴς τῶν ἀνελευθέρων εἰσίν: αἰσχροκερδεῖς γάρ· κέρδους γὰρ ἕνεκα ἀμφότεροι πραγματεύονται, καὶ ὀνείδη ὑπομένουσι. καὶ οἱ μὲν κινδύνους τοὺς μεγίστους ἕνεκα τοῦ λήμματος· οἱ δὲ ἀπὸ τῶν φίλων κερδαίνουσιν, οἷς δεῖ διδόναι. Ἀμφότεροι δὲ ὅθεν οὐ δεῖ, κερδαίνειν βουλόμενοι, αἰσχροκερδεῖς· καὶ πᾶσαι δὴ αἱ τοιαῦται λήψεις ἀνελεύθεροι. Interpretemur Latinè. Aleator » quidem, & ſpoliator, & latro ex illiberaliū » genere ſunt: ſiquidem lucri turpis cupidi: » quæſtus enim cauſſa negotiātur, & probra » ſubeunt: & illi quidē cauſſa quæſtus maxima » pericula adeunt: hi verò ex amicis lucrantur, »

crantur,

» crãtur,quibus dare oportet. Vterque autẽ,
» vnde non æquum eſt,lucrũquærens,lucri
» turpis cupidus eſt. Atque hæc omnia com
» pendia illiberalia ſunt. Quis igitur non perditum aleatorem dicat, quem ad prædones & latrones aggregat Ariſtoteles.

QVÆSTIO VIII.

1. CVm igitur alearum ludus cunctorũ ſit flagitiorum ſeminarium, quæritur: An, quod ex eo fit lucrum, ſit neceſſariò reſtituendum, ſiue ludus exerceatur cum iis qui res ſuas donare poſſunt, ſiue cum iis qui non poſſunt.

Luctatio eſt recentibus ſcriptoribus, cum antiquis. Nam antiqui non ſolùm Theologi, verumetiam principes ſacrarũ ſanctionum explanatores, vniuerſè, & ſine exceptione præcipiunt, aleatorium lucrum eſſe reſtituendum: quòd contra iura diuina & humana ſit comparatum. Alber. Magnus in 4. ſent. diſt. 15. art. 43. hanc atque his verbis reliquit ſententiam. Ad omne illud ablatum, quod cum dolore amittitur, & cum delectatione ac vtilitate vel honeſtate poſſidetur, ſequitur tentio ad reſtitutionẽ ex parte auferentis illud; quocumque modo auferar. Diuus Bonauentura in eamdem diſt. art. 2. q. 1. nu. 67. de aleatoribus diſſerens, ait eos eſſe malæ fidei poſſeſſores, iniuſto titulo põſſidere, num. autem 66. dixerat, iniuſtum titulum pro nullo eſſe habendum: & ideo inquit, nullo modo poteſt, nec debet ſibi tenere, quod lucratus eſt: cùm talis ludus ſit turpis & reprobatus, & contra DEVM, & contra omnia iura. Alexan. Halenſis, qui magiſter fuit D. Bonauenturæ, in 4. par. ſummæ quæſt. 33. memb. 2. artic. 5. de ludo aleatorio diſputans, non longè ab extre-
» mo, ita ſcribit. Et nota, quòd, quando lu-
» dus eſt ita turpis & reprobatus, vtpore qui
» eſt contra Deum, & omnia iura, per talem
» ludũ nullus ſibi aliquid acquirit: & paul-
» lo antè dixerat. Si quis compulſus aliquid lucratur, non tenetur ad reſtitutionem. Imò poteſt de illo facere eleemoſynam, & debet illud dare pauperibus, vt mirum ſit à Gabriele, atque aliis nonnullis, Alexandrum vi pertrahi in contrariam ſententiã.

Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3. artic. 5. non vult retineri poſſe eiuſmodi lucrum, ſed pauperibus erogandum eſſe. De iure, inquit, naturali acquiſitum per ludum debetur pauperibus: de iure poſitiuo perdenti de rigore: & verius eſt, quòd qui lucratus eſt, numquam poſſit ſibi retinere: quia turpis eſt, & cõtra rationem: & idem cenſet de lucro, quod fit in latrunculorũ ſeu ſcaccorum luſione.

Id omne confirmat Turrecremata etiã 2.
de lucro, quod latrunculorum ludo acquiritur, in cap. Epiſcopus, diſt. 35. art. 1. & »
artic. 2. ſi voluntate, inquit, & cupiditate »
ludit & perdit, non poteſt repetere: ſi lu- »
cratus eſt, tenetur reſtituere; ſed pauperi- »
bus: & titulus iniuſtus pro nullo haben- »
dus eſt: & eum, qui lucratus eſt, ex Ray- »
mundo ait teneri lege reſtituendi in foro animæ: Corradus quæſtio. 71. de contractibus, lucrum ex alea ait eſſe illicitum ob auctoritatem ſacrarum Scripturarum, quę hominibus decernunt vitam laborioſam: & quia ludus eiuſmodi non habet actum vtilem Reipubl. quod repugnat naturæ membrorũ: quæ ſingula in corpore actionem & functionem habent corpori ſanè vtilem.

Richardus in 4. diſt. 15. artic. 5. q. 8. hanc communem ait eſſe opinionem & tutiorem: quia leges ciuiles non ſolùm ludum, ſed acquiſitionem etiam lucri prohibent: & quia iura ciuilia à canonibus ſunt approbata, omnibus ſunt impoſita. Hanc ipſam ſententiam probauit D. Antoninus in 2. part. ſuæ ſummæ, tit. 1. cap. 23. §. 6. & Oſtienſis in ſumma, tit. de pœnit. & remiſ. §. quid de luſoribus, num. 61. ſeque ipſum cum omnibus canoniſtis antiquis adiungit Theologis. Summa confeſſorum, lib. 2. tit. 18. q. 25. citat & ſequitur Oſtienſem.

Huius communis opinionis comprobatores fuerũt B. Auguſtinus Triumphus Anconitanus & Aluarus Pelagius. Auguſtini Anconitani ex eius libro de poteſt.

Eccleſiaſt.quæſt.62.artic.6. hæc ſunt.

» Acquiſitio rerum, & modus acquirẽdi
» ex iure humano determinatur, qui quan-
» tum ad præſens triplex eſt. Nam quidam
» eſt honeſtus, & de iure conceſſus, vt fiat
» per aliquem iuſtum venditionis vel do-
» nationis titulum. Quidam inhoneſtus, ſed
» permiſſus à iure, propter maius malum vi-
» tandum, vt per meretricium, quod per-
» mittitur in lege humana propter vitãdum
» adulterium. Alius inhoneſtus, & à iure
» prohibitus, vt per aleæ ludum. In primo
» caſu licet acquirere & retinere, nec datur
» repetitio. In ſecũdo caſu non licet ſic ac-
» quirere: quia permiſſio eſt de malo; ſed li-
» cet retinere, nec competit repetitio. In
» tertio verò caſu nec licet acquirere, nec
» retinere, ſed competit repetitio. Quia er-
» go ludus alearum eſt inhoneſtus & prohi-
» bitus; qui ſic lucratur, non iuſtè acquirit,
» nec poteſt retinere: imò competit repeti-
» tio infra 40. annos, vt dicit præmiſſa con-
» ſtitutio Græca C. de relig. & ſumpti. funer.
» l. alearum ludus. Aluarus verò Pelagius,
» qui fuit Auguſtini Triumphi æqualis, quo
» tempore Ioannes XXII. Pontificatum
» gerebat, lib. 2. de Planctu Eccleſiæ, c. 46.
» col. 22. & 23. probat, alearum ludum iure
» vetitum eſſe; lucrum ex eo factum reſti-
» tuendum, ſuæque ætatis doctores cũctos
» in eadem ſententia teſtatur fuiſſe.

3\. Non caret hæc ſententia aliis firmis argumentis ad probandum: in quibus hęc eſſe poſſunt.

Primum. Ludus aleatorius eſt quidam contractus tacitè inter ludentes initus; qui reuocatur ad illud genus non nominatum, facio vt facias; hoc eſt, fortuito ludo, & lucro rem meam expono, vt tu exponas tuam. Verùm eiuſmodi contractio, & pactio lucri cupiditate facta flagitioſa eſt, & contra omnia iura, vt excellenti doctrina & ſanctitate tam multi Theologi affirmant: ergo nulla obligatio naſci poteſt alteri præſtandi, aut dandi quidpiam: quia quilibet contractus bonis moribus, & iuſtis legibus, qui illum improbant, repugnans, nullus eſt, nullam pariens obligationem, nullam actionem, vt à nobis in noſtris diſputationibus de contractu in genere, & in quæſtione de turpi ſtipulatione multis rationibus & multis certiſque legibus, & ſanctionibus demonſtratum eſt.

Secundum argumentum. Nullus humanus actus nexum vllum ſeu obligationem efficere poteſt, quæ naturæ actus ſit planè contraria: ſed lucrum aleatorium & nexum ſoluendæ pecuniæ in ludo amiſſæ eſt naturæ ludi omnino contraria: quia ludus inuentus eſt ad animos exhilarandos, & voluptate honeſta perfundendos; pecuniæ autem amiſſio anxitudinem habet & mœrorem: ergo eius diſſoluendæ nulla poteſt eſſe obligatio: ſiquidem obligatio proles eſt legitima contractus, atque eius, vt nos probauimus, in opere de contractu, effectus formalis: quis autem neſcit, prolem, parentis; & effectum, ſimilitudinẽ ſuæ cauſſæ gerere debere?

Tertium. Humanæ vitæ rationes hominum meliorum & ſapientiorum iudicio gubernãdæ ſunt; tantóque magis cùm ad ſanitatem & ſcientiam virorum maior numerus accedit: ſed qui antiqua ſapientia, & innocentia antecellunt, credunt & docent, lucrum conflatum ex alea, retineri non poſſe: & ad antiquitatem doctrinæ & ſanctimoniæ maior numerus accedit: nam etiam ij qui contra opinari ſunt, fatentur, hãc primam opinionem eſſe communem, vt Angelus in verbo ludus, nu. 7. & alij: ergo horum ſententia in hominum vita pollere deberet.

Sed tamen in contrariam opinionem 4.
ſunt adducti non pauci, vt lucrum aleatorum extra nexum reſtituendi ſit; quotieſcumque cum eo hominum genere, quod alienare poteſt, luſum eſt; neque fraus, aut vis vlla interceſſit. In quam ſententiam concurrunt hi omnes. Adrianus in 4. in
tract. de reſtitut. q. 4. quæ incipit. Quia in »
ſuperioribus. Maior in 4. diſt. 15. q. 9. Ga- »
briel in eamd. diſt. q. 13. art. 2. Caietanus in 2.2. q. 32. artic. 7. in calce commentarij, & q. 168. art. 3. hunc enim articulũ explanans affirmat,

affirmat, propter cupiditatem lucri ludere, non eſſe peccatum mortale, ſed graue & turpe; neque in eo ludo, qui voluntarios & libentes habet luſores, quidquam contra iuſtitiam fieri, ſed contra liberalitatem: at peccatum contra iuſtitiam tantùm legem imponit neceſſariam reſtituendi. Alphonſus à Caſtro, in 2. de lege pœn. c. 2. coroll. 3. huic ludo ſtudentibus non iniungit onus reſtituendi neceſſariũ: nec Sotus, lib. 5. de iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 2. concl. 3. & 4. nec Med. C. de reb. reſtituendis q. 22. nec Couarruuias in regulam peccatum, de regulis iuris 2. parte relectionis. §. 4. de iis quæ ludo acquiruntur: nec Syluester, in verbo, Ludus, quæſt. 11. nec Angelus eod. tit. num. 7. nec Tabiena, in verbo, Ludus, num. 8. nec Armilla eod. tit. num. 6. nec Nauarrus, in Summa, c. 19. num. 18.

Firmum hi auctores ſuæ opinioni arbitrantur conſtitutum eſſe præſidium in inſtitutionibus, de rerum diuiſione. §. Per traditionem. In quo §. his verbis loquitur Imperator. Per traditionem quoque " iure naturali res nobis acquiritur. Nihil " enim tam conueniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis " rem ſuam in alium transferre, ratam haberi: & ideo cuiuſcunque generis ſit corporalis tradi poteſt: & à domino tradita " alienari. Hinc colligunt poſſe ludentes in ludo aleæ alterum in alterum rem ſuam tranferre, ſi eius rei ſint domini, & voluntarij transferant.

5\. At homines acuti videre potuiſſent, non ſemper vna lege comprehenſa eſſe omnia, quæcumque in vno quopiã actu, contrahendóque negotio neceſſariò requiruntur. Ergo in tranſlatione dominij multa, vt rata ſit, exiguntur. Primò exigitur, vt eius rei, quæ vindicari, ſeu capi ab altero poteſt, qui tradit, ſit verus Dominus. Non id eſt ſatis, opus etiã eſt, vt eius rei alienandæ ius habeat: quare pupillus, quamuis ſui patrimonij ſit legitimus dominus, de eo quidpiam diminuere non poteſt; vt alteri donet; aut alio quouis titulo tradat, quia ius ei non tribuitur alienandi. Tertio loco neceſſarium eſt vt alter, in quem res deriuatur, facere eã poſſit ſuam: ita religioſus acquirere ſibi nihil poteſt. Quartò. Item adeſſe debet, qui eſt iuſtus titulus; quo dominia ſolent transferri; vt donationis, mutui, teſtamenti, legati, venditionis, ſocietatis, locationis, aut alterius contractus iuſti. Quintò & poſtremò, vt donantibus, ſeu alienationem conantibus, lex non reſiſtat: quæ omnia in noſtro volumine de contractu, rationum & legum momentis concluſa ſunt: & quartum in diſputatione de dominio, legibus perſpicuis probatum. Quintum verò in tractatione de forma cõtractus, & in variis noſtris ſcholis ac diſputationibus, diuerſiſque reſponſis moralibus vſque defendimus. Itaque tota iſtorum ratio non modò vacillat, verùm etiam contrariam ſententiam extollit, atque ſuſtentat.

Magni enim prioris opinionis illi ac priſci Magiſtri dicerent: non ius eſſe ludentibus hoc flagitioſo & aleatorio ludo dominium ſuum aliquod maioris momenti in alterum transferendi. Primum. Quia eius transferendi nullus honeſtus, nullus iuſtus eſt titulus: quandoquidem ipſe ludus cupiditate lucri totus inficitur, nec titulum procreare poſſit iuſtum: nam ſi iuſtus eſſet titulus, cur non item bonus? cur non honeſtus? cùm iuſtitia & virtus ſit & bona, & honeſta? Deinde: quia huic ludo, & his ludentibus lex reſiſtit. Quare quod contra diuinam, & naturalem, & humanam legem perficere conantur, pro infecto habendum erit.

Poſtremò, quia cùm dominium ſit ius, 6.
ſine quo dominium nec eſſe, nec intelligi poteſt, conſtat nullum in iis reſidere poſſe dominium, in quibus ius locum non habet.

At ius, vt definitur in tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica, conſideratione 13. quæ conſideratio inſcribitur de origine iuris, & legum, à Gerſone, eſt poteſtas, vel facultas propinqua conueniens alicui ſecundùm

cundùm dictamen primæ iuſtitiæ. Quis autem dicat ex præſcripto primæ iuſtitiæ ſpolianti alterum in ludo aleatorio, ius vllum aequiri? Si quidem prima iuſtitia hos alienarum fortunarum prædones, omniſque iuris hoſtes capitaliſſimos ſupplicijs addicit ſempiternis?

Altera iuris definitio apud eumdem Gerſonem in tract. de vita ſpirituali animæ lect.3. eſt huiuſmodi. Ius eſt poteſtas, vel facultas propinqua, conueniens alicui ſecundùm dictamen rectę rationis. Atqui recta ratio non dictat, vt, qui tot flagitiorum, & furtorum, quæ in ludo aleæ committuntur, eſt particeps, ius vllum nanciſcatur, ex ſuis flagitijs, ac ludi turpitudine.

Vtraque hæc definitio iuris explanatur, & defenditur à Corrado, in ſuo volumine de contractibus q.1. dominium verò idem Gerſon in 1.p. ſuorum operum in tract. de poteſtate, ſeu de origine iuris, & legum, conſideratione 13. col.3. definiuit, loquens de ciuili dominio, quod alicui conuenit ex legibus ciuilibus & politicis.

Profectò patroni ſecundæ ſententiæ, nullam reperient legem, quæ pacatum dominiũ vllum concedat iis qui lucrantur in ludo alearum. Imò verò illud repeti volunt ab eo, qui rem ſuam ludendo amiſit.

7. Vigeant autem etiam nunc leges: quæ rationem lucri & acquirendi improbant aleatorum nec ne, in hiſce qq. de ludo & lucro aleæ diſputabitur. Dicent fauere l.3. & 4. ff. de condict. ob turpem cauſſam: in quibus eſt; cùm vtrimque turpitudo verſatur, potiorem eſſe conditionem poſſidentis. Verùm Azo, quem multi ſequuntur, reſpondet, locum id habere, cùm quis tradit alteri quidpiam, vt turpe faciat: ſed non cùm traditur contrahendo lege contractum prohibente. C. de agr. & cenſ. l. quemadmodum lib.10. Equidem in hac controuerſia; vt, quod ipſe cenſeo, eloquar. Primam opinionem tum auctoritate, tum antiquitate, tum multitudine teſtium, tum vero rationum pondere & veriorem & tutiorem exiſtimo: ſecundam & propter non leuium, nec paucorum Theologorum graue teſtimonium, & propter generalem conſuetudinem non reſtituendi, quæ in ludo alearorio amittuntur ab eo qui ſponte ludit, & donare poteſt, tolerabilem & probabilem iudico. Dummodo non obſit genus perſonarum, & tempus, quod ex omnium ſententia imperat reſtitutionem: quo de genere in hac altera, quæ attexitur, quæſtione diſputabitur.

QVÆSTIO IX.

EXquirenda ſunt in hac tertia quæſtione de lucro aleatorio, quæ, & quotnam ea tempora ſint, quibus temporibus non ſolùm humano, verùm iure etiam diuino, & naturali lucrifactum reſtituere quis debeat. 1.

D. Thomas tria definit in 2.2. quæſt.32. art.7. ad 2. arg. Primũ eſt cùm ludi ſocius eſt is, qui alienare non poteſt; vti ſunt pupilli, minores, furioſi, cæci, ſurdi, prodigi, & quibus auctoritate tutoris, ſeu curatoris ſubuenire lex ſolet: item religioſi, vxores, quæ parapherna non habent.

Secundum tempus, cùm lucratur vnus eo amittente, qui pellectus attractúſque fuit ad ludum, aut vi, aut minis, aut importunis precibus, aut exprobratione: &, cùm vult à ludo recedere, vi, aut ratione quapiam, quæ ſit vi par, retinetur.

Tertium. Cùm fraude & dolo quidpiam acquiritur. D. Thomas, in 4. ſentent. diſt.15. quæſt.2. art.4. quæſtiuncula 3. ad 1. tempus 3. prætermiſit: quod tamen ſe ipſum vltro offert vnicuique veri iuſtíque videndi cupido. Nauarrus, in Summa, cap.19. num.18. cùm aliquid quis lucratur etiam ludo licito ludens cum eo, qui alienare non poteſt, aut cum attracto, aut cum decepto, ait, omnium conſenſu ei reſtituendum eſſe, à quo eſt lucrum ablatum.

Tria hæc tempora exponuntur, & probantur à D. Antonino, in 2.p. tit.1. cap.23. §. 2.

§. 2. & à D. Bonau. in 4. d. 15. art. 2. q. 1. Probat Syluester, in verbo, Ludus q. 11. Tabiena eodem tit. q. 83. Nauarr. loco citato. Medina, C. de reb. reſt. q. 22. Roſella, in verbo, Ludus, num. 8. Alexander Halenſis in 4. p. q. 32. memb. 2. art. 5. omittit tertium tempus, quia de eo nemo dubitarit: ſicut fecit D. Thomas, in 4. d. 15.

2. Ac licèt Adrianus Diui Thomæ ſententiam de attractione ad ludum conuellere ſit adortus in q. 4. de reſtitut. quæ incipit, quia in ſuperioribus; eam tamen propugnat ſtrenuè Alphonſus à Caſtro in 2. lib. de lege pœnali, c. 2. coroll. 3. & Caietanus, qui non intelligunt ſententiam D. Thomæ de quacumque attractione, ſed de ea, quæ habet inuoluntarium miſtum, ſeu, vt loquitur Alphonſus, conditionale; qualis eſt attractio cum probro, inſultatione, cum precibus vehementibus dominorum, vel, vt inquit Sotus, lib. 1. de iuſt. & iur. q. 5. art. 2. cùm improbis precibus, aut eiuſmodi verbis laceſſitus; vt, ſi recuſet ludum, habeatur inurbanus, & ignobilis; ſic illic Sotus col. penult. conc. 4. Nec aliter attractionem hanc interpretatus eſt Alex. Halen. in ea quæſt. memb. & articulo: nec aliter interpretatur Couarruuias, in relectione regulæ Peccatum 2. p. §. 4. de iis, quæ ludo acquiruntur, nu. 7. vbi ait D. Thomæ ſententiam de attractione eſſe communẽ: & Nauarrus indicat eſſe omnium, in Summ. c. 19. num. 18. vbi tres illos caſus D. Thomæ à cunctis ſcribit eſſe receptos. Scio Medinam attractionis oppugnationem excogitatam ab Adriano approbauiſſe; quem tamẽ ipſum par erat in hac cauſſa ſtare potiùs à Diuo Thoma, quàm Adriano.

Recentiſſimus quidã Theologus, qui de contractibus ſcripſit, diſputat. 513. non quidquid attractus in ludo perdidit, cenſet ei ab attrahente reſtituendum eſſe, ſed quanta fuit iniuria, vel quanta ratio inuoluntarij, tantumdem reſtitui debere: quod non puto ſequendum: quia eſt nouum inuentum: & quia ſummam reſtitutionis reddit incertam: quis enim quantitatem aut iniuriæ, aut inuoluntarij diuinare voluerit?

Totum igitur reſtituet, quod lucratus eſt attrahẽs: nec enim ſecus reliqui omnes doctores locuti ſunt.

Sed quibus reſtituet is, qui lucratus eſt 3. ludens cum tribus illis generibus perſonarum? Nauarrus, in Summa, c. 19. num. 18. omnium doctorum conſenſione reſpondet, illis ipſis reſtituendum eſſe: affirmat id D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4. diſertis verbis in extrema comprehenſione verborum. & Alexand. Halen. in 4. part. q. 32. memb. 3. art. 2. & D. Bonauent. in 4. ſentent. diſt. 15. art. 2. q. 1. & Paludanus, in 4. d. 15. q. 3. art. 2. Si induxit, inquit, tene- » tur iure naturali reſtituere inducto, aliàs » non tenetur ei, niſi condemnatus iure ci- » uili. C. de relig. ſumpt. »

Quod attinet ad pupillos minores, & eos, qui rebus ſuis præeſſe non poſſunt, Oſtienſis, in Summa, tit. de pœnit. & remiſſ. §. Quid de ludo, ſiue aleatoribus, num. 61. admonet reſtituendum fore patri, vel tutori, vel curatori, cùm amittit aut filius, qui eſt in poteſtate patris, aut pupillus, aut minor; aut reſtituet Prælato, cùm regularis amittit; aut Eccleſiæ cùm perduntur res Eccleſiæ: reférrque ſe ad ea quæ notauit in §. qualiter excedant in eadem ſumma.

Monitum hoc Oſtienſis non improbat Summa confeſſorum lib. 2. tit. 18. q. 25. ſcribit enim eius Summæ auctor, cùm quis quæſtum facit, iis rem ſuam in ludo perdentibus, qui illam nec debent, nec poſſunt perdere, iis reddendam, qui perdentium peculium adminiſtrant, niſi conſtaret forſan, eos, qui perdiderunt, illam ipſam rem in alia honeſta & iuſta impenſuros. D. Antoninus, in 2. p. tit. 1. c. 23. §. 3. vult, Tutoribus, aut Prælatis, ſiue dominis eſſe reſtituendum; citátque D. Thom. Raymundum, Petrum. Sed D. Thomæ & Paludani eſt à nobis ſententia fideliter recitata.

Verùm communis opinio reſtitutionem addicit iis qui amiſerunt.

Quòd

4. Quòd ſi attractus, aut is, qui alienare non poteſt, lucratus eſt, quid aget? Primùm de eo, qui trahitur, deinde de illis, quibus non ius eſt rerum ſuarum adminiſtrandarum, & alienandarum dicamus: ergo qui inductus eſt, aut coactus, in foro Dei non reſtituet inducenti, & laceſſenti, ſed pauperibus. Ita Alexand. Hal. in 4. p. q. 32. memb. 3. art. 2. q. 1. & Paludanus, in
» 4. diſt. 15. q. 3. art. 5. Mox, inquit, vt lucra-
» tus fuit, pauperum debitor fuit, à quo de-
» bito non liberatur, niſi ſoluat. D. Anton. in 2. p. tit. 1. c. 23. §. 3. proferens auctorem D. Raymundum. Turrecremata idem probat auctoritate eiuſdem Diui Raymundi, in c. Epiſcopus, diſt. 35. art. 2. Huc adde Panormit. in c. clerici 2. de vita & honeſt. clericorum id ipſum probantem auctoritate Innoc. in c. quia plerique, de immunitate.

Quid de pupillis & minoribus, atque iis, qui donare non poſſunt, quum lucrantur ludentes cum iis, qui alienare res ſuas poſſunt? Poſſuntne factum lucrum retinere? Nequaquam. Primùm. Quia id fert natura ludi, vt æqua ſit vtriuſque ludentis cõditio: quare ſi vnus lucrari poteſt, amittere etiam poteſt: cùm igitur minores amittere non poſſint: nec lucrari poterũt. Deinde, quia inuito domino rem eius retinere non poſſumus: at nemo vult rem ſuam ludo exponere, vt eam poſſit tantùm amittere, & nihil lucrari. Adde. Quòd ludus non eſt ſine quodam contractu, & pacto: nam quiuis etiam con-
» tractus eſt pactum quoddam. Pactum
» autem eſt duorum pluriúmve in idem,
» placitum atque conſenſus. l. 1. ff. de pactis. At fieri non poteſt, vt pactum, ſeu conſenſus inter eos intercedat, quorum in ludendo eſt diſpar & omnino diſſimilis conditio.

5. Minores autem lucrum habere ſibi non poſſe aſſeuerant Sotus l. 5. de iuſt. & iur. q. 5. art. 2. concl. 4. Alphonſus à Caſtro, in 2. lib. de poteſtate leg. pœn. cap. 2. coroll. 3. & Couarruuias in relectio. regulæ, iuris, peccatum. 2. par. relect. §. 4. num. 4. Credit autem Sotus, filios, quibus ſoluũt patres annua ſtipendia, è centenis aureis nummos detrahere poſſe quaternos, & quinos, illóſque patrum aſſenſu fortunæ ludi offerre poſſe. Verùm ipſe non perinde, vt Sotus, auderem de patrum voluntate vaticinari, quos veriſimile eſt ludo aleæ turpi nullo modo velle ſuos filios operam dare.

Sed cui erit lucrum reſtituendũ? idem dicerem, quod de eo dictum eſt, qui trahitur ad ludum: plus enim iniuriæ fit minoribus, quàm aliis, qui importunis verbis, vel precibus, ad aleam trahuntur: reſtituent igitur non ludi ſocio, ſed pauperibus: nam iis, qui aleatorio inuitatu corrumpunt minores, aut inuitati ab iis contra iura diuina, & humana ludunt, ſi quid amittunt, eadem iura nequaquam opitulantur.

Ab his tribus caſibus, qui enodati ſunt, ſepoſitus eſt quidam quartus: cùm iure diuino & naturali quis ſuſtinet onus rei lucrifactæ reddendi ei à quo eſt per ludum erepta: qui caſus contingit, cùm quiſpiam ludo amittit id quo alenda erat familia, vxor, liberi, ſorores, fratres, nepotes, neptes, &c. namque per iniuriam aufertur id quod aliis ſuſtentandis iure diuino & naturæ debetur: aut ad ciuica obeunda munera eſt neceſſarium, vt ait Nauarrus, in Summ. c. 19. num. 5. Sotus l. 5. de iuſt. & iur. q. 5. art. 2. concl. 4. quia peccatum mortale, inquit, eſt exponere ea ludo, quæ neceſſaria ſunt, vel alendæ familiæ, vel ad implenda Dei præcepta. & Medina C. de rebus reſtituend. q. 22. ar. 2. Si nobiliter, inquit, lædatur ludentium »
patrimonium, lucrum eſſet reſtituẽdum. »

Quintum. Tempus eſſe poteſt illud Medinæ in eamdem quæſt. quando quis eſt in ludi ratione magis exercitatus: ſuperátque ſocium arte, ac ingenio: niſi fortè alter, qui eſt inferior, iam doctus eſſet de ſocij in ludendo præſtãtia: neque eam ob rem ludi conditionem repudiaret: ſiquidem vtriuſque ludentis æqua debet eſſe conditio.

Totam

6. Totam quæſtionem hanc tertiam ad exitum adducam, quum vnum illud excuſſero. Vtrùm, qui pecunia credita pactáque ludit, & non poſita, ſoluere debeat illam vincenti. Adrianus, in tract. de reſtit. q. 4. cuius ſunt prima verba, Quia in ſuperioribus, ſcribit, eiuſmodi pecuniā iure conſcientiæ retineri poſſe ab eo qui illam amiſit, nec dum ſoluit: idem credidit Sotus, in 5. de iuſt. & iur. q. 5. art. 2. col. penult. niſi ſi fortè iureiurando ſuam aſtrinxit fidem is, qui in ludo ſuccubuit, ſe diſſoluturū. Cum Adriano ſentit etiam Couarruuias, in regulam iuris, peccatum, relectionis par. 2. §. De iis quæ ludo acquiruntur. & Nauarrus, in Summa, c. 19. nu. 17. hoc addens, eum, qui data fide, cum iureiurando promiſit ſe pecuniam ſoluturum, abſolutionem iuriſiurandi perinde petere poſſe, vt ius petendæ abſolutionis ab eodem iureiurando eſt iis, qui iurati ſpondent ſe fœnus fœneratori perſoluturos.

Verùm Alphonſo à Caſtro, in 2. lib. de leg. pœn. cap. 2. coroll. 3. & Medinæ C. de reb. reſtit. q. 22. art. 2. coroll. 2. viſum eſt, eius, qui amiſit, repræſentatione pecuniæ fidem liberandā eſſe: id quod mihi haud ſit veriſimile. Cur enim quis cogi poſſit eam pecuniam dare, quam ſtatim poteſt repetere? præterquam quòd perquam eſt opinio antiquorum Theologorum, & Canoniſtarum probabilis, eum, qui ex aleatorio ludo peculiatus diſcedit, adeptum peculium retinere non poſſe.

Carolus V. Imperator aduerſus aleatorum lucrum legem tulit, vt teſtes ſunt Nauarrus, in Summa, cap. 19. num. 17. & Sotus, in 5. de iuſt. & iur. q. 5. art. 2. propè extremo, quamuis nomen ſileat Imperatoris: quam legem meminit etiam Alphonſus à Caſtro, in 2. de lege pœn. cap. 2. coroll. 3. quam ipſam & ſi captioſis interpretationibus nonnulli peruertunt, mens tamen principis & legis interpretatione non eget: quippe quæ planis verbis irritas faciat cunctas promiſſiones & obligationes credita pecunia alea ludentium. Vt meritò Sotus eiuſmodi lege credat translationem impeditam eſſe dominij, & pecuniam acceptam, ſeu datam ab eo, qui ſpopondit, retineri non poſſe, ſed omnino reſtituendam fore ab iis Hiſpanis hominibus, quibus eſt ea lex impoſita.

Addit etiam Sotus eiuſmodi legis beneficium, eum, qui in ludo amittit, repudiare non poſſe: propterea quòd lex non priuatam ſed publicam continet vtilitatem. Matritij fuit ea lex perlata, & ſancita 1518. vt eſt auctor Nauarrus, in Summa, c. 19. num. 17. vt minùs mirandum ſit ſponſionem pecuniæ ob ludum aleatorium à grauibus Theologis improbatam & irritatā eſſe, quam ſua ſapiētiſſima lege ſummus Imperator Carolus V. improbauit, atque irritam fecit: & quoniam à Iuſtiniano Imperatore plus mille ab hinc annis eſt lata lex eius, quam promulgauit Matritij Carolus V. non diſſimilis, cuius verba in ea, quam paramus, quæſtione recitabimus; idcirco videndum omnino, quæ illius legis noſtris hiſce temporibus vis ſit, & quid iuris in animæ foro ex eadem lege ſtatuendum.

QVÆSTIO X.

Ad poſtremam de ludo aleatorio aggredimur quæſtionem, quæ ipſa non eſt extremus cardo, ſed ex præcipuis totius diſputationis. 1.

Num leges ciuiles, quæ hoc ludi genus deteſtantur, ſint abrogatæ. Num cunctas orbis Chriſtiani prouincias deuinciant: num rei amiſſæ dominium, antequam repetatur, vincenti permittant. Num ſi lucrum ante iudicis ſententiam diſpenſatum pauperibus eſſet in iudicio repetēti, & rem ſuam perſequenti, ei qui amiſit, iterum reſtituendum foret.

Hæ quatuor dubitationes cum hac quarta quæſtione implicitæ ſunt: quibus verba legum, quæ aleæ ludo mirè infeſtæ ſunt, videntur præmunienda.

Iuſtinianea igitur conſtitutio C. de

religioſis, & ſumptibus funerum, quæ in-
» cipit, Alearũ vſus, cauet his verbis. Com-
» modis igitur ſubiectorum proſpicientes,
» hac generali lege decernimus; vt nulli li-
» ceat in publicis vel priuatis domibus, vel
» locis, ludere vel inſpicere. Et, ſi contra
» factum fuerit, nulla ſequatur condemna-
» tio, ſed ſolutum reddatur: & actionibus
» competentibus repetatur ab iis qui dede-
» runt; aut eorum heredibus; aut his negli-
» gentibus, à procuratoribus, vel patribus,
» ſeu defenſoribus: non obſtante niſi quin-
» quaginta annorũ præſcriptione. Lex au-
tem prima de aleatoribus, non animaduertit in eum, qui vim infert illi, in cuius domo ludus exercetur alearum: neque, ſi quidpiam eidem ſurripiatur: imò hunc facinoroſi ludi fautorẽ aut mulcta mulctari, aut in latumias vel vincula publica dari lex illa iubet. Hæc autem pœna interprete Gloſſa communis eſt eius, qui compulit ludere, vel qui ludum tenet: ſic loquitur eadem Gloſſa. Hæc in legibus, ſingulas nunc expediamus difficultates.

2. Prima erat. An iis legibus quæ conſtituta ſunt, antiquata ſint, an etiam vigeãt. Triplex opinio. Prima dubitantium. Secunda, aientium. Tertia, negantium. Dubitanter locuti ſunt D. Thomas, in 4. d. 15. q. 2. art. 4. ad quæſtiunculam poſtremã, & in 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. & Alex. Halen. in 4. p. q. 32. memb. 2. art. 5. & D. Antonin. in 2. p. tit. 1. c. 23. §. 3. Eſſe verò abrogatas aiunt Maior, in 4. d. 15. q. 9. in antiquioribus Codd. in recentioribus verò q. 13. col. 2. Roſella, in verbo, Ludus, num. 8. Syluester, in verbo, Ludus, q. 11. Alphonſus à Caſtro, in 2. de lege pœnali, c. 2. coroll. 3. Nauarrus, in Summa, c. 19. num. 10. vbi ait, leges prohibẽtes ludum magnæ ſummæ non videri receptas: quia in omnibus mundi partibus ſecus fit. Imò Alphonſus loco citato teſtatur ſe audiuiſſe, in nulla ciuitate ſubiecta imperio dari repetitionem ei qui iacturam fecit in ludo aleatorio.

Huius ſententiæ princeps fuiſſe videtur Alexander Lombardus; qui à Syluestro citatur, in verbo, Ludus, q. 12.

Negant autem eſſe abrogatas Scotus, 3. qui in 4. diſt. 15. q. 2. ar. 3. ad iniuſtam commutationem reducit eam, quæ fit in aleæ ludo, quantum ad eos ſpectat, qui legibus parent imperij. D. Bonau. non in alia fuit ſententia: in eadem fuit Paludanus; ille in 4. d. 15. art. 2. q. 1. hic in eamdem diſt. q. 3. artic. 5. concl. 2. in eadem Richardus in eamdem diſt. artic. 5. q. 8. idem credidit Turrecremata, in c. Epiſcopus, diſtinct. 35. idem Adrianus, in 4. in qq. de reſtit. quæſtione, quæ incipit. Quia in ſuperioribus. » Idem Medina in C. de rebus reſtituendis q. 22. art. 2. arg. 3. Ad hanc ſæpe propendet Sotus, in lib. 5. de iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 2. Angelus, in verbo, Ludus, num. 7. perſpicuis verbis docet, ciuiles leges non eſſe abrogatas, ludum alearum interdicentes. Archidiaconus, in cap. Epiſcopus, diſt. 35. citans D. Raymundum, ſcribit, omnes ferè Canoniſtas affirmare, perdenti in ludo alearum dari repetitionem. Oſtienſis, in Summa, tit. de pœnit. & remiſſ. num. 61. §. Quid de luſoribus, non vult in ludo aleæ deponi poſſe pecuniam: & eam eſſe reſtituendam ſi amittatur, ex omnium, vt inquit ille, doctorum opinione. Panormitanus, in cap. clerici 2. de vita & honeſt. num. 13. exceptis tribus illis caſibus poſitis à D. Thoma, in 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. argum. (in quibus eſt attractus, qui reſtituit pauperibus, ſi lucretur ex innoc. in cap. quia plerique de immunitate) inquit extra hos caſus communiter tenetur, quòd datur repetitio perdenti: additque de iure naturali & conſuetudinario non dari: neque ea re credit Panormitanus lucrum aleatorium fieri lucrantis.

Probat autem conſuetudinem non repetendi rem in ludo aleæ amiſſam non valere: quoniam conſuetudo inducens, aut fouẽs peccatum, aut procliuiores homines reddens ad peccandum, nõ valet, cap. ex parte, de conſuetudine: quot autem & quantorum flagitiorum ſeges & fons ſit aleæ ludus, in 1. quæſt. de hoc ludi genere demonſtratum eſt.

Nec

4. Nec quidquam eſt in ea argumentatione virium. Conſuetudo non repetendi deſiit: ergo lex ſublata eſt: neque enim abrogatur lex niſi actu, qui ſit contrarius legi: at contrarius actus legis non eſt non repetere, ſed repetentem in iudicio non audire: quod in foro & iudicio vbi viget æquitas, & pollet ius honeſtatis, & morum, non deberet vllo modo factitari.

Leges verò ciuiles aleatorum alearúmque vltrices etiam nunc pollere hinc intelligi poteſt. Primùm. Quia cauſſa, quæ impulit Imperatorem Iuſtinianum ad legem illam condendam, fuit plurimorum & maximorum ſcelerum, quæ ex ludo exiſtunt, truncum excidere, & radices euellere: ergo nullius populi, qui legibus tenetur imperij, iuſta voluntas, nulla conſuetudo potuit tam religioſæ ſanctioni aut abrogare, aut derogare; aut illã ipſam abrogare. Dein, Quia omnis conſuetudo contra diuinam aut naturalem legem, fœda corruptela exiſtimari debet: verùm alearum ludum fatentur omnes flagitioſum eſſe; id quod ex prima de hoc genere quæſtione intelligi potuit: ergo non potuit humano iuri, quod item diuino & naturali ſeptum eſt, conſuetudo vlla obſiſtere.

Confirmatur. Nulla conſuetudo, nullus mos, nullum hominum inſtitutum ius aut dandi aut retinendi ob ludum aleatorium, quod acquiſitum eſt, gignere potuit; cùm illud nec lex diuina, nec naturalis largiatur: ergo conſuetudo, quæ obtruditur contra legẽ ciuilem, nulla eſt.

5. Pòſt, in noſtra quæſtione de turpi ſtipulatione & rationibus multis, & legibus, argumentati ſumus, ex turpi ſtipulatione, aut pacto nullam prorſus oriri obligationem: ſed fatentur omnes aleatoriũ ludum turpem eſſe, cum turpi pacto, ſeu ſtipulatione coniunctum: ergo nulla conſuetudo largiri huic ludo poteſt obligationem præſtandi id de quo inter ludentes conuentum eſt.

Tum, Multæ perſuadent coniecturæ, ciuiles leges contra aleatorium ludum promulgatas etiam nunc robur ſuum obtinere. Namque pecunia ludenti credita non reſtituitur, vt probat Panorm. in c. clerici 2. de vita & honeſt. clerici, ex l. 1. de aleat. cum Gloſſa: atque ad eam rem is qui in Panormitani commentarios ſcholia elucubratus eſt, alios citat, vt Bartolum, Baldum, Salicetũ. Neque tranſactio facta in ludo valet, vt inquit in eodem commentario Panorm. num. 15. & in hoc ait conſentire doctores, neque venditor tenetur de euictione, ſi quidpiam vendit in aleæ ludo; vt probat Gloſſa in c. clerici 2. de vit. & honeſt. quæ ait ſeruandum eſſe, quod iubetur, in l. alearum vſus: ad quam Gloſſam reiicit lectorem Panormitanus in illud c. clerici. Ergo odio tam improbi ludi Gloſſæ & leges ideo ius adimunt creditori redhibendæ pecuniæ mutuæ, ideo tollunt ius tranſactionum, iúſque euictionum; vt conſuetudo contra eaſdem leges lucrum addicat victori: longiſſimè id quidem abeſt. Denique cùm tanta conſpiratione cuncti Canonum interpretes, vt teſtis eſt Oſtienſis cum multis ex veteribus & recentibus Theologis, conſtituant leges ciuiles hoc tempore vigere, ſecus nonnullis opinantibus credendum non eſt.

Secundo loco dubitabatur, num cuncti populi iis legibus obſtringantur. 6. Richardus, in 4. ſent. diſt. 15. artic. 5. quæſt. 8. putat probabiliùs dici eas leges omnibus Chriſtianis eſſe impoſitas; quòd canonũ iure approbatæ ſint. Nec alia videtur D. Bonauenturæ fuiſſe ſententia in eamdem diſtinct. artic. 2. quæſt. 1. & Paludano, in eamdem diſtinct. quæſt. 3. artic. 5. aliíſque nonnullis.

Sed Diuus Thomas, in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 4. ad quæſtiunculam extremam, & in 2. 2. quæſt. 32. artic. 7. ad 2. & Scotus, in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 3. & Diuus Antoninus, in 2. par. ſumm. tit. 1. cap. 23. §. 3. contrariam ſententiam indicant; quam ſequi videntur; vt leges ciuiles non deuinciant omnes nationes, ſed eas dumtaxat, quæ Imperatorum

legibus reguntur. Itaque Hiſpanos, Gallos, Venetos, alióſque complures populos non attingent. Et quamuis, inquit Diuus Antoninus, ius Canonicum confirmet iura ciuilia iuri Diuino, vel Canonico non contraria; non tamen extendit obligationem illorum iurium ad eos, qui ei non ſunt ſubiecti de iure, vel antiqua conſuetudine, nec etiam ita firmat, quin poſſint per contrariam conſuetudinem abrogari, ſicut & ius canonicum. Vnde hac opinione omiſſa magis placet opinio B. Thomæ ſupradicta. Hæc S. Archiepiſcopus.

7. Tertia difficultas erat. An leges ciuiles ante iudicis ſententiam dominium lucriſactæ rei, & ante repetitionem tranſferant in ludi victorem. Adrianus, in qq.
» de reſtit. quæſt. quæ incipit. Quia in ſu-
» perioribus, vult lucrum iuſtè retineri poſſe ante ſententiam iudicis; & antequam lucrans ſit condemnatus: nam legem arbitratur eſſe pœnalem: pœna autem ante ſententiam in foro conſcientiæ non debetur, ex Gloſſa 12. quæſt. 2. fraternitas, cui, inquit Adrianus, ſtant omnes doctores. Couarruuias comprobat eamdē ſententiam in relectione regulæ iuris, peccatum. 2. par. relect. §. 4. num. 2. & Sotus, in 5. de iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 2. & Medina in C. de rebus reſtituendis, quæſt. 22. artic. 2. & Alphonſus à Caſtro, in 2. de lege pœn.
» c. 2. coroll. 3. qui addit, Nec petenti, qui
» amiſit, lucrum reſtituendum, niſi in iudi-
» cio petat: quoniam lex iubet competen-
» tibus actionibus repeti: at actio, inquit,
» eſt in iudicio, factio extra iudicium, ex
» Accurſio, in l. 1. §. quib. ff. quod cuiuſque vniuerſitatis: nec exiſtimat eſſe ſatis repeti, ſed lucrantem cogi debere à iudice.

8. Quæ omnia parum probabiliter mihi dici videntur. Primùm. Quia fundamentum, quo illorum nititur opinio, nec firmum, nec verum videtur. Lex enim ludū aleatorium aleatoréſque condemnans, tam naturalis, tam diuina, tam humana; non ſolùm infligit pœnam, verùm etiam obligationem irritam facit; & dominij tranſlationem inhibet; & luſores ad lucrandum reddit inhabiles; neque id ab aduerſariis ratione aliqua ad perſuadendum apta poterit vnquam redargui.

Deinde, quoniam quod nos dicimus, planè verba legis oſtendunt. Sic enim lex. Si ſecus factū fuerit, nulla ſequatur con- »
demnatio: ſed ſolutum reddatur: ergo »
ſolutum reddendū eſt ante condemnationem: ergo ante ſententiam iudicis; quę aut condemnationem, aut abſolutionem habet.

Quò ergo valent illa quæ adiunguntur verba, Et actionibus competentibus »
repetatur ab iis, qui dederunt? Eò nimi- »
rum valent, vt ſi fortè ij, qui lucrati ſunt, ſponte non paruerint legi imperanti lucri reſtitutionem, cogantur omnino decreto iudicis in iure agente, & rem ſuam perſequente eo qui amiſit: nam nullo modo vult lex eiuſmodi lucrum manere poſſe apud lucrantem. Præterea nemo præſcribit rem ſuam, ſed alienam: ſed lex alearum vſus. C. de religioſis, & ſumpt. lucrifactam rem non vult poſſe præſcribi niſi poſt quinquaginta annos: ergo intra quinquaginta annos ſemper fuit aliena: ergo non erat tranſlatum dominium: nam ſi tranſlatum erat: cur neceſſaria eſſet præſcriptio quinquaginta annorum? quæ ratio vim mihi ad perſuadendum adhibere videtur neceſſariam.

Poſtremò. Quia D. Thomas tam in 2. 9.
2. quæſt. 32. art. 7. ad 2. quàm in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 3. nulla facta mentione repetitionis, quæ antecedere debeat reſtitutioni, abſolutè pronuntiauit, eos, qui ciuilibus ſunt legibus obnoxij, reſtituere debere illis, qui amiſerunt in aleæ ludo, dummodo non ſint leges abrogatæ; quas abrogatas non eſſe iam multis modis & argumentis contendimus: D. Bonau. in 4. diſt. 15. art. 2. quæſt. 1. numer. 67. aleatores ait eſſe malæ fidei poſſeſſores, & iniuſto titulo poſſidere: ergo ante ſententiam debent reſtituere. Richardus, in eamd. diſtin. art. 5. quæſt. 8. ſcribit, leges non ſolùm ludum aleæ, ſed

etiam

etiam acquiſitionem ex ludo prohibere: ergo ludus ante repetitionem, & ſententiam iudicis adimit ludentibus ius omne acquirendi.

Paludanus in eamd. diſt.15.q.3. artic.5. concluſ.2. iure naturali ſcribit acquiſitum per ludum deberi pauperibus: de rigore autem iuris poſitiui, perdenti: & verius eſſe, eum, qui lucratus eſt, numquam poſſe ſibi lucrum retinere. Et Scotus ad iniuſtitiam commutatiuam reuocat id, quod fit inter ludentes, qui ſubſunt legibus ciuilibus in 4.ſent.diſt.15.q.2.art.3. ſi igitur ludentes committunt in iuſtitiam commutatiuam: ergo non acquirunt iuſtè ex ludo iis reſiſtente lege ciuili, cui ſubiiciuntur: ídque ante omnem ſententiam. Et hæc eſt tuta ſententia, & valde communis, quantum ipſe legendo conſequi potui. Et quia eſt Theologorum, qui non ſunt ſecundarum: non eſt melior quærenda opinio.

9. Quarta & poſtrema dubitatio fuit: ſi lucrum pauperibus diuiſum eſſet, priuſquam peteret ſibi reddi, qui in ludo amiſit, cogeretúrne, qui vicit, iterū illud reddere colluſori? Minimè. Ita ante nos iudicatum eſt à Paludano in 4.ſent.diſt.15. q.3.art.5. quem citat & ſequitur D.Antoninus in 2.par.tit.1.c.23. §.3. in verſu, aliqui tamen dicunt. Id quod æquitatem habet.

Oppones, ſi lege ciuili res adiudicata eſt amittentis, & ſi veriſimile eſt non eius in lucrantem tranſlatum eſſe dominium: ergo non potuit dari pauperibus: &, ſi data eſt, quia erat res aliena, ſuo domino reſtituenda erat.

Sanè magni pōderis eſt ratio. Reſponderi tamen poſſet. Quia iura omnia bonæ fidei patrocinantur: ſi lucri partitio ideo facta eſt inter egentes, quia hoc ad officiū hominis Chriſtiani pertinere victor arbitrabatur: & quia id naturali diuináque lege permittente fieri poterat, non eſſet iterum cogendus reſtituere is, qui pauperibus reſtituit. Illi verò, qui imperatoriis legibus ſoluti ſunt, in reſtituendo pauperes deligere debent: & quādo reſtituunt, videant num ij quorum aut pecuniam, aut alia bona lucrati ſunt, inopia vrgeantur; familiámque habeant, cui neceſſaria ſuppeditanda ſunt. Tunc enim illis tantùm, aut eorum familiæ eſſet reſtituendum. Namque in hac 4.quæſt. de ludo, de eo tantùm ludentium genere diſputauimus, qui rerum ſuarum, & donandarū, & alienandarū poteſtatem habent: rémque ſuam ſine aliorum iniuria amittunt.

Quod item hominum genus neceſſario reſtitutionis nexu vetus, & opinio magis communis, & tuta adſtringit: noua autem, & multorum recentium Auctorum reſtituendi neceſſario iure liberat.

In eo tamen, tam recentium, quàm antiquorum iudicia concordant, rei modicæ lucrum, quod vel animi cauſſa, vel conuiuij initur, numquam eſſe legibus reſtitutionis ſubiectum; quando veriſimile eſt, donaturos fuiſſe libenter eos, qui veri domini ſunt rerum, quæ amittuntur in ludo: & quando res agitur præſertim inter laicas perſonas. Hæc omnia teſtata reliquit Syluester, in verbo, ludus, q.4. 10.

Tota igitur ludi aleatorij, aleatorúmque cauſſa pertentata, atque perſpecta, libuit ad nonnulla, breuiſſimáque Theoremata redigere, quæ in hac diſputatione tenenda ſunt.

Primum Theorema. Aleæ ludum eſſe ſceleſtū, & magni lucri, ſi cupiditate agatur, ludentium animis eſſe mortiferum fermè conceditur ab omnibus. Secundum. Qui colluſores habent eos, qui res ſuas, aut alienare, aut adminiſtrare non poſſunt, ſi lucrantur, aut eiſdem, aut iis qui peculium illorum procurant & tuentur, reſtituere omnino debent, & contracti criminis pœnitere. Tertium. Qui lucrifaciunt rem eorum, quos ad ludum aut vi, aut minis, aut verbis contumelioſis, aut importunis traxerunt; aut eoſdem à ludo recedere cupientes retinuerunt, cum mortifera culpa obligationem quoque contrahunt omne reſtituendi, quantum lucri factum erit: idque

ex omnium ſententia. Quartum. Qui per fraudem lucrantur, omne reſtituere debent fraudem paſſo; nemo id doctor inficiatur. Quintum. Ludens cum eo, qui alere debet familiam ſuam, aut publica ciuitatis munera obire, idque facere nequit, rem ſuam amittens in ludo, qui lucrum abſtulit, reſtituere debet neceſſariò; & ſcelus admiſſum vera pœnitentia deteſtari. Sextum. Si minor, aut qui rei ſuæ alienandæ poteſtatem non habet, ſi attractus, ſi fraudem paſſus, lucrum facit, reſtituat pauperibus ex communi ſententia: nam ita attractum facere debere cuncti clariores magiſtri aiunt. Septimum. Qui rerum ſuarum donandarum ius habent, ſi in aleæ ludo magnum quid lucrātur, nec legibus tenentur imperatoriis, ex veterum, & pluriũ, & ſanctiorum Theologorum ſententia reſtituere debent pauperibus: ſed quia non pauci doctrina excellentes Theologi docent non eſſe hos cogendos ad reſtitutionem, ſi nolint, poſſunt à ſacerdotibus abſolui, vt admonet D. Antoninus in 2. par. titu. 1. cap. 23. §. 4.

Octauum. Leges ciuiles aduerſus aleatores latas abrogatas non eſſe verius eſt: & illis non teneri omnes populos Chriſtianos eſt probabilius. Nonum. Lucrum contra eas leges factum, antequam aut repetatur, aut iudex ſententiam ferat, reſtituendum eſt ei, qui rem ſuam perdidit, nō pauperibus. Decimum. Verùm, qui bona fide pauperibus reſtituiſſet, ei qui amiſit in iure rem ſuam perſequenti iterum

11. reſtituere non deberet. Vndecimum. Cùm recentes auctores multi, aut ciuiles leges contra aleatores olim promulgatas, nunc antiquatas eſſe credant; aut, ſi vigent, non reddere lucrum perdenti, niſi poſt repetitionem, vel ſententiam iudicis, qui horum doctorum vellet ſequi ſententiam, abſolui poſſet, & deberet. Duodecimum. Qui vel animi cauſſa, vel conuiuij moderati quidpiam lucrarentur, quod rerum dominos & adminiſtratores veriſimile eſt donaturos iis fore libenter, omnium doctorum ſuffragiis reſtituere non coguntur. Decimumtertium. Dubitãs an reſtituere debeat lucrum nécne, niſi dubitationem ratione probabili pellat ex animo, reſtituere eum oportet, vt ſapienter admonet Medina in C. de rebus reſtituendis, qu. 22. artic. 2. ad 6. argument.

Decimumquartum Theorema. Aleatorio ludo operam nauantes maioris lucri, quàm ratio, & doctorum ſententia ferat, cupiditate cæcati, qui ad pœnitentiæ ſacramentum accedunt, niſi ab ea ſcelerata cupiditate, ac ludendi voluntate diſcedant, ſine abſolutione repellendi ſunt, & admonendi Chriſtianorum ſacramentorum, aut diuinæ gratiæ participes eſſe non poſſe, quamdiu non mutent flagitioſum animum; & pio eiuſdem animi dolore præterita ludi ſcelera eluant. Neque in hoc munere fungendo ſacerdotibus, qui delinquentium arcanas excipiunt confeſſiones, vllo modo licet eſſe negligentibus.

Hiſce omnibus ad hunc modum explicatis, atque concluſis, quiuis intelligere poterit, quanta à nobis æquitate controuerſia, quam mox ſubiiciã, diiudicata ſit, atque in animæ foro finita: ea verò fuit huiuſmodi.

QVÆSTIO XI.

Opifex familia inſtructus, de rebus domeſticis malè conſtitutus, qui manupretiis & artificio ſibi, & quattuor filiis victum quærit, aleam ludit cum homine patricio minimè copioſo: cuius vectigal eſt quadringentorum aureorum nummûm. Teſſerarum iactu & rotundarum tabellarum traiectione ludus inter eos agitur: cui ludo apud Italos *Sbaraglino* nomen eſt. Opifex in pecunia poſita ludit: patricius in ea, quã iam amiſerat opifex, & ex chirographo patricio debebat: debebat autem ad centum aureos, alteros centum numerato ſoluit. Tandem ludi ſorte commutata opifex potiores fert partes, victórque diſcedit: nam lucratur ferme ad quingentos, non ſolutos, ſed ex pacto ſeu 1.

promiſſo

Digitized by Google

promiſſo ſoluendos. Hos nobilis ciuis negat ſe ſoluturum opifici, niſi de ſententia & coactu iudicis.

Quærit artifex poſſitne iure conſcientiæ totam hanc pecuniæ ſummam à patricio extorquere. Bis ab artifice conſilij cauſſà conſultus ſum: bis eſt ad me quęſtio ſcripta delata: ſententię diuerſorum expetitæ: nonnulli opifici quingentos adiudicant, & iuſtè eum petere poſſe ſcribunt. Quorum ſententia mihi admirabilitatem fecit; tantóque maiorem, quòd nulla nec ratione, nec vllius Doctoris auctoritate probarunt: nec vmquam probare potuiſſent.

2. Cùm conſpirantibus ſententiis tot graues Theologi hoc lucri genus tamquam contra iuſtitiam factum improbent; velintque eſſe reſtitutioni obnoxium: Improbant in primis omnes illi principes & antiqui Theologiæ magiſtri qui ſunt in 2. qu. nominati, D. Bonauent. Paludanus, Scotus, Richardus, aliíque quamplures: qui lucrum aleatorium vberioris lucri, quod alteri valde nocet, cupiditate ſuſceptum, & crimin oſum aiunt eſſe, & reſtituendum omninò: non quidem ei, qui amiſit, ſed pauperibus. Quamquam quod lucratus eſt patricius ex ludo aleæ inito cum artifice, aut ei, aut eius inopi familiæ reſtituendum foret.

Verùm, vt declinemus à ſeueriore, eadémque tutiore ſententia veterum, quæ valde communis fuit, conſulamus recentiores: & ex eorum ſcriptis reſponſa in hac quæſtione hauriamus; quæ in proximam ſuperiorem quæſtionem ipſi incluſimus. Nauarrus in ſumma, cap. 19. nu. 5. ſcripſit, per ludum ſi quis adipiſcitur, quod vel ad alterius alendam familiam, vel ad ciuilia munera obeunda neceſſarium erat, cum magna iniuſtitiæ culpa adipiſci: quia acquirit, quod aliis iure diuino & naturali debetur: ideo iure neceſſario reſtituendi obſtringi: idem confirmat Sotus lib. 5. de iuſtit. & iur. q. 5. art. 2. concl. 4. & Medina C. de rebus reſtituendis, q. 22. art. 2. ſi notabiliter inquit lædatur ludentium patrimonium, lucrum eſſet reſtituẽdum. Quis autem neget amiſſione ducentorum aureorum inſigniter læſum eſſe patrimoniũ opificis, & amiſſione quingentorum ingentem patrimonij ſui iacturam facturũ eſſe patricium? qui ſi totam ſummam ſoluere deberet artifici, nihil ei & familiæ ad vitam ſuſtinendam reliqui fieret.

Præterea qui in pecunia non poſita, ſed 3.
promiſſa & pacta, ludit, ſi amittat, non cogi eam ſoluere defendũt hi omnes, Adrianus, in tract. de reſtitut. qu. 4. quæ incipit. Quia in ſuperioribus. Sotus in 5. de iuſtit. & iur. q. 5. art. 2. col. penult. Couarruuias, in relectione regulæ iuris Peccatum, par. 2. relect. §. de iis quæ ludo acquiruntur. Nauarrus in ſumma, cap. 19. nu. 17. Quamuis contrariam opinionem probent Alphonſus à Caſtro in 2. lib. de leg. pœnit. cap. 2. coroll. 3. & Medina, C. de rebus reſtituendis, q. 22. art. 2. coroll. 2. Quòd ſi leges ciuiles, quemadmodum à nobis in 4. quæſt. de aleatorio ludo demonſtratum eſt, & multis teſtibus, & argumentis non futilibus, abrogatæ non ſunt, cùm illæ ante condemnationem imperent lucrifactæ rei reſtitutionem, & velint etiã rem amiſſam in iudicio repeti: qua ratione hi colluſores, cùm ciuilibus legibus obtemperare debeant (ſunt enim in Romanæ Eccleſiæ ditione, quæ ciuilibus legibus vtitur) inducere poſſunt animum, iure aut velle, aut conſequi, quod contra omnia iura acquiſitum iure illis eripitur?

Itaque egenti artifici duo hæc perſuadere conatus ſum: alterum, vt à Deo, peccati, quo apud eum grauiter offendit, veniam deprecetur: alterum, hoc pacto cum patricio homine tranſigat, vt ſolutam pecuniam reddat; & eam, quæ in chirographis eſt, néve petat, néve exigat: cùm eius vel petendæ vel exigendæ ius nullum habeat: necnon idem patricius damna data ſua culpa familiæ egentis opificis viri boni compenſet arbitrio. Artifex viciſſim quingentorum lucrũ omne remittat patricio; nullámque eius pecuniæ partem ab illo extorqueat: quia ſine graui flagitio, & neceſſa

neceſſario iure reſtituendi facere id non poſſet. Ergo ab aleatorio contractu ad alios pergamus.

QVÆSTIO XII.

1. Cuius tradit colono bouem vendum, viginti aureis nummis æſtimatum, ſuo item tempore vendendum: qui, ſi pluris tẽpore venditionis venibit quàm fuerat, tempore initi contractus, æſtimatus, aucti pretij dimidiam partem feret colonus: tantumdem etiam damni ſentiet, ſi minoris vẽdetur. Onera impoſita colono ſunt, ſuis impenſis bouis alendi & cuſtodiendi, trium item librarum, ſeu aureorũ nummûm penſionem ſingulis annis ſoluendi: &, ſi bos interierit, de ſuo alteram partem pretij ciui ſarciendi: vt damnum ex interitu bouis peræquè ciuem, & colonum ſubire neceſſe ſit.

Æquáne an iniqua eſt hæc contrahendi ratio exiſtimanda?

Primùm quis aliorum, deinde quis de hoc genere mentis meæ ſenſus ſit indicabo. Petrus Vbaldus in tractatu de duobus fratribus, par. 5. q. 26. ſeu num. 29. hac ipſa de re ſatis eruditè differit: ſtatuitque contractum haud licitum eſſe: id quod & legum auctoritate probat, Calderiníque teſtimonio, & Antonij Butrienſis in cap. » extremum de vſuris. Ratio eſſe poteſt, in» quit Petrus, quia periculũ debet eſſe do» mini, ſimiliter & lucrum & damnum: ſi » fortè minùs valeret, l. quæ fortuitis. C. de pign. act. Ergo, ex quo locator remanet dominus, vt l. nõ ſolet. ff. locati, ſuum debet eſſe periculum: &, ſi aliter caueretur, eſſet iniuſtum lucrum; & grauaret conductorem duplici onere, videlicet penſione dictarum 15. vel 20. minarum grani, & etiã medietate damni, ſeu periculi: quod eſſet contra naturam locationis, vt ſuprà, & etiam onere paſcendi & gubernandi. Et licèt detur ſibi medietas lucri, ſi plus valerent boues, iſtud eſt de raro contingentibus, & eſt palliare. Quia boues non creſcunt vſu, ſed decreſcunt, argum. l. cum debere columnam. ff. de ſeruit. Vrb. præd. & ſic loquitur Ioan. And. ſuprà. Meritò illi, qui dant boues ad collatitium, ſi volũt, quòd damnum ſeu periculum ſit commune non licet, & eſt iniuſtum lucrum, & intentio deprauata. Hæc Petrus. ſtatímque ſubiicit, ſecus, ſi ſimpliciter locat pro certa mercede: quia tunc, cùm dominus boum ſubeat periculum, & ipſi boues deteriorentur continuo vſu, licitum eſt lucrum: intelligo dummodo fiat cum bona fide, non autem deprauata intentione.

Sequitur, vt nunc de omni controuer- 2.
ſia nonnullis propoſitionibus aperiam meam ſententiam. Prima propoſitio. Non licet alicui tradere animalia certo pretio æſtimata, & poſt tantùm temporis reſtituenda lucro aliquo inde percepto: hoc defendit Corradus q. 91. Syluester in verbo, Societas 2. §. 4. D. Antoninus in 2. par. Summæ, tit. 1. c. 7. §. 39. cenſet fœneratitiũ hunc eſſe contractum: & ſi quis vellet, inquit, talem contractum Socidam vocare, erit iniuſta, & obligabitur ad reſtitutionem. Tabiena ideo vſurarium eſſe contendit, in verbo, vſura 3. num. 6. quia, qui ſic contrahit, reuera vendit, & mutuatur. Hic ipſe contractus reiicitur à Roſella, in verbo, vſura 3. num. 6. & ab Armilla in verbo, ſocietas, num. 22. Rem autem æſtimatam haberi pro vendita probatur ex l. cùm fundus. ff. locati: ſic enim loquitur lex. Cùm fundus locatur, & æſti» matum inſtrumentum colonus accipiat: » Proculus ait id agi, vt inſtrumentum ha» beat colonus. Vim etiã mutui in rei æſtimatione ineſſe ſatis indicat. l. ſi pro mutua pecunia. C. ſi certum petatur: cui legi præponuntur hæc verba Saliceti: Si datur » ſpecies æſtimata pro pecunia mutuanda » contrahitur mutuum. »

Ex his Doctorum ſententiis duplex ratio elicitur ad ſuperioris contractus labem oſtendendam. Vna eſt huiuſmodi, è re alterius non licet colligere fructum, niſi ad id, quod alterius eſt, tuum adiungas, vt operam, pecuniam, &c. Sed animal æſtima

æſtimatum datum colono, ſit coloni: ergo animal colono tantùm fructum feret, ad quem item periculum pertinet. Altera ad hunc modum conformatur. Rem cùm vendis, nec tu pretium recipis, ſanè illud emptori mutuũ das, vt alibi à nobis tum in diſputationibus noſtris, tum in publicis ſcholis, quas explicauimus, demõſtratum eſt: ergo poſt traditam rem æſtimatam, inde velle conſequi lucrum fœnus eſt: cùm fœnus nil aliud ſit quàm ex re mutua cõpendium facere.

3. Secunda propoſitio. In ſocietatem rem æſtimatam conferre, vt alteram partem periculi ſuſtineat ſocius, licet: animalis autem hac ratione traditi ex dimidio fieri accipientem dominum præcipui Doctores ſentiunt: quibus apertè fauet. l. cùm duobus vicinis, §. damna. ff. pro ſocio: hæc » enim ſunt verba legis. Damna, quæ im- » prudentibus accidunt, hoc eſt, damna fa- » talia, ſocij non coguntur præſtare: ideó- » que ſi pecus æſtimatum datum ſit, & id » aut latrocinio, aut incendio perierit, com- » mune damnum eſt: ſi nihil dolo aut cul- » pa acciderit eius, qui æſtimatum pecus ac- » ceperit; quòd ſi à furibus ſubreptum ſit, » proprium eius detrimentum eſt, qui cu- » ſtodiam præſtare debuit; qui æſtimatum » accepit. Hæc vera ſunt, & pro ſocio erit actio, ſi modò ſocietatis contrahendæ cauſſa paſcenda data ſunt; quamuis æſtimata.

Tertia propoſitio, eſt tota Syluestri in verbo ſocietas 11. q. 7. concl. 7. Si dans, in- » quit, det duos boues æſtimatos; qui iuſtè » poſſent locari ſub penſione duodecim » ſextariorum frumenti, & locet ſub pen- » ſione ſextariorum octo: ſed ſub hac con- » ditione, quòd accipiens ſubſtet periculo » tertiæ partis boum, contractus eſt licitus: » quia licèt pars capitalis ſit ſalua; tamẽ ipſa » ſalua empta eſt quattuor ſextariis: vnde » ibi eſt aſſecuratio. Edidit Xiſtus V. conſtitutionem, quæ ſæpius apertis verbis tollit ſortis aut ſocialis lucri ſecuritatem, ac ſemouet à contractu ſocietatis. Verùm Cardinalis Toletus, & Cardinalis ſanctæ Seuerinę, quibus munus mandatum fuit à Xiſto componendæ legis, affirmarunt Patri Stephano Iuccio Theologo ſocietatis Ieſu, vt is datis ad me lite 1: teſtatus eſt, noluiſſe Xiſtum ſua lege prohiberi niſi iniuſtos ſocietatis cõtractus: quare qui ante legem latam iuſti erant, poſt latam quoque licere. Quamquam iis qui ſunt huius reſponſi Cardinalium ignari, ſuadendum eſſet, vt ex verbis Xiſtianæ conſtitutionis contrahant ſocietates.

Quarta propoſitio. Contractus, de quo quæritur, non eſt ſocietas; quamuis hoc vocabulo eum amicire contrahentes voluerint, ſed eſt locatio, cùm in eum conueniat locationis definitio: quæ huiuſmodi ſolet adferri: eſt perſonę, vel rei ad vſum conceſſio in numeranda pecunia mercede conuenta. Quòd ſi obiicias: imò verò venditio eſt propter æſtimationem. Reſpondeo, intimas naturas cõtractuum non in verbis, aut ſcriptura, ſed in animo contrahentium ſitas eſſe. Quare, ſi, cùm tibi rem meam trado æſtimatam, non eo conſilio trado, vt ipſe dominus euadas: ſed, vt intelligas, quanti ea ſit, & quantùm mihi ipſe præſtare debeas, ſi tua culpa perierit, atque hoc meum conſilium ipſe compertum habeas; nimirum inter nos non ex vendito, & empto contrahitur; ſed nonnumquam ex locato & conducto interdum ex commodato & precario contractum erit: neque hac ipſa de re vllus ſapiens dubitarit. 4.

Quinta propoſitio. Cùm inter ciuem & colonum locatio vera conſtituta ſit, conſequens eſt, vt ad ciuem periculum bouis ſpectet, eiuſdémque ſit detrimentum, quod animalis adfert interitus: nihilque aliud præſtare colonus debeat, niſi cuſtodiam animalis, paſtionem, ternarum librarum penſionem: mortem item & amiſſionem; ſi aut dolo, aut lata, leuíve culpa eius contingat: fortuitos autem caſus, ac culpam leuiſſimam natura locationis colono nequaquam imponit: quemadmodum ipſi in noſtra diſputatione de dolo & culpa oſtendimus.

5. Verùm ciuis hac ſe exceptione tuetur, quòd eius nomine ſæpius denunciatum ſit colono, vt bouem menſe Auguſti venderet: coloni verò rogatu venditionem dilatam eſſe: interea animal in morbum, quem ſanguinis appellant, incidiſſe; fabrum medendi cauſſa acceſſitum eſſe: hunc ambas aures incidiſſe: bouem extinctum eſſe. Atque ita actioni locati actionem damni dati ſucceſſiſſe: vel potiùs ad eam actionem hanc quoque acceſſiſſe.

In vtroque autem genere actionis idẽ ius aduerſus eum qui damni auctor fuit, eſſe defendunt multi, & magni auctores, qui in tractatu noſtro de dolo & culpa citantur; vt ei qui detrimenti cauſſa fuit, nocere debeat tum dolus, tum lata tum leuis culpa. Tametſi nobis mitior viſa fuerit Innocentij opinio; quam nec pauciores, nec minorum gentium Doctores ſequuntur; ei per quem damnum eſt datũ, obeſſe dumtaxat dolum & latam culpam.

Videat igitur bouis dominus num in colonum actionem intendere poſſit, ſeu doli, ſeu culpæ latæ, vel leuis, ſi is in prima doctorum acie conſiſtere velit; atque ita locati bouis pretium, aut, ſi quid colono remittere volet, pretij partem recuperabit.

QVÆSTIO XIII.

1. Officia ſunt nonnulla ac munera in Romana curia fructifera, quæ à Romanis Pontificibus vendi ſolent. Sed quia vſuvenit, vt vni alicui non tantum pecuniæ ſuppeditet, quanta ad officium coëmendum eſſet opus; eorumdem Pontificium conceſſu factum eſt, vt plures eiuſdem officij emptores exiſtant: ita tamen, vt officium penes vnum reſideat, qui etiã officij magiſter ſit & appelletur: cuius interitu ad curiam redit officium: integrum tamen eſt officij magiſtro illud quadrageſimo ante obitum die, cui maluerit, vendere: quod quidem officium non fit ſecũdi emptoris, niſi poſt quadraginta dies: ſi enim poſt venditionem non maneat in vita venditor quadraginta dies, officium recipit Romanus Pontifex. Sed tamen Piorum equitum, quos Pius IV. inſtituit, officia interitu nequaquam integra ad Pontificem Maximum remigrant, ſed altera tantùm pars: atque ob id ipſum ſuſpicor, fructus qui ex his Piorum equitũ officiis capiuntur, eſſe tenuiores. Paſſim verò accidit, vt magiſter officij, rogatu, verbi cauſſa, Petri amici ſui, pecuniam ſocialem capiat à Paulo: eique partem quampiam officij ſui vendat: omnémque pecuniam Pauli, quîcum ſocietatem init, cum omni iure pecuniario transfundat in Petrum: cui etiam Petro legem imponit illud ipſum præſtandi ac ſoluendi Paulo, quod eidem Paulo officij magiſter ſocietatis iudicio ſoluere deberet: quòd ſi intra ſemeſtre ſpatium moriatur officij magiſter, pecuniam lucratur Petrus. Hactenus contrahendi ratio non videtur iniqua.

2. Porrò illud ancipitem æquitatem habet, quod factitari aiunt ſæpiſſimè; poſſitne Paulus poſt magiſtri officij obitum petere à Petro illud ipſum, quod viuo magiſtro eidem Paulo Petrus pendebat: exiſtimat enim Paulus, etiam poſtquam deceſſit magiſter officij ac dominus, ſuperſtitem ſibi cum lucro eſſe pecuniam; quam Petri ſuaſu magiſtro tradiderat: in quo ipſo turpiter & periculosè decipitur Paulus: cui mortuo magiſtro nihil fieri reliqui ad iuſtum lucrum hac firma ratione peruinco.

Nam ſi Paulus iuſtum quærit lucrum, aut ex pecunia, quam dedit magiſtro, & magiſter Petro addixit, aut ex re empta illud quærit: non ex pecunia, quia poſt contractum ſocietatis cum magiſtro coitæ pecunia deſiit eſſe Pauli: illam enim officiarius magiſter tamquam verum pretium partis officij ſui venditæ Paulo recepit, eámque in Petrum cum vniuerſo iure pecuniario tranſtulit, quò Paulo dependeret, quod iure ſocietatis Paulo à magiſtro debebatur: in quo iure illud ineſt, vt Petrus interitu magiſtri pecuniam Pauli conſe

conſequatur, ſicut re vera conſecutus eſt. Non igitur pecunia Pauli, quæ primùm ad magiſtrum, deinde ad Petrum tamquã ad verum dominum pertinet, fructuoſa poteſt eſſe ampliùs Paulo: neque propter rem emptam, aut compendium facere vllum, aut penſionem aliquam exigere à Petro poteſt: propterea quòd res ſuo periculo empta, hoc eſt pars illa officij, extincto magiſtro, Paulo periit.

Quare omni legitimi quæſtus fundamento ſublato facit perinique Paulus, ſi partem vllam lucelli à Petro extorquet poſt magiſtri obitum; cogendúſque eſt omne reddere Petro, quantùm ab eo extorſerit.

QVÆSTIO XIV.

1. IN Romani Pontificis Italica ditione aiunt hanc contrahendi ſocietatis rationem percrebuiſſe.

Ij qui de Romano Pontifice ea emunt officia, de quibus ipſi in quæſtione proxima ſuperiore diſſeruimus, cùm per Pij IV. legem non queant vltra valorem officij ſocios admittere: nec enim voluit, vt ſocialis pecunia in officium collata maior eſſet, quàm vniuerſi officij pretium (id enim eſſet iuſtitiæ commutatiuæ iura peruertere) nihilominus ab officiorum dominis ac primis emptoribus, qui officiales vulgo appellantur, ſecus fit penè ſingulis momentis. Nam poſt totam rationem fructiferam exhauſtã à legitimis ſociis, in eiuſdem officij ſocietatem alios quotidie recipiunt. Qui autem pecuniam dant officiali, vt certa iis ſit penſio quolibet ſemeſtri ſpatio ſoluenda, ſatis accipiunt, iiſque ab officiali ſatiſdato promittitur: officialis item perſona ac omnibus eius bonis eo nomine oppigneratis. Hoc de genere primùm quid nonnullus recẽs Theologus ſcripſerit: deinde quid ego reſponderim, indicabo.

2. In religioſi igitur ſodalis epiſtola me de re tota conſulentis, his totidémque verbis à Theologo quem dixi, reperi explicatam eſſe quæſtionem. Sic enim à principio quæſtionem proponit. An licitè poſſint excuſari, qui pecuniam accipiunt ad ſocietatem officiorum vltra valorem officiorum. Protinus quæſtioni reſpondet.

Duæ ſunt opiniones: prima aſſerentiũ non poſſe. Primùm, quia eſt vſura aperta: nã omnis ſocietas debet in aliquo, quod ſubſiſtit, conſtitui. Item, quia bullæ Pontificiæ olim prohibebant ne vltra valorem officij ſocietas contraheretur.

Secunda opinio eſt: id non fieri licitè, ſi fiat ex vi contractus ſocietatis, vt rectè probat prima opinio: ſi tamen fiat ex vi alterius contractus in ea ſocietate admiſti, nimirum contractus innominati; do vt des, licitè fieri: nam is, qui dat pecunias officiali, dat eas ea conditione; vt officialis ſe obliget ad ſex menſes ad ſoluendam certam penſionem, nimirum duodecim pro centum. Qui contractus innominatus poteſt eſſe cenſus ad vitam pro ſex menſibus. Nam officialis lucratur capitale, ſi intra ſex menſes moriatur ſocius, qui dedit capitale. Si dicas ſuper qua re conſtituitur hic cenſus, & contractus, ſi quidem valorem officij excedit: dico, quòd conſtituitur ſuper perſona officialis, quæ ſe, & omnia ſua bona obligat ad ſoluendam penſionem. Si dicas, cenſus non conſtituitur ſuper perſona, quia eſt prohibitum: dico cenſum redimibilem non poſſe conſtitui ſuper perſonam: at cenſus ad vitam licitè poteſt conſtitui ſuper perſonam.

Probabilis eſt hæc opinio ſecunda, licèt prima ſit tutior: & ſecundùm opinionem ſecundam probabiliter defendi poteſt praxis, quæ paſſim eſt in vſu in curia Romana. Hactenus recens Theologus nouæ opinionis nouus Auctor.

Nunc ſubiiciam ſententiam meam: in qua probanda præſtabo quattuor quàm breuiſſimè. Primùm, oſtendam quotidianum hunc contractum, qui fit officiariæ ſocietatis, eſſe iniuſtum, eſſe nullum, eſſe ſimulatum, eſſe fœnoris labe reſperſum. Deinde, nec propter illum contractum, 3.

quem innominatum appellant, poſſe defendi. Tum eumdem contractum, quem cenſum ad vitam pro ſex menſibus Theologus nuncupat, eſſe iniquum, quamuis per ſe, & ſolus inìretur. Pòſt, ad extremũ, errata, quæ in explicatione nouæ opinionis inſunt, patefaciam.

Ergo quod primum eſt, vrgeamus. Cùm in officio nihil reliqui eſt, quod alteri vendi poſſit, ſi quis ſocietatem coeat, eam contra iura humana, naturalia & diuina coit: quidquid igitur fit, pro infecto haberi debet: eſt enim Canon Gregorij magni his verbis perſcriptus, habetúrque diſt.25.q.2.c.imperiali. Imperiali conſtitutum eſt ſanctione apertè, vt ea quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint. & in regula quę contra ius, de reg.iur. lib.6. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi, & l.non dubium. C. de legibus. nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: & paullo poſt. Quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt legiſlator fieri prohibuerit tantùm, nec ſpecialiter dixerit inutile eſſe debere, quod factum eſt. Sequitur igitur ſuperiorem contractum irritum eſſe, ac nullum. & lucrum, quod ex eo fit, è fœnore eſſe, cùm è nulla re fructuoſa naſcatur, ſed ex pecunia tantùm mutua.

4. Neque in hoc primo capite moleſtos habemus aduerſarios: in ſecundo enim faceſſunt nobis negotium: quum tradunt, ſuperiorem contractum retineri poſſe propter innominatum illum, quem comitem habet: quod longè eſt ſecus. Si quidem quilibet contractus, licèt ſuapte natura iuſtiſſimus, iniuſtus ac nullus efficitur, ſi iniuſto, nulliſque contractui famulatur. Quis enim probaret, eam venditionem aut ſocietatem, aut locationem quæ ad fouendum fulciendúmque vſurarium commercium adhiberetur?

Quare imperator ad poſtrema verba, quæ recitata ſunt ex lege, non dubium, ſtatim hæc item attexit. Sed, & ſi quid fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id quod interdicente lege factum eſt, illud quoque caſſum, atque inutile eſſe pręcipimus. Verùm contractus innominatus fit ob eum, qui nomine ſocietatis interdicente lege initur: illum igitur quoque inutilem & caſſum eſſe oportet. Nam principali deſtructo (verba ſunt Gloſſæ in cap. vides diſt.10.) deſtruitur acceſſorium, & omne quod ſequitur ex eo. Neque verò in eo contractus vllus cenſetur iuſtus, quia ad aliquem ex quattuor innominatis reuocatur: ad illos enim cuncti reuocantur contractus, ſiue iuſti, ſiue ſint iniuſti: ſed ideo euadunt iuſti, ſi iis octo præditi ſint proprietatibus, quas ipſi in noſtro volumine de contractibus perſecuti ſumus.

Quamquam ille ipſe contractus, cui 5.
nomen cenſus ad vitam imponit recens Theologus pro ſex menſibus, palàm ab iuſtitia ac ratione recedit, licèt per ſe ipſe ſpectetur, atque ab omni alio contractu diremptus: id quod tribus argumentis oſtendo.

Primum argumẽtum. Cenſus vitalitius perpetuus, qui pecuniæ redhibendæ facultatem omnem præcidit, annui lucri non plus adfert, quàm duodecim in ſingulos centenos, vt è citeriori Galliæ conſuetudine intelligi poteſt: ſed in hoc ſemeſtri cenſu ius ineſt repetendæ pecuniæ quoties collibitum fuerit: niſi ſex aureorum penſio ſoluta ſit ante ſex menſes: tūc enim repetitio niſi expleto ſemeſtri ſpatio non datur: ergo ex hoc cenſu multo minor fructus percipi deberet, quàm ex vitalitio perpetuo.

Secundum argumentum. Ex cenſu vitalitio perpetuo, in quo certa eſt amiſſio pecuniæ, certúmque periculum, quod vitari nulla ratione poteſt, non licet lucrari permultis plus quàm quantùm in primo argumento dictum eſt: ergo ex cenſu vitalitio ſemeſtri in quo propè partibus infinitis minus eſt periculi, ancipitémque, imò nec probabilẽ pecuniæ amiſſionem habet, propè infinitis partibus penſio-

nem minorem habere deberet.

Tertium argumentũ. Pecunia, mérxque nautica,ſexcentis magníſque periculis committitur, tempeſtatum, ſcopulorum,ſyrtium, prædonum: ſed omnia hæc pericula cùm pecunia, vel merx nauigat Venetiis Byzantium, ſiue Alexandriam, indéque Venetias vehitur, ternis quaternisve aureis in ſingulos centenos redimuntur: ergo cùm pecunia huius ſemeſtris cenſus non ſubeat eiuſmodi pericula: cùm in vnius tantùm vita periclitetur, qui domi, & inter ſuos viuit, ſæpiſſimè robuſto ac valenti corpore; nihilque eorum, quibus conſeruatur valetudo prætermittit, vt vix vlla æſtimatione dignum ſit periculum, quod poſt renunciatam ſocietatem quadraginta dies dumtaxat adit pecunia. Cùm hæc ita ſe habeãt,quis obſecro hoc per paruum,& vix veriſimile periculum,támque exigui temporis duobus aureis æſtimarit? Quanta igitur iniuſtitia exiſtimanda erit ex illo innominato contractu duodecim quærere, cùm lucrum quattuor, ſeu quinque, nimium etiam videri debeat?

6. Reſtat quartum,vt errata numeremus, quæ mihi in noui opinatoris explicatione animaduerſa ſunt: quæ mihi octo videntur. Primum igitur erratũ eſt,in quæſtionem adduxiſſe id de quo non erat docti hominis, nedum exercitati Theologi, dubitare; præſertim cùm nemini contra ea opinari liceat, quæ ab Romanis Pontificibus certis æquíſque legibus conſtituta ſunt. Secundum. Pij IV. ſanctionem ſic meminiſſe, quaſi olim tantùm viguerit, nunc lex eſſe deſierit, quod ſuſpicari non licet: cùm ea lex naturali diuináque lege nitatur: quam nulla conſuetudo contraria, aut minuere aut conuellere poteſt. Tertium. Periniquum illum ſocietatis contractum credere, ob adiunctionẽ innominati excuſari poſſe. Quartum. Contractum innominatum, ſiue cenſum, vt is vocat,ad vitã pro ſex menſibus iuſtum ſtatuiſſe, quamuis fructum duodecim aureorum nummûm poſt ſex menſes capiat ſocius. Quintum. Quod decreuit contractum hunc eſſe perſonalem; cùm reuera ſit vitalitius, intra ſex menſium ſpatium concluſus:etenim cùm cenſus ſit ſpecies quædam emptionis, vt doctoribus placet, conſtitutus in re quapiam, cuius dominus fieri poſſit emptor: non apparet qua ratione cenſus de quo loquimur,eſſe queat perſonalis.

Duo enim in venditoris perſona, qui obligationem pendendæ penſionis ſubit, ſpectari poſſunt, perſonæ inquam ſubſtantia,eſſentia, & natura, hoc eſt primũ. Secundum. Vſus perſonæ: primi DEVS tantùm eſt Dominus, nullus alius, ſiue Angelus ſiue homo. Secundi etiam homines effici domini poſſunt. Verùm,qui cenſum eiuſmodi ſemeſtrem inſtituit tradendo pecuniam,nullum vſum perſonæ, cum qua contrahit,acquirit; nec enim ea perſona vtitur: non igitur perſonalis exiſtimari debet.

Sextum erratum. Quod in perſona venditoris, ſeu officialis conſtituit, cùm veriùs in ſocij, ſeu emptoris perſona ſit collocatus. 7. Nam cùm cenſus duobus modis conſiderari poſſit, vno modo formaliter, altero fundamentaliter & materialiter: formaliter cenſus nihil eſt aliud, vt ſubtiliter commentatur Corradus, in ſuo volumine de contractibus quæſt. 72. tract. 4. ſuppoſitione 1. quàm » ens rationis cauſſatum à voluntate tantùm (vtor eius » verbis) incorporeum & immobile. Eſt » ens rationis, quia nulla mutatione facta in rebus commutatis oritur hoc ius exigendæ penſionis; quod ius cenſum dicimus,quod ius vt eidem auctori placet, eſt ſubiectiuè in eo, cuius eſt reditus: & quia reditus eſt eius, qui emit, ideo in emente manet completa,vt idem inquit,emptione: verùm emit non officialis,ſed ſocius: ergo in eo reſidet cenſus. Si verò fundamentaliter & materialiter cenſus hic conſideretur, perſonæ item ſocij, non officialis attribui debet: nam verum fundamentum, ex quo hoc ius exiſtit, nil eſt aliud quàm conceſſio vſus pecuniæ, & pericu-

lum eius in perpetuum amittendæ: at pecuniæ vſum ſocius concedit officiali, & ſocius de amittenda pecunia periclitatur: ergo ad ſocij perſonam pertinebit contractus: nec ea re tamen fit contractum eſſe perſonalem.

8. Diuiſio enim contractus in realem & perſonalem naſcitur ex materia: ius autem, actio & obligatio, quæ cum quolibet contractu cohærent, in perſonis contrahentium hærent: vt verè affirmari poſſit, propter ius & obligationem quemuis contractum eſſe perſonalem.

Septimum erratum. Quia in hoc ſuo innominato & perſonali contractu haud agnoſcit ſpeciem redimibilis cenſus: cùm conſtet vtrinque redimi & extingui poſſe. officialis enim extinguit ac redimit redditione pecuniæ, ſocius repetitione, ſocietatiſque diremptione: & ſi magis propriè dicatur ſocius extinguere cenſum, quàm redimere.

Octauum. Quòd corruptelam hanc, & vitioſam contrahēdi conſuetudinem, Romanæ curiæ praxim appellat: in quo errore lapſus eſt turpiſſimo: neque enim, quod à multis in Romana curia commorantibus factitatur, id à Romana curia aut fieri, vel à tanta auctoritate approbari credendum eſt. Nam quod Romani Pontificis, in quo omnino eſt Romanæ curiæ ſita poteſtas, approbationem non habet, nec Romanæ curiæ approbationem habet: ſed conſuetudo hæc approbationem Romani Pontificis non habet: etenim qui nec corruptè, nec deprauatè de rebus iudicat, ad Pontificias & Romanas leges iudicia ſua dirigit: ſed leges Pontificiæ & Romanæ, vt eſt à nobis ſuprà demonſtratum, totum hoc genus contrahendi improbant: ergo Romanæ curiæ adſcribi non debet.

De recenti collybiſtarum nundinatione pecuniaria.

QVÆSTIO XV.

VLlóne iure contractus hic, quem in numinaria ratione aiunt eſſe creberrimum, defendi poſſit, quinque & viginti ab hinc annos ciuis quidam quæſiuit Florentinus; qui diu menſariorum artem factitarat; ac tandem à Trapezitarum nundinis ad Philoſophorū gymnaſia ſe contulerat Patauium: & quæſtionē, quæ mox ſubiicietur, ſcriptis tradidit; atque ad noſtros in collegium Patauinum detulit; cuius collegij ſtudiis ipſe eo tempore moderabar. Contrahendi ratio eſt huiuſmodi. 1.

Auguſtinus Trapezita Genuenſis tradit nummos centum aureos Petro, Genuæ, primis nundinis Lugdunenſibus ſibi ſuíſve adminiſtris Lugduni ſoluendos; elicitque Trapezita Genuenſis à Petro litteras Lugdunum, ad eos qui illic Auguſtini nomine negotium pecuniarium gerunt: quibus litteris ab ſe centum aureos Auguſtino deberi demōſtrat Petrus: eodem tempore Auguſtinus ad ſuos adminiſtratores mittit Lugdunum; vt nomen Petri recipiant, & in tabulas referāt: ſed ita, vt Petri nomine, qui Lugduni nihil habet in nummis, pro Petro centum aurei accepti referantur Auguſtino Lugduni, quò nec pergit Petrus, nec re ipſa quidquam pecuniarum ſumit ab Auguſtini procuratoribus: tametſi illi perſcribunt in tabulis, de Auguſtini ære Lugdunenſi à Petro perſolutum eſſe Auguſtino. Ad extremùm cùm vrgetur ſolutio, ij, qui Auguſtini conficiunt negotia, Lugduni, litteras Genuam ad Petrum dant, quibus appellatur Petrus; cogitúrque Auguſtino in vrbe Genuenſi maiorem vim, quàm acceperat, pecuniæ, numerare.

Reſpondi, omnes eſſe ſordidi fœnoris negotiatores, quicumque hac ratione negotian- 2.

gotian

gotiantur:id quod etiam tunc ab reliquis collegij noſtri Theologis, & doctoribus iudicatum eſt. Primùm, id omnium doctorum, qui hac de re diſputarunt, auctoritate, tum ratione planiſſimum faciam. Quattuor reperi doctores, qui huius contractus meminerunt, eiúſque naturam ſedulò peruestigarunt, Sotus, Nauarrus, Tabienſis, Mercatus, à quibus conſentientibus ſuffragiis condemnatur: à Soto, lib. 6. de iuſtit. & iur. q. 10. art. 1. à Nauarro, in Summa, cap. 17. à num. 297. ad num. 299. in ea quæ eſt poſterioribus typis excuſa. Ioannes Tabien. in verbo, Vſura, 15. num. 4. §. 3. Mercatus omnino vehementiſſimè inuehitur in hoc genus commercij, vt c. 7. 10. & 11. in eorúmque contractuum ſeriem concludit, quos fictos, commentitios, inanes, falſos, mendaces ac fœneratitios is nuncupat, & c. 9. num. 2. affirmat inter omnes doctores conuenire, vt illic, quò litteræ mittuntur, verè ſoluantur pecuniæ: atque harum recurrentium ſchedarum eò, vnde à principio profectę ſunt, rationem firmam & veram perquirere extremæ ait eſſe amentiæ.

3. Nec ſolùm tres alij ſuperiores doctores rationem hanc contrahendi fœnoris coarguunt, ſed ceteri omnes Theologi certis quibuſdam ſententiis, quas in ſuis voluminibus proſeminarunt, idem fecerunt. Diuus Anton. 3. par. tit. 8. c. 3. fœnus mente concipere ſcribit, eum, qui Florentiæ egenti homini pecuniam numerat; vt eamdem lucro auctam reddat aut Barcinonæ, aut Neapoli: ſententiæque ſuæ comites profert Bernardum, Innocentium, Goffredum, Oſtienſem. Confirmat etiam id magis perſpicuè Syluester, in Summa, verbo, Vſura, 4. num. 9. Angelus, nimis ſeuerè decreuiſſe videtur de cambiorum iuſtitia, in verbo, Vſura, 1. §. 51. damnat enim contractus, quicumque ineuntur campſore priùs dante pecuniam ſpe lucri concepta. Caietanus, in tractat. de camb. c. 1. iniuſtam ait eſſe permutationem; cùm collybiſta indigenti Petro Mediolani pecuniam numerat; vt ſibi vberior pecunia in eodem loco repræſentetur: quamuis ad eam rem Lugdunenſis Londinenſíſve permutationis nomen adhibeatur. Corradus, quo nemo copioſiùs nec ſubtiliùs de contractibus diſputauit, q. 99. coroll. 5. ait, campſoris mentem vſura infici, ſi in permutando genus monetæ diuerſum non curat; quod certè faciunt noſtri collybiſtæ; &, quod tradit Corradus, idem confirmauit Caietanus & Medina in C. de reb. reſt. & in tract. de Camb. præſertim q. 5. & 9. in hac enim perſpicuè ponit culpam fœnoris contrahere campſorem, ſi pecuniæ diſcrimē negligit. Roſella ſententiam ſubſcribit, in verbo, Vſura, 6. nu. 1. & num. 13. imò à num. 9. ad 71. tam longam pertexuit diſputationem de hoc genere cambiorum, vt nemo fortaſſe copioſiùs diſſeruerit: ſæpius enim adfert argumenta permulta in vtramque partem: ſuam tamen is ſententiam his verbis aperit, num. 51.

Itaque concludo, iſta cambia nullo modo licere. 4.

Quo etiam tempore Euerardus Mercurianus noſtræ ſodalitati præerat, in decem & ſeptem patrum conſeſſu, in quo ſedit etiam Cardinalis Toletus, ſententiis omnium eſt contractus ſuperior exploſus; quem ſcripto etiam & publicis ſermonibus, & pro concione deteſtati ſunt pater Iacobus Laynez, vir præſtantia doctrinæ, & ingenij gloria ſingularis, P. Franc. Adornus Genuenſis, P. Benedictus Palmius, & hi tres Genuæ: pater verò Poſſeuinus Lugduni, cuius etiam perſuaſu, vt mihi is narrauit, Pius V. conſtitutionem poſtea aduerſus hæc recentia cambia edidit.

Et quia nimis arduum negotium eſt, cum veritate luctari, idcirco ipſi illi duo homines religioſi non indocti: qui noſtrorum menſariorum patrocinium ſuſceperunt, in ſuis defenſionibus reliquerunt nonnulla, quibus omnis hæc ratio commercij ruit. Nam ille, qui è D. Auguſtini familia pro cambio Lugdunenſi & Biſuntino, quod pro eodem habet, ſcripſit

pſit anno poſt Chriſtum natum 1554. in prima parte tractatus adinuentione praua decima, & in ſecunda parte adinuentione ſeptima, negat poſſe Genuæ permutari Lugdunum cum paupere, qui nihil habet Lugduni: quod ſi fiat, vſuram redolere. Et in ſecunda parte adinuentione octaua fœnus ait eſſe permutare pecuniam reddendam Lugduni, quæ tamen in alio loco redditur; qui Lugdunum nō eſt. At hac noſtra ætate Placentiæ impoſitum eſt nomen Biſuntij à recentis nummationis architectis. Alter verò è ſacro D. Dominici ſodalitio, qui anno 1587. ſua aſſenſione approbauerat Lugdunenſe & Biſuntinum cambium, ad extremum de eadem re Latinè diſputationem inſtituēs, Biſuntinum improbauit: cùmque rem in diſcrimine eſſe videret, his verbis ſcribit.

» Videant igitur prudentes lectores, quàm
» periculoſa ſit huiuſmodi per Biſuntium
» contractatio.

» Quòd ſi quis adferat iiſdem prope mo-
» dis exerceri cambium apud Lugdunum,
» & in aliis locis; eo magis dolendum eſt, &
» congemiſcendum pro tanta corruptione,
» quæ vbique iam inualuit. At hoc ſatis eſt teſtium. Sed nimirum non magis auctoritate teſtium, quàm robore rationum, quam molimur, eſt firma reprehenſio.

5. Prima ratio. Lucrum facere ex mutuo perflagitioſum fœnus eſt; ſed hi pecuniarum ſordidi mercatores lucrantur ex mutuo: quare improbum fœnus exercent. Prima huius ſyllogiſmi propoſitio tamquam axioma, & dignitas ab omnibus admittitur. Secunda igitur dumtaxat confirmationis indiget. Mutuum eſt, cùm ea, quæ vſu conſumuntur, vel diſtrahuntur, alteri concedimus; & is, qui accipit, verus fit dominus: & idem ſpecie atque æſtimatione reddit. Verùm hi comparandæ pecuniæ ſolertes artifices, cùm ſuam alteri pecuniam concedunt, rem, quæ vſu diſtrahitur, concedunt; & ij, quibus eſt conceſſa, euadunt veri domini, & non modò ſpecie, ſed eamdem in eodem loco pecuniam Trapezitæ modò cum lucro recipiunt; nullámque rationem ducunt laborum, periculorum & expenſarum, quas nummularia ars perferre cogitur, vt hominum ſocietati ſeruiat: ergo certiſſimo eſt argumento, illos nundinari ex mutuo: diuerſitatem autem locorum, & illas inanes litteras, quæ vltro citróque mittuntur, ad amiciendum mutuum excogitatas eſſe.

Secunda ratio. Cuius eſt ſementis prima. Permutatio ſine diuerſitate rerum non conſiſtit: ſed in permutatione pecuniaria hæc diuerſitas non eſt curæ his nummatis nundinatoribus: ergo non permutant.

Tertia. Nemo rem ſuā cum ſua commutat: ſed Auguſtinus cùm tradit Genuæ pecuniā pro Lugdunenſi, hoc facit: vtraque enim pecunia tam Genuenſis quàm Lugdunenſis, eſt Auguſtini, cùm ab eo traditur Genuæ, quare, &c.

Quarta. E ficto & commentitio contractu verum lucrum exiſtere non poteſt: 6.
ſed contractus initus cum Petro ab Auguſtino Genuæ totus eſt fictus: nam fictionem habet perſonarum, actionum & materiæ: ergo minor probatur. Finguntur perſonæ: quia fatentur campſores Auguſtinum duas perſonas Lugduni ſuſtinere, vnam dantis pecuníam, alterā recipientis. atqui nec illic dat, nec recipit pecuniā vllam à Petro. Simulantur actiones permutandi: quia Lugduni nulla fit numeratio pecuniæ nec ab inſtitore Auguſtini, nec à Petro, qui numquam Lugdunum vidit. Fingitur materia, hoc eſt, pecunia, quę nulla transfertur in Auguſtinum, nec ab eo in miniſtros Auguſtini. Quare lucrum verum ſuperior contractus creare non poteſt.

Quinta. Cambium reale eſſe nequit, niſi ambo extrema realia ſint: ſed cambiū, quod facit Auguſtinus Genuæ cum Petro, extremum reale non habet niſi pecuniam, quæ ſoluitur Genuæ: alterum extremum, quod eſſe deberet pecunia ſoluenda Lugduni, non adeſt: quia illic aut nulla eſt pecunia, nec Petri, nec ſæpe Auguſtini

guſtini, quia eſt omnis exhauſta; aut, ſi eſt, verè non ſoluitur: ergo.

Sexta. Nemo ſoluit ſibi ipſi; ſed Auguſtinus, cùm de ſua pecunia Lugdunenſi ſoluit, non Petro ſoluit, ſed ſibi ipſi: ergo ſpurciſſimæ ſolutionis commentum.

Septima. Rei permutatæ vel emptæ hæc eſt naturalis proprietas, vt perire debeat permutanti, vel emptori: ſed pecunia Lugdunenſis, quæ permutatur cum pecunia Genuenſi, numquam perit Auguſtino: nam ſemper illi reſtituendæ eſt obnoxius Petrus, qui accepit: ergo nec ex permutato, nec ex empto contrahit Auguſtinus, ſed ex mutuo.

7. Octaua. Nemo cum altero aut permutando, aut vendendo contrahit, niſi ſciat eum rem ſuam habere, quam aut permutare, aut viciſſim dare queat: ſed Auguſtinus cùm pecuniam dat Petro, certò ſcit Petrum nihil habere ſuæ pecuniæ Lugduni, quam viciſſim tradere poſſit campſori: ergo hoc Auguſtinus non facit niſi propter mutuũ vnum verum, quod verſatur in vera ſolutione pecuniæ Genuenſis; alterum fictum & inane, quod eſt, & cogitatione fabricatur in numeratione Lugdunenſi, quæ re ipſa nulla eſt, nec fit.

Nona. Nemo in hac mercatura pecuniarum daret alicui verè duo millia, vt mille reciperet: ſed Auguſtinus cùm Petro Genuæ dat mille, & Lugduni totidẽ, vt permutationi Genuenſi ſatisfaciat, dat bis mille, & mille recipit cum collybo ſiue quinque, ſiue octo, ſiue decem. Igitur minimè dubium eſſe poteſt, nihil veræ pecuniæ datum eſſe Petro, niſi id, quod Genuę accepit: nam Lugduni fictitio tantũ ære, & mendaci chirographo res tranſacta eſt. Si enim Petrus Lugdunum contendiſſet; & à quopiam alio Trapezita mille ſumpſiſſet, quos redderet Auguſtino, quis non videt, poſtquam Petrus ſoluit Auguſtino, tantumdem ſoluere debere Trapezitæ Lugdunenſi? neque enim mille duorum millium debitionem perimunt.

8. Decima. Schedæ, chirographa, apochæ, antapochæ, & reliqua ſcriptionum genera, ciuilium & humanorum actuum teſtes eſſe ſolent: ipſos actus, & humanorum contractuum eſſentiam minimè efficiunt. l. conſenſu. ff. de actionibus & obligat. & inſtitut. eodem tit. & ratio peruincit. Nam ante litterarum & ſcripturæ ortum alter cum altero tranſigebat & contrahebat, & omni ſublata ſcriptura etiam contraherent. Verùm nouorum campſorum ſchedæ & chirographa ipſam pariunt permutationem: & iis remotis, pene tota euaneſcit ars campſoria, cui illa ſuppeditãt & perſonarum genera contrahentium, & res ipſas, de quibus contrahitur: ergo exiſtimare debemus nec admonente natura, nec docente ratione, ſed immoderata lucri & pecuniarum cupiditate impellente hoc totum ſordidum commercium exortum eſſe.

Vndecima ratio. Quæ nummariæ huius negotiationis ſecuris eſt: nam hæ pecuniarij regni hirudines non ſolùm è vera pecunia, & quam habent, ſed etiam è falſa, & quam nuſquam habent, nummulos exprimunt, & fœnus ducunt. Fortaſſe etiam reperias pecuniam, quæ in Stoicorũ inani, atque Epicuri intermundiis fabricata eſt, non minorem eſſe ea quæ in hoc noſtro mundo ab iis potuit inueniri.

Duodecima. Extat conſtitutio Pij V. de cambiis, edita ad tam pernicioſam eluuiem auertendam: omnia enim cambia vſuraria eſſe decernit, quæ ita con- » finguntur (verba ſunt Piæ conſtitutionis) » vt contrahentes, ad certas nundinas, ſeu » ad alia loca cambia celebrare ſimulent: » ad quæ loca ij, qui pecunias recipiunt, lit- » teras quidem ſuas cambij tradunt, ſed nõ » mittuntur; vel ita mittuntur, vt tranſacto » tempore inanes, vnde proceſſerant, refe- » rantur; aut etiam nullis huiuſmodi litte- » ris traditis, pecunia ibi denique cum in- » tereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat » celebratus. Nam inter dantes & accipien- » tes, vſque à principio ita conuenerat vel » certè talis intentio erat: neque quiſquam »

„ eſt, qui in nundinis, aut locis ſuprà dictis
„ ſolutionem faciat. Hæc Romanus Pont.

9. Dices, imo verò ſoluit nomine Petri Auguſtini Procurator Lugduni. Ergo ſoluit Auguſtino Petrus ab Auguſtino. non ſua igitur, ſed Auguſtini pecunia ſoluit. Deinde, ſoluitne ab Auguſtino Petrus ſponte, an coactus? Sanè coactus: neque enim aliter campſor ei pecunias traderet Genuæ. Poſtea, ſoluítne vera an ficta pecunia? ficta. Poſtremò, ſoluítne tempore nundinarum Lugduni, an Genuæ? Genuæ. at de ſoluendo Lugduni inter eos conuenerat. Quis obſecro vſque eò excors erit, vt non fœdiſſimam fœnerationis labem in hac tota contrahendi ratione intueatur? Qui non hanc pecuniæ inuidioſiſſimam, impuriſſimámque nundinationem deteſtetur? Illam nimirum execrantur Veneti Magiſtratus, quos de iniquitate contractus, quem ipſi accuſamus, non ſecus quàm nos pronuntiaſſe affirmauit mihi nonnullus, qui iudicio interfuit, collybiſtarum miniſter.

10. Sed tria huius fœnoris diuerticula reperiri poſſunt. Primum eſt, cõceſſio quædam Pij V. quam ego Venetiis typis impreſſam aſpexi: facit enim Pius Bononienſibus poteſtatem, campſoriam menſam in eorum ciuitate erigendi cum remiſſione litterarum ad eos, qui pecunias ſuas huic illive tradunt.

Reſpondeo, iis, qui de iure cambiorum conſuluntur, non priuilegium datum Bononienſibus, ſed ius à Romano Pontifice toti orbi Chriſtiano conditum ſpectandum eſſe; & ex eo reſpondendum. Deinde dico Piam conſtitutionem conceſſione illa poſteriorem eſſe: & legem ad conceſſionem interpretandam, non conceſſionem ad explanandam legem adhiberi oportere. Poſtremò dico non repugnare priuilegiũ legi ſi fiat à campſoribus, quod fieri deberet: v. g. ſi Auguſtinus Petro bis verè numeraret mille, ſemel Genuæ, vbi eget mille, & totidem Lugduni; vbi etiam ipſe eget vel quiſpiam eius amicus: in hac enim negotiandi forma, vera & legitima, tempore nundinarum Lugdunenſium poſtremæ litteræ Lugduno ad Auguſtinum Genuam referrentur cum eo iuſto lucro, quod Lugdunenſis pecunia illi procreaſſet: ſed longè alia eſt ratio agendi noſtratium collybiſtarum: quæ eſt à nobis adhuc reprehenſa.

Secundum diuerticulum eſt; quòd aiunt, *ſe trauagliare il credito*, id eſt, in menſaria fide ſe negotium habere conſtitutũ: quod illis haud minoris eſt quàm ipſa pecunia: quod cùm loquuntur, non puto eos intelligere fidem, qua negotiantur: hæc enim non magis materia poteſt eſſe contractuum, quàm ingenium, prudentia, & ars.

Verumenim duplicem aliam ſequuntur vocabuli notionem. Prima eſt, vt creditum ſit ius, ſeu actio, qua aliquis dicitur creditor; & hoc materiam eſſe volunt cambij, & mitti Lugdunum; vt illic ſoluatur ab adminiſtris contrahentium. Nos autem in noſtro libro de cambio Lugdunenſi, ſeu Biſuntino, quod vulgo *della ricorſa* vocatur, oſtendimus, creditum, quod ius eſt, ſi formaliter ſumatur, cùm illud non poſſit deſerere animum campſoris, non poſſe mitti Lugdunum: ſi verò fundamentaliter & materialiter, id eſt, pro pecunia, nec mitti: quia nec vllam Lugdunum pecuniam mittit Auguſtinus. Adde quòd creditum eſt ius non corporeum, & eſt accidens, reſidens in animo campſoris; materia verò cambij eſt metallica & ſubſtantia extra animum eiuſdem campſoris.

Secunda notio. Vt idem ſit, quod fideiuſſio, non quidem materia cambij, ſed conditio, ſine qua non ſolueretur poſterior pecunia Lugduni nomine campſuarij, id eſt, eius, qui pecuniam Genuæ ſumit. & ob hanc ſecundam notionem crediti dicuntur vulgo mercatores *impreſtare il credito. trauagliare il credito, ſtar del credere.* Nos autem in eodem lib. docuimus collybiſtam Auguſtinum propter permutationem pecuniarum verè creditorem eſſe, propter ſponſionem verò debitorem eius, 11.

eius,apud quē pro Petro fideiubēt: quòd ſi Petrus viri boni officium conturbaret, Auguſtinus præſtare deberet ei, cui eſt ſponſione obſtrictus, quod illius intereſſet: contra quàm in noſtrorum collybiſtarum cauſſa euenit:vbi,ſi campſor Ioanni fideiubet pro Petro, nihil præſtatur vmquam à campſore Ioanni,ſed à Ioanne præſtatur campſori;quidquid à Petro debetur. At id eſt monſtri ſimile,vt creditor pro fideiuſſione obligetur fideiuſſori: nam hunc illi omnia tum diuina tum humana iura deuinciunt. Sed hæc latiùs & ſubtiliùs à nobis in eo ipſo libro diſſeruntur.

Poſtrema defenſionis anchora poſſet eſſe titulus lucri ceſſantis. At hic titulus negotiationis peruerſæ horū nequaquam diluit prauitatem.Primùm,quia amiſſi & interpolati lucri tunc ducenda ratio eſt, cùm quis cauſſa alterius, cui commodat, ab eo negotio ceſſat, & ab ea mercatura, quæ ſibi honeſta & fructifera futura erat. Verùm qui in iſta pecuniæ fœneratione verſantur, præter ipſam fœnerationem cambij nomine decoratam nihil habent præterea in quo honeſtè & vtiliter pecuniam ſuam collocent, collocaríque velint: quare ceſſantis lucri ratio ceſſare iis debet. Deinde, ſi nomine impediti ceſſantíſve lucri ſe tueri volunt, oſtendant campſores, cùm pecunias egentibus tradunt, impulſu & ſuaſu egentium ſe tradere; & vt egentibus benignè faciant: oſtendant ob aliena commoda ab ſe ſua deſeri: ſed nimirum numquam id docebunt: quod tamen neceſſariò docendum eſſet, ſi ſuam cauſſam ad nomen lucri ceſſantis traducere velint. Tum fatentur hi nummati artifices, vt narrat Caietanus in tractat.de cambiis,cap.2. §.Sed reuera, non ſe ceſſantis lucri rationem habere,ſed ratione lucri quod ſperant,ſe facere quidquid faciunt.

Ad extremum hanc excuſationem præcidit illis Pia conſtitutio, cùm his verbis ſtatuit. Statuimus, ne deinceps quiſ-
» quam audeat ſiue à principio ſiue aliàs
certum & determinatum intereſſe,etiam »
in caſu non ſolutionis paciſci. »

Nobis quid de huius ætatis menſatiorum ratione videretur, quidve iudicari oporteat, diligentiſſimè in eo commentario, cuius paulò antè mentionem fecimus, executi ſumus.

QVÆSTIO XVI.

PRoximæ ſuperioris collybiſticæ nun- 1.
dinationis,quæ multis eſt à nobis modis oppugnata, germana eſt hæc, quam ad me Roma Venetias P. Stephanus Tuccius vir omnium doctrinarum & virtutum genere perpolitus, ſummíſque officiis & ſingulari mecum beneuolentia coniunctiſſimus,miſit: eo autem conſilio miſit, vt illam perinde, vt ſuperiorem euerterem: quod ipſum conatus quidem ſum, an verò fuerim aſſecutus, iudicabunt ij, qui in hac,quæ mox inchoabitur diſputatione,formam contrahendi collybiſtarum, iiſdem verbis quibus miſſa eſt, deſcriptam legerint; & meum de ea iudicium, & confutandi genus perſpicere diligentiùs voluerint.

Forma igitur eſt hæc. *In queſta materia di cambij credito s'vſa in due modi. Il primo.* Eſt ius, ſeu actio,ratione cuius aliquis dicitur creditor à Latinis, cui ex aduerſo reſpondet debitor. Et huiuſmodi creditum eſt materia cambij, & fundatur in actione, qua campſor Florentinus dat campſuario 1000. aureos Florentiæ, reddendos Lugduni. Hinc campſor fit creditor; campſuarius debitor. Hoc creditum dicitur campſor mittere Lugdunum; vt ibi ſoluatur per ſuum committentem. Itaque realis materia cambij eſt ex vna parte pecunia campſoris data Florentiæ, ex altera ſolutio Lugduni facta per committentem: prior illa fundat ius creditoris; hæc poſterior deobligat debitorem;poſtquam per committentē reddidit, quantum accepit. Altero modo, creditum ſumitur pro eo quod eſt fideiuſſio, nec eſt

materia cambij, ſed conditio, ſine qua non ſolueretur poſterior materia cambij. Committens enim Lugdunenſis non ſolueret pro campſuario, niſi propter creditum, hoc eſt, fideiuſſionem campſoris. In hoc ſignificatu dicuntur vulgo mercatores, *impreſtare il ſuo credito, trauagliare il ſuo credito, ſtare del credere, &c.* Et quidem conſtat eſſe reale vtrique creditum, creditum priori modo; quia fundatur in reali numeratione pecuniæ, quam campſor Florentiæ dat campſuario: creditum poſteriori modo; quoniam verè & realiter campſor fideiubet pro campſuario apud committentem.

Tota difficultas eſt, an ſolutio, quam committens facit Lugduni pro campſuario, ſit realis: ipſi realem eſſe contendunt, quoniam licèt committens non numeret pecuniam, tamē per nouum contractum fit debitor campſoris pro campſuario; ita vt hic non ſit ampliùs debitor campſoris, ſed committentis; quare mutauit creditorem, & nouo debito ſoluit prius debitum, quod eſt verſuram facere. Et quamuis committens nonnumquam ſit agens, ſeu procurator campſoris; aiunt tamen illum ſuſtinere duas perſonas, vnam procuratoris, & ſic exigit creditam pecuniam campſoris, recipiens ſolutionem & redditionem faciendā Lugduni: alterā committētis, & ſic ſoluit pro campſuario, pro eo factus debitor campſori. Fit autem ei debitor vel ſcribendo ſe debitorem tot aureorum, quot ille dederat campſuario; & hic remanebit obligatus totidem aureos reddere committenti in nundinis ab illo præſtituendis, vel nomine campſuarij accipiendo aliud cambium à tertio aliquo, cui reddet poſtea campſuarius ad nundinas ab illo præfigendas: ſed vtrouis modo fiat, ſemper ſatisfit credito campſoris per nouum debitorem ſubeuntem vices campſuarij; qui inde non fit creditor, ſed tantùm debitor noui creditoris. Et quamuis campſuarius, ſi iret Lugdunum, ſoluturus per ſe, quod à campſore accepit, nullas pecunias à committente accepturus eſſet; non tamen ideo non eſt vera ſolutio: quoniam committens ſe obligat campſori ſoluere non quocumque modo, ſed hoc, quod eſt facere ſe illi debitorem pro campſuario: creditori autem æquè ſatisfit vel numerata pecunia, vel aſſignato nouo debitore; qui vbicumque ille exegerit, reddet quod ab illo acceperat campſuarius. Atque hæc ſunt in patris Stephani litteris.

Quod genus contrahendi hoc modo eſt à nobis confutatum: ſingulis enim aduerſariorum ſententiis ſingulas reprehenſiones ſubiecimus. *In queſta materia di cambi, credito s'vſa in due modi: Il primo*, eſt ius ſeu actio, ratione cuius aliquis dicitur creditor à Latinis; cui ex aduerſo reſpondet debitor.] Hoc rectiſſimè dicitur à recentium collybiſtarum patrono. Et huiuſmodi creditum eſt materia cambij, & fundatur in actione; qua campſor Florentinus dat campſuario mille aureos Florentiæ, reddendos Lugduni.] Si creditum vſurpetur formaliter, nō eſt materia cambij; cùm creditum ſit, quid incorporeum: materia verò cambij ſit corporea & metallica, publico ſigno impreſſa. Verùm, ſi ſumatur fundamentaliter, poteſt habere rationem materiæ. Quamquam materia proxima contractus cambij, non eſt pecunia, ſed numeratio pecuniæ, ſeu pecunia, vt numerata. Nec enim quis tunc cum alio contrahit, cùm habet pecuniam, verùm cùm numerationem addit ad pecuniam, illámque tradit alteri. Nam ad contractum illum, certo vacantem nomine, refertur cambium: do vt des; dare autem eſt actio. Itaque materia longinqua contractus cambij eſt pecunia: finitima verò, illius numeratio ſeu traditio: ex qua traditione ac numeratione exiſtit ius illud, quod creditum dicimus. Hinc campſor fit creditor, campſuarius debitor.] Nemo iſtuc pernegarit. Hoc creditum dicitur mittere Lugdunum, vt ibi ſoluatur per ſuum committentem.] 2.

Horum ipſe verborum ſeu veritatem ſeu vim, animo complecti nequaquam poſſum. 3.

poſſum. Creditum enim, ſi formaliter ſumatur, nil eſt aliud quàm ius, ſiue facultas ſiue poteſtas agendi cōtra campſuarium; quam facultatem, ſeu poteſtatem, non diſcedere à campſore hinc perſpici pōteſt: quòd paciſcitur cum campſuario, vt ſibi tantumdem pecuniarum, collybo, quem tempus Lugdunenſium nundinarum pepererit, ſibi repræſentet Lugduni. Si igitur campſoris perſonam nō deſerit, quomodo tranſmittit Lugdunum, vel ad ſuum adminiſtrum, vel ad alium pecuniarum nundinatorem, quem committētem appellant?

Quòd ſi creditum fundamentaliter intelligatur, aut pro fundamento remoto, quæ eſt ipſa pecunia, aut pro fundamento proximo, quod eſt pecuniæ traditio, intelligitur. Si pro fundamento remoto, falſum eſt mitti Lugdunum: cùm ea pecunia numerata ſit Florentiæ campſuario: nec vllam aliam pecuniā mittat campſor Lugdunum: ſi pro fundamento proximo, multò minùs deferri poteſt creditū Lugdunum: nam cùm ſit traditio pecuniæ, ſeu actio numerādi pecuniam: eáque ſit perſonalis & tranſiens: certóque tempori ac loco affixa: profectò nec ratione perſonæ numerantis, nec ratione loci, nec temporis, quo numeratio facta eſt, poteſt in aliā perſonam, aut in alium locū, aut in aliud tempus migrare.

Ad hæc ipſum creditum cùm imponat campſuario neceſſitatem reddendæ pecuniæ ei, à quo accepit, id eſt, menſario Florentino, qua ratione intelligi poteſt mitti Lugdunum, vt ibi ſoluatur? Nec enim Florentini campſoris creditum ſoluitur, ſed campſuarij debitum ſoluitur creditori Florentino. Neque enim qui credit, ſoluit: quare nec creditum ſoluitur; ſed qui debet, ſoluit: eiúſque debitum perſoluitur.

4. Itaque realis materia cambij eſt ex vna parte pecunia campſoris data Florentiæ: ex altera ſolutio Lugduni facta per committentem.]

Quære cùm committens Lugdunenſis nullam aliam pecuniam tractat, quàm campſoris Florentini: illiúſque verè negotium pecuniarium gerit, cùm ſoluit nomine campſuarij campſori, à quo ſoluit? & de quo ſoluit? ſanè à campſore campſori: & de pecunia campſoris ſoluit. Verè igitur cāpſor ſibi, & de ſuo ſoluit: ſecúmque contrahit, ſuámque pecuniā Florentinam ſua Lugdunenſi cōmu tat. Quis ferat has ineptias? quis contra has turpiſſimas fœnoris ſordes ſpurciſſimáque amicula non ſtomachetur? quare verba illa, quæ ſequuntur: Prior illa fundat ius creditoris, poſterior deobligat creditorem: poſtquam per committentem reddidit, quantùm accepit] nulla veritate nituntur. Quis enim ſibi perſuadeat ficta illa ſolutione Lugdunenſi deonerari cāpſuarium, cùm reuera nihil illic ſoluatur à cāpſuario? &, ſi quidquam ſoluitur, de campſoris ære ſoluatur? id quod ſemper accidit; quum is qui pecuniam campſoris Florentini adminiſtrat Lugduni, nihil habet in nummis: ſed quidquid pecuniæ habet, ab Trapezita Florentino habet.

Quare ſi campſoris Florentini procurator noua permutatione onerat eum, qui primùm à campſore Florentiæ accepit, nomine campſoris onerat: cùm ratio & fundamentum huius noui oneris ſit, aut eſſe debeat, noua pecunia, campſoris nomine aſſignata campſuario: quæ tamen ipſa minimè aſſignatur: vt huius tetri fœnoris deſignatio ſit infinita, nec vſquam conſiſtat.

Altero modo creditum ſumitur pro eo quod eſt fideiuſſio: nec eſt materia cambij, ſed conditio; ſine qua non ſolueretur poſterior materia cambij. Committens enim Lugduni, nō ſolueret pro campſuario niſi propter creditum, hoc eſt, fideiuſſionem campſoris. In hoc ſignificato dicuntur vulgo mercatores *impreſtare il ſuo credito, tranagliar il ſuo credito, ſtar del credere, &c.* contra hæc dicere quis audeat? 5.

Illud tamen eſt veriſſimum. Cùm collybiſta idem ſit permutator pecuniæ & ſponſor, ob pecuniæ permutationem & traditionē, verè eſſe creditorem, ob ſponſionem

ſionem autem verè debitorem:fideiuſſione enim neceſſariò alteri cuipiam obligatur. Creditum verò, quod Florentinus Trapezita campſuario tradit, habet rationem extremi in Florentina permutatione,rationem inquam materiæ,vel eius rei,quę pro pecunia Florētiæ accepta reddenda eſt campſori Lugduni. Creditum verò ſponſionis,quod eſt campſuarij, eſt quaſi medium & inſtrumentum ad inueniendam Lugduni pecuniam,& pro Florentina Florentino campſori reddendam.

Et quidem conſtat eſſe reale vtrumque creditum:creditū priori modo, quia fundatur in reali numeratione pecuniæ,quā Florentiæ campſor dat campſuario] Creditum affixum perſonæ campſoris reale eſſe non nego:illud verò,quod à campſore conceditur campſuario, fictum totum & commentitium eſt:quia ei nulla ſubeſt materia, nulla vera pecunia, nulla pecuniæ numeratio;ſed pro pecunia perexigua papyrus, pro numeratione ſcriptura quædam perarida.

6. Creditum poſteriori modo; quoniam verè & realiter campſor fideiubet pro campſuario apud cōmittentem] Fideiuſſio, ſi vera ſit, debitorem conſtituit fideiuſſorem ob promiſſum:creditorem verò eum, apud quem pro alio fideiubet, ob eam rem, quia ſponſoris fidem accipit creditor.

Vt igitur vera ſit, & non ficta fideiuſſio,requiritur,vt is qui pro alio ſponſione vincitur,obnoxius ſit ei apud quem fideiubet. Verbi cauſſâ,ſi ego fideiubeo apud Petrum pro Ioanne,ſi Ioannes aut rationes conturbet,aut ſententiam iudicis, litiſve æſtimationem fuga vitet, Petro ego præſtabo, quidquid ei à Ioanne debebatur. Verùm in noſtrorum collybiſtarum cauſſa longè ſecus euenit. Nam campſor Florentinus, cùm fideiubet pro Ioanne apud Petrum,qui ipſius negotium in permutatione pecuniarum Lugdunenſi gerit & conficit, nihil præſtat Petro : verùm à Petro ſibi præſtatur,quidquid à Ioanne debetur. At id eſt monſtri ſimile : vt creditor pro fideiuſſione obligetur fideiuſſori:nam hunc illi omnia tum diuina tum humana iura deuinciunt. Tametſi mirandum non eſt, ab eo, tum ſtipulationum tum promiſſorū fideiuſſorúmque omnia iura peruerti, à quo in nummariis compendiis & anatociſmis,cunctæ iuſtitiæ leges concerpuntur.

Cùm autem nihil interſit vtrùm per procuratores agas, an per te ipſum,vt inquit M.T. quis non intelligit, cùm menſarius Florentinus ad ſuum adminiſtratorem Lugdunum ſcribit, eíque fidem adſtringit ſuam de pecunia ſoluenda à campſuario, eodem tempore ſibi ipſi fidem adſtringere? Quis autem audiuit vmquā quemquā ſibi ipſi fideiubere de eo,quod ab alio agi,ſibíque præſtari debet?

Quare tantùm abeſt, vt creditum vtrumque ſit reale,vt in vtroque ne vmbra quidem leuiſſima veræ,ſolidæque iuſtitiæ reperiatur.

Tota difficultas eſt, an ſolutio, quam committens facit Lugduni pro campſuario, ſit realis.] 7.

Difficultas hæc apud eos exiſtit, qui politica entia,ciuiliáque commercia,à fictis contractuū ſimulachris inanibúſque ideis ſecernere aut non norunt, aut verò nolunt. Ipſi realem eſſe contendūt:quoniam,licèt committens non numeret pecuniam, tamen per nouum contractum fit debitor campſoris pro campſuario : ita, vt hic non ſit ampliùs debitor campſoris, ſed committentis:quare mutauit creditorem, quod eſt verſuram facere.] Si ipſi nummarij caupones realem ſolutionem eſſe contendunt, nos eiuſmodi non eſſe multis firmíſque rationibus in noſtra diſputatione Italica probauimus.

Sed ſingula commenta verborum expendamus. Licèt committens non numeret pecuniam:] cur non numerat nomine campſuarij? cur non reddit pecuniā Lugdunęnſem pro Florentina,vt expleatur contractus pecuniariæ permutationis, in qua datur pecunia pro pecunia? quæ eſt autem illorum verborum vis, Per nouum

uum contractum fit debitor campſoris pro campſuario?] Nam ſi committens fit debitor campſoris pro campſuario,vt pro hoc mille ſoluat campſori: ergo oportet committentem accepiſſe tantumdem pecuniæ à campſore, quantum ſoluere ipſe debet pro campſuario:atqui id falſum eſt. Nam campſor pecuniam ſuam campſuario tradit, non committenti: ergo campſuarium ſibi deuincit, non committentem:quod ipſum perfacili ratione probatur. Eum ſibi obligat campſor, cum quo ex contractu permutatæ pecuniæ contrahit:ſed hic contrahit cum campſuario,nō cum committente;vt ideas ciuiles,& non Platonicas,atque ab omni materia ſecretas contemplanti planiſſimum eſt: ergo non committentem,ſed campſuarium ſibi obligat. Vt plena futilitatis ſint illa etiã, quæ conſequuntur,verba, Ita vt hic non ſit amplius debitor campſoris, ſed committentis. Et quamuis committens nonnumquam ſit agens,ſeu procurator campſoris, aiunt tamen illum ſuſtinere duas perſonas,vnam procuratoris, & ſic exigit creditam pecuniam campſoris recipiens ſolutionem, & redditionem faciendam Lugduni:alteram committentis,& ſic ſoluit pro campſuario pro eo factus debitor campſori. Fit autem ei debitor vel ſcribendo ſe debitorem tot aureorum,quot ille dederat campſuario:& hic remanebit obligatus totidem aureos reddere committenti in nundinis ab eo præſtituendis: vel nomine campſuarij accipiendo aliud cambiũ à tertio aliquo,cui reddet poſtea campſuarius ad nundinas ab illo præfigendas.]

8. Neceſſe eſt ea, quæ ab hominibus & cum hominibus tranſiguntur,intelligi:& quæ agi poſſunt, poſſe etiam cognoſci. At iſthæc nec intelligũtur,nec intelligi poſſe videntur. Nam quòd procurator campſoris Florentini, eius perſonam ſuſtineat in exigenda pecunia, quam campſuarius à campſore Florentiæ accipit, bene habet: pecuniam enim Florentini campſoris tractat Lugduni:& nomine eius contrahit:& nummariæ arcæ, cuius Florentinus campſor eſt dominus, eſt ipſe cuſtos. Campſuarij autem nomine quemadmodum heri ſui debitor euadat, intelligi nequit. Nam ſi campſoris heri debitor efficitur, aut gratis efficitur,nulla accepta pecunia, quam campſor ei dederit, aut aliqua accepta:ſi nulla,incredibile eſt cãpſori Florentino ſoluere mille aureos nummos,à quo ne teruncium quidem ſumpſerit: ſi aliqua, peto, qua? aut illa,quam campſor dedit campſuario, aut quapiam alia: non illa,quam campſor dedit campſuario: illius enim verus dominus ſemper fuit cãpſuarius,non procurator. ſi alia,quanam? hanc enim fingendo inuenire eſt difficillimum.

Quocirca illatio illa plena nugacitatis eſt:campſuarium remanere obligatũ procuratori,vt totidẽ illi ſoluat, quot à campſore accepit. Si enim procurator Lugdunenſis, quidquid lucri facit, domino ſuo facit; ex eius enim pecunia facit: & certa mercede ei ſuam operã locat. Cùm item campſuarius verè acceperit Florentiæ à campſore, & nihil Lugduni à campſoris procuratore, quî fieri poteſt, vt campſuarius debitor euadat procuratoris? campſoriſque debitor eſſe deſinat: præſertim cùm ad extremum pecuniam, quam debet, campſori Florentiæ ſoluat, non procuratori campſoris Lugduni?

Fit, inquit,debitor campſoris procurator eius ſcribendo ſe debitorem tot aureorum, quot ille dederat campſuario] 9.
verùm, ſicut procurator verè nihil recipit ab ſuo domino præter pretium operæ, quam illi nauat, & locat Lugduni ad fœnus exercendum: ita verè ſcribere nō poteſt ſe nomine alicuius nummariæ permutationis illi quidquam debere. Fateor equidem, ſi procurator ab quopiam alio pecuniã ſumeret, vt ſatisfaceret pro campſuario ſuo hero Florentino, tunc procuratorem debitorem fieri illius tertij; & procuratoris debitorem remanere campſuarium. Sed vtrouis modo fiat,ſemper ſatisfit credito campſoris per nouum debitorem

Digitized by Google

bitorem ſubeuntem vicem campſuarij, qui inde non fit creditor, ſed tantùm debitor noui creditoris] quando mittit campſor litteras Lugdunum ad ſuum adminiſtratorem, vt ſoluat pro campſuario, certum eſt per nouum debitorem non ſatisfieri; quod enim agit adminiſtrator, agit campſor. Et quia campſor non ſuſtinet niſi perſonam creditoris,non debitoris, cùm ſuam pecuniam campſuario tradit, eam perſonam non exuit: cùm verò ſcribit ad procuratorem, vt de ſua pecunia Lugdunenſi ſatisfaciat ſibi pro campſuario,idem fit creditor, & debitor ſibi ipſi: ſed creditor eſt verè ex vero mutuo, & vera pecunia mutua,quam numerauit Florentiæ: debitor eſt fictè, ex ficto mutuo,fictáve pecunia,quam ſimulat ſe numerare Lugduni,ſuámque pecuniam Florentinam veram Lugdunenſi ficta commutat. Poſſúntne ſpurcioris fœnoris fœdiores ſordes excogitari?

10. Et quamuis campſuarius,ſi iret Lugdunum, ſoluturus per ſe, quod à campſore accepit, nullas pecunias à committente accepturus eſſet,non tamen ideo non eſt vera ſolutio:quoniam cõmittens ſe obligat campſori ſoluere nõ quocumque modo,ſed hoc, qui eſt facere ſe illi debitorē pro campſuario] cùm campſor & campſuarius ad hanc pactionem veniunt, vt pro Florentiæ accepta pecunia, pecunia aut eiuſdem,aut alterius generis Lugduni à campſuario detur (quæ ratio paciſcendi & contrahendi eſt inter hos menſarios quæſtores peruagatiſſima) cur campſuarius violat pactum? nam de ſoluenda pecunia huius illiúſve generis,eſt cum Trapezita Florentino depactus. Cur quod conceptis verbis ſemper campſor & campſuarius tranſigunt, re ipſa totum factóque euertunt?

Cùm autem committens perſonam induit campſuarij, cur non illud etiam onus in ſe transfert, quod impoſitum eſt campſuario de hac illáve pecuniæ ſpecie ſoluendæ Lugduni? Quis autem dicat in cõtractu pecuniariæ permutationis idem eſſe debitorem ſe conſtituere, atque pecuniam pro pecunia reddere? Sicut enim campſuarius,cùm à campſore accipit,non ſoluit formaliter,quia ſe debitorem conſtituit:ſed quia reuera præſtat,& numerat id, in quo eſt debitor cõſtitutus:ſic committens cùm campſuarij conditionē ſubit non ſoluit campſori Florentino, quia ſe debitorem ſcribendo facit nomine campſuarij: ſed quia reuera præſtat, quod à campſuario præſtari debebat: verùm à campſuario numerari debebat huius illiúſve generis pecunia:ergo hoc ipſum à committente neceſſariò fieri debet. Tota igitur iſtorum nummaria ratio nugatoria eſt,ridicula,& aranearum telis,vel veriùs, vt dicam,non entium fundamentis ſubnixa.

Creditori autem æquè ſatisfit,vel numerata pecunia,vel aſſignato nouo debitore,qui vbicumque ille exegerit, reddet quod ab illo acceperat campſuarius] Æquè ſatisfieri creditori aut numerata pecunia,aut nouo aſſignato debitore nemini perſuaderi poterit,qui pecuniæ præſentis & abſentis;exactæ & exigendæ;numeratæ & numerandæ;eius quæ eſt actu, & quæ poteſtate:rei, quæ tum mancipio, & nexu, vſu, & fructu noſtra eſt,& eius, quæ alterius ſeruit arbitrio,diſcrimina internouerit. Quis enim ignorat,pecuniam quæ à debitore non noſtro extorquenda eſt, ſed à debitore debitoris noſtri, eſſe abſentem? eſſe futuram? eſſe in potentia? eſſe multis ſæpe implicitam difficultatibus? eſſe in alterius poteſtate? Quis neſcit,pecuniam præſentem nobis commodam eſſe ſiue cum noſtris, ſiue cum alienis,ſiue cum notis,ſiue cum ignotis, ſiue cum ciuibus, ſiue cum peregrinis, ſiue cum amicis,ſiue cum hoſtibus contrahamus? Quibus ſanè commodis caremus,ſi aſſignato debitore pro pecunia vti velimus. 11.

QVÆSTIO XVII.

PEtrus vendit rem ſuam Paulo, conuento pretio, ſed non recepto, re tamen 1.

men ipſa ad Paulum emptorem delata. Petrus venditor, vt pretium ei certum ſit, nec emptor Paulus contractum ludificari queat, diuerſiſque exceptionibus tueri, quæ iura emptori aduerſus venditorem largiuntur, emptionem transfert in mutuum, hac vſus calliditate, atque ſolertia. Publica ſcriptura à Tabellione rogatu Petri conficitur, quæ teſtatur Petrũ Paulo mutuam eam dediſſe pecuniam, quæ integrum rei venditæ pretium efficiebat: id autem excogitatur ad omnem emptoris elidendam exceptionem. Nam mutuum exceptionem quamlibet, quæ locum habet in emptione, repellit.

Conſultus ſum vtrùm huic rationi cõtrahendi venia dari poſſit: dati poſſe illud probare videtur, quòd pactum pretium non ſolutum, ſed exſpectatum, tamquam mutuum intelligitur; vt à nobis ex ſententia magnorum doctorum ſæpe in aliis quæſtionibus, ſcholiſque publicis, reſponſum eſt: cur igitur pecuniam, quæ veluti mutua debetur nobis, non poſſumus in ſcriptum, & teſtatum contractum mutui deducere? Ad hæc non ſe iniuſtitia vlla in eo contractu oſtendit: quia id tantùm à Paulo exigitur, quod Petro debetur.

2. Sed mihi ſecus eſt viſum, cenſuique, totum contractum mendacij vſuræque labe eſſe reſperſum: mendacij, quia cùm vna ſpecies non ſit intra aliam, ſed vna excludat aliã: qui dicit ſe mutuam alicui dediſſe pecuniam, quæ pretium emptionis erat, planè emptionem excludit: præſertim cùm pretium ab emptore proficiſcatur: mutuum verò nequaquam, ſed à perſona venditoris in ſuperiorem contractum deriuetur. Deinde, quid rationis habet, quid veritatis, contractum nõ gratuitum, & qui à iuſtitia manat, in contractum gratuitum cõmutare, eique gratuiti contractus, qui à liberalitate proficiſcitur, nomen imponere? labes verò vſuræ in eo ſita eſt, quòd Petrus ex mutuo lucratur omnes exceptiones emptoris, quibus liceret ei fortaſſe abire à contractu: nec ſolùm hoc malum creat emptori, ſed illud etiam non ferendum, quòd tutum ac certum rei emptæ dominium non aſſequitur. Nam ſi venditoris heredes rem emptam vendicare vellent, probaréque iudici eam eſſe inemptam; ſi Paulus emptor, ſeu eius heredes, nec ſyngrapha, nec vllis tabulis publicis, ſeu teſtibus oſtendere poſſint eius rei veros ſe dominos eſſe, & pecuniam mutuam reſtituere cogentur, quæ pretium fuit rei venditæ, & rem ipſam cum fructibus reddere, tamquam rei alienæ iniuſti malæque fidei poſſeſſores.

Omnia autem hæc vitantur incommoda, ſi in inſtrumento, quod tabellionis manu cõfici debuerat, fuiſſet, Petrum & Paulum ex empto & vendito contraxiſſe nõdum pretio perſoluto. Licèt enim pretium exſpectatum, ſit ſpecies quædam taciti mutui: tamen quia hæret in ipſo emptionis contractu, nec eſt ab eo auulſum, incommoda ſuperiora nequaquam parit.

QVÆSTIO XVIII.

Eſt hic in nonnullis Galliæ Ciſalpinæ ciuitatibus cõtractus peruagatiſſimus: de quo conſultus ſum quàm ſæpiſſimè. 1.

Vendis mihi prædium, cuius eſt iuſtum pretium, mille. Soluo nunc tibi quingentos, totidem ſoluturus poſt biennium: num iure percipere poſſis fructus alterius partis, cuius exſpectas ſolutionem?

Gabriel Theologicarum diſputationũ vſu perdoctus in 4. ſent. diſt. 15. q. 11. art. 2. concl. 4. caſu 3. ait, contractum hunc nonnullis Canoniſtis eſſe legitimum, ſed Theologis iniquum: nullum canonum interpretem nominat, nec ciuilium legum: nos quorumdam prodemus nomẽ, quos aut vidimus, aut alij commemorant. Certant igitur pro huius contractus iuſtitia Couarruuias 3. lib. variarum reſolutionum, cap. 4. num. 4. & 5. explanans legem, Curabit. C. de action. empt. citat Couarruuiam & ſequitur Ioãnes Baptiſta Lupus

in primo commẽtario in eamdem legem §.7.num.145.Caſtrenſem in l.Iulianus, §. ex vendito.ff. de action.empti Alexandr. conſ.121. num.4. l. 5. Socinum Iuniorem conſ.66.nu.7.l.2.Ancharanum, qq. famil. l.2.q.33.nu.4. Pariſinum, conſ.60.nu.3.l.1. quem identidem etiam citat Couarruuias in hac quæſtione.Is autem eſt impius Molinæus. Addit nonnullos alios Lupus, & communem ac veram affirmat eſſe opinionem: tametſi contrariã tribuit Theologis. Ad horum iuriſperitorum ſcopulũ delatus eſt Angelus, in ſumma, verbo, Emptio,num.5.& in ver.Vſura, 1.num.18. quem ſuus ſcholiaſtes ita excuſat, vt credat locutum Angelum, quando non eſt in emptorem rei venditæ tranſlatum dominium. Couarruuias,in illo cap.5.extremo,admonet,ſententiam hanc,iure Pontificio & conſcientiæ valere.

2. Triplex horũ videtur eſſe fundamentum.Primum,quòd naturali æquitati alienum videtur,vt emptor fundo fruatur & pretio: venditor careat vtroque. Secundum, quia rei vtilis proprietas vendi poteſt retenro dominio fructuum.Tertium, quia lex, curabit, C.de action. empti, ſic ſtatuere videtur:hiſce enim verbis eſt perſcripta lex. Curabit Præſes prouinciæ cõpellere emptorem,qui nactus poſſeſſionẽ fructus percepit, partem pretij,quam penes ſe habet,cum vſuris reſtituere;quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor, licèt nulla mora interceſſerit,generauit. Lata eſt lex ab Imperatoribus,Diocletiano & Maximiano.

3. At nobis ſola Theologorum ſententia vera debet eſſe, qui ſuperiorem contractum,tamquam è fœnoris fæce hauſtum ac factum,execrantur. Senſum hunc eſſe Theologorum teſtãtur, eumdémque defendunt, Gabriel, in 4.ſent.diſtin.15.q.11. artic.2.concluſ.4.caſu 3.Roſella,in verbo, Vſura, 1.q.47. Syluester in verbo, Vſura, 2.q.11.& in aurea. Roſa,caſu 27.ſed ante hos omnes idem teſtatus eſt D.Antonin. in ſumma, par.2.tit.1.c.7.§.20.Hoc ipſum populum docuit in ſuis concionibus S. Bernardinus Senenſis,vt apparet ex ſerm. 42.de contract. cap.1. caſu 4.in extremo. Franciſcus Mayro, in 4.diſtin.15.citatur à Syluestro, in ſumma,eodem loco. Armilla,in verbo, Vſura,num.15. idem ſequitur: idem Corradus, in q.59.de contractibus concluſ.3. Idem Franciſcus Garzia in lib. de contract. cap.24. nu.8. vbi extra argumenta, quæ intrinſeca ſunt, & hærent in cauſſa,duo affirmat. Vnum eſt,neminem ſe legiſſe Theologum, qui non reſpuat commercij ſpeciem, de qua agitur: alterum,cuique debere eſſe ſuſpectum;quòd fautorem habet impiũ Molinæum,quem non puduit vſurarum patrocinium arripere flagitioſiſſimum. Theologis addit Lupus Socinum ſeniorem,conſ.130.nu.9. & ſeq.& Decium 119.num.3.& 116. nu.2. & 183. col.vlt. & Crauettam, conſ.89. & Laurentium Syluanum, conſ.10.num.46. qui ſapientiæ ciuilis laude floruerunt. Ac licèt Nauarrus quid iudicij habuerit de hoc contractu,non ſatis perſpici poſſit ex conſ. eius, verbo, de vſuris, l.5. tom.2. nihilominus eum cum multis aliis Theologis ſentẽtiam Theologorum Romæ ſubſcripſiſſe,mihi confirmauit Brixiæ vicarius Epiſcopi Bollani,qui illam tum Eccleſiam regebat, & de contractus iure erudiri cupiebat; ob eámque rem Romam ſcripſerat.Nauarri autem & Theologorum ſubſcriptiones mandatæ typis in multorum manibus verſantur.

Nunc quod inſtituimus, certis premamus argumentis. Primum argumentum. 4. Vni eidemque pretio vna & eadem reſpondere debet rei vtilis acquiſitio: ſed pretium præſens & futurum eſt vnum & idem, extrinſeco dumtaxat temporis diſcrimine differens, vt ſæpe in noſtris priuatis reſponſis,& publicis gymnaſiis, profeſſi ſumus:legéque canonica & ciuili idẽ conſtitutum eſſe obſeruãrunt viri doctiſſimi:ergo eadem illi acquiſitio & vna reſpondere debet:ſed ſi tibi nunc pecuniã numerarem, nihil fructuum tibi reſeruares:ergo nec propter futuram numerationem ius tibi erit reſeruandi.

Secun

Digitized by Google

Secundum. In contractu non gratuito, ſed qualis eſt venditionis & emptionis, ſi quidquid eſt in re tua, ego emo, è re mea non potes vllos capere fructus: ſed cùm credita pecunia, quæ iuſtum efficiat pretium, emo tuum prædium, quidquid in illo eſt, emo: ergo fructus non potes tibi reſeruare. Itaque in l. ſolùm. ff. de rei vendicatione, dicitur *meum eſſe, quod ex re mea ſupereſt*. & in l. de eo. §. ſæpius. ff. ad exhibendum, *quod ex re noſtra ſit, noſtrum eſſe verius eſt*: at fructus fiunt è proprietate, è ratione fructifera & ſemente, quæ tria emptoris eſſe ambigi non poteſt poſt conuentum pretium iuſtum, & traditum fundum.

Tertium. Res ſine fructu multò minoris eſt, quàm cum fructu: ſed nũc mihi tradis mediam partem fundi ſine fructu: ergo tantò minùs debet eſſe pretiũ: quod tamen non fit.

5. Quartum. D. Antonini, & aliorum. » Ei res afferre debet fructum, cui adfert » periculum diminutionis, ſterilitatis, amiſſionis: ſed res empta hoc periculũ adfert emptori, non venditori; contrà venditor nullum ſubit periculum pretij, quod omnino habebit; & pecunia per ſe ipſa fructum non edit vllum: ergo ager fructum reddere debet emptori quouis tempore, non venditori.

Quintum. Ex cõmuni decreto Theologorum, omne pretium ſoluendum & futurum intelligitur cum mutuo implicito: eſt enim pecunia, cùm eam non capit venditor pro re venali, ad tempus emptori conceſſa: ergo ſi pro eiuſmodi pecunia quidquam accipit, vſuræ crimen contrahit: nec ſecus iudicandum eſſe ſtatuit Decretalis, cõſuluit, de vſuris, Vrbani III. Confirmatur hæc ratio: mutuum dare nil eſt aliud, quàm rei, quæ vſu conſumitur, & cuius ipſe es dominus, alteri vſum concedere: ſed pecunia tibi ſoluenda pro tuo prædio tua eſt, & tibi debetur ab emptore: & eſt res, quæ vſu diſtrahitur, illiúſque vſum concedis emptori, ergo mutuam illi das: ergo ob pecuniam, qua interim cares, nihil potes exigere ratione contractus.

Etiam atque etiam hoc ipſum vrgeamus. Aut fructus exigis nomine damni emergẽtis, aut nomine lucri ceſſantis, aut nomine conuentæ pœnæ, aut propter exſpectationem tantùm pretij: non adſunt tria illa nomina: ergo relinquitur poſtremum: ergo venditor turpiſſimo fœnori ſeruit.

Sextum eſt Gabrielis. Fructus capere ex pignore, & non conferre in ſortem, vſura eſt, ex cap. 1. & ex c. conqueſtus, de vſuris: ſed venditor, poſtquam alienauit fundum, ſi ex eo capit fructus, capit tamquam ex pignore; nec eos in ſortem congerit; crimine igitur fœnoris tenetur.

Septimum. Illa quam iactant, fructuum reſeruatio, non eſt vera reſeruatio, ſed fœnus ductum ex pecunia, quæ exſpectatur: ergo ſeipſam hæc ratio contrahendi iugulat.

Non eſſe fructuum reſeruationem octo coniecturis conuinco.

Prima coniectura. Quia vẽditor poſcit 6. aut quinque, aut ſex in centenos aureos nummos: at reſeruatio fructuum tanta eſt, quanti ſunt prædij fructus, terni, ſi ternos, quaterni, ſi quaternos ferat.

Secunda. Quia diuerſorum fundorum qui veneunt, diuerſa quoque eſt ratio, & fructuum ſumma: at omnes, qui ſuperiore vtuntur contractu, quãuis fundos emant, & genere, & quantitate fructuum diſſimillimos, eamdem nihilominus penſionem flagitant.

Tertia. Si hoc anno, quo non eras ſementem in tuo agro facturus, emitur de te ager ſine numeratione pecuniæ; vectigal nihilominus poſtulas fructuũ, quamuis poſt annum ſis pretium recepturus: at in manu tua ſi ager fuiſſet, nullos tibi fructus tuliſſet.

Quarta. Agri, quamuis frugiferi, alternis annis ſeri ſolent, ne perpetua meſſis fertilitatem extinguat: verùm, ſi intra decem annos ſoluenda tibi pecunia non eſt, ſed poſt decem exactos, vectigal tibi quotannis penſitari voles: at quinque annorũ

fructus deducendi erant: nam totidem apud te cultura vacaſſent: quod igitur petis, propter pecuniam petis, & illam quidem mutuam, ſeu futuro tempore ſoluendam.

Quinta. Domum habes magnificam, cupis locare, conductores perdiu exſpectaſti: nullos inueniſti: deſperata locatione cogitas de vendenda: incidis in emptorem, qui pecunia poſt quinquennium repræſentanda domum mercatur. Interim dum pretium non datur, vis annuas mercedes: at illas è tua domo non vendita nullas habuiſſes: ergo iniquè cum emptore agis: nec illa reſeruatio iuſta fructuum nuncupari poteſt.

7. Sexta. Si fundus venderetur ſterilis, vel quaſi ſterilis, qui nullam mercedem ſuppeditaret domino, vti ſemidiruta domus, ob non ſolutum pretium vellet tamen fructum aliquem venditor: ergo illum nō ex fundo, ſed ex debitione ſolius pecuniæ colligit.

Septima. Qui fructus percipit, ſumptus etiam in rem fructiferam facere debet: at venditor ſine vllo ſumptu ac labore fructus capit ex prædio: ergo non ex prædij fœcunditate, quod non eius expenſis colitur, ſed ex ſterilitate exſpectatæ pecuniæ, percipit.

Octaua ac poſtrema coniectura. Si venditor æquus eſſet fructuum reſeruator, libens agnoſceret caſus fortuitos, & culpas leuiſſimas, quæ præſtari non debent à conductore: at is nulli caſui, nulli culpæ parcit; vult enim penſionem quinũm ſenûmve annuam. At periniquum eſt fundum plus tibi emolumenti debere adferre, quia à me colitur, quàm ſi abs te coleretur.

Poſtrema ratio è duabus legibus ad hunc modum concluditur. Lex, fructus, C. de act. empt. poſt perfectam emptionem eos emptori addicit: ſed lex 2. ff. de contrahenda emptione, dicit. Non pretij numeratio, ſed cōuentio perficit ſine ſcriptis emptionē: ergo ex contractu, de quo diſceptamus, fructus non debentur venditori: atque ita legi vni, Curabit, duas alias opponimus: quibus legem, Curabit, interpretaturi ſumus.

Neque contractus, qui paſſim celebratur, iuſtitia tituli lucri ceſſantis, damnive emergentis, quidquam leuatur. Primùm, quia vniuerſi eodem modo contrahunt, etiam ij quibus nullum aut lucrum, aut damnum, obuenire ſolet. Deinde, quia lucri & damni æſtimatio incerta eſt, & varia, nunc maior, aliàs minor: at ratio penſionis eadem eſt omnibus, puta ſex pro centum: vt de prauitate contractus nullus relictus ſit dubitandi locus. 8.

Contraria argumenta nihil non proni, & non infirmi, habent: ſuâque ſponte concidunt. Primum ſi quidquam haberet probabilitatis, omnes commutationes, quæ credita pecunia fiunt, tollendæ eſſent: id quod non ſine ingenti ciuitatum & humani generis detrimento, & contra omnem iuris æquitatem fieret. Duplicem enim illam rationem contrahendi præſenti & futura pecunia humanæ vitæ neceſſitas, & genus ipſum commerciorum, inuenit. In ſecundo minus eſt roboris: quis enim neget poſſe dominium proprietatis à dominio fructuum ſecerni? Verùm probandum erat, id in hoc contractu, quem exploſimus, factitari. In lege nihil habent præſidij: nam vel dici poteſt legem fouere vſuras, & ea re iniquã eſſe, præſertim cùm à duobus Imperatoribus Chriſtiani nominis capitaliſſimis hoſtibus, perlata ſit. Vel, ſi honos legi habendus eſt, dicendum eſt, Aut eam rationem habuiſſe intereſſe non vſurarũ, vt inquit Bartolus in l. filius. §. Filia. ff. de collatione dotis. (Intereſſe autem intelligimus aut ceſſantis lucri, aut conſecuti damni.) Aut cum Bartolo, Socino, aliiſq; nonnullis, qui à Couarruuia citantur, in 3. l. ver. reſolut. c. 4. num. 5. dicere poſſumus, locum eſſe Imperatoriæ conſtitutioni, quando nec traditus eſt fundus emptori, nec fides habita pretij. Nã, ſi vtrumque in contractu euenit, locum non relinqui eidem legi ex eorumdem docto-

rum

rum ſententia conſtat.

9. Sed, quia in ſcriptum hominis incidi, qui in iuris ciuilis ſcientia nomen ſuum profitetur,& ad ſuperioris contractus defenſionem noua quædam commentus eſt: vt,ex natura contractus emptionis & venditionis naſci, vt venditor ante ſolutum pretium percipere poſſit fructus ex re vendita tamquam ſuos, ſibique debitos:idque probari ex lege Iulianus. §. Offerre. ff. de actionibus empti & venditi. & quia repugnat æquitati naturali,vt quis ſimul,& pretio & re empta fruatur: idcirco faciendum nobis eſt;vt quàm breuiſſimè doceamus iſthæc omnia nullo cum iure, nec ciuili, nec gentium, nec naturæ cohærere. Cum iure ciuili nõ congruunt, propterea quòd emptio & venditio contrahitur ſimulatque de pretio conuenerit; quamuis nondum numeratum ſit; vt decernit Imperator in inſtitutionibus,de emptione & venditione. §. 1. & poſt hoc modo contractam emptionem periculũ rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet, vt ait Imperator eodem tit. §. Cùm emptio, quem paragraphum explanans » Gloſſa,inquit,Rei venditę in ſpecie,commodum & incommodum ſpectat ad emptorem, etiam ante traditionem; quam Gloſſæ interpretationem cęteri Doctores etiam caſuum conſcientiæ ſequuntur. & in l.id quod.ff. de periculo & commodo » rei venditæ.eſt his verbis. Eſt enim ex natura huius contractus,vt commodum rei venditæ ad emptorem pertineat.

10. Quid illuſtrius à iuriſconſulto dici poterat? lex Iulianus, allata à recenti iuriſconſulto, eius ſententiam iugulat. Nam in illo §. Offerre,hoc tantùm dicitur,rem venditam à venditore tamquam pignus retineri poſſe, cùm non eſt pretium perſolutum: idémque affirmat Gloſſa, in legem pendentem. ff. de action. empt. & vendit. quòd ſi loco pignoris, ergo venditor non poteſt facere fructus ſuos: neque enim is, qui ab altero pignus habet, aut pignoris,aut fructuum, qui è pignore capiuntur, dominus euadit, &, ſi capit, debet eos conferre in ſortem ex omnium Doctorum ſententia: ergo venditor non eſt dominus fructuum rei venditæ.

Hæc ipſa, quæ hauſta ſunt è iure ciuiũ, confirmant iura gentium. Etenim ſingulis propè momentis apud cunctas nationes res vtiles, & ad vitam tuendam neceſſariæ, vt equi, vt frumenta, vt vina, oleum, merces quam plurimæ, credita pecunia emuntur, quarum emolumenta non quærit venditor; quamuis interim pecunia careat.Id ipſum factitari ſolet ab emptoribus librorum, & rerum, quibus humana vita non neceſſariò eget. Quod igitur valet apud omnes populos in rebus vtilibus,& pretioſis, quæ ingentem adferunt vtilitatem; cur non valeat in rebus immobilibus, domibus, & agris in nonnullis ciuitatibus Chriſtianis?

Eòdem rationes accedunt è iure naturali ductæ. Prima ratio. Fructus è re 11.
mea meus eſt. Cùm enim verbi cauſſa fructus è terra ortus portio ſit terræ, & eius rei,quæ in terra ſata eſt; cùm terra, & res ſata, mea ſit, meus etiam debet eſſe fructus. Itaque iuriſc. in l.ſolum. ff. de rei vendicatione, *Meum eſſe dicit, quod è re mea ſupereſt.* & in l. de eo. §. Sæpius. ff. ad exhibendum. *Quod ex re mea ſit, noſtrum eſſe verius eſt.* Sed res vendita verè eſt emptoris: quandoquidem venditio vera eſt alienatio,ex c.nulli liceat,de reb.Ecc.non alien. & eſt vera ſpecies commutationis; ad quam ſpectat neceſſariò, vt commutantes rem ſuam efficiant, & velint eſſe alterius: quare,&c.

Secunda ratio. Scotus probatus ab omnibus in 4. ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic.2. §. Alia tranſlatio. Venditionem & emptionem ſcribit commutationem eſſe rei vtilis cum numiſmate: ergo qui numiſma dat ſiue præſens, ſiue futurum, dat pro re vtili: ergo ager cum vtilitate ad emptorẽ pertinet ex vi commutationis.

Tertia. Quemadmodum ſi ego præſenti pecunia rem futuram vtilem emam, è pecunia,quæ tua effecta eſt, nullum capere poſſum emolumentum: ita nec tu

potes è re tua vtili, quam præſentem mihi tradis pro pecunia futura.

Quarta. Sicut ſi tibi nunc pro tuo agro pecuniam ſoluerem, & eamdem ſtatim abs te mutuam peterem, nihil fructus ob eam capere poſſes; ita nec potes, cùm tibi tua voluntate nunc non ſoluo; ſed tuo conceſſu ad tempus aliquod tamquam mutua vtor. Tabellionum autem verba
» illa: Cùm iniquum ſit eumdem pretio, &
» re gaudere: tamquam ab eorum profecta inſcitia vir ſapiens explodere debet. Eſſe enim verba illa à iure venditionum & emptionum, ab æquitate contrahendi, ab vſu & conſuetudine res quamplurimas vendendi, quàm remotiſſima, tum auctoritate legum, tum inſignium ſcriptorum luculentis teſtimoniis, tum firmis rationibus in hac ipſa diſputatione à nobis demonſtratum eſt.

De rectore quodam Eccleſiaſtico rem Eccleſiæ malè, & contra ius, alienante.

QVÆSTIO XIX.

1\. Sacræ cuidam ſodalitati domus attributa fuit trecentis nummis aureis æſtimata. Sodalitatis præfecti domum multis locis refectam meliorem fecerunt; eiúſque pretium ad quadringentos aureos perduxerunt: locata, lucrum ſeu cenſum annuum triginta florenorum pariebat.

Ab quopiam ſodalitatis rectore de vendenda domo cogitari cœptum eſt; eique per ſedem licuit Apoſtolicam alienare. Per duos ipſos annos emptores exſpectati ſunt. Tamdem accedit emptor nonnullus, qui ſpondet ducenros: ſponſioni aſſentitur beneficij rector: interim exiſtit ſecundus emptor, qui, vt à procuratore religioſi domicilij rectori narratum eſt, ſtipulatur ducentos & quinquaginta, eóſque in pecunia non credita, ſed numerata. Beneficij poſſeſſor opima ſecundi emptoris conditione allectus cupiebat à pactione, qua eum primus emptor alligarat, recedere.

Itaque de re tota cum nonnullis eiuſdem ſodalitij patribus agit: reſpondent, fidem primo emptori eſſe ſeruandam; ſtandum conuentis; compendium quinquaginta aureorum abiiciendum. Æſtuās ſodalitatis præfectus ad me ſententiam exquirens meam, properat. Dixi inanem eſſe eam religionem, quæ ſibi à patribus illis eſſet oblata: in omni fide ac promiſſo intelligenda ſemper hæc eſſe; ſi non ſit contra ius, quod promittitur; ſi fieri poſſit; & alia huiuſmodi: in re Eccleſiæ alienāda quid neceſſariò cuſtodiri oporteat, ab Eccleſiaſticis legibus præfinitum eſſe; ſi contra eas quid factum ſit, pro infecto haberi, Eccleſiaſtico iure nullas alienationes eſſe rerum, quæ ab Eccleſia poſſidentur, niſi eidem Eccleſiæ perſpicuā & euidentem adferant vtilitatem. Si primi emptoris conditio accipiatur & reſpuatur ſecundi, Eccleſiam non modò nihil lucrari, ſed iacturam facere inſignem: quinquaginta enim priuari aureis; meminiſſet ſodalitij præpoſitus ſe non dominum eſſe rei, quæ vendebatur, ſed Oeconomum, ac procuratorem: & beneficiorum Eccleſiaſticorum Rectores à Doctoribus cum Tutoribus comparari: Eccleſias verò & beneficia cum pupillis: cogitaret, ſi is domum alienaret pupilli, qui in eius tutela eſſet, vellétne pupillo quinquaginta eripere, vt primo emptori largiretur.

Hac oratione, atque his rationibus perterrefactus Eccleſiaſticus Rector primum illum, cum quo de venditione tranſegerat, iubet ad ſe acceerſiri: ille adeſt: præſenti denunciat ſodalitatis præfectus ſe incolumi conſcientia promiſſum efficere non poſſe; quòd repertus ſit alius, qui ad illius pretium quinquaginta adderet: vellétque domum non æſtimatione, ſed numerato accipere. Emptor ille primus excandeſcere; vociferari, ſe à viro religioſo circumueniri, cùm ab ſuis conditionibus fugere: 2.

ſed.

ſed hæc vociferatio & querimonia beneficij poſſeſſoris animum minimè flexit. Secundi igitur, de quo à ſuo procuratore audierat, voluntatem pertentat; pretiúmque ab eo in numeratis 250. aureis exigit: negat hic ſe tantùm pecuniæ eſſe pollicitum; aut etiam dixiſſe ſe numerato empturum: ſummùm, ſe ad ducentos & viginti peruenturum; integrum pretium ſe nō vno, ſed diuerſis temporibus perſoluturū. Vbi beneficij Rector animaduertit ab ſuo ſibi procuratore verba data eſſe; & de ſumma quinquaginta aureorū, primū quadraginta; deinde, triginta deceſſionē ab emptore ſecundo factam eſſe, iterum cum primo in colloquium venit; ducentíſque aureis nummis tūc numeratis cum eodem decīdit: eíque domum addicit.

Cœnobij moderatori facere num id licuerit, quæſitum eſt: licuiſſe, tria hæc probant.

3\. Primùm. Quia præſtat pecuniæ quàm exiſtimationis iacturam facere: at, ſi ſecus feciſſet, non Rectoris ſolius, ſed totius etiam ſodalitatis exiſtimatio in diſcrimen adducebatur. Deinde, proximi offenſioni & ſcandalo occurrendum erat, quod vitari non poſſe videbatur, niſi ſecundi emptoris ſpreta conditione. Tum, quia præſens pecunia quamuis minor, pluris videtur eſſe, quàm maior; quæ tamen ipſa non dum habetur; & multis modis aut auerti, aut interuerti, aut impediri poteſt. Ad extremum, quia ea pecunia in quatumdam partium cœnobij ædificationem conferenda erat; cæteróqui ab opere ceſſandum: ceſſatio autem monaſterij rationibus haudquaquam conducebat.

4\. Hæc igitur culpam leuare videntur cœnobiarchæ. Sed, quæ ſequuntur, illum vehementer condemnant. Primùm, quia is, quod nullus tutor in re pupilli feciſſet, nec facere potuiſſet in re Eccleſiæ, cuius tutelam gerebat, facere eſt auſus. Quis enim tutor domum, quæ ſtat quadringentis, vendat ducentis? Ecquis annuam penſionem triginta florenorum, quæ ex locatione domus percipiebatur, pariter illa eadem pecunia commutet? atque id in ea ciuitate, in qua ſunt domorum cenſus oppido tenues? Deinde, quia nulla coactus neceſſitate venditionem illam emptori quæſtuoſam, Eccleſiæ detrimentoſam, excogitauit: poterat magna voluntate peue omnium ſodalium ad menſes aliquot fabros dimittere cœmetarios, illóſque poſtea reuocare, ſine rei familiaris intertrimento. Poterat extructionis tempus non interrumpere, tantumdem pecuniæ mutuum ſumendo, quantùm ex venditione redegerat, quamuis ſenæ ſeprenæue centeſimæ ſoluendę eſſent: nam ad ſoluendas plus erat quàm ſatis, cenſus ipſius domus. Sed nimirum monaſterij præfecto iucundior erat, aut certè minus moleſta lacuna in vendendo, quàm intercapedo in fabricando. Nec verò aut ſuo aut ſodalitij nomini labes vlla aſpergebatur, ſi tam emptor quàm reliqui, qui emptori fauebant, iura audiſſent Eccleſiæ; quæ eiuſmodi venditionis inſtituendæ poteſtatem omnē Rectori eripiebant: imò ſi hanc erga ſacras leges religionem ſodalitatis præfectus præ ſe tuliſſet, tum ſuæ tum cœnobij famæ multò rectiùs conſuluiſſet. Ita nec ſcandalum, offenſióque vlla reformidanda erat; quæ eodem remedio ſtatim eſſet extincta. Præterquā quòd iniuſta aliorum offenſione ad rem Eccleſiæ flagitioſè tractandam nequaquam debet Abbas permoueri.

Audiat igitur pater Abbas D. Thom. in 2.2. quæſt. 43. artic. 8. his verbis præcipientem. Nam quærit in eo artic. Vtrùm ſint temporalia bona propter ſcandalum dimittenda. Reſpondeo, inquit, dicendum, quòd circa temporalia bona diſtinguendum eſt. Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſeruandum pro aliis commiſſa: ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis: & bona communia quibuſcumque reipublicæ rectoribus: & talium conſeruatio, ſicut & depoſitorum, imminet iis, quibus ſunt commiſſa, ex neceſſitate: & ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda: ſicut nec alia quę ſunt 5.

de

» de neceſſitate ſalutis. Et paulo antè in eodē articulo dixerat: Beatum Thomam Cantuarienſem repetiiſſe Eccleſiæ bona cum ſcandalo regis. Quare cupiditas fabricandi, non conſeruandæ domus malè alienatę exterrere debebat animum rectoris.

Atque in huius ſecundi argumenti explicatione ſita eſt eorum omnium reprehenſio, quibus Abbatis parum cauti defenſio nitebatur.

Poſtrema ratio. Rei Eccleſiaſticæ alienatio, quæ ſine perſpicuo Eccleſiæ lucro eſt, atque compendio, eſt Eccleſiaſtico iure interdicta; ſic prorſus, vt, ſi conficiatur, ſit irrita ac nulla: ſed domus alienatio fuit emptori ingenti commodo atque emolumento, Eccleſiæ verò magno incommodo ac damno: ergo eam nec meditari nec efficere debuit beneficij poſſeſſor: & quamuis ſit ab eo effecta, perinde eſt ac ſi numquam inchoata fuiſſet.

6. Quid ergo eſſet in hac cauſſa contra cœnobiarcham pronuntiandum? Primò, eſſe ab eo in plurimas & ſalutares Eccleſiæ leges ſceleratè commiſſum. Secundò, contractum venditionis atque emptionis inter eum atque emptorem laicum initum, nullo iure conſiſtere. Tertiò, Emptori pretium; ab emptore verò, monaſterio domum cum percepto è domo lucro reſtitui oportere: neque enim rector aut monaſterio nocere, aut emptori prodeſſe cum monaſterij damno potuit. Quartò, Probabile alicui videri poſſet, monaſterij præfectum, conſtitutionis à Paulo II. editæ, quæ incipit, ambitioſæ, cenſuras ac pœnas ſubiiſſe; hoc eſt, ipſum excommunicatione irretitum eſſe; beneficióque ac monaſterij adminiſtratione priuatum, ac cœnobium ipſo iure vacare. Ac licèt Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 150. exiſtimet, huius Paulinæ conſtitutionis, quæ inter extrauagantes communes, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſita eſt, pœnas in paucis locis eſſe vſu receptas; à quo non diſſentire videtur Caietanus, in Summa, in verbo, Excommunicatio, c. 75. Sylueſter etiam in verbo, Alienatio, quæſt. 14. indicet non eſſe moribus vtentium receptam: nihilominus mihi, poſteriorum Pontificum, Pauli IV. Pij IV. & Pij V. conſtitutiones conſideranti, qui Pauli II. conſtitutionem renouarunt & approbarunt, duo videntur poſſe affirmari, quæ in noſtris publicis ſcholis & priuatis reſponſis ſæpe docuimus. Vnum eſt, contractus contra illam initos, ſine dubitatione vlla eſſe nullos: alterum, eſſe perquam probabile, valere etiam pœnas in illos, qui extrauaganti non paruerint.

Quintum & poſtremum. Quod cōtra cœnobij rectorem pronuntiatur, illud eſt, quantùm ex ea venditione damni ad monaſterium peruenit, omne à rectore præſtari oportere; ſic enim magni ſacrorum Canonum interpretes præcipiunt in Canonem, quicumque 12. quæſt. 4. Eius capitis Gloſſa loquitur his verbis. Si Prælatus aliquid negligit acquirere Eccleſiæ ſuæ, & poſſet; & mauult ſibi acquirere: hoc imputatur ei: & ad hoc tenetur ad inſtar Tutoris: nec enim debet præponere vtilitatem ſuam vtilitati Eccleſiæ; ſicut nec Tutor vtilitatem ſuam vtilitati pupilli: legúmque id probat appoſitione. Archidiaconus, in eumdem Canonem, ſic ſcribit. Si caſu fortuito, præter voluntatem eius, detrimentum paſſæ ſunt res Eccleſiæ, nō tenetur: legem adducit, Tutoribus. C. de periculo tutorum & curatorum, in qua lege eſt his verbis. Tutoribus, vel Curatoribus, fortuitos caſus, aduerſus quos caueri non potuit, imputari non oportere ſæpe reſcriptum eſt. Sed de negligentia & dolo tenetur; vel, ſi quid non acquiſiuit, cùm potuit; quod ſanè intelligas. In cap. verò. Sint manifeſtæ, 12. q. 1. iam oſtenderat Archidiaconus Tutori Prælatum comparari. Turrecremata explanans illum ipſum Canonem. Quicunque: Quocunque, inquit, modo, & in quacunque re damnum patitur Eccleſia, ſi culpa vel dolo Prælati fit, reſarciri debet à Prælato de propriis, ſi habet. Quæ verba in commentario leguntur etiam Cardinalis 7.

nalis Alexandrini, à quo citatur Hugo: Quidquid, inquit, minuit, quocumque modo & in quacumque re damnum patitur Eccleſia, ſi culpa vel dolo Prælati fit, reſarciri debet à Prælato de propriis bonis, ſi habet: & horum ratione habet Eccleſia hypothecam ſuper talibus bonis clerici: citátque Gloſſam in cap. ex præſentium, de pignoribus.

8. Si quæras; quam culpam præſtet clericus, qui damno ſuam afficit Eccleſiam: Reſpondeo, ex Innocentij ſententia, in cap. cùm in officiis, de teſtamentis, in calce commentarij, dolum latámque culpã: cuius ſententiam non video improbari neque ab Oſtienſi, nec à Ioanne Andrea, qui dicta recitant Innocentij; ſequuntur Innocentij dictũ Antonius Butrius, Imola, & quidam alius doctor, cuius mentio fit ab Imola.

Verùm, qui in negligentem parúmque fidelem Prælatum, & bonorum Eccleſiaſticorum cuſtodem, culpã transferre vellet, tum leuem tum leuiſſimam, firmiſſima ratione haudquaquã careret. Etenim in ratione adminiſtrandi, damníque ſarciendi, à Doctoribus cum tutore pupilli æquatur Prælatus, & rerum Eccleſiaſticarum poſſeſſor. Confirmetur igitur huiuſmodi argumentum. Non minùs diligentiæ & fidei in rebus Eccleſiæ adhibere debet Prælatus, quàm in rebus pupilli tutor. Verùm hic diligentiam & fidem præſtat, quæ leuem etiam culpam excludit: ergo, &c. Maiorem huius ſyllogiſmi propoſitionem tradunt Doctores: minorem, leges. In lege enim, quidquid, C. de arbitrio » tutelæ, eſt his verbis. Quidquid tutoris » dolo, vel lata culpa aut leui, ſeu curatoris, » minores amiſerint, vel cùm poſſent, non » acquiſierint, hoc in tutelæ ſeu negotiorũ » geſtorum vtile iudicium venire non eſt » incerti iuris: nimirum eò valent verba legis, vt pupillo aduerſus ſuum tutorem, & contra curatorem minori, malæ inertíſve adminiſtrationis actio detur; necnon cõtra tutoris, curatoríſve hæredes, vt ſtatuit lex, curatorem, C. de negotiis geſtis. Quare Gloſſa in legem, nomina, C. de arbitrio tutelæ, regulariter, inquit, de leui culpa tenetur: duo tamen excipit tempora, cùm de leui non tenetur, quæ nos commemorauimus, atque hac ipſa de re copioſè diſputauimus in tractatu de oneribus eorũ, qui beneficia obtinent Eccleſiaſtica.

Culpam etiam leuiſſimam à Rectore 9. beneficij ſuſtineri debere hac non leuiſſima ratiocinatione confici poſſet. Propterea quòd ab eo res Eccleſiæ adminiſtrantur, quæ non minorem curam & diligentiam requirunt in adminiſtratore, quàm res ad ciuitatem pertinentes: ſed res, quæ ciuitatis ſunt, non excludunt niſi caſum fortuitum, quem nullum humanum conſilium præuidere poteſt, vt ait lex. 2. ff. de adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium: quare idem dicendum erit in eo, qui res Eccleſiæ, bona pauperũ, egentium viduarum, innumerabilium pupillorum, & virginum miſerabiliũ, & ipſum Chriſti patrimonium adminiſtrat. Quòd ſi Innocentius in Decretalem, ea quæ, de officio Archidiaconi, vult, Archidiaconũ, cui rerum cuſtodia commiſſa eſt, teneri de leuiſſima culpa: præſertim ſi ob eam rem merces ei ſoluatur: cur non idem de bonorum Eccleſiaſticorum Curatoribus dicendum erit, quibus Eccleſia, vt fideliter ea tamquam depoſita tueantur, certa ſtipendia ſoluit?

Itaque Archidiaconus, Cardinalis Alexandrinus, & Turrecremata in caput, quicunque, 12. quæſt. 4. cùm aut fraude aut culpa Prælati damnum in rebus ſuis contraxit Eccleſia, doli tantùm ac culpæ meminerunt; omnémque diſtinctionem culpæ prætererunt; ſcilicet, indicantes omnem culpam ab errante adminiſtratore præſtari debere, latam, leuem, & leuiſſimam. Et verò Archidiaconus caſum tantùm excepiſſe videtur fortuitum. Ego ad hanc ſententiam quàm ad illam Innocentij accedo libentiùs.

QVÆSTIO XX.

1. Contrariis ſententiis inter viros non indoctos concertatum fuit, Vtrùm nonnullis religionibus non mendicantibus, quibuſcum Apoſtolica ſedes priuilegia mendicantium communicauit, fas ſit, non conſulto Romano Pontifice, magni momenti immobilia bona alienare.

Vnius ſententiæ patronis placuit, ob communicata priuilegia, licere non mendicantibus religioſorum hominum ordinibus ſine noua ſedis Apoſtolicæ venia, ſtabilia bona alienare: propterea quòd eiuſmodi ius vendendi & alienandi bona, quæ in dies ſingulos conſequuntur, eſt penes mendicantes; vt quilibet cognoſcere poteſt ex compendio priuilegiorum huius ordinis in verbo, Alienatio bonorum.

Priuilegia autem mendicantium, à Pio V. confirmata fuiſſe haud ambiguum eſt. Quòd ſi opponas conſtitutionem Pij V. ab eo editam, anno Domini 1567. ſeptimo Kal. Sept. Pontificatus ſui anno ſecundo, qua priuilegia illius ordinis firmauit, quæ expreſſe Concilij Tridentini decretis non aduerſantur, abrogatam eſſe à Gregorio XIII. quadam alia ſua, quæ incipit, In tanta, promulgata anno Domini 1573. ſui verò Pontificatus anno primo, qua Gregoriana conſtitutio, tum illã Pij V. quæ incipit, & ſi mendicantium, tum reliquas ab eodem Pontifice in fauorem mendicantium & non mendicantium religionum profectas ad ius commune, & Tridentini Concilij reducit.

Reſpondent huius prioris opinionis defenſores, ab eodem Gregorio illi ſuæ conſtitutioni alia ſua conſtitutione derogatum eſſe: qua conſtitutione affirmãt redintegrata & confirmãta eſſe cuncta priuilegia ordini Sancti Franciſci conceſſa; clauſuláſque adhibitas à Gregorio ampliſſimas, quibuſquibuſcunque aliis Romanorum Pontificũ conſtitutionibus & decretis derogauit. Principium conſtitutionis eſt, ex benigna: manauit anno poſt Chriſtum natum 1575. 21. Martij, Pontificatus ſui anno tertio. Addunt, à Xiſto V. innouata & confirmata fuiſſe eiuſdem ordinis priuilegia in conſtitutione, cuius eſt initium, & ſi mendicantium. Denique Clemens VIII. anno 1601. die 28. Aprilis, in conſtitutione quæ incipit, in tanto, priuilegia antea conceſſã à Pio V. duodecim religionibus nõ mendicantium confirmat, verbíſque derogantibus roborat. Poſtremò, huius opinionis fundamentum firmiſſimum atque vnicum eſſe arbitrantur: quòd cùm ab ſede Apoſtolica mendicantibus datum ſit, vt bona, quæ iis obueniunt, vendere ac diſtrahere queant, iſtud ipſum ex ſodalitates non mendicantes facere poſſint, quæ Apoſtolicæ ſedis conceſſu mendicantium prærogatiuis ac priuilegiis potiuntur.

Poſterior ſententia priori contraria rectiùs multo collineat: neque enim ordinibus non mendicantibus permittit; vt ſpecie communionis priuilegiorum, quæ mendicantibus dilargita eſt ſedes Apoſtolica, bona ſua ſtabilia alienare poſſint: dicúntque huius ſententiæ propugnatores conſtitutione Clementis VIII. non reuixiſſe ea priuilegia, quæ conſtitutio Gregoriana peremit; ſed ea tantùm congregationibus illis non mendicantibus reddita, quæ Pius V. largitus erat. Is autẽ hoc vnum conceſſit, vt ad pendenda quadringenta millia aureorum nummûm, quæ ſedes Apoſtolica popoſcerat, bona etiam immobilia alienarent. Eôdem ſpectare volũt aliam conſtitutionem Clem. VIII. euulgatã anno 1595. 5. Mart. & eiuſdem quemdam motum proprium anno 1597. id enim tribuit, vt ad auxiliam Apoſtolicæ ſedi ferenda queant alienare. 2.

Huic ſecundæ ſententiæ libens ego aſſentior, quòd multa mihi occurrunt, quæ aduerſariam frangunt. Primum eſt, inſigne odium ſacrorum Canonum & Romanorum Pontificum in rerum Eccleſiaſticarum alienationes. Quamplurimi enim

enim fuere Pontifices, quorum ſacratis legibus ſunt bonorum Eccleſiaſticorum alienationes interdictæ. Symmachus, Leo I. Leo IV. in Concilio Romano, Gregorius Magnus, Gelaſius; quorum decretales relatæ ſunt in 12. q. 2. ſanctio Symmachi habetur etiam inter decretales de reb. Eccleſ. non alien. Alexand. III. Cæleſtinus III. Innocentius III. quorum leges ſub titulum ſubiectæ ſunt de rebus Eccleſiæ non alienandis. Gregorius IX. de quo in eodem tit. Innocentius IV. Gregorius X. de rebus Eccleſiæ non alien. lib. 6. Clem. V. in Clementina eodem tit. Paulus II. in extrauaganti, ambitioſæ, eodem titulo. Paulus IV. in conſtitutione, Iniunctum nobis, qua confirmauit illam Pauli II. Quam Pauli IV. conſtitutionem ad terminos iuris communis reduxit Pius IV. in ſua conſtitutione prouida Romani Pontificis. Sed Pius V. renouauit & confirmauit Pauli II. conſtitutionem ſimiliter vt Paulus IV. confirmarat, incipit Pij V. conſtitutione & ſi de ſingulis, edita anno Domini 1569. Kal. Ian. Pontificatus ſui anno 4. Iterum eamdem Pauli II. extrauagantem confirmauit in conſtitutione, exigit, a. 1573. die 11. Septẽbris Pontificatus anno 5. quæ conſtitutio irritas facit alienationes omnes, quæ aut auctoritatem non ferunt Romani Pontificis; aut iuris carent ſollemnibus; aut quæ perſpicuam nõ habent Eccleſiarum vtilitatem.

Alia conſtitutione, quæ incipit, ex debito a. 1570. Kal. Febr. Pontificatus ſui anno 6. perlata Symmachi & Pauli confirmat conſtitutiones, vniuerſóſque contractus, quibus res Eccleſiaſticæ alienantur, inanes eſſe decernit; quibus vna aliqua trium illarum rerum deſit. Et in conſtitutione quadam ſua Pius IV. his verbis inchoata, Apoſtolicæ ſeruitutis, edita a. 1565. quartodecimo Kal. Decemb. ſui Pontificatus anno 6. declarat, quaſlibet donationes, permutationes, venditiones, locationes, bonorum, ſeu iurium ad Romanam Eccleſiam pertinentium, ſine vrgente neceſſitate, vel euidente vtilitate factas, nullas extitiſſe, nullúmque ius, iis qui acceperunt, tribuiſſe, ſed in vtroque foro ad reſtitutionẽ etiam perceptorum fructuum teneri. Tanta ergo Romanorum Pontificum conſenſio ſigno eſt parum tutam eſſe priorem ſententiam nonnullis non mendicantibus ordinibus blandientem.

Nec non illud ſecundo loco huic ſecundæ opinioni robur addit: quòd cùm Romani Põtifices ad hoſtilia arma auertenda, atque ad Chriſtiani nominis adverſarios profligandos ad ſacrum peculium, Eccleſiaſticorúmque bonorũ alienationem confugiunt, propriè iis ſodalitatibus religioſis alienandi poteſtatẽ permittũt, quibus communione priuilegiorum permiſſam eſſe primæ ſententiæ adſtipulatores perſuaſum habent. Quæ poteſtas ſi penes eas ſodalitates foret, noua non indigerent. Sed quia Pontificibus minimè dubium eſt eiuſmodi poteſtate ſpoliatos eſſe, eam ſemper neceſſariis temporibus deferunt. 3.

Non id tertio loco ſilebo, mihi Pontificiarum conſtitutionum volumina, iuriſque Pontificij decreta legenti, non occurriſſe tale priuilegium non mendicantium adimi, quale iis attribuitur à prioris opinionis aduocatis.

Nec illud quartum diſſimulabo, neque è re alienantium religionum, neque è re emptorum eiuſmodi fore priuilegiũ. Non è re ſodalitatum religioſarum: quia ea compendiaria eſſet via ad ſacrum, quo aluntur, patrimonium dilapidandũ; quo exhauſto religioſæ diſciplinæ ruinas cogerentur experiri: nam & victus ſæpe indignis artibus quæritandus eſſet; & ad opem, opéſque profanorum hominum conuolandum; inopiáque coacti religioſi ſodales quiſque ſuum ſibi peculium compararet. È re earumdem ſodalitatum non eſſet, ideo quòd eſſet perdifficile in alienatione omnia, quæ ſunt iure cauta, cuſtodire; at cuſtodienda ſunt ei qui non vult in odium Dei, & ſacrorũ Canonum incurrere. Non è re eſſet emptorum. Quia ſi

ſi alienatio à iuris præſcriptione diſcederet (diſcedere autem eſt valde procliue) nullum ius ex alienatione adipiſcerentur: magnóque ſuo malo rem alienatam & fructus reddere cogerentur, nec interdum pretio recuperato. Quæ incommoda cùm maximos Pontifices minimè lateant: vitare ſummo ſtudio ſolent.

4. Quintum adiicio: non mihi perſuaderi poſſe mendicantium aliquem exiſtere ordinem, qui, ſi ſuo nomine bona poſſideat immobilia, ea non conſulto Romano Pontifice alienare poſſit. Quod ſi ita eſt, fundamentum contrariæ ſententiæ euerſum videtur: ſumunt enim eius ſententiæ aſſectatores, propter communionem priuilegiorum, quæ in ordine vigeat mendicantium, præſertim D. Franciſci, licere non mendicantibus bona ſua alienare. Nam, ſi qua mendicans reperitur ſodalitas, quæ vendere & alienare poſſit bona ſibi legata, aut quouis alio titulo relicta, id fieri credendum eſt, quia bona relicta poſſidere non poſſunt: at eius generis bona poſſidere non poſſe, ſed diſtrahere debere, priuilegium non eſt, ſed ius illis impoſitum, & lex ſeruanda neceſſariò. At, quod lex & præceptum eſt vni religioſo ordini, ad eius pertinens diſciplinam, nec priuilegiū appellari ſolet, nec tamquam priuilegium ad alios ordines dimanare. Quòd ſi quæpiam religio bona poſſidet immobilia, non ſuo ſed Romanæ Eccleſiæ nomine, eorúmque bonorum vſum ipſa tantùm habeat & procurationem, ſed non ſuo ſed eiuſdem Eccleſiæ nomine illa adminiſtret, vt facit Diui Franciſci ordo, qui Alexandri V I. legibus viuit, & cultum corporis lautiorem & commodiorem, quàm reliquorum duorum ordinum ſit, retinet.

Cuius ordinis Generalem ius habere alienandi accepi ab eiuſdem ordinis viro perquam religioſo, neque priuilegiū hoc migraſſe ad alias religioſas ſodalitates nō mendicantes pene mihi certum eſt: quia eiuſmodi priuilegio non videtur frui religio illa, vt religio, cùm bonorum poſſeſſio & adminiſtratio ſit ei à Diuo Franciſco & ab aliis Romanis Pontificibus interdicta: ſed tamquam Apoſtolicæ ſedis procuratrix.

Eſt item illa grauiſſima coniectura, priuilegij, de quo diſſerimus, eſſe mendicantium ſodalitia expertia, quia ſi eo potirentur, ad noſtram item ſocietatem Ieſu perueniſſet: quandoquidem nulla eſt gratia, nullum priuilegium reliquis omnibus religionibus conceſſum ab ſede Apoſtolica, aut concedendum, cuius non ſit noſtra particeps ex conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit. Decet Romanum Pontificē, edita anno Domini 1575. die 3. Maij, Pontificatus ſui anno 3. Verùm noſtra ſodalitas, vt ius haberet immobilia bona alienandi, eguit noua facultate Romani Pontificis, quam à Gregorio eodem impetrauit, anno 1576. die 18. Decemb. vt liquet ex conſtitutione, incipiente, Apoſtolicæ ſedis: ergo hæc impetrata facultas indicat illa mendicantes ordines caruiſſe & carere.

At quæ in quinto hoc capite noſtri reſponſi argumentando commētati ſumus, 5.
arma ſubminiſtrare poſſunt alterius opinionis ſuaſoribus. Si enim in ſocietate Ieſu ius eſt à Gregorio tributum bona immobilia religionis alienandi; & ſocietas hæc ab ſede Apoſtolica eſt in mendicantium genere conſtituta: ergo priuilegium alienādi rem Eccleſiaſticam immobilem, eſt in religionibus mendicantibus; quod enim reperitur in ſpecie, idem in genere ineſſe oportet. & quoniam mendicātium priuilegia non mendicantibus impartita ſunt, ſequitur idem priuilegium ad non mendicantes ordines nonnullos iure participationis tranſlatum eſſe.

Reſpondeo dupliciter. Primùm, priuilegium iſtud non conuenire religioni noſtræ vt mendicans eſt in vniuerſa claſſe profeſſorum & coadiutorum formatorū, ſed ex ea parte, quatenus in collegiis & domibus probationis nanciſci poteſt iura poſſidendi bona, & iura immobilia, cenſus, actiones ciuiles, & quæ ſunt ex

Digitized by Google

eodem genere. Deinde, cùm priuilegium iſtud collatum ſit in noſtrum Generalem, auditis iis, de quibus eſt in conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit, Apoſtolicæ ſedis, de qua ſuprà, & per aliam ſuam conſtitutionem incipiẽtem, Ex debito paſtoralis, editam nonis Auguſti anno 1582. Pontificatus ſui anno 11. ſit item in ipſam ſocietatem collatum, quando ipſa congregata eſt, haud ſcio an poſt Gregorium XIII. vel ipſo viuo in vllam ex non mendicãtibus religionibus idem priuilegium deriuatum ſit. Datur enim id priuilegium modo quodam affectum, qui modus niſi caderet in alias religioſas ſodalitates, non video quemadmodum idem priuilegium in eas conueniret: nam, vt priuilegium valeat, eius tenor ſeruandus eſt, vt in ſua decretali, porrò de priuilegiis, Alexãder III. reſpondit.

6. Poſtremò illud prætermittendum non eſt, bullas, ſeu conſtitutiones Pontificias, ad cauſſam non mendicantium & mendicantium religionum ab aduerſariæ opinionis fautoribus minùs rectè accommodatas eſſe. Quod enim aiunt priuilegia mendicantium per Gregorij XIII. conſtitutionem ſublata, per aliam eiuſdem Gregorij reſtituta eſſe ordini mendicantium, editam anno 1575. die 21. Martij, Pontificatus ſui anno 3. quæ incipit, Ex benigna, multis meo quidem animo modis falluntur. Primùm, quòd putant poſteriore conſtitutione priorum emendatã eſſe, quod longè eſt ſecus: illam enim potiùs confirmat. His enim verbis priuilegiorum ſepta eſt confirmatio: quatenus ſint in vſu: & ſacris canonibus, & decretis ſacri Concilij Tridentini nõ aduerſentur. At quid aliud habet prior eiuſdem Gregorij conſtitutio aduerſus mendicantium priuilegia? Deinde, in hac recentiore conſtitutione nõ vniuerſi ordinis mendicantium priuilegia inſtaurantur, ſed eius ordinis tantùm, qui de obſeruantia nuncupatur, & monialium S. Franciſci: at priuilegium alienandi bona Eccleſiaſtica non fuit, nec eſt in ordine obſeruantium.

Eiuſdem ordinis priuilegia confirmat ſua conſtitutione Xiſtus V. die 3. Octob. 1587. anno ſui Pontificatus. 3. Conſtitutio incipit, & ſi mendicantium: & confirmationis moderatio ea eſt, quæ tamen priuilegia non aduerſentur Conciliis Tridentini decretis. Clemens etiam in ſua bulla, cuius ſunt prima verba: Cùm nobis in tanto, edita anno 1601. 28. die Aprilis 12. congregationũ confirmat priuilegia, vtẽs his verbis, quibus vſus erat Gregorius in poſteriore ſua conſtitutione, Dummodo ſint in vſu, & decretis nõ aduerſentur Tridentini Concilij. Videndum igitur eſſet, num ius in perpetuum alienandi res Eccleſiaſticas aduerſetur Concilij Tridentini decretis. 7.

Aduerſari hæc mihi magna ratio perſuadet: nam in ſeſſ. 25. cap. 11. his verbis decernit. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas ſancta Synodus irritas eſſe decernit, quas à triginta annis citra ad lõgum tempus, ſeu vt in nonnullis partibus ad viginti nouem, ſeu bis viginti nouem annos vocant, factas: Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum Eccleſiæ; & cõtra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt. Si igitur longas rerum Eccleſiaſticarum locationes Tridentina Synodus deteſtatur, quantò magis perpetuas earumdem rerum alienationes? 7.

Sapienter ergo Pontifices poſt decreta Tridentini Concilij promulgata fecerũt: qui quoties ex bonis ſodalitatũ religioſarũ pecuniaria ſubſidia ſibi, vel Chriſtianæ Reipub. compararunt: toties item, quantum ex eorum perſpici poteſt conſtitutionibus, poteſtatẽ iis permiſerunt eadem bona alienandi, quando non poſſent aliter opitulari. Fecit id Pius V. quum à duodecim regularium cõgregationibus quadringẽta aureorum millia aduerſus hoſtiles Turcarũ copias poſtulauit. Fecit idem, quum congregationi Caſſinati idem Pius largitus eſt, vt ad æs alienum diſſoluendum bonis ſuis alienandis ſummam

Digitized by Google

quinquaginta millium aureorum conflarent. Incipit conſtitutio. Decet ex benigno: impetrata Pontificatus ſui anno 6. Domini verò 1571. Verùm cum duodecim illis congregationibus egit ſeueriùs Clemens VIII. in ſua conſtitutione: cùm nobis in tanto: nam exigit quinquaginta millia aureorũ, quibus montem nouennalem earumdem congregationum nomine eiectum Romæ augeri mandat: nec tamen ad eam pecuniam totam cõficiendam dat congregationibus, vt vendendo vel permutando bona alienent ſua, ſed vt obligare poſſint, atque hypothecæ ſubiicere.

Quare ſuadendum eſt congregationibus non mendicantibus, vt niſi certum iis ſit priuilegium alienandi, nihil niſi conceſſu Pontificis Romani contra audeant ac moliantur. Salua ſemper, &c.

QVÆSTIO XXI.

1. VEndunt oleum propolæ Venetiis, æſtate, menſura: hyeme, quãdo concretum eſt, pondere vtentes. Cadus eſt apud eos, quem mirum vocant, menſuræ genus, quod è triginta libris, ac tribus cõſtat vnciis.

Verùm, cùm duplex oleum venale ſit in tabernis propoſitum; vnum pingue & craſſum, quale eſt Apulum; alterum tenue ac minùs pinguedinis habens, cuiuſmodi eſt Corcyræum; & quod colles ferunt, & Salodienſe, fit vt ad explendum mirum, ſeu cadum, oleo, quod ex Apulia aduehitur, quòd pingue ſit, non tanto ſit opus; quãto opus eſt, cùm impletur tenui: nam, cùm impletur pingui, ſatis ſunt nouem & viginti libræ & octonæ, ſeu nouenæ vnciæ: ita ſenæ ſeptenæve vnciæ reliquę ſunt, quas lucratur venditor, non emptor: contra verò ad complendum cadum oleo minùs pingui neceſſarię ſunt triginta librę, & ternæ vnciæ; addendúmque tantumdem, quantum de pingui detrahi ſolet.

Quærit propola poſſítne vendendo oleo pingui ſenas illas ſeptenáſve vncias in ſuo iuſto lucro ponere.

Iudicaui poſſe. Primùm, quia illius diminutionis nõ eſt cauſſa ars vlla, ſeu fraus propolæ, ſed natura olei; cui iure nemo ſuccenſere poteſt. Deinde, quia venditores tantumdem in vendendo tenui amittunt, quantùm in pingui lucrantur. Tum, quia ea decretio & decretionis cauſſa, haud eſt ciuibus ignorata, neque improbant: neque pœnam vllam repetunt à venditoribus: at repetunt, ſi fraudantur emptores in ſextario. Poſt, quoniam ſingulis menſibus ratio pretij commutatur & renouatur ab iis, qui huic olei nundinationi præpoſiti ſunt. In quo ſæpe fit venditorum conditio deterior. Poſtremò, quia magiſtratibus id tantùm à principio curæ fuiſſe videtur & creditur; vt cadi mẽſura expleta tanti eſſet; maioréne, an minore olei quantitate expleretur, id minimè laborarunt. Ita nec ampliùs nunc requirit magiſtratus à mercatoribus, niſi vt pleno cado vendant: vt nonnullæ vnciæ, quæ aut ſuper ſunt, aut adiiciuntur interdùm, lucro ſint, & periculo venditorum. 2.

Parem fortunam exequi videntur tum lanij, tum frumentarij mercatores, & qui ſericam faciũt, nam flantibus auſtris, quia res venales humore opplentur, & grauiores euadunt in venditione, lucrum faciũt; at iacturam, cùm Boreæ flatibus eædem ſiccantur: fiúntque leuiores: quod commodum & incommodum, quia natura adfert, non humanum arbitrium, nemo accuſare iure queat.

Caueant tamen opifices, ne quod natura adfert, id ipſi improbo artificio imitentur, aut rebus quas vendũt aſpergentes aquam; aut in locis humidis aſſeruantes.

Noui ipſe olim primariam fœminam, & Chriſtianæ pietatis colentem, quæ aureos nummos aqua madefaciebat: qua re pondus augebatur & pretium: eáque re etiam peritos fallebat artifices, neque violari ab ſe iuſtitiam aliquam arbitrabatur. Adeo cunctorum mortalium mentes auri cupiditate occæcantur.

QVÆ

QVÆSTIO XXII.

1. CHriſtianus anulum 250.aureis nummis à peritis æſtimatum artificibus, vendit Iudæo, aut re, quæ tantidem ſit, commutat: poſt nonum diem refert ad Chriſtianum Iudæus anulum: cuius confirmat pretium nō eſſe niſi 30.aureorum. Chriſtianus agnoſcit anulum eſſe ſuum, & margaritam intextam anulo eſſe eamdem.

Vir Chriſtianus petiit, cùm is nec ſciēs ſit pretioſorum lapillorum æſtimator, & cùm ad æſtimationem anuli peritos adhibuerit, quænam ſint ei in hoc genere, de quo ambigit, partes impoſitæ neceſſariæ.

Reſpondi, ſi diſcedere non poteſt, quin relatus anulus ſit ſuus, aut triginta aureis nummis contentum eſſe debere, aut venditionem emptionémque contractam cum Hebræo reſcindere. Quòd ſi ab animo ſuo impetrat anulum eſſe adulterinū, neque illum ipſum, quem nouem antè diebus tradiderat Hebræo, poſſe ſuo iure cogere Hebræum, vt conſtitutum & ſolidum pretium 250. perſoluat: magna verò opinione, addidi ei perſuaderi poſſe anulum non eſſe ſuum, ſed alterū ab Hebræo ſuppoſitum.

2. Primùm, quia illud hominū genus eſt improbum, ſubdolum, è mendaciis ac fraudibus concretum, opibus ſemper inhians Chriſtianorum, alieni appetens. Deinde, quia ſi Hebræus dolum paſſus eſſet aliquem in emptione, non exſpectaſſet nouem dies; ſtatim ad vitandam omnem ſuſpicionem ad Chriſtianum reuertiſſet: ſed reuerſio ideò dilata fortaſſe fuit, vt tempore commodo ad fabricandam fraudem vteretur; & falſus anulus verum adeo imitaretur, vt Chriſtianum minimè expertum fallere facilè poſſet. Poſtremò, quoniam ab intelligentibus artificibus anulus inſpectus iam fuit; eique ab iiſdem iuſtum pretium conſtitutum: quare nec ſibi aliud laborandum eſſe, neque iterum ad aurificum iudicium prouocandum, ſed venditi anuli pretium 250.aureorum nummûm exigere poſſe ab emptore Hebræo.

QVÆSTIO XXIII.

PIcturam nobilem, & antiquo artificio commēdatam, homo Iudæus, de muliere Chriſtiana, mercis pretijque ignara, mercatus eſt; ei iuſti pretij vix parte vigeſima perſoluta; quam nebulo ſtatim quàm plurimò vendere ſe poſſe, nequidquam dubitabat. Ita quò tabella vendibilior eſſet, ad egregium pictorem defert: petitque, vt quæ vetuſtate, aut obſcuriora aut obſoletiora eſſent, nouis coloribus colluſtret. 1.

Pictor, imaginis venuſtate & artificio captus, vt tabulam faciat ſuam, vnum & alterum aureum nummum Iudæo pollicetur: negat is ſe ea pecunia fore contentum; minore, quàm decem nummis aureis, haudquaquam daturum: ſi, quæ temporis longinquitas ſqualidiora fecit, nitidiora reddiderit, operis ei ſe pretium impenſurum.

Pictor, dum nihil ſe cum Hebræo proficere animaduertit, tabulam interuertit: ex ea imitando, imaginem quamdam aliā non diſſimilem exprimit: Iudæo exemplū pro exemplari obtrudit ſibi tabulam, quā locauerat Iudæus, periiſſe affirmat. Iudęus ſuæ imaginis imaginem ſex aureis nummis vendit, id eſt, tantidem, quanti ſuam antiquam tabulam pictore teſte vendidiſſet.

Hæc ſunt in cauſſa. Quærit pictor, num in hac ratione contrahendi cum Iudæo quidquā peccarit: quòd ſi peccarit, quemadmodum erratum corrigere poſſit. Sanè mihi iudicatum fuit, Chriſtianum pictorem non iure feciſſe, quod fecit. Primùm ab iure abiit, cùm rem alienam ab iniquo poſſeſſore per fraudem & dolum abſtulit: cùm nec rem noſtram iniuſtè ab altero poſſeſſam priuato iure vendicare liceat, 2.

vt D.

vt D. Thom. in 2.2. quæſt. 66. art. 3.; & alij Theologi docent, niſi adſint ſex illa, quæ iidem tradiderunt, & Sylueſter recitat in ſua Summa, in verbo, Furtum, quæſt. 13. Deinde, ius ab eodem violatum eſt: quia in ſocietatem furti, quod Iudæus fecit, venit. Cùm enim ab improbo Iudæo Chriſtiana mulier in tabulæ venditione inſigniter decepta ſit, cui vix partem vigeſimam pretij enumerauit, euaſeritque contractus nullus; quia malus dolus, quem paſſa eſt mulier, contractui cauſſam attulit: fit, vt Iudæus peſſima fide acceperit picturam illam, eáque re reddere debeat.

3. Quòd ſi Iudæus hac defenſione vtatur: erat mulier venditura tabellam, quamuis ipſe minimo pretio redemerim: quare dolus non effecit cõtractum, ſed in eum incidit. Nos dicemus ſi res ita ſe habeat, in Iudæi poteſtate fuiſſe, aut pretium iuſtum ſoluere, aut tabulam reddere: quod quia nec fecit, nec facere voluit, ſcelerate alienæ rei poſſeſſionem & proprietatem occupauit. Et quia pictor tabellam à Iudæo malè emptam mala arte adeptus eſt, neceſſarium ius præſtandi illud ipſum ſubiit, quod ab Iudæo præſtari oportebat: vt vel imaginem, ſi extat, mulieri, eiúſve heredibus reddat, vel iuſtum pretium pendat: dummodò error tantùm in contractum irrepſerit, nec tamen illius ineundi cauſſam dederit.

Eſſet quidem Hebræus à pictore in tabellæ poſſeſſionem reſtituendus: quandoquidem ipſos fures iura in rerum ablatarũ poſſeſſionibus tuentur. Verùm, quia certum eſt, perfidioſum Iudæum nec mulieri, nec eius vmquam heredibus ſatis eſſe facturum: præſertim cùm mulieris nomen & formam ſe perdidiſſe dicat: religioſi hominis officio functus pictor fuerit: ſi, quanti eſt imago, tantumdem egentibus pro ſalute mulierculæ largitus fuerit: id enim optare mulierem ac velle debere non dubia ratio perſuadet.

Atque id de toto genere controuerſiæ ſentit Paulus Comitolus. Qui illud etiam addit, accidere vix poſſe, vt Iudæo reſtituta tabella effugere pictor furti poſſit infamiam.

QVÆSTIO XXIV.

A Catherina hac ratione inſtituitur cenſus cum Andrea. Centũ Andreæ tradit hiſce conditionibus. Primùm, vt is penſionem quinque aureorum annuam ſoluat, quoad tum ipſa tum eius filia vixerit. Deinde, vt non ſit centum aureorum dominus Andreas, niſi poſt mortem tum Catherinæ tum filiæ. Poſtremò, vt quando ipſæ in grauiorem aliquam neceſſitatem coniectæ fuerint, viuum ſeu ſortem poſſint redhibere. 1.

Quæſiuit Catherina, eſſet ne vlla labes in hoc genere contractus. Mihi viſa eſt hærere in eo fœnoris lues, quod nomine tegitur cenſus vitalitij. Neque ſecus nunc exiſtimare poſſum: neque enim diſpicere poſſum, quemadmodum cenſus hic eſſe queat vitalitius.

Primùm, quia penſio, quæ ex eo contractu percipitur in ſingulos centenos, multò ſolet eſſe maior: imò verò altero tantò maior ſolet à cenſus venditore exigi. Deinde, quia ex cenſu vitalitio, extincto illo, qui pecuniam à principio tradit, fit eius, qui penſionem ſoluit, aut heredum ipſius. Mutuum igitur eſt hic contractus, vocabulo, vt dixi, cenſus aſſimulatum. Animum enim hunc geſſiſſe videtur Catherina; vt Andreas tamdiu vtatur centũ, quamdiu mulieri vtilius erit quinque quotannis habere, quàm centum ſine fructu retinere. Verùm, cùm quæpiam neceſſitas tulerit, vt magis ei neceſſaria ſit ſumma totius pecuniæ, quàm fructus quinque aureorum, quos ex illa capit, vult ſibi reſtitui. Nec dubitandum, cùm auariſſimum genus mulierum ſit, vt Gloſſa quædam iuris ciuilis ait, ingenio mulierum, quæ fœnus illud annuum ducunt, factum iri omninò, vt aliqua exiſtat neceſſitas, quæ ad eas reuocet centum aureos Andreæ traditos. 2.

QVÆ

QVÆSTIO XXV.

De cenſu vitalitio.

1. A Chriſtiano orbe ablegandum eſſe hunc contractum ſentit ſolemnis Doctor Henricus Gandauenſis, in quodl. 11.q.39. quia in eo credidit emi pecuniã; quæ emi non poteſt: atque ea re eſſe mutuum.

Comites ſuæ ſententiæ citat Henricus Gaufredum in ſumma, & Gloſſatorem ſummæ Raymundi: aitque ſe firmiter credere, non eſſe ſapientes eos religioſos, qui huiuſmodi contractus ſuadent religioſis fœminis, ſed ignorantia iuris naturalis in vſurario contractu deceptos decipere animas. Tabiena hos cenſus, qui definiuntur vita venditoris, vel etiam emptoris, non putat eſſe licitos, niſi in re aliqua conſtituatur fructus habente: idque ait ſe tenere contra Piſanellam, verbo, Vſura 3.§.5. Tabienſis id ſcribit in verbo, Vſura, 5.§.8. vbi ſuæ ſententiæ fautores citat Innocentium & Oſtienſem, & in verbo, Vſura, 15.§.9. vbi diſſidere ſe profitetur à Piſanella, ſed Piſanella meliùs dicit, & veriùs citat pro ſua opinione Innocentium in c. in ciuitate, de vſuris, & Ioannem Andream qui huiuſmodi contractum non improbant, modò non ſit recens conſtitutus: eumdem contractum eodem modo probat Abbas: ſine diſcrimine probatur à Syluestro, in verbo, Vſura, 2.§.12. Item ab Angelo, verbo, Vſura, §. 44. ſententiam Henrici ſubtilibus veriſque rationibus eiicit Conradus in q. 79. tutóque Henrico vnius Richardi præſtãtis auctoritate occurritur; qui in quodlib. 2.q.23. peracutè probat licitè emi poſſe annuum reditum: quem improbat Henricus, & Palud. quem citat Gerſon & ſequitur in 2.par. tract. 36. de contract. attentione ſexta.

Nec quidquam dubitandum eſt de veritate concluſionis: emitur enim in hoc contractu ius percipiendi tota vita certam penſionem; cuius penſionis fundamentum non ſolùm res aliqua fructifera eſſe poteſt, ſed etiam vſus pecuniæ, ex quo licet ſperare fructum; & quem licet vendere, modò illius dominium non ſit in emente redditum.

2. Verumenim cùm cenſus hic vitalitius niti poſſit vita emptoris & venditoris; vt nimirum perſeueret ſolutio pẽſionis cum vita emptoris, aut cum vita venditoris: dubitatur, vtrouis ne modo, an alterutro licitus ſit: vt maneat cum vita tantùm venditoris, an manere etiam poſſit cum vita emptoris. Doctores non probant vitalitium cenſum, qui reſidet in vita emptoris: datur enim occaſio venditori optandę mortis emptoris: pactum autem, quod inducit votum captandæ mortis, non valet. C. de pactis. l. fin. quia eſt contra bonos mores. Imperator autem lege cauit ad hunc modum. Secundùm itaque veteres » regulas ſancimus omni modo huiuſmodi » pacta, quę contra bonos mores inita ſunt, » repelli. & in l. pacta, eod. eſt his verbis. » Pacta, quæ cõtra leges conſtitutionéſque, » vel contra bonos mores ſunt, nullam vim » habere, indubitati iuris eſt. Quare in ff. de » verbor. obligat. l. ſtipulatio, hoc modo ita » decernitur. Stipulatio hoc modo concepta, » ſi heredem me non feceris, tantùm » dare ſpondes; inutilis eſt, quia contra bonos » mores eſt hæc ſtipulatio. Quare promiſſio » præbendæ non vacantis prohibetur, cap. ij de conceſſione præbendæ, l. 6. Addunt tamen Angelus & Syluester, non eſſe peccatum mortale, cenſum vendere ex vita emptoris aptum; modò neceſſariæ ſeruentur circumſtantiæ.

3. Ac fortaſſe nullum eſt peccatum: nam Richardus in ea quæſtione quodlibetica, redditum, quem probat, cõſtituit ſemper in emptoris vita. Vide artic. 4. illius quæſtionis: & hoc multis rationibus perſuaderi poteſt. Primùm, quia ſi non liceret; nec licitè conſtitui poſſet vſus fructus, qui vſufructuarij finitur morte. Deinde, quia ea, quæ ſunt per accidens, non debent immutare naturam contractus; per accidens autem eſt, vt quis expetat interitum em-

HHH ptoris:

Digitized by Google

ptoris:nam ſi cum viro probo ineatur cõtractus, ab huiuſmodi voto vehementer abhorrebit: quare, &c. Poſtremò, quia qui emit cenſum, vult certò ſcire prodeſſe ſibi poſſe in omni vita:at non ſibi prodeſſet ſi conferretur in vitam eius, qui pecuniam accipit:poſſet enim non multò pòſt emori,& ſpoliatum relinquere omni pecunia eum, qui ſoluere penſioné mortuus debuiſſet. Itaque emptori cenſus multò eſt periculoſior ratio contrahendi: cùm ſtatim & ſorte & fructu priuari poſſit; ſi è vita pendeat venditoris pretium recipientis. Illa autem pacta aduerſari dicuntur honeſtis moribus, quæ per ſe flagitioſa ſunt, nec vllum ob finem fieri poſſunt honeſta.

4\. Erit tamẽ hic vitalitius cenſus ab omni periculo exploratus:ſi & pecuniæ ſumma & penſio æqua fuerit,& implicitus atque cohærens cum venditoris vita. Emptor enim non modò nullam facultatem habebit alterius mortis optandæ, verùm etiã cupiditate tenebitur diuturnioris vitæ venditori expetendæ: nam tantò diuturnior erit penſionis ſolutio, quantò diutiùs lucis vſura fruetur venditor. Ad hanc formam cenſus vitalitij videtur referri poſſe contractus hic, de quo diſputant Doctores:neque vna eſt omnium ſententia.

Ex ciuitatis oppidive ſtatuto Petrus, qui filiam habet vnius anni, centum dat ciuitati, ea lege: vt ſi ad decimumquintũ annum ea peruenerit, illi ciuitas quingentos in dotem attribuere debeat: quòd ſi antea moriatur filia, centum lucrari poſſit, ac debeat ciuitas:eſt ne in hoc contractu vitium aliquod vſuræ? eſſe ait Angelica, verbo, Vſura 1.§.42. & 43. & Roſella verbo, Vſura 1.§.40. & Armilla, tit.eod.§. 36. Syluester & Tabiena aiunt cõtractum eſſe licitum. Tabiena expreſſit ſuam ſententiam, in verbo, Vſura, 16.§.10.

Contra poſteriorem opinionem ſunt hæc argumenta. Hoc eſt verum mutuum: nec periculum excuſat, aut vindicat à culpa, vbi propter tempus aliquid plus accipitur. cap.fin.de vſuris: quare lucrum videtur ex mutuo præcipuè optatum. Deinde, ſi priuatæ perſonæ ſic aliquis mutuam pecuniam daret, criminoſè fœneraretur: ergo eadem labe aſpergitur:licèt mutuam det ciuitati, alicuive cœtui. Poſtremò, quia periculum non liberat à crimine:ſi dominium nõ remanet apud tradentem, quod accidit in ſocietate.

Qui tuentur contractum non eſſe fœneratitium, ita eludunt hæc argumenta. 5
Hic contractus non eſt propriè mutuum: imò verò, vt inquit Tabienſis, eſt ludus fortunæ, in quo alter alteri vendit ſua pericula:& quia multò grauius eſt periculũ, quod ſuſtinet ille, qui pecuniam tradit ciuitati, cùm filiæ vita ſexcentos habeat mortis caſus, id quod de ciuitate, quæ non moritur, dici nequit:idcirco multò maius eſt lucrum tradentis pecuniam ciuitati, quàm ſit ciuitatis pecuniam recipientis.

Sed reuera huic ſententiæ valde officit illud caput Gregorij IX. Nauiganti, tit.de vſuris: cenſet enim, vſurarium illum, qui eunti ad nundinas, vel nauiganti, certam vim pecuniæ mutuam dat, pro eo, quòd ſuſcipit in ſe periculum (vt verbis vtar Pontificis) recepturus aliquid vltra ſortem:dici tamen poſſet in mutuo ob periculũ nihil vltra ſortem poſſe recipi:poſſe autem in ludo fortunæ:quamquam ob id ipſum, quòd in hoc contractu ludit fortuna, non eſſet talis contrahendi forma vſurpanda. Vel aliter interpretare ſententiam Decretalis, quæ interpretatio eſt ex ſenſu communi Doctorum, vt affirmat Ioan.Tabienſis in verbo, Vſura, 12. Vſura eſt lucrari ratione mutui, quãuis recipiat mutuans in ſe periculum:ſi verò non ratione mutui id faciat:ſed propter periculum receptum, ita vt periculi pretium aliquod iuſtum expoſcat, poteſt ſupra ſortem aliquid recipere:nam cum mutuatario contrahit contractu aſſecurationis, ſi non expreſſo, ſaltem tacito; neque mutuatárius ob mutuum fit aut fiet deterior. Roſella, in verbo, Vſura 1.§.62. aliam explanationem verborum Gregorij commentus eſt:dixit enim, mutuantem tunc

poſſe aliquid propter periculum recipere, cùm mutuatarius petit aſſecurationem mutui; non poſſe cùm mutuans ipſe & mutuam pecuniam, & ſecuritatem ſua ſponte dat. Tabiena, in verbo, Vſura, 12. ait, ſe nō videre quòd iſta reſponſio multum faciat ad ſubſtantiā rei: quare & opinionem ſequitur communem: ad quam adiungit Archiepiſcopum Florentinum, in 2.par.tit.1.cap.7.§.20.& Piſanellam, in verbo, Vſura, §.24.nec ait valere inſtantias Supplementi.

Certum igitur hoc habeamus, tutū eſſe ab huiuſmodi contractu abſtinere: ſed ſi fiat, & celebretur, non eſſe condemnandum; cùm eum nulla certa vel ratio, vel humana lex, vel communis cōſenſio Doctorum condemnet.

De vitalitiis autem cenſibus dubitari non poteſt quin ſint liciti, vt præclarè oſtendit Sotus, in 6.de iuſt.& iur.q.5.art.2. in extremo: cuius hæc ſunt argumenta. Primum, quia in illis eſt vera ratio mercis & pretij: merx enim eſt ius petēdi penſionem. Secundum, quia ſicut poteſt quis ſuum fundum alteri tradere, quamdiu vixerit, qui accipit fundum, retenta penſione ſibi quotannis ſoluenda: ſic etiam poterit retenta poſſeſſione & fundo vendere penſionem. Tertium, quia poſſum ego conducere fundum tuum in vita mea, vt alar fructibus: ergo & ius ſuper eodem prædio licebit vendere recipiendi certam pecuniam.

QVÆSTIO XXVI.

SOror ſexcentos aureos nummos fratri tradit nomine cenſus Pontificij, id eſt, eius cenſus, cuius ratio præſcripta & ſancita eſt à Pio V.

1. Verùm, cùm fratri notum ſit ei qui pecuniam dat, non eſſe ius illius repetendæ; largitur id ſuæ ſorori, vt poſt ſeptimum annum pretium omne poſſit exigere: reſtituendæque ſororiæ pecuniæ ſibi ipſi ac ſuis heredibus legem dicit neceſſariam. Debet tamen ſoror, cùm reddi ſibi volet pecuniam ſuam, ſex menſes concedere ſuo fratri, ſeu heredibus, ad ſoluendam.

Conſulebar, iure ne conſiſteret hic contractus.

Reſpondi, non conſiſtere: propterea quòd legi Pij V. de cenſibus planè repugnat: quæ lex fiſco addicit quicquid contra ſuam legem à contrahentibus remiſſum condonatúmve erit. At contra legem ſorori condonatur, vt poſt ſeptem annos repoſcere pecuniam poſſit ſuam: nam repoſcendæ nulla eſt ei vmquam poteſtas: neque aduerſus legem hanc poteſtatem dare frater ſorori poteſt. Adde quòd cenſus omnes reales poſt Pij V. conſtitutionem ſunt perpetui ex parte eius qui emit: at hic eſt ſeptem annorum. Denique, libertatem, quę propria eſt venditoris, conferre in ementem; & ſeruitutem, quę propria eſt ementis, in venditorem transferre, & legem, & ſententiam legiſlatoris, & generalē contrahendi in hoc genere conſuetudinem planè euertit. Et quoniam in Gallia citeriore non memini me vidiſſe cenſum, qui illas vndecim conditiones, & duas cautiones tueretur, quas in cenſu reali Pius V. requirit: idcirco illas libuit in huius quæſtionis explicationem inſerere, vt ne quempiam laterent.

Eſt igitur prima conditio. Vt cenſus, 2. ſeu annuus redditus creari conſtituíve „ nullo modo poſſit niſi in re immobili, aut „ quæ pro immobili habeatur de ſui natura „ fructifera; & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit. „

Secunda. Vt conſtituatur cenſus cum „ numerata pecunia præſentibus teſtibus „ ac notario: & in actu celebrationis inſtrumenti: non autem prius recipiatur integrum iuſtúmque pretium. „

Tertia conditio, vt anticipatæ ſolutiones ne fiant, néve in pactum deducantur. „

Quarta. Abſint cōuentiones obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex „ natura contractus non teneretur. „

Quinta. Non poteſt auferri pactum, „ nec reſtringi facultas alienādi rem cenſui „

» ſuppoſitam:nam hæc ſemper,ac liberè,ac
» ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquage-
» ſimæ,aut alterius quantitatis, vel rei tam
» inter viuos quàm in vltima voluntate ex
» hac lege Pij alienari poteſt.
» Sexta. Vt,cùm res cenſui ſubiecta ven-
» denda erit,cenſus dominus,id eſt,penſio-
» narius, ſeu is,qui penſionem percipit,cæ-
» teris præferatur:eique conditiones denū-
» cientur,quibus vendenda ſit,& per men-
» ſem exſpectetur.
3. Septima. Pacta continentia moroſum
» cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri
» ceſſantis,vel ad cambium, ſeu certas ex-
» penſas,aut certa ſalaria,ſeu expenſas me-
» dio iuramento creditoris liquidādas, aut
» rem cenſui ſubiectam, ſiue aliquam eius
» partem amittere;aut aliud ius ex eodem
» contractu, ſiue aliunde acquiſitum per-
» dere;aut in aliquam pœnā cadere;ex toto
» irrita ſint,& nulla.
» Octaua conditio,vt cenſus non augea-
» tur:& nouus non creetur ſuper eadem,vel
» alia re in fauorem eiuſdem, aut perſonæ
» per eum ſuppoſitæ, pro cenſibus tempo-
» ris vel præteriti,vel futuri.
» Nona. Vt nulla ſint pacta continentia
» ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad
» quem aliàs de iure & ex natura contractus
» non ſpectarent.
» Decima conditio eſt his verbis.Poſtre-
» mò, cenſus omnes in futurum creandos
» non ſolùm re in totum,vel pro parte per-
» empta,volumus ad ratam perire: ſed etiā
» poſſe pro eodem pretio extingui,non ob-
» ſtante longiſſimi etiam temporis ac im-
» memorabili, imò centum & plurium an-
» norum præſcriptione. Non obſtantibus
» aliquibus pactis, directè aut indirectè ta-
» lem facultatem auferentibus, quibuſcum-
» que verbis,aut clauſulis concepta ſint.
» Vndecima conditio eſt huiuſmodi.
» Cùm verò traditione pretij redditus ex-
» tinguendus erit: volumus per bimeſtre
» antè id denunciari,cui pretium dandum
» erit; & poſt denuntiam, intra annum ta-
» men,etiam ab inuito repeti poſſe; & vbi
» pretium nec volens,intra bimeſtre ſoluat,

nec ab inuito intra annum exigatur:volu- »
mus nihilominus quandocumque reddi- »
tum extingui poſſe, præuia tamen ſemper »
denuncia,de qua ſuprà: & non obſtanti- »
bus his,de quibus ſuprà. Idque obſeruari »
mandamus etiam quod pluries ac pluries »
denunciatum fuiſſet, nec vmquam effe- »
ctus ſecutus fuiſſet. »

Poſt has conditiones, quæ expoſitæ »
ſunt: Pius V. duas adiungit adhibétque »
cautiones. Prima cautio eſt: vt hæc ſua »
ſanctio ſeruetur non modò, inquit, in »
cenſu nouiter creando, verumetiam in »
creato quocumque tempore alienando, »
modò poſt publicationem conſtitutionis »
creatus ſit. Altera cautio eſt, pretium ſe- »
mel cenſui conſtitutum (verba ſunt legiſ- »
latoris) numquam poſſe ob temporum, »
aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud »
accidens, nec quoad vltimò contrahen- »
tes, minui, vel augeri. »

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm conſtitutio Pij V. de cenſibus, conſtringat omnes.

Dubitare aliquis fortaſſe poſſet, an 1.
conſtitutio Pij V. de creandis cenſi-
bus, valeat vbique:&, an omnes Chriſtia-
nos deuinciat.

Ac nimirum,cùm tractari quæſtio hæc poſſit dupliciter:primùm ad poſſibile, deinde ad factum eam reuocando. Vtrùm inquam, poſſit adſtringere hæc conſtitutio omnem Chriſtianum orbem:& vtrùm re vera nunc adſtringat;vtroque modo à nobis explicari debet.

Poſſe autem hac lege Pia obſtringi vniuerſum imperium, orbémque Chriſtianum, miror ſi quiſquam ambigat. Cùm enim totius Chriſtianæ Reipub. caput,& Rector ſit Pontifex Romanus:quia vicarias Chriſti Opt. Max. vices gerit: ad eum planè ſpectat ſalutaribus ſanctionibus,& exemplis moderari vniuerſæ huic

Chriſti

Chriſti reipublicæ vel repugnantibus, vel inuitis cunctis Chriſtiani orbis principibus; qui, ſi Chriſtiani eſſe volunt, ſuum Paſtorem ſummum neceſſariò audire debent; illique in iis, quæ ad animorum ſalutem pertinent, obtemperare: atque hæc ſit prima ratio ducta ex capitis conditione.

2. Secunda ratio. Poteſt Romanus Pontifex cunctos Chriſtianos ſiue Principes, ſiue priuati ſint, iuſtas ob cauſſas anathemate percellere & pœnis ſpiritualibus variis implicare: igitur illis poteſt æquas ac ſalutares leges imponere etiam perinuitis: nam ſicut poteſtatē habet in omnes vltricem, ſeu coercitiuam; ita legiſlatiuam, ac directiuam, ſeu legiſlatricem, ac directricem.

Tertia ratio. Poteſtas imperatoria, & cunctorum Principum iureiurādo ſpondet obedientiā, ac fidem Romano Pontifici: ergo in eos poteſtatem habet coactiuam & legiſlatiuam Romanus Pontifex.

Quarta ratio. In Eccleſia ſecularis poteſtas eſt propter ſpiritualem: & hæc eſt finis illius: ergo, vt mediis imperat finis; ſic ſpiritualis poteſtas, quæ ſumma eſt in Romano Pontifice, dominatur cunctis iuribus Poteſtatis ſæcularis.

Quinta ratio. Potentiſſimi reges ac Principes de grauibus controuerſiis & iniuriis cùm diſceptāt, & æquitatis ſententiam aliquam exſpectant; eam à Romano Pontifice exſpectant; atque ad eum, vt ad ſummum iudicem, doctorem, & in orbe terrarum legiſlatorem prouocare ſolent: ergo illis poteſt Romanus Pontifex & iudiciorum & vitæ Chriſtianæ, atque adeo humanæ, leges conſtituere.

Sexta ratio. Ad eos pertinet in orbe terrarum condere generales leges, ad quos pertinet primò & per ſe interpretari æquitatem naturalis diuiníque iuris; quo leges & principatus omnes niti debent; ſed eiuſmodi interpretatio eſt Romani Pontificis; qui primus eſt Doctor in Eccleſia; quare, &c.

3. Septima & poſtrema ratio. Ne in re certa longiorem orationem conſumam, atque vt primam rationem cum extrema contexam, omnes Chriſtiani Imperatores, Reges & Principes, oues ſunt Chriſti: ergo vocem Paſtoris à Chriſto relicti audire debent: filij ſunt Romani Pontificis: ergo illius æquis iuſſis parere debent; & vtrùm ſint æqua, illius iudicio ſtare debent: niſi aperta eſſet iniquitas.

Sapienter igitur ſanctorum maiorúmque Canonibus cautum eſt; vt prima ſedes à nemine iudicari debeat: vt ad eam ab omni Principe ac iudice tam ſpirituali quàm ſæculari appellari poſſit.

De excommunicatione Arcadij, quia eius aſſenſu factum eſt; vt B. Chryſoſtomus è ſua ſede pelleretur, vide Canonem, Duo ſunt: qui eſt eiuſdē Gelaſij, ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribentis, relatum à Gratiano in diſtin. 96. Quòd ſi obiicias caput, ſi duobus, de appellationibus. Vbi Alexand. III. ſcribit his verbis Remenſi Archiepiſcopo. Denique quòd quæris, ſi « à ciuili iudice ante iudicium, vel poſt ad « noſtram audientiam fuerit appellatum, « an huiuſmodi appellatio teneat: tenet « quidem in iis, qui ſunt noſtræ temporali « iuriſdictioni ſubiecti; in aliis verò, etſi de « conſuetudine Eccleſiæ teneat, ſecundùm « iuris rigorem credimus non tenere. Huic « difficultati magni viri ita reſpondēt: non licere ſine diſcrimine & in rebus omnibus prouocare ad Romanum Pontificē, licere in iis cauſſis, quæ habent pondus, & quæ vulgares non ſunt. Quare dubitandum non eſt, conſtitutionem hanc Pij V. eam vim habere vt cogere poſſit & obligare omnes.

4. Erat altera quæſtionis tractatio, de facto: vtrùm reuera obliget vbiq; & omnes. Quis exiſtimare poſſet omnes Chriſtiani imperij prouincias ac regna, non teneri hac lege? quia audio in quibuſdam regionibus, ac regnis nō eſſe receptam. Verùm mihi minimè dubiū eſt, vim habere conſtitutionem in omnibus regnis ac prouinciis: id quod non obſcurè declarant

HHH 3 verba

» verba illa eiuſdem conſtitutionis. Volu-
» mus autem, quòd præſentes in Cancella-
» ria & acie Campi floræ publicentur; & in-
» ter conſtitutiones extrauagantes perpe-
» tuò valituras conſcribantur. Ergo, ſi futu-
ra eſt conſtitutio extrauagans, cur non pertinebit ad vniuerſos, qui Chriſtiana imbuti ſunt religione? ex fine etiam conſtitutionis intelligi poteſt illius vim permanare ad omnes. Finis enim hic fuit; vt cognoſcimus ex proœmio conſtitutionis;
» animarum ſaluti conſulere; piarum men-
» tium petitionibus ſatisfacere; graui mor-
» bo letiferóque veneno ſalutari antidoto
» mederi.

Accedit hæc firmiſſima ratio. Pontifex perniciosis cenſibus neceſſaria lege potuit mederi, debuit & voluit: debuit, potuit, ac voluit in omnibus locis mederi: quare maximè generalem hanc legem eſſe oportuit: alioqui omnium Chriſtianarum nationum, & ſuæ item ſaluti Romanus Pontifex non valde prudenter con-
" ſuluiſſet: cùm non ſuſtulit illud malum ex
" omnib; prouinciis orbis Chriſtiani; quod
" æqua ſanctione tollere poterat, ac debe-
" bat: ſed tacitis quorumdam cogitationibus occurrendum eſt.

5. Quærant enim arbitri ſacrarum confeſſionũ. Quid igitur nobis cum iis agendum erit: qui ex aliena prouincia profecti religionis ergò ad nos commeant; qui ex cenſibus ad præſcriptam rationem conſtitutionis, qui non ſunt facti, nec celebrantur, fructus percipiunt? Quid item agendum cum dominis prouinciarum?

Ego id agerẽ. Dominos prouinciarum, niſi vellent accipere Piam conſtitutionẽ, non abſoluerem. Ceteris, ſi quid poſt auditam legem Pij V. per fraudem ac dolum contrahendo cenſu commiſerunt, pronuntiarem inane eſſe, quidquid fecerunt: contractum fuiſſe nullum; ac propterea nullum iis ius fuiſſe percipiendarum penſionum: ita neceſſariæ reſtitutioni eſſe obnoxios.

Quòd ſi non audita lege Pij V. ex iure naturali & gentium contraxerunt; fructus perceptos dicerem eſſe ſuos: contractum fuiſſe verum: ſed tamen renouandum muniendúmque conditionibus Piæ conſtitutionis. Quòd ſi nollent reficere contractum ea lege, quæ præſcribitur à Romano Pontifice; admonerem illos, nec abſolutionis ſacramẽtalis, nec verò æternæ ſalutis eſſe participes; cùm neceſſariam legẽ recuſent. Quòd ſi exciperẽt, conſenſu aperto, aut tacito Romanorũ Pontificum non eſſe Piam legem receptam, ſeu eſſe abrogatam: eiúſque rei coniecturas adferrent veriſimiles; eos abſoluerem: neque de veritate facti contenderem.

De iuſtitia pretij, & penſionis, in cenſu Pontificio.

QVÆSTIO XXVIII.

Venio ad id, quod eſt in cenſuum ratione omnium difficillimum; & ad cognoſcendum ſummè neceſſarium. 1.

Quonam pacto reperiri poſſit iuſtitia pretij, ac penſionis in cenſu. Primùm igitur indaganda erit iuſtitia pretij; deinde iuſtitia penſionis. Rem obſcuriſſimam & maximè arduam conor: ſed conandum eſt tamen cùm Chriſtianæ ſalutis pondus habeat.

Placuit mihi tam pretij quàm penſionis ſummam ad nonnullarum conſiderationum normam exigere. Ordiar à conſiderationibus pretij.

Prima conſideratio. In ea re, quæ ſuapte natura fructifera eſt, licèt non in qualibet, quinque ſpectari poſſunt, proprietas, ratio fructifera, fructus, vſus, vſusfructus; quæ omnia inſunt in aliquo prædio; & ita inſunt, vt vnum ſeiungi poſſit ab altero; non quidem poſterius à priore, ſed prius à poſteriore. Cùm dico rem poſteriorem ſeiungi à priore non poſſe, intelligo, physicè: nam ciuiliter poteſt ſeiungi: ius enim poſterioris concedi, vel commutari poteſt priore retenta: poteſt enim fru-

ctus

ctus concedi retenta fertilitate; & hæc donari retenta proprietate, & viciſſim concedi proprietas ſine fœcunditate; & hæc ſine fructibus. Quod dixi fortaſſe obſcurius, id eiuſmodi eſt: in illis quinque, quæ repeciuntur in aliquo prædio; Proprietas, eſt prima; Secunda, eſt ratio fructifera; Tertia, fructus; Quarta, vſus; Quinta, vſusfructus.

2. Poteſt quidem proprietas eſſe ſine ratione fructifera; nam fieri poteſt incultũ & derelictum prædium eluuie aliqua, ſiue aliqua grauiore calamitate, aut incendij, aut bellorum: verùm non poteſt ſeiungi ratio fructifera à proprietate ſoli: nec enim illa exiſtere poteſt ſine ſolo ac terra. Ratio fructifera, quæ eſt prior fructu, ſeparari poteſt à fructu: nam quamuis fructum hoc anno non ediderit ratio fructifera; non idcirco eam iudicamus eſſe extinctam; præſertim ſi idcirco non edidit, quia non fuit agricolarum arte & induſtria exculta: ſed tamen fructus abſque ratione fructifera eſſe nequit: perinde enim eſſet, ac ſi effectus aut intelligi, aut eſſe poſſet ſine cauſſa; aut proles ſine parente: ratio enim fructifera eſt cauſſa, & parens fructus. Fructus quoque eſſe, & intelligi poteſt ſine vſu: erit enim fructus in agro; quamuis eo nullus vtatur; vſus autem ſine fructu non erit. Poſtremò vſus eſt ſine vſu fructu: cùm aliud ſit vti; aliud vti, & frui.

De diſcrimine verò vſus & vſus fructus eſt his verbis in inſtitutionibus titulo de vſu & habitatione. Minus iuris eſt in „ vſu quàm in vſu fructu. Nam is, qui fundi „ nudum habet vſum, nihil vlteriùs habere „ intelligitur, quàm vt oleribus, pomis, flo„ ribus, fœno, ſtramentis & lignis ad vſum „ quotidianum vtatur: in cóque fundo ha„ ctenus ei morari licet; vt neque domino „ fundi moleſtus ſit; neque iis per quos „ opera ruſtica fiunt, impedimento ſit: ne„ que vlli alij ius, quod habet, aut locare „ aut vendere, aut gratis concedere poteſt; „ cùm is, qui vſumfructum habet, poſſit „ hæc omnia facere. Hæc autem omnia eſſe in poteſtate vſufructuarij, eſt item in ff. de vſu fructu. l. arboribus euulſis: vides ergo vſum ſeparari poſſe, ac re ipſa ſeparari ab vſu fructu: vſus autem fructus, ab vſu nec re ipſa, nec cogitatione, aut definitione auelli poteſt.

Secunda conſideratio. In his quinque 3. rebus tres ſpectantur in fundo, duæ in perſona. In perſona inſunt vſus, & vſus fructus: homo enim vtitur ac fruitur: cùm homo res commodas ſumat ad certum finem, quod ipſum eſt vti: verùm libertas hæc ſumendi res commodas ad finem eſt valdè contracta in vſu; in vſu verò fructu eſt amplior. Et licèt Theologi ita diſtinguant vti & frui, vt velint rationem vtendi eſſe in medijs, fruendi autem in fine: nos tamẽ iuriſperitorum conſuetudinem ſecuti, rem vtramque collocamus in medijs, & in iis rebus, quæ diſpoſitæ ſunt ad finem: hoc tantùm diſcrimine addito; quòd vtendi ratio eſt minore cum iure coniuncta; fruendi autem cum liberiore, & maiore iure. Ergo duo hæc inſunt in perſona. Reliqua tria prima in fundo, ac ſolo: fundus enim habet proprietatem fixam; habet rationem fructiferam, atque vberem, ſiue fecunditatem, fertilitatem & vbertatem; habet fructum, ſeu frugem.

Tertia conſideratio. Res illæ quinque aut vendũtur omnes, aut ſingulæ: omnes, vt cùm ſimplici & perpetua venditione alienatur fundus cum omni iure, quod in illud habebat dominus: ſingulæ, cùm dominus alienato vno iure, retinet ſibi aliud; vt cùm alienato vſu fructu retinet ſibi proprietatem: cùm alienato vſu retinet vſum fructum.

Quarta conſideratio. Dominus fundi 4. in cenſus inſtitutione ac venditione non vendit proprietatem, non vſum, nõ vſum fructum; non fructum per ſe, & primò, ſed rationem tantùm fructiferam propriè & per ſe.

Probatur hac firmiſſima ratione. Illud per ſe venditur in contractu cenſus, quo perempto perimitur cenſus: ſed perempta ratione fructifera perimitur cenſus: Quare,

quare, &c. & confirmatur à remotione partium, ſunt in fundo illa quinque vt diximus; proptereà non venditur: quia euerſo & ſublato cenſu manet proprietas venditori:non vſus,non vſus fructus;quia venditor vtitur & fruitur fundo:non fru-
4 ctus; quia cùm hîc includatur in vſum & vſumfructum; qui habet vſum & vſumfructum,eumdem neceſſe eſt habere fructum. Deinde: quia pro fructu penſionarius recipit pecuniam: ergo non vendit fructum. Poſtremò: quia ſi venderentur fructus,non poſſet venditor, qui poſt annum vult extinguere cenſum, capere à penſionario maiorem ſummam pecuniæ pro pretio, quàm eſſet ſumma fructuum: quare ſi fructus eſſent 10. aureorum, pretium 10. item aureorum nummûm recipere deberet venditor: ſed capit centum; item centum & quinquaginta: ergo dici nullo modo poteſt vendi fructum. Relinquitur igitur, vt fateamur vendi duntaxat vberem ac fertilem rationem ſoli, ſed tamen hæc quemadmodum vendatur, docebo in ea quæ ſequitur conſideratione.

5. Quinta conſideratio. Ratio fundi fructifera dupliciter ſpectari poteſt; aut in potentia & in actu primo tantùm; aut in actu ſecundo, tam perfecto quàm imperfecto. Dicam planiùs,vbertas ſoli, ſeu fecundi, fertilis ac fructifera ratio, in actu primo, & in potentia, eſt ager nondum aratus, nõ ſtercoratus, non ſubactus, non excultus; qui nec ſemen complexus eſt:in actu verò ſecundo eſt ager,vt ſtercoratus, vt aratus, vt excultus, vt ſubactus; vt qui iam ſemen excepit:in actu imperfecto eſt hæc ratio fructifera, quamdiu non poteſt percipi tutò fructus: in actu verò perfecto, quando facultas datur domino totos fructus percipiendi. Nunc ergo quærat quiſpiam quo pacto in ratione fructifera collocetur pecunia; an in ratione fructifera,vt eſt in potentia & in actu primo;an verò in eadem, vt eſt, vel vt futura eſt in actu ſecundo,nimirum hoc altero modo. In ratione fructifera collocatur pecunia; & quidem in ratione fructifera non ſumma induſtria, quæ excolenda ſit; ſed quæ communi induſtria ac diligentia colatur.

Sexta conſideratio. Cum ratione fructifera ab emptore emi etiam fructus dubitandum non eſt ex natura contractus: facit enim natura emptionis & venditionis; vt fructus rei emptæ ſint emptoris. Verùm, quia conſuetudine introductus eſt quidam alius contractus tacitus; vt fructus ruris fructiferi perueniant ad venditorem: idcirco emptori eſt ſatis percipere pecuniam pro fructu: tacito enim contractu venditionis emptor,vbi de domino fundi coëmit rationem ſoli fecundam;eiuſdẽ fructus vendit domino fundi pro certa pecunia. Itaque penſionarius vno eodémque tempore fit emptor & venditor; emptor expreſsè propter rationem fructiferam;pro qua ſoluit pretium, venditor tacitè fructuum, pro quibus ſibi reponitur à domino fundi tantum pecuniæ,penſioniſque annuæ.

Septima conſideratio. Si eius fructiferæ rationis,quæ in cenſu ponitur, æſtimationem pretiúmque habere cupis: hoc tibi iudicio atque hac ratiocinatione vtẽdum eſt. Finge omnem ſoli fertilitatem, ac fecunditatem ad ſterilitatem recidiſſe: faciamus, tribus millibus aureis nummis æſtimari totum fundum. Cetera omnia, quæ tibi aut iura,aut commoda in fundo reliqua ſunt,quanti æſtimares? verbi cauſſa, quanti æſtimares ipſum ius proprietatis? quanti,loci naturam & amœnitatem? quanti, cœli ſalubritatem? quanti,vicinorum virtute ac beneuolentia frui? quanti, piſcinas, ſi quæ ſunt in fundo? quanti,aucupia? quanti, multas alias remiſſiones animi, & luſiones, quæ in eo fundo tibi permittuntur? & , ſi quæ ſunt ædificia, quanti, ipſa ædificia? cæteráque commoda,quæ non eamdem calamitatem quam fœcũda fructiferáque ratio,perpeſſa ſunt? Hæc omnia cùm numerando percenſueris; vide quid pro illis omnibus pretij tibi perſolui velles. Si velles pretium mille aureorum nummûm;relinquitur igitur cer- 6.

ta pu

Digitized by Google

ta putandi ratione; pretium rationis fru-ctiferæ eſſe duum millium aureorũ num-mûm. Quare penſionarius ad coëmen-dum vniuerſum ius fructiferum ſoli dabit tantùm duo millia.

7. Sed in hac ſeptima conſideratione exi-ſtit difficultas minimè diſſimulãda. Cùm enim dominus rationis fructiferę nõ eam excolat; nec expenſas faciat vllas; cùm deberet tamen; quia venditor non debet ex natura contractus expenſas facere in rem emptoris: propter eiuſmodi expen-ſas poteritne maius pretium ab emptore exigere? Reſpondeo, cùm etiam emptor careat omni vſu & pleriſque aliis com-modis, quæ ex ratione fructifera percipe-re poſſet; conferendæ ſunt illæ expenſæ, induſtriæ & labores domini proprietarij, cum illis incommodis quæ patitur pen-ſionarius; & videndum, vtrius ſint maiora incommoda: ſi maiora ſunt penſionarij, ex pretio rationis fructiferæ eſſet detra-hendum tantum, quantum exæquaret eius incommoda: ſi maiores eſſent ex-penſæ & labores domini proprietarij, ad pretium rationis fructiferę addendum vi-deretur iuſtum pretium expenſarum & laborum: atque hæc omnia decernenda forent prudentis & æqui æſtimatoris ar-bitratu. Et nota, conſuetudine introdu-ctum eſſe; vt dominus proprietatis pro fructu reddat pecuniæ annuam ſum-mam; & is vbertatis ſoli ſit cultor, & quaſi agricola.

Conſtituimus, qua ratione potuimus, cenſus iuriſque fructiferi pretium. Perue-ſtiganda nunc eſt iuſtitia penſionis: vi-dendúmque quanta eſſe debeat; & id tentandum, atque ex nonnullis conſide-rationibus expiſcandum.

8. Prima conſideratio. Tenendus eſt fru-ctus rationis fructiferæ, & videndum quantus is ſit: nam totius fructus, qui ex ratione fructifera oritur, & æſtimatio in ſummam penſionis conferenda erit. Sed vide, vt is fructiferæ rationis fructus ſit fructiferæ illius tantùm rationis, quæ tibi iuſto pretio coëmpta eſt. Æſtimationem verò hanc, de qua loquimur, conicien-dam eſſe in penſionem, illud perſuadet: quòd fructus æſtimabiles ſunt ex re tua.

Secunda conſideratio. Ad æſtimatio-nem fructuum quorumdam etiam one-rum æſtimatio addenda eſt; quæ ferre co-gitur cenſus dominus: nam numquam poſſe repetere ſuum pretiũ, ad arbitrium verò venditoris ad recipiendũ cogi poſſe, graue eſt onus; & quidem pecunia, quod æſtimari poſſit, ac debeat. Verùm, id one-ris quantam habeat æſtimationem, non-dum conſtitutum eſt; crederé ego æquam fore æſtimationem duorum aureorum nummûm pro centum.

Tertia conſideratio. Onus recipiendi partem pretij, & non vniuerſum pretium, graue eſt. Nam ſi redemptor cenſus nunc decimam partem pretij volet reddere, vt decimam partem cenſus redimat: quis non videt id mihi ſæpiſſimè eſſe poſſe in-commodo; qui non poſſim ea emolu-menta mihi quærere ex decima parte pre-tij, quæ ex integro pretio facilè poſſem adipiſci? ergo & hoc onus pecunia æſti-mari debet: ſed quanti æſtimandum erit? putarem ego vnius aurei nummi pro cen-tum æquam fore æſtimationem. Primi ergo oneris & ſecũdi æſtimatio erit trium aureorum nummûm: qui ſi congerantur in ſummam fructuum, qui capiuntur ex iure fructifero; penè iuſtitiam integram & expletam habebis vniuerſæ penſionis. Quare, ſi quinque pro centũ reddit ager, & illa duo onera, tria; tota penſio erit octo aureorum nummûm pro centum.

Quarta conſideratio. Secundum onus non ineſt in cenſu Pontificio ex conſtitu-tione Pij V. vt in proximè ſuperiore ca-pire admonuimus: itaque ſi illud contra-hendi conſuetudo imponit, ferendũ erit; &, vt nuper docuimus, æſtimandum.

Quinta conſideratio. Periculum ſteri-litatis, quę accidere poteſt fundo, aut pro-babilitatem habet moralem; quia patet ictibus fulminum, tempeſtatum & gran-dinum; & ventorum ſegetes exurentium vi; fluuiorum incurſionibus & colluuio-

nibus; hoſtiũ irruptionibus, ac direptionibus; vel nullam habet eiuſmodi probabilitatem moralem: ſi habet; tantùm de pretio diminuendum eſt, quantum eſt momentum probabilis periculi. Quòd ſi venditor de ſumma pretij nollet diminuere, tantò plus in penſione exigenda ponet penſionarius: modò æqua ſeruetur ratio periculi & æſtimationis, quæ additur penſioni.

9. Quòd ſi vacat probabili periculo ſterilitatis fundus, in quo conſtituitur cenſus; nõ debet illud æſtimari. Nam in contractibus bonæ fidei ea quæ ſunt per accidens, & rarò eueniunt, & non plerumque; æſtimationem fugiunt probi prudentiſque viri: alioqui liceret pluris & maiore vendere credita pecunia propter pericula, quæ accidere poſſent à moroſo debitore: mori enim ante tempus ſolutionis poſſet: poſſet decoquere: poſſet in longinquas prouincias deuenire. Sed quoniam nemo venderet tali emptori, à quo ſibi talia incommoda impenderent: ideo ſi vendit credita pecunia maiore, quàm ſit iuſtum pretium, vendere minimè debet: æſtimaret enim ea quæ morale iudicium reformidat.

Sexta conſideratio. Commoda, quæ conſequi potuiſſet ex ſua pecunia penſionarius, & lucra, & emolumenta, ſpectari non debent: in quo falli turpiter vidi homines etiam rerum gerendarum minimè expertes. Primùm, quia in ſimplici & abſoluta venditione illa lucra, quæ ſunt in potentia, nec poſſunt, nec debent æſtimari: nam ſicut tu priuaris pecuniæ commodis; ita venditor priuatur commodis ſui prædij: & incommoda commodis, & lucra lucris, & emolumenta pecuniaria, quę tua futura erant, compenſantur emolumentis prædiariis, quæ tua erunt. Deinde, quia licèt in contractu mutui commoda, quibus priuatur pecunię traditor, æſtimãda ſint; hæc tamen in venditione æſtimari non debent: vbi traditur pecunia, non vt mutua; ſed vt pretium. Et ratio diuerſitatis in vtroque contractu hæc eſt: quia, qui tradit pecuniam ſuam, vt pretium, reliqua omnia commoda, quæ ex illa ſperabat, commutat commodis eius rei quam emit: qui autem mutuam dat pecuniam, eiuſmodi nullam inuenit vtilem commutationem: quare illa ex pacto poteſt repetere ex mutuatario; vel certè commodorum poſtulare æſtimationem, ac pretium.

Septima conſideratio. Non quia dominus cenſus illum alienare poteſt; idcirco leuiora ſunt illius onera, minoríſque æſtimanda. Quia nemo niſi fortaſſe inuitus alienabit iuſtum cenſum: & fortaſſe ob id ipſum multi alienabunt; quia tolerare nõ poſſunt ſuperiora onera. Ad hæc, illa onera non ſunt ſpectanda, niſi ex natura & inæqualitate contractus. Omnes enim mortales penſionarium ob illa duo onera multo deterioris conditionis iudicabunt, niſi eius deterior conditio æqua æſtimatione aliqua reſarciatur.

Octaua conſideratio. Picentini cenſus, 10.
ſi Peruſinis non ſunt vberiores, in penſione ſeptem aureorum nummûm pro centum conſiſtere deberent: loquor de cenſibus prædiorum: de qua ſumma reſponſum à Pio V. Pontifice Maximo abſtulit Fuluius Corneus, ciuis meus, Cardinalis ampliſſimus. De Pij V. oraculo viuæ vocis his verbis teſtatur in ſuis litteris Cardinalis Peruſinus. *Pare à ſua ſantità quanto alli cenſi, hauendo da me il frutto coſti delle terre: che non ſi debba paſſar ſette per cento per far bene: & la coſa con buona conſcienza.*

Nona conſideratio. Quamuis de prædiorum cenſibus ita reſponderit Pius V. Quamuis Peruſiæ Epiſcopali edicto cautum ſit; ne ſummã octo aureorum nummûm excedant cenſus; nihilominus, qui tuta conſcientia vult huiuſmodi contractus contrahere, & certã ſummam penſionis reperire, vtatur his conſiderationibus, quæ in hoc capite habentur; præſertim tribus primis: ſic enim inire rationem aliquam poterit ad id quod quærit inueniendum.

Peruſiæ cùm eſſem; ſex & triginta antè 11.
annis,

annis, memini, à Franciſco Boſſio eius ciuitatis integerrimo iuxta atque prudentiſſimo Pontifice pluribus Theologis iniunctum eſſe munus inueſtigandæ penſionariæ ſummæ. Mihi cùm idem daretur negotium quærendi, atque ſcribendi, hoc teſtatus ſum: certam ſummam omnibus cenſibus decerni non poſſe: ideo, quòd longè diſſimilis ac varia eſt ratio fructiferà fundorum, in quibus reſident cenſus. Nam quorumdam fundorum rationes fructiferæ ſunt tenuiores & exiliores; aliorum vberiores & ampliores; vt etiam penſionem vnam alia neceſſe ſit aut tenuiorem aut vberiorem eſſe.

Decima conſideratio. Cùm ex tot conſiderationibus, atque ex tam multis exiſtimationibus, & circumſtantiis, naſcatur iuſtitia pretij & iuſtitia penſionis; in qua tantùm & tam multa ipſe meditatus planè mihi tamen ſatisfacere non potui; magnopere cunctis hominibus Chriſtianis auctor eſſem; vt ab hoc genere contractus abſtinerent: non quòd ſuapte natura iniquus ſit, & fœnus redoleat; vt imperitè & temerè plerique affirmant contra ſacra Pontificum Romanorum decreta: ſed quia valdè ambigua atque anceps eſt huius contractus iuſtitia, propter tam multa & ardua, quæ ſpectanda eſſent, & haud ſcio an à contrahentibus ſpectentur, & æqua lance expendantur. Neque Romani Pontifices legem cenſuum ſancientes omnia iuris incommoda tollere potuerunt: cùm eorum conſideratio ex ſingularibus circumſtantiis apta ſit: illæ autem ſint infinitæ.

Adde, quòd vel hoc vno nomine ſalutari aliqua lege ex orbe Chriſtiano hæc ratio contrahendi cenſus exterminanda eſſet: quia alit otium, & multorum fortunas ac patrimonia euertit: fortunis ac bonis obeſt venditoris, deſidioſum otium alit emptoris.

De liuello Galliæ citerioris.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrùm liuellus idem ſit quod cenſus.

Error hic multorum mentes occupauit: liuellum, quo tota vtitur citerior Gallia, & cenſum, qui celebratur in Latio, & de quo edita eſt Pij V. conſtitutio, atque adeo aliorum Pontificum, eumdem eſſe contractum. Cùm tamen vtriuſque commercij ratio ſit diſſimillima, & multa diſcrimina ſint atque per magna. 1.

Nam primum diſcrimen eſt. Quòd in Pontificio cenſu venditor cenſus, remanet dominus fundi, & proprietatis fundi, in quo conſtituitur cenſus: in Liuello, fundi dominium & proprietatem adipiſcitur emptor.

Secundum diſcrimen. Cenſui, vt ipſi probauimus in noſtra diſputatione de cenſu, nihil aliud ſubiicitur quàm fertilitas, ſeu ratio fecunditatis, quæ ineſt in domo, agro, vel alio fundo: Liuello iſthæc omnia ſubiiciuntur & emuntur.

Tertium. In cenſu, dominus fundi ſoluit annuam penſionem; in liuello, domino ſoluitur penſio.

Quartum. In cenſu, æſtimatio penſionis ſumitur non ſolùm à quantitate fructus, quem fert fundus, ſed etiam ab eo onere, ſeu ſeruitute, quæ imponitur emptori; vt numquam repetere poſſit pecuniam ſuam: in liuello ea iuſta eſt penſio, quam fructus fundi tantùm pariunt.

Quintum. Liuellus concretus eſt è duplici contractu, ex contractu venditionis cum pacto retrouendendi, & ex contractu locationis: nam, qui emit de quopiam agrum, ſeu domum, continuò eidem locat: at cenſus eſt ſimplex contractus, id eſt, venditionis: venditur enim ius tantùm penſionis percipiendæ: cui fœcunditas fundi ſupponitur.

2. Sextum. Cenſus eſt perpetuus ex parte emptoris;liuellus non eſt perpetuus ſemper; quod ego in pleriſque liuellis deprehendi: in quibus æqua libertas datur vtrinque.

Septimum. Liuellus;quamuis non ſeruentur in eo ſollemnia legis Pontificiæ, neque ex conditiones, quæ ſunt humani tantùm iuris, modò cuſtodiantur iura diuina,naturalia,& gentium, valet in omni loco,& in quouis iudicio:at cenſus realis, ſi careat iis conditionibus quæ à Romano Pontifice iubētur, cenſetur vſurarius, & nullam parit obligationem neque in foro exteriori,neque in animæ interiore, ſi culpa contrahentium prætermiſſę ſunt; quamuis ex conditiones, humana lege circumſcripta, iure naturæ, vel gentium, in contrahendo minimè neceſſarię forêt. Fatendum eſt tamen non minùs peccari in liuello à contrahentibus, quàm peccari ſoleat in cenſu.

Quare exponendæ ſunt huius contractus neceſſariæ conditiones:quæ mihi videntur eſſe octo:quinque attingunt contractum venditionis;tres locationis.

In contractu venditionis prima eſt, vt res, quæ venditur, extet in rerum natura. Secunda, vt ab eo, qui vendit, poſſit alienari, hoc eſt, vt ſit ſua, & non impedita aut fidei commiſſo,aut iure dotis,aut creditoribus addicta,&c. Tertia,vt venditor verè velit vendere, & emptor verè velit emere: nam ſi ſecus fieret, non iniretur contractus venditionis, ſed mutui cum facultate potiundæ rei, quæ vtrimque traditur; quem contractum, appellant Itali, *godere a godere,* & is quidem, qui pecuniā concedit,contraheret ex mutuo; is verò, qui rem vtilē aſſignat, ex pignore. Quarta, itaque ad fugiendam fœnoris labem, emptor ſubire debet periculum amittendæ rei, quam emit, & numquam recipiendi pretij.

3. Quinta. Vt pretium, quo emitur, ſit iuſtum,de quo certa lege præcipi non poteſt; cùm ratio conſtituendi liuelli ſit varia, & multiplex. Interdum enim fit par vtrique contrahenti id quod dedit, repetendi; emptori repetendi pretij,venditori rei vtilis: quo tempore non minùs pretium videtur pendendum eſſe, quàm ſi res abſolutè & in perpetuum emeretur. Nonnumquam libertas traditur emptori & non venditori, id quod perraròaccidit, nec ſine magna fœnoris ſuſpicione videtur poſſe accidere. Tunc autem propter ſeruitutem impoſitam venditori, maius debet eſſe pretium, quàm æſtimatio rei venalis:nam illa ſeruitus ſuum etiā habet pretium à re vtili ſeiunctū. Quando verò, quod fermè ſemper euenit, emptori non eſt liberum, ſuam repetere pecuniam, & venditori ius eſt rem ſuam redimere, videndum num ius hoc penes venditorem ſit quouis puncto temporis, an per aliquod tantùm tempus: puta per tres quattuórve annos: nam, ſi quouis puncto temporis ſpoliare emptorem poteſt re vendita, tanta de toto pretio deceſſio fieri poſſet,vt dimidium pretij plus eſſet, quàm ſatis. Quòd ſi libertas redimendi eſſet certi temporis, pro ratione temporis eſſet pretium minuendum. Sanè decem annorū libertas quartam partem,eòque amplius minuere ſolet:neque enim cuiquam dubium eſſe poteſt,rem tantò eſſe minoris, quantò minùs perfectum & diuturnum eius dominium vſumque aſſequimur.

In contractu autem locationis & conductionis hæ neceſſariò ineſſe debent conditiones. Prima.Penſionem, quæ ſoluitur à venditore emptori, ſeu à conductore locatori, commetiri debēt fructus, qui percipiuntur; in quo turpiter peccatur. Nam, qui emunt, exigunt ſex pro centum:quamuis fundus non reddat niſi aut tria,aut quattuor,quod eſt inſigne iniuſtitiæ genus: fructum enim è pecunia capiunt, non è re, quam dicunt ſe emere. 4.
Secunda. Locator, rei quam emit, debet agnoſcere caſus fortuitos, culpam leuiſſimam & diminutionem tum fructuum, tum penſionis:cùm id exigat natura contractus locationis; nec ſit æquum,vt ager

tuus,

tuus, qui à me colitur, tibi ſit fructuoſior, quàm ſi à te coleretur: & quo anno calamitas, aut alius naturalis caſus, ſeu etiam humanus, qui aut prouideri, aut prohiberi non poteſt, tibi omnes fructus eripuiſſet, eoſdē largiatur, quia eſt in manu mea. Tertia, non ferenda eſt corruptela tabellionum; qui in contractu venditionis & emptionis, cùm liuelli tabulas conficiunt, teſtantur in perpetuum rem à venditore alienari, & in emptorem transferri cum omni iure vtendi, poſſidendi, alienandi, &c. & ſtatim in contractu locationis & conductionis ſcribunt integrum eſſe venditori rem ſuam redimere, quoties ei collibitum fuerit: quæ repugnantia eſt fœdiſſima, & grauem adferēs coniecturam, non ſeriò agi, quod agitur inter contrahentes; neque eos ex vendito & empto contraxiſſe: quandoquidem conditio appoſita locationi & conductioni perpetuitatem contractus venditionis & emptionis omnem euertit.

Tuta igitur hoc modo eſſet conditio, vt res vendita ſit emptoris, & illius verus dominus quoad à venditore redempta non fuerit: & libertas, ſeu ius redimendi, quæ relinquitur venditori, non in contractum inſeratur locationis, ſed vēditionis.

QVÆSTIO XXX.

1. Petrus Ioanni agrum vendit ſuum 100. aureis nummis, qui 150. æſtimatur, ea lege, vt intra quattuor annos ius ei ſit redimere, quoties collibuerit: nam quattuor annorum confecto curriculo prorſus ſit ager emptoris. Idem ager à Ioanne emptore locatur Petro venditori, qui quattuor annis quantùm fert ager, ſoluit pro penſione Ioanni: poſt annum quartum multò plus ſoluit. Petri heredes contendunt fundum à patre, ſeu à Petro, alienari non potuiſſe, quòd maternæ dotis hypotheca eſſet: quæ è vita migrarat, quo tempore de Petro Ioannes fundum mercatus eſt. Qui Ioannes nunc 150. poſcit heredes, ſi agrum recuperare velint; cùm is centum tantùm pro pretio dederit.

In hoc genere vniuerſo quid iuris eſſe ipſe cenſerem, vt dicerem rogatus ſum.

Quæſtioni hiſce enunciatis reſpondi. 1.

Primum enunciatum. Publicorum iudiciorū tribunalia facilè ſuperiorem contractum condemnarent; neque in eo rei venalis & pretij, ſed mutui, & pignoris rationem habitam eſſe meritò arbitrarentur. Primùm, quia penſio fructus ſuperat fundi. Deinde, quia facultas redimendi tribuitur venditori ante quadriennium expletum; & ei cum maiore pēſione poſt quartum annum redditur eadem libertas. Ad extremum, quia Decretalis Innocentij III. ad noſtram, de emptione & venditione, pronunciat fœnoris labe inquinatam fuiſſe cuiuſdam hominis emptionē, qui ei, cum quo contrahebat, pecuniam dedit; & ne mutuā tradere videretur, domos, & oliuas nomine emptionis accepit, facta poteſtate ei, qui tradebat eas res, vt à ſeptimo ad nonum annum recuperare poſſet pretio perſoluto; quod iuſti, atque integri pretij partem alteri vix efficiebat. Oſtienſis eam explanans Decretalem, in ea verba (à ſeptennio vſque ad nouennium) Hic habes, inquit, euidens argumentum contra multos vſurarios hodiernos: faciunt enim conſimile pactum tota die ementes poſſeſſiones pauperum tali pacto appoſito: quòd pro eodem pretio poſſint recuperari vſque ad nouem annos, ſed citra ſeptem hoc non liceat: quia 2. de ſeptem annis vult facere fructus ſuos. Ioannes Andr. exſcribit, & ſequitur ſententiam Oſtienſis. At noſter emptor non eſt contentus ſeptem annorum fructibus, ſed lucrifacere vult omnes, qui poſt quartum annum percipientur cum maiore etiam penſione, quàm futura ſit fructuum penſio. Panormitanus in illius Decretalis commentarium multas coniecit liuellorum formas, ſed non tot, quot ipſi conquiſiuimus; & è variis Galliæ Ciſalpinæ primariis ciuitatibus miſſas accepimus; atque etiam nunc cum noſtris ſcriptis ſeruamus.

Digitized by Google

3. Secundum enunciatū. Si non ea mens emptori fuit,vt verè emeret,ſed vt pecuniam crederet; neque venditori, vt verè venderet,ſed vt pecuniæ commoda nanciſceretur; contractum inierunt fœnoris refertum ſpurciſſimi: & is, qui pecuniam dedit,rem ſeu pignus reſtituere debet cū omnibus fructibus perceptis,niſi velit eos in ſortem conferre: neque enunciatum hoc ſecundum diſſenſum vllum habet Doctorum.

Tertium. Si Ioannes in animo habuit pecuniam Petro tamquam pretium dare agri,quem emebat,verùm ſciebat à Petro propter inopiam redimi nō poſſe,iuſtum pretium centum aureorum non videtur fuiſſe iure conſcientiæ iuſtum.

Quartum enunciatum. Poſt quartum annum, vberiorem voluiſſe penſionem, quàm ratio fructuum ferebat, emptorem Ioannem cōdemnat;niſi fortè aucta penſio fuit propter aliquod onus,quod cauſſa venditionis ſubiit emptor: puta, quia iterum poteſtatem illi dedit etiam quattuor annorum ſpatio decurſo agri redimendi.

Quintum enunciatum. Si fundus aut dotalis erat,aut vxori pro eius dote oppigneratus, vendi nequiuit. Ita quàm primùm heredibus Petri reſtituat Ioannes fundum recepto pretio,quem à principio is Petro dedit:ſi quidem iura dotalia filiis matris mortuæ tranſmittuntur.

4. Dotis autem multa & permagna eſſe priuilegia compertum eſt. Bona enim viri,vt inquit Innocentius III.in Decretali, ex litteris,de pignoribus,ſunt mulieri pro dote tacitè obligata: & cum ſuo onere tranſeunt ad quemlibet poſſidentē:quod tamen priuilegium ad mulieris paraphernа non pertinet. Dos etiam,vt placet vtriuſque iuris Doctoribus, iuxta atque Theologis, præfertur prioribus creditoribus; qui in eadem re habent perſonales actiones, vel tacitas hypothecas. Panormitanus autem,in cap. ex litteris, de pignor.addit etiā expreſſas. Verùm eius opinio de expreſſis hypothecis ferè non probatur. Fundus dotalis neque aſſentiente muliere alienari poteſt:quod hæ leges videntur probare,lex Iulia.ff.de fundo dotali,l.authentica,ſiue à me,C.ad Velleianum,l.authentica,ſed quamuis,§. & cùm lex,C.de rei vxoriæ actione.Cauſſa dotis, inquit Baldus,ad legem,legatum, num.2. C.de conditionibus inſertis, fauorabilior eſt quàm alimentorum.

Sextum enunciatum.Duo exiſtere poſſunt tempora, quibus nō cogeretur Ioannes agrum reddere heredibus Petri, Primum, ſi eius dominus fuiſſet Petrus ex pacto inito cum vxore; & poſt eius mortem eſſet ſuus. Secundum, ſi viua vxor alienationi agri aſſenſa eſſet interpoſito iureiurando;in quo nec dolum,nec fraudem,nec vim paſſa eſſet,idque ex Decretali, Cùm contingat, de iureiurando,& ex cap.licet,eod.tit.lib.6. Duobus his caſibus ſepoſitis Ioānes venditor heredibus reſtituere debet agrū,eodem pretio,quod is Petro dedit, accepto: neque enim licitum eſt Ioanni in re non ſua pretium augere.Ager autem ſuus non fuit,quem nec emere extra illa duo tempora potuit. 5.

Sed quibus de cauſſis vir dotē lucretur vxoris,videto apud Syluest. in verbo,dos, quæſt. 15. & apud reliquos Summarum ſcriptores,eod.tit.& apud D.Antoninum, in 3.par.tit.1.cap.23.§.1.

QVÆSTIO XXXI.

Pellex ex impuræ vitæ ſordibus,impulſa diuinitus, cupit emergere.

Sed verita ne ob egeſtatem ad idem intemperantiæ cœnum reuoluatur, ad quemdam adit aduocatum, ab eo conſilium atque auxilium expoſtulans. Hic mulieri ſuadet; vt,ad huiuſmodi contractum,quem liuellum dicunt,inuitet amatorem illum ſuum: profiteatur emere ſe de eo velle triginta aureorum nummûm penſionem, nomine liuelli ſoluendam. Creandi verò liuelli hanc ab Aduocato rationem perdocta eſt mulier, vt aureis quin 1.

quingentis, quos nullos illa habebat, tantùm de ſuo concubino emeret, quantùm ſatis foret ad eam efficiēdam penſionem. Itaque vir mulieri agrum quemdam, & piſtrinum tradit pro ſexcentis aureis, quos illa non ſoluit, ſed mutuos ſumit centum; quos numerat coram tabellione, qui tabulas conficiebat: ſimulantúrque in ſacculo 500. Homo autem ille in tabulis fatetur ſe quingentos accepiſſe: qui in coitione ſocietatis bonorum cum reliquis fratribus manens ſpondet, ſi in partitione patrimonij, & bonorum, tradita mulieri bona, ſibi non obuenerint, tantumdem aſſignaturum mulieri de iis quæ ſibi obtigerint. Interea nexu à muliere vincitur ſex in ſingulos centenos quotannis præſtandi, quoad illa ipſa bona redemerit.

2. Petitum eſt, iuſtuſne ac ratus hic ſit cōtractus. Reſpondi eſſe periniquum, fœnoris maculis, dolis, & mendaciis contaminatiſſimum. Primùm, improbè ſimulata eſt ſumma quingentorum aureorum, cùm non eſſent in ſacculo niſi centum: atque ij protinus poſt numerationē creditori reddendi. Deinde, concubinus mentitur ſe quingentos habuiſſe; quos nec habuit, nec vmquam habiturus eſt. Tum vendit ea bona, quæ communia erant, nondum ſua. Quartò, fingitur contractus venditionis & emptionis cum iure redimendi, cùm nullum ſoluatur, nec ſoluendum ſit pretium, ſine quo emptio cōſiſtere nullo modo poteſt; cùm ad eius vim intimam ſpectet. Ad extremum cùm ſit pactio de ſoluendis ſenis aureis in ſingulos centenos, palam eſt non ad rationem fructuum fundi, ſed pecuniæ tantùm penſionem exigi. Ex quo in contrahentium animis non iuſtitiæ virtutem, ſed fœnoris improbitatem verſatam eſſe apparet.

QVÆSTIO XXXII.

1. MErcator frumentarius, litteris amicorum admonitus, ſcit breui magnum numerum frumenti è longinquis regionibus aduectum iri, eiúſque pretium multò vilius futurum.

Non ſolùm à noſtratibus Theologis, verùm etiam à veteribus Philoſophis quæſitum eſt, liceátne mercatori frumentum ſuum interea ea pecunia vendere, qua emi ſolet: an potiùs copiam futuram tritici ſuis ciuibus atque emptoribus indicare.

Pertractata elegánter eſt hæc quæſtio à M. Tull. in 3. lib. officiorum, vbi Diogenis Babylonij Stoici, & Antipatri eius diſcipuli, controuerſantium, cōtrarias ſententias & rationes hac oratione exponit. In » huiuſmodi cauſſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & graui Stoico: » aliud Antipatro, diſcipulo eius, homini » acutiſſimo: Antipatro, omnia patefacienda; vt ne quid omnino, quod venditor » norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus iure ciuili conſtitutum ſit, » dicere vitia oportere, cætera ſine inſidiis » agere: & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere: Aduexi, expoſui: vendo » meum non pluris, quàm cæteri: fortaſſe » etiam minoris, cùm maior eſt copia: cui ſit » iniuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera » parte. Quid agis? tute, cùm hominibus » conſulere debeas, & ſeruire humanæ ſocietatis: eáque lege natus ſis, vt ea habeas » principia naturæ, quibus parere, & quæ » ſemper ſequi debeas: vt vtilitas tua, communis vtilitas ſit; viciſſim, & æquè communis vtilitas, tua ſit: celabis homines, » quid iis adſit commoditatis & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic. Aliud celare, aliud eſt tacere: neque ego nunc, te » celo; ſi tibi non dico quæ natura deorum » ſit: quis ſit finis bonorum; quæ tibi plus » prodeſſent cognita, quàm tritici vilitas. » Sed non, quidquid tibi audire vtile eſt, id » mihi dicere neceſſe eſt. Imò verò, inquit » ille, neceſſe eſt: ſiquidem inter homines » natura meminiſti cōiunctam ſocietatem. » Memini, inquit ille, ſed num iſta ſocietas » talis eſt, vt nihil ſuum cuiuſque ſit? quòd » ſi ita eſt, nec vendendum quidem quid- » quam

» quam eſt, ſed donandum.
2. Vides, in hac tota diſceptatione non
» illud dici: quamuis hoc turpe ſit, tamen,
» quoniam expedit, faciam: ſed ita expedi-
» re, vt turpe non ſit: ex altera autem parte,
» ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum.
» Vendat ædes vir bonus propter aliqua vi-
» tia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſti-
» lentes ſint, & habeantur ſalubres; ignore-
» tur, in omnibus cubilibus apparere ſer-
» pentes: malè materiatæ, ruinoſæ, ſed hoc
» præter dominum nemo ſciat: quæro, ſi hoc
» emptoribus venditor non dixerit, ædeſ-
» que vēdiderit pluris multò, quam ſe ven-
» diturum putarit: num id iuſtè, an impro-
» bè fecerit? Ille verò, inquit Antipater, im-
» probè facit. Quid enim eſt aliud, erranti
» viam non monſtrare, quod Athenis exe-
» crationibus publicis ſancitum eſt, ſi hoc
» non eſt, emptorem pati ruere, & per erro-
» rem in maximam fraudem incurrere? plus
» etiam eſt, quàm viam non monſtrare: nam
» eſt ſcientem in errorem alterū inducere.
» Diogenes contra: num te emere coëgit,
» qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod nō
» placebat, proſcripſit; tu, quod placebat,
» emiſti. Quòd ſi, qui proſcribunt villam
» bonam, vt ipſi aſſerunt, benéque ædifica-
» tam; non exiſtimantur fefelliſſe, etiamſi
» illa nec bona eſt, nec ædificata ratione:
» multominus, qui domum non laudarunt.
» Vbi enim iudicium emptoris eſt, ibi fraus
» venditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem di-
» ctum non omne præſtandum eſt, quod
» dictum non eſt, id præſtandum putas?
3. Quid verò eſt ſtultius, quàm vendito-
» rem, eius rei, quam vendat, vitia narrare?
» quid autem tam abſurdum, quàm, ſi do-
» mini iuſſu ita præco prædicet, Domū pe-
» ſtilentem vendo? Sic ergo, in quibuſdam
» cauſſis dubiis, ex altera parte defenditur
» honeſtas; ex altera ita de vtilitate dicitur,
» vt id, quod vtile videatur, non modò ho-
» neſtum facere ſit, ſed etiam, non facere,
» turpe. Hæc eſt illa, quæ videtur vtilium
» fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio. Quæ di-
» iudicanda ſunt: nō enim, vt quæreremus,
» expoſuimus: ſed, vt explicaremus.

Et quidem Antipatro aſſenſus eſt M.
Tullius his ipſis verbis. Non igitur videtur »
nec frumentarius ille Rhodius, nec hic »
ædium vēditor celare emptores debuiſſe. »
neque enim, id eſt celare, quidquid reti- »
ceas: ſed cùm, quod tu ſcias, id ignorare, »
emolumenti tui cauſſa, velis eos, quorum »
interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus »
quale ſit, & cuius hominis, quis nō videt? »
Certè non aperti, non ſimplicis eſt, non »
ingenui, non iuſti, non viri boni: verſuti »
potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, »
callidi, veteratoris, vafri: hæc tot, & alia »
plura, nónne inutile eſt, vitiorum ſubire »
nomina? De venditore ædium aſſentien- »
dum, & Antipatro, & M. Tullio. »

Bartolus in l. quæro. ff. de actio. empt.
idem defendit, quod Antipater: negat
enim, venditorem, qui arcanò ſcit ab ſe-
natu decretum eſſe, vt minore pretio fru-
mentum vendatur, poſſe ante promulga-
tum decretum, exigere pretium, quo ante
promulgationem decreti venire ſolet: &
emptori ignaro decreti illud totum red-
dere debere, quod nullo modo decreti
gnarus dediſſet. Neque enim propter in-
ſcitiam decreti voluntarius videtur fuiſſe
cōtractus emptionis: iniuſtéque deceptus
videtur à vēditore. Eamdem opinionem
animo comprehendiſſe videtur Medina,
C. de rebus reſtit. q. 22. art. 2. §. quid autem
ſi duo. Pro qua opinione Corradus mul-
tis pugnat argumentis in ſuo volumine
de contractibus, quæſt. 62. vult enim do-
lum ineſſe in venditore, qui ſcit aduenta-
re merces, idipſum ignorante emptore;
atque ob id ipſum non poſſe ratum inter
eos eſſe contractum venditionis & em-
ptionis; nec pretij dominium in vendito-
rem transferri, ſaltem eius partis, quæ fu-
turum pretium quod conſtituetur, ſu-
perabit.

Contrà D. Thomas in 2. 2. q. 77. artic. 3. 4.
ad 4. ſtat à Diogene magiſtro Antipatri
loquens his verbis. Ad quartum dicendū, »
quòd vitium non facit rem in præſenti eſ- »
ſe minoris valoris quàm videatur: ſed in »
caſu præmiſſo in futurum res exſpectatur »
eſſe

Digitized by Google

» eſſe minoris valoris per ſuperuentum negotiatorum, qui ab ementibus ignorâtur: » vnde venditor, qui vendit rem ſecundùm » pretium, quod inuenit, non videtur contra iuſtitiam facere; ſi, quod futurum eſt, » non exponat: ſi tamen exponeret, vel de » pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet » virtutis: quamuis ad hoc non videatur teneri ex iuſtitiæ debito. & Caietanus in » commentario illius artic. Regulariter, inquit, conſideratur in emptione & venditione pretium præſens, non futurum aut » præteritum. In diuum Thomam concedunt cuncti Summarum ſcriptores, in verbo, Emptio. Roſella num. 20. Angelus num. 26. Syluester q. 15. ſeu num. 16. Tabiena, num. 13. Armilla, num. 21. Couarruuias tuetur eamdem ſententiam in relectione regulæ iuris, peccatū. 2. par. relect. nu. 6. profértque Franciſci Balduini ſententiam, qui in cap. 1. de ædilitio edicto conſtanter aſſeuerauit, iure ciuili falſam Ciceronis eſſe ſententiam.

Neque mihi videtur tantorum eſſe neruorum communem opinionem his non ineptis rationibus ſuſtinere.

5. Sit igitur prima ratio. Rei præſentis, & quæ in præſentia emitur, pretium debet eſſe præſens, ex natura contractus, non futurum: nam cùm venditio & emptio ſit commutatio quædam, ius commutandi exigit, vt cùm tibi ego meam rem trado, tu mihi viciſſim tradas tuam: ergo cùm à me ipſe mercem meam accipis, à te ego viciſſim pretiū accipere debeo; quo pretio quod futurum eſt, ſitne maius vel minus, nihil mea intereſt aut ſcire; aut, ſi ſciam, tibi dicere. Secunda ratio, ſi ſciam frumenti auctum iri pretium, non poſſum vendere nunc meum carius: ergo quáuis ſciā imminutū iri, non cogor nunc vendere minoris. Tertia, fatentur omnes, cùm ambo contrahentes ignari ſunt aduentantium mercium, nihil agi cōtra iuſtitiam, & bonam fidem, ſi frumentum veneat pretio, quo paſſim venditur. Dices, hoc euenire propter bonam fidem vtriuſque contrahentis: atque ſcientia futuræ copiæ frumentariæ, quam percepit venditor, & inſcientia emptoris mala fide inficit venditorem: adducítque emptorē ad dandum pretium, quod nullo modo daret, ſi ſciret illud ipſum, quod nō ignorat venditor. Reſpondeo, cùm iuſtè vendatur frumentum, & pretio quo tunc venditur ab omnibus; nec futurum vendatur, ſed præſens, quod reuera tanti valet, venditorem vti iure ſuo; atque ob id ipſum neminem ab eo lædi; nec eum vllius eſſe doli ac fraudis affinem; & emptorem non quidem voluntate cauponante, & ſua tantùm commoda captante, ſed voluntate iuſta, politica, & ex iuſtitiæ commutatiuæ legibus contrahente velle debere, vt pro frumento præſenti ſoluatur illud ipſum pretium, quod ſolui ſolet: neque enim è quauis voluntate hominū ſumunt eſſentiam, & vim obligandi contractus, ſed ex ea, quæ non eſt iuſtis legibus, & moribus cōtraria. Quare nec ignorantia futurarum mercium obeſt contractui, ſed ſcientia rei præſentis, quæ venditur; & pretij iuſti, quo venditur, illum gignit; iuſtúmque & ratū efficit: quæ ſcientia iuxta eſt in emptore atque venditore.

Quæſtione hac explicata nonnullæ 6. aliæ enodatæ videntur in diſſimili genere non diſſimiles: verbi cauſſa; An is, qui lege principis monetam quampiam auream, aut argenteam interdictum iri, aut æſtimationem minuendam ſcit, poſſit ante promulgationem omnem ſuam diſtrahere. Videtur hoc facere poſſe. Intelligitur etiam quid in hac cauſſa dicēdum ſit.

Scripſit Venetias ad amicum ſuū quidam ex Orientis terris; vt coëmeret magnam vim aromatum ob impendentem eorum caritatem. Venetus mercator legit litteras, lectáſque concerpſit, atque in terram proiecit. Alius quidam in epiſtolam conſciſſam incidit; fruſta collegit, atque copulauit: nulláque interpoſita mora is, quidquid vndique potuit, aromatum, conquiſiuit & corraſit: id cùm facere poſtea vellet locuples alter mercator, ad quem datæ litteræ erant, cognouit eſſe ab alio

KKK omnia

omnia collecta aromata & empta; miratus qua ratione accidere id potuiſſet, cogitauit denique id, quod contigerat. Is qui repentè ex inopi factus eſt diues, nihil contra ius egit, vt Roſella ait, in verbo, emptio, num.21. & Sylu. in verbo, emptio, num.18. & Armilla, eod. tit. num.23. qui auctorem eiuſdem opinionis ſequuntur Archiepiſcopum Florent. Qui etiam huius alterius meminerunt.

Quidam litteras fingit ad ſuum familiarem; admonens eum, vt quantum lanę, aut ſerici aut alterius mercis poteſt, comparet: futuram enim earum rerum caritatem: idque in litteris falsò narratur: hic litteras haſce finit ſibi excidere; vt ab eo legantur, cui vult nocere: legit ille: & fidem habens litteris, magnum numerum mercatur earum rerum; atque in eo iacturam facit non leuem. Reſpondent iidē Auctores, ducem ſequuti, quem citant, diuum Antoninum, nulli reſtitutioni obnoxium eſſe illum, qui litteras ſimulauit: debuiſſe alterum eſſe prudentiorem, nec tam facilè illi credere epiſtolæ. Quamquam D. Bernardinus teſtetur in tractatu reſtitutionum, quoſdam affirmare auctorem falſarum litterarum reſtitutioni & compenſationi damni obnoxium eſſe.

QVÆSTIO XXXIII.

1. Conſultus Venetiis à quodam, qui auro chymiſtarum ditari cupiebat, an illi honeſtum eſſet iſtorum artem factitare, & chymiſtico auro ſeu argento, pro vero, in ciuilibus commutationibus vti.

Reſpondi inanis artificij cupido, & quoad eius facere potui, ſuaſi & perſuaſi, vt in ea arte nequaquam nomen ſuum profiteretur: neque fas eſſe in politicis commerciis alchymiſtarum auro ſeu argento, aut pro legitimo nummo, aut pro legitima rataque merce, hoc eſt, pro vero auro vel argento vti: verum aurum & argentum à ſolo DEO, cauſiſque naturalibus, procreari: à nulla præterea alia cauſſa ſeu natura, quamuis aut beatorum Angelorum, aut infidelium dæmonum ſit, ne dum hominum.

Primùm, quia DEVS Opt. Max. effectorem & parentem auri voluit ſolis eſſe radium, & calorem mitem, & benignum in terræ viſceribus, certiſque eius locis concluſum, ac temperatum: quam cæleſtis radij vim, & temperationem imitari ignis calor nequaquam poteſt; cùm cæleſti, omnia quæ gignuntur in terris, & oriantur, & augeſcant, & conſeruentur; igneo verò, cuncta conſumantur atque intereant. Atque vſu quotidiano erudimur, ignem non habere vim alterius rei gignendæ, ſed ignis tantùm producendi, ac reliqua omnia perdendi.

Deinde iſtis mendacibus hominibus non ſuppeditat vera & naturalis materia auri; quam non ſolùm ij nullam nanciſcuntur, ſed ne norunt quidem. Conſtituunt, tum auri tum cæterorum metallorum materiam, ſulphur, & mercurium, ſiue argentum viuum eſſe; in quo turpiſſimè labuntur, atque ab ipſa experientia redarguuntur: quandoquidem intra venas auri & argenti nihil inuenitur ſulphuris, aut viui argenti; nec in venis ſulphuris ſeu mercurij, quidquam apparet auri vel argenti; vt teſtes ſunt, qui omne tempus ætatis in natura perſpicienda metallorū, atque eorū domiciliis perſcrutandis contriuerunt; quibus multò maior eſt habenda fides, quàm ignaris alchymiſtis. 2.

Poſtremò, ne cunctos locos timer argumentorum, ſemper vidimus in aluo interiore terræ concreſcere, ac perfici aurū & argentum: verùm extra numquam factum eſſe adhuc eſt animaduerſum. Nec minùs neceſſarius eſt terræ vēter gignendo auro, quàm venter equæ, generando equo; & venter leænæ, generando leoni. Ecquis igitur credat, intra vas teſtaceum, quod vehementiſſimo igni exuritur, fabricari aurum poſſe? Quare Auicenna, cuius teſtimonium profert Ægidius Romanus, in quodlib. 3. q. 8. meteorologicos libros

bros explanans, negauit ab alchymiſtis aurum fieri poſſe. Cui Auicennæ hi quoque magni Auctores conſenſerunt. Auer. in paraphraſi in 1. lib. de gener. animal. D.Thomas in 2.lib.ſent.diſt.7.q.3.artic.1. ad 5.Ægidius in eo loco,Conciliator differentię,209.Cardanus 10.lib.de varietate rerum,cap.51.

3. Haud me latet in contrariam ſententiam deductos eſſe Albertum Magnum in 3.lib.de mineralibus, cap.9. & Ianum quemdam Licinium,cuius Cardanus meminit, & Antonium Mirandulanum, in opere de euerſione ſingularis certaminis, lib.19.ſect.7. Verùm prior ſententia apud nos valere debet;quæ & auctorum exiſtimatione,& argumentorum pondere vincit. Nec quidquam adferunt, qui argumentantur,animalium eſſe quoddam genus, quod non ſolùm cæleſti, ſed igneo etiam calore naſcitur;in quo genere pulli ſunt gallinacei;qui apud Ægyptios etiam calore ignis excluduntur. Falsò enim affirmatur,ignei caloris vi pullos illos exoriri: calor enim ſeminis gallinacei intra putamen oui incluſus calore ignis externo excitatus generat pullos.Sicut etiã ipſi cùm friget ſtomachus,ad cibos cõcoquendos,& piper ſumimus, & calore ignis vtimur;cùm tamen concoctio functio ſit vera caloris naturalis,non piperis,aut ignis: nam opus illud naturę,qualis eſt digeſtio, longè ſuperat facultatẽ piperis,aut ignis. Sed fac aliquod animal ab igne oriri poſſe, quod tamen non damus; idcircòne etiam ab eo aurum orietur, aut oriri poterit? minimè verò:quia à temporis principatu ad hanc diem,numquam id viſum eſt in natura; & quod adhuc non eſt factum,veriſimile eſt nec fieri in poſterum poſſe.

4. Neque conturbare quempiam debent, & de vera ſententia deiicere ramenta quædã,ſeu auri, argentive particulæ, quæ in lacubus fluuiiſque nonnumquam reperiuntur:quaſi in ſummâ,ſeu extima terra progigni aurum poſſit. Illa enim auri grana aut quopiam terræ motu in alueos lacuum & fluminum protruduntur; aut quod propius ad veritatem accedit, ſubter terram labentes aquæ,& metallorum fodinas peruadentes, metallàque detergentes,trahentéſque aureas & argenteas arenulas, veríque auri & argenti particulas non paucas,cùm ſe emergunt,& in lacuum, fluminúmque alueos irruunt, illic eas relinquunt.

Huius ſententiæ noſtræ veritatem à Marco Bragadino tamdem mors iuſta,& pœna paribuli extorſit.Hic enim nequiſſimus nebulo,ſuperis æquè ac mortalibus inuiſus, cùm ſuæ artis præſtigiis multos infatuaſſet; atque etiam à nonnullis Rex auri Venetis appellaretur:cuius ludificationibus qui aduerſabantur, ſtultorum nomen ſubibant,quod mihi quoque ſubeundum fuit, cùm dictitarem, Mammugnani, hoc enim nomine vulgo appellabatur,aurum nõ magis eſſe aurum,quàm, quod ipſe geſtabam manibus ſudarium: illud item affirmatè profiterer, nec dæmones, nec Angelos ſi inſtrumentis, & ratione Mammugnani vti velint,eſſe vmquam aurum effecturos.

Hic inquam, Planus, hic ſacri ordinis, quo initiatus erat, proditor, hic religioſi ac ſollemnis voti,quod nuncuparat, deſertor, cùm etiam Principibus viris, ſuis dolis ac mendaciis tenebras offudiſſet; cùm innumerabilem multitudinem eluſiſſet; cùm magna pecunia homines perilluſtres fraudaſſet,fraudationis cauſſa ad Bauariæ Ducem profugit. Verùm cùm tantum Principem tanti latronis gloria nequaquam diu latuiſſet, fœdiſſimorum ſcelerum conuictum neci adiudicauit; quem cùm carnifex ad ſuorum maleficiorum præmia,id eſt,cùm ad furcam vocaret, confeſſus eſt, numquam ab ſe in vita factum fuiſſe aurum;nec ſe credere illius faciendi vllam inter homines artem extare. Aurea furca digna confeſſio.

Ac licèt D.Thomas in 2.2.q.77. art.2. ad 1. dubitanter & quaſi Academicè; locutus ſit de auro alchymiſtarum, vendine poſſit pro vero: nobis tamen vendi non

 poſſe,

poſſe, viſum eſt ob eas, quas euoluimus, rationes: & ob eas quæ ab eodem diuo Thoma in 2. ſentent. loco, quem ſuprà oſtendimus, ſunt ſubtiliter explicatæ.

QVÆSTIO XXXIV.

1. QVi rem ſuam cuipiam mutuam tradit, potéſtne primaria intétione beneuolentiam, ſeu amicitiam eius, qui rem accipit, velle conſequi; & ex eadem beneuolentia lucrum aliquod, ſeu rem quæ pecunia æſtimari queat?

Prima præcipuáque intentione vtrumque optari poſſe credidit Caietanus in 2. tomo opuſcul. tractatu de vſura, qu. 2. & Nauarrus in ſumma, cap. 17. num. 209. ſed hic erratum correxiſſe videtur in eod. c. num. 215. & ille in 2.2. q. 78. art. 1. ſperatam remunerationem, quando eſt cauſſa, ſeu ratio mutuandi, vult ſpectare ad vſuram. Sotus in 6. de iuſtit. & iur. q. 1. art. 2. col. 1. Caietani ſententiam in quodlib. 1. q. 3. ſequitur; vt culpæ ſit expers, qui intentione principali mutuam rem tradés, optat beneuolentiam alterius, & ex beneuolentia » lucrum. Nam, inquit, cùm exterioris mé- » taliſque vſuræ idem ſit obiectũ; exterior » eſt fidiſſima interioris regula. Accipere ra- » tione mutui vſura eſt in re: ergo id animo » próponere vſura eſt in mente. Accipere » verò ratione amicitiæ, non eſt realis vſura: » ergo neque illud optare eſt mentalis. Sed » pòſt aliquantò addit. Hoc tamen faten- » dum: quòd cùm ſit valde ſubtile diſcerne- » re, quando intentio ſubeſt recipiendi ra- » tione amicitiæ, aut ratione mutui, ſemper » eſt talis intentio ſuſpecta. Sed vbi vir pru- » dens diſcernit, nulla ſubeſt culpa. Hæc Sotus.

2. Sanè certè mihi plena periculi horum videtur eſſe opinio, nouitatémque habere perodioſam: cùm enim reliqui Doctores dent mutuam rem concedenti, vt principaliter beneuolentiam ſperare poſſit ex mutuo, ſecundariò verò lucrum, Caietanus primus dixit primo loco rem vtramque poſſe intendi, ſed lucrum tamquam ex beneuolentia. Deinde quæro, num lucrum aucupari ex beneuolentia relata ad quæſtum, hoc eſt, velle beneuolentiam propter quæſtum, liceat ſine labe vſuræ. Nemo ſanæ mentis dixerit licere: nam velle beneuolentiam propter lucrum, eſt per ſe primò velle lucrum, & magis velle lucrum, quàm beneuolentiam, ex Ariſtotelis axiomate: propter quod vnumquod- » que tale, & illud magis. Ad hæc, ſicut non » liceret paciſci cum mutuatario hoc pacto: » mutuam tibi trado pecuniam meam, vt » mihi beneuolentiam impartias, & cum » beneuolétia aut aureum, aut medimnum » tritici: eſſet enim pactio ſordidiſſima, & » fœnore contaminatiſſima: ita ſentiendum eſt de eadem mutuatione, dum excluſo externo pacto inficitur prauitate mentis illud ipſum optantis.

Habetur auté principalis intentio pro tacito pacto apud Doctores. & quod dicit Sotus in 6. l. de iuſtit. & iur. q. 1. artic. 2. & Ioannes Medina in C. de rebus reſtituendis, tractatu de vſura, qu. 1. nec prima nec ſecunda intentione ſperari poſſe lucrum ex mutui contractu, eſt valde probabile: quamuis ſecus communis ſchola Doctorum ſtatuat.

Nimirum D. Thomas, qui in 2.2. q. 78. 3. artic. 2. dixit, mutuanti licere exigere compenſationem eorum quæ non menſurantur pecunia, vt beneuolentiam; hoc genere verborum non permittit: vt cum beneuolentia aliquid item exigat, quod pecunia menſuratur: & ſicut exigere non poteſt: ita nec præcipuè cum beneuolentia ſperare, cùm idem ſit obiectum vetitum pactæ exterioriſque vſuræ, & interioris, animóque conceptæ. Quocirca Ioannes Medina, in C. de rebus reſtituendis, tractatu de vſura, quæſt. 1. abſolutè ſententiam Caietani improbat. Et quoniam in hac parte videtur mihi idem Medina palmam aliis præripuiſſe, eius totam ſententiam ad nonnullas propoſitiones reuocabo.

Prima propoſitio. Si ſperatum lucrum ſit

ſit vnà cum beneuolentia concauſſa mutuationis, ita vt ambæ res beneuolentia & lucrum ſint ex æquo cauſſæ, nec vna ad alteram referatur, vſura eſt extra omnẽ controuerſiam: nam in vtramque rem per ſe & primò fertur animus eius qui rem mutuam dat.

Secunda propoſitio. Si è duabus illis cauſſis vna alteri famuletur, puta amicitia, ſiue beneuolentia, quæſtui, mutuum vitiari & turpiſſimam eſſe nundinationem dubitari non debet.

Tertia. Si lucrum ſperatum ſit cauſſa finalis præciſa, aut non præciſa, nihil intereſt, mutuationis, reddit eam vſurariã, quia tunc lucrum non ſolùm eſt ſperatũ, ſed etiam intentum: aliud eſt enim ſperare, aliud intendere; nam ſperamus quædam euentura, quæ non intendimus.

Quarta. Si lucrum ſperatum ſit cauſſa non quidem finalis, ſed impulſiua mutuandi, nõ intentum, ſed tamquam indicium grati animi creditum, ſeu cogitatũ, non concupitum, quamuis cum quadam animi voluptate probatum, contractum parit minimè vſurarium. Quarta hęc propoſitio excuſare poteſt opinionem eorũ; qui aiunt ſperari poſſe lucrum ex amicitia & beneuolentia.

Quinta propoſitio. Spes lucri, quę cum mutuo iungitur, duplex eſt, vna antecedens, altera concomitans: concomitans quia non eſt cauſſa mutui, non fœdat illud: antecedens ſi ſit finalis, fœdat; ſi ſit impulſiua, quamuis det cauſſam mutuo, non fœdat. Diſcrimen enim haud paruũ agnoſcunt Doctores inter contractum mutui, quod initur propter ſpem lucri, & illud, quod initur tantùm cum ſpe; illud prorſus damnant; hoc verò excuſationem habere poteſt legitimam.

5\. Hoc autem diſcrimen imitati Gloſſam interlinearem conſtituerunt. Nam Gloſſ. interl. in priorem ad Corint. cap. 9. dixit aliud eſſe *arare in ſpe*; aliud, *propter ſpem*. Etenim cùm ſperandum ſit vnumquemque præſtiturum, quod recti officij ratio expoſcit, necnon illud ſciamus, beneficio mutui alterum obligari ad parem gratiam referendam, ſperare poſſum mutuatariũ hoc ipſum facturum: quamquam propter eiuſmodi ſpem, ſeu gratiã ſperatam, mutuum dari non debet. His autem verbis Medina quæſtionem illam ſuam concludit, & nos item concludemus.

Dicendum vſuram poſſe accipi pro peccato vſuræ, ſeu contractu vſurario, poteſt etiam accipi realiter pro commodo, ſeu lucro vſurario. Si ſecundo modo accipiatur, aperta eſt definitio ſuprà poſita, ſecundùm quod vſura eſt lucrum ex mutuo principaliter, id eſt, finaliter intentũ: ſi verò primò accipiatur, vt peccatum, importat, ſeu contractum vſurarium, erit ſenſus definitionis, talis. Vſura eſt mutuatio, ex qua lucrum principaliter intenditur. Quamquam peccatum vſuræ non ſolùm in mutuatione conſiſtat: eſt enim quædam vſura mentalis; & eſt in ſpe lucri finaliter intenti: eſt quædã pactionalis, & eſt ipſa mutuatio adiecto pacto lucri intenti; eſt alia exactionalis, & conſiſtit in exactione, qua poſt factam mutuationem lucrum exigitur: eſt denique alia realis, & conſiſtit in receptione lucri ob mutuum factum: in quibus omnibus peccatum vſuræ committitur.

Ergo ex ſola beneuolentia ſi ſperetur lucrum, non videtur vſura: dummodò non feratur per ſe primò in vtrumque animus mutuam rem dantis, aut finem beneuolentiæ faciat lucrum quæſtúmque mutui.

QVÆSTIO XXXV.

Centum ab hinc annos, in quodam 1. oppido non obſcuro, nec opibus tenui, horreum publicum publico conſilio oppidi, & duarum villarum, quæ oppido hærent, inſtituitur; in illud quamplurimi frumentum comportant; vt egentes ad ſuam inopiam ſubleuandam habeãt, quò confugiant. Aiunt, illos, qui à principio frumentariam cellam fabricarunt & lo-

cupletarunt, triticum gratuitò impartitos eſſe: eorũ verò, qui horreo præfecti ſunt, cùm mutuum darent alicui frumentum, hanc rationem fuiſſe; vt menſe Maio indigenti mutuum darent, reddendum menſe Auguſto tantumdem, & aliquid amplius; quò eſſet, vnde merces ſolueretur iis qui curabant horreum, & cellæ etiam aliquid compendij fieret. exigebatúrque in ſingulos verbi cauſſa modios pars duodecima. Hæc autem pars duodecima tantùm quæſtus hoc annorum ſpatio peperit, vt frumentum nunc in cella conditum ſit ad ſeptingẽtos modios. Res ita eſt ab initio ducta, atque ad extremum perducta.

2. Tria nunc quæruntur. Primum, num tantus frumenti numerus, qui extat, iniquo fœnore coactus ſit, ac neceſſariò reſtituendus. Secundum, quibus illud reſtitui oporteat. Tertium, poſsítne honeſta ratio aliqua excogitari, quemadmodum redditione frumenti horreum non exhauriatur; nec vlla re diminuatur; quod cellæ præpoſiti peroptarent. Et in prima quidem quæſtione non videtur quidquã eſſe, quod dubitari poſſit. Nam cùm eiuſmodi cellæ, & montium, quos pietatis appellant, par ratio ſit, in exactione eius rei, quæ ſorti acceſcit, qua ſtipendia miniſtris ſoluuntur, certũ eſt, ſi quid amplius, quod non ad mercedem miniſtrorũ pertineat, recipiatur, ad vſuræ fructum pertinere, iiſque, qui mutuati ſunt, omne eſſe reddendum. Paulus II. ad ſuum legatum Peruſiæ tunc commorantem, ſcribit, vt ij, qui publicam pecuniam in aliquo ſeu monte, ſeu promptuario ſitam dent mutuam, ab iis, qui accipiunt, ne plus extorqueant, quàm miniſtrorum neceſſarium ſtipendium poſtulat: ne, ſi quid ſorti accreſceret, vſurę culpa contrahatur: de quo reſponſo teſtatur Caietanus, in tractatu ſuo de monte pietatis; qui tractatus eſt 6. in 2. volumine ſuorum opuſculorum.

3. Sed quibuſnam fœnoris fructus reſtituetur? hoc enim ſecundo loco quærebatur.

Reſpondeo, iis, à quibus eſt fœnebris ablata pecunia, ſiue viuant, qui vſuram penderunt, ſiue eorum extent heredes: nam illis defunctis hi ſuccedunt. Qui verò, & quot fœnus ſoluerunt, ex publicis tabulis cognoſci facilè poterit. Quòd ſi ex illis de multis veris dominis liquere non poterit, heres vniuerſorum ſuccedit Chriſtus, atque adeo pauperes. Itaque frumenti, quod nunc aſſeruatur in monte, ſeu horreo, ea pars, quæ certos habet dominos, iis reddenda eſt; quæ veros non habet, eſt pauperibus diſpartienda. Atqui hac ratione dices publicum horreum exinaniri, & commune commodum ad publicum incommodum recidere.

Cui incommodo medendum omnino videtur. Remedium verò huic malo, id enim tertium quærebatur, per appoſitum hoc eſſet: Vt vniuerſitas tam certorum dominorum, quàm incertorum, hoc eſt, pauperum Chriſti, conuocarentur; docerentúrque mala, quę interitum huius publici horrei conſequentur: rogarentúrque, remotis verborũ minis, fraudibus, dolis, importunis etiam precibus, vt communi vtilitati in perpetuum velint eſſe conſultum: fieri autem id facilè poſſet, ſi vtraque vniuerſitas, quod ſuum eſt frumentum, communi Oppidi, & duarum Villarum libenti animo donent: hac duplici in poſterum adhibita cautione.

Prior eſt, vt, ſi frumentum, quod à cella abiit, ad eam cum lucro reuertitur, illud amplius quod reſtituitur, non ad augendam ſummam frumenti, ſed ad mercedem duntaxat Miniſtrórum valeat. Quòd ſi Miniſtrorum ſtipẽdio quidpiam ſuperſit, illud ſingulis annis, aut in verorum pauperum claſſem erogetur: aut in perſonarum, quæ verè egentes ſunt, neceſſarium vſum conferatur: ius autem de eiuſmodi perſonarum cõditione cognoſcendi ſit penes duos, tréſve homines, prudentia, virtute, fide, ac religione commendatos; quos rectum eſſet è duabus tribúſve ſacris, ac Deo deuotis familiis deligere.

Poſte

Poſterior cautio Deo gratiſſima videretur, ſi cellę præfecti conſentiente populo, vel aliquo publico Magiſtratu, ſeu conſilio, in quod ſuam omnem populus tranſtulit poteſtatem, largitionem pauperum hoc beneficio emetirentur. Vt dum illis metiuntur frumentum menſe Auguſti reddendum, præter numeratum frumentum, nil aliud ſoluendi legem vllam imponant.

4. Hic non ab re fuerit cuiuſdam conſilij Nauarri partem deſcribere: quod conſilium eſt 17. in 2. volumine ſuorum conſiliorum l. 5. de vſuris. An ſit licitũ, vt mons pietatis det quattuor pro centenario deponentibus pecuniam apud ipſum, cum circumſtantiis, de quibus in bulla Iulij III. præſuppoſito, quòd eſt vtile ipſi monti.

Reſpondetur, primò quòd ſi inter montem pietatis, & deponentem pecunias apud eumdem, verus & ſolus contractus depoſiti fieret, non poſſet deponens iuſtè quidquam lucrari à monte depoſitario accipiente. Tum, quia verus contractus depoſiti eſt gratuitus l. 1. §. Si veſtimenta, & §. ſeq. ff. depo. ſicut & contractus commodati, iux. Gloſſ. 1. c. 1. de commod. Nam ſi quidquam daretur pro cuſtodia, eſſet contractus locati, vel conductionis, vt per prædicta iura probatur. Tum, quia potiùs deberet accipere depoſitarius à deponente propter onus cuſtodiendi, quod ſubit, quàm è contrario, vt palam eſt. Adeo, quòd nos in Manuali confeſſ. cap. 17. num. 293. probamus verè deponentem cum pacto, vt pro cuſtodia nihil depoſitario daretur, ſed vſus pecuniæ eſſet pro ſalario, committere vſuram.

Secundò, quòd huiuſmodi deponentes apud montes, non dicuntur verè deponentes, ſed mutuantes: quoniam qui deponit pecuniam numeratam apud alium, ea lege, vt depoſitarius ea vti poſſit, cum obligatione reddendi eam quandocumque repetatur, cenſetur mutuare. l. certi condictio. §. fin. cum l. ſeq. ff. de reb. cred. & huiuſmodi deponentes hac lege deponunt ſuas pecunias apud montes.

Tertiò, quòd ex hoc ſequitur, huiuſmodi deponentes, non poſſe iuſtè capere quattuor, nec quidquam aliud pro centum ſola ratione eiuſmodi depoſiti: quia id eſſet capere vi, & ratione mutui: & conſequẽter vſuram committere iux. c. 1. & per totam 14. q. 3. & veram definitionem vſuræ, quam nos poſt alios tradimus in d. c. 17. num. 206. nec poſſent excuſari ratione vtilitatis, & pietatis montis: cùm neque pro redemptione captiuorum poſſit vſura exerceri. c. ſuper eo de vſu. quod habet etiam, ſuper hoc non poſſe per Papam diſpenſari. 5.

Quartò, quòd prædicti deponentes iuſtè poſſunt percipere prędicta quattuor pro centum; modò concurrant illa, quæ Fel. record. Iulius III. voluit, vt concurrerent in depoſitionibus faciendis apud montem ciuitatis Vicentinæ. Videlicet quòd intentio & finis principalis ſit iuuare montem, & pauperes ab eo mutuãtes; & non fœnerandi: & quòd ad finem deponendi, ſiue mutuandi monti merces paratas vẽditioni, quas alioqui emiſſent, cùm ſint ſoliti mercari, aut ſi non ſint ſoliti mercari, emiſſent tamen; huiuſmodi deponentes non recipiunt illa quattuor vi & ratione talis depoſiti, ſeu mutui, ſed ratione lucri ceſſantis, quòd veriſimiliter lucrarentur tantumdem, vel amplius; & conſtat mutuantem ratione veri intereſſe poſſe capere aliquid mediocre vltra ſortem, iux. Gloſſam ab omnibus receptam, in c. conqueſtus de vſuris.

Verùm quod quarto notab. aſſeuerat Nauarrus, cunctos ſentire cum Gloſſa de lucro ceſſante, quòd peti poſſit ab eo, qui mutuo ſuccurrit alteri, fallitur. Nam à Gloſſa nobiliſſimus iuris Pontificij interpres diſſentit Innocent. in c. nauiganti de vſuris. D. Thomas, in 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. Durandus, in 3. ſent. diſt. 37. quæſt. 2. ad 1. Vtriuſque Theologi ratio eſt, quia non debet quis vendere, quod nondum habet, & poteſt multipliciter impediri. Idẽ 6.

ſentit Sotus,lib.6.quæſt.1.art.3. de iuſt. & iur. qui ſuperiorum Doctorum ſententiæ adſcribit Scotum. Verùm hic in 4.diſt.15. quæſt.2.art.2. nec refellit lucrum ceſſans, nec de eo mentionem facit.Sic enim Scotus.Quandoque licet accipere vltra capitale ex pacto; quandoque autem non ex pacto.Primum,tripliciter,vel ratione pœnæ conuētionalis:Secundum, ratione intereſſe. Tertia conditio quando vtrumque,ſcilicet capitale, & illud ſuperfluum, ponitur ſub incerto.

Neque eò quartum Nauarri dictum correxi, quòd communem recentium Doctorum opinionem falſitatis arguam, cùm rem ſuam mutuam danti ſperati lucri actionem & pactionem concedunt: ſed ne quis hanc opinionem, vt certam ſequatur; néue ſibi perſuadeat actionem lucri futuri, quod multipliciter impediri poteſt, æquè iuſtam certámque eſſe, vt eſt illa ex omnium ſententia, quæ datūr ob damnum acceptum. Nam lucri ceſſantis actionem mutuam ſuam pecuniam dantibus negari apud Venetos Magiſtratus perſpicuum eſt: idque mihi Patricij Veneti non ſemel confirmarunt.

QVÆSTIO XXXVI.

1. QVæ nunc inſtituitur,& aliæ nonnullæ, quæ ſuis locis explicabūtur,quæſtiones, à Theologiæ doctore ſunt ad me Patauio miſſæ Venetias. Prima igitur fuit huiuſmodi.

Verúmne defenſionem Soti haberet opinio,qui in 6.lib.de iuſt.& iur.q.1.art.2. in calce, exiſtimat, eum, cui pro pignore datus eſt ager non fertilis, non vitens, à domino minimè colendus, poſſe ex eo agro lucrari fructus, ſi ſua opera ac ſtudio frugifer factus fuerit; quos fructus perceptos neque vero poſſeſſori, ac domino reddere debeat, nec in ſortem conferre.

Reſcripſi, Soti ſententiā magna æquitate niti,mihique non propter Soti rationem, ſed propter ſe ipſam, & propter ea quæ adferentur à nobis probari. Nam Dominicus Sotus æquam ſententiā ſuam eſſe contendit: quoniam, inquit, cùm tu nullum pateris detrimentum, non debet alterius induſtria in ſortem computari; veluti,ſi depoſitarius vſu pecuniæ tuæ lucretur; nihil tibi debet. Multa enim peccat ratio.

Primùm. Quia ratio eius conficere videtur, poſſe eum, cui rem meam pignori tradidi, puta fundum etiam fertilē, quem ego ad decem annos exarare nolebam, poſſe, inquam, toto eius temporis ſpatio fructus capere, modò nulla re faciat fundum deteriorem: quod nemo ſanæ mentis audeat dicere.

Secunda. Labes argumentationis ea eſt, quòd exiſtimat non damno afficere alterum, qui eius terram colit, & feracem reddit, quam numquam dominus reddidiſſet. Verùm, qui intelligit ius vtendi,& fruendi re alterius, ſine iniuria eripi alteri non poſſe; & qui eo ſpoliatur, ſpoliari re, quæ æſtimationem, & pretium habet; nimirum quod ait Sotus,minimè probabit.

Tertium. Vitium in eo latet; quòd depoſitæ pecuniæ vſum cum vſu terræ, quæ 2.
eſt oppoſita pignori, confert: cùm vtriuſque ratio rei ſit quàm diſſimillima. Vel quia nulla pecuniæ pars per ſe fecunda eſt,cùm maxima terræ,in qua habitamus, ſua ſponte res multas efferat ob varia ſeminum genera, quæ in ea ſunt ſparſa, nec à quopiam homine ſata: Vel etiam, quia eæ partes terræ, quæ ſteriles ſunt, aut naturæ beneficio,aut humana ſolertia vbertatem nanciſcuntur: ſi quidem aquarum inductionibus, ſtercorationibus, pingui etiam humo adiecta inculto & arido ſolo fecunditatem damus. Amnium item liquoribus & inundantibus fluuiis agros, & lætificari, & oblimari, & conſeri videmus. Ægyptum Nilus irrigat, inquit M. »
Tull.in 2.lib.de natura Deorum,& quum »
tota æſtate obrutā oppletámque tenuit, »
tum recedit, mollitóſque & oblimatos »
agros ad ſerendum relinquit. Meſopota- »
miam fertilem efficit Euphrates;in quam »
quotan

» quotannis nouos agros inuehit. Indus verò, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolùm agros lætificat, & mitigat, ſed eos etiam cõſerit. Magnam enim vim ſeminum ſecum frumenti ſimilium dicitur deportare. Hactenus Cicero. At nulla vel naturæ ars, aut hominum ratio, pecunia, vt per ſe fructuoſa ſit, aſſequi poterit.

3. Quocirca, ſi Soti ſententia retinenda foret, mallem duabus his rationibus retinere.

Prior eſt. Quoniam eorum, quæ terræ fœtu profunduntur, proxima, & germana cauſſa non eſt ſoli proprietas & ſubſtrata ſoliditas, ſed fecunditas; quam eamdem parentem fructuum nuncupare licet. Cùm igitur pignoris cuſtos fertilitatem ſolo alterius ſterili, præſertim approbante domino, ſolertia ſua ingignit, fructus, quos colligit, è re ſua colligere intelligitur: nec enim terra, vt terra, frugem fert vllam, ſed vt fecunda.

Poſterior ratio. Quia dubitari non debet, agri dominum libenter fructus condonare ei, à quo recipit terram fructuoſam; quam ipſam, cùm pignori traderet, omnis fructus & vbertatis expertem tradidit. Quamquam hanc ſuam Sotus opinionem magna modeſtia Theologica » temperauit, verbis his vſus: Impignoras » verbi gratia ſterilem agrum, qui tibi neu» tiquam erat vſui: qua nec erat frugifer, » nec vireſcebat; neque illum colere cogi» tabas: alter autem, cui impignoraſti, colit » illum, vt olera ſaltem inde colligat; fortè » non eſt condemnandus; vt in ſortem du» cat: & poſt interiectum verſum. Hæc au» tem prudenter penſanda ſunt.

4. Et quamuis Nauarrus, in Summa, c. 17. num. 216. neget tutam hanc Soti eſſe ſententiam; eámque duobus adortus ſit argumentis labefactare, nihilominus vt eſt à nobis defenſa, egregiè ſe noſtris argumentis aduerſus illius tuetur. Illud verè admonet Nauarrus citato loco non fœnerari eum, qui (verba ſunt eius) tantùm in pignore impendit, quantùm vtilitatis ex eo percipit. Verùm idem doctor cum Soto planè ſentire videtur in eodem cap. 17. num. 25. dum loquitur his verbis. Si » res retẽta iniuſtè eſt fructifera, reſtituendi » ſunt domino omnes fructus, & emolu» menta. c. graui cum ei adnot. de reſt. ſpo» liat. l. cùm prætor. ff. de verb. ſignif. & 3. q. » 1. per totam, quæ ſunt ea, quæ deductis » neceſſariis impenſis in illis acquirendis, » colligendis & conſeruandis factis ſuper» ſunt. l. fructus. ff. ſol. matr. l. ſi à domino. §. » fructus. & l. planè fin. ff. de petit. heredita» tis: ſed ſi res non eſt fructifera, non eſt » reſtituendum, quod ex eius vſu, & indu» ſtria eius, qui occupatam rem tenet, lu» crifactum eſt. Per quod ſoluitur dubium » de illo, qui torquem aureum à non do» mino emptum ſæpius locauit, an pretium » locationis reſtituere teneatur. Reſpon» dendum eſt negatiuè. Nam & vſurarius » & latro non tenentur reſtituere, quod lu» crati ſunt pecunia ad vſuram accepta, aut » furtiua, negotiationi eam applicãtes; imò, » qui illud accipere vellet, vſuram commit» teret. c. plerique, & cap. fin. 14. q. 3. ſecun» dùm Scotum in 4. lib. ſentent. diſt. 15. q. 2. » niſi quando acciperet pro ſuo intereſſe, » &c. Profectò Nauarr. plus dixiſſe videtur, & re, & verbis, quàm Sotus.

QVÆSTIO XXXVII.

Depono apud te pecuniam meam, triticum, oleum, vinum, ſiue rem quampiam, quæ in numero, pondere, vel menſura conſiſtit; tibíque poteſtatem facio; vt re eiuſmodi vti poſſis; hac tamen lege; vt pro vſu aliquid mihi ipſe reponas. 1.

Quæritur vtrùm pactũ illud iure conſcientiæ defendi poſſit. Iniquum & vſurarium eſſe perſuadet Nauarrus, in Summa, c. 17. num. 181. & in priore volumine ſuorum conſiliorum l. 3. de depoſito conſ. 1. 2. 3. & 4.

Eius præcipua ratio eſt, quia facultas data depoſitario vtendi re depoſita, facit depoſitum migrare in mutuum ſtatim

atque ea uti ceperit depoſitarius: idque probat ex l.quintus. ff. depoſiti, & l. certi condictio. §.fin. ff. de rebus creditis, & nonnullis aliis legibus ſequentibus. Verùm lex illa, quintus, oppoſitum potiùs, quàm propoſitum concludit: quod conſtat ex Summa Bartoli in eam legem. leges de rebus creditis ad rem faciunt, præcipuè §. ille poſtremus his verbis perſcriptus. Depoſui apud te decem: poſtea permiſi tibi vti. Nerua & Proculus etiam, antequam moueantur, condicere quaſi mutua tibi hæc poſſe aiunt: & eſt verum, vt & Marcello videtur.

Eôdem confert has rationes idem doctor in conſ.1.de depoſito l.1. num.7.8.9. 10.11. Prima in num.7. depoſitum contractus eſt gratuitus, vt colligitur ex Gloſſa 2.c.1. de commodato adiuncta Gloſſa, verbo, Culpa, c.1.de depoſ.ſi enim aliquid tamquam pretium acciperetur, euaderet contractus locationis, & conductionis. Secunda, in num.8. contra legem naturalem & humanam eſt, vt qui præſtat operam, pro ſua opera aliquid ſoluat argumento legis ſecundùm naturam. ff. de reg.iuris & Clem.1. de cenſibus, & c. qui ſenſit de reg. iuris lib. 6. quæ teſtantur ſecundùm naturam eſſe vt qui patitur onus ſuſcipiat commodum, non è contrario onus, & damnum. Tertia, in num.9. lege naturali, diuina & humana, debetur operam nauanti merces: ergo, cùm depoſitarius præſtat operam ſuam, merces illi deberetur. Quarta, in num.10. ea, in quibus eadem ratio militat, eodem iure cenſenda ſunt l.illud.ff.ad legem Aquiliam.C.1. de tranſlatione Prælatorum: at mutui datio, & depoſitio pecuniæ, cum facultate, vt ea depoſitarius vti poſſit, eiuſdem ſunt naturæ, vt allatæ leges probant: ergo ſicut in mutui datione nihil licet accipere ex pacto, ſic nec in pecuniæ depoſitione. Quinta. Quia qui apud campſorem deponit pecuniam ſeruandam ſine facultate vtendi, nec mercedem ſoluere vult, peccat.

Hæc in conſilio primo. In ſecundo conſilio, Negat licitum eſſe collegio, vel eius œconomo, vel alij ſingulari perſonæ, verba ſunt Nauarri, habenti aliquos redditus, exigere aliquid à receptore, vel theſaurario conſtituto ad eos recipiendos, cum facultate vtendi pecunia recepta, quouſque veniat dies præfixus ad eam reddendam. Idem confirmat conſilio tertio & quarto, vbi illud etiam admonet: cùm depoſitarius deponenti ſoluit aliquid non liberè, ſed veritus, ne ſi ſecus agat, ab eo auferatur pecunia, & alij tradatur, non tuta conſcientia à deponente accipi.

2. In quinto conſilio eodem titulo probat hanc rationem cum Eccleſia contrahendi. N. ſummam quampiam numeratæ pecuniæ apud Eccleſiam aliquam deponit ea lege; vt adminiſtratores bonorum eius redditus annuos emant; quorum pars quinta ſit ipſius Eccleſiæ pro decima, & onere adminiſtrationis: quattuor aliæ partes pertineant ad deponentem; eiúſque ſucceſſores: oſtendit Nauarrus iuſtum hunc eſſe contractum, ex cap.1. de depoſito, & eius Gloſſa communiter recepta. Deinde, quia omnis contractus legitimus, qui vtilis ſit Eccleſiæ, cum ea iniri poteſt. Poſtremò, quia licitum eſt donare Eccleſiæ ſub modo, & onere, vt aliquis cenſus annuus donanti tribuatur. cap. Eleutherius.18.q.2. & c. præterea, de iure patronatus.

3. In his Nauarri explicationibus illud meritò quis deſiderarit; vt is fateatur fieri poſſe, vt ſæpe ob pecuniæ vſum, depoſitum nõ tranſeat in mutuum, ſed in alium quempiam iuſtum contractum, vt locationis, vt venditionis: ex quibus contractibus iuſtum lucrum ex pacto conſequi poteſt deponens. Cùm enim depoſitarius inuito domino rem depoſitam contrectans, actione depoſiti, & furti teneatur, vt eſt in l.ſi ſacculum.ff.depoſiti, & inſtit. de obligationibus quę ex delicto naſcuntur. §. placuit: profectò ſi ego ei, apud quem eſt mea pecunia, nomine depoſiti concedo, vt ea vti poſſit ad oſtentationẽ, ad oblectamentum, ad leniendam ægritudi

tudinem,ſeu ad alium vſum;quo pecunia nec interit domino,nec amittitur; honeſtam aliquam mercedem pro eiuſmodi vſu percipere poſſum: nam locari poſſe pecuniam tradunt magni & inſignes auctores.

Quare D.Thomas, in 2.2.q.78.art.1.
» ad 6. Poteſt, inquit, eſſe aliquis ſecunda-
» rius vſus pecuniæ, vt puta, ſi quis conce-
» deret pecuniam ſignatam ad oſtentatio-
» nem, vel ad ponendum loco pignoris, &
» talem vſum pecuniæ licitè homo vende-
» re poteſt. Poſſe item pecuniam vendi,vt res quædam eſt, ſicut vendi ſolet maſſa auri, vel argenti rudis, necdum publica forma impreſſa exploratum eſt, & cum grauiſſimis Magiſtris concedit etiam Nauarrus, in Summa, c.17. num.291. qui in numer. 287. eiuſdem capitis varios vſus enumerarat pecuniæ,è quibus licitè quærere poteſt lucrum eius dominus. Quare leges ex ff. de reb. cred. ſumptæ intelligi tantùm debent de vſu pecuniam conſumente, ac perdente; & quando ea tamquam pretio, vtimur.

QVÆSTIO XXXVIII.

1. IN hac quæſtione tres nodos propoſitum eſt nobis breuiter expedire.

Primus eſt huiuſmodi. Prætorio interdicto à debitore bona auferuntur addicenda creditoribus; ea à Miniſtris præſidis aſſentiente debitore apud opificem quemdam deponuntur: opifex eam partem domus, in qua pignora expoſita adſeruantur,locaturus erat; & ex locatione lucrum ſatis exploratum expectabat: propter cuſtodiam bonorum perit opifici annuum compendium.

Quæſiuit, vtrùmne compenſationis iure vti poſſit, de bonis illis tantumdem vendicando, quantùm locatæ domus lucrum futurum erat.

2. Reſpondi, ius compenſationis opifici non concedi. Primùm, quia licèt compenſatio in alijs admittatur: in depoſito tamen non permittitur ex cap. bona fides, de depoſito. & ex C. eodem tit. l. Si quis pecunias.

Deinde, quia compenſatio, vt placet Panormitano, in cap. bona fides, de depoſito, quem omnes Summarum ſcriptores citant,& ſequuntur, eo rerum genere fieri debet, quæ functionem habent, hoc eſt,quarum vna alterius vice fungi poteſt; vt ea ſunt, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt: ex quo genere non puto eſſe ea quæ opificis cuſtodiæ & fidei credita ſunt: quamquam de ſententia Panormitani diſſeremus in ea quæ ſequitur quæſtione.

Deinde, quia cauſſa, ex qua poſtulatur compenſatio, liquida eſſe debet, verba ſunt Gregorij IX. in eo cap. bona fides: hoc eſt, liquidum & minimè incertum debet eſſe creditum,ſeu id, quod ab altero nobis debetur. C. de compenſ. l. poſtrema. Atqui opificis creditum, quod numquam in rerũ natura extitit, ſed fuit ſemper futurum, ſperatum, periculis obnoxium, caducum, in potẽtia, & quod multis modis impediri potuit, incertum fuit; nam futuri lucri, quod is è locata domo ſperabat, natura erat eiuſmodi: ergo quis dixerit illud eſſe liquidum?

Deinde; quia pignora non ſunt eorum qui illa domum opificis deportarunt, aduerſus quos tantùm conuenit actio opifici; ſed ſunt creditorum, vt pote iis adiudicata; qui eorum cuſtodiã haudquaquam opifici commiſerunt: ergo non debet creditorum iniuria, ac damno, reficere ſuum opifex.

Deinde; quia iniquum eſt in ſua cauſſa ius ſibi dicere; cùm ad ius & iudicem adiri poſſit, vt & iura præſcribunt; & doctores vtriuſque iuris, ac Theologi præcipiũt: contra ius igitur peccabit opifex, ſi non implorato officio iudicis, quidpiam iniuſta compenſatione molitus fuerit.

Poſtremò; quia publica poteſtas pri- 3.
uatum ciuem aliquo damno poteſt afficere, vt maius & commune damnum vitetur. Præterquam quòd veriſimile eſt; ſi

ius ſuum apud iudicem proſequatur, facilè impetraturum eſſe, vt ſinguli creditores de ſuo aliquid pro mercede opifici ſoluant.

Duo etiam addo ad huius controuerſiæ explicationem. Vnum eſt, quamuis opifex mutuam pecuniam dediſſet debitori, cuius pignora ſeruat, nihilominus ſi eius nomen aliorum creditorum nominibus poſterius eſſet, fortaſſe non poſſet ſibi tantumdem de bonis debitoris occupare, ſed ſui nominis ſolutio ſuſtinenda ei eſſet, quoad prioribus eſſet reliquis creditoribus ſatisfactum: *fortaſſe* dixi, quia id non tamquam certum ſequor, vt apparebit ex conſequenti quæſtione. Quo autem ordine creditoribus reſtitui oporteat, ex D. Bernardino & Baldo, videto apud Roſellam, in verbo, Reſtitutio, 16. §. 3. Alterum eſt: contra depoſitum, quamuis non detur directa, dari tamen indirectam compenſationem.

Quid directa indirectáve ſit compenſatio, oſtendit is, qui in Angeli Summam, ſcholia elucubratus eſt: nam in §. 12. Angeli, in verbo, Depoſitum, directam compenſationem ait eſſe, debiti & crediti inter ſe contributionem. In quibus verbis poſita eſt compenſationis definitio. ff. de compenſat. l. 1. indirectam autem, vt ſi retineam pro debito meo donec mihi ſatisfacias. Ita ſi depoſuiſti apud me equum, in quem feci expenſas, poſſum retinere equum, donec expenſas mihi reſtituas: idque haberi ait in Gloſſ. l. penult. C. eod. tit. & apud Baldum & Salicetum ibid.

Quare indirecta compenſatio, nihil aliud videtur eſſe in contractu depoſiti, quàm, inuito deponente perſeuerare in cuſtodia depoſiti, quoad cuſtodi fuerit ſatisfactum: & impedire, ſeu retardare ius reuocandi rem depoſitam deponentis arbitrio.

4. Secunda controuerſia fuit. Cùm vectigal ſoluendum imponitur ciuium agris; in quibus Pontificij cenſus iure ſunt aliis non pauci obligati: Dubitatum eſt, penſitandi vectigalis onus pertineátne ad venditorem cenſus, an ad emptorem. Nimirum ad venditorem pertinere iudicaui. Nam is dominus & poſſeſſor remanet fundi poſt conſtitutum cenſum. Id quod à nobis in ſcholis & gymnaſiis, in publicis & priuatis congreſſibus, millies inculcatum eſt.

Nec ſecus video à ſcientiſſimo viro Martino Nauarro multos ab hinc annos iudicatum eſſe in commentario de vſuris, q. 79. num. 232. vbi iura regalia tradit à venditore cenſus ſolui debere, non ab emptore: allatáque lege Cod. probat non valere pactum inter venditorem & emptorem, vt prædij poſſeſſor non teneatur ſoluere fiſcalia iura.

Tertia quæſtio ad hunc modum in- 5.
formabatur.

In aliqua Italiæ ciuitate hæc lex conualuit; vt, ſi famulus ab hero, aut verberatus, aut verborum contumelia affectus eſſet; & famulus inter verbera, & contumelias dominum interemiſſet, ea res ne exitio ſeruo eſſet, ſed vltimum ſupplicium euaderet. Iam verò eius ciuitatis ciuis nonnullus cùm ſeruum ſuum diſtricto enſe, & conuiciis verberaret, ab eodem vulnera multa & periculoſa accepit: ſaucium herum inuiſit iudex, vt vulnerationis auctorem cognoſceret; cui tamen prodere herus noluit.

Illud autem quæſitum eſt, deberétne de ſuæ pulſationis iniuria dominus confiteri; vt, ſi ex illis vulneribus forſitan interiiſſet, ne famulus comprehenſus, & capite damnatus, morte multaretur. Mihi viſum eſt iure potuiſſe herum de verberationis iniuria reticere. Primùm: Quia crimen heri occultum erat; de quo non poterat iure interrogari. Deinde, quia, vt mihi narrabatur, confeſſio erat domino certo malo; at ſeruo ex ea nullum certum creabatur periculum: iam enim fuga ſaluti ſuæ famulus conſuluerat: ac ſi in iudicum manus incidiſſet, non heri confeſſio, aut teſtimonium, ſed ſua ſibi tantùm nocuiſſet. Quidquid enim herus, aut confitendo, aut teſtificando contra famulum molitus

Digitized by Google

molitus eſſet, ſola inficiatione famulus demolitus eſſet. Nihil igitur erat, cur dominus ſeſe in iudiciorum laqueos induceret, quibus ſe fuga famulus iam expediuerat. Adde, quòd iudex hero in ſua cauſſa contra famulum credere minimè debebat, ſiue tamquam accuſator, ſiue tamquã teſtis auditus eſſet.

Sibi igitur potiùs quàm famulo conſulere potuit ac debuit.

QVÆSTIO XXXIX.

1. CAſtruccius eſt in bonis nonnullis ſui demortui debitoris: cui tredecim crediderat aureos nummos: ſed, ſi velit iure experiri, cauſſa cadet Caſtruccius: quia ſuum nomen teſtibus & ſyngrapha caret: eius eſt is ſolus conſcius. Heres demortui ad Caſtrucciũ ſcribit, vt quantùm eſt eius nomen, tantumdem ſumat de bonis defuncti. At multi ſunt creditores, qui de bonis defuncti volunt ſibi ſolui. Quare iis apud Eccleſiaſticum iudicem obnixè agentibus edixit iudex, vt qui aliquam rem, quę in peculio mortui debitoris erat, poſſidet, aut ab quopiam poſſideri ſcit, enunciare cogatur pœna excommunicationis propoſita cunctis, qui edicto non obtemperarint.

Quærit Caſtruccius, num compenſationis nomine retinere queat de bonis defuncti, quantùm ei crediderat; & num lege, res, quas habet in manibus, indicandi iudici teneatur.

Eſt ſecunda quæſtio nexa cum prima. Compenſationi impedimẽto videtur eſſe ius priorum creditorum; quibus priùs quàm Caſtruccio, eſſet ſatisfaciendum.

2. Hæc vna dubitatio à principio animũ meum pepulit. Sed de re tota, cùm poſtea conſideraſſem attentiùs, reſpondi Caſtruccio, ius ei eſſe compenſandi; nec de reliquis creditoribus, quibus nondũ ſunt mortui debitoris bona addicta, illum eſſe debere ſollicitum: dummodo Caſtruccius non poſſideat iure depoſiti: namque depoſitum compenſationem non admittit, ex Decretali, bona fides de depoſito, & ex l. poſtrema, C. de compenſationibus: & dummodo eius creditum ſit certum.

Reſpondet Caſtruccius, certum ſuum eſſe creditum; quamuis actionis & probationis ciuilis ſit expers; neque ſe nomine depoſiti quidquam mortui debitoris habere. Tunc ego illi: ergo in compenſando ius tibi dicere potes: neque enim æquum eſt te rem tuam amittere, cùm recuperare illam poſſis.

Homini iuris ciuilis perito has omnes conſilij mei atque reſponſi cauſſas expoſui. Primùm, quia id perſpicuis verbis permittit lex poſtrema, C. de compenſationibus: ſic enim loquitur lex. Compenſationes ex omnibus actionibus ipſo iure fieri ſancimus, nulla differentia in rem, vel in perſonalibus actionibus inter ſe obſeruanda. 2. Deinde, quia mihi cunctas leges de iure compenſandi, ſiue in libros Pandectarum, ſiue in Codicem relatas perlegenti nulla occurrit, quæ in compenſatione anteriorum creditorum rationem haberi iubeat. Tum, quia in furto, ei, cui eſt res ablata, omnes compenſationẽ concedunt; modò ex ea re nec mala nec ſcandala oriantur. Summarúmque ſcriptores tum in verbo compenſatio, tum in verbo furtum, ducem ſequuntur Innocentium, in cap. olim cauſſam, de reſtitutione ſpoliatorum, nu. 7. commentarij, cuius item ſententiam graues & antiqui Theologi probauerunt.

Neque in hac compenſatione rerum noſtrarum, quæ furto ablatæ ſunt, illud ſpectari ſolet: num res furis ſint aliis anterioribus creditoribus obligatæ. Tum, quia in ratione & iure compenſandi fortaſſe locus eſt illi axiomati iuris ciuilis: potior eſt conditio poſſidentis: nam Caſtruccius eſt in poſſeſſione aliquorum bonorum ſui debitoris, reliqui in nulla ſunt poſſeſſione. Ad extremum: quia ſicut in mea ſeruanda vita non ſpecto, qui ante me in lucem ſuſcepti ſunt; neque in mea recuperanda exiſtimatione, vel fama, quæ 3.

potiora ſunt bona, quàm pecunia, illud cogitare debeo; an is, qui meæ exiſtimationi, famæ & honori ſatisfacere debet, id ipſum præſtare debeat aliis, quorum antea famã exiſtimationémque violarat.

Ita in mea re familiari, ſeu pecunia recuperanda pecuniæ alterius ante meam creditæ rationem ducere non debeo: id enim ius & onus manat ex ordine caritatis naturalis; vt ſicut ipſe meam vitam plus diligere debeo, quàm alterius: ita meam famam, iuſtam exiſtimationem, & honorem, & rem domeſticam, magis caram habere debeam, quàm alterius. Quæ mihi ratio prorſus perſuadet.

4. Obiiciat quiſpiam è Panormitano, in » caput Bona fides, de depoſito, num. 12. » Quòd compenſatio, verba ſunt Panormitani in eo commentario, admittitur in » omnibus ſaltem, quæ in ſuo genere recipiunt functionem, id eſt, quòd vna res ex » toto poteſt fungi vice alterius: & iſta communiter conſiſtunt in pondere, & numero, & menſura. In his verò, quæ in ſe non » recipiunt functionem, ceſſat cõpenſatio. » Exemplum, ſi tu teneris mihi in quinquaginta, & ego tibi in equo, non admittitur » compenſatio, quia ſatis poteſt plus eſſe » intereſſe & affectio, quã habeo ad equũ, » quàm illa, quam habeo ad pecuniam: ſecus autem eſt, quando nullum poſſum » prætendere intereſſe: vt puta, tu mutuaſti » mihi pecuniam, & ego tibi pannum vel » quid ſimile.

Penè cuncti controuerſiarũ conſcientiæ diſceptatores, totum hunc locum Panormitani in ſua ſcripta deriuarunt, de ſuo nihil addentes; cùm tamen commodam additionem interpretationémque deſideraret.

Ergo, quod eſt ab iis omiſſum, cumulatè Ioannes Medina acuta acie, nec vulgari ſcientia Theologus, præſtitit. In C. de rebus reſtituendis, q. 3. duodecima cauſſa, fol. pen. quæ eſt de compẽſatione, in qua quæſtione docet Panormitani præceptionem locum habere in publicis iudiciis, non in occulto Dei, & conſcientiæ: nec enim improbanda eſt cõpenſatio in conſcientiæ foro in diuerſarum rerum genere ſita; quãuis non ſit earum quæ pondere & menſura æſtimantur, duplici adhibita cautione. Prior eſt, vt ij, qui compenſando ſibi ius dicunt, ſi quid maioris æſtimationis accepiſſent, parati ſint reponere quod æquali æſtimatione iis ſupereſt. Vt ſi ego equum tuum retineo, quia tu mihi quinquaginta debes; nec conſequi ea poſſum; ſi equus hominum peritorum iudicio valeret 60. decem tibi reſtituam. Poſterior cautio: vt è tali compenſatione, ne graue aliquod malum erumpat: quod item admonitum fuit Innocentij, in cap. olim de reſtit. ſpoliat. leges verò, & ſacri canones ideo ius compenſandi à depoſito ſemouerunt, vel quia ſummam fidem hic contractus requirit: vel quia ex eo depoſitarius nullum ſibi ius vtile acquirit, ſicut acquiritur in reliquis contractibus.

Secunda quæſtio à Caſtruccio poſita 5. ſpectabat ad edictum Ordinarij ſeu Vicarij: cogeretúrne enunciare quæ iure compenſationis is poſſidebat de bonis defuncti debitoris. Dixi eum non cogi; quia ius compenſandi, quæ debitoris fuerant, fecit, vt in Caſtruccij peculio cenſerentur, atque eorum verus is dominus eſſet. Itaque cùm nihil poſſideat alienum, nullo iure compellitur ſe, & quæ bona habet defuncti, Vicario ſiſtere.

Nihilominus ſuaſi Caſtruccio, vt ad Vicarium non tamquam ad iudicem, ſed tamquam ad patrem accederet: cuius in hac cauſſa paternam te ipſa caritatem, & indulgentiam eſt expertus: nec enim ei Vicarius iudex durus, ſed commodus ſuaſor, & ad omne incommodum vitandum fidelis admonitor & adiutor extitit.

QVÆSTIO XL.

Ioanni certum eſt interficere Antoniũ: 1. ſed metuens ſuorum bonorum publicationem, illa donat amico, ea conditione; vt ſibi poſt necem Antonij, cibo & ve-

ſtitu

ſtitu ſubueniat exulanti.

Quæritur, num donatio valeat. Reſpondeo, neceſſaria hac adhibita diſtinctione: aut is, cui donatur, eſt in ditione Romani Pontificis immediatè vel mediatè; immediatè, vt Bononienſis; mediatè, vt Parmenſis, vt Placentinus: aut verò eſt extra Eccleſiaſticam iuriſdictionem temporalem. Si pertinet ad Eccleſiaſticam ditionem & iuriſdictionem, ſiue mediatè, ſiue immediatè: donatio redditur nulla ob adiunctam conditionem, quæ ſeueriſſimis legibus Romanorum Pontificum, & acerbiſſimis pœnis prohibetur, in eos conſtitutis, qui homicidis exulibúſve fauent; eóſque aut cibo, aut commeatu iuuant.

Iulius enim II. in conſtitutione quæ incipit. Cùm homines, excommunicatione reſeruata Romano Pontifici, animaduertit in eos, qui directè vel indirectè fauent homicidis; & qui intra tres dies non eos indicant: facitque eos reos læſæ maieſtatis. Confirmatur hæc conſtitutio à Leone X. alia ſua conſtitutione, cuius » eſt initium: Omnes quidem Chriſti fide- » les. Vtramque conſtitutionem confirmat Gregorius XIII. alia ſua, quæ incipit. Tanta támque horrenda: priuátque fautores horum facinoroſorum, & qui cibariis, & commeatu eiſdem ſubueniunt, bonis omnibus immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus; quæ omnia Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto vult eſſe addicta abſque vlla declaratione, aut iudicis ſentētia, vel decreto vel quapiam alia iuris ſollemnitate. Confirmatur hæc Gregoriana conſtitutio, & cæteræ ſuperiorum Pōtificum à Xiſto V. conſtitutione, quæ incipit. Hoc noſtri: pœnam dumtaxat excom municationis è reliquorum Pontificum legibus ſuſtulit.

2. Quoniam igitur ea conditio legibus tot Romanorum Pontificum damnata eſt; nec ſine illa, qui donat ſua ſe bona donare credit vel vult: ſequitur, donationem irritam eſſe, nulliúſque momenti. Verùm ſi extra Eccleſiæ iuriſdictionem ſit is, cui donatum eſt: videndum, num ſuæ gentis, ſeu Principis legibus prohibitus ſit homicidis ſubuenire: nam ſi non eſt prohibitus, donatio valebit: ſi eſt prohibitus, non valebit.

Quamquam de priore membro huius diſtinctionis nō vna eſt omnium ſententia. Nam Bartolo viſum eſt etiam huiuſmodi, de qua diſſeritur, conditione ſublata non valere donationē eius, qui conſtitutū habet, hominē occidere: ſed, vt eius bona ad fiſcum ne perueniant, alteri donat. Namque damno, & fraudi ea donatio videtur eſſe fiſco: fraus autem & dolus ne- » mini patrocinari debet. ff. de dolo malo. l. » 1. & l. ne ex dolo, & de reſcriptis, cap. ex tenore. Videto Bartolum in l. poſt contractum. ff. de donationibus.

Sed Bartolo contradicunt Nauarrus, & Alphonſus à Caſtro. Nauarr. in 4. lib. ſuorum conſiliorum, conſ. 1. de diuortiis. Alphonſus in 2. de poteſtate legis pœn. cap. 2. corollar. 2. vbi his firmiſſimis rationibus probat, conſcientiæ iure ratam eſſe donationem eius, qui ante admiſſum flagitium ſua bona donat. Prima ratio: quia eo tempore donat, quo fiſcus ius nullum habet ad ea quæ donantur. Deinde: quia ante ſententiam donans metu pœnæ, ſeu proſcriptionis adductus ſola cogitatione peccat, quæ nullam humani iuris meretur pœnam. Poſtremò: quia quiſquis eſt rei ſuæ dominus, & nulla lege eſt impeditus, rem ſuam alienare poteſt: at qui ante ſententiam iudicis rem donat ſuam, eius eſt dominus; nec vlla lege vetatur donare.

Non eſſe autem lege vlla impeditum 3. inde liquet: quia, ſi crimen non committat, firma erit donatio: ergo à principio valuit. Neque enim firmatur tractu tem- » poris, quod de iure ab initio non ſubſiſtit: » ex regula vtriuſque iuris non firmatur. Bartolo fauent Roſella, & Sylueſter, & lex, ſi aliquis. ff. de donationibus mortis cauſſa; vbi eſt non valere donationes factas ſuſpicione pœnæ. Sed in ea lege non cauetur propriè de eo qui ante crimen donauit: licèt Paulus Caſtr. velit ad eum

etiam

etiam pertinere legem. Sed Franciſcus legem interpretatur de eo, qui poſt commiſſum crimen donat; neque aduerſatur Alphonſo à Caſtro lex in fraudem.ff.de iure fiſci: nam illic decernitur de eo qui debet fiſco:atqui ante ſententiã, vel certè ante ſuſceptum flagitium, nemo fiſco debet. Sanè ex l.ex iudiciorum publicorum. ff.de accuſationibus, colligitur ius non acquiri fiſco niſi ob ſententiam. His enim » verbis loquitur lex. Ex iudiciorum publi» corum admiſſis non aliàs tranſeunt ad» uerſus heredes pœnæ bonorũ ademptio» nis, quàm ſi lis conteſtata, & condemna» tio fuerit ſecuta. Et ius ad bona eius, qui delinquit, non ſpectare ad fiſcum ante ſententiam, tradit Cynus in l. poſt hanc, C.de bonis damnatorum; & hanc ipſam ait ſententiam eſſe Bartoli. Roſella, in verbo, Donatio, num.7.& Innocentius in cap. Quia, propter, de electione, num.9. » ſui commentarij, his verbis ſcribit: Licèt » lex præcipiat, quòd, qui commiſerit capi» tale crimen, bona eius publicentur:tamẽ, » ſi ante ſententiam alienat bona ſua, tenet » alienatio; dummodò alienatio fiat ſine » ſuſpicione pœnæ:citat legem: ſi quis poſt hanc, C.de bonis proſcriptorum, & l.poſt contractum. ff. de donat. ſed illa lex, C. non eſt ſatis aperta contra ſentẽtiam Nauarri & Alphonſi: lex autem poſt contractum, potiùs fauet.

4\. Ad hunc enim modum lex. Poſt contractum capitale crimen, donationes factæ valent ex conſtitutione diuorum Seueri & Antonini; niſi condemnatio ſecuta ſit. Summa Bartoli hæc eſt in hanc legem: » Reus poteſt donare poſt crimen contra» ctum, & ante ſententiam condemnato» riam; poſt, non.

Mihi ſanè ſuis argumentis perſuadet Caſtrus iure conſcientiæ valere eam donationem, quæ ante crimen contractum facta eſt, etiam metu pœnæ:quia neque in fraudem dici poteſt eſſe fiſci; cùm nullum illius ius lædat.

Ego ſanè in cauſſis controuerſis fiſci, non facilè ei fauerem, id mihi permitte lege, non puto.ff.de iure fiſci. Deſcribam hîc totam illam legem. Non puto » delinquere eum, qui in dubiis quæſtioni» bus contra fiſcum facilè reſponderit. Ita » laudatur M.Ant. Philoſophus Imperator, » qui in cauſſis compendij iudicans, num» quam fauit fiſco, vt teſtis eſt Iulius Capi» tol. in eius vita. »

QVÆSTIO XLI.

N Clericus, quattuor ordinibus minoribus præditus, qui habitu ſuum vitæ genus profitebatur; idémque religioſæ ſodalitatis ab ſede Apoſtolica confirmatæ nouitius, annos prope viginti natus, in rebus agendis ſatis rudis, paterna non parum reuerens imperia, valetudinis cauſſa ad domum paternam remittitur à religione, ſed non dimittitur. 1.

Is acriùs inſtante patre, verbíſque minacibus agente (vt filius clericus teſtatus eſt non ſemel) coram certis profanis iudicibus, & tabellione profano, Eccleſiaſtici Prælati nulla interpoſita auctoritate, cunctis bonis paternis, maternis ac fraternis ſe abdicat: in publicis namque tabulis, quas confecit tabellio, his verbis ſcriptum eſt. Sponte & non per errorem aliquem » renunciauit: ceſſit omni & cuicumque » ſucceſſioni & iuri ſuccedendi omnium, » & quarumcunque hereditatum, & bono» rum patris & matris & fratrum, & cuilibet » portioni, etiam iure naturæ ſibi debitæ, ad » vtilitatem fratrum exiſtentium & naſci» turorum. Eſt item in iiſdem tabulis, re» nunciaſſe cum exceptioni doli mali, clericúmque petiiſſe; vt hæc bonorum ceſſio legitima foret; ab eodémque procuratorem expetitum eſſe quemdam B. qui ei ab iudicibus, qui donationi aderant & præerant, datus eſt: qui procurator iurauit, vt loquuntur tabulæ, ſe vtilia facturũ pro N.clerico minore. G.verò clerici cognatus iurauit, quæ acta ſunt, credere ſe non fieri in damnum & fraudem N. minoris. Atque hæc nomine N. clerici acta dicuntur.

At

Digitized by Google

2. At patris nomine, quæ ſequuntur. N. ad profanam vitam remigrante, donationem eius nullã, & infectam fore. Si idem, ſodalitium deſerẽs religioſum, vitam clericorum viuere voluerit, 150. aureorum annuam capiat pẽſionem: qua ſe, ſeruum, & ancillam alere, & pro conducta domo locatori mercedem ſoluere poſſit. Vt à morte patris exacto biennio ſemel tantùm conſequi poſſit centum aureos, iiſque ſuo arbitratu vti. Vt quoad in vitæ religioſæ ſtatu permanſerit, ad ſuas neceſſitates ſubleuandas 50. aureos in ſingulos annos petere poſſit: qui ſibi tantùm vſui eſſe debeant, religioni nullo modo. Donatione perfecta ius ei tribuit ad ſuum religioſum tyrocinium redeundi. Vtrinque iureiurando ſanciuntur, quæ tranſacta ſunt.

3. N. Clericus, iudicio & ætate prouectior iam ſacerdos, vir optimæ frugis, ab omníque mentiendi & fallendi ſuſpicione remotiſſimus, extra tabulas, & quæ tabulis nequaquam conſignata fuerunt, hæc omnia fatetur & profitetur. Primum, numquam ab ſe eiuſmodi donationem, aut optatam, aut expetitam eſſe: ſed eo inuito meditatam atque inſtitutam. Secundum, cùm pater ageret vehementiùs de donatione; ſibíque indignis modis obſtreperet, ei dixiſſe de re tota velle ſe diligentiùs conſiderare; & de viri religioſi ſententia meliùs deliberare. Tertium, his verbis filij, patris animum iracundia inflammatum eſſe, filióque magnopere ſuccenſuiſſe. Quartum, ante donationem à patre non ſitum, nec ſinendum ſe fuiſſe ad religionem reuerti: quod ipſum euentus comprobauit. Quintum, in illo genere donationis ſe nihil vidiſſe; deuio & nullo conſilio aſſenſum ei fuiſſe. Sextum, de maternis fraterníſque bonis relinquendis ſeu condonandis, numquam ſe cogitaſſe. Septimum, ne grauius apud patrem ſuum offenderet; ne illius animũ in religionem incenderet: ne ſe diutiùs extra religioſum ſuorum fratrum & patrum domicilium moraretur, ad ea omnia deſcendiſſe, quæ ardentiſſimo ſtudio à ſuo patre gerebantur.

Quæ omnia ſi verè ab N. narrata ſunt; quemadmodum ſumma ab eo fide & religione narrata eſſe dubitandum non eſt, nemini ambigendum erit, quin in toto hoc genere nihil factum ſit: nullóque iure donatio conſiſtat.

Quod ipſum tum ego planiſſimum faciam, cùm errata & turpia flagitia in hac cauſſa admiſſa collegero, quæ mihi minimùm duodecim videntur. Primum igitur flagitium eſt iniquiſſimæ prædæ, atque rapinæ; dum pater filium bonis omnibus præſentibus & futuris ſpoliauit. Secundum, non leuis impietatis; cùm vnius filij clerici, atque eam ob rem Eccleſiæ cari, commoda omnia neglexit, prodidit & interuertit: vt ea nec ad religionẽ vllo tempore peruenirent; & in cæterorum filiorum profano peculio eſſent. Tertium, pernicioſi mendacij eſt crimen: mentiuntur enim tabulæ, cùm teſtantur N. ſuis bonis priuare ſe fratrum cauſſâ voluiſſe; cùm id numquam ei in mentem venerit, eodẽ N. teſte: cui credi poteſt: quia quod eſt perquam veriſimile, confirmat & contra tabulas teſtatur. Quartum, eſt item inſigne mendacium, cùm dicitur in codicillis ipſum N. ſponte, & non per errorem aliquem, renunciaſſe. At idem N. conſtanter aſſeuerat, tum metu tum dolo ſe circumuentum fuiſſe: nec vmquam tantam rerum omnium ſpoliationem in illius cogitatione verſatam eſſe. Quintum; eſt periurij ſacrilegiũ, quo ſe procurator clerici obſtrinxit; quum iurauit nil ſe aut admiſſurum aut commiſſurum eſſe, quod non è re eſſet minoris, atque illius rationibus vtile: quem tamen ipſum paſſus eſt per ſummam iniuriam vniuerſis ſuis bonis & fortunis euerti. Quam ob cauſſam procuratorem infamiæ pœnam ſubiiſſe minimè dubium eſt, ſi fides habenda eſt tum iis quæ ab reliquis Doctoribus; tum verò à D. Thoma ſcripta ſunt aduerſus periurium, in 2.2.q.98. artic.3. ad tertium argumentum.

5. Sextum, crimen eſt iniqui iudicij inter eos commiſſi, qui in cauſſa clerici & tyronis religioſi nihil iuris, aut reſpondere aut ſtatuere potuerunt, Epiſcopi, eiúſque vicarij iuriſdictione contempta: quibus ſolis Concilium Tridentinum, ſeſſ.25. de regul.cap.16. huius generis cauſſarum notionem & iudicium tribuit: aut id certè, vt renunciatio regularium ſine eorum auctoritate ante ſollemnem profeſſionem facta ſit nulla.

Et quoniam in hoc genere delicti ius Epiſcoporum, atque libertas Eccleſiaſtica violata eſt, ex Canone 15. Bullæ cœnæ palàm eſt, qui iudiciali auctoritate tantum ſcelus conſciuerunt, excommunicationis cenſura irretitos eſſe. Namque in hoc genus hominum his verbis Canon animadvertit. Quíve ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtátiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium vel parlamentum præter iuris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt: vel procurant directè vel indirectè, quouis quæſito colore: necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quauis cauſſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint & publicauerint, vel factis & ordinatis vſi fuerint: vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ ſedis ac quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè præiudicatur.

6. Septimum facinus fuit, adoleſcentem clericum eò adduxiſſe, vt iudices eos aut ſumeret, aut certè obtruſos non reiiceret, qui cauſſæ præeſſe nullo iure potuerunt. In quo haud leuis Innocentij III. & Gregorij IX. ſanctionibus fraus facta eſt. Nam in Decretali; ſignificaſti, de foro compet. quæ Decretalis eſt Gregorij IX. ita præcipitur. Licèt priuatorum conſenſus eum, qui iuriſdictioni præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit iudicem conſtituere: clerici tamen in iudicem non ſuum, niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi diœceſani voluntas accedat, conſentire non poſſunt. Et in ſua Decretali ſi diligenti, eod.tit. Innocentius III. Clericus non poteſt iuri ſuo renunciare; & in cauſſis temporalibus ſibi laicum iudicem conſtituere: idémque definitiua conſtitutione multò antea ab alio Innocentio iudicatum fuerat: vt perſpicuum eſt ex cano. non liceat. 3.qu.6. in quem canonem ad hunc modum commentata eſt Gloſſa, quum explanat verbum, expetere. Hic patet, quod clericus ſine cōſenſu ſui Epiſcopi non poteſt conſentire in alium iudicem: nam ſic poſſet euacuari iuriſdictio Epiſcoporum, ſi omnes conſentirent in alium iudicem. Neque vllum iuſiurandū hiſce conſtitutionibus aut obrogare, aut derogare poteſt, vt ait Decretalis, ſi diligenti, de foro cōpetenti. Quocirca octaua mortifera culpa contracta eſt, quum clericus inductus eſt ad iurandum laico iudici, & non ſuo, Eccleſiaſtica lege id ſeuerè vetante. 22.q. poſtrema. can. nullus. Nullus (inquit lex ſacroſancta Eccleſiæ) ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico quidquam ſuper ſacroſancta Euangelia iurare præſumat.

Nona, grauiter ab architectis fraudulentæ donationis peccatum eſt, cùm iuueni minimè cauto exceptionem doli mali ademerunt: effecerúntque, ne vmquam donationis tabulis doli mali iniuriam obiicere poſſet, ſpreta lege, ſi vnius, §. illud. ff. de pactis his verbis iubente. Illud nulla pactione effici poteſt, ne dolus præſtetur: & quod horruit Iuriſconſultus ethnicus, homines Chriſtianos facere eſt minimè vetitum. Dolus enim adeo ius omne extinguit actorum ciuilium, tantáque illa agentes inficit prauitate & labe; vt neque iuſiurandum valeat, quo tollitur actio de dolo, cùm bonis moribus ſit contrarium; ac materiem præbeat hominibus 7.

minibus ad maleficia, vt ſapienter docet Gloſſa in regulam iuris, lib. 6. non eſt obligatorium.

Decimum, ſcelus in eo admiſſum eſt; quòd cùm N. clerico ius eſſet capiendarum hereditatum; faciẽdorum teſtamentorum, rerum donandarum; peculiorum caſtrenſium & aduentitiorum, quæ aliis aduentitia, clerico tamen caſtrenſia ſunt, adipiſcendorum; id omne ius illi ereptum eſt malis artibus eorũ, qui tabulas donationis fabricabant; cùm non intelligerẽt, ius illud, quod non magis N. clerici eſſet quàm totius Eccleſiaſticæ communitatis, ſine Romani Pontificis conceſſu aut remitti, aut condonari nemini potuiſſe: niſi cùm ſollemne religionis votum nuncupaſſet: eius enim voti conditio diuino humanóque iure nihil habere poteſt priuati ac ſui.

8\. Vndecimum, odium in religioſum ordinem conceptum: quum cauit pater, ne quidquam filius illi dilargiri poſſet: quòd ſi ad ciuilem conuictum, laréſque patrios recipere ſe vellet, eodem iure eſſet, quo antea: nec in ratione familiæ erciſcundæ vlla re deterior, quàm reliqui fratres foret. In quo, filio magna ſuppeditata eſt materies, ac data facultas, cæparum Ægypti reguſtandarum. Neque videri pater voluit minùs de religioſis ordinibus malè mereri, quàm de iiſdem maximi Pontificẽs, & ſummi orbis terrarum Imperatores ſuis legibus religioſè ſunt promeriti. Illorum enim tanta ac tam eximia in religioſas ſodalitates beneficia extiterunt; vt etiam fideicõmiſſum extingui voluerint ingrediente religionem eo, ad quem illud deuenit: vt luculenta ſanctione Innocentius III. decreuit in cap. in præſentia, de probationibus: & authentica, ſanctiſſimis Epiſcopis, §. ſed & hoc præſenti: & authentica, niſi rogati, C. ad Trebellianũ. Neque permittere leges teſtatoribus voluerunt, vt teſtamentis conditiones intereſſent, quibus à ſucceſſione, ſeu hereditate religio excluderetur: id quod à maioris grauitatis atque ingenij auctoribus traditum eſt; quos ipſi in quadam alia noſtra de fideicommiſſo diſputatione ſumma fide nominauimus; nec neceſſe eſt in hac cauſſa iterum memorare. Illic item docuimus ius habere ſanctius & antiquius donationes, quæ religioni, quàm quæ liberis fiunt.

Duodecimum peccatum. Auctor peſſimi exempli ſuis ciuibus proditi videtur fuiſſe: cùm enim pater clerici morum grauitate & prudentia in ciuitate commendaretur, ad ſui facinoris imitationem facilè multos allicere potuit.

Iam verò tantorum ſcelerum aceruus 9. an non omnibus inſigne faciunt & notũ, huius donationis formam, totam fuiſſe vitioſam & irritam? Nullius verò eam fuiſſe roboris atque momenti hæc omnia peruincunt.

Primùm ita ſciſcit, atque his verbis ſtatuit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. de regul. cap. 16. Nulla quoque renunciatio, » aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi » vel ſui Vicarij fiat: quanto minùs igitur valere debet facta cum odio ergà religionẽ, vt bono eſſet generi profano?

Secunda probatio. Quæ contra leges fiunt, pro infectis haberi debent, ex canone Gregorij Magni, Imperiali 25. q. 2. & ex regula, quæ contra ius, de regul. iur. lib. 6. & ex l. non dubium, C. de legibus, quam legem cõprobauit illa ſua ſanctione, Imperiali, D. Gregorius: idque tunc maximè verum eſt ex præcipuorum Doctorũ ſententia; Cùm cauſſam prohibẽdi leges habent non certi & definiti temporis, ſed perpetuam: ſed contractus huius donationis perfringit multa iura diuina, naturalia & humana, quibus opponuntur duodecim illa crimina, quæ iam ſunt à nobis ſuprà enumerata: ergo neceſſe eſt, contractum eſſe caſſum, & inani dumtaxat donationis ſeu renunciationis ſono decoratum.

Tertia probatio. Inſcitia tollit voluntarium, præſertim in ratione contrahendi:

ſed quæ filius cum ſuo patre egit in hac donatione, per eiuſdem inſcitiam acta ſunt, vt is toties affirmauit: ergo donatio nulla.

Quarta. Dolo initus contractus eſt nullus, vt & à nobis in alia quæſtione probatum eſt, & à magnis Auctoribus ante nos demonſtratum; ſed tota hæc donatio fraude & dolo meditata, & inſtructa eſt. Nam identidem N. clericus de ſua deceptione, & fraude ſibi adhibita, conqueſtus eſt: ergo nulla fuit donatio.

10. Quinta. Metu initi cõtractus ſunt nulli, iure præſertim conſcientiæ; quemadmodum & ratione, & communibus doctorum ſuffragiis in aliis diſputationibus à nobis oſtenſum eſt. Itaque Almainus haud ignobilis Theologus contractum eſſe nullum, Theologorum conſenſione, nec vllum ex eo comparari dominium, quando eius cauſſa extitit metus, ſcripſit in 4. ſent. diſt. 15. in tract. de pœnit. q. 2. §. Theologi tamen tenent oppoſitum, & in quæſt. habita in Veſperiis parte extrema: verùm verbis patris aſperioribus, & minaci vultu, perterrefactus filius, donationi aſſenſus eſt, vt idem ſemper teſtatus eſt & reſtatur: ergo donatio nulla, quę cùm proficiſcatur ab animo liberali, ſummam libertatem requirit: quæ libertas aut cum inſcitia, aut cum dolo, aut cum vi, vel metu conſiſtere non poteſt.

Sexta probatio. Quæ cum inſigni dáno minorum fiunt, legum & principum approbationem non habent, ſed omnino reſcinduntur: ſed in hac donatione maximum damnum paſſus eſt minor, qui omnibus ſuis bonis ſpoliatus eſt: ergo actũ pro non acto habendum eſt.

Septima. Contractus qui bonis moribus aduerſatur, eſt nullus; vt ſancitum his verbis eſt in l. pacta quæ, C. de pactis. Pacta, quæ contra leges, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt: at duodecim peccatis donationem hanc, & renunciationem inquinatam eſſe docuimus: ergo probis moribus fuit maximè contraria: ergo nullarum virium, nullorum iurium.

Octaua. Ex iniuria ius naſci non poteſt, non magis quàm ex calore frigus, aut ex vitio virtus: ſed iſta donatio ſiue renunciatio inſignem habet iniuriam illatam in N. clericum, & ſacri ſodalitij tyronem, in religionem, in clericorum vniuerſitatem, in Epiſcoporum iuriſdictionem, in Eccleſiaſticam libertatem, vt in duodecim illorum flagitiorum enumeratione oſtenſum eſt: ergo pro infecto habendum, quidquid eſt factum. 11.

Neque attinet aut ad priuilegium vllum Pontificium, aut ad iuſiurãdum, quo ſepta eſt donatio, confugere. Non ad priuilegium; quia ſuis priuilegiis Romani Pontifices fouere & alere vitia nolunt: neque contra Tridentini Concilij Decreta illa largiri ſolent. Eſt item inutile iuriſiurandi perfugium: nam quamuis, l. ſacramenta puberum, C. ſi aduerſus venditionem, conſtitutum ſit, rata debere eſſe acta puberum iureiurando munita; nihilominus ſtatim lex addit, per vim autem, vel per iuſtum metum extorta nullius eſſe momenti iubemus. Atqui in hac donatione vim & metum iniuſtum fuiſſe adoleſcenti iniectum, ſæpe dictum eſt. Eſt item in Innocentium III. Decretali cùm contingat, de iureiurando, & in conſtitutione Bonifacij VIII. Quamuis de pactis, lib. 6. non valere ea iuraiuranda, quæ aut dolo, aut vi, aut cum damno alterius extorquentur: & Innocentius III. in Decretali, ſicut noſtris de iureiur. non iuramenta ſed periuria ait eſſe, quæ contra Eccleſiaſticam vtilitatem attentantur: at hoc iuſiurandum violauit Eccleſiaſticam libertatem; ergo vtilitatem: violauit iuriſdictionem Epiſcoporum; ergo vtilitatem Eccleſiæ. Nec valet iuſiurandum contra ius ſuperioris, vt idem Pontifex ſanxit in Decretali, venientes ad ſedem, eod. titu. At hoc iuſiurandum contra ius ſuperioris Eccleſiaſtici adhibitum eſt. Poſtremò, ex regula iuris, lib. 6. de reg. iur. non eſt obligatorium, quod contra bonos mores eſt præſtitum iuramentum. Verùm hoc præſtitum

Digitized by Google

ſtitum eſt contra bonos mores ad multa vitia & peccata confirmanda: ergo non iuſiurandum, qui actus eſt virtutis & religionis; ſed impium illud fuit & execrandum periurium.

Vnde nulla alia manauit obligatio niſi æterni ſupplicij apud inferos ſoluendi, atque earum pœnarum luendarum in terris, quæ ſunt in periuros conſtitutæ.

QVÆSTIO XLII.

1. COmmodat iumentum ſuũ Andreas, homo ruſticus, Lucæ ruſtico: hic eo vſus, collocat in ſtabulo, non clauſo oſtio: vnde proſiliens beſtia ad ſui domini præſepe ſe protinus recipit: vbi boum cornibus confoſſa interiit.

Quæritur; an interfecti iumenti pretium poſcenti Andreæ pendere Lucas debeat.

Vtendum eſt in hac quæſtione ea diſtinctione, quæ tum à legiſlatoribus, tum à legum ſacrorúmque canonum eſt interpretibus ſubtiliter excogitata.

2. Res, quæ alteri commodatur, vel vtentis tantùm cauſſâ cõmodatur; vel cauſſâ dumtaxat commodantis; vel cauſſâ vtriuſque.

Exemplum primi modi eſt id, quod fere factitari ſolet: vt cùm tibi poſcenti meum equum, quo rus veharis, gratis concedo. Exemplum ſecundi. Torquem aureum tibi commodo, vt eo ornatus ipſe, me coram aliis ornes. Tertij: quum communem amicum inuitamus ad cœnam: tibique argentea mea commodo vaſa; vt is honeſtiùs accipiatur.

Primo modo, præſtatur dolus, lata culpa, leuis, leuiſſima. Quæ verò lata, leuis, & leuiſſima culpa exiſtimari debeat, non multò pòſt dicemus. Secundo modo, dolus, dumtaxat. Tertio modo, dolus, lata & leuis culpa.

Quæ omnia communi ſententia Doctorum & legum teſtimoniis confirmantur. Dictum eſt, quando commodatum vtilitatem ſolam continet eius, cui res commodatur, ſi res perit, commodatariũ teneri de leuiſſima culpa: quod ipſum apertis verbis confirmat Decretalis Gregorij IX. vnica de commodato. Sic enim in ea ſanctione. Cùm gratia ſui tantùm » commodatũ accepit, de leuiſſima etiam » culpa tenetur. Leuiſſima verò culpa, vt » traditum eſt à peritis, eſt quędam incuria, quæ non vitatur niſi ab homine diligentiſſimo. In rebus commodatis, inquit lex, » in rebus. §. 1. ff. commodati, talis diligen- » tia præſtanda eſt, qualem quiſque dili- » gentiſſimus pater familias ſuis rebus ad- » hibet. Lex verò 1. ff. de actionibus & obli- » gationibus, cauet his verbis: vt, qui rem » commodatam accipit, illius cuſtodiendæ » exactiſſimam diligentiam præſtet: nec ei » ſufficit, addit ea ipſa lex, eamdem dili- » gentiam adhibere, quam in rebus ſuis ad- » hibet, ſi alius diligentiùs cuſtodire potue- » rit. Quæ exſcripta ſunt etiam in Imperatoriis conſtitutionibus, titulo, quibus modis ex delicto contrahitur obligatio. §. item is.

Quando ſecundo modo res commodatur, id eſt, cauſſâ ſolius commodantis, dolus tantùm præſtatur ex lege, ſi vt certo. §. interdum. ff. eod. tit. Verùm Oſtienſis lib. 3. Summæ, tit. de commodato. §. & in quantùm, vult commodatarium etiam de lata culpa teneri: quandoquidem lata culpa dolo par à lege exiſtimatur. ff. depoſiti. l. quod Nerua; vbi iuriſconſultus & fraudem, & latam culpam agnoſcit in eo, qui res alienas, non perinde cuſtodit, vt ſuas: neque ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt. Sylueſter, in verbo, Commodatum, q. 8. ait tenendum eſſe quod ait Oſtienſis: cuius Oſtienſis iudicio, & opinione ſtant item reliqui Summarum ſcriptores. D. Antoninus, in 2. part. tit. 1. cap. 15. §. 4. Roſella, eod. tit. n. 7. Supplementum in Summa, verbo eod. Summa confeſſorum, lib. 2. tit. 6. q. 21. Armilla, in verbo, Commodatum, num. 8. Nauarrus, in Summa, c. 17. num. 184. in recentioribus.

In tertio modo commodandi, quo vtriuſque conſulitur commodo, non luitur niſi pœna doli latæ culpæ, & leuis. Lata verò culpa eſt negligentia quædam, quæ aut ab omnibus, aut à maiore parte vitatur hominum eiuſdem generis, ordinis, vel conditionis: leuis, quæ à diligentibus cauetur: leuiſſima, quæ tantùm à diligentiſſimis. De his verò culpis in noſtris libris de contractu copioſè à nobis, & accuratè diſputatum eſt.

3. Neque verò hoc loco non eſt perutilis Panormitani obſeruatio in cap. vnicũ, de commodato, nu. 10. in quolibet contractu gratia alterius tantùm inito præſtari oportere culpam leuiſſimam, excepto precario: quam doctrinam ſequitur etiam Paludanus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. & Syluester, in verbo, Commodatum, q. 8. & Angelus, eod. tit. §. 11. & Nauarrus, in Summa, cap. 17. num. 179. Quòd verò is, qui ſcholia in Summam Angeli elimauit, ſcripſit, in §. 11. verbo, Commodatum, tunc ab eo, qui commodatam rem recepit & amiſit, non repeti niſi ob dolum, & latam culpam, quum ei vltro commodator rem ſuam obtulit, haud ſcio, quàm tutum ſit; licèt ipſe nitatur id probare autoritate cuiuſdam Doctoris, & Bartoli, de re tamen loquentis longè diſſimili. Quid enim ſi ipſe rem meam homini valde cupienti, ſed petere non audenti vltro deferam, vt ea vtatur? an non hic leuiſſimam culpam præſtabit, cùm ob eius vnius vtilitatem, nullámque meam, rem commodauerim?

Ex his, quæ adhuc conſtituta ſunt, diiudicatio controuerſiæ exiſtit. Nam cùm Lucas commodatum accepit iumentum, ſua tantùm cauſſa (id enim tamquam certum in quæſtione ponitur) affinis fuit non ſolùm leuiſſimæ, ſed etiam leuis, & latæ culpæ. Quis enim ruſticus paulò ſolertior, iumentum non ſuum, nec ſtabulo ſuo aſſuetum, incluſiſſet, non vinctum fune, nec oſtio clauſo? Nam beſtias ſolutas nolle in alienis ſtabulis conſiſtere, cùm ratio docet, tum experientia perſuadet, ipſi etiam ruſtici fatentur.

Soluet igitur Lucas Andreæ, interemptæ belluæ integrum pretium, tum iure ciuili, tum iure canonico, tum conſcientiæ.

QVÆSTIO XLIII.

DVas Luſitanorum naues Britanni adoriuntur: poſt diutinam pugnam in hoſtium poteſtatem veniunt, omnium Luſitanorum, multorúmque conuectorum, facta internecione: tantùm puellis, pueriſque nonnullis Mauris, qui mancipia Luſitanorum erant, ignotum eſt. Multa autem, & locuplex merx, & pretioſa ſupellex è Catholicorum nauigiis in hæreticorum naues tranſlata eſt; quo genere onuſtæ ad inſignem Catholicorum vrbem appulſæ ſunt. 1.

Eius ciuitatis patritij nonnulli cuperent nonnulla ex iis mancipiis emere. Doceri patritij voluerunt, num redempta mancipia, Baptiſmi Sacramento efflagitato & ſuſcepto, ſi fortè aut efflagitarent, aut ſuſciperent, aut etiam antea percepiſſent, manu libera aſſerere, & libertate donare cogerentur.

Ex ſacris conſtitutionibus ita mihi viſum eſt reſponderi poſſe. Non perinde de ſeruis Chriſtianorum Catholicorum, vt Iudæorum & hæreticorum iudicari oportere. Serui enim Chriſtianorum beneficio Baptiſmi haudquaquam libertatem aſſequuntur, vt Syluester, in Summa probat, verbo, Iudæus, num. 5. vbi citat D. Thom. de ſeruis Iudęorum. extat Decretalis Gregor. IX. nulli Iudæo, extra de Iud. quæ interpretationem habet ſanctionis Gregorij Magni, diſt. 54. c. fraternitatem: quæ ſanctio ſumpta eſt ex lib. 5. epiſtolarum, epiſtola 31. ſeu c. 132. Sic igitur Greg. IX. ſtatuit in ſua conſtitutione. Nulli Iudæo » baptizatũ, vel baptizari volentem, emere » liceat, vel in ſuo ſeruitio retinere. Quòd ſi » quem nondũ ad fidem conuerſum cauſſa » mercimonij emerit; & poſtmodũ factus » ſit, 2.

„ fit, vel fieri deſideret Chriſtianus, datis
„ pro eo duodecim ſolidis, ab illius ſeruitio
„ protinus ſubtrahatur. Si autem infra tres
„ menſes ipſum venalem non expoſuerit,
„ vel ad ſibi ſeruiendum emerit eumdem;
„ nec ipſe vendere, nec alius audeat com-
„ parare: ſed nullo dato pretio perducatur
„ ad præmia libertatis.

3. Cuius Decretalis ſententia ad haſce propoſitiones redigi poteſt. Prima propoſitio. Iudæus ſeruum Chriſtianum adipiſci non poteſt ex Decretali, multorum, de Iud. & Saracenis. & ex l. Deo nobis. §. his ita: C. de Epiſcopis & clericis. vbi his
„ verbis loquitur Imperator. His ita diſpo-
„ ſitis repetita lege iubemus, vt nullus Iu-
„ dæus, vel Paganus, aut hæreticus Chri-
„ ſtianos ſeruos habeat. Quòd ſi inuenti in
„ tali reatu fuerint, ſancimus ſeruos omni-
„ bus modis liberos eſſe ſecundùm ante-
„ riorem noſtrarum legum tenorem. Quòd ſi ſeruus Iudæi ex aliqua eius ancilla ſuſceptus baptizatur, ſtatim nullo ſoluto pretio in libertatem vindicatur per eamdem legem, Deo nobis, & per Canonem, fraternitatem, diſt. 54.

Secunda propoſitio. Si Iudæus mercatur quouis modo ſeruum Chriſtianum, quod ipſum illi non permittitur, in c. 1. & extremo de Iud. protinus nullo pretio ſoluto efficitur liber, per Decretalem Greg. Magni. mancipia d. 54.

Tertia propoſitio. Si Iudæus Chriſtiani ſeruum, ſed non Chriſtianum, emit, per eamdem Decretalem continuò fit liber, ſi ſuſcipiendi Baptiſmi ſignificationem confecerit: eiúſque rei voluntatem declarauerit.

Quarta propoſitio. Si mercimonij vel negotiationis cauſsâ Iudæus ſeruum non Chriſtianum emit, intra tres menſes eum oportet vendidiſſe: quòd ſi poſt tertium menſem inemptus eſt, fit liber: Nam Decretalis Greg. IX. nulli de Iud. interpretatur; ſi toto illo ſpatio non eſt venditum mancipium, in ſuo obſequio illud retinere Iudæum voluiſſe; quod ei à lege non conceditur. Et eſt hæc præſumptio iuris, & de iure, quæ probationem in contrarium non admittit, inquit Oſtienſis in illam Decretalem Gregor. IX. Trium verò menſium tempus inchoatur à die, quo emit Iudæus, ex ſententia Oſtienſis, quæ communis eſt.

Quinta propoſitio. Intra trimeſtre hoc ſpatium, ſi veneat ſeruus Iudæi, qui velit eſſe Chriſtianus, 12. ſolidis redimitur, hoc eſt, 12. aureis: ſic interpretatur ſummam pretij Ioannes Andr. & Panormit. in illam Greg. IX. Decretalem: idem Panormit. in 1. c. de Iud. admonet, mancipium, quod redimitur 12. ſolidis, debere eſſe optimum: nam ſi tale non eſſet, vtique eſſet deceſſio de pretio facienda. 4.

Sexta propoſitio. Si non reperiatur, qui tribus illis menſibus redimat mãcipium, poterit ſe ipſum in libertatem vindicare, eleemoſynæ nomine tantumdem pecuniæ quærendo. Quòd ſi redemptum fuerit, non fit ſeruus redemptoris, ſed aut reddita pari pecunia, aut obſequio ei præſtito quinque annorum, libertatem recuperabit. Videto quæ à Syluestro adferuntur in verbo, Iudæus, num. 6. & quæ à D. Thom. in 2. 2. q. 10. art. 10.

Septima. Quæ dicta ſunt de ſeruis Iudæorum, valent etiam in ſeruis Saracenorum, vt inquit Raym. quem eo loco citat & ſequitur Sylueſter: in quam item ſententiam propendet D. Thom. citato loco.

Verùm D. Thomas ſcribit, ab Eccleſia non idem ius ſtatutum eſſe in alios infideles, quod in Iudæos, niſi temporali Eccleſiæ iuriſdictioni, aut eius membris illi ſubiecti ſint. At membra Eccleſiæ ſunt Reges & Imperatores Chriſtiani. Verùm leges ciuiles & Eccleſiaſticæ ſanctiones loquuntur vniuersè. 5.

Octaua propoſitio. Si intra curriculum illud trium menſium diceret ſeruus velle ſe eſſe Chriſtianum, & circumcideretur; aut alia nota in eius corpore inureretur, protinus euadit liber per Canonem, nulla, d. 54. & per legem Iudæus. C. ne Chriſtianum mancipium; quæ lex vetat, ne Iudæus habere poſſit ſeruum Chriſtianum, neque

Digitized by Google

neque ex alio genere; quem ſi circumcidat, ſtatim fit liber circumciſum mancipium: Iudæus verò capitali eſt ſententia puniendus.

Hæc verò quæ concluſa ſunt de mancipiis Iudæorum, multo magis intelligenda ſunt de ſeruis hæreticorum; qui ſunt in poteſtate, atque imperio Eccleſiæ; à qua omni rerum dominio priuati ſunt, quod ex ea, quæ ſubiungetur, quęſtione planiùs intelligetur. Eſt enim ſanctio poſtrema Greg. IX. ſatis illuſtris, extra de hæreticis, his verbis perſcripta. „ Abſolutos ſe nouerint à debito fidelitatis, dominij, & totius obſequij, quicumque lapſis manifeſtè in hæreſim, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur adſtricti. Seruitutis autem liberationem Panotmit. in eam Decretal. numer. 2. ex ſententia Doctorum tributam eſſe ait etiam ſeruis, & libertis hæreticorum.

Quæſtioni igitur propoſitæ reſpondemus, à Chriſtianis non poſſe de hæreticis Britannis mancipia illa emi. Primùm; Quia rerum ſuarum hæretici, & præſertim ſeruorum, dominium non habent, neque ius alienandi. Deinde; quia furtiuę ſunt, id eſt, legitimis dominis ereptæ: quare ad occiſorum heredes verè pertinent. Poſtremò; quia Baptiſmum petierunt intra tres illos menſes venditioni à lege pręfinitos: quare libertati reſtituti ſunt.

QVÆSTIO XLIV.

De ſolutionibus.

1. PEcuniæ æſtimationem ſæpenumero commutari ſeu voluntate Principis, ſeu Trapezitarum conſenſu, ſeu, quòd ipſa temporis interuallo, aut materia, aut pondere, aut re vtraque fieri ſolet deterior, protſus eſt concedendum.

Illud verò cognitione perquam dignā quæſtionem habet: num is, qui ex contractu, vel quaſi ex contractu, pœnáve maleficij ab iudice irrogata, aut ex mandato, & benignitate principis, aut ex teſtamento ſoluere pecuniam debet, creditori, recentis pecuniæ ſolutione, eiúſve æſtimatione ſatisfaciat, an ea, ſiue illius æſtimatione, quam tempore cōtractus teſtamenti, mandati, inflictæque pœnæ, ſeu irrogatæ mulctæ iam habebat.

Quotidiana eſt hæc, & mirè iactata, quæſtio; quæ non paucorū ad hanc diem exercuit ingenia. De qua ſcripſerunt ſacrarum ſanctionum interpretes, in cap. quanto, de iureiurando, & in cap. olim, & in cap. cum Canonicis de cenſibus. Legum verò explanatores in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolutionibus. & in l. in minorum. C. in quibus cauſſis in integ. reſt. Speculator parte 3. lib. 4. partic. 3. de obligationibus & ſolutionibus. §. nunc aliqua. Panormitanus, Oſtienſis, Ioannes Andr. Butrius, & alij, in cap. quanto, de iureiur. Bartolus in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolut. Couarruuias de collatione numiſmatum, cap. 7. §. vnico. Sotus in 6. de iuſtitia & iure q. 1. art. 2. Ioannes Medina. C. de rebus reſtituendis, q. poſtrema. Roſella, in verbo, Reſtitutio, 5. §. 5. Syluester in verbo, Solutio. Angelus, eodem tit. Tabiena, in verbo, Pecunia. Nauarrus, in manuali, cap. 17. nu. 294. Ex horum commentariis & diſputationibus ipſi ſeligemus, quæ tum rationi tum plurium Doctorum ſenſui magis ſunt conſentanea: quę partim in problemata, partim in propoſitiones partiri libuit.

Primum igitur problema conſtituatur in contractu mutui. An ei, qui pecuniam credidit, ſi decreto Principis illius minuatur æſtimatio, is, qui ſumpſit mutuam, ſatis creditori faciat, repræſentatione pecuniæ talis, qualem accepit in pondere, materia intrinſecáque bonitate, an potiùs ſit neceſſe, aut nouam, cuius maior eſt æſtimatio, reddere; aut veterem ſoluere: cuius æſtimatio auctoritate Principis facta eſt minor, ſed intrinſecam bonitatem non amiſit. Nauarrus, in Summa, cap. 17. num. 294. pugnat, ſatis eſſe reddere pecuniam 2.

in

in eadem forma, & metallo: intellige, quę probitate æquet acceptam: eamdémque ſententiam Bartolo aſſignat; quem ait communiter receptum eſſe. Panormitanus, in cap. quanto, de iureiur. eiuſdem opinionis patronos profert Petrum, & Cynum. in l. in minorum. C. in quibus cauſſis in integ. reſt. nec non Oſtienſem.

Tres huius opinionis haud leues rationes occurrunt. Prima eſt apud Butrium, in illud, cap. quanto, de iureiur. num. 10. „ In obligationibus, quæ re contrahuntur „ (verba ſunt eius) in conſiſtentibus in nu- „ mero, pondere, menſura, res ipſa, & boni- „ tas rei deſignat, ad quod contrahatur „ obligatio. Vnde ſufficit in eadē ſubſtan- „ tiali bonitate rem reddi, licèt varietur ex- „ trinſeca æſtimatio. Conſtat autem, mutuum, depoſitum, commodatum, ex eo contractuum eſſe genere, in quibus res ipſa declarat, in quo & quanto contracta ſit obligatio.

Secunda ratio. Licèt pecunia ſit pretiū: tamen in mutuo non traditur vt pretium: nam vt pretiū adhibetur tantùm in contractu venditionis & emptionis: ad cuius contractus propriam intimámque naturam ſpectat merx, & pretium, verúſque animus vendendi, atque emendi. Igitur quamuis varietatem paſſa ſit pecunia vt pretium, tamen vt res contractui mutui accommodata, non eſt paſſa.

Tertia ratio. Hac vna re, licèt non ſola, mutuum à contractu permutationis maximè differt; quòd in permutatione neceſſe eſt res permutatas numero differre; cùm nihil ſecum ipſum commutari queat: at in mutuo poteſt res eadem numero reddi. Vt ſi mihi centum mutuos dediſti nummos aureos, nec iis ſum vſus, poſſum tibi prorſus eoſdem reddere: ergo hoc ius reddendi eoſdem non amittitur, quia principis iuſſu eorum eſt immutata æſtimatio. Quod igitur licet in pecunia mutua, qua non ſum vſus, cur non liceat in ea, quæ par eſt illi in materia, pondere, & bonitate intrinſeca?

Neque verò de pecunia, lege principis diminuta, id tantùm ſentiunt ſuperiores Doctores, ſed etiā de interdicta, ac prorſus repudiata. Namque eædem rationes in vtramque pecuniam valent.

Sed tamen ad contrariam ſententiam abierunt hi. Butrius in cap. quanto, de iureiur. num. 12. vbi ait, in æſtimatione pecuniæ mutuæ non ſpectandum eſſe tempus, quo contractum eſt mutuum, ſed tempus, quo petitur. Panormitanus in commentario, cap. quanto, de iureiuran. num. 12. cum Butrio ſententiam coniungit: facítque eiuſdem opinionis adſcriptores Speculatorem in tit. de ſolutionibus, & Ioannem Andream in addit. Panormitano aſſenſiſſe videntur Summarū ſcriptores. Roſella, in verbo, Reſtitutio, 5. §. 5. Angelus, in verbo, Solutio. §. 2. Syluester, eod. tit. Tabienſis, in verbo, Pecunia. Sotus ſolam hanc ſententiam ſecundam putat veram in 6. de iuſt. & iur. q. 1. art. 2. Medina, in C. de reb. reſt. quæſt. vlt. §. eſt itaque in ſumma, corollario 2. Ad hanc ipſam propendet Couarruuias in tract. de collat. numiſ. c. 7. §. vnico, num. 3. ſed tamen Syluester, in verbo, Vſura, 1. q. 14. hac exceptione ſententiam temperauit; vt, quando eſt anceps euentus, ſeu periculum acceſſionis & deceſſionis, ſolui poſſit pecunia æſtimatione pari ei quæ data fuit: æſtimationem intelligit intrinſecam, quamuis minus maiuſve pretium quopiam caſu inuenerit.

Huiúſque moderationis auctores laudat Syluester, Ancaranum, in cap. Vſurarum, eodem tit. lib. 6. & Ioan. Cald. in cap. fin. eod. tit. & Rod. Quam exceptionem Ioannes Medina probat: improbat Sotus citatis locis.

Huius opinionis fundamenta pręcipua duo ſunt. Vnum eſt, quòd eius patroni auctoritate legitima impoſitam æſtimationem pecuniæ, ſeu monetæ, tentur ad eius ſubſtantiam pertinere, vt pecunia eſt, & vt moneta eſt: quare æſtimatione mutata ſubſtantiam monetæ immutari contendunt. Alterum fundamentū eſt: quòd nonnullarum prouinciarum conſuetudo

Digitized by Google

neque ex alio genere; quem ſi circumcidat, ſtatim fit liber circumciſum mancipium: Iudæus verò capitali eſt ſententia puniendus.

Hæc verò quæ concluſa ſunt de mancipiis Iudæorum, multo magis intelligenda ſunt de ſeruis hæreticorum; qui ſunt in poteſtate, atque imperio Eccleſiæ; à qua omni rerum dominio priuati ſunt, quod ex ea, quæ ſubiungetur, quęſtione planiùs intelligetur. Eſt enim ſanctio poſtrema Greg. IX. ſatis illuſtris, extra de hæreticis, his verbis perſcripta. „Abſolutos ſe nouerint à debito fidelitatis, dominij, & totius obſequij, quicumque lapſis manifeſtè in hæreſim, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur adſtricti. Seruitutis autem liberationem Panormit. in eam Decretal. numet. 2. ex ſententia Doctorum tributam eſſe ait etiam ſeruis, & libertis hæreticorum.

Quæſtioni igitur propoſitæ reſpondemus, à Chriſtianis non poſſe de hæreticis Britannis mancipia illa emi. Primùm; Quia rerum ſuarum hæretici, & præſertim ſeruorum, dominium non habent, neque ius alienandi. Deinde; quia furtiuę ſunt, id eſt, legitimis dominis ereptæ: quare ad occiſorum heredes verè pertinent. Poſtremò; quia Baptiſmum petierunt intra tres illos menſes venditioni à lege pręfinitos: quare libertati reſtituti ſunt.

QVÆSTIO XLIV.

De ſolutionibus.

1. PEcuniæ æſtimationem ſæpenumero commutari ſeu voluntate Principis, ſeu Trapezitarum conſenſu, ſeu, quòd ipſa temporis interuallo, aut materia, aut pondere, aut re vtraque fieri ſolet deterior, prorſus eſt concedendum.

Illud verò cognitione perquam dignã quæſtionem habet: num is, qui ex contractu, vel quaſi ex contractu, pœnáve maleficij ab iudice irrogata, aut ex mandato, & benignitate principis, aut ex teſtamento ſoluere pecuniam debet, creditori, tecentis pecuniæ ſolutione, eiúſve æſtimatione ſatisfaciat, an ea, ſiue illius æſtimatione, quam tempore cõtractus teſtamenti, mandati, inflictæque pœnæ, ſeu irrogatæ mulctæ iam habebat.

Quotidiana eſt hæc, & mirè iactata, quæſtio; quæ non paucorũ ad hanc diem exercuit ingenia. De qua ſcripſerunt ſacrarum ſanctionum interpretes, in cap. quanto, de iureiurando, & in cap. olim, & in cap. cum Canonicis de cenſibus. Legum verò explanatores in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolutionibus. & in l. in minorum. C. in quibus cauſſis in integ. reſt. Speculator parte 3. lib. 4. partic. 3. de obligationibus & ſolutionibus. §. nunc aliqua. Panormitanus, Oſtienſis, Ioannes Andr. Butrius, & alij, in cap. quanto, de iureiur. Bartolus in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolut. Couarruuias de collatione numiſmatum, cap. 7. §. vnico. Sotus in 6. de iuſtitia & iure q. 1. art. 2. Ioannes Medina. C. de rebus reſtituendis, q. poſtrema. Roſella, in verbo, Reſtitutio, 5. §. 5. Syluester in verbo, Solutio. Angelus, eodem tit. Tabiena, in verbo, Pecunia. Nauarrus, in manuali, cap. 17. nu. 294. Ex horum commentariis & diſputationibus ipſi ſeligemus, quæ tum rationi tum plurium Doctorum ſenſui magis ſunt conſentanea: quę partim in problemata, partim in propoſitiones partiri libuit.

Primum igitur problema conſtituatur in contractu mutui. An ei, qui pecuniam credidit, ſi decreto Principis illius minuatur æſtimatio, is, qui ſumpſit mutuam, ſatis creditori faciat, repræſentatione pecuniæ talis, qualem accepit in pondere, materia intrinſecáque bonitate, an potiùs ſit neceſſe, aut nouam, cuius maior eſt æſtimatio, reddere, aut veterem ſoluere: cuius æſtimatio auctoritate Principis facta eſt minor, ſed intrinſecam bonitatem non amiſit. Nauarrus, in Summa, cap. 17. num. 294. pugnat, ſatis eſſe reddere pecuniam 2.

in

in eadem forma, & metallo: intellige, quę probitate æquet acceptam: eamdémque ſententiam Bartolo aſſignat; quem ait communiter receptum eſſe. Panormitanus, in cap. quanto, de iureiur. eiuſdem opinionis patronos profert Petrum, & Cynum. in l. in minorum. C. in quibus cauſſis in integ. reſt. nec non Oſtienſem.

Tres huius opinionis haud leues rationes occurrunt. Prima eſt apud Butrium, in illud, cap. quanto, de iureiur. num. 10. „ In obligationibus, quæ re contrahuntur „ (verba ſunt eius) in conſiſtentibus in nu- „ mero, pondere, menſura, res ipſa, & boni- „ tas rei deſignat, ad quod contrahatur „ obligatio. Vnde ſufficit in eadē ſubſtan- „ tiali bonitate rem reddi, licèt varietur ex- „ trinſeca æſtimatio. Conſtat autem, mutuum, depoſitum, commodatum, ex eo contractuum eſſe genere, in quibus res ipſa declarat, in quo & quanto contracta ſit obligatio.

Secunda ratio. Licèt pecunia ſit pretiū: tamen in mutuo non traditur vt pretium: nam vt pretiū adhibetur tantùm in contractu venditionis & emptionis: ad cuius contractus propriam intimámque naturam ſpectat merx, & pretium, verúſque animus vendendi, atque emendi. Igitur quamuis varietatem paſſa ſit pecunia vt pretium, tamen vt res contractui mutui accommodata, non eſt paſſa.

Tertia ratio. Hac vna re, licèt non ſola, mutuum à contractu permutationis maximè differt; quòd in permutatione neceſſe eſt res permutatas numero differre; cùm nihil ſecum ipſum commutari queat: at in mutuo poteſt res eadem numero reddi. Vt ſi mihi centum mutuos dediſti nummos aureos, nec iis ſum vſus, poſſum tibi prorſus eoſdem reddere: ergo hoc ius reddendi eoſdem non amittitur, quia principis iuſſu eorum eſt immutata æſtimatio. Quod igitur licet in pecunia mutua, qua non ſum vſus, cur non liceat in ea, quæ par eſt illi in materia, pondere, & bonitate intrinſeca?

Neque verò de pecunia, lege principis diminuta, id tantùm ſentiunt ſuperiores Doctores, ſed etiā de interdicta, ac prorſus repudiata. Namque eædem rationes in vtramque pecuniam valent.

Sed tamen ad contrariam ſententiam abierunt hi. Butrius in cap. quanto, de iureiur. num. 12. vbi ait, in æſtimatione pecuniæ mutuæ non ſpectandum eſſe tempus, quo contractum eſt mutuum, ſed tempus, quo petitur. Panormitanus in commentario, cap. quanto, de iureiuran. num. 12. cum Butrio ſententiam coniungit: facítque eiuſdem opinionis adſcriptores Speculatorem in tit. de ſolutionibus, & Ioannem Andream in addit. Panormitano aſſenſiſſe videntur Summarū ſcriptores. Roſella, in verbo, Reſtitutio, 5. §. 5. Angelus, in verbo, Solutio. §. 2. Syluester, eod. tit. Tabienſis, in verbo, Pecunia. Sotus ſolam hanc ſententiam ſecundam putat veram in 6. de iuſt. & iur. q. 1. art. 2. Medina, in C. de reb. reſt. quæſt. vlt. §. eſt itaque in ſumma, corollario 2. Ad hanc ipſam propendet Couarruuias in tract. de collat. numiſ. c. 7. §. vnico, num. 3. ſed tamen Syluester, in verbo, Vſura, 1. q. 14. hac exceptione ſententiam temperauit; vt, quando eſt anceps euentus, ſeu periculum acceſſionis & deceſſionis, ſolui poſſit pecunia æſtimatione par ei quæ data fuit: æſtimationem intelligit intrinſecam, quamuis minus maiúſve pretium quopiam caſu inuenerit.

Huiúſque moderationis auctores laudat Sylueſter, Ancaranum, in cap. Vſurarum, eodem tit. lib. 6. & Ioan. Cald. in cap. fin. eod. tit. & Rod. Quam exceptionem Ioannes Medina probat: improbat Sotus citatis locis.

Huius opinionis fundamenta pręcipua duo ſunt. Vnum eſt, quòd eius patroni auctoritate legitima impoſitam æſtimationem pecuniæ, ſeu monetæ, rentur ad eius ſubſtantiam pertinere; vt pecunia eſt, & vt moneta eſt: quare æſtimatione mutata ſubſtantiam monetæ immutari contendunt. Alterum fundamentū eſt: quòd nonnullarum prouinciarum conſuetudo

id ipſum cuſtodit: nam generali Hiſpaniarum conſuetudine ſeruari ſcribit eruditus Theologus noſtræ ſocietatis Ludouicus Molina de contractibus tractatu 2. diſput. 312.

Verumenim & auctoritate legum, quibus de reddendo mutuo cauetur, & vi argumentorum prior apud me præponderat ſententia. Neque enim ſatis firmum illud videtur, quod à poſterioris ſententiæ auctoribus adfertur: ad ſubſtantiam pecuniæ pertinere æſtimationem eam, quæ ex voluntate principis apta eſt. Sic enim fieret, pecuniam aut eſſe ens rationis, aut magis eſſe ens rationis, quàm reale: & cùm extrema commerciorum, quæ ſunt entia realia, debeant per ſe eſſe realia, in commerciis, ad quæ ſumitur pecunia, ſequeretur, pecuniæ extremum, non eſſe reale: nam ex poſteriore ſententia pecunia non euadit extremum niſi arbitraria principis æſtimatione: at principis arbitrium relatum ad pecuniam, vt metallum eſt, eſt quid omnino aduentitium, & extrinſecum, & ens rationis.

Quare dicendũ videtur, decreto principis cùm forma publica imprimitur monetæ, eique pretium ſtatuitur, non gigni propriè valorẽ monetæ, ſed illum oſtendi, ac ſanciri.

Itaque Antonius Buttrius, in cap. quanto, de iureiur. num. 10. in ea ſententia iuriſconſultos eſſe affirmat; ſi licita iuſtáque pecunia futura eſt, eam tanti debere eſſe in metallo, quãti in moneta, ſeu pecunia.

Quare Oſtienſis, Ioan. Andr. & Buttius, in c. quanto, de iureiur. negant, ſine populi conſenſu à Principe ſtatui poſſe; vt pecunia, quæ à prioris iuſtitia & pondere receſſit, perinde recipiatur, vt prior, ac vetus: nec poteſt niſi intra Principis regnum ſeu iuriſdictionem diſtrahi, ex eorum doctorum ſenſu.

Ad hæc; quod iſti dicunt ſecundæ opinionis defenſores, locum habere poteſt in pecunia, quum redditur tamquam alterius rei pretium: non cùm redditur mutui nomine ſumpta: multóque id verius erit, cùm redditur tamquam locata, vel depoſita: nam hac ratione ſemper fuit in locantis ac deponentis dominio: iſque eius pericula vel damna debuit agnoſcere: dummodo is, cui eſt locata, vel apud quem eſt depoſita, extra eam culpam ſit, quæ ex contractu locationis aut depoſiti præſtanda foret.

Secundum problema. Sicut theorema eſt apud doctores minimè dubium, 3.
mutationem monetæ poſt moram nocere debitori in pecunia maiore, quę minore æſtimari ſolet, ita problema eſt, num in minima etiam noceat, quæ alia æſtimari nequit. Bartolus, in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolut. num. 7. & 8. negat immutationẽ paruæ monetæ, ad quam æſtimandam maior non adhibetur, obeſſe moroſo debitori. Couarruuias in tractatu de collat. numiſmatum cap. 7. §. vnico, concluſ. 5. exceptionem hanc Bartoli ſcribit communiter ſequi doctores. Verùm Bartolo contradicit *Antonius Butrius in* caput quanto, de iureiur. num. 10. & Panormit. in idem cap. num. 12. cum quo ſcriptores Summarum præcipui ſentiunt. Adde Imolam, & ipſum Couarruuiam.

Quamuis enim vnus verbi cauſſa obolus, ſeu quadrans, maiore moneta æſtimari nequeat; multi tamen quadrantes, ſeu oboli æſtimari poſſunt. Nam & aſſe argenteo æſtimantur quinque quadrantes ærei; & drachma argentea, ſeu denario argenteo, ſiue iulio, æſtimantur oboli quinquaginta. Ad hæc, ſi de damno creditoris cauere debet debitor, cur ſi damnum ob mutationem paruæ monetæ ſeu minimæ culpa debitoris ſenſurus eſt creditor, non illud præſtabit is qui debet?

Hæc dici poſſunt contra Bartolum; in cuius opinione, qui ei aduerſantur, ſubtilitatem agnoſcunt: mihi verò in ea etiam ſe ſe oſtendit veritas. Duo enim de minuta moneta, qua nõ eſt alia minutior, affirmat Bartolus. Alterum eſt, ea æſtimari maiorem, ipſam non æſtimari alia. Alterum, illius mutationem moroſo debitori non obeſſe. Vtrumque verum apparet.

Digitized by Google

Primum idcirco verum eſt: quoniam minima pecunia ceteræ tum aureæ, tum argenteæ tum etiam æreæ, ſi ea non eſt minima, menſura eſt: conuenit autem menſuræ eſſe minimam, vt docent Philoſophi: ita Ariſtot. in 10. Metaphyſ. text. 3. menſuram definiuit id eſſe, *Quo primo vnumquodque cognoſcitur, & cui non videtur eſſe auferendum, aut addendum*, & in 2. de cœlo tex. 28. *menſuram in vnoquoque* dicit id eſſe *quod eſt minimum*.

Quocirca ab huius ſententiæ aduerſariis minùs rectè dici videtur: quamuis vnus obolus æſtimari alia pecunia nequeat, poſſe plures, exempli cauſſa, quinque aſſe argenteo: neque enim quinque oboli æſtimantur aſſe; ſed ij aſſem æſtimant. Neque verò aut aſſis, aut denarius argenteus inuentus eſt, vt æſtimet quadrantes: ſed vt illis æſtimetur, eſt enim in quadrantibus æſtimatio dimetiens: in maiore autem pecunia æſtimatio dimenſa. Hinc fit, vt alterum Bartoli non recedat à vero, eſtque cum primo connexum. Cùm enim loquatur problema de mutatione monetæ extrinſeca: cuius auctor eſt principis arbitratus, qui minuit, augétque pecuniam: nimirum eiuſmodi varietas ſolet in moneta maiore contingere, quæ modò maioris, modò minoris eſt pretij: in minima non videtur poſſe contingere; cuius non ſolet minor accidere æſtimatio; cæteroqui non eſſet minima. In hoc autem ſecundo problemate diſputatur propriè, cùm voluntate principis hic minuitur pecunia, vt poſt moram ea res damno futura ſit debitori. Hæc dici poſſunt pro Bartolo, qui illud quoque admonet. „Quando eſt cuipiam fraudi ſua „mora ſoluendi, non teneri, vt is loquitur, „de intereſſe, quod conſiſtit in lucro: ſed „de eo, quod conſiſtit in damno, ex lege ſi ſterilis. §. cui per venditorē de act. empt. quod eius admonitum, cum recentium Theologorum præceptionibus parum congruit: qui de vtroque damno ſolliciti ſunt.

4. Tertium problema. In pœnis à ſtatuto cuipiam delicto irrogatis, quæ pecunia ſoluenda ſit, eáne, quæ tempore ſtatuti vulgò vſurpabatur, an ea potius, quæ tempore ſolutionis reperitur, nulla habita ratione pecuniæ veteris, ſed nouæ quæ illi ſucceſſit, non liquet inter omnes. Panormitanus in cap. quanto, de iureiur. potiùs credit deberi multam in eo pecuniæ genere quæ tempore ſtatuti vſum æſtimationémque habebat. At Speculator par. 3. lib. 4. partic. 3. de obligationibus & ſolutionibus. §. nunc aliqua, ſecus exiſtimauit. In ſalariis, inquit, & pœnis attenditur „currens moneta de præſenti: in contracti- „bus, quæ currebat tempore contractus. „Butrius in cap. quanto, de iureiur. in ſententia hæret Speculatoris, num. 14. commentarij. Syluester, in verbo, Solutio, q. 2. dicto 3. ad opinionem Speculatoris aggregat Zen. in Clē. 2. de Decimis. & Ioan. in eamdem. Ipſe verò, & Angelus, in verbo, Solutio, num. 2. & Tabienſis, in verbo, Pecunia, ſtant in hac parte à Speculatore: cuius eſt ſine dubio æquior opinio. mitiùs enim non ſeueriùs interpretandæ ſunt pœnæ, præſertim pecuniariæ. Verum enim idem Syluester ſequens eumdem Panormitanum, quum iudex multa multat reum, pecuniam deberi ait tantæ æſtimationis, quantæ erat quo tempore lata eſt ſententia: atque ex ſententia Oldradi iſtud ipſum obſeruari vult in arbitrorum præcepto.

Subiiciamus nunc propoſitiones. Prima propoſitio. Creditor debet monetā, quamuis non ſit eiuſdem generis, recipere à debitore: cùm ex diuerſitate non eſt ſenſurus incommodum: & hanc doctores aiunt nonnullarum ciuitatum eſſe conſuetudinem; cui parendum eſt. Sic Bartolus in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolut. numer. 3. & 4. ſic Butrius, in caput quanto, de iureiur. numer. 13. ſic in idem cap. Panormitanus, num. 14. ſic Couarruuias, in tract. de collat. numiſmatum, cap. 7. §. vnico, concl. 1. vbi ait, id conſuetudine receptum eſſe, quamuis obligatio in certa monetæ ſpecie contracta ſit: pro- 5.

 bátque

bátque eorumdem trium auctoritate doctorum, addens Imolam. Hæc propoſitio interpretationem habet duarum legum: Vnius, quæ 2. eſt. ff. ſi certum petatur: » quæ cauet his verbis: Aliud pro alio inui- » to creditore ſolui non poteſt. Alterius. ff. de ſolut. Paulus reſpondit. eſt enim his » verbis in ea lege. Paulus reſpondit, credi- » torem non eſſe cogendum in aliam for- » mam nummos accipere, ſi ex ea re damnũ » aliquod paſſurus ſit: & quidem poſterior lex eſt prioris interpretatio.

Quod prima hæc propoſitio affirmat, magna æquitate introductum eſt. Fieri enim poteſt, vt ſpecies pecuniæ, quæ mutua accepta eſt, aut alio nomine ſoluenda, vel inueniri, vel haberi non poſſit à debitore: ſine dubio tunc voluntate iuſta debet creditor alia ſpecie pecuniæ eſſe contentus: ſi nihil is damni accepturus eſt.

6. Secunda propoſitio. Quum verbi cauſſa ſoluendum eſt in libra: & hæc tam in vno genere quàm in altero vſurpari ſolet; ſoluetur in eo genere, quod conſuetudine contrahentium valuit. Ita Butrius, in cap. quanto. de iureiurando, ex ſententia Bartoli.

7. Tertia propoſitio. Obligatio ſoluendi certam pecuniæ quantitatem in certa nummorum ſpecie, nulla conſtituta illorum æſtimatione, intelligitur in eo genere ſoluenda, quod viget tempore ſolutionis. Propoſitionem hanc à Bartolo, & ab omnibus approbari teſtis eſt Couarruuias in eo tract. de collat. num. cap. 7. §. vnico, concl. 8.

8. Quarta propoſitio. In contractibus & actionibus haud abſimilibus, cùm centum libræ traduntur in florenis, id agitur, vt illi floreni numquam pluris minoriſve æſtimentur: venditique centum libris videantur: ergo ſemper ſatis erit reddi centum libras, eſt Bartoli, in l. Paulus reſpondit, num. 10. Couarr. communem affirmat hanc eſſe opinionem in eod. tract. & cap. concl. 9.

9. Quinta propoſitio. Si moneta eiecta eſt; quia intrinſeca eius bonitas mutata eſt ſiue in materia, ſiue in pondere, ſeruata æſtimatione antiquæ ſoluetur recens, vt eius æquetur bonitas. Probat hanc Couarr. auctoritate legum, & Doctorum, & communem ait eſſe ſententiam in illo ipſo tractatu, concl. 3. A qua tamen ſententia nonnullos refert receſſiſſe: nominat autem Lugdunenſem, id eſt, impium Molinæum, cui placet ſatisfieri poſſe pecunia, quæ facta eſt deterior, dummodo maneat idem pretium & æſtimatio. Verùm qua ratione eſt eiecta, ſi manet eadem æſtimatio? & ſi facta eſt materia, & pondere deterior, quî poteſt perſeuerare idem pretium? niſi fortè extrinſecus quia Princeps non quidquam in moneta innouauit?

Sexta propoſitio quintæ affinis. Cùm pecunia prorſus eſt reprobata, noua ſoluenda. Butrius in cap. quanto, de iureiur. num. 12. citans Bartolum: nec ſecus licet hac de re exiſtimare. 10.

Septima. Cùm extrinſecus, puta voluntate principis minorem pecunia nacta eſt æſtimationem, id nocet creditori ex communi ſententia Doctorum, vt inquit Butrius, in commentario cap. quanto, de iureiur. num. 12. caſu 3. Verùm ipſe cum Odoff. contendit reddi pecuniam debere ſiue nouam, ſiue veterem, retenta æſtimatione antiquæ: quia ſicut cùm eſt reiecta omnino, ſolutio fit ad æſtimationem antiquæ; ita cùm eſt ex parte reprobata. Quare non nocebit creditori. 11.

Fallax argumentatio: nam prorſus reprobata non habet vſum in commerciis: at ea de qua eſt ſeptima propoſitio, habet, & æquat res omnes, quæ in commutatione ciuili conſiſtunt. Butrij tamen ſententia placet in contractu mutui.

Octaua. Penſiones, & cenſus in meliore pecunia, qua illorum inſtitutionem conſecuta eſt, minimè debentur: ſed in ea, quæ erat quo tempore inſtituebantur, aut illius æſtimatio. Id firmũ eſt ius atque decretum duorum ſummorum Pontificum, Innocentij inquam III. in ſua Decretali, 12.

cretali, quæ incipit, olim cauſſam, de cenſibus. Quare extrema Gloſſa eius Decretalis, de ſolutionibus vniuerſè loquẽs, inquit: Ad antiquam monetam, & menſuram antiquam facienda eſt ſolutio, licèt noua ſit melior: probat ex cap. quanto de iureiur. & ex cap. cum canonicis, de cenſibus. Idem inquit Gloſſa, ſi moneta minor eſſet nunc in vſu, quia ſoluere debet æſtimationem antiquæ.

Verùm Gregorij IX. Decretalis, cum canonicis, de cenſibus, habet exploratum ius, in qua propriè, de penſione loquitur
» his verbis: Cùm canonicis maioris Eccle-
» ſiæ quamdam ſummã pecuniæ pro pen-
» ſione Eccleſiæ tuæ debitam aliquot annis
» perſolueris: & iidem ſummam illam ex in-
» tegro de meliore moneta exigãt ſibi ſolui;
» tibi damus noſtris litteris in mandatis, vt
» canonicos illos ſolutione prioris pecuniæ,
» vel ſi non ſit in vſu, æſtimatione penſio-
» nis antiquæ facias manere cõtentos. Hæc
eſt tota Decretalis.

Nona propoſitio. In teſtamentis ratio ducitur eius pecuniæ, quæ verſabatur in ciuilibus commutationibus, quo tempore teſtamentum condebatur: vt placet iis, à quibus hæc ſubtiliùs diſſeruntur.

Confirmant propoſitionem ex l. vxorem, §. teſtamento. ff. de leg. 3. & ita inquit Sylueſter, in verbo ſolutio, q. 2. conſuluit Oldradus, & ſequitur Petrus de Anc. in d. c. olim, & Ioan. Andr. in addit. ad Speculũ, & Panormitanus in d. cap. quanto.

Decima. Si legantur centum aurei ſeu floreni, quorum tempore teſtamenti minor eſt æſtimatio, maior autem tempore ſolutionis, tempus ſolutionis attendendũ eſſe ait in eodem loco Sylueſter ex ſententia Ludouici Rom. id probantis ex l. cùm certum. ff. de aur. & arg. leg. Verùm ipſe ſuaderem ſpectandum eſſe animum legantis, ſi aut certa, aut probabili coniectura perſpici poſſit: & genus legati, ſit ne pium, an profanum: nam pio multò magis quàm profano fauendum eſt.

Vndecima. Si princeps, vel alius dominus per gratiam beneficij mãdat cuipiam ſolui in annos ſingulos centum florenos, ſi is ignorabat monetæ æſtimationẽ, ſoluetur ea, quæ tempus ſolutionis comitatur, non quæ tempus mandati comitabatur: ſecus dicendum, ſi pretium monetæ non erat principi ſeu domino ignoratum. Butrius in cap. quanto, de iureiur. num. 12. à quo citantur Gulielmus de monte Lauduno, Paulus & Speculator: quam ſententiam principes Magiſtri caſuum conſcientiæ ſequuntur.

Duodecima propoſitio. Pecuniæ, quæ fugientem & vagam propè in ſingulos dies ſolita eſt habere æſtimationem, modò maiorem, modò minorem; non ſolet ratio haberi in ſolutionibus; nec à creditoribus recuſari poteſt.

Videtur hæc propoſitio fermè omniũ probata conſenſu, vti Bartoli in l. Paulus reſpondit. ff. de ſolut. num. 9. commentarij: vti Butrij, in cap. quanto, de iureiur. nu. 12. caſu 4. vti Panormitani, in idem cap. numero. cui aſſentiuntur Cõſcientiæ quæſtionum diſceptatores, Angelus, Sylueſter, Ioã. Tab. locis ſuprà indicatis: teſtiſque eſt Panormitanus opinionem hãc eſſe communem.

Verùm, ſi mutatio eſſet perpetua, cuius cauſſa non in materia, aut ponderis vitio, ſed in principis voluntate conſiſteret, creditori noceret ex ſententia Bartoli, & Oſtienſis: à quibus Butrius diſſidet: præſertim cùm mutatio accidit in parte, cùm non ſit interdicta moneta: hoc enim tempore non vult nocere creditori, vt in ſeptima propoſitione oſtenſum eſt: refert enim æſtimationem, & ius ſoluendi, ad pecuniam, quæ vſum habebat tempore contractus.

Hæc Butrij ſententia magis placuiſſe videtur Panormitano in cap. quanto, de iureiur. Sylueſter adiungit ad hos Oldradum & Feder. in l. in minorum, C. in quibus cauſ. in integ. reſtit. Atque hæc ſententia magis probata videtur eſſe noſtris ſummarum ſcriptoribus.

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS,

DE CRIMINIBVS ET CRIMINOSIS.

QVÆSTIO I.

1. R. Hæreticus omnia ſua bona tribus millibus aureorum nummûm vendit Mercurio, ea conditione: vt, ſi fiſcus vendicare volet, illi reſtituat.

Quæſitum eſt à nonnullis; an is contractus valeat. Valere arbitrati ſunt Syluester, in verbo, Hæreticus, num. 14. & Franciſcus Victoria, in quinta relectione de Indis, propoſitione quinta: quorum vterque nõ ſolùm cum certiſſimarum legum, & ſacrarum ſanctionum auctoritate, & cum communi Doctorum cœtu, ſed ſecum ipſe mirè confligit. Nam Sylueſter, in illo ipſo, num. 14. ſcribit, non magis ante condemnationem, quàm poſt, ab hæretico bona ſua alienari poſſe: ſed poſt, nulla ratione poteſt alienare: ergo neque ante. Quemadmodum enim poſt condemnationem non eſt dominus hæreticus bonorum, quæ poſſidet, ita neque ante; dominus inquam eum iure alienandi: nam cum iure vtendi non negamus eſſe dominum: licèt à nonnullis id quoque negatum ſit. Sed turpiùs Victoria, quę affirmauit, euertit. Nam in ea propoſitione quinta pugnat, iure conſcientiæ ſuorum bonorum eſſe dominum hæreticum; illaque non ſolùm oneroſo, ſed gratuito etiam titulo alienare poſſe, puta donando, legando: id quod cum iis, quæ paullo antè poſuerat, nulla ratione congruit.

Tertia enim propoſitio eius hæc fuit. Hæreticus à die commiſſi criminis incurrit confiſcationem bonorum: ita tenent communiter Doctores, & eſt determinatio directorij lib. 3. tit. 9. & in ſumma Baptiſtana in verbo, abſolutio, §. 19. & videtur definitum in illo cap. cùm ſecundùm leges, & in d. l. 4. C. de hæret. & in coroll. 2. quartę propoſitionis. Secundò ſequitur, quòd venditiones, donationes, & omnis alia alienatio bonorum à die commiſſi criminis ſunt inualidæ. Itaque facta condemnatione omnes reſcinduntur à fiſco: & bona capiuntur ab eodem fiſco etiam pretio non reſtituto emptoribus. Et hæc eſt omnium, & nominatim Panormit. vbi ſuprà, & patet ex d. l. 4. C. de hæret. Hæc totidem verbis Victoria, vt non maior illi nobiſcum quàm ſecum fuerit diſſenſio.

Sed totius cauſſæ cardo hic vnus eſt: 2.
vtrùm hæreticus dominium ſuorum bo-

norum

norum in foro conſcientiæ retineat ante iudicis condemnationem. Illum non retinere, auctoritate legum, & ſacrorum Canonum, & penè omnium Doctorum teſtimonio, obtinebimus. Alex. IV. in Decret. quicumque, §. extremo, emancipationem filij à patre hæretico factam, antequam eius hæreſis patefacta eſſet, & ab iudice condemnata, irritam eſſe decernit: quoniam iam filij erant ſui iuris, & extra poteſtatem patriam. Nullius, inquit Pontifex, volumus eſſe momenti, veluti factā de hominibus ſui iuris, cùm dignum ſit, vt propter atrocitatem delicti, filij eſſe in parentum hæreticorū deſierint poteſtate: ergo ante ſententiam iudicis pater hæreticus amiſerat ius & dominiū in liberos: quantò igitur magis dominium cæterarum rerum, vt agrorum, domorum, amittere debet: quandoquidem horum bonorum dominium ciuile exiſtimatur, at in liberos eſt naturale & diuinum. Itaque Gloſſa explanans verbum illud, deſierint: Nota ergo inquit, quòd crimen hæreſis paternum, etiam antequam per Eccleſiā fuerit declaratum, liberat à patria poteſtate filium.

3. Quod vnum argumentum vim meo quidem animo pernecesſariā habet perſuadendi. Et Gregorius IX. in Decretali poſtrema de hæret. ab omnis obſequij & fidelitatis debito abſoluit eos, qui tenebantur aſtricti ei qui manifeſtè in hæreſim lapſus eſt: vbi Gloſſa ait, eos qui propoſita pœna aliquid ſoluere hæretico, de quo eſt in ea Decretali, debebant, non incidere in pœnam, ſi non ſoluunt: ergo talis hæreticus etiam ante ſententiam amittit ius & dominium in ſuos ſeruos, in feudatarios, & alios.

Bonifacius VIII. in ſanctione, Vt inquiſitionis, §. poſtremo, de hæret. lib. 6. comparat crimen hæreſis cum nonnullis aliis, quæ iure ciuili coërcentur: in quibus eſt crimen læſæ maieſtatis. Itaque hæreticorum bona ipſo iure fiſco addicit: vbi Gloſſa, Intelligo ipſo iure confiſcata à tempore commiſſi criminis, in tantum, quòd vendicantur ipſa bona per officium vel fiſcum, de manibus poſſeſſoris, nullo dato pretio per quotcumque manus trāſierint: quod non facere poſſet fiſcus, ſi eorum bonorum dominus fuiſſet hæreticus, & iure ea alienare potuiſſet. Et Alex. IV. in c. accuſatus, §. in eo verò caſu, lib. 6. ſtatuit vt etiam poſt mortem hæretici, eius bona fiſcus adipiſcatur. Nam inquit Gloſſa, Ex quo lapſus eſt in hæreſim, perdidit omnia bona ſua: & fiſcus incepit eſſe dominus. Non ſecus Panormit. ſcribit in cap. extremum, de hæret. & reliqui in illam Decretalem Alexandri.

Accedit eòdem hæc firmiſſima ratio. 4. Decretalis, Cùm ſecūdùm leges, de hæret. lib. 6. non vult, hæreticorum qui diuinæ Maieſtatis rei ſunt, minores eſſe pœnas, quàm eorum qui rei ſunt maieſtatis humanæ: ſed qui humanam lædunt maieſtatem, dominium bonorum ſuorum, & ius alienandi ante iudicis ſententiam amittunt: ergò etiam hæretici.

Minor ſyllogiſmi propoſitio probatur ex duabus legibus perſpicuis. Prior eſt, lex, quiſquis, §. dotes, C. ad legem Iuliam maieſtatis, vbi eſt his verbis: Donationes, quarumlibet poſtremò rerum alienationes, quas ex eo tempore, qualibet fraude, vel iure factas eſſe conſtiterit, ex quo primùm memorati de ineunda factione ac ſocietate cogitauerint, nullius ſtatuimus eſſe momenti: ergo nec vllius erunt momenti alienationes ab hæreticis factæ: & in lege poſtrema, eod. tit. Et diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt: Ex quo quis tale crimen contraxerit, neque alienare, neque manu mittere eum poſſe: nec ei iure ſoluere debitorem magnus Antoninus reſcripſit. Eodem adiūgitur. Quòd non minor eſt vis & auctoritas legis in vlciſcendis criminibus, quàm iudicis: ſed iudex ſua ſententia eripit dominia rerum: ergo etiam lex id ipſum facit ante ſententiam iudicis, ſi id vult facere: quod voluiſſe in crimine hæreſis Eccleſiam facere, liquet ex eius legibus.

Quid? Gregorius XIII. cuncta bona

eorum,

Digitized by Google

eorum,qui homicidis & proſcriptis fauēt, nónne ipſo facto addicit cameræ Apoſtolicæ abſque vlla declaratione aut iudicis ſententia, vel decreto, vel quapiam alia ſollemnitate,vt planum eſt ex eius conſtitutione, quæ incipit:Tanta,támque horrenda? Quam Gregorianam conſtitutionem confirmauit Xiſtus V. conſtitutione ſua,quæ incipit, Hoc noſtri.

5. Coniunctis ſententiis hoc ipſum docuerunt,& ſacrorum Canonum,& Theologiæ Magiſtri.Sententias Gloſſæ iam indicauimus, & Panormitani. Archidiaconus inDecretalem,Cùm ſecundùm leges, » in verbo, Confiſcata: Vnde, inquit, dico, » quòd donatio,ſeu alienatio facta per hæ- » reticum, ante condemnationem non te- » net. Ancharanus in eamd.Decret. planè idem,quod Archidiaconus. Multos alios video apud Caſtrum in 2.de poteſt. legis pœnalis, à cap.5. ad 11. in numer.5. & 11. coniectos.

Venio ad Theologos. Alphonſus pro hac ſententia acriùs quam omnes alij dimicauit citato loco. Corradus idem defenderat antè,in tract.1. de contractibus, q.7.conc.2.& 3.Directorium,l.3.tit.9.Roſella,in verbo, Hæreticus,nu.7. & in verbo,Abſolutio,num.19.Tabiena,in verbo, Hæreticus, num.5. Sotus in 1.l.de iuſtit.& iur.q.6.artic.6.ſolut.2. concedit hæretico dominium poſſeſſionis, ſed non aliena- » tionis. Secundo,inquit, nihil repugnabo, » ſi quis dicat ab illo articulo (intelligit ar- » ticulum commiſſi criminis) amiſſum eſſe » dominium;dummodò hoc non negetur, » quin iure fuerit hæretico permiſſa poſſeſ- » ſio,ab alienatione tamen cohibita:& Medina in C. de rebus reſtituendis, q.1. col. penult.apertè fatetur,hæreticum ob delictum amittere dominium rerum ſuarum, & ius alienandi ante ſententiam declaratiuam; quamuis illa retinere poſſit.

6. Quare propoſitæ à principio quæſtioni reſpondendum eſt,illum hæreticum non potuiſſe ea conditione ſua bona vendere: quia,quæ noſtra non ſunt,non poſſumus vllo modo alteri tradere. Quòd ſi Syl-

ueſter ſecus ſenſit,malè ſenſit: & Bartolo impoſuit,quòd is in ſuis ſcriptis nō poſuit, præſertim in commentario eius legis de donationibus, cuius Syluester meminit. Verba legis hæc ſunt:Poſt capitale crimen » donationes factæ valent ex conſtitutione » diuorum Seueri & Antonini; niſi con- » demnatio ſecuta ſit. In primis Gloſſa & » Bartolus excipiunt crimen maieſtatis: & » in num.12. illius commentarij,Poſt com- » miſſum, inquit, delictum ante accuſatio- » nem ſunt quædam delicta, propter quæ » ſtatim ipſo iure ſunt publicata bona, & » citat Decretalem, cùm ſecundùm leges, de hæret.lib.6.& ſtatim ſubiungit:& tunc non valet donatio vel alienatio,quia non habet dominium,cùm ſtatim amiſerit. Quædam ſunt delicta, in quibus licèt dominium non perdat ſtatim, interdicitur ipſo iure adminiſtratio: & tunc nō poteſt alienare: fallit in alienatione neceſſaria, vt l.reos de ſolut.& in l.alienationes,fam. erciſc. & l.peto. §. prædium de leg. ij: & num.17. commentarij ſolutionem à reo factam creditori ait valere: quia exequitur,quod eſſet fiſci exequi:quia licèt, in- » quit Bart. bona transferantur in fiſcum, » tranſeunt cum onere: præferuntur enim » creditores fiſco;vt probat rectè Syluest.in » verbo, Pœnæ, num.18. auctoritate & ratione:nam fiſcus agit de lucro captando, creditor autem de damno euitando:titulus autē damni euitandi eſt potior quàm lucri captādi;nec vmquam Bartolus probauit venditionem illam appoſita conditione, quam inuenit Syluester.

Fatentur tamen Doctores,hæretico re- 7. linqui ſuorum bonorum poſſeſſionem & vſum, ante ſententiam iudicis; neque à principibus poſſe illius bona occupari antequam ab Eccleſiaſtico iudice lata ſententia fuerit,ex illa ſanctione, Cùm ſecūdùm,de hæret.lib.6.Verùm non hinc inferri poteſt, vt rectè inquit Alphonſ. Caſtrus,penes hæreticum eſſe dominium bonorum;cùm res longè ſint diuerſæ poſſeſſio rei,& dominium.Nam poſſum ego rei meæ tribuere tibi poſſeſſionem, atque

etiam

Digitized by Google

etiam adminiſtrationem ſine dominio: ſicut pupillus habet dominium, & caret adminiſtratione. Hæretico igitur conceditur poſſeſſio ſuorum bonorum, & ius illis vtendi ante condemnationem, alienandi non item.

Dices ergo, malæ fidei poſſeſſores ſunt tam multi, qui in hæreticorum prouinciis negotiantur cum hæreticis; illiſque ſuas res Catholici vendunt: & de hæreticis illorum bona mercantur.

Reſpondeo, tacito conſenſu eorum, ad quos bona ſpectant hæreticorum, & benignitate quadam fieri Eccleſiæ, vt bona, quæ Eccleſia conſequi non poteſt, ad Catholicos potiùs perueniant, quàm in peculio maneant hæreticorum.

Quocirca Innocent. I V. Peruſiæ cùm eſſet, conſtitutionem edidit, qua ſuarum prouinciarum intra Italiam Rectoribus præcipit; vt nullum patiantur hæreticum intra ſuæ ditionis fines eſſe: cunctiſque poteſtatem facit hæreticos capiendi, ſpoliandíque ſuis bonis, quæ à capientibus & ſpoliantibus pleno iure acquiruntur. Viden' vt Rom. Pontifex hæreticorum bona, quæ ad illum pertinent, largiatur cæteris Catholicis, à quibus illi ſpoliantur? quam conſtitutionem Alexan. I V. & Clem. I V. confirmauerunt?

QVÆSTIO II.

1\. QVidam ſeptem ipſos annos in conuictu hæreticorum fuit: eorum impiæ doctrinæ mortiferum venenum obbibit: octo ab hinc annis ſe rurſum in Catholicorum caſtra recepit: ſed virus hauſtum palam numquam euomuit; neque ſe cum Eccleſia quam offendit, in gratiam reſtituit, eo modo quem ſuis ipſa legibus præſcribit.

Hic tempore iubilæi, ad pœnitentiæ ſacramentum accedit: quærit ſacerdos quid cum hoc homine agendum ſit.

2\. Reſpondi, huic miſero eſſe publicæ pœnitentiæ & reconciliationis ſigna neceſſaria: vt Epiſcopi arbitrio nefarios errores deteſtetur, & impia dogmata eiuret; vt ſe in Catholicæ fidei veritate manſurum eſſe, ſcripto ſpondeat: idque publicè vel priuatè faciendum eſt, prout crimen publicum vel occultum fuit. Et quia hæreticus eſt ipſo iure excõmunicatus, cum iureiurando, pſalmo, miſerere, & verbere, abſoluetur; pœnáque digna multabitur. Hæc enim & ius Pontificũ edicit, & eiuſdem iuris interpretes docent; à quibus diſſentire non licet. Vide Syluestrum in verbo hæreſis, 1. q. 13. ſeu num. 19. & Angelum in verbo, Hæreticus, num. 26. quorum vterque in munere ſacræ inquiſitionis fungendo eſt egregiè ſapientérque verſatus. Neque verò eſt eorum error vllo pacto ferendus; qui cenſent, eorum inimicitias, quas cum Eccleſiá apertas geſſerunt, etiam ſi palam eas non depoſuerint, ſacramentali poſſe abſolutione extingui.

Exitioſa eſt hæc inſcitia, & animorum pernicies. Illud enim hominum genus vtriuſque fori reconciliatione eget, tum publici, & non ſacramẽtalis; tum occulti, & ſacramentalis: illiúſque reconciliatio huius reconciliationi antecedit: loquimur de iis, qui cenſura publica vel ſcelere publico ſunt irretiti.

QVÆSTIO III.

IGnara quædam muliercula, concionatori ac Theologo narrauit, ſuæ genti munus conceſſum eſſe diuinitus; vt quiuis ex eadem familia cuiuis morbo mederi poſſit, ea diui Ioannis Euangelij parte recitata, quæ ab ſacerdotibus quotidie ad aram in templis, clara voce, perfecta re ſacra, dici ſolet; atque ægrotanti fruſto dato è placentula, quæ eſt ex farina confecta, rore conſperſa, qui fit ſancti Ioannis Baptiſtæ natali nocte collectus. 1.

Ideo hæc narrabat mulier, vt ſciret, licerétne ſibi, ac ſuis, hac ratione curandi morbos, ſine crimine vti. Concionator ille licere reſpondit.

Digitized by Google

Quo de genere cùm meam concionator ſententiam exquireret, demonſtraui iſtud curandi artificium totum eſſe ſuperſtitioſum, ab improbo dæmone excogitatum, & illi familiæ traditum; quò vtentibus culpæ & damnationi eſſet ſempiternæ.

2. Pertinere autem genus hoc ad fœdæ ſuperſtitionis ſpeciem, è trium rerum inani & falſa obſeruatione, temporis, roris, & placentulæ intelligi poteſt. Polluunt impia ſuperſtitione noctem.

Primùm, quia Ioannis Baptiſtæ natalitiam noctem, ſiue roſcida, ſiue ſicca ſit, ad curationem morborum quidpiam momenti habere, neque ab Eccleſia, quæ errare non poteſt, nec ab vllo viro docto, & ſancto aut obſeruatum vmquam, aut traditum fuit: ſed aliquibus fortaſſe de imperita multitudine, quæ facillimè decipi poteſt, ab noſtri generis profligatiſſimo & perditiſſimo hoſte omnis mendacij parente inculcatum.

Deinde, quid rationis habet, vt natalitia nox ſanctiſſimi Ioannis Baptiſtæ magis ſit expultrix morborum, quàm Chriſti liberatoris noſtri, quàm eius cariſſimæ & beatiſſimæ matris? Tum, cur humida ſi fuerit nox, vim obtinet pellendi morbos? ſi arida non item? Pòſt, cur morbo affectis nox magis debeat eſſe ſalutaris, quàm dies, quę toto orbe Chriſtiano multò maiore religione ac lætitia colitur, ac celebratur? Poſtremò. Cur admirabile ſacrificium, quod die feſto Ioannis Baptiſtæ fit, non plus valeat ad omnem morbum, quàm eiuſdem diui nox humida?

3. Porrò autem in rore, & in farina eo perſperſa & ſubacta, in placenta, obſeruatio ineſt plena perniciei. Cùm enim hæc tria, nec ſingula, nec omnia, adhibeantur tamquam cauſſæ naturales ad morborum depulſionem: quia reuera naturali ſua facultate profligare illos non poſſunt; conſequens eſt, vt tamquam ſigna pactionũ, quæ cum perfidioſis & ſceleratis dæmonibus factæ ſunt, adhibeantur: quemadmodum D.Thom. in 2.2.q.96.artic.2. his verbis in ſcriptis reliquit. Dicẽdum, quòd in iis, quæ fiunt ad aliquos effectus naturales inducendos, conſiderandum eſt, vtrùm naturaliter videantur poſſe tales effectus cauſſare: ſic enim non erit illicitum; licet enim cauſſas naturales adhibere ad proprios effectus. Vnde, ſi naturaliter non videãtur poſſe tales effectus cauſſare, conſequens eſt, quòd nec adhibeantur ad hos effectus cauſſandos, tamquam cauſſæ, ſed ſolùm quaſi ſigna; & ſic pertinent ad pacta ſignificationum cum dæmonibus inita. Vnde Auguſt. dicit, cap.6. 21. de ciuit. Dei: Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Hæc D.Thom. ex Auguſtino.

Pergit Auguſt. Vt autem illiciantur ab 4.
hominibus, priùs eos ipſi aſtutiſſima calliditate ſeducunt, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum; vel etiam fallacibus amicitiis apparẽdo, eorúmque pauculos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorúmque doctores. Neque enim potuit niſi primùm ipſis docentibus diſci, quid quiſque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine: quo cogatur. Vnde magicæ artes, earúmque artifices, extiterunt.

Nempe ex his D.Thomæ & Auguſtini verbis, atque ſententiis duo cognoſcimus. Vnum eſt, curandi modum à muliercula allatum ad peruerſam religionem ſpectare: alterum, mendaciſſimo dæmone magiſtro, mulieris familiam ad hanc medendi diſciplinam inſtitutam eſſe.

QVÆSTIO IV.

Eſtne ſomniorũ obſeruatio criminoſa? 1.
Reſpondeo, adhibita duplici di-
ſtinctione. Prior, eſt Ariſtotelis in lib. de 2.
diuinatione per ſomnia: Poſterior, eſt diui

diui Thomæ, in 2.2.quæſt.95.artic.6.

Ariſtotelis diſtinctio & diuiſio, quæ à ſapiente Theologo contemni minimè
» debet, eſt huiuſmodi. Eorum, quæ nobis
» accidunt, ſomnia aut cauſſæ ſunt, aut ſi-
» gna, aut accidentia quædam fortuita.
» Cauſſæ, cùm mens noſtra nocturnis viſis
» mollita & implicata, iiſque diu inhærens,
» agit, quæ agit: quamuis ſecus agere poſſet,
» ſi vellet. Signa, cùm animi, vel corporis
» affectiones, tum præſentes tum futuras, in-
» dicant. Quare medici acriter obſeruant ſomnia, inquit Ariſtot. ac de ſomniorum prognoſticis duos edidit libros Hippocrates.

2. Fortuita ſunt accidentia, cùm expectatis nonnulla eueniunt, quorum ſomnia
» cauſſæ naturales haudquaquam eſſe po-
» tuerunt: vt, cùm quis ſomniauit aduenisse amicum; & eidem inambulanti occurrit in foro. Hoc poſtremum genus ſomniorum obſeruare non licet, duo priora licet: Admonet etiam Philoſophus in eodem libro, vitam eorum refertam eſſe ſomniis, quorum eſt natura aut loquax, aut melancholica.

3. Diui Thomæ diuiſio eſt hæc. Primæ
» ſomniorum cauſſæ duæ ſunt; prima inter-
» na, ſecunda externa: interna duplex, vna
» in animo, cogitatio & affectio: hæc enim
» obiiciuntur dormientibus, quæ vigilãtes,
» aut cogitauimus aut adamauimus: altera;
» ſita eſt in corpore, vt temperatio calida, frigida, &c. Externa cauſſa quadruplex: aër, cœlum, Deus per Angelos, & dæmon: exceptis igitur ſomniis, quæ in animis noſtris cientur à dæmone, obſeruare reliqua, culpa vacat.

QVÆSTIO V.

1. LIcétne cum moribundo amico paciſci; vt is poſt obitum reuertatur ad amicum, quem in vita reliquit, eúmque de ſtatu ſuo faciat certiorem.

Reſpondeo, non licere. Primùm, quia à pietate alienum eſt ea velle diſcere, & curioſè ſcrutari, quæ DEVS vult nos vtiliter ignorare. Deinde, quia in poteſtate animarum non eſt vel ad punctum temporis ea deſerere loca, ad quæ diuino iuſſu ſemel migrarunt. Poſtremò, quia animæ mortuorum, quæ hinc decedunt, reconciliata, aut numquam cum DEO violata gratia, quamuis de nobis ſollicitę ſint, ſicut nos de illis, tamen, vt inquit Auguſtinus, rebus noſtris nequaquã interſunt; laténtque illas ea quæ apud nos gerũtur, & quæ nobis bona malive contingunt, ſuapte ingenio minimè aſſequuntur: id quod multis à D. Auguſtino perſuadetur argumentis, in libro de cura pro mortuis agenda, cap.13.14.15.16. eaſdémque ſententias repetit omnes in libro de anima & ſpiritu, cap.29. Fatetur autem ea diſcere, quæ à DEO ſinuntur diſcere, vel diuino ſpiritu eas illuſtrante, vel beatis Angelis; qui rebus noſtris præſto ſunt, indicantibus; vel aliis animabus, quæ ad eadem loca demigrant, nunciantibus.

Negátque in iiſdem libris Auguſtinus certi quidpiam ſe ſtatuere poſſe: vtrùm mortuorum apparitiones ipſorum ſint, an verò Angelorum, imaginem & adſpectũ eorum, qui defuncti ſunt, aſſimulantium. 2.
Imò verò eiuſmodi pactio ex impio naſcitur errore: nam, qui pactionẽ ineunt, exiſtimant, animabus, cùm è corporibus exceſſerint, notum eſſe ſtatum amicitiæ ſeu inimicitiæ, quam cum DEO habent homines: quod longè eſt ſecus, cùm ſtatus eiuſmodi pendeat ex actibus interioribus volũtatis, bonis vel malis; quos actus vni ſolíque DEO compertos eſſe ſacræ docent litteræ.

Nihilominus noſtras preces, quin beatis animabus notæ ſint, inficiari non poſſumus, vel ad eas deferẽtibus ſanctis Angelis, vt ſignificat D. Dionyſ. in 2. cap. cæleſt. hierarch. vel in verbo videntibus, vt placet D. Gregorio, lib.12. moral. cap.13. quem citat & ſequitur D. Thomas, in 2.2. q.83. art.4. Nam de rebus noſtris in verbo vident ea quæ decet eos videre, vt inquit idem S. Thomas.

OOO 2 Quam

3\. Quamquam, ſintne noſtræ orationes dignæ ſemper, quæ ab iis excipiantur, eorumque deprecationibus apud DEVM adiuuentur: placeántve DEO, eáſque velit DEVS audire, ſine reuelatione id ſancti ignorant Angeli; vti in eodem loco affirmat D.Thomas. Idémque D.Thom. in 1.par.qu.89.artic.8. vbi quærit: vtrùm animæ ſeparatæ cognoſcant ea quæ hîc aguntur; reſpondet, ſecundùm naturalem cognitionem non cognoſcere: & ad ſecundum in diuinis miraculis numerat, quando animæ defunctorum mortalibus apparent.

QVÆSTIO VI.

1\. DVas de ſimonia quæſtiones mirè neceſſarias expedire cupimus.

Prior eſt hæc: Cùm duplex ſit ſimonia mentalis: vna, quæ intra mentis tantùm domicilium incluſa eſt, nec foras prodit: altera, quæ ad actionem dandi & recipiendi ita ſeſe applicat, vt quamuis inter ſe apertis verbis contrahentes minimè paciſcantur: alter nihilominus de alterius praua voluntate nequidquam dubitet: nam, & qui ſpirituale tribuit, idcirco tribuit, quia ſibi temporale tribuitur; & qui temporale largitur, ſcit ob eam largitionem ſibi à Prælato rem tradi ſpiritualem.

Quæritur igitur, vtrùm ob huiuſmodi ſimoniæ ſcelus neceſſariò reſtitui debeat, quod eſt vtrinque acceptum.

Reſtitui non eſſe neceſſe defendunt hi omnes. Aſtenſis lib.6. tit.55. artic.3. col.1. Syluester in ſum.verbo, ſim. q. poſtrema, Caietanus in ſumma, verbo, ſim.& in 2.2. q.100. explanans artic.6. Ioannes Tab. in ſumma, eod.tit. nu.76. Nauarrus in ſumma, cap.23.num.103.& in cap.fin.de ſimonia. Ioannes Andr. in c.tua nos, de ſimon. quem, illic ſecutus eſt Panorm. ſed poſtea ſententiam reuocauit in cap. poſtremum de ſimon. Nauarrus & Tabiena eamdem ſententiam affingere conati ſunt D.Thomæ in 2.2.q.100. artic.6. parum accuratè attendentes animum ad ſimoniam, de qua tantus Doctor loquebatur.

2\. Contrariam opinionem, vt tutiorem & veriorem, arripuerũt Doctores ſapientia & multitudine inſigniores. Henricus Gandauenſis, quodlib.6.q.26. Paludanus in 4.diſt.25.q.5.art.3. non longè ab extremo; cuius verba & ſententiam complexus eſt Turrecremata, in cap. ordinationes, 1. qu.1.art.2. num.10. Altiſiodorus, in 3.lib. tract.23.c.3. in calce. Gerſon tract.24. de reg.moral. litt. P.Richardus, diſt.25. art.2. q.1. Durandus in eamd.diſt.q.4. Maior in eamd.q.7. Adrianus quodlib.9.art.3.§.his præmiſſis. Sotus lib.9.de iuſtit.& iur.q.8. art.1.§.vt igitur rem. Medina C.de rebus reſtituendis, q.4. Angelus, in verbo, Simonia 7.ante num.1. Panormit.in cap.extremum de ſimonia. Turrecremata ad hanc ſententiam aggregat Hugonem, interpretans, cap.ſi quis, 1.q.1. Qui Turrecremata non ſolùm reſtitutioni, verùm etiam cæteris Eccleſiæ pœnis hanc ipſam, de qua agitur, ſimoniam ſubiicit, in procem, 1.q.1. num.3. quod item faciunt Altiſiodorus, Gerſon, Durandus locis citatis.

Præcipuum & maximum huius ſententiæ firmamentum eſt Canon Gregorij Magni; & habetur, 1.quæſt.1. Si quis, inquit S. Gregorius, iniuſto cordis amore, » vel ſordidis precibus oris, ſiue comitatu, » ſiue manuali ſeruitio, ſiue fraudulento » munuſculo Epiſcopalem, ſeu Sacerdotalem, » non lucro animarum, ſed inanis gloriæ auaritia fultus, dignitatem acceperit: » & in vita ſua non ſponte reliquerit; eúmque inſperata mors pœnitentem non inuenerit, procul dubio in æternum peribit. » Quo canone nihil ad hanc comprobandam ſententiam certius excogitari poteſt: quem diſſimulant aduerſarij; nec illi reſpondent. In quo canone munuſculum fraudulentum appellatur, quod pactione vacat: nam, ſi ob pactionem daretur, eſſet manifeſtum, non fraudulentum.

Secundum firmamentum ſitum eſt 3. in auctoritate & conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, ſimoniam mentalem punientis cum

cum datione tantùm ſine vlla pactione præſumptam, vel ex qualitate perſonarũ; vt ſi pauper donet diuiti; aut ex quãtitate muneris; vt ſi magnum ſit munus; aut ex circumſtantia temporis; vt ſi dat extra neceſſitatis tempus, ex Decretali, & ſi quæſtiones, de ſimonia; quæ eſt Alexãdri III.

Non deſunt huic opinioni rationes ad infirmandum perdifficiles. ſit ergo prima ratio: Si mentalis, de qua loquimur, ſimonia nõ obſtringit ſuum auctorem neceſſaria lege reſtituendi, ideo erit, quia pacto caret; quod reſtituendi gignit neceſſitatem: ſed falſum eſt pactum eſſe neceſſarium; quia in prima ſimonia, quam in Giezi & in Simone tantopere ſacræ literæ, & canones execrantur, nullum extitit pactum, niſi fortaſſe tacitum; quod item in mentali ad opus deducta conſiderari poteſt: quare, &c.

Secunda ratio. Ad creandum contractum venditionis & emptionis, ſatis eſt pretium ſoluere, & rem venalem accipere nulla pactione expreſſa interpoſita; vt fieri ſolet in earum rerum emptione quibus eſt certum pretium conſtitutum: ergo pari ratione poterit quis verè vendere & emere rem ſpiritualem, quamuis nullum ſit antea initum pactum.

Tertia. In ſimoniam, quæ contrahitur ob munus precum, vt in indignum conferatur ſiue ordo ſiue beneficium; quæ ex omnium Doctorum ſententia eſt veriſſima ſimonia, Eccleſiæ pœnis ſubiicitur, nullum pactum incidit: nec enim qui rogando apud Prælatum cupit alteri conferri beneficium, neceſſe eſt, vt ad pactionem conditionémve quampiam deſcendat: ergo pactio non eſt neceſſaria. Mens igitur cum ipſa datione vetiti muneris, ſatis eſt ad pariendam reſtitutionis obligationem.

4. Quarta. Doctores, qui de triplici munere diſputant, quo munere tamquam pretio tradũt ſpirituale emi, nullam mentionem pactionis faciunt; ſed, modò adſit munus, id ſatis putant.

Quinta. Qui iniuſto titulo rem quampiam aſſequitur, illam retinere nõ poteſt: quin etiam ſi iniuſtus & fraudulentus ſit titulus, fit malæ fidei poſſeſſor; cogitúrque rem cum omnibus fructibus præſtare, vt ſentiunt Doctores, & Romanæ leges iubent. ff. de rei vendicatione. l. ſi nauis. §. generaliter. & C. eod. l. certum: cùm igitur improbiſſimo titulo, & maximè nefario, qui ſimonia mentali polluuntur, acquirunt id, quod acquirunt, profectò illud retinere non poſſunt.

Sexta ratio. Pat huic conformata eſt à Caietano contra ſe ipſum in 2. 2. q. 100. art. 6. fermè initio commentarij. Quando tam dare quàm accipere, rem etiam profanam, lege prohibitum eſt, quod acquiritur; tuta conſcientia retineri nõ poteſt; de quo omnes Theologi conſentiũt; ſed in hoc genere ſimoniæ, de quo controuerſamur, & humana & diuina, & naturali lege prohibitum eſt dare & accipere id quod datur, & accipitur: quare, &c.

Ad hanc elidendam rationem, quæ firmiſſima eſt, multa commentus eſt Caietanus, quæ in noſtro commentario de ſimonia à nobis argumentationibus minimè captioſis reiecta ſunt omnia. Generalis regula naturæ eſt, inquit Adrianus, quodl. 9. art. 3. lit. X. Quodcumque munus acceperim ób id, quod debeo, reſtituere ſum obligatus.

5. Septima & poſtrema. Si vſura mentalis obligat ad reſtitutionem, ex omnium doctorum ſententia, & ex decreto Eccleſiæ, vt patet ex Decretali Vrbani III. conſuluit de vſuris, quod probat ex Euangelio, vbi præcipitur, *mutuum date nihil inde ſperantes*. Lucæ 6. ergo nõn minus obligabit mentalis ſimonia deducta ad opus propter idem Euangelium: in quo præcepit Chriſtus Dominus: *gratis accepiſtis, gratis date*. Matth. cap. 10. Sanè certè hanc ſententiam confirmat Gregorius IX. in ſua Decretali, quæ poſtrema eſt, in titulo de ſimonia, in qua ab omnium Doctorum ſenſu de ſimonia agitur mentali, & nimirum, quæ deducta erat ad opus. Illic enim Pontifex cum Abbatibus & mona-

chis diſpēſat, vt in ſuis permanere poſſint monaſteriis; vnde lege Concilij Lateranenſis, in quo ſedit Innoc. III. in aliud arctius ad perpetuam pœnitentiam extrudendi erant: quæ lex extat in c. quoniā, de ſimonia: quam legem violarant illi monachi, monaſterij ingreſſum mercantes rerum temporalium traditione, licèt non conuenta: eiſque rerum temporaliū reſignationem condonat Pontifex hoc
» Pontificio reſponſo. Conſultationi tuæ
» breuiter reſpondentes dicimus, manda-
» tum Apoſtolicum etiam ad Abbates ex-
» tendi; & ad reſignationes ſpiritualium &
» temporalium, quæ nullo pacto, ſed affe-
» ctu animi præcedente vtrinque taliter ac-
» quiruntur (in quo caſu delinquentibus
» ſufficit per pœnitentiam ſolam ſuo ſatiſ-
» facere creatori) eos pro huiuſmodi ſimo-
» nia non teneri. Hæc ille.

6. Si non tenentur cur diſpenſat in hac ſimonia cum monachis & Abbatibus? Qua ratione hæc cohærent, monachos egere diſpenſatione, & non teneri ad reſignationem? ſed conueniunt omnia: ſi dicas, iure humano, diuino, & naturali eos teneri: ſed omni pœna, illa excepta, quæ pœnitentia Sacramentali expianda eſt, eos indulto Apoſtolico liberari. Delinquentes autem eos tantùm intelligit, qui in eo monaſterio deliquerunt, non cunctos qui hoc genere ſimoniæ mentalis delinquunt.

Hanc veriſſimam interpretandi rationem excogitarunt hi tres auctoritate, & doctrina præſtantes Theologi, Adrianus, quodl. 9. art. 3. Maior, in 4. diſt. 25. quæſt. 7. col. 3. Sotus, lib. 9. de iuſt. & iur. q. 8. artic. 1. Reſponſa & argumenta ſententiæ contrariæ hîc non perſequor; quæ tamen in illo noſtro commentario diligentiſſimè expoſui: quia non mihi videntur eſſe tanti.

7. Ad poſteriorem igitur quæſtionem progrediamur. Num pacta & conuenta ſimonia, quæ pœnis coërcetur Eccleſiaſticis, requirat traditionem rerum contractarum vtrimque, an ex parte tantùm conferentis rem ſpiritualem. Nauarrus, in Summa, cap. 23. num. 104. & in commentario, quem elucubrauit in c. poſtr. de ſim. à num. 28. aſſeuerat pactam ſimoniam, niſi vtrinque perfecta ſit, tradita re temporali & ſpiritnali, nec pœnis Eccleſię nec reſtitutioni eſſe obnoxiam: probat auctoritate Caſſandri & Gomeſij, & ex antiquo ſtylo curiæ.

Secus docent hi tres magni Theologi, Maior, in 4. diſt. 25. quæſt. 7. col. 2. Caietanus, in Summa, verbo, Simonia, & in 2. 2. quæſt. 100. art. 6. ad 6. & tract. de ſimonia, qui eſt 9. in 2. tomo opuſcul. quæſt. 2. vbi apertè indicat hanc communem eſſe Doctorum opinionem, Sotus in 9. de iuſt. & iur. quæſt. 8. art. 1. quorum opinio confirmatur auctoritate D. Thomæ; Oſtienſis, & rationibus D. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 5. docet idem eſſe dare rem ſpiritualē pro aliquo obſequio exhibito, vel exhibendo pro pecunia data, vel promiſſa. Oſtienſ. in cap. tua nos, de ſimonia definit ſimoniam conuentionalem punitam ab Eccleſia; aitque eſſe receptionem rei ſpiritualis præcedente pacto: ergo ſatis eſt promiſſio rei temporalis.

Prima ratio. In contractu veræ venditionis ſatis eſt pretium conuentum; ſic enim lex 2. ff. de contrahenda emptione. Non autem pretij numeratio, ſed conuentio perficit emptionem: ergo idem dicendum in contractu ſimoniacæ emptionis.

Reſpondet Nauarrus, retorquendum eſſe argumētum: quia etiam ſatis eſt conuenta merx, & res, in qua cōtrahitur: ergo conuentionalis ſimonia non magis perficitur ex parte tradentis rem ſpiritualem, quàm ex parte tradētis rem temporalem. Caietanus, in tract. 9. qui eſt de ſimonia, q. 2. tom. 2. opuſc. Audirem, inquit, libenter deciſionem: expedit tamen hoc pacto nodum.

In contractu ſimoniaco locum princi- 8.
palem tenet res ſpiritualis, & non tem- »
poralis: & rei ſolius ſpiritualis natura re- »
pugnat venalitati: & ideo penes illam, in- »
quit,

» quit, attenditur executio ſimoniaca. Mihi occurrit alia ratio tollendæ difficultatis. Aliud eſt cōſiderare venditionem & emptionem, vt emptio & venditio eſt; aliud, vt eſt ſimoniaca: primo modo æquè poteſt perfici ex parto alterutrius cōtrahentis, ſiue pretiũ, ſiue mercem tradentis: imò ante omnem traditionem rerum ex ſolo conſenſu & pacto contrahentium: quod apertis legibus probatur, & auctoritate Iuſtiniani, in inſtit. de obligationibus ex conſenſu. §. ex conſenſu, & de emptione & vendit. §. 2. conſule leges. ff. de actionibus & obligation. l. conſenſu, & ff. de contrahen. empt. l. 1. §. finalem: in quibus dicitur conſenſu peragi contractum venditionis & emptionis ante omnem rerum permutationem. Verùm ſecundo modo, vt eſt ſimoniaca, & diſtincta à ſola conuentionali, requiritur traditio ſaltem rei ſpiritualis: quia obligatio tradendi rem ſpiritualem non eſt ſpiritualis: at ſimonia vim habet in rei ſpiritualis traditione: ideo fit abſoluta ex parte eius, qui eam tradit.

Secunda ratio. Quodlibet commodũ temporale adeptum vel ſperatum, eſt pro pretio in contractu ſimoniaco, ex Doctorum & Theologorum diſciplina: ergo promiſſum commodum erit pro pretio. Tertia. Gerſon, in tractat. 36. de Simonia, conſiderat. 4. obligatoriã promiſſionem ait eſſe pro numiſmate in ſimonia: quare intercedente pacto dici poterit ex vtraque parte conſummata, cùm tradita fuerit res ſpiritualis.

9. De antiquo verò curiæ ſtylo, aut dicendum eſt deceptum eſſe Nauarrum: neque enim aut Oſtienſi, aut Caietano ignoratus fuiſſet; aut verò dici poteſt illum vim habere in reliquis pœnis irrogandis infamiæ, depoſitionis, quę ſunt ferendæ ſententiæ. Cùm igitur ex communi dicto Doctorum affirmet Caietanus, in punitione ſimoniæ, non requiri acceptionem rei temporalis; & cùm Greg. IX. vt liquet ex c. ſi quis, de ſimonia, animaduerterit in ordinatorem, & ordinatum, propter ſimoniam, ad quod pactum acceſſit, & collati ſunt ordines; non video, quemadmodum opinionem ſuam tueri poſſit Nauarrus; qui in eo eſt quoque lapſus (vt interim nōnullas alias quæſtiunculas leuiter attingam) quòd ſimoniacum putat illum, qui promittit pecuniam animo non ſoluendi in manuali, c. 23. n. 106. at cùm actus exterior moralis non ſit ſine interiore, & interior ſimoniaca voluntate careat; ſimoniæ noxia non tenebitur, qui ea ſimulatione vtitur; quamuis peccatum peccet mortiferum: quia mortiferæ alterius ſimoniæ aſſentiatur.

Verior igitur ſententia eſt Caietani, tract. 9. de ſimonia, q. 2. tom. 2. opuſcul. & Soti, in 9. de iuſt. & iur. q. 8. art. 1. qui ſecus, quàm Nauarrus opinati ſunt.

Pecuniam do familiari collatoris, vt mihi ad eum pateant fores; vel vt ad eum mea tantùm merita & dignitatem commemoret: incidóne in ſimoniam? ſi collator mihi conferat beneficium ob merita dumtaxat expoſita, non incido. Sic Adrianus quodlib. 9. art. 3. lit. A. Do, vel promitto pecuniam pro beneficio, quod Petrus debet conferre; qui Petrus gratis confert: eſt ne mihi eius ſimoniæ labes contracta, cui ſimoniæ ſunt ab Eccleſia excommunicationis, irregularitatis, & ſuſpenſionis pœnæ decretæ?

Negat in eod. quodl. & art. Adrianus, lit. N. nec reprehendenda inficiatio.

QVÆSTIO VII.

1. A Sacerdotibus variis ſum interrogatus perſæpe, num in Sacramento pœnitentiæ poſſint abſolui, qui in Chriſtianorum hominum ſocietate ſagam quampiam, aut veneficam, ſeu veneficũ, verſari non ignorant; neque iſtorum iſta, rũmve nomen ad ſacræ inquiſitionis iudices deferre volunt.

Nec non rogatus ſum, quid cum ſacris virginibus, quæ ſuorum domiciliorum mœnibus ſeptæ ſunt, neque egredi poſſunt,

ſunt, faciundum ſit, quum aut huius malefici generis opera viſæ ſunt, vel certè ſunt eius gnaræ.

Reſpondi, quamuis ij, penes quos eſt noſtræ religionis cenſorium iudicium, nullo edicto, ſeu pœna cogerent Chriſtianos viros vel mulieres indicare has humani generis teterrimas peſtes, cunctos nihilominus iure diuino & naturæ cogi legitimis magiſtratibus, ſeu inquiſitoribus hæreticæ prauitatis enunciare; tantámque Chriſtianorum morum perniciem, noſtræque religionis virus, & vredinem à communi ſalute auertere: quandoquidem nec animo fingere, nec cogitatione complecti quiſpiam poſſit innumerabilium ſcelerum portenta, quæ lucifugum & monſtroſiſſimum hoc genus momentis ſingulis parit.

2. Qui enim de iſtarum veneficarum ſecta libros conſcripſerunt, & iudices, qui in eas iudicium dederunt, teſtantur quæ credi vix poſſunt. Namque hę ſpurciſſimę perditiſſimorum dæmonum pellices, & concubinæ, vbi animos, & corpora dæmonum principi deuouerunt, Chriſtianam religionem, & Baptiſmum, & Sacramenta eiurant: ſacras imagines concerpunt & fœdant: cruces auguſtas, & ſimulacrum Chriſti, cruci ſuffixi, concidunt, pedibus conculcant, & proterunt: ſanctiſſimum Dei nomen, & beatiſſimæ Virginis, omnibus conuiciis & contumeliis conſcindunt: ſacram hoſtiam diabolo intra viliſſima animalia conditã ſacrificant: eamdem vrina perfundunt; eámque in graueolentia vaſa ad humani corporis ſordes excipiendas fabricata immittunt, atque demergunt: infantibus pueris miris modis necem conſciſcunt: longis acubus in eorum capitibus infixis vitam eiſdem exhauriunt: eorumdem ſanguinem ebibunt: necatorum infantium cadauera aſportant domos: illic intra ollas, ſeu caldaria elixant: & decoqui tamdiu ſinunt, quoad diſſoluti artus, & membra in pinguem & craſſum quemdam humorem concreta cogãtur: è quo humore ſuccum duplicem ſecernunt, vnum dilutum magis ac liquidum; alterum magis pinguem. In diſtinctis vaſis vtrumque ſuccum, ſeu liquorem aſſeruant: illum dilutum potãt, cùm ſolemni voto, & Sacramento ſe diabolo obſtringunt: altero pinguiore vtuntur, & nuda corpora noctu oblinunt, cùm certis noctis horis ad eas accedit diabolus: eáſque ad ea loca defert, vbi à cetera, quæ eò confluit multitudine, omnium libidinum, omnium vitiorum comite colluione ſacra diabolo agitantur.

Iſtarum furiarum ſcelere, tempeſtates concitantur: imbres, grandines, ſterilitates agris, morbi innumeri mortaliũ corporibus importantur. Finis non ſit, ſi mala percenſere velim vniuerſa, quæ ab iſtis peſtilentiſſimis & flagitioſiſſimis feminis in hominum genus infunduntur: vt non ſolùm de Chriſtiano nomine, ſed etiam de toto humano genere peſſimè mereri neceſſe ſit eum, qui has execratas, & immaniſſimas belluas, quantùm in ſe eſt, non curat ex finibus humanæ naturæ exterminandas, omníque ſupplicio, quod earum criminibus par nullum inueniri poteſt, eſſe mactandas. 3.

Quis ergo ſacerdos mari ſeu fœminæ, ad pœnitentiæ ſacramentum ſalutis & expiationis cauſſa accedenti, ignoſcẽdum putet: ſi qui vir, vel quæ mulier accedit, ſagis ac maleficis cenſet eſſe parcendum?

Sed quid conſilij iis mulieribus capiendum erit, quæ cinctæ ſeptis ea nec reuellere, neque egredi queunt? Poſſet eiuſmodi fœmina aut ſuo chirographo, ſi ſcribendi eſt perita, teſtari de malefica, aut malefico, per certum hominem ad inquiſitorem miſſo: vel per confeſſarium eidem veneficam indicare, ſumma tamen ſemper ab ſacerdote cautione adhibita; ne indicium illud vlli fraudi eſſe queat ſacræ confeſſionis arcanis rationibus.

Ita conſultius eſſet, ſi mandatum à moniali extra confeſſionem ſacerdos acciperet.

QVÆSTIO VIII.

1. DVplex diuerſis temporibus fuit ſuperioribus annis ad me delata quæſtio.

Altera, an filia ad publicæ religionis cenſorem, ſiue etiam ad Epiſcopum, matrem ſuam ſceleratam, ſagam, ac veneficam deferre cogatur, fraternæque correctionis, quæ delationi ferè ſolet antecedere, lege ſoluta ſit.

Altera, vtrúmne filius in ius ſacræ Inquiſitionis vocatus, vt aduerſus patrem ob execrabilia in DEVM, eiúſque matrem ſanctiſſimam, maledicta crudeliter impium, teſtimonium dicat, illud dicere cogatur.

Adeo ambæ hæ quæſtiones inter ſe nexæ ſunt, atque iugatæ; vt ſcientia vnius explicatio ſit alterius.

2. Ergo à prima ordiamur: &, quod ad fraternam ſpectat correctionem, ex Diui Thomæ doctrina, in 2.2. quæſt.33. artic.7. & in 4.ſent.diſt.19. quæſt.2. art.3. ad quæſtiunc.1. Quam doctrinam ab aliis Doctoribus receptam eſſe fatetur Nauarrus, in Summa, cap.18. num.56.

Reſpondi, ſi crimen matris lamiæ, ſeu veneficæ, manifeſtū ſit, correctionis progreſſionem neceſſariam nō eſſe: eſſe item ſuperuacaneam, ſi occultum ſit; nec melioris frugis ſpes vlla adferatur.

Corrigendi verò errati materni ſpem eſſe inanem hæc duo oſtendūt: Primùm, quòd iudices, qui tot annos, in locis maximè diſiunctis: in has deteſtabiles feminas toties animaduerterunt, teſtati ſunt, de tot penè nullam reſipuiſſe. Deinde: Quia filia puella eſt; quare eius admonitionem contemneret: vel etiam grauiore ira ob eam rem mater excandeſceret. Itaque meo quidem animo correctione filia ſuperſedere debet.

3. De iure, ſeu neceſſitate deferendi nūc eſt conſiderandum. Cuipiam videri poſſit nullo iure neceſſitatem imponi filiæ ſuæ matris deferendæ. Primùm, quia filia impeditur ſexu, cùm ſit femina: quæ iure canonum teſtificari non poteſt, ex cap. forus, de verborum ſignificatione, & ex can. mulierem, 33. q. 5. at delatio, ſeu denuntiatio, eſt teſtificatio quædam. Deinde, quia conſanguineis, & præſertim filiis in parentes, & his in filios, teſtibus eſſe nō licet. Poſtremò: quia horret natura, vt filij, aut crimen intendant parentibus; aut illud aduerſus eoſdem teſtimonio confirment.

Sed tamē illud mihi perſuaſum in hac cauſſa fuit, iure diuino & naturali communis tuendæ religionis puellæ, ſeu adoleſcentulæ teſtimonij auctoritatem in conſceleratam matrem impartiri: quod ipſum hiſce omnibus argumentis planum fieri poteſt.

Primum argumentum. Quia DEVS ſummus omnium parens, infinitis partibus mortalibus parentibus anteponendus eſt; atque eius honor & gloria, vitæ non vnius patris terreni, ſed infinitorum patrum matrúmque eſt anteferenda. Nam ſi patri, quia corpus nobis dedit, debemus; multò maximè debemus DEO, à quo multò magis quàm à patre corporeo idem corpus accepimus, & à quo ſolo animum immortalem hauſimus, & qui ſolus effecit, vt homines, humanęque ſpeciei indiuidua eſſemus.

Cùm enim coniunctio animi, & corporis nos homines efficiat: ſolius DEI 4.
beneficio conſequens eſt, vt homines ſimus: quandoquidem non mater, aut pater caducus, animum cum corpore copulauit, ſed vnus DEVS; qui animū creando è nihilo cum corpore vniuit; & vniendo creauit. Idem DEVS diuiniora etiam quædam eſt nobis munera dilargitus; quorum eſt æſtimatio ac dignitas infinita; vt ſui vnici filij vitam, & ſanguinem, quo redempti ſumus; vt gratiam, qua ſibi nos filios adoptauit; vt alia Spiritus ſancti eximia dona; vt Theologicas, & morales virtutes; vt ius ad beatitudinem conſequendam; vt beneficia multa & maxima, quibus ſingulis momentis fruimur. Quæ

PPP omnia

Digitized by Google

omnia perſuadent vnicuique, vt pro tanto patre mille vitas noſtras profundamus, ne dum vnius hominis, qui pater noſter eſt, vnam, Deó que inimicam, negligamus.

5. Cùm ergo ordo earum rerum, quæ ex caritate diligendæ ſunt, neceſſariò præcipiatur, ex omnium Theologorum ſententia; & peræquè ordo caritatis, atque ipſa caritas iubeatur à Deo: fit, vt neceſſariò deſerenda ſit patris, ſeu matris huius vita, aut fama: ne Dei gloria prodatur: proderetur autem, ſi Chriſtiani nominis, & Dei gloriæ capitaliſſimæ hoſtes iſtæ mulieres veneficæ non proderentur: ergo prodendæ ſunt etiam ab intimis, & conſanguineis.

Secundum argumentum. Vt bonum commune, & diuinum, priuato cuiuſque hominis bono, & caduco præfetatur, eſt iuris diuini & naturalis præſcriptio neceſſaria: ſed bonum religionis Catholicæ, cui inſidiantur, & quantùm iſtarum veneficarum vires patiuntur, ſemper obſunt, eſt diuinum, & commune; pro quo retinendo tota imperia, & regna ſunt amittenda: ergo multò magis amittere vnius improbæ matris vitam poſſumus, ac debemus.

Tertium. Multò nobis carior anima noſtrorum parentum, quàm corpus eorumdem debet eſſe: ſed ſi iudicium noſtro teſtimonio, ac delatione ſubeant Eccleſiaſticum, probabile eſt meliùs eorum animæ futurum eſſe: ergo religionem teſtimonij in illos reformidare non debemus.

Quartum. Si ſcirem matrem meam toti familiæ peſtem & perniciem comparare; neque tanto malo reſiſtere poſſim, niſi magiſtratuum auctoritate, ac viribus; nomen eius deferre mihi liceret; & non ſolùm liceret, ſed etiam neceſſe eſſet: cùm ergo exitioſiſſimæ ſagæ, quarum vita Orcò & diabolo ſolemni authoramento deſponſa eſt, ac deuota, ex fœdere cum dæmonibus icto, nō vni familiæ, ſed toti ciuitati, totiſque prouinciis funeſtā peſtem machinetur; nec minùs corporum quàm animarum ſaluti opponant inſidias; quis adeo infelici ingenio exiſtat, ſiue nepos, ſiue filius, qui non in auum & patrem communem peſtem totius mali & calamitatis architectum, eamdem perniciem conuertat?

Quintum. Admonet Decretalis, ſi Dominus, de ſimonia, quemlibet Catholicum exorandum eſſe; vt ſimoniæ crimen à quopiam contractum detegat: ergo quilibet Catholicus id ipſum facere hortandus eſt in exitialibus facinoribus veneficarum indicandis, quamuis eæ matres ſint, & indices, filiæ: cùm multo deteſtabilior ſit ſecta ſagarum, quàm hæreticorum, quàm ſimoniacorum: quod cuique ex eo ſcelerum aceruo, quæ in proxima ſuperiore quæſtione à nobis commemorata ſunt, cuique poteſt eſſe perſpectum. 6.

Itaque Syluester, qui tres libros contra ſtrigimagas eſt elucubratus, & in ſumma, verbo, hæreſis, ſecūdo, in quo titulò propriè de lamiis & ſtrigis diſſerit, harum ſcelus ad hæreſim ait pertinere: Quia, inquit, fidem negant, & multa faciunt, quæ ſapiunt hæreſim manifeſtè, & præter apoſtaſiam habent multa alia crimina digna morte: ſubiungítque Syluester. Quidam miniſter prouincialis cuiuſdam ordinis mendicantium, anno Domini 1505. in capitulo noſtro Placentino prece & pretio, vt publicè dicebatur, inductus à parentibus cuiuſdam ſtrigæ combuſtæ aſſumpſit pugnam contra inquiſitorem, quaſi iniuſtè ſtrigas inſequeretur propter delationem ad ludum, turgens ampullis ex verbis d. cap. & intra annum fuit à multitudine fratrum ſuorum crudeliter & turpiter iugulatus. Hæc Syluester in illo titulo, q. poſtrema. Qui etiam in verbo teſtis q. 1. affirmat, vbi agitur de correctione, vel prohibitione peccati, vel illuminatione fidei, omnium conſanguineorum admitti teſtimonium. 7.

Profectò à nobis allatæ rationes vincunt, in peſtilentiſſima hæreſi vindicanda, nec feminæ, nec vllius reiiciendum eſſe teſtimonium. & quia iiſdem rationibus

bus probatur poſſe in patrem dicere teſtimonium filium: ſi teſtis ab inquiſitore ſumeretur ad atrociſſimas patris blaſphemias cognoſcendas, atque vlciſcendas, nec ſolùm poſſe, verumetiam debere; idcirco in hac euoluenda quæſtione nihil noui mihi duxi moliendum eſſe.

De Blaſphemia,

DISPVTATIO ſeu *QVÆSTIO IX.*

PRecibus cogar amiciſſimorum Sacerdotum totum hunc locum de blaſphemia, qui à nobis in libris de caſuum reſeruatione pertractatus eſt, in hoc primum volumen moralium reſponſorum transferre: quia pene nulla pars huius argumenti eſt, quæ fugere debeat Sacerdotes ſacrarum confeſſionum arbitros.

1. Hunc autem locum omnem decem capitibus complexi ſumus. In primo quærimus, quid ſit blaſphemia. In ſecundo, quotuplex ſit, ſiue quot eius ſpecies, ſeu differentiæ. Quot, & qui modi blaſphemandi. In tertio. Quænam cenſenda ſit blaſphemia hæreticalis. In quarto. Blaſphemiæ DEI, beatiſſimæ Virginis, & reliquorum Sanctorum pertineántne ad inquiſitores. In quinto. Sitne genere peccatum grauiſſimum. In ſexto. Sitne mortiferum iis qui aut iracundia, aut ſubreptione impia verba iactant in DEVM, vel Sanctos. In ſeptimo. Quæ blaſphemantium pœnæ. In octauo. Poſſitne hoc peccatum abſolui à Sacerdotibus, qui ſunt Epiſcopis inferiores. In nono. Quando ad Sacerdotes blaſphemi accedunt in Sacramento Pœnitentiæ, quid cum iis agere debeant. In decimo. Quænam ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum, & num venia ei dari poſſit.

Cap. I. Quid ſit blaſphemia.

SIt ergo huius loci totius initium blaſphemiæ definitio. D. Auguſtinus, lib. 2. de moribus Manichæorum, cap. 10. hàc exprompſit definitionem. *Blaſphemia eſt, mala verba de* DEO *dicere.* Sic enim ille. *Blaſphemia iam vulgò non accipitur, niſi mala verba de* DEO *dicere.* Expreſſit igitur eam definitionem ex communi ſenſu, & intelligentia vulgi; quam tamen conſtat eſſe perappoſitam. Alex. Halenſis, in 2. p. q. 131. in recentibus exemplaribus, memb. 1. ad hunc modum definit ex ſententia Haymonis. *Blaſphemare eſt, contumeliam, vel aliquod conuitium inferre, in iniuriam creatoris.* Richardus S. Victoris, egregiè meo animo definiuit blaſphemiam in libro de Spiritu blaſphemiæ. *Quid eſt aliud blaſphemia niſi vituperatio diuina?* Complectitur enim hæc definitio modos omnes, & genera omnia, quibus DEVS ſiue in ſe ipſo, ſiue in Sanctis ſuis verbis deſpicitur. Hugo Victorinus quem magnum Theologum ſui temporis appellat Richardus de S. Vict. in lib. de Spiritu blaſphemiæ, duplicem excogitauit definitionem, atque hæc ex eius ſenſu colligitur definitio. *Eſt conuicium, ſeu vituperatio cum diminutione diuini honoris.* Vide illum in lib. de Fructu carnis, & ſpiritus, cap. 6. Cõmunis Theologorum hauſta ex verbis D. Ambroſij, in lib. de paradiſo eſt huiuſmodi. *Blaſphemare eſt, de* DEO *dicere quod ei non conuenit, vel ei adimere quod conuenit.* Hac Ambroſiana vſus eſt D. Thomas, in ſua definitione explicanda. Namque apud hũc Angelicum Doctorem. *Blaſphemia eſt derogatio diuinæ bonitatis.* In 2. 2. q. 13. art. 1. 2.

Dupliciter autem, inquit D. Thom. diuinæ bonitati derogatur; primùm, affingendo DEO, quod nec habet, nec habere poteſt. Deinde, ab eo remouendo, quo carere non poteſt; ídque vel intellectu tantùm fieri poteſt, vel etiam affectu prauo; &, ſi id fiat corde duntaxat, blaſphemia eſt cordis; ſi extra erumpat verbis, blaſphemia eſt oris. Et quando hoc ſcelus

mente tantùm concipitur, opponitur confeſſioni fidei informis; quando verò & intelligentia, & improba affectione commaculatur, opponitur fidei caritate formatæ. Ita blaſphemia è deteſtabili voluntate profecta aduerſatur profeſſioni fidei & caritati.

3. Ad percipienda ea, quæ D.Thom. diſſerit de natura blaſphemiæ, ſunt memoria digna nonnulla, quę addit in illius primi articuli commentario Caietanus.

Primum eſt illud, tripliciter derogari diuinæ bonitati; vel intellectu tantùm, opinando falſum de Deo; vel addendo falſæ opinioni voluntatis deteſtationem; vel abſque falſa opinione exercendo ſolam deteſtationem voluntatis, vt ferè accidit inter Chriſtianos blaſphemos.

Secundum. Blaſphemia poteſt eſſe cũ fide, & ſine fide, ſiue ea verbum interius habeat adiunctum, ſiue exterius; neque ad rationem blaſphemiæ pertinet ſentire falſa de Deo, ſed dicere falſa.

Tertium. Peccatum infidelitatis diſſentit ab iis quæ fidei ſunt, blaſphemia autem contraria dicit rebus fidei; & ideo, inquit, non eſt neceſſe blaſphemiam eſſe ſpeciem infidelitatis: ponitúrque ſpecies contraria confeſſioni fidei, non autem fidei.

Alex.Hal. in 2. p. ſuæ ſummæ, q.131. in nouis exemplaribus, memb. 6. quærit, Vtrùm blaſphemia in dictis tantùm conſiſtat, an etiam in factis: aítque propriè in verbis ſitam eſſe, ſed interdum transferri ad blaſphemiam factorum: de qua Diuus Paulus ad Tit. cap. 1. *Confitentur ſe noſſe* Deum, *factis autem negant*. Contra Alphonſus à Caſtro, in primo de iuſta hæretic. punit. c. 12. Bedæ teſtimonio illa verba D.Petri explanantis, in 2. cap. 2. epiſt. *Per quos via veritatis blaſphematur*, contendit, blaſphemiam ad actum exteriorem progreſſam, tam in dictis quàm in factis eſſe ſpectandam, ſed nimirum quod Alexan. ait, verum eſt; numeratur enim blaſphemia exterior in peccatis oris.

Cap. II. De generibus blaſphemiæ.

Secundo loco quæſitum eſt quotuplex blaſphemia ſit; quænam illius ſpecies & differentiæ. 4.

Reſpondeo, blaſphemiæ diuiſiones manare à quatuor fontibus, à perſonis, quæ diuinæ bonitati obtrectant; à perſonis, quibus obtrectatur; à rebus, quæ obtrectando vſurpantur, & à modis, quibus obtrectatur.

A perſonis hæc fluit. Vna eſt dæmonũ, & hominum damnatorum. Altera eſt, hominum in terris viuentiũ, non damnatorum. Blaſphemia damnatorum in eo conſiſtit, vt inquit D.Thom. in 2. 2. q.13. art. 4. Quòd auerſa eſt eorum voluntas à diuina iuſtitia, quæ prohibet mala, & punit; at illi & amant ea peccata, ob quæ plectuntur; & pœnam, qua afficiuntur, vehementer oderunt: &, ſi de peccatis admiſſis dolent, non ideo dolent, quia ea oderint; ſed quia pro iis luunt pœnas; eáque re diuinam iuſtitiam vindicẽ deteſtantur, quæ deteſtatio eſt cordis blaſphemia: credibiléque cenſet D. Thom. poſt reſurrectionem perinde in damnatis futuram etiam vocalem blaſphemiam, ſicut futura eſt in beatis vocalis Dei laus.

Ambæ blaſphemiæ hæ ſpecie differũt: nam in damnatis eſt actus pœnalis; in nõ damnatis, vt verbis vtar Alex. Hal. in 2. p. q.131. memb. 4. eſt actus culpabilis; ſicut autem culpa differt à pœna; ſic etiam blaſphemia damnatorum, & non damnatorum. Non ſecus D.Thom. in 2. 2. q.13. art. 4. ad 2. cùm enim mereri aut demereri pertineat ad ſtatum vitæ; hinc fit, vt ſicut in beatis, inquit D.Thom. bona non ſunt meritoria, ſed ad beatitudinis eorum prœmium pertinentia; ſic in damnatis mala non ſint demeritoria, ſed ad damnationis pœnam pertinentia.

Hæc item diuiſio quæ fluit à perſonis. 5.
Duplex eſt blaſphemia; vna cordis, altera oris: & quemadmodũ rectè ait Alphonſus à Caſtro, in primo de iuſta hæretic. punit. cap. 12. vtraque eſt triplex: nam vel

eſt cum falſo intellectus aſſenſu tantùm, vel tantùm cum impia voluntatis deteſtatione & affectione: vel cum falſa intellectus aſſenſione, voluntatiſque affectione ſimul.

Prima blaſphemia comitem habet hæreſim. Secunda, odium DEI. Tertia omnium peſſima, rem vtramque: prima opponitur fidei: ſecunda caritati erga Deum: tertia vtrique virtuti: & neceſſe eſt ſpecie eſſe ſeiunctas: quandoquidem virtutes Theologicas habent oppoſitas ſpecie diſcretas.

Addubitari poſſet de tertia blaſphemia, quæ concreta eſſe videtur ex prima & ſecunda, quam tamen ab vtraque differre dubium non eſt: differt enim à prima, propter odium quod eſt in ſecunda; & à ſecunda, propter hæreſim quam gerit prima. Oris etiam ſiue vocalis, blaſphemia eſt triplex: nam vel tantùm eſt index primæ interioris blaſphemiæ, vel tantùm ſecundæ, vel vtriuſque. Et licèt exterior ſpecie non ſecernatur ab interiore, tamen exteriores inter ſe differunt non ſecus quàm interiores.

6. A perſonis, in quas nefaria maledicta conferuntur, hæc fluit diuiſio. Alia eſt blaſphemia in diuinas Trinitatis perſonas: alia, in ſanctiſſimam virginem Dominam noſtram, & DEI matrem: alia, in reliquos ſanctos & ſanctas.

Blaſphemia à ſanctis & Theologis, in patrem, ea dicitur, quę proficiſcitur à quadam infirmitate naturæ animique impotentia ſeu iracundia non malitioſa: potentia enim attribuitur Patri: alia dicitur in Filium, cuius blaſphemiæ cauſſa eſt inſcitia: alia, in Spiritum ſanctum, quæ exiſtit ex malitia & induſtria: quas omnes ſpecies blaſphemię opus eſt eſſe diuerſas: non quidem ratione eius qui offenditur: nam in omnibus tribus perſonis eſt idē DEVS, ſed ratione cauſſæ vel principij, vnde blaſphemia exiſtit: quia infirmitas, inſcitia & malitia, quæ peccandi cauſſæ ſolent eſſe, ſpecie differunt. Verùm de blaſphemia in Spiritum ſanctum diſſeremus in poſtrema quæſtione.

Ambigere quiſpiam poſſet, vtrúmne blaſphemiæ & maledicta quæ in DEVM, quæ in eius matrem, & quæ in cæteros ſanctos dicuntur, vnius ſint ſpeciei. Caietanus in 2.2.q.13.art.1.& 2. pene in extremo commentario illorum articulorum, exiſtimat vnius eſſe ſpeciei: vult enim, blaſphemiam, propriè loquendo, non habere plures ſpecies: iniuriam verò DEI, & Sanctorum, eiuſdem eſſe ſpeciei hinc probat: quia Sancti, vt ſic, ad Deum referuntur. Et hinc habes, inquit confeſſor, quòd varietas blaſphemiarum pro diuerſitate ſpecifica nō eſt inquirenda: ſed pro maiore grauitate iudicanda.

Verùm longè alia eſt mihi opinio; in quam hæc me deducunt haud leuia argumenta. 7. Primum. Quia nihil dicitur vniuocè de DEO & creaturis: de bonitate creata, & increata: ergo nec blaſphemia dicetur vniuocè de ea, quæ in DEVM eſt, & quæ in creaturam: ergo non conueniūt in ſpecie, quæ de ſuis inferioribus vniuocè prædicatur. Confirmatur. Blaſphemia eſt derogatio diuinæ bonitatis, ex definitione Diui Thomæ in 2.2.q.13.artic.1. At bonitas diuina, quæ eſt DEO, & bonitas quæ eſt in creatura etiam ſanctiſſima, non eſt bonitas vniuoca: & differūt pluſquam genere, cùm bonitas DEI ſit increata, reliquorum Sanctorum creata: illa eſſentialis, hæc accidentalis: illa immutabilis, hæc mutabilis: illa æterna, hæc temporalis: illa cauſſâ, hæc effectus: ergo nec derogatio bonitatis diuinæ, vt eſt in DEO, & vt eſt in ſanctis, conuenire poſſunt in vna ſpecie: imò, nec in vno genere vniuoco. Secundum argumentum. Blaſphemia opponitur cultui & honori, qui debetur perſonæ, in quam iactatur: ſed cultus DEI pluſquam ſpecie differt à cultu omnium creaturarum ſanctarum: ergo etiam blaſphemia. Cùm enim ſint tria genera cultus, vnum Dei maximè proprium, quæ latria dicitur: cuius fundamentum eſt eſſe auctorem, effectorem, conſeruatorem, & finem totius eſſe creati, quod vni DEO conuenit: alterum, hyperduliæ, quod de-

Digitized by Google

betur ſanctiſſimæ Virgini: cuius fundamentum eſt, DEI matrem & altricem eſſe. Tertium, duliæ, qua reliquos diuos ob ſanctitatem illis diuinitus impartitam veneramur: conſequens eſt, vt quemadmodum hi tres cultus non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere diſcrepant, eodem modo diſcrepent blaſphemiæ.

Poſtremum, ſi definitio blaſphemiæ per ſe primò conuenit iniuriæ, quæ infligitur DEO, & ſecundariò, quæ fit reliquis ſanctis, fieri non poteſt vt ſint blaſphemię DEI & ſanctorũ vnius ſpeciei: nec enim ſpecies per ſe & primò conuenit vni inferiori, & per accidens, aut ſecundo loco alteri inferiori. Quocirca ſummo ſtudio eniti decet ſacrarum confeſſionum iudices vt blaſphemias in Deum omnes primùm colligant: deinde, ſcrutentur quæ ſunt in eius matrem: poſtremò quibus reliquorum ſanctorum nomen inuritur: ſedulóque diſquirant ſpecies, ſeu genera blaſphemiarum: item modos, & numerũ in vnaquaque ſpecie.

8. E tertio capite, hoc eſt, à rebus, quibus iniuria afficitur DEVS, hæc hauritur partitio. Aut enim fit ſupremo numini conuicium, efferendo, quod ab eo eſt remotiſſimum: vt quòd DEVS ſit iniuſtus, vel quòd non prouideat rebus humanis; aut ei negando, quod illi conuenit; aut creaturæ largiendo quod vnius DEI eſt proprium.

Has ſpecies ſeu differentias ait Alexan. Halenſ. in 2. par. q. 131. membr. 2. communiter aſſignari, affirmátque eſſe differentias ſecundùm gradus. Prima, inquit, cùm laudatur falſitas: ſecunda, cùm vituperatur veritas: tertia, cùm falsò attribuitur creaturæ, quòd eſt ſolius DEI.

A diuo Thoma in 2. 2. q. 13. art. 1. ad tertium, de hac diuiſione duo docentur. Primum eſt, cùm conſtet ea affirmatione & negatione diuerſam ſpeciem habitus non gignere: nam per affirmationem ait cognoſci negationẽ ex primo poſteriorum; & eadem ſcientia falſitatem cognoſci affirmationum & negationum. Secundum eſt: tertium illum modum, quo attribuitur creaturæ, quod eſt DEI proprium, recidere in primum; cùm DEO tribuitur, quod illius naturæ repugnat: quod ad ad hunc modum híſque verbis probatur à ſancto Doctore. Quidquid enim eſt » DEO proprium, eſt ipſe DEVS: attribuere » autem id, quod eſt DEI proprium, alicui » creaturę, eſt ipſum Deum dicere idem » creaturæ. »

9. Poſtrema ratio diuidendi ſpectatur in modis blaſphemandi ſeu maledicendi, qui totidem ſunt, quot laudandi Deum; quos modos Cardinalis Toletus perſequitur in 4. lib. de inſtructione ſacerdotum, cap. 13. & Caietanus in art. 1. & 2. q. 13. in 2. 2. DEO enim defertur laus enunciando, deprecando, imperando, optando, admirando: nec ſecus DEO maledicitur, enunciando, vt, DEVS non eſt iuſtus; non proſpicit rebus humanis: deteſtãdo, vt, maledictus DEVS: pereat Deus: optando, vt, cõtingat hoc illudve malum Deo: imperando, vt, ſit Deus cunctis inuiſus. Qui etiam appellat Dei & ſanctorum ſanctarúmve pudenda membra, exiſtimatur à doctoribus Theologis DEO ſanctíſque maledicere: quia appellat ea tamquã turpia in DEO & ſanctis, vituperationéque digna: quod eſt à vero longiſſimè diſiunctum. Dicere verò per corpus, aut ſanguinem Chriſti, animo iurandi, ſi verum iuretur, nulla eſt blaſphemia: ſi etiam dicatur non animo iniurioſo, & concitato in Deum, ſed in quempiam alium; non cenſet Caietanus in ſumma, in verbo, Blaſphemia, culpam eſſe lethalem.

Cap. III. de blaſphemia hæreticali.

Tertia diſquiſitio erat, quænam iudicanda ſit blaſphemia hæreticalis: cuius iudicium ſpectat ad Catholicæ fidei cenſores. Qua de re Alphonſus à Caſtro, in 1. de iuſta hæret. punit. c. 12. & Bagnes in artic. 3. q. 13. D. Thom. 2. 2. Hi tradunt » eam hæreticalem eſſe blaſphemiam, quæ » enunciat de DEO, quæ per ſe conuenire » 10.

illi

» illi nullo modo poſſunt:vt Devs eſt in-
» ſipiens:Deus iniuſtè iudicat. Illa verò, in
qua membra nominantur, quæ in homi-
nibus mortalibus pudenda ſunt,hæretica
non habetur;nec illa, quæ ſignificat per-
uerſum affectum maledicentis, ſed non
indicat falſitatem,aut fidem eius, qui lo-
quitur,peruerſam.Addit Alphonſus à Ca-
ſtro,eum non puniri debere ab inquiſito-
ribus,qui non ex credulitate hæretica,ſed
ex quadam vehementiore perturbatione
blaſphemiam expromſiſſet.

Cap. IV. num blaſphemia non hæretica pertineat ad inquiſitores.

QVarta quæſtio: excepta ea blaſphe-
mia,quæ repugnat articulis fidei; &
quæ iuſtam probabilémque ſuſpicionem
falſi dogmatis mouere poſſet ſacræ Inqui-
ſitionis iudicibus; reliquæ blaſphemiæ,
quas vel furor maledicentis,vel alia per-
turbatio euomit, ex ſententia Caſtri,in 1.
lib. de iuſt.hæret.punit. c.12. iuriſdictioni
inquiſitorum ſubducuntur. Quamquam
eodem teſte, & Bagne locis iam citatis,
blaſphemiarum iudices in Hiſpania ſunt
inquiſitores.In edicto etiam generali Bo-
nonienſis inquiſitionis, inquiſitori reſer-
uantur blaſphemiæ contra articulos fidei
ex conſuetudine. Ac nimirum ſapienter
admonet Caſtrus in eodem loco,rem o-
mnem, quæ vehementem ſuſpicionem
hæreſis adfert, ad inquiſitores ſpectare,
atque ad eorum ordinariam iuriſdictio-
nem: licétque inquirenti in blaſphemos
ſuſpicari de eorum corrupta religione; &
ex peccato grauiore coniecturam facere
de minùs graui:éſtque mira verborũ cum
moribus connexio, vt idem Alphonſus à
Caſtro ait. Itaque Solon,vt narrat Laër-
tius,dicebat ***orationem eſſe factorum ſimula-
crum:*** quandoquidem vim & ſpeciem
animi cuiuſque verba non ſecus, quàm
rerum formas ſpecula,effingunt: & ſanè
maledicta in Devm, ſanctiſſimam eius
matrem,& ſanctos,atrociora, ad maximè
ſeuera tribunalia ſpectare deberent.

Cap. V. de grauitate blaſphemiæ.

QVinta erat: eſſétne genere ſuo bla- 11.
ſphemia peccatum grauiſſimum.
Nonnullis viſum eſt, Blaſphemiam gene-
re ſuo non eſſe omnium peccatorum ma-
ximum: leuius enim eſſe infidelitate, at-
que hæreſi. Infidelitatem enim, & hære-
ſim opponi fidei, quæ virtus eſt Theolo-
gica infuſa,& ſupranaturalis: blaſphemiã
verò diuinæ laudi,ſeu confeſſioni fidei, vt
eſt quædam ſpecies laudis diuinæ. Verùm
D.Thomas in 2.2.q.13.art.3.blaſphemiam
ait peccatum eſſe maximum, pertinens
ad genus infidelitatis,& ipſum aggrauare.
Alex.Halenſis in 2.par. q.131. in recenti-
bus codicibus,memb.5.affirmat,blaſphe- »
miæ peccatum, ſi ſumatur pro ſpiritu bla- »
ſphemiæ,eſſe maximum:& quia iniuria fit »
Deo: & quia ex malignitate peccatur;& »
quia prouocat oculos diuinæ Maieſtatis »
ad non miſerendum, ſiue ad non remit- »
tendum. Hæc Alexand. »

Richard.de Sancto Vict.in lib.de ſpiri-
tu blaſphemiæ hæc ponit. Quædam eſſe
peccata ad propriam corruptelam perti-
nentia,vt ebrietatem & ſtuprum:nonnul-
la ad iniuriam proximi, ſicut homicidiũ
& furtum:alia ad iniuriam creatoris, ſicut
blaſphemiam, quæ eſt cæteris deteſtabi-
lior. Eſt autem,inquit, in hoc genere ſce-
leratiſſimum, & in quo malitia creſcit ad
ſummum;quando quis in Dei vituperiis
delectatur, & in eis gloriatur. Alex. in 2.
par. qu.131. membr.5. atrocitatem diuini
conuicij hoc teſtimonio confirmat D.Au-
guſtini. Non minùs peccant qui blaſphe- »
mant Chriſtum regnãtem in cœlis, quàm »
qui crucifixerunt ambulantem in terris. »
D.Hieron.in Iſaiam,cap.18.col.2.Blaſphe- »
mia nihil horribilius; & omne peccatum »
comparatũ blaſphemiæ,leuius eſt. Idém- »
que maximus Doctor, in illa verba apud
Matth.cap.27. *Tunc princeps ſacerdotum ſci-
dit veſtimenta ſua.* Conſuetudinis, inquit, »
Iudaicæ eſt, cùm aliquid blaſphemiæ, & »
quaſi contra Deum audierint, ſcindere »
veſtimenta ſua. Quod Paulum quoque & »
Barna

Digitized by Google

quod tamen affirmat D.Thomas?

Reſpondeo, duplicem in probatione blaſphemiæ ſpectari poſſe deliberationē: vnam, quæ antecedat verba omnia blaſphemiæ, & totam gignat blaſphemiam, antequam ſit; & de hac locutus non eſt D.Thomas: alteram, quæ comitetur blaſphemiam, vt cùm quis ſtatim atque orſus eſt blaſphemare, aut poſtquam eſt orſus, videt ſe conuicium facere Deo, vel ſanctis; & cùm poſſit comprimere verba non comprimit; & hanc eſſe neceſſariam blaſphemiæ, vt letalis culpa euadat, non eſt inficiatus D.Thomas.

Cap. VII. de blaſphemantium pœnis.

14. Septima quæſtio, quænā ſunt blaſphemantium pœnæ? De his in cap.ſtatuimus, de maledicis, in Directorio, par.2. q.11. Apud Alphonſum à Caſtro in 1. de iuſta hæret.punit.cap.12.ſi blaſphemia aut hæreſi, aut vehementi hæreſeos ſuſpicione affecta ſit, in reos tanti criminis ſuo more animaduertent hæreticæ labis inquiſitores. Quid ſi publica fuerit blaſphemia? in cap.ſtatuimus, de maledicis, hæc ei pœna à Gregorio IX. irrogatur, vt ſeptem diebus dominicis pro foribus ſtet Eccleſiæ palàm dum miſſarum ſollemnia aguntur: vt poſtremo die dominico pallium exuat & calceos, corrigiáque collum circumligetur; vt ſeptem ſextis feriis illarum hebdomadarum panem dumtaxat, & aquam ad ieiunium Eccleſiaſticum adhibeat: neque templū ingrediatur, vt per eos ipſos dies tres, ſi poteſt, pauperes; ſi tres non poteſt, duos aut vnum ſaltem, reficiat: quòd ſi nec pro ſuis facultatibus vnum reficere poſſit, hæc pœna cum alia commutetur. Si verò hanc, quæ in Canone præſcribitur, pœnam blaſphemus recuſarit, Eccleſiæ ingreſſu & Eccleſiaſtica ſepultura multandus eſt.

Diuiti verò, quadraginta ſolidorum, ſi bona ſuppetant; ſin minùs, triginta, aut viginti; & ſi tantùm pecuniæ pendere nō poſſit, quinque, mulcta irrogatur.

Sylueſter in verbo, Blaſphemia, qu.10. ait huic pœnæ locum eſſe in omnibus illis modis, quos ille exponit in q.2. affirmat etiam, hac pœna, ex ſententia Panormitani in illud cap. ſtatuimus, & communi Doctorum, non teneri clericum, quia pœnitentiam publicam non ſubit, diſtin.50. cap.ex pœnitentibus.

Publica blaſphemia quænam ſit.

Dices. Quando publica blaſphemia 15.
cenſeri debet? Oſtien.& Panormit. in idem cap.ſtatuimus, quem Sylueſter in verbo, Blaſphemia, q.6.& Angelus eo.tit. num.5.& alij ſequuntur, ſtatuunt eſſe publicam, quando aut eſt notoria de iure: quia aut cōuicta in iudicio, aut rei confeſſione probata: aut notoria de facto; quia tergiuerſationi non ſit locus: vel quia coram pluribus prolata, qui poſtea ad Epiſcopum detulerunt.

Alias pœnas Eccleſiaſticas vide in conſtitut.Leonis X. quæ incipit, ſupernæ §.ad abolendam, ſeſſ.9.Concil.Lateran. in authentica autem, vt non luxurientur homines contra naturam, nouella 77. perſeuerantibus in peccato blaſphemiæ pœna vltimi ſupplicij conſtituta eſt. Si enim, » inquit Imperator, contra homines factæ » blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: » multo magis, qui ipſum Devm blaſphemāt, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere: & poſt » aliquanto. Propter talia enim delicta & » fames, & terræmotus, & peſtilentiæ fiunt. »

Cap. VIII. num ſacerdos poſſit abſoluere à publica blaſphemia.

Octaua quæſtio. Poteſtne publica 16.
blaſphemia de iure abſolui à ſacerdore, qui ſit Epiſcopo inferior? Panormitanus in cap. ſtatuimus, de maledicis, negat poſſe abſolui ab alio quàm ab Epiſcopo: cui fauet Gloſſa in cap.2. de pœnit. & remiſſ. lib.6. Angelus verò in verbo, Blaſphemia, num.4. putat id verum eſſe, cùm de blaſphemia agitur in iudicio Epiſcopi,

& ad eius tribunal deducta eſt. Probat enim auctoritate Goffredi & Oſtienſis, pœnam capitis,ſtatuimus,non habere locum,niſi ſedente iudice pro tribunali.

Verùm, quod ſentit Angelus, Roſella, in verbo, Confeſſor, primo,non longè à principio, ait eſſe irrationabile, & nullo iure probari. Sed Angelo aſſentitur Sylueſter in verbo,Blaſphemia, q.6. & caſtigat Roſellam: reſpondétque iure probari interpretatione Innocentij, Goffredi, Oſtienſis,& Panormitani. Ioannes Tabienſis in verbo, Diſpenſatio, num.16. Roſellam ait, de iure verè locutum eſſe; Angelum,de conſuetudine. Armilla ad Tabienam & Angelum accedit:vult enim reſeruatam fuiſſe publicam blaſphemiam ob ſolèmnem pœnitētiam, quæ noſtris temporibus obſoleuit. Nauarrus cap.27. vbi loquitur de caſibus reſeruatis,nu.257.non habet pro reſeruato caſu blaſphemiam: probátque auctoritate Concilij Lateranenſis, in qua ſacerdoti, qui inferior eſt Epiſcopo,eius permittitur abſolutio cum grauiſſima pœnitentia.

Verùm in conſtitutione Leonis X.promulgata,& probata in Concilio Lateran. ſeſſ.9.quæ conſtitutio incipit, ſupernæ §. ad abolendam, fit quidem mentio blaſphemiæ publicæ; & poſt varias pœnas, quas blaſphemātibus infligit,vna eſt hæc: vt ſine grauiſſima pœnitentia arbitrio ſeueri confeſſoris imponenda in foro pœnitentiæ blaſphemiæ reus abſolui non poſſit:& licèt nomine confeſſoris non ſignificetur quilibet ſacerdos , qui ſacras confeſſiones audit,nihilominus cùm Epiſcopus non appellari ſoleat confeſſor, illo nomine potiùs ſacerdos non Epiſcopus, quàm Epiſcopus declaratus eſt.

Placet igitur Angeli opinio , vt tunc tantùm intelligatur blaſphemia reſeruata Epiſcopo , cùm de ea in eius iudicio diſceptatur ; niſi ſecus [illegible] ex verbis reſeruationis appa[illegible]reat,

Cap. IX. Quæ præſtanda ſunt ſacerdotibus, quum ad eos blaſphemi accedunt.

Nona quæſtio. Quid præſtari à ſacerdote oportet,cùm ad ſacramentum pœnitentiæ huius ſceleris affines accedūt. 17.

Reſpondeo, omnibus his cautionibus ei vtendum eſſe.Prima cautio. Si blaſphemia,cuiuſque modi ſit, ſiue occulta, ſiue publica,ſiue hæreſim redolens, ſiue non redolens,reſeruata eſt, nequit abſoluere: ſed aut pœnitentē ad reſeruatorem mittat; aut ipſe adeat ad ius abſoluendi impetrandum. Secunda cautio. Si de blaſphemia inſtitutum eſt coram Epiſcopo iudicium,ne attingat. Tertia.Si aut cum hæreſi , aut cum vehementi & probabili opinione hæreſeos,coniuncta eſt:non abſoluat,quia non poteſt ; cùm ad tribunal pertineat inquiſitorum : imò , ſi fateatur blaſphemus, quæ effudit in DEVM , aut ſanctos,ſe,vt dixit,crediediſſe,eum admoneat hæreticorum pœnas ſubiiſſe, id eſt, excommunicationem latæ ſententiæ; d ominium rerum ſuarum amiſiſſe; bona fiſco à die admiſſi ſceleris addicta eſſe ; quamuis illa nonniſi poſt ſentētiam vendicare ſoleat : eadem bona alienare non poſſe, nec donando nec permutando: ſi alienet, alienationem nullam eſſe;liberos in eius poteſtate eſſe deſiiſſe: ſi ad ſaniorem mentem redeat,& quæ amiſit reapſe recuperare velit, ſedis Apoſtolicæ auctoritate recuperare debere. Quæ omnia ex communi ſententia Doctorum,& ex Decretalibus Alexand. IV.& Bonifacij VIII. extra de hæreticis, lib.6. comperta ſunt, non homini harum rerum imperito.

Quarta cautio. Si abſque hæreſi , in Deum maledicta contulit ex odio,& impia animi affectione;ſignificet illi ſeipſum in aciem damnatorum conieciſſe; & peccatum omnium maximum peccaſſe ; & quòd vix veniam à DEO Opt. Max. mereatur. Quinta. Perquirat modos omnes, & genera verborum, quibus diuinum nomen ſanctiſſimæ Virginis,& reliquorum Sanctorum turpificauit ; & numerum

merum

merum peccatorum in vno quoque modo & forma verborum ſeduló colligat.

Sexta. Si pœnitens, homo ſit plebeius;& locus, vbi de ſuis peccatis confitetur, ſit remotus ab arbitris, acri obiurgatione perterrefactum iubeat antequam longiùs in confeſſione progrediatur, pro maiore minoréve numero blaſphemiarum, earúmque atrocitate, plures pauciorésve cruces in ſolo ſexies, octies, decies imprimere lingua, eáſque ſæpius oſculari.

Septima. Abſoluta confeſſione conetur pœnitentem ad ſummum odium & deteſtationem tam immanis flagitij, &, ſi fieri poteſt, ad fletum etiam deducere.

Octaua & poſtrema: non abſoluat niſi grauiſſima impoſita pœnitentia, vt præcipit Concilium poſtremum Lateranenſe, ſeſſ.9. in conſtitutione Leonis X. ſupernæ, in §. ad abolendam.

Quod autem in ſumma dicit Bartholomæus Fumus, decretum illud abrogatum eſſe, mea quidem ſententia is fallitur turpiſſimè. Primùm, quia cùm iure diuino & naturæ illud nitatur; quod ius præſcribit, vt atrociſſimis delictis grauiſſimæ pœnæ reſpondeant: ſicut lex DEI, & naturæ abrogari non poteſt, cùm contineat ius morale: ita nec illud decretum abrogari debuit. Deinde: quia in extremo eiuſdem conſtitutionis dicitur, Illi nec derogari, nec offici vmquam poſſe per vllam corruptelam, aut peruerſitatem temporũ: & ſi quare derogatum eſſet, reſtitui & innouari ſemper debere, innouatámque & reſtitutam fore. Poſtremò, quia Conciliũ Tridentinum in ſeſſ.14.cap.8. quod eſt de ſatisfactionis neceſſitate & fructu, his verbis præcipit ſacerdotibus. Debent ergo ſacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & prouidentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne ſi fortè peccatis conniueant: & indulgentiùs cum pœnitenti agant; leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autẽ præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, nō ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.

Ego igitur hanc pœnam pœnitenti infligere ſoleo: ſi multis & deteſtabilibus conuiciis aut Deum, aut eius ſanctiſſimam matrem fixit, vt triginta, quadraginta, aut quinquaginta diebus non intermiſſis, genibus flexis & nudis, tacta terra, pronunciet ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & litanias cum precibus, quæ ſunt litaniis adiunctæ: poſtquam hæc pronunciauit, à DEO, beatiſſima Virgine, & Sanctis, blaſphemiarum veniam ſupplex deprecetur decies: decies item eorum nomen & ſanctitatem laudet ac veneretur: decies lingua crucem deſignet in terra, eámque oſculetur; pectúſque percutiat ſuum.

Cap. X. de blaſphemia in Spiritum ſanctum.

18. Poſtrema reſtat quæſtio omnium difficillima, de blaſphemia in Spiritũ ſanctum, quænam ea ſit: & num condonari poſſit.

Quæſtionem hanc magnam appellat D. Auguſtinus, ſerm.11. de verbis Domini: cui ſoluendæ imparem ſe fatetur: neque de genere blaſphemiæ is eamdem locis omnibus ſententiam explicauit. Namque in libro de fide ad Petrum, cap.3. & l. de vera & falſa pœnitentia, cap.4. & ſerm.11. de verbis Domini, *finalem impœnitentiam* peccatum credit eſſe in Spiritum ſanctũ. Cùm enim remiſſio peccatorum ſit proprius effectus & gratia Spiritus ſancti, id tollit impœnitentia. In Enchiridio ad Laurentium, cap.83. *Negare in Eccleſia poteſtatem eſſe remittendi peccata, & in hoc errore ex hac vita excedere*; blaſphemiam definit eſſe in Spiritum ſanctum: at lib.1. de ſerm. Domini in monte; *per malitiam & inuidiam, fraternam oppugnare caritatem poſt acceptam gratiam Spiritus ſancti.* In cōmentariis autem inchoatis in epiſt. ad Rom.

deſperationem indulgentiæ DEI. In quibus peccatis nõ videtur eſſe blaſphemia, quæ in verbis conſiſtit:nam illa omnia ſpectãtur in factis. In qq.de vtroque teſtamento,q.102.propiùs ad veritatem peccatum in Spiritum ſanctum dixit, *opera Spiritus ſancti dæmoni tribuere*.

In hanc poſtremam ſententiam itum eſt ab Athanaſio, Chryſoſtomo, Hilario, Ambroſio,teſte etiam D.Thom.in 2.2.q. 14.art.1. adde etiam Didymum in lib. de Spiritu ſancto, & reuera blaſphemiam in Spiritum ſanctum,ex verbis Marci,cap.3. apparet peccatum fuiſſe proprium illorũ Hebræorum, qui excæcati inuidia,& maleuolentia ſuffuſi,quæ à Chriſto Domino diuinitatis poteſtate adminiſtrabantur,ad Satanam referebant. His enim verbis eſt » apud Euangeliſtam Marcum:Amen dico » vobis, quoniam omnia dimittentur filiis » hominum peccata,& blaſphemiæ,quibus » blaſphemauerint: qui autem blaſphema- » uerit in Spiritum ſanctum, non habebit » remiſſionem in æternum,ſed reus erit æ- » terni delicti; quoniam dicebant,ſpiritum » immundum habet. Hæc omnia apud Euangeliſtam.

19. At noſtrates Theologi, animaduerſa tam varia D.Auguſtini ſententia de peccato in Spiritum ſanctum, plures huius peccati ſpecies diſtinxerunt, vt videre licet in 2.ſent.diſt.43.& apud D.Thom.in 2.2.q.14.art.2. Alphonſus à Caſtro in 1.de punit.iuſta hæret. c.12. ex ſententia Alex. Halenſis,& D.Bonauentura peccatum in Spiritum ſanctum ſtatuit eſſe *deſiderium* » *diuinæ vituperationis,& odium* DEI: & hoc » peccatum omnium eſſe maximum & ir- » remiſſibile: aut quia, qui ſemel illud ſu- » ſcepit, numquam vera pœnitentia expia- » bit:quia DEVS ſuo auxilio eum priuabit, vt ait Beda in cap.3.Marci:aut propter rationem Alexandri,in 2.par.q.131.memb.5. » quia,qui illud peccat peccatum, iniuriam » facit DEO; & ex malignitate peccat, & » diuinæ Maieſtatis oculos prouocat ad nõ » remittendum, neque ad miſerendum.

Quod autem de peccato in Spiritum ſanctum maximo,dicit Alphonſus à Caſtro ex ſententia Alexan.atque etiam Bonauenturæ,eſt Richardi de ſancto Victore,quem etiam citat Alexan.in illa q.131. membr.5. nam Richard. in lib.de Spiritu blaſphemiæ, cùm dixiſſet, Blaſphemiam eſſe cæteris peccatis deteſtabiliorem:quia per ſe iniurioſa eſt DEO; & tunc creſcere ad ſummum,cùm quis DEI conuiciis delectatur,in iiſque gloriatur; ſpiritum blaſphemiæ addit eſſe deſiderium & affecta- » tionẽ diuinæ vituperationis; ſemper Spi- » ritui ſancto aduerſari,& in contrariũ niti: » nitique ad odiũ DEI. Sicut Spiritus ſan- » ctus nititur ad caritatem,quæ per illum in » cordibus noſtris diffunditur, vt inquit » Apoſtolus,Rom.5.& blaſphemiam in Spi- » ritum ſanctum fieri non poſſe ſine exe- » crabili odio DEI. Necnon addit hic ipſe » Doctor,quædam eſſe delicta,quæ ceſſant » in hac vita, & in alia locum non habent, » vt adulterium , vt furtũ: quædam autem » locum habere in futuro ſæculo damnato- » rum,vt DEI odium, quod ſecum adfert » blaſphemia: & ideo delictum æternum » appellatum eſſe ab Euangeliſta Marco, » cap.3. Docet etiam aliud eſſe peccatum » inexpiabile, aliud irremiſſibile. »

Eſſe verò remiſſibilem in Spiritum ſanctum blaſphemiam hac ratiocinatione concludit. Sunt quidam temporaliter rei temporalis & tranſitorij delicti, vt quos pœnitet adulterij:& ſunt quidam æternaliter rei temporalis & tranſitorij delicti; vt quos non pœnitet adulterij: item ſunt alij æterni delicti æternaliter rei. Cur ergo non ſint alij æterni delicti temporaliter rei,hoc eſt,odij,& blaſphemiæ in Spiritum ſanctum?

Diuus Bonauent.in 2.ſent.diſt.43.art.1. 20. q.1. probat, peccatum in Spiritum ſanctũ eſſe genus peccati ab aliis diſtinctum. Primùm,ratione principij;quia eſt ex certa malitia,& induſtria ac ſcientia,non ex infirmitate, vel inſcitia. Deinde, quia opponitur gratiæ pœnitentiali, quam contemnit. Poſtremò,quia actus, quo impugnatur eiuſmodi gratia, eſt ſubiectiuè in ſpiritu,

ſpiritu, & eſt actus ſpiritualis. In ſecunda
aurem parte, diſtinct. art.1. quæſt.1. docet
» eſſe grauiſſimum peccatum. Et quia, in-
» quit, naturam maximè lædit; & quia Dei
» oculos offendit, lædit naturam, quia non
» ſolùm ſanitate priuat animã, verumetiam
» medicamẽtum ne ſanetur tollit. Id quod
dixit D.Thom. in 2. 2. quæſt.14. art.4. his
» verbis. Poteſt aliquis peccare ex certa ma-
» litia abiiciendo per contemptum ea, per
» quæ homo retrahitur à peccato: quod
» propriè eſt peccare in Spiritum ſanctum:
quæſt. autem 2. D.Bonauentura eiuſdem
artic. demonſtrat peccatum in Spiritum
ſanctum eſſe propoſitum, ſeu conſilium
non pœnitendi; & dici irremiſſibile, non
quòd nõ poſſit dimitti; ſed quia non con-
ſueuit. Nec ſecus interpretatur locũ apud
» Matth.cap.12. Intelligendum eſt, inquit,
» non quia remitti non poſſit, ſed quia
» Deus paucis conſueuit remittere.

21. Diuus Thomas, in 2.2. q.14. art.3. quæ-
rens vtrùm peccatũ in Spiritum ſanctum
ſit irremiſſibile; multiplici diſtinctione
» quæſtioni reſpondet. Si peccatum in Spi-
» ritum ſanctum accipiatur pro finali im-
» pœnitentia, neque in hac vita, neque in
» altera condonari eſt quàm certiſſimum;
» ſi verò ſumatur pro peccato ex certa ma-
» litia abiiciente remedia ſalutis, non me-
» retur veniam vllam, neque excuſationẽ; ſi
» verò pro peccato Iudæorum miracula
» Chriſti criminantiũ, & diabolo tribuen-
» tium, remiſſionem non habuit neque in
» hoc ſæculo, neque in futuro: non in hoc,
» quia vexari, iugulari, ac penè deleti à Ro-
» manis ſunt: non in altero, quia æternis
» ſuppliciis mactati.

Quæ interpretatio eſt Chryſoſtomi, hom. 33. in Matth. & quæ interpretatio docet, vt colligit D.Thomas, non fuiſſe peccatum illud remiſſibile quantùm ſpectat ad pœnam, quæ à Iudæis vitari non potuit; neque ab iis vitari poteſt, qui in ſpiritum alia etiam quadam ratione peccant: verùm quantum pertinet ad culpã, à Deo ſanari, & tolli poteſt: nam quamuis excludat natura ipſius peccati ea per quæ
fit remiſſio peccatorum; per hoc tamen, »
inquit in illo art. D.Thom. non præcludi- »
tur via remittendi & ſanandi omnipo- »
tentiæ & miſericordiæ Dei; per quam »
aliquando tales quaſi miraculosè ſpiri- »
tualiter ſanantur: ergo peccatum ex parte »
ſua eſt irremiſſibile. »

(Idem D. Thom. inquit in reſp. ad 3. 22.
art.3.) Licèt Deus remittere poſſit: ergo »
in peccato in Spiritum ſanctum ſiue in blaſphemia in ipſum, nihil eſt, quod illud aut excuſare, aut eleuare poſſit. Quam interpretãdi rationem ſecuti ſunt Athanaſ. homil. in illa verba Matth. 12. *Quicumque dixerit verbum in Filium hominis, &c.* Anaſtaſius, qu.68. in ſcriptis. Baſilius interrogatione 273. in regulis breuioribus. Ambroſ. lib.2. de pœnit.cap.4. Hieronymus, in commentariis.

23. Admonet verò Baſilius, in illa interrogatione, peccatũ Iudæorum, qui fructus, & effectus Spiritus ſancti Satanæ tribuebant, æmulari eos, qui virtutes & benefacta aliorum oppoſitorum vitiorum nominibus inſectantur, vt intelligas præter eas ſex ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, de quibus diſputant Theologi, alias etiam apud magnos Doctores reperiri.

Mihi ſanè non tam videtur impedita hæc quæſtio de blaſphemia in Spiritum ſanctum, & de remiſſione illius, ſi ad ſolius Euangelij Canones res omnis exigatur. Nam quod attinet ad genus peccati, iam dixi illud fuiſſe proprium Iudæorum, qui crudeli odio erga Chriſtum imbuti facta eius admirabilia, quæ à diuinitatẽ eius proficiſcebantur, diabolo aſſignabãt. Quod peccatum ideo ſine remiſſione & venia futurũ eſſe prædixit Chriſtus, quia ex diuino & æterno decreto illud numquam iis condonandum erat; mihíque eſt valde perſuaſum neminem eorum qui offenſo animo Chriſti miracula exagitarunt, eúmque ſpiritum habere immundum dixerunt, aut delicti veniam, aut æternam ſalutem conſecutum eſſe.

In filium hominis, hoc eſt, in eius naturam humanam peccabant; quum eum

potatorem vini, & amicum publicanorum vocabant: quod peccatum excuſationem aliquam habere poterat: at effe-ctus diuinæ naturæ, diabolo tribuere, ex odio & maleuolentia, hoc verò ſcelus omni expiatione & procuratione carebat.

De homicidio voluntario.

QVÆSTIO X.

1. QVoniam homicidium voluntarium tum iure tum conſuetudine, tum edicto Epiſcoporum in eorum eſt iure; iiſque reſeruatur;& quàm plurima hic caſus reſeruatus habet, quæ ſine graui culpa à Parochis, reliquiſque Sacerdotibus ignorari non poſſunt;idcirco meas partes eſſe duxi, certis capitibus comprehendere quæ huius ſunt neceſſariæ præceptionis. Qua de re duo Cardinales Theologi præclarè, doctè, breuiter, & enucleatè præceperunt in ſummis ſuis, Cardinalis Caietanus, in verbo, Homicidium, & Card. Toletus, in ſua Summa, de inſtruct. Sacerd. lib. 1. cap. 71. 72. 73. ſed hic poſterior palmam præripuit omnibus.

2. Principiò ſciendum eſt, triplex diſtingui à doctoribus homicidium: vnum, quod voluntate, alterum neceſſitate, tertium quod caſu fit.

Hæc diuiſio peruagata eſt; & à nemine, quod ſciam, improbata; quam probat Gloſſa, in c. de his, d. 50. Archidiaconus & Præpoſitus, in eumdem canonem, Gloſſa item in cap. ſicut dignum, de homicidio, Alexand. Halenſ. in 3. p. quæſt. 34. memb. 2. art. 2. multique alij. Eamdem confirmauit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 7. Voluntas autem, qua efficitur homicidium, & quæ illud cogitatum vult, eſt duplex, vna iuſta, qualis eſt iudicis ſontes mortis adiudicantis, aut militis, in iuſto bello occidentis hoſtes; aut iniuſta, vti eſt eius, qui priuata auctoritate interficit: quo tempore ei non eſt lege conceſſum. In edicto reſeruationis, homicidium ſumitur, pro iniuſta hominis interfectione, neceſſitatem, ſeu defenſionem vitæ, aut ſui honoris, aut bonorum ſuorum excludente: atque pro homicidio, quod non fit caſu, id eſt, præter ſcientiam & animum occidentis. Et quia homicidium ſignificat propriè illicitam hominis interfectionẽ, vt notat Caietanus, quod ait eſſe contra iuſtitiam & caritatem, haud erat prorſus improbanda Couarruuiæ deſcriptio homicidij voluntarij, in 2. parte relectionis de homicidio, fermè in principio.

Voluntarium homicidium eſt, quod dolo malo animo occidendi committitur. Nititur 3. enim ea definitio & auctoritate legum, & conſuetudine ſermonis quotidiani. Homicidas enim eos appellamus, qui dolo malo necant homines. Hominis igitur occiſio non iuſta ex electione videtur eſſe homicidium voluntarium: quod inducit irregularitatem ex delicto; in qua perdifficilis eſt diſpenſatio. Et Diuus Thomas iuſtam hominis occiſionem non vult eſſe homicidium, ſed tantùm indebitam, in 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. & in q. 13. de malo, artic. 4. ad 11. quem ſequitur D. Anton. in 2. part. tit. 7. cap. 8. in principio. Sylueſter, Tabiena, & alij, in verbo, Homicidium.

Ad iuſtam autem hominis cædem tria requirũtur, vt inquit Caietanus. Primum, eſt in occidente; vt publica polleat poteſtate. Secundum, in occidendo; vt ſit nocens & criminoſus: innocentem enim numquam licet occidere. Tertium, vt ſeruetur ordo iuris, vt citatus, auditus, & damnatus priuetur, qui reus eſt, vita.

Quare intoleranda eſt eorum iniuſtitia principũ, qui nonnullos indicta cauſſa, nec criminis in iure conuictos iubent interimi. Cùm enim principis poteſtas publica ſit, ad vindicanda delicta non poteſt moueri, vt verè philoſophatur Caietanus, niſi publica voluntate, & publica ſcientia: hanc autem ſcientiam forma & ratio parit iudicij publici. Nec propterea, » inquit Caietanus in Summa, damnamus » iudi

iudices, qui repertos in flagranti crimine notorio, vt latrones in viis, & huiuſmodi, ſtatim ſuſpendi iubent; interuenit ſiquidem ibi notorium loco accuſatoris, & teſtium, faciens publicam ſcientiam & excitans publicam voluntatem, & poteſtatem ad publicum iuſtitiæ actum. Hæc totidem verbis Caietanus, in verbo, Homicidij peccatum.

4. Sunt item homicidij voluntarij rei iudices; qui non cuſtodiunt ordinem iuris in iis quæ pertinent ad ſubſtantiam iudicij legitimi, vt eſt numerus teſtium, & qualitas.

Cardinalis Toletus vult ad iuſtam hominis interfectionem adeſſe debere iuſtum occidentis animum: vt, ſi hic deſit, qui occidit, reus ſit homicidij voluntarij. Verùm hoc quartum per accidens gignere iniuſtitiam putat Caietanus; cui ipſe aſſentior. Quare ſeruatis tribus illis omnibus non teneretur quis culpa iniuſtæ necis ſeu pœna homicidij. Sed Cardinalis Toletus ait communem doctrinam exigere, vt in eo, qui occidit, ſit animus iuſtus, id eſt, amore iuſtitiæ, non cupiditate vlciſcendæ iniuriæ, incitatus. Quæ doctrina vera eſt in foro animæ; in quo ſola voluntas iniuſta occidendi facit quempiam reum homicidij: at in foro exteriore ſecus videtur dicendum: cùm ſolum animum latentem nec iudicare, nec punire poſſit humana poteſtas. ex quo colligimus, qui occidit eum qui dignus eſt morte, quamuis praua voluntate occidat, non teneri crimine homicidij, humano tribunali reſeruato, ſed tantùm diuino: neque eiuſmodi homicidam onus ſubire aliquid ſarciendi aut reſtituendi; quod iis eſt impoſitum, qui interficiunt hominem, qui non poterat iuſtè interfici.

Nunc in nonnulla theoremata conferenda ſunt ea, quæ ad homicidium pertinent voluntarium & reſeruatum.

5. Primum theorema, nefariæ cædis reus eſt, qui ſe ipſum interimit. Neque enim fruſtra, inquit D. Auguſt. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 20. in ſanctis canonicis libris vſquam nobis diuinitus præceptum, permiſſumve reperiri poteſt; vt vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel vllius carendi cauendique mali cauſſa nobiſmet ipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, vbi lex ait, *Non occides* cap. verò 21. nonnullos, qui ſibi mortem conſciuerunt, qui à diuinis Scripturis non condemnantur, ideo excuſat quòd Deo iubente, ſeu impellente, id fecerunt. Loquens autem in cap. 23. de nonnullis Ethnicis, qui ſibi mortem obtulerunt, ſic ait: At enim multi ſe interemerunt, ne in manus hoſtium peruenirent. Non modò quærimus, vtrum ſit factum, ſed vtrùm fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt: cui quidem & exempla concordāt: ſed illa, quæ tantò digniora ſunt imitatione, quantò excellentiora pietate. Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli; quia & ipſe Dominus Chriſtus, quando eos, ſi perſecutionem paterētur, fugere admonuit de ciuitate in ciuitatē, potuit admonere; vt ſibi manus inferrēt: ne in manus perſequentium peruenirent. Porrò, ſi hoc ille non iuſſit, aut monuit, vt hoc modo ſui ex hac vita migrarent, quibus migrantibus manſiones æternas ſe præparaturum eſſe promiſit, quælibet exempla opponant gentes, quæ ignorant Deum, manifeſtum eſt, hoc non licere colentibus vnum verū Deum. Hæc D. Aug.

Argumenta D. Thomæ hæc ſunt in 2. 6.
2. quæſt. 64. art. 5. Lex naturalis, & caritas vnicuique præcipit; vt ſe ſuámque naturam, & conſeruationem diligat: ergo nemo poteſt ſibi vitam exhaurire. Ad hæc vnuſquiſque eſt pars communitatis, & id, quod eſt, eſt communitatis; ſicut pars, id, quod eſt, eſt totius: ergo ſeipſum nemo poteſt ceteræ ſocietati auferre: ergo qui ſe ipſum interficit, iniuriam facit communitati, vt ex Philoſopho perſpicuum eſt in 5. Ethic. Præterea omnis rationalis creatura eſt ſui creatoris ſerua: ergo à ſuo vero Domino eripere ſe non poteſt vllo legitimo iure.

Alexand.

Alexand. Halenſ. in 3. part. quæſt. 34. memb. 1. art. 2. rationibus Theologorum & Philoſophorum idem conficit; in quibus eſt illa firmiſſima ratio. Quòd cùm non poſſit quiſpiam occidere alterũ nocentem, quamuis iuſtè damnatum à iudice, non à quolibet occidendum; multò minùs ſe, nec nocentem, nec damnatum, necare poteſt. In eamdémque ſententiam coit vniuerſus cœtus Theologorũ. Scotus, in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 2. » Sic nullus » debet ſibi mortem inferre : quia nullus » debet eſſe homicida ſui ſine ſpeciali præ- » cepto DEI.

6. Ex quo intelligi poteſt abſurdè opinatum eſſe Victoriam in relectione de homicidio, iuſtè reum ab iudice hoc mortis genere multari poſſe, vt epoto veneno ſe ipſe perimat. errat vehementer Victoria: id enim eſſet ſeipſum occidere perinde ac ſi pugione ſe perfoderet. Itaque Diuus Thom. in 2. 2. quæſt. 69. art. 4. apertè ſcribit, neminem à iudice condemnari poſſe, vt ſibi mortem inferat, ſed vt mortem patiatur. Et iniquas fore eiuſmodi ſententias iudicum, quæ reos ſuimet carnifices facerent, docet Caietanus, in commentario ad 7. dubitationem, & Sotus, in 5. de iuſt. & iur. quæſt. 69. artic. 4. in extremo. » Etenim qui morti adiudicatur, damnatur » ad pati, non ad facere, vt rectè inquit Ca- » ietanus. Neque, inquit, ille tenetur ad » facere id, ad quod ſequitur ſuum pati: intelligit conſequentiam proximam, & per ſe.

Sed quid ſi damnatus quis eſſet, vt fame periret? oblatum cibum cogeretúrne ſumere? negat Sot. in eod. loco. Ait Caietanus, cui fauent verba D. Tho. ſic enim ait D. Thom. in illa quæſt. 69. art. 4. ad 2. » Sicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus, vt » fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi » occultè miniſtratum ſumat: quia non ſu- » mere eſſet ſeipſum occidere. Verba & ſententia minimè obſcura. & Caietanus, in reſp. ad illam ſeptimam dubitationem » ait, tenetur comedere: vt ius naturale ſer- » uet. Angelus, in verbo, Fugere, in extremo, & Tabiena, in verbo, Accuſatio. §. 10. accedunt ad Sotum. Armilla, in verbo, Accuſatio, num. 21. dicit opinionem Caietani eſſe veriorem, & D. Thomæ dictis magis conſentaneam.

Secundum Theorema. Innocentem 7. occidere impium eſt homicidium, & nullo tempore permiſſum. Dices, quid? an non iudex propter idoneos teſtes, legitimáſque probationes, adiudicare morti poteſt reum, quem ipſe certò ſcit eſſe innocentem?

Reſpondeo, quæſtionem hanc eſſe grauiſſimam, & propter Doctorum diſſidium, & vim argumentorum, quibus pars vtraque nititur, eſſe difficillimam, atque à nobis more Academico in noſtro volumine variarum diſputationum pertractatam eſſe latiſſimè: neque de re illa fortaſſe eſt à nobis vberiùs diſceptatum.

Qui pugnãt, ab iudice ob legitima documenta, & acta, inſontem condemnari poſſe, addunt id rectè fieri, propterea quòd iudex eum, quem vt priuata perſona nouit innocentem, vt iudex, & perſona publica, nocentem agnoſcit: quare vt ſontem in iure conuictum condemnat.

Tertium theorema. Criminoſos occidere non licet, niſi iis qui publicæ perſonæ poteſtatem gerunt. &, ſi nec citatos reos, nec auditos in iudicio, nec conuictos occidi iubent, perflagitioſè agunt, & crimen iniquiſſimi non vitant Principes, vt probat Caietanus, in Summa, in verbo, Homicidium. excipiuntur ij facinoroſi, quorum facinora nota ſunt, adeo vt tergiuerſationi nullus ſit locus: tunc enim indicta cauſſâ vita priuari poſſunt; Quia tunc, vt inquit idem Caietanus, no- » torium eſt pro accuſatore, & teſtibus. » Neque in notoriis ordo iuris requiritur. »

Quartum theorema. Nonnulli ſunt facinoroſi, ad quos ſine vllo ſcelere occidendos gladium, aut legis, aut Principis porrigit auctoritas: Syluester, in verbo, Homicidium, num. 5. in his recenſet furem nocturnum, cùm dubitatur: velítne furtum cædémve facere; diffidatum etiã,

& aſſa

& aſſaſinum, vt is loquitur, Latinè ſignificat, ni fallor, proſcriptum; & qui in hominum cædibus bacchatur. Sed Nauarr. in Summa, cap. 15. num. 4. negat, furem ſiue diurnum, ſiue nocturnum, occidi poſſe: dummodo comprehendi poſſit; id quod ait etiam Angelus, in verbo, Homicidium, 1. num. 5. ex interpretatione Panormitani, in c.2. de homicidio: quod intelligi poteſt ex l. furem. ff. de ſicariis. & c.2. de homicid. Idem Angelus, vult occidi non poſſe furem nocturnum, vel diurnum; quando cognoſcitur, & officio iudicis res ablatæ recuperari poſſunt. Iuſta etiam mors adferri poteſt latronibus vias publicas obſidentibus, hominúmque vitæ inſidiantibus, nocturnóque populatori agrorum. ex l. 1. C. quando liceat vnicuique ſine iudice ſe vindicare.

De nocturni diurníque furis occidendi poteſtate facta à lege, his verbis loquitur M. Tull. in Miloniana. Quòd ſi duodecim tabulæ nocturnũ furem quoquomodo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt. Quæ lex recitatur à D. Auguſtino, in quæſt. 84. in Exodum, & verba Auguſtini extant in cap. ſi perfodiens, de homicidio. ff. autem ad legem Aquiliam. lex, itaque ſeruum, vult, auctoritate duodecim tabularũ, tam nocturnum quàm diurnum furem occidi poſſe clamoris teſtificatione. ff. verò ad legem Corneliam de ſicariis l. furem, eſt his verbis. Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ſi parcere ei ſine ſuo periculo nõ potuit. Verumenim agrorũ populatoribus, iiſque, latronibus exceptis, qui innocentium cædibus publicas vias cruentant, de fure nocturno & diurno dicendum id quod iam diximus.

9. Quintum theorema. Qui alterum paratum ad cædem cum telo eius capiti, quem adoritur, iam imminentem, vt vitam tueatur ſuam, occidit, quando non eſt alia via expediendæ ſalutis, omni ſcelere homicidij ſolutus eſt, quicumque tandem ſit, qui occidit, ſiue laicus ſiue clericus; ſiue perſona profana, ſiue religioſa: additque Diuus Antoninus, in 3. p. tit. 4. cap. 3. ante §. 1. licitam hanc eſſe defenſionem in quouis loco, etiam in templo: quamuis effuſione ſanguinis polluẽdum eſſet: tametſi vt polluatur, effuſio eſſe debet iniurioſa, ex cap. vnico, de conſecrat. Eccl. lib. 6. licitam quoque ait eſſe homini quouis officio fungenti, etiam ad aram rei diuinæ operam danti Sacerdoti, qui poſt cædem nullo iure prohibente ad ſacra inſtituta redire poteſt: putat tamen quo tempore Sacerdos baptizando puero occupatus eſſet, ſacram actionem intermittere non poſſe ob ſuæ vitæ defenſionem, ſi interea infanti pereundum eſſet.

Theorema hoc de iuſta vitæ ſuæ defenſione cum cæde alterius, qui vim infert, eſt ex intimo iure naturæ erutum, ciuilium canonicarúmque legum auctoritate, & communi Cæſarei Pontificiíque iuris peritorum, necnon Theologorum magna conſenſione probatum. Loquens Florentius iuriſconſultus de iure naturali, ff. de iuſt. & iur. in l. vt vim. Nam iure, inquit, hoc euenit, vt, quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur. & ff. ad legem Aquiliam. l. ſed etſi, in principio. Sed etſi quemcumque alium ferro ſe petentem quis occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe. & ff. de iniuriis, & famoſis libellis. l. iniuriarum. §. 1. qui iure publico vtitur, non dicitur iniuriæ faciendæ cauſſa hoc facere. Iuris enim executio non habet iniuriam. & d. 1. can. ius naturale; ad ius naturale refertur vim vi repellere. & in Decretali Alex. III. Si verò. de ſententia excommunicationis his verbis decernitur. Si verò clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad ſedem Apoſtolicam tranſmitti, ſi incontinenti vim vi repellat. Cùm vim vi repellere omnes leges omniáque iura permittant. & M. Tullius in defenſione Milonis, à quo fuit interfectus Clodius: Si tempus eſt vllum iure hominis necãdi, quæ multa

„ ſunt, certè illud eſt non modò iuſtum ve-
„ rùm etiam neceſſarium, cùm vi vis illata
„ defenditur. & in eadem oratione. Hoc &
„ ratio doctis & neceſſitas barbaris, & mos
„ gentibus, & feris natura ipſis præſcripſit,
„ vt omnem ſemper vim, quacumque ope
„ poſſunt, à corpore, à capite, à vita ſua pro-
„ pulſarent.

10. Quæ omnia cùm ſint perſapienter ſcripta & præcepta, tres tamen viri extiterũt non ſapientia infimi, qui nefarium crediderunt eſſe, hominem vim iniuſtè inferẽtem interimere: quia interemptus æterno apud inferos ſupplicio mactabitur: at ordo exigit caritatis, vt magis æterna ſalus alterius, atque eius anima, quàm vt corpus noſtrum vitáque noſtra caduca diligatur. Quare conſtituunt homini, qui vi armata petitur, pro anima eius, à quo petitur, mortem appetendam eſſe neceſſariò.

In hunc errorem prolapſus eſt Gerſon in tractatu de Euchariſtia; qui egregiè à Dominico Soto confutatur lib.5. de iuſt. quæſt.1. artic.8. & Hugo decretorum doctor; quem D. Anton. in 3. part. tit. 4. cap. 3. ante §. ſcribit communiter reprobari.

Primùm horum opinio ius naturale peruertit; quo ad vitæ ſuæ conſeruationẽ cuncti mirificè impelluntur. Facit etiam iugũ Chriſtianæ legis, quod per ſe ipſum leue eſt, & ſuaue, vix, aut ne vix quidem ferendum: ſed, vt ait Sotus, importabile. Ad hæc diuinæ tollit prouidentiæ præſcriptionem, quæ non patitur, vt temeritas parricidarum, & improbitas hominum vitæ atque innocentiæ dominetur, eámque perimat.

Eadem opinio arma miniſtrat certa iniuſtitiæ, cædi bonorũ, euerſioni rerump. tyrannidi vitiorum; quę vt prohibeantur, nihil impiorum & facinoroſorum ſalus & vita facienda eſt: multóque pluris virtutes putandæ ſunt, & multò magis ex diuina caritate amandæ, quàm conſceleratorum hominum vitæ, quæ cum virtutibus ſuſceptum odium ac bellum habent capitaliſſimum. Nos autẽ, cùm Sanctorum Patrum, & veterum Doctorum, Theologorúmque teſtimonia de neceſſario caritatis ordine cuſtodiendo quondam colligeremus, ex ſententia Origenis docuimus, amorem virtutum ad eum, quo DEVM diligimus, referri.

11. Fatendum tamen eſt, vt in hoc theoremate de iuſta ſui defenſione ne peccetur, cautiones quaſdam neceſſarias eſſe: quarum prima eſt: vt ſuus ſit defenſioni modus, quem ita definiunt ſapientes: vt, ſi vita tua ſeruari poſſit ſine interitu eius qui vim adhibet, cæde abſtineas omnino, cęteróqui defenſio non vacaret flagitio. Huc enim ſpectat axioma illud, vt defen- „
ſio cum moderamine inculpatæ tutelæ. „

Secunda cautio, Vt, qui vim illatam à ſuo corpore propulſat, non intendat eius necem, qui infert, vt inquit D.Thom. in 2.2.q.64.art.7. quem reliqui ſequuntur excepto Nauarro, in manuali, c.15.num.3. qui citat Sotum, in 5. de iuſt. & iur. q.1. art. 8. ſi enim animaduertiſſet Nauarrus, apud Diuum Thomam, intentionem eſſe finis & medij, vt præclarè Caietanus interpretatur, initio commentarij, in illum art.7. D.Thomæ (medicus enim intendit ſanitatem ægroti per medicinæ potionem, quo modo, qui ſe defendendo alterum occidit, non intendit vitæ ſuæ conſeruationem per necem alterius, ſed per iuſtam ſui defenſionem) hoc inquam ſi animo pertractaſſet Nauarrus, non admiratus eſſet, quod non modò D. Thom. ſed multi alij, quos non citat Nauarrus, ſcriptis tradiderunt: in quibus eſt Franciſcus Victoria, in relectione, de homicidio, qui ſententiam probat D. Thomæ, num.19. cum aliis, quos idem profert Victoria: er-
go occiſio alterius, quamuis non poſſit „
referri ad vitæ propriæ conſeruationem, „
inquit Caietanus, vt medium ad finem, „
referri poteſt, vt conſequens ex neceſſita- „
te finis. Nihil enim prohibet, inquit D. „
Thomas, in corpore illius articuli, vnius „
actus eſſe duos effectus, quorum alter ſo- „
lus ſit in intentione, alius verò ſit præter „
inten

„ tionem: morales autem actus recipiunt
„ ſpeciem ſecundùm id quod intenditur,
„ non autem ab eo quod eſt præter inten-
„ tionem, cùm ſit per accidens.

Hæc D.Thom. cuius ſententiam de nō intendenda morte eius, qui aggreditur iniquè, explanat Sotus, aut in præueniendo, aut cùm nō eſt neceſſarium medium ad ſalutem defenſoris.

12. Tertia cautela. Si is, qui te inuaſit, vulnerauit, & poſt vulnus inflictum in fugā ſe dedit, tu fugientem inſequi & occidere iure non potes: &, ſi occidis, reus es homicidij voluntarij: non enim ampliùs vim repellis, ſed iniuriam acceptam vlciſceris. Hæc eſt communis ſententia Gloſſæ, in cap. ſi perfodiens, de homicidio, Archidiaconi & Præpoſiti, in cap. de his, d. 50. Soti, in 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 8. col. extrema, & aliorum in verbo, homicidium, & Cardinalis Toleti, in 1. lib. c. 74. qui Toletus affirmat in eodem cap. non licere tibi eum, à quo inuaſus es, occidere, ſi tu prior prouocaſti.

Ergo, dicet aliquis, qui laceſſiuit, iugulandum ſe tradat oportet inuadenti? ſanè dura conditio. D. etiam Antoninus, 3. par. tit. 5. c. 8. §. 1. col. 2. & Nauarr. in Summa, cap. 15. numer. 7. iniuſtum interfectorem pronuntiant eum, qui alterius domum ingreſſus mortem affert iis, qui in eum impetum faciunt.

Quarta cautio. Qui hominem paratū ad cædem, intenta ſica, ſeu telo venientē, qui ſe in conflictu caſurum videt, poteſt antequam manus conſerantur, cominus, vel eminus, aut diſploſo globulo, aut amentatam vibrans haſtam, interimere, vt ait Sotus, in 5. de iuſt. q. 1. art. 8. & Tolet. l. 1. de inſtruct. Sacerdotum; qui ad eam rem confirmandam, aliorum Doctorum vtitur auctoritate. Imò verò, vt idem Sot. ibidem ſcribit, & Nauarr. in Summa, c. 15. nu. 4. Si mulier concluſa cubiculo, omni ſpe ſublata euadendi, pugione à viro ſub ceruicali occultato ſibi dormienti certam perniciem ſcit paratam eſſe, poteſt eodem pugione illum conſopitum conficere; ne-

que enim eſt id aggredi, ſed ſe tueri.

Verùm, argumento Gerſonis & Hugonis, & nonnullis aliis, quæ huic iuri in ſuę 13. vitæ defenſione alterius occidendi officere videntur, occurrendum eſt. Salus animæ mei proximi ſaluti mei corporis præferenda eſt: ergo.

Reſpondeo, cum Caietano explanante art. 7. q. 64. in 2. 2. eum, qui arma & vim intentat, non eſſe in aliqua neceſſitate, cui ſuccurrere ego debeam, ſed in voluntatis iniquæ articulo conſtitutum: neque ad eius ſalutem mors mea neceſſaria eſt; ſed iniuriæ, quæ in eius poteſtate eſt ceſſatio. Penè eodem modo, quo Caietanus, ſoluit etiam Sotus, in 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 8.

At enim Auguſtinus, in epiſt. ad Publicolam 153. occidere hominem non permittit, niſi militi, aut publica poteſtate fungenti. Reſpondet D. Thom. in 2. 2. q. 64. art. 7. ad 1. loqui Auguſtinum, de eo qui ex intentione hominem occidit, vt ne ipſe vitam amittat; non autem quando vim vi repellit, perinde vt dictum eſt. His enim verbis quæſtio à Publicola, Auguſtino propoſita erat, vt patet ex epiſtola Publicolæ ad Auguſtinum, quæ eſt 152. inter epiſtolas Auguſtini, ſi Chriſtianus videat ſe à barbaro, vel à Romano, velle interfici, debet eos ipſe Chriſtianus interficere, ne ab illis interficiatur: vel, ſi licet ſine interfectione eos repellere, vel impugnare. Non igitur conſulitur Auguſtinus, de vi priuata priuatæ perſonæ illata: ſed potiùs de odio, & voluntate iniuſta, qua extra militiæ tempus quiſpiam vniuerſum genus barbarorum, vel genus vniuerſum Chriſtianorum, inſectatur: quo tempore in barbaros à publica poteſtate diſtringi gladium oportere, haud eſt dubium.

Eidem theoremati canon Nicolai Papæ valde videtur eſſe aduerſus; vbi omnē clericis facultatem quouis modo occidendi hominis, præcidit, eorúmque clericorum, qui paganum interfecerunt, factum reprehendit. Habetúrque canon, „ diſt. 50. de his clericis. Scito nos nullam „

„ occaſionem dare, verba ſunt Pontificia,
„ nec vllam iis tribuere licentiam quemli-
„ bet hominem, quolibet modo occiden-
„ di. Reſpondet D. Thom. ideo ſic pronuntiaſſe Nicolaum, quia illius memoria, ex ea cæde, quæ fiebat vim vi repellendo, irregularitas contrahebatur. Reſponſio veriſſima. vide apud ſanctum Doctorem, in 2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.

Antiquis autem ſanctionibus Pontificum, ſucceſſit Clementina vnica de homicidio; quæ eiuſmodi irregularitatem ſuſtulit, data poteſtate clericis aggredientem interficiendi, cùm ſeruandæ vitæ nulla præterea ratio oſtenditur.

14. Sextum theorema. Qui in vim ad cædem adorientis incidit, poteſt, ſi vult, vitæ ſuæ defenſionem negligere, & necem potiùs pati quàm facere. Communis eſt ſententia D. Thomæ, & aliorum; quam variis argumẽtis Victoria cõfirmat in relectione de homicidio, numer. 24. probans eſſe conſilij, & viri magis perfecti, mortem perpeti velle, quàm inferre. Sed ſciſcitari quiſpiam poſſet; num incidant tempora, cùm quis debeat potiùs occidere, quàm occidi; & contra cùm malle debeat occidi, quàm occidere. Sotus in 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 8. Reſpondet, tunc legem neceſſariam retinendæ vitæ imponi defenſori, cùm ea bono publico eſt neceſſaria; & perſona, quæ vim adfert, eſt abiecta, paruíque pretij. Contrà, ſi is, qui inuadit, ſit rex, aut dux, aut reip. neceſſarius, ſubiri necem oportere. In hoc poſteriore membro Gloſſam ciuilem fautricem reperio ad legem. Vt vim. ff. de iuſt. & iur. nam ait,
„ vim illatam ab eo, cui ſubditi ſumus, & à
„ magiſtratu, etiam iniuſtè, nequaquam
„ propulſari debere, aut poſſe.

Sed contrariam ſententiam perſuadet D. Thom. in 2. 2. q. 69. art. 4. vbi quærit, vtrùm condemnato ad mortem liceat ſe defendere, ſi poſſit. Et conſtituit, ſi condemnatus ſit iuſtè, non ſe poſſe defendere, neque reſiſtere: poſſe autem, ſi iniuſtè
„ condemnetur. Alio modo, inquit D. Th.
„ condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundùm illud Ezechielis 22. *Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*: & ideo, ſicut licet reſiſtere latronibus: ita licet reſiſtere in tali caſu malis principibus, niſi fortè propter ſcandalum vitandum: cùm ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur: &, quæ in hac parte à D. Thoma dicuntur, à nemine contradicũtur Theologo, aut ſummarum ſcriptore, quod ego ſciam.

Quare illud alterum membrum Soti 15.
mihi valde ſuſpectum eſt: cùm enim hominis innocentis vita, præſertim ſua, magis diligenda ſit, quàm nocentis; non video cur etiam Principis, iniuſtam vim inferentis, quis magis vitam amare debeat, quàm ſuam, & propriam, ſe defendens. Semper enim innocentia magis prodeſt cõmunitati, quàm iniquitas. Et Princeps iniuriam ciuibus faciens immanis & pernicioſa eſt bellua. Itaque magis mihi probatur doctrina D. Antonini, in 3. p. tit. 4. c. 3. ante §. ad hunc modũ ſcribentis. Ve- „
rum eſt tamẽ ſecundùm Thomam, quòd „
nullus tenetur ad hoc (ſcilicet vt ſinat ſe „
occidi) ſed maioris perfectionis eſſet, ſi „
potiùs permitteret ſe interfici, quàm ſe defendendo occideret, cùm non poſſet aliter euadere: & hoc intellige; ſi eſt in bona diſpoſitione animæ ſuæ: nam aliàs fatuè faceret exponendo ſe morti corporis, & animæ; cùm ſibi per mortem præcludatur via pœnitentiæ. Hactenus D. Anton. Idem D. Ant. in eod. c. §. 1. diſertis verbis oſtendit, pro ſua ſalute & vita, defenſionem aduerſus ſuperiorem & Abbatem ſuſcipi poſſe: & Syluest. idem affirmat in verbo, Bellum, à numer. 4. citans Ioan. de Lign. quem citant etiam alij. Nec memini me legiſſe quempiam eorum, qui de iuſta ſui defenſione loquuntur, qui in neceſſitatem ſubeundæ mortis conijciant aliquando eum, qui per vim & iniuriam ab altero petitur.

Septimum theorema. Qui fuga ſaluti 16.
ſuæ conſulere poſſet, ſed quia ſine dedecore fugere non poteſt; abſque culpa, locum

Digitized by Google

locum congreſſus,& honeſtæ defenſionis tempus obire ei conceſſum eſt,à multis & grauibus auctoribus.Panormitanus id cōcedit, in cap.olim, de reſtit.ſpoliat. Præpoſitus in canon.ex præmiſſis,d.50.nu.26. Sotus in 5.de iuſt.& iur.q.1.art.8.Toletus in 1.lib. de inſtruct.ſacerd.c.74.Nauarrus in ſumma,cap.15.num.3. qui citat Baldum in repetit.l.1.col.6.C.vnde vi,Roſella,homicidium,1.num.4.& opinio eſt communis,quamuis diſſentiat Angelus,in verbo, Homicidium, 3.nu.2. & Sylueſter, in verbo, Homicidium, 1.num.6. Et quoniam fuga non eſt turpis clericis, nec hominibus contemptæ conditionis: hi, ne inuadentem interficiant, fugere debent.

17. Octauum theorema. Pro ſuarum rerū defenſione,cùm conſeruari non poſſunt, niſi eo, qui illas à nobis vi auferre conatur,interempto, ſine culpa homicidij interimere licet: probatur hoc theorema à D. Antonino in 3.par. tit.4.c.3.§.2. à Sylueſtro,in verbo,Bellum, 2.§.2. Caietano, in 2.2.q.64.art.7.Soto in 5.de iuſt.q.1.art. 8.à Nauarro in ſumma, cap.15.num.3.& Toleto in 1. de inſtruct. ſacerd. cap.74. multique hoc ipſum defendunt, & ratio Theologorum, quam didicerunt,à diuo Thoma eſt:quia bona hęc externa,inſtrumentum vitæ neceſſariū & virtutis ſūnt: & quia non poſſum cōtemnere vitæ meæ & virtutis adminicula,poſſum eum occidere, qui ſua culpa, nec vlla neceſſitate, adductus,vult me iis per vim & iniuriam ſpoliare. D.Anto. addit defenſionem pro tuendis rebus eſſe aduerſus omnes illas perſonas licitam,aduerſus quas eſt pro vita iuſta defenſio.

Sed à nonnullis haud obſcuris Auctoribus hoc ipſum theorema reiicitur,vt ab Innocentio in cap.ſi vero.1.de ſenten.excommunic.à Panormit. in c. interfeciſti, de homicidio:à Roſella,in verbo, Homicidium,1.num.3.à Tabiena in verbo,Homicidium, num.9. ab Alex.Halenſ.3.par. q.34. memb.2.art.2.§.2.

Nonnullis exceptionibus eſt tamen hoc theorema temperandum. Prima exceptio, hoc genus defenſionis non datur clericis,teſtatúrque in eodem loco Toletus communem hanc eſſe ſententiam. Secunda,nec laico danda eſt:cùm vel res eſt parui momenti, vel cùm extorqueri poteſt de manibus raptoris, aut furis, vel alia via recuperari poteſt, de qua exceptione vide Sotum in 5.de iuſt.& iur.q.1. art.8.& Tolet.l.1.ſuæ ſummæ,cap.74.

Nonum theorema. Caſtitatem ſuam 18.
qui defendit occidendo, cùm poſſit ſine nece tueri, homicida eſt, ſiue mulier ſit, ſiue vir. Sic D.Anton. in 2. par.tit.7.c.8.§. 2. pene in extremo,& Sylueſter,in verbo, Homicidium,1.num.9.

Decimum theorema. Amicorum noſtrorum, conſanguineorum, affinium, & inſontium vitam propugnare poſſumus ac debemus aduerſus eos qui iniuria eos adoriuntur, & moderata vtentes defenſione,eos,qui inuadūt,occidere. Vera eſt, & communis ſententia.

Vndecimum theorema. Homicida eſt voluntarius,cuius mandato & conſilio fit homicidium;& qui in bello iniuſto reliquos cohortatur ad cædem aduerſariorum, homicida eſt.

Duodecimum theorema. Qui manda- 19.
uit,ſuaſitve homicidium, reuocato mandato,vel conſilio,ſcelere liberatur:quamquam in reuocatione conſilij, plus operæ & ſtudij Doctores requirunt quàm in mādati:qui enim mandat, ſua cauſſa mandat; at qui conſilium dat, eius qui conſilium petit,cauſſa dat:quare facilius à mandato, quàm à conſilio recedi ſolet. Itaque ſi quempiam vides tuo conſilio ad cædem alterius animatum; nec te diſſuadentem cædem ab illo audiri, certiorem facere debes eum,cuius vitæ paratur exitium;vt ſibi diligenter caueat, ſuæque ſaluti proſpiciat:eſſe enim aliquem,à quo ſibi mors impendeat. Angelus in verbo,homicidiū, num.14. addit,nō videri ſibi neceſſarium nomen eius indicare,qui necem meditatur:Roſella, in verbo, Homicidium,2.nu. 2.& 3. qui huius doctrinæ Auctorem profert Innocentium. Sylueſter in verbo, Ho-

Digitized by Google

micidium,1.num.12.dicto ſexto, ex Innocentio & Panormitano,in cap.ad audientiam de homicidio. Tabiena in verbo,cõſilium,num.6. concluſione vltima,ex Felino, ſicut dignum, de homicidio. Nec quiſquam eo magis accuratè hac de re egit inter Summarum ſcriptores. D. Antoninus ſubſcribit hęc omnia in 3.par.tit.28. cap.2.§.2. Nec audiendus eſt Ioan.Andr. in c.ad audientiam, de homicidio, non eſſe neceſſe certiorem facere eum, contra quem datum eſt conſilium;vt ſibi caueat, cùm machinanti interitum diſſuaderi interfectio non poteſt.

Videto Cardinalem Toletum in ſua ſumma lib.1.c.79. diſtinguentem triplex conſilium exhortationis, approbationis, & ſimplicis opinionis, ex Præpoſito in ca. Si quis viduam,diſt.50. & ſcito ſentẽtiam Innocentij in cap. ad audientiam, de homicidio, num.2.vt non ſit ſatis reuocaſſe conſilium,niſi admoneatur is,cui periculum necis creatur,quando diſſuaſioni credibile eſt non pariturum eum,qui voluntate ad interitum alterius incumbit, eſſe communem, & ſimpliciter veram: qui enim ſecus ageret,contra caritatẽ ageret.

20 Decimumtertium. Socij homicidæ, ſiue ad eius auxiliũ,ſiue ad necem alterius expediti, ſi ſequatur homicidium, homicidæ ſunt,ex cap. ſicut dignum, §.1. & ex can. ſtudeat, diſt.50. In quem Canonem legenda eſt Gloſſa,quæ ciuiles leges cum canonibus comparat.

Decimumquartũ theorema. Qui poſſunt & debent ex officio reſiſtere homicidis,& arcere è cœtu hominum ſicarios, ſi eorum culpa fit cædes, culpam contrahunt homicidij:in can. In inferenda: qui eſt Ambroſij,23.q.3. his verbis ex lib.1. de
„ officiis, cap.36. Qui non repellit à ſocio
„ iniuriã, cùm poteſt,tam eſt in vitio quàm
„ ille,qui facit,& in can.qui ſequitur,qui eſt
„ Anaſtaſij & Damaſi:neo enim caret ſcru-
„ pulo ſocietatis occultæ,qui manifeſto fa-
„ cinori deſinit obuiare. Et in can.extremo
„ eadem cauſſa,& quæſt. qui eſt D. Auguſt.
„ in Pſ.81. Qui deſinit obuiare,cùm poteſt,
„ conſentit. Qui verò ex officio non cogitur tollere ſicarios, & cædes, vt ſunt homines priuati,peccant quidem contra caritatem,ſi homicidis non obſiſtunt, cùm ſine capitis ſui periculo poſſunt:homicidę tamen exiſtimandi nõ ſunt. Qui verò ſcit agitari cõſilia de quopiam interficiendo, & qui eius rei gnarus eſt,& non enunciat, in eo doloſè agens,homicida eſt,ſi cædes conſequatur: ſi verò abſque dolo ſileret, non eſſet homicida. Vide Angelum in verbo, Homicidium, 1.num.17. & 19.& Syluestrum,eod.titu.1.num.14. qui huius ſententiæ dilaudant Auctorem Ioannem Andream,in cap.Petrus,de homic.& Panormit.& Innocentium in idem caput.

Decimumquintum. Iniuriam paſſus, ſi audiat,ſuos parentes, affines, conſanguineos vel amicos; illatam iniuriam morte eius, qui intulit, vlciſci velle, niſi prohibeat, homicidij crimen incurrit: ſi mors conſequatur. Conſule Gloſſam, in cap. Petrus, de homicidio, & Oſtienſem, & Syluestrum,in verbo, Homicidium, 1.q. 10.nu.14.& Angelum,eod.tit.1.num.20. & Nauarrum in Summa, cap.15.num.17. 21.

Decimumſextum. Quicumque cauſſam efficacem attulit homicidij, homicida eſt.

Decimumſeptimũ. Licèt clericis cauſſas ſanguinis agitare non liceat,eas tamẽ, cùm iuriſdictionem obtinent temporalem, debent & poſſunt metu irregularitatis ceſſante, aliis delegare. Totum hoc theorema totidem verbis ſumptum eſt ex Decretali Bonifacij VIII. Epiſcopus, ne clerici vel monachi negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.

Decimumoctauum theorema. Qui letale vulnus inflixit,quamuis qui ſauciatus fuit ab aliis fuerit interfectus, homicida eſt is,quia mortifero ictu ſauciauit:ita decernit,cap.ſignificaſti,de homicidio.

Decimumnonum theorema. Qui vulnerando vitam potuit tueri ſuam, ſi occidat,non punitur pœna veri homicidæ; vt Roſella oſtendit in verbo, Homicidium, 1.num.2. citans Baldum. 22.

Vigeſi

Vigeſimum. Omnes, qui ſiue iuſtæ ſiue iniuſtæ ſunt cauſſa cædis, irregularitatem incurrunt, iis dumtaxat exceptis, qui pro vita ſua ita pugnant, vt eam retinere non poſſint niſi vim inferenti vitam adimant: hoc enim dumtaxat tempus excipit Clementina vnica de homicidio.

Vigeſimumprimum. Subirine mors queat pro amico, quamuis in nonnullis ſuis libris dubitauerit D. Auguſtinus; nihilominus honeſtè id fieri poſſe, ſcriptum fecit in lib. de amicitia, cap. 10. & Sotus in 5. de iuſtit. & iur. q. 1. art. 6. & Victoria in relectione, de homicidio, idipſum egregiè probant, tum Chriſti teſtimonio, qui dixit Ioan. 14. *Maiorem caritatem habere neminem, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, tum ratione naturali.

Vigeſimumſecundum. Si quis vulnus alteri impoſuit, quo minimè dubium eſt exanimatum iri, & ſceleris conſcientia & pœnitentia perculſus, ad ſacerdotem abſolutionis cauſſa accedat, eum tamquam homicidam in neceſſaria cauſſa futuræ mortis ad ſuperiorem iudicem amandabit, ſi ius non habet abſoluendi: ſin ei poteſtas eſt tanti facinoris expiandi, tamquã cum homicida aget. Quid autẽ cum homicida agi oporteat, in hoc poſtremo theoremate aperietur.

23. Sit ergo vigeſimumtertium & poſtremum theorema. Sacerdos, in ſacra confeſſione homicidæ, tria eum doceat: primum, peccati grauitatem: ſecundum, pœnam: tertium, onus reſtituẽdi ſeu ſarciendi damna ex homicidio cõſecuta: de quo onere paulò pòſt propria & accurata à nobis quæſtio inſtituetur. Quod ad pœnam attinet, declaret, peccatorum omniũ quibus alter homo ab altero violatur, maximum eſſe homicidium, ex Theologorũ ſententia: ad illúdque expiandum poteſtatem requiri maiorum ſacerdotum: ad quos interfector mittendus erit, niſi poteſtas delegata fuerit inferiori abſoluẽdi.

Pœna verò multiplex eſt: Nam iure ciuili vltimo ſupplicio homicidæ afficiuntur: & ſi aut parẽtes, aut liberos quiſpiam occidit, in culeum inſutus cum vipera, ſimia, & gallo gallinaceo, aut in mare, aut in flumen deiicitur, C. de his, qui parentes vel liberos occiderunt. l. 1. Oſtienſis verò, & Panormit. in cap. 1. de his qui filios proprios occidunt, aiunt, huiuſmodi homicidas in iudicio confeſſos vel cõuictos, virgis ſanguineis cæſos in ſaccũ è corio conijci cum cane, ſimia, vipera, & gallo gallinaceo, & in profluentem ſeu mare proiici. Si verò longiùs diſtet mare, aut fluuius, deportari in inſulas, à feris dilaniandos. Iure autem canonico clericus deponitur, & curiæ ſeculari traditur puniẽdus.

Quæ autem pœnæ irrogatæ ſint caſu hominem occidenti, nec ſine culpa, vide apud Syluеſtrum, in verbo, Homicidium, num. 12. ſeu q. 9. & apud alios Summarum ſcriptores, in verbo, Homicidium. Admoneantur etiam homicidæ contractæ irregularitatis.

QVÆSTIO XI.

De reſtitutione, & ſatisfactione homicidæ.

INiuſta nex hominis neceſſariam homicidæ legem imponit, tum damni ſarciendi, tum compenſandæ iniuriæ: ergo vtraque res eſt ei neceſſaria, ſi ſuæ ſaluti æternæ conſulere velit, reſtitutio inquam & ſatisfactio. 1.

Differt autem reſtitutio à ſatisfactione. Nam quemadmodum eſt apud D. Thomam in 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 1. ad 1. quamuis ambæ iniuſtitiam corrigant, & ad æqualitatem adducant, nihilo ſecius inæqualitatẽ non eamdem emendant. Reparatio enim, inquit „ D. Thomas, inæqualitatis exiſtentis in re- „ bus, reſtitutio dicitur: reparatiõ autem in- „ æqualitatis, exiſtentis in actionibus & paſ- „ ſionibus, ſatisfactio nominatur: & ſatisfa- „ ctio propriè locũ habet in iniuria & con- „ tumelia: reſtitutio verò in rerum externa- „ rum

» rum ablatione. Hæc omnia ex D.Thoma eo loco:& quia interfector & iniuria violauit parentes interfecti, & propinquos, iis eo modo quo dicetur, ſatiſfaciat oportet:& quia diuerſa eis damna intulit in rebus externis,eadem ſarciat neceſſe eſt.

Primum & maximum damnum fuit, priuari vita defuncti.Secundum,in eo curando impenſas feciſſe.Tertium,cum impendiis manupretia, aut lucra ſuarum operarum, dum ægroto operam nauant, amiſiſſe. Quartum, eiuſdem interfecti, à quo aut alebantur, aut variis commodis ſeu compendiis augebantur,tum alimentis tum emolumentis priuatos eſſe. Hæc omnia reſtituenda ſunt vna vita occiſi excepta; quæ tamen ipſa ſuam item exigit reſtitutionem, vt non multo pòſt intelligetur ex iis quas nunc ſubiiciam propoſitionibus,quæ toti huic loco,qui in manibus eſt, ſatiſfacient.

2. Sit igitur prima propoſitio,quæ ad vitam pertinet interfecti.Hominis vita æſtimationem non recipit: nihil eſt enim in rebus humanis quæ illã exæquet:id quod leges non paucæ confirmant. Nam ff.ad legem Rhodiam,de iactu.l.2.§.cùm in eadem naue,dicitur, *corporum liberorum æſtimationem nullam fieri poſſe.* & ff.de iis, qui deiecerint, vel effuderint, l.ſumma cum vtilitate. *Liber*, inquit, *homo cùm periit, damni æſtimatio non fit in duplum: quia in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.* & l.poſtrema.ff. eod. liberum corpus nullam recipit æſtimationem:& ff.ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur,l. ex hac lege: *Cùm liberum corpus æſtimationem non recipiat.*

Secunda propoſitio.Quamuis par pretium hominis vitæ reperiri non poſſit:nihilominus, qui per iniuriã alteri eam abſtulit,cùm nõ ſolùm læſerit eum,cui mors oblata eſt,ſed etiam ſuos conſanguineos, & affines, & amicos, & communitatem, cuius pars erat,reſtituere debet eo modo, quo poteſt:vt oſtendit D.Thomas, in 2.2. q.62.art.2.ad 1.& in 4.ſent. diſt.15.q.1.art. 5.quæſtiuncula 1.ad 1.loquitur his verbis: Reſtitutio principaliter inuenta eſt in » damnis, quæ inferuntur in rebus fortu- » næ, quæ reſtitui poſſunt:in iis autem,quæ » non poſſunt ad ſimile bonum reſtitui,de- » bet fieri reſtitutio qualis poſſibilis eſt; ſci- » licet ad arbitrium bonorum.Sotus autem » in 4.de iuſt.& iur.q.6.art.3.concluſ.5. opinionem ſcribit eſſe omnium Theologorum cõſenſu firmatam,cùm tantumdem reddi non poteſt, compenſatione ea,quæ eſſe poteſt,vtendum eſſe. Quid ergo interfector pro vita reponet,quã alteri eripuit? Richardus, in 4.diſt.15.art.5.q.2. reſpondet de compenſatione vniuersè. Damnificare inquit alium in bonis corporis poteſt homo ſimpliciter,vt occidendo vel mutilando, vel alio modo corpus debilitando:& quamuis nõ poſſit reſtituere vitam membrorum,obligatur tamen ad reſtituenda alia bona pro illo damno,compenſata qualitate læſi, & quantitate damni, & poſſibilitate damnificantis:& hãc reſtitutionem debet facere ad arbitrium bonorum virorum. Hæc Richardus.

Verùm Scotus in 4.diſt.15.q.3. artic.2. 3.
propriè loquens de reſtitutione quæ reſpondet ablationi vitæ, decernit, illam in vno aliquo horum trium generum verſari,aut in ſubeunda morte patienti animo illata à iudice:aut in militando aduerſus Eccleſiæ hoſtes: aut in aliis rectè factis & piis actionibus, nec non & paſſionibus, quibus occiſi anima adiuuari poſſit.Hanc Scoti doctrinam & ſententiam ſequitur D.Anto.in 2.par.tit.2.c.2.§.2.Adrianus in quæſtionibus de reſtitutione, quæſt. poſtrema, quæ incipit. Poſtquam egi de re- » ſtitutione boni famæ.Gabriel in 4.d.15.q. » 15.art.1. vbi ait, Cùm non poteſt ſatisfieri » agendo,ſatisfieri oportere patiendo:& in » artic.2. ſatisfieri poſſe operibus ſatiſfacto- » riis pro bono animæ occiſi. Almainus ne » latum vnguem diſcedit à Scoto in 4.diſt. 15.q.3.de reſtitutione.§. Iam veniendum. Roſella,in verbo,Reſtitutio,3.Angelus in verbo,Reſtitutio, 1.omnes hi ſtant à Scoto. Caietanus in ſumma,verbo,reſtitutio, cap.2. damna vitæ, membrorum, & ſani-

tatis reſtituenda ait eſſe arbitrio boni viri: Armilla, idem quod Caietanus, in verbo, Reſtitutio, num. 21. Verùm Scotus, & qui eum aſſectantur, propriè indicarunt id quod bono viro in hac parte ſequendum eſt.

Tertia propoſitio. Si occiſus alebat familiam, interfector etiam alere debet: & hanc omnium ait eſſe concluſionem Sotus in 4. de iuſt. & iur. q. 6. art. 3. & probatur ex cap. fin. de iniur. & damno dato. Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. vult ſarcienda eſſe damna omnibus illis, quos alebat occiſus, etiam propinquis. Verùm Sotus putat, alimenta iis tantùm ſuppeditanda eſſe, quos interfectus alere iure neceſſario debebat, vt matrem, patrem, vxorem, filios: fratres non item, cæteróſque propinquos. Verùm, ſi fratres, aliíque propinqui conflictati inopia, lucro & opera occiſi viuebant, nec ſibi proſpicere ſecus poterant, vt ſæpe contingit; hi etiam alendi erunt ab interfectore: neque id credo Sotus inficiatus eſſet: tamdiu autem, & tanto ſumptu alet, quamdiu, & quanto ſumptu illa perſonarum genera, is qui occiſus eſt, veriſimiliter aluiſſet; id enim præſcribit æquitas naturalis.

4. Quarta propoſitio expenſarũ in morbi curationem factarum, lucri ceſſantis, tum morbi tempore, tum poſt obitum, ratio habenda erit, per id omne tempus, quod probabiliter erat victurus: Gabriel in 4. diſt. 15. q. 15. art. 2. concl. 4. Maior, in 4. diſt. 15. q. 19. dubio poſtremo. Sed cùm hic addit deducendos eſſe labores, nihil dicere videtur, quia ſine laboribus non fuiſſet lucratus. Itaque in hoc merito confutatur Maior à Soto in 4. de iuſt. & iur. q. 6. art. 3. Adrianus in quæſtione illa de reſtitutione, cuius eſt initium: Poſtquam egi de reſtitutione boni famę: citat Speculatorem, in tit. de iniuriis, §. 2. & Panormit. in cap. 1. de iniuriis, qui dicunt, hæredem defuncti agere poſſe pro operis quas interfectus exercere potuiſſet eo tempore, quod viuere potuiſſet. Eumdem Speculatorem citat & ſequitur Syluester, in verbo, Reſtitutio, 3. q. 2. Angelus, in verbo, Reſtitutio, primo, verſu, Homicida. Roſella, in verbo, Reſtitutio, 3. num. 2. & Nauarrus, in ſumma, cap. 15. num. 22. qui etiam citat & ſequitur Speculatorem & Panormitanum. Sed in eo à vero aberrat, meo iudicio, quòd iacturam, in quam inciderunt hæredes interitu eius, qui interfectus eſt, quinquaginta aureis æſtimat; fulcítque dictum auctoritate Oſtienſis: verùm, eſt ſanè incredibile, lucrum, quod quis in omni vita facturus erat: tam paruo æſtimare; cùm fortaſſe ſingulis annis non ſolùm quinquaginta, ſed etiam centum & ducentos nummos aureos lucrifeciſſet. Quare ducenda eſt ratio ætatis, & roboris, & induſtriæ, ingenij & artificij, quo præditus erat, qui interfectus eſt; & quæſtus, quē facere ſingulis annis cõſueuit: ob incertos tamen euentus, & caſus vitæ, & morbos, quibus hominum vita tentari ſolet, partem eius lucri minuendam eſſe aperta ratio perſuadet.

Adſcribam nunc duarum legum verba, quæ ad huius quartæ propoſitionis confirmationem faciunt, in l. ex hac lege. ff. ſi quadrupes pauperiem fecerit: ſcribitur, habendam eſſe rationem impēſarum in curationem factarum, & operarum amiſſarum, quáſque amiſſurus quis eſſet, inutilis factus, & ff. de iis qui deiecerint, vel effuderint, l. poſtrema. Iudex, inquit, 5.
» computat mercedes medicis præſtitas, cæteráque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operarũ, quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id, quòd inutilis factus eſt. In eo verò, qui non eſt mortuus, hæc lex non vult haberi rationem cicatricum aut deformitatum: nque iſthæc æſtimáda eſſe: idémque illa altera lex, ex hac, de deformitate ſtatuit. Sed iſtud fortè pòſt viderimus. credimus enim, iure conſcientiæ hoc item damnum, compenſandum eſſe.

Quinta propoſitio. Homicida, pro iniuria debet ſatisfacere iis quos præcipuè attingit, qui occiſus eſt, vt placatos efficiat. Sotus in 4. de iuſt. & iur. q. 6. art. 3. Ange-

SSS lus,

Digitized by Google

lus,in verbo, Reſtitutio. 1.verſu, homicida. Tabiena,in verbo,Reſtitutio,q.6. ſeu num.7. & D.Anton.in 2.par.tit.2.c.2.§.2. & alij. Quamquam compenſatio iniuriæ non tranſeat ad hæredes, ſicut aliorum damnorum, quæ hæredes ſarcire debent ex bonis homicidæ,non ſuis,vt ait Sotus, & alij.

6. Sexta propoſitio. Qui in vita ſua propugnanda, quam iniurioſè alter appetit, necem facit,quam ſine nece tueri potuiſſet, ſi defenſio, crimine aut letali culpa non caruit,non tantùm præſtabit, quantùm præſtari ab eo neceſſe eſt, qui non inuaſus,occidit. Angelus,in verbo, Reſtitutio,tit.1.vocabulo,homicida.Roſella,in verbo,Reſtitutio, 3.§.4. Tabiena, in verbo,Reſtitutio,num.7.Syluester,in verbo, Reſtitutio, 3.q.2.vbi indicat hanc Doctorum eſſe ſententiam.

Ex communi igitur ſententia, ſi quis in vitæ ſuæ defenſione alterum occidit, vel quia non occidendo tueri ſe poterat, vel quia aggredienti cauſſam dedit, verbi cauſſa, quia ad ſtuprandam vxorem, vel filiam interfecti domum eius inierat; reſtituet ac ſatisfaciet arbitrio bonorum virorum. Nauarrus,in Summa,cap.15.num. 24.putat,ſi culpa eſt letalis in eo, qui pro ſua vita dimicat,nec modum ſeruat iuſtæ defenſionis,non minùs reſtituere & ſatisfacere debere, quàm qui voluntario homicidio polluitur.

Opinio Nauarri, quia à communi recedit,non probatur:probabilis tamen videtur in eo,qui pro ſua vita alterum interficit,quia in eum prius fuerat iniurius:neque huic in foro pœnitentiæ parcerem, quamuis neceſſitate, quam appellant ineuitabilem, alterum occidiſſet: iniuriæ etiam quæ præcucurrit, genus & magnitudo ſpectanda eſſet.

7. Septima propoſitio. Homicida, qui à iudice vltimo ſupplicio afficitur, non liberatur onere ſarciendi damna iis qui ea ob amiſſionem interfecti patiuntur:nam iuſta morte interfector pœnam ſoluit Reipubl. quam,iniuſtè occidendo,violarat:nihil autem reponit priuatis perſonis, quas magnis incommodis & iacturis affecerat. Eſt hæc propoſitio Nauarri, in Summa,cap.15.num.23.quam verè & ingenioſè probat. Sicut enim lex naturalis & diuina neceſſitatem homicidæ imponit ad compenſanda damna ante ſententiam iudicis:ita nec illa neceſſitas ſententia iudicis extinguitur. Ad hæc, qui duobus diuerſas res debet,non liberatur ſoluendo vni,quod ei debet,niſi ſoluat alteri rem ei debitam:igitur cùm capite perſoluit communitati,ſeu Reipubl. ſoluere debet interfecti propinquis, quod illis debet: quandoquidem, vt iam diximus, hoc debitum priuatum in illius iuſta nece minimè euaneſcit.

Octaua propoſitio. Diuites remittere ſolent impenſas, & lucra, aliáve emolumenta:iniuriam verò factam familiæ non tam facilè. Contrà, egentes de contumelia minùs ſunt ſolliciti,de compenſatione autem damnorum magis laborant. Nam pauperes vtilitatem ſectantur,diuites honorem & gloriam.

Nona propoſitio. Ij, quibus damno 8.
fuit & dedecori mors propinqui, remittere poſſunt & condonare quidquid eorum intereſt:at concedere id,quod interfecto debetur,nequaquam poſſunt.

Decima propoſitio. Qui iuſtè alterum occidit, ſicut nullam ſuſcepit culpam, ità nullam contraxit obligationem, aut ſarciendi damna,aut pro iniuria ſatisfaciendi: nam iniuriam propulſauit, non fecit; neque ex eo, quod iure factum eſt, obligatio oritur, quam, quod iniuria fit, gignere ſolet. Ergo quæ pœnitentia iniungenda eſſet ei,qui non ſceleratamente hominem necaſſet?

Hæc meo quidem animo ſalutaris eſſet: vt interfecti propinquis ſupplicem ſe abiiceret; delictique veniam deprecaretur:vt iiſdem illata damna ſarciret:vt pro ſalute occiſi ſingulis hebdomadis per annum integrum, vnum ſaltem ſacrificium, ſi tantùm ei ſit in bonis,fieri curet: vt ſingulis item hebdomadibus eleemoſynam aliquam

Digitized by Google

aliquam pro illius anima totum annum largiatur egentibus: vt per eumdem annum, aut litanias, ſi legendi gnarus ſit, aut ſi ignarus, beatiſſimæ Virginis orarium ſeu coronam quotidie flexis genibus recitet: vt octauo quoque die per annum ſacramento pœnitentiæ ſua peccata expiet, & ſingulis menſibus Euchariſtiam ſumat: vt in omni vita quotidie ſemel orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam pronunciet, terram genibus tangens pro anima occiſi.

Quòd ſi eſſet plurium hominum interfector, aut vnius, in quo tota aliqua familia extincta eſſet, ſine dubio pœnitentiã augenda foret.

QVÆSTIO XII.

De infantium puerorum oppreſſione.

1. INfantium oppreſſio reſeruari ſolet Epiſcopis cùm ſine culpa graui parentum non accidit.

Extat hac de re Decretalis poſtrema Alexandri III. extra, de iis qui filios occiderunt: & illic de puerorum extinctione canonum differunt interpretes. Hac ipſa de re D. Anton. in 2. par. tit. 7. c. 8. §. 3. Caietanus in 2.2. q. 64. artic. 8. Roſella in verbo, Homicidium, 3. num. 20. Angelus, in verbo, Homicidium, 2. num. 15. Syluest. in verbo, Homicidium, 1. num. 15. Tabiena, in verbo, Homicidium, num. extremo, & in verb. irregularitas, 3. §. 6. & 14. Nauarrus in Summa, cap. 15. num. 13.

Tota huius generis explicatio tribus admonitionibus continetur. Prima admonitio eſt Caietani. Iacere in eodem lecto cum infante, non culpa caret, cùm res periculoſa ſit; neque ſit quis dominus eorum, quæ ſomno ſopitus agit: accidere tamen poſſe, vt eiuſmodi cubatio culpa careat. Verbi cauſſa, ſi lectus ſit latus, & puer implacabilis: aut qui aliter à frigore defendi nõ poſſit; & mulier in ſomno ſuum retineat ſitum & locum.

2. Sit igitur ſecunda admonitio, ſi mulier circumſpiciens omnia, quæ circumſpicienda ſunt, ne mors ſequatur infantis: ſi ſequatur, ei crimini dandum non erit: quia ea, quæ per ſe ipſa nolumus, ſi voluntaria aliquo modo appellari debent, talia ſunt propter cauſſam, ex qua ſequũtur ex ſententia Theologorum: vt rectè ait Caietanus in commentario illius articuli, 8. q. 64. 2.2. Idcirco ſemper ſpectanda erit natura & conditio cauſſæ: in qua, ſi culpa hæret leuis, leue quoque erit homicidium caſu obueniens: ſi grauis, graue. Neque caſus erit reſeruatus, ſi extinctio infantis nec per ſe expetita ſit, & cauſſa non habeat adiunctã niſi culpam leuem. Cùm verò modus cubandi periculo non vacat, in ſacramento pœnitentiæ mulier abſolui non poteſt, niſi eum deſerat: &, ſi modus ille necem adferat infanti, caſus eſt reſeruatus, & mulier graui pœna plectenda.

Tertia admonitio. In can. conſuluiſti, 2. q. 5. his verbis ſtatuit Stephanus V. Monendi ſunt namque, & proteſtãdi parentes, ne tam tenellos ſecum in vno lecto collocent: ne negligentia qualibet prouenientes ſuffocentur vel opprimantur: vnde ipſi homicidij rei inueniãtur. In quem canonem obſeruat Gloſſa, eum qui hominem occidit, cùm animum occidendi non gereret, non teneri homicidij, ex lege Cornelia, de ſicariis: teneri autem ex l. Aquilia; quamuis culpa leuiſſima allata ſit homicidio: quo tempore non ratione homicidij, vt eadem inquit Gloſſa, ſed ratione negligentiæ puniendi ſunt.

QVÆSTIO XIII.

De abortu.

1. HAbet hic locus de abortione, quæſtiones nonnullas inuolutas; in quibus leuicula videtur ea:

An puer, qui ſuis porcive veſicam inflatam vi rumpit; & crepitu perterrefacta mulier, partum abigit; illius abortus ſit reus; & homicidio teneatur.

Nonnulli, in quibus numeratur Innocentius, faciunt homicidij reum puerum: negant penè omnes Summarum ſcriptores, ſecuti Panormitanum, in cap. de cætero, & in c. exhibita, de homicidio: qui vult cauſſam homicidij debere eſſe propinquam, & non remotam. Vide Sylueſtrum in verbo, Homicidium, 2. num. 14. Angelum, eod. tit. 2. num. 12. Roſellam, eod. tit. 3. nu. 16. Tabienam in verbo, irregularitas, 3. num. 14.

Paulò grauior eſt hæc ſecunda. Vtrùm, qui poculum mulieri propinat amatoriũ, quamuis nõ eo conſilio, vt fetum eiiciat, & tamen eiicit, culpam ſuſtineat homicidij, & iniuſtæ abortionis.

Suſtinere ait Syluester, in verbo, Homicidium, 2. num. 13.

Qui percutit prægnantem mulierem, ſciens eam prægnantem eſſe, aut terrore concutit, ex quo terrore, ſeu percuſſione, mors ferè ſolet accidere, aut fetus eiectio, ſi quidem animatus eſt, culpam non euadit homicidij volũtarij, vt probat Caietanus, in 2. 2. q. 64. art. 8. ad 3. argument. D. Thomæ: nec enim euentus ille, ſiue abortus, ſiue extincti fetus, caſui aſſignari poteſt; cùm id, quod caſu fit, rarò fieri ſoleat.

2. Reſtat vnum, quod quæſtionem habet explicatu difficilem: de quo ipſi haud oſcitanter diſſeruimus in interpretatione cõſtitutionis Gregorij XIIII. de abortu, quã Xiſti V. legem temperauit, & in tertio noſtro volumine moralium reſponſorum, quæſt. 107. liceátne aliquando ad mulierem ſeruandam perdere fetum.

Diuidunt quæſtionẽ Doctores in duas partes. In prima quærũt de fœtu inanimi, in ſecunda de animato: & ſi quidem in conceptu deliteſcat iam anima humana, negant poſſe procurari abiectionem conceptus: nec potionem, aut quamlibet medicinam à grauida muliere ſumi poſſe cũ interitu partus. Verùm, ſi non vitalis ſit fetus, nec immortali animo præditus, id fieri poſſe tum à medico medicinam parante, tum à fœmina ſumente.

Quam omnem doctrinam à quodam Ioanne Neapolitano traditã arripuerunt deinde non pauci, vt D. Antonin. 3. par. tit. 7. c. 2. §. 2. Sylueſter, in verbo, Medicus, q. 4. dicto 2. Nauarrus in manuali, cap. 25. num. 62. Armilla, in verbo, Abortus, nu. 2. Additque Archiepiſc. Flor. & Nauarr. & alij, Archiepiſcopũ ſecuti, mortifera culpa pollui eos, qui medicamentum dant, quo perimi ſolet fœtus, cùm dubitatur ſitne animatus, an inanimatus.

In re tam graui, quid ſine ſcelere ſtatui poſſit, nonnullis effatis perſpicuum faciam.

Prima propoſitio. Excluſionem fœtus immaturi vitæ etiam expertis procurare ad mulieris incolumitatem & vitam ſeruandam, ita vt tamquam medium, fetus eiectio eligatur, numquã licet; & eſt immane ſcelus. Probatur auctoritate & firmiſſimis rationibus. Xiſtus V. in ſua conſtitutione, aduerſus eos edita, qui abortũ fetus procurant. §. inſuper, vt immaniſſimi, abiectionẽ procurare fetus tam animati quàm inanimati, ſiue ſterilem, immaniſſimum delictum appellat. Et Gregorius XIIII. in ſua conſtitutione qua Xiſtinam moderatur, grauiſſimum ſcelus eſſe dicit, & nefarium delictum: ergo tamquam medium eligi non poteſt vllo tempore. Diuus Auguſt. in ſerm. 244. de tempore. Nulla, inquit, mulier potationes ad abortum accipiat. Nulla, inquit, mulier: ergo neque ægrota: & l. 1. de nupt. & concup. cap. 15. procurare venena aut ſterilitatis, aut ad extinguendos aliquo modo cõceptos fetus intra viſcera, vel ad fundendos, nominat libidinem crudelem, & libidinoſam crudelitatem, & in illo ſerm. tot homicidiorum ream facit mulierem, quot poterat parere, & ſua culpa non parit. Diuus Thomas in 4. diſt. 31. in textus explanatione peccatum hoc graue eſſe ſcribit, & inter maleficia computandum, &

& contra naturam; quia etiam beſtiæ, inquit, fetus expectant. Quòd ſi peccatum eſt contra naturam, nullum erit tempus, quo liceat: probat item idem Doctor in 2. 2. quæſt. 154. artic. 12. ad 3. grauiora illa eſſe flagitia, quæ contra naturam ſunt, quàm quæ contra perſonas nobis coniunctas. Si ergo inceſtus cum matre vel ſorore ſemper eſt nefarius: ergo effuſio conceptus numquam iuſta erit: cùm ſpeciem, & naturam ipſam humanam, lædat.

4. Nunc ex multis rationibus, quibus effatum hoc primum alibi concluſimus, duas tréſve ſatis erit ſeligere; atque in præſentia vſurpare.

Prima ratio. Multò ſceleratiùs peccatur in fine, quàm in mediis: ſed effuſio ſeminis voluntaria, extra matrimoniũ, ſemper eſt ſcelerata: ergo multo ſceleratior eſt effuſio voluntaria conceptus: cùm hic ſit finis ſeminis: ſemen autem, medium ad conceptum, & ad prolem, à natura comparatum.

Secunda ratio. Ad ſui conſeruationem homicidio vti non licet, niſi cùm quis illata vi tuam vitam aggreditur; nec tu retinere tuam potes, niſi illi adimas ſuam: id quod in hac quæſtione non contingit: neque enim vitam ægrotantis mulieris adoritur fetus, ſed morbus: atqui abortus eſt imperfectum homicidium, vt ait Caietanus, in Summa, in verbo, Abortus, & Turrecremata, in cap. de his qui abortum 32. q. 2. vbi ſcribit his verbis. Qui inanimati fetus abortum procurat, homicida reputabitur, ſaltem quoad reatum, ſed non quoad factum; citátque canonem Stephani Papæ, conſuluiſti, 2. q. 5. additque: debet pœnitere tribus annis, vt dicitur in Brochardo, lib. 17. Si qua mulier. Quarè tantum facinus nemo poteſt vmquam audere.

5. Tertia ratio. Quæ pro quauis probatione cuiuis eſſe debet: habet enim vim ad perſuadendum neceſſariam. Contra ea bona matrimonij, quæ eſſentialia dicuntur, haud fas eſt tempore vllo agere. Hæc autem bona tria ſunt, vt docet D. Auguſt. in lib. de bono coniugali, cap. 6. & 7. contra Iouinianum, & 9. lib. de Geneſi ad litteram, cap. 7. Fides, Proles, Sacramentum. Quam D. Auguſtini doctrinam complexi ſunt omnes Theologi, & Innoc. III. in poſtremo, cap. de conditionibus appoſitis. Addúntque, ſi quis contrahendo matrimonio animum contrarium gereret alicui ex his tribus bonis, matrimonium fore nullum. Ergo ſicut contra bonum fidei, cum alieno vel aliena miſcendo corpus, facere numquam licet; neque contra bonum Sacramenti ineundo cum altero coniugium, primo coniuge viuo: ita nec contra bonum prolis, aut illam perimendo, aut verò non educando. Audi D. Thomam de bono prolis loquentem, in 4. ſent. diſt. 31. q. 1. art. 3. Proles intenta eſt eſſentialiſſimum in matrimonio, & ſecundò fides, & tertiò Sacramentum. Sicut homini eſt eſſentialius eſſe naturæ, quàm eſſe gratiæ, quamuis eſſe gratiæ ſit dignius: ergo eorũ opinio, qui perſuaſum habent licere aliquando extinguere fetum, vt mulier grauida ſit ſalua, è Chriſtianorum mentibus eſt prorſus exterminanda.

6. Secundum effatum. Morbo periculoſo & exitiali laboranti mulieri ſuccurrere licet medicamento ſalutari, & ad ſeruandam mulierem comparato, quamuis fetus eiectio, aut extinctio timeatur. Fieri hoc poſſe, ſi nondum animatus eſt fetus, communis eſt opinio: fieri autem non poſſe, cùm eſt animatus anima rationali, plerique contendunt; ideo, quòd mater pluris ſpiritualem vitam prolis diligere debet, quàm ſui corporis fluxam.

Verumenim multa ſunt, cur fieri hoc abſque flagitio poſſit.

Primùm. Quia ſicut vim illatam ab homine repellere licitum eſt, etiam cum nece inferentis, ſeruato modo, quem ratio defenſionis præſcribit: ſic etiam cùm morbus inuadit prægnantem mulierem, eíque interitum machinatur; æquum eſt idoneis medicamentis, quaſi telis quibuſdã, morbo reſiſtere, & illum opprimere:

quamuis præter conſilium eius, qui ſe contra morbum tuetur, prolis ſequatur extinctio.

Deinde; quia ſicut in bello iuſto, hoſtium vrbes, oppida, & arces, quamuis in eis, & prægnantes mulieres, & alij innocentes commorentur, actis cuniculis, tormentario puluere, & igni euertuntur, & incenduntur: quæ vltio, & pœna per ſe non ad innocentes pertinet, ſed ad nocentes: ita cùm pro vita grauidæ pugnatur mulieris, à medico, per ſe, cõtra virus humorum & morbi pugnatur, non contra prolis innocentiam.

Deinde; quia vix accidere poteſt, vt idem morbus, qui interimit mulierem, non etiam infantem necet, mulieris acetabulis adhærefcentem: cùm ergo in vita id quod ferè accidit, & veriſimile eſt, ſequi debeamus, tutò medicinam dabit mulieri prægnanti medicus, vt mater potiùs ſalua ſit, quàm illa & proles pereant.

Deinde, quia ſe ipſum interficere numquam licet; at, qui medicina per ſe expultrice morbi, & mortis, viuere poteſt, ſi eam contemnat, cùm per ſe non eſt mala, eſt ſibi mortem conſciſcere voluntariam: quid enim intereſt, aut ſibi vitam ferro exhaurire, aut non ſumpto neceſſario cibo, vel potu, vel etiam remedio ad vitam conſeruandam inſtituto?

7. Deinde; quia mulier grauida, cùm ſibi à fame mors certa impendet, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet cibum oblatum ſumere: quamuis cibus ille exitio futurus eſſet fetui: ita de medicamento dicendum videtur.

Dices fortaſſe, longè diſparem eſſe rationem cibi & medicamenti: nam ſine cibo vita nullius conſiſtere poteſt; ſine medicamento poteſt. Quid tum? ſi huius illiúſve vita, nunc multò plus egeat medicamento, quàm cibo? an non ius neceſſarium conſeruandæ vitæ minùs nunc, aut non potiùs multò magis nunc ad accipiendam medicinã, quàm eſcam impellet? Oppones ruſus, ſi fame pereundum ſit grauidæ mulieri, ſumendus cibus eſt, quia extincta matre neceſſe eſt extingui etiam fetum; cùm eodem alimento ſanguinis ambo vtantur: quare ſi ob conſumptum ſanguinem moritur mater, prolem etiam mori, atque extabeſcere neceſſe eſt. At ipſi pariter dicimus, morbo ſi moriendum ſit mulieri, proli quoque moriendum eſſe: quis enim dubitat, tenero infanti, in aluo incluſo materna, eamdem ægrotationem magis infeſtam & exitioſam eſſe quàm matri, quæ magis confirmato & robuſto corpore ſolet eſſe? Poſtrema ratio. Quemadmodum proiicere ſemen voluntariè ad vitam ſeruandam extra connubium numquam conceſſum eſt; eſt autem conceſſum vitæ ſuæ medicamine honeſto conſulere; quamuis ex eius ſumptione ſeminis inuoluntaria ſequatur proiectio; ſic abiicere ſponte partum ob vitam conſeruandam non permittitur: at, ſi ex neceſſario medicamento ad propulſandam morbi perniciem adhibito fetus extinctio aut abiectio conſequatur, non videtur in legem vllam iuſtam committi.

Obiicies. Imò verò committitur in canonem, Denique, 14. q. 5. qui canon ſumptus eſt ex D. Ambroſio, lib. 3. de officiis, cap. 9. Si non poteſt, inquit D. Ambroſ. » ſubueniri alteri niſi alter lædatur, com- » modius eſt neutrum iuuari, quàm graua- » ri alterum. »

Primùm reſpondeo, Ambroſium aduerbio vti, *commodius*, quod officij neceſſitatẽ non declarat. Deinde aio, D. Ambroſ. loqui cùm iniuria alterius vtimur ad iuuandum alterum: at, qui iure ſuo vtitur, neminem lædit. Vtitur autem iure ſuo, qui ſubſidium inuenit neceſſarium vitæ ſuæ retinendæ; quod ſubſidium ſi omitteret, ſuimet euaderet homicida. Maneat igitur, quotieſcumque vitio valetudinis interitura eſt tum mater, tum proles, remedio appoſito matri ſubueniri poſſe, quamuis illud conceptum ſit necaturum.

Tertium effatum. Cùm morbo vexatur mulier, quo minimè veriſimile eſt il- 8.

lam extinctum iri, prolem verò perdendam, ſi aut venam incidat, aut potionem, aliúdve medicamentum ſumat, eiuſmodi remedia cenſeo repudianda: nam pluris æſtimare debet vitam corporis, & animæ fetus animati; pluris item procreationem hominis inchoatam, quàm ſuam valetudinem.

Quartum effatum. Sententiam quorumdam medicorum, quando actum eſt de ſalute matris, fetum animatum gerentis, eius ventrem poſſe diſcindi, vt extrahatur proles, tamquam immanis impietatis plenam; cuncti explodere debent; quam tamen ipſam inflatis buccis, & vultuoſa oratione, medicus ſenio confectus mecum diſputans pugnaciſſimè defendebat, quem breuiter hæc omnia docui.

Primùm, opinionem, quæ illi erat certiſſimum dogma, fœdiſſimum erratum eſſe, Theologicæ veritati maximè contrarium: impium enim eſſe, innocentem occidere, etiamſi eius morte innumerabiles victuri eſſent, æternámque felicitatem adepturi: neque enim placuiſſe DEO, vt vita innocentis alterius ſalus quæreretur: vnius ſui nati vita excepta, qua vniuerſi hominũ generis ſalus eſt repræſentata, & diuinæ iuſtitiæ ſatisfactum. Nec non admonui, vt inueteratam illam ſuam ſententiam execraretur; vt etiam, quæ deteſtabilis cædis ſcelera in viuentium mulierum corporibus admiſiſſet, deteſtaretur; & pœnitentiæ Sacramento, niſi antea procuraſſet, dolenter expiaret.

Victoria quoque, in Summa de Sacramentis, q. 33. inuehitur in quemdam medicum, qui ſuo tempore ſuaſit ſcindendam eſſe mulierem ægrotantem, vt infans extractus Baptiſmum reciperet: cuius peſſimum dicit fuiſſe conſilium: & immane ait eſſe ſacrilegium, viuentem aperire mulierem: quod nihil eſt aliud quàm illam occidere, vt idem inquit Victoria. Ac nimirum ſacerdotes debent, cùm hi non medici, ſed carnifices prægnantium mulierum ad eos accedunt, tractare aſperiùs, acerrimo verborum genere eorum carnificinam caſtigare; & non vſitata, ſed graui pœna impoſita, tamquam veros & voluntarios homicidas coërcere.

Quintum effatum. Quicumque necem procurarunt prolis animatæ, aut eius abortionem, ſunt rei homicidij voluntarij: & ex conſtitutionibus Xiſti V. & Gregorij XIV. excommunicati: nec poſſunt niſi auctoritate Epiſcoporum, ſeu Ordinariorum, abſolui. Sunt item ex delicto irregulares. quæ irregularitas difficillimam habet diſpenſationem. 9.

Sextum effatum. Abortionem procurantibus hanc pœnam ciuiles leges infligunt: ſi fetus non erat animatus, delinquentem mulierem multant exilio. ff. ad legem Corneliam de ſicariis l. ſi mulierem. & ff. de pœnis l. Cicero. & ff. de extraordinariis criminibus l. Diuus: quamquam duæ poſtremæ leges non irrogant pœnam perpetui exilij: reliquos autem, qui medicamina dant ad excutiendos huiuſmodi conceptus, ſiquidem ſint humiliores, damnant ad metalla; ſi verò honeſtiores, adempta parte bonorum, hoc eſt, dimidia parte ſpoliatos, relegant. At ſi fetus erat animatus, vltimo ſupplicio afficiunt. Vide legem, ſi quis aliquid. §. abortionis. ff. de pœnis. In ſacrorum verò Conciliorum voluminibus has pœnas reperi: Canon 91. ſextæ Synodi Conſtantinopolytanę, eas feminas, quę dant abortionem cientia medicamenta, & quæ fetus necantia venena accipiunt, homicidarum ſubiicit pœnis. Concilium Ancyranum can. 21. & Moguntinum, canone item 21: vtrumque prouinciale; teſtatur vetuſtis ſanctionibus perpetuę excommunicationis pœnam in eas conſtitutam eſſe mulieres, quæ ſecum agunt, vt vtero conceptus excutiant. Sed tamen ambo illa concilia decennio ipſam excommunicationis pœnam finiũt. Concilium Ilerdenſe ſeptem annorum excommunicationem viris ac mulieribus tribuit adulteris, qui in matrũ vteris aliquibus potionibus fetus collidunt: veneficis autem, id eſt, iis, qui remedia & venena parant ad immaturos fetus abigen

abigendos, ſeu necandos, eamdem excommunicationem vſque ad vitæ exitum vult comitari.

10. Septimum effatum. Quia in hoc toto genere permagni intereſt tempus noſſe, quo fetus animatur in ventre muliebri, idcirco neque huic loco deſimus. Sententia eſt Gloſſæ, in 12. cap. Leuitici, quam cuncti Theologi ſequuntur, corpus maris, quadrageſimo; feminæ, octogeſimo die abſolui, & anima informari. Ariſt. in 7. de hiſt. anim. cap. 3. ſcribit, Mares fere circa quadrageſimum diem in ſiniſtro latere matris moueri; feminas circa nonageſimum: nihil tamen certi in his affirmare licet, ſubiungit idē philoſophus. Hippocrates in lib. de pueri fetuſque natura, tradit conformatum eſſe corpus maris 32. die; feminæ, 42. Itaque ex Hippocratis decreto, qui 32. die vel poſt illum, & qui 42. die, aut poſtridie eius diei ad proiiciendum fetum remedium vel daret, vel acciperet, homicida eſſe poſſet, & ex Eccleſiaſtico decreto irregularis. D. Auguſt. in lib. 83. qq. q. 56. ſine diſcrimine maris & feminæ, de conformatione fetus diſſerens, humani corporis & membrorum omnium fabricam quadrageſimo quinto die perfectam eſſe confirmat. In tanta varietate opinionum, Gloſſæ & Theologorum ſententiam ſequendam eſſe ſuadeo. Dierum autem, quibus abſoluitur in vtero fetus, initium ſumendū eſt à die conceptionis, ſiue conceptus. Conceptum verò inquit Ariſt. in 1. de generat. animalium, cap. 20. primam ex mare & femina commiſtionem appello, nimirum illic intelligit Ariſtot. principij actiui & paſſiui coitionem.

11. Signa verò cōceptionis exprimit idem Ariſt. in 7. de hiſt. anim. cap. 3. nam os vteri fit ſiccius & aſperius, nonnullis ſtatim turgeſcunt ilia. Si verò ſeptimum diem ſemen exceptū continuerit mulier, concepiſſe certum eſt. Poſtquam conceperint mulieres, earum corpus, teſte Ariſtot. in eod. lib. cap. 4. fit grauius: oculi caligine, caput tentatur doloribus, & aliis hæc celeriùs, quæ tamen decimo die contingūt; nonnullis etiam & nauſeæ, & vomitus ſunt infeſti. Ab Hippocrate his verbis conſcriptus eſt aphoriſmus 42. lib. 5. de ſigno quo diſci poſſit conceperit nec ne mulier, γυναῖκα, inquit, ἢν ἐθέλῃς εἰδέναι, εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, ἀδείπνῳ ἐούσῃ μελίκρητον διδόναι πιεῖν· κἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει· ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει. id eſt, *ſi voles cognoſcere, mulier conceperit necne, mulieri dormituræ incœnatæ mulſam aquam potandam præbeto: ſi ventris tormina paſſa fuerit, concepit; ſin minùs, nōn concepit.* Miror, interpretem Latinum non vertiſſe illa verba ἀδείπνῳ ἐούσῃ.

Galenus in commentario, admonet, aquam cum melle miſcendam debere eſſe frigidam, ſeu crudam.

QVÆSTIO XIV.

1. CONſtuprata adoleſcētula parit: partum priùs quàm Baptiſmi Sacramento abluatur, necat: iuſſu Magiſtratus comprehenditur: de crimine confeſſa morti adiudicatur.

Præfecti ſupplicij mulieri denuntiant necem ſe poſſe euadere, ſi cum carnifice matrimonio iungi velit. Ea reſpondet, ſi abs ſe ſcelus admiſſum morte luendum ſit, malle ad patibulum proficiſci, quàm cum quouis viro primario, nedum cum carnifice, connubij fœdus inire.

Multis plena temeritatis atque arrogantiæ mulieris eſt viſa reſponſio, quòd illi coniugio interitum prætuliſſet: maioremque exiſtimationis quàm vitæ rationem duxiſſet: præſertim cùm feminę non opima & honeſta, ſed pertenuis ac deſpecta conditio eſſet. Ita nonnulli de æterna adoleſcentis ſalute non parum dubitarunt; quòd illam ouantem ad ſupplicium properare viderent.

2. Verùm ipſe longè ſecus de eius fine vltimo ſum opinatus. Credidi enim, & credo, ſummi boni poſſeſſionem adeptā eſſe. Primùm, quia, cùm in muliercula forma

forma eſſet egregia, ſi virum carnificem habuiſſet, pudicitiam, ſuámque animæ ſalutem in apertum diſcrimen adduci non ignorabat. Quare non ſolùm potuit, ſed etiam debuit tantum ac tam probabile periculum morte redimere.

Deinde: Potuit, ne eiuſdem flagitij licentia ad alias mulieres ſuo pernicioſo exemplo perueniret, datam ſibi impunitatem recuſare: vt ſuo priuato malo, vel potiùs bono publico proſpectum eſſet.

Poſtremò, pro ſuis ſceleribus diuinæ humanæque iuſtitiæ ſatisfacere, & impoſitam pœnam ſuſtinere, opus eſt virtutis, quæ impendio magis quàm vita ab vnoquoque diligi debet. Primùm, quia virtus à DEO præcipitur: quod præceptum ne deſeratur, vir iuſtus vitã dimittet. Deinde: quia iuſtitia ac virtus qua hominum ſocietas & vitæ communio maximè continetur, vnicuique quàm ſua vita potior eſſe debet. Poſtremò, quia ſi DEI amor cunctis rebus anteferendus eſt, profectò ſecundùm Deum virtutum amor reliquarum rerum amorem vincere debet: cùm ad DEI amorem proximè referatur.

Quocirca Origenes in prologo in Cantica Canticorum, columna 9. de amore & caritate erga DEVM diſſerens, ſcribit his verbis: » In ipſo iam ſine dubio continetur; » vt & ſapientiam, & iuſtitiam, & » pietatem, & veritatem, omnéſque virtu» tes pariter diligamus. Vnum atque idem » eſt diligere Deum, & diligere bona. Quæ ſententia recitatur etiam ab Altiſiodoro, lib. 3. tract. 6. de ordine caritatis, cap. 2. quæſt. 1.

3\. Quamquam, fatendum eſt enim, ſi in ea poteſtate & electione, quæ facta eſt mulieri, vt eligeret vtrum vellet, crucem, an carnificem ſuum legitimum virum, propter perſonæ ac nominis turpitudiñe, carnificem reieciſſet, culpa fortaſſe electio minimè caruiſſet. Cùm enim eſt famæ & vitæ contentio, vita ſolet famæ ferè iudicio ſapientum anteponi: præſertim cùm de eorum agitur fama, qui & ſcelerum ſunt maculis notati; & iudiciorum auctoritate infames: & illud addam, illi mulieri fuiſſe neceſſariò mortem corporis eligendam. Namque cuilibet viro ac mulieri; in conſilium adhibita ratione, corporis potiùs quàm animæ eſt optandus interitus; & mortem iuſtam, ac non facinoroſam, quilibet præferre debet vitæ iniquæ, ac flagitioſæ. At illam adoleſcentulam plùs quàm probabile erat, iterum in libidinum cœno volutatum iri, victurámque, vt verbis vtar Apoſtoli, *Alienatam à vita* DEI *propter cæcitatem cordis multorum*, qui eam impurè adamaſſent; nec non propter cordis ſui cæcitatem, quæ amatorum lenociniis & ardentibus voluptatis facibus minimè reſtitiſſet.

QVÆSTIO XV.

NVm reis, qui cuſtodiuntur in vinculis, ſceleratum & capitale ſit carcerem perfringere, ſeu perfodere, ſeu eius repagula quouis modo reuellere, à multis diſceptatum eſt, & de nobis ſæpe quæſitum. 1.

Hac de re Henr. Gandauen. quodlib. 9. q. 26. Maior, in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 22. Caietanus, in 2. 2. q. 69. art. 4. Sotus, in 5. de iuſt. & iur. q. 6. art. 4. Syluester, in verbo, Fugere. Tab. in verbo, Accuſatio, q. 10. & 11. Roſella, in verbo, Incarceratus. Armilla, in verbo, Carcer. Nauar. in Summa, cap. 17. à num. 101. ad 103. Panorm. in cap. à nobis de Apoſtatis. Felinus, in c. nullus de præſumption. Legum explanatores in lib. 1. & 2. ff. de effractoribus, & expilatoribus, & in l. penult. ff. de cuſtodia, & exhibitione reorum.

Nos ancipiti quæſtioni reſpondebimus, primùm nonnullis propoſitionibus conſtitutis, deinde nonnullis aduerſariis rationibus eiectis.

Prima propoſitio. Reus ſententia iudicis carcere multatus illinc euadere non poteſt nullo ſibi probabili mortis impendente periculo. Caietanus & Sotus ſunt propoſitionis approbatores. Imò verò 2.

adiungit Caietanus: ſi ita lata ab iudice ſententia eſſet, vt reus primùm vincula, deinde necem perferret, eſſet illi in ergaſtulis manendum; de quo contradicit Caietano Sotus, & Henricus quodlib. 9. art. 26. qui negat hoc ius eſſe iudici, vt præcipere queat reo, ne fuga vitæ ſuæ conſulat: dummodo ea fuga ceterorum careat iniuria. Nam maiorem ait Henricus animæ eſſe poteſtatem à Deo permiſſam intra corpus, ſe, ſuámque perfectionẽ tuendi, quàm iudici corpus ab anima ſeiungendi: ſuáque naturali perfectione animam ſpoliandi. Adde, quòd iudex in corpus alterius ius tantùm habet, & dominium vſus, vt poſſit illud comprehendere, vincire, includere, torquere: at proprietatis non habet; anima verò habet vtrumque dominium in illud tum vſus, tum proprietatis, tamquam vera & naturalis forma in ſuam veram naturalémque materiam: & tamquam naturale agens in ſuum animatum coniunctúmque inſtrumentum: & hoc dominium naturale habet anima in ſuum corpus, non ad illud perdendum: ſed ſolùm ad conſeruandũ; quòd ius à nullâ cauſſa creata, vt inquit idem Henricus, lædi poteſt. & ſicut iubente iudice, vt reus fame pereat, nullúſque ei cibum ſuppeditet, ſuppeditatum tamen reus ſumere poteſt, ac debet; ne ſe ipſe interimat, vt docet D. Thomas, in 2. 2. quæſt. 69. art. 4. quem reliqui omnes ſequuntur; ſic iudex morti adiudicans ſontem non ideo fugæ eripere illi poteſt facultatem.

3. Secũda propoſitio. Si propter æs alienum eſt quis coniectus in vincula, ea ſuſtinere debet: ſentẽtia eſt communis Doctorum. Nauarri tamen hæc eſt, atque his verbis, exceptio; cap. 17. num. 101. in manuali: Niſi ſit adeo pauper, vt neque per ſe, neque per alium probabiliter ſoluere poſſit. Quia tunc, quemadmodum ipſe fugiendo non peccat, ita nec alius, qui fugæ auctor eſſet, nec reſtituere creditori tenetur ſecundùm communem. id ſignificat Nauarrus, fugæ auctorem non vllius reſtitutionis lege eſſe obnoxium. Tantò iuſtior eſſet alicui miſero debitori fuga, quantò grauiore onere premeretur alendi familiam, vxorem, aut liberos, aut filios, aut etiam neptes.

Tertia propoſitio. Religioſus profeſſus, in carcerem conditus, inde ſe eripere non poteſt. Eſt Caietani, in 2. 2. q. 69. art. 4. quod ab eo puto verè dici de cuſtodia religioſa: &, quando fuga ad Apoſtatas fugitiuum aggregaret: de cuſtodia profana, & quando is in vitæ periculum proueheretur, non puto Caietanum locutum: neque eo tempore quo curiæ traditus eſſet ſæculari.

Quarta propoſitio. Reus iniuſtè miſſus in carcerem, fugere poteſt; atque etiã magiſtratui reſiſtere; modò ne cuiquam vulnus infligat: ſic D. Thom. in eo loco. Maior, in 4. diſt. 15. q. 22. & Sotus, in 5. de iuſt. q. 6. art. 4. additque Sotus poſſe à reo pelli miniſtros, ſeu ſatellites, & territari; ſed non vulnerari. & Maior fugam defendit eſſe iuſtam; quamuis probationibus deceptus iudex reum verè ſontem credidiſſet.

Quinta propoſitio. Reus iniuſtæ morti 4.
addictus, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet fuga vitæ proſpicere, vt placet Henrico, Maiori & Soto, locis iam indicatis; quod abſq; dubitatione verum arbitror, quando ex incluſi vita aut naturale, aut ciuile, aut diuinum alicuius communitatis bonum penderet.

Sexta. Cuius vita iuſtè neci, ſententiam ferente iudice, oblata eſt: quamuis cædem is fecerit, de communi ſententia Doctorum non eſt illi fuga interdicta; quamuis in homicida, ſecus ſtatuiſſe videatur Scotus, in 4 ſent. d. 15. q. 3. art. 2. & Adrianus, in 4. in qq. de reſtitut. quæſtione, quæ incipit. Poſtquã de reſtitutione bonæ famæ. col. 1. fol. 98. in meo Codice lõgiorum paginarum: quo ipſe ſum vſus Venetiis.

Septima propoſitio. Qui iuſtè capitis damnatus eſt, datam opportunitatem fugæ eam contemnere poteſt, & ſuorum maleficiorum iuſtam & meritam pœnam ſufferre.

Digitized by Google

ſufferre. Confirmat hanc propoſitionem communis ſenſus Doctorum; in quibus eſt Maior, Sylueſter, Sotus locis quæſtionis initio prolatis. Sed illi perſubtili argumentatione reſiſtit Henricus Gandau. in quodlib. 9. quæſt. 26. quam hac oratione incompta, ſed non indocta explicauit, Dicendum, quòd plures habeant poteſtatem ſuper eamdem rem diuerſis reſpectibus non eſt inconueniens; vt quòd vnus habeat in ea proprietatem; & alius vſum. & ſecundùm hoc diuerſimodè quilibet eorum poteſtate ſua vti poteſt ſuper illam rem: dum tamen non fiat hoc in læſionem alterius.

5. Sunt autem quatuor per ordinem ſe habentia, ſecundùm quæ ſuper eamdem rem diuerſas poteſtates diuerſi habere poſſunt diuerſimodè; quæ ſunt fas, licitū, ius, neceſſitas: & includitur ſemper prius in poſteriore. Fas, eſt æquitas naturalis, qua quiſque poteſt vti re alterius abſque damno, & incommodo illius. Vt enim dicitur Decretorum d. 1. §. omnes leges. Tranſire per agrum alienum fas eſt, id eſt, æquum, cùm ſubeſt cauſſa; & innoxius eſt tranſitus. Licitum, eſt, quod à lege indultum eſt: quo quis poteſt vti re aliena in aliquale damnum eius. In vetere enim lege licitum erat comedere vuas in agro alterius, ſed non exportare; & conterere ſpicas, ſed non falcem immittere. Ius, eſt æquitas, quæ dat actionem rem vendicandi. Neceſſitas, eſt opportunitas vtendi re aliena. Diſcipulos enim cùm per ſegetes tranſeundo euellerent ſpicas, & ederent, ipſius Chriſti vox innocentes vocat: quia coacti fame hoc fecerunt: vt dicitur de conſer. diſtinct. 5. Diſcipulos. vbi dicit Gloſſ. Neceſſitas famis excuſat furtum. Dico ergo ad propoſitum, quòd ſuper corpus damnati ad mortem poteſtatem habet iudex ſæcularis capiendi, detinendi, occidendi. Habet autem & ipſemet damnatus quoad animam, poteſtatem ſuper idem corpus, vtendo eo ad vitæ ſuę in corpore cuſtodiam; in qua cōſiſtit eius perfectio ſine iniuria alterius; & hoc non ſolùm æquitate naturæ, quæ fas eſt circa rem alienam, ſed quæ licitum eſt: & non ſolùm licitum tamquam à lege naturæ indultum in aliquale alterius præiudiciū; ſed quæ ius eſt ſecundùm legem naturæ, & non ſolùm ius, ſed in caſu neceſſitas exſequendi ius ſuum. Vt ſi oporteret captiuum talem fame mori, niſi acciperet clam contra voluntatem cuſtodis panem eius, in hoc habet poteſtatem, & ius, atque neceſſitatem vtendi corpore ad panem capiendum, & veſcendum: & fit hoc ſine læſione alterius; quia neceſſitas facit commune, quod proprium erat: vt iuſtè occupanti concedatur.

Sic dico in propoſito, quòd iudex non tantùm iuris habet ſuper corpus damnati, quin & ipſemet damnatus ſimiliter ius habeat ſecundùm animā: quantùm enim habet ille iuris in detinendo, & occidendo; tantumdem, & plus habet iſte in abeundo; cùm poterit, & vitam cuſtodiendo: & etiam plus iuris habet, quia iudex non tanta neceſſitate compellitur eū detinere, aut occidere; quanta neceſſitate propter iuſtum metum mortis compellitur damnatus quòd ſibi prouideat, ne vitam, & perfectionem ſuam in corpore amittat. Et poſt interiectum verſum. Sui ipſius homicida eſſet, non prouidendo ſibi ſicut deberet. Hactenus Henricus. 6.

Neque longè abeſſe ab eadem ſententia viſus eſt Diuus Thomas, in 2. 2. q. 69. artic. 4. loquens de reo, qui aſſeruatur in vinculis. Quæ opinio omnium meretur aſſenſum; cùm vita eius, qui colligatus eſt vinculis, eſſet communi bono neceſſaria, aut etiam ſuis domeſticis, aut verò ſuæ animæ ſaluti.

Octaua. Si perditus ſicarius, aut latro, prædóve inſignis, in omni flagitiorum genere volutatus, iam ad ſaniora conſilia traductus, atque cum Deo recōciliatus, certò, aut valde probabiliter crederet ſe ſolutum vinculis ad ſuperioris vitæ impuritatem omnem, & ſcelerum immanitatem rediturum, is nec pœnam carceris, nec vltimum ſupplicium vitare deberet:

nam fugæ,& vitæ corporis,reconciliatam cum Deo gratiam,virtutum vitam,æternámque felicitatem ſuam omnino cogitur anteferre. Nemo credo ſanæ mentis huic propoſitioni aduerſabitur.

7. Nona propoſitio. Cui ius eſt & poteſtas deſerendi carceris, quamuis ex ea re damni, ſeu mali quidpiã cuſtodi, aut aliis compararetur, is non cogitur ſarcire, vt Caietanus & Nauarrus aiunt: quamuis ſecus videatur Maiori,in 4.ſent.d.15.q.22. nam iure ſuo eſt vſus, & quod licitum erat, adminiſtrauit.

Decima & poſtrema propoſitio, quæſtionis habens explicationẽ. Nemini reo, cui ſunt publica vincula iniecta, ea aut rumpere licet, aut carcerem effringere: cauſſa fugæ. Dixi *publica*; vt eſt communis cuſtodia,aut publicus carcer; non priuata,vt eſſet catena, qua is deuinctus eſſet. Ac licèt non deſint leui auctoritate Magiſtri,qui ſecus exiſtimauerint, & ſcripſerint, tamen, quod nos aſſeueramus, tum ratione tum iure eſt probabilius. Id enim ſententia firmatur communi iuriſperitorum & canoniſtarum, & multorum Theologorum, in quibus eſt Henricus Gand. quodlib.9.q.26. Maior,in 4.d. 15. quæſt.22. Sylueſter, in verbo, Fugere. Ioannes Tabienſis, in verbo, Accuſatio, numer.13. ſeu q.10. Roſella,in verbo, Incarceratus. Huc addemus leges & rationes non imbecillas. Quarum ea prima ſit. Quòd cum iniuria reipub. non licet homini vitam tueri ſuam: quæ propoſitio ſatis eſt per ſe nota, totidémque verbis à Soto poſita in 5. de iuſt. & iur. quæſt. 6. artic. 4. vbi hac de re data opera diſſerit. Verùm, qui effringit carcerem, violat remp. minor eſt Maioris, in 4. diſtinct. 15. quæſt. 22. quæ ſic probatur. Ius habet reſp. non ſolùm æquitate, ſed etiam neceſſitate conſtitutum, exædificandi carceris, illiúſque muniendi, & ſanctè ſeruandi ad publicam pacem & tranquillitatem retinendam, ad terrendos improbos, ad ſontes coercendos, ad ciuitatis peſtem propulſandam: ergo qui ius hoc reipub. cum tanto bono coniunctum lædit, grauiſſimè delinquit: lædit autem, qui perrumpendo carcere illinc omnia vitia & ſceleratos emittit: ergo grauiſſimè delinquit.

Secunda ratio, eſt veluti primæ germen. Punitio malorum eſt de neceſſitate vitæ, & medicina ad cohibenda peccata, vt inquit Adrianus in quodlib. 1. art. 3. col.20. in maioribus codicibus. Hæc medicina effractione carceris tollitur, & ad omnem corruptelam, & flagitiorum licentiam, atque impunitatem via munitur; & ſceleratorum audacia corroboratur: quare nefarium eſt, communis pacis & virtutum omnium repagula reuellere. 8.

Tertia, tribus fundamentis nititur. Primum eſt, iuſtas leges à nullo viro probo ſine culpa contemni poſſe. Secundum, legem, quæ non parenti pœnam mortis infligit, culpa mortifera irretire eos qui in illam committunt: vt ait Sotus, in 5. de iuſt. & iur. q.6. art.4.

Tertium eſt, à legibus ciuilibus tamquam rei capitalis damnari, qui carcerem perfringunt: quamuis ſint innocentes, qui illic ſeruantur: vt liquet ex l. 1. ff. de effractoribus, & expilatoribus, & lege penultima. ff. de cuſtodia, & exhibitione reorũ: nam capitis, ſeu ad metalla damnatur, qui noctu vincula rumpit: iubent autem eum verberari, & perpetuã pœnam luere, qui die idem facit. Neque has leges vmquam correxit Eccleſia: nam æquitatem naturalem habent in eo quod præcipiunt: pœnam tantùm inuenerũt. Dominicus Sotus, multis modis conatus eſt eludere poſtremam hãc rationem, verùm inanis eſt omnis eius conatus, vt nos oſtẽdimus in 2. volum. noſtrarũ quæſtionum Moralium, quæſt. 292. vbi hac ipſa de re copioſè diſſeruimus.

Panormitanus, in cap. à nobis, de Apoſtatis, ad hunc modum ſcribit: Qui frangit carcerem, de iure ciuili puniendus eſt pœna capitali; etiam ſi innocens ſit: ſed de iure canonico poteſt procedi ad depoſitionem. & Felinus, in c. Nullus. de præſumption. numer. 3. ſuæ explanationis. 9.

Punitur,

» Punitur, inquit, ipſa effractio,non autem
» delictum, pro quo eſt carceratus:non au-
» tem habet locum,quando fugit de carce-
» re aperto:citat Baldũ id multis locis ſcribentem.Gloſſa ciuilis,effractores carceris ait illa pœna multandos eſſe,qua propter maleficium afficiendi erant , & propter quod in vincla coniecti fuerunt.

Quare Sotus in 5.de iuſt.& iur.q.6.art. 4.& Caiet. in 2.2.q.69.art.4.& Nauarrus, in Summa,cap.17.num.102.& Armilla, in verbo, Carcer, ſapienter cogitaſſent, & conſultiùs ſcripſiſſent,ſi reis numquã dediſſent veniam publici carceris, aut patefaciendi aut perfringendi. Caietanus etiã ſolutis permittit, vt limas de ferre poſſint ad vinctos,vt vinculis expedire ſe poſſint, id tamen non concedit publici iuris miniſtris. Verùm Sotus ſine ſcelere non vult ab iis,qui extra carcerem ſunt, auxilia ad eam rem,de qua agimus, ſuppeditari poſſe incluſis.

Nunc difficultates, quæ cuipiam exhibere negotium poſſent,remouendę ſunt.

10. Prima difficultas. Numquam iuſta videtur fuga:tum quia iuſtæ condemnationi parendum eſt:tum quia id voluiſſe videtur lex proxima poſtremæ.ff.de cuſtodia,& exhibitione reorum,& lex.1.de effract.nam fugientes puniunt.

Reſpondeo, leges punire non quoſlibet fugientes,ſed qui effringendo carcere fugam parant. Rei autem,cùm damnantur ad vincula,non ita damnantur,vt ipſi ſibi ſint vincula:ſed,vt iniecta patiantur: quare cùm illa ſoluta erunt, fugiendi ius habent. Vide Sotum in 5.de iuſt.& iur.q. 6.art.4. & Caietanum in 2.2.q.69.artic.4. duo genera pœnarum diſtinguentem:alterum,earum quas ſubit reus,agente alio, ipſo tantùm patiente:alterum,illarũ,quas etiam agit,cùm eas ſoluit. Pœna carceris eſt primi generis.

Secunda difficultas. Quando carceris cuſtodi imminet graue aliquod damnum ex fuga reorum, licétne eis fugere? negat Maior in 4.diſt.15.q.22. Aiunt Caietanus & Sotus citatis locis ; quorum verior eſt ſententia.

Tertia. Fugientem inſequuntur ſatellites,debétne is ad carcerem redire,quãuis non eò peruenerit , quò properabat? Ait Maior. Miror huius Doctoris tam attenuatam in hac re fuiſſe religionem : ſi enim potuit reus relinquere carcerem, & in fugam ſe dare, cur non poterit fugam continuare, atque etiã propter inſequentes ſatellites,ad eam celeritatem addere?

Quarta. Vacarétne ſcelere eius fuga, quæ ſicariis, prædonibus,hæreticis,atque aliis publicis peſtibus , & peſtilentiſſimis hominibus, libertatem & impunitatem daret? non vacaret:nam id eſſet cauſſam communem publicæ quietis & religionis prodere.

11. Quinta. Non videtur ponendum in crimine,carcerem effringere, propter Caietani argumentationes.Primum,quia effractio ſimilis eſt fugæ,non autem pugnę, vel violentiæ, quæ magiſtratibus adhibetur. Deinde: quia, ſi quis damnatus eſſet ad feras,poſſet illas occidere. Poſtremò: quia,ſi funibus conſtrictus eſſet reus, poſſet illos rumpere,incidere,iiſque quoquo modo ſe expedire.

Reſpondeo,effractioni carceris quamuis non ſit ſimilitudo cum pugna, & certatione ; gerit ipſa tamen ſimilitudinem, & ſpeciem fugæ iniuſtæ, atque iniurioſæ, tum in magiſtratus , tum in communem ciuium, ſeu communitatis ſalutem. Et quamuis funes & compedes perrumpere poſſit reus,quia ſua ſunt,& priuata ergaſtula:carcerem tamen non poteſt,cùm ſit cuſtodia publica , & publicum frænum vitæ & publicæ tranquillitatis propugnaculum. Neque magiſtratus,aut leges,perinde ſanctas & inuiolatas, vel beſtias, vel funes, vel compedes habent reorum, vt publica ergaſtula, atque cuſtodias.Neque hæc noſtra reſponſio auctoritate , legis, ſuccurritur etiam,ff.ex quibus cauſſis maiores viginti quinque annis in integrum reſtituantur,labefactatur. Nam cùm his
verbis loquitur lex: etiam incluſos veluti »
latitantis vinctorum numero haberi pla- »
cet:quia nihil interſit,parietibus,an com- »

» pedibus teneatur: id tantùm ſignificat, ius reſtitutionis in integrum, non magis carcere quàm compedibus impediri: ſed in vtraque re par ius eſſe.

12. Sexta. Qui vinctus, innocens eſt, poſſitne is aut perfodere, aut perfringere carceris parietes, aut feras vectéſque reuellere? poſſet; niſi graue aliquod & ingens malum oriturum eſſet. Nam ſi poteſt inſons reſiſtere magiſtratui, eiúſque miniſtris, vt inquit D. Thomas, quantò magis ferris, cæmentis, aliíſque rebus inanimatis, quibus innocentis ſalus obſidetur & oppugnatur? cùm neque vmquã liceat perdere innocentem. Huius difficultatis explicatio propoſitionem lenit decimam.

Septima. Qui aut carcerem debilitat aut infringit, præſtaréne debet damnum? Reſpondeo, cùm id facit innocens, certum eſt nihil ab eo præſtandum eſſe: imò ei à magiſtratu præſtari damna deberent illius famæ, honori, vitæ & innocentiæ allata. Quid ſi nocens idem faceret? In propoſitionibus ſuperioribus ea de re dictum eſt.

Octaua. Quod de fuga eius dicitur, qui capitis damnatus aſſeruatur in carcere, idem ne valere debet in eo, cui eſſet membrum aliquod amputandum? Grauibus Doctoribus placet, idem valere debere: quandoquidem æquale ius eſt animo in retinenda ſui corporis vita, atque in conſeruanda integritate membrorum: cùm & vita corporis, & membrorum incolumitas ad naturalem perfectionem animæ, vt eſt forma corporis, pertinere videatur: quam ipſe ſententiam libens amplector.

QVÆSTIO XVI.

1. AB ſacratum confeſſionum arbitris rogatus ſum quàm ſæpiſſime; quænam in foro conſcientiæ, & DEI, iniungenda forent iis qui cum virginibus ſtuprum faciunt.

Locus magnus, & ad prolapſionẽ valde procliuis: quam prolapſionem vt vitemus ipſi, noſtram reſponſionem enunciatis nonnullis fulciemus: ſed ante enunciationes irrogationem mulctæ in ſtupratores, ex lege Diuina, ex Eccleſiaſtica, & Ciuili, breuiter indicemus. DEVS igitur, in lege vetere, virginem ſtuprâti Iudæo hãc mulctam dixit: Vt, ſi quis virginem nondum deſponſam ſeduxiſſet, cúmque ea dormiſſet, dotaret, vxorémque haberet: quòd ſi pater virginis illi dare recuſaret, doti pecuniam diceret, quam accipere virgines conſueſſent. Hæc in Exodo, cap. 22. Deuteronomij autem lex, cap. 22. loquitur his verbis: Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum; & apprehendens concubuerit cum illa; & res ad iudicium venerit, dabit, qui dormiuit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti; & habebit eam vxorem: quia humiliauit illam: non poterit dimittere illam cunctis diebus vitæ ſuæ.

Contra hoc ipſum genus hominum flagitioſo ſtupro virgines polluentium, duplex lex Eccleſiaſtica extat. Prima ſumpta eſt ex illo 22. cap. Exodi, iiſdémque verbis renouata. Secunda eſt Gregorij IX. quæ iubet, ſtupratorem, virum ſtupratæ eſſe debere: ſi noluerit, multatum corpore in monaſterium cõtrudi ad pœnam luendam. Vtraque lex habetur in primis duobus capitibus de adulteriis & ſtupro. Pœnæ ciuiles elici à Doctoribus ſolent, ex inſtit. de public. iudiciis: vt relegetur, qui conſtuprauit: dimidiáque pars bonorum eius publicetur; quòd ſi vilis perſona ſit, verberetur: ſi verò per vim fecerit, capitis condemnetur.

Nunc enunciationibus rem breuiter transfigamus. 2.

Prima enunciatio. Leges allatæ ex codice veteris Teſtamenti, quamuis diuinæ ſint, tamen Iudæis datæ dumtaxat fuerint, eóque tempore, quo viguerunt, illa tantùm natio iis tenebatur: nunc verò, cùm liberatoris & legiſlatoris noſtri DOMINI IESV ſanguine deletæ ſint, robur omne

amiſe

Digitized by Google

amiſerunt: quamuis cùm iudiciales fuerint, poſſint alicuius legitimi Principis auctoritate reuiuiſcere. Itaque earum in foro conſcientiæ minimè habenda ratio eſt.

Dices: imò verò habenda eſt. Propterea quòd à Principibus Theologis vſurpantur, cùm de ratione, quemadmodum ab Auctore ſtupri ſatisfieri oporteat, diſſerunt. Conſule D. Thomam, in 2.2.q.154. art.6.ad 3.& in 4.ſent.diſt.15.q.3. Scotum & Richardum, in eamd.diſt.artic.5.q.2.& Alexandrum Halenſem in 4.par.qu.148. memb.4. Gabriel in 4.diſt.15.q.17. in extremo recenſet eas leges, tanquam conſcientiam in foro DEI vincientes: & Paludanus in eamd.diſt.q.2.art.2.concluſ.2. legem Exodi etiam moralem fuiſſe iudicat, quæ renouata eſt ab Eccleſia in c.1.de adult.

Reſpondeo; tantos Doctores earum legum cōmemoratione hoc tantùm docere voluiſſe, virginum conſtupratoribus ſatisfaciendi onus iniunctum eſſe: quamuis ex præſcriptione illarum legum facere id minimè cogantur.

3. Secunda enunciatio. Sanctiones illæ duæ recitatæ ex lib. 5. Decretalium, de adulteriis, & ſtupro, in iudicio Eccleſiæ, quod publicum eſt, ſeruari debent in foro & iudicio conſcientiæ non item: ſi damnum allatum virgini farciri alia ratione queat. Huic enunciationi communis ſententia Doctorum ſuffragatur. S. Antonini, in 2.par.tit.5.c.6.§.1. Roſellæ, in verbo, Adulterium, §.11. Syluestri, in verbo, Luxuria, q.5. Tabienſis, in verbo, Reſtitutio, §.23. Couarruuiæ, in releɛt. reg. peccatum, par.2. §.3. num.7. qui citat ſe ipſum in Epitomen, ad 4.lib. Decretal.2. par.c.6. & §.8.num.11. Angeli, in verbo, Stuprum, §.2. nec enim diſſentit ab aliis, quamuis ſecus ei imponat Syluester, Angelo penè ſemper offenſus. Nauarri, in Summa, cap.16.num.17.

Tertium enunciatum. Qui pactione futurarum nuptiarum pudicitiam virgini eripit, eámque in fraudem inducit: eamdem in matrimonio habebit: niſi ſi tam diſtans ſit eorum conditio, vt facilè intelligeret, aut intelligere deberet, ſibi verba dari: ſiquidem paria ſunt, ſcire, vel debere ſcire, vt probat Nauarrus, in Summa, cap. 16. num. 18. hac de re loquens; citátque legem, quod re.ff.de reb.cred. Hoc tertium enunciatum eſt D. Thomæ in 4.diſt. 28.qu. 1.artic.2. ad 4. cuius adſtipulatores ſunt D. Anton. in 2.par. tit.5. c.6. §.1. Nauarrus, in Summa, cap.16. nu.18. Armilla, in verbo, Reſtitutio, num.23. Tabiena, in verbo, Reſtitutio, §.23. Angelus, in verbo, Stuprum, num.1.

Sed quia promiſſio futuri connubij vim habet importunarum precum, vt rectè admonet Nauarrus: idirco eiuſmodi ſtipulanti enitendum erit: vt famæ, & conditioni violatæ puellæ, proſpiciat. Sic enim D. Anton. in 2.par. titu.5. cap.6. §.1. loquitur. Si promiſiſſet eam ducere, vt copulam ab ea extorqueret, ſeruet promiſſum; & multò magis iuramento firmatum; & hoc niſi nimis diſtans eſſet eorum cōditio: puta, mulier plebeia; vir, nobilis & potens. Non enim mulier præſumitur fraudem ignoraſſe: vel etiam, ſi aliquod magnum ſcandalum inde creditur prouenturum; & tunc petat remiſſionem promiſſi: & aliter ſatisfaciat ſecundùm ſuam facultatem, & mulieris indigētiam. 4.

Quam ſententiam, appellato auctore Syluester exſcripſit in ſua Summa, in verbo, Luxuria, qu.5. Angelus, in verbo, Stuprum, putat eiuſmodi ſtupratori omnino ducendam eſſe virginem, ſi pater dare voluerit, nec antè poſſe abſolui, eidémque impartiri dotem, niſi ipſa remiſerit: excipe, ſi eadem fraudis ignara non fuit, & deceptionis ſigna animaduertit: tūc enim, vt ait Armilla, in verbo, Reſtitutio, §.23. nec ducendæ, nec dotandæ eſt lex ſtupratori impoſita: de quo nō diſſentiunt multi alij: probántque ſententiam D. Antonini: Nauarrus ſic exiſtimauit de eo, qui promiſit, & quominus ducat, excuſatione tueri ſe poteſt: quam D. Thom. & alij excogitarunt. Iudicio noſtro non obligatur ad amplius, verba ſunt Nauarri, quàm ad dandum

„ dandum ei tantum, quantum magis opus
„ habet ad talem adipiſcendum maritum,
„ qualem, ſi non eſſet infamata, adipiſcere-
„ tur: vel ad reponendam eam in aliquo
„ ſtatu honeſto, in quo Dei obſequio vi-
„ uat; ſecundùm S. Anton. vbi ſuprà ab aliis
„ probatum: ad alterum tamen horum te-
„ neretur: quia licèt non præſumatur decepta
„ ad effectum ducendi eam: tamen tenebi-
„ tur ad ſarciendum damnũ: eo quòd pro-
„ miſſio ducendi, vim habet ſaltem precum
„ importunarum.

5. Idem dicendum in eo caſu, quo promiſſio fuit vera, & ex animo facta: ſed eſſet probabile, quòd ex matrimonio eam conſecuturo, grande aliquod ſcandalum naſceretur, vt in eo qui promittit; & eſt ſacris initiatus, aut aliam habet vxorem: aut pater renuit omnino illam ei tradere.
„ Medina, lib. 1. inſtruct. confeſſ. c. 14. §. 30.
„ vult ab eo, qui promiſit ſe ducturum vir-
„ ginem, duci debere: &, ſi patri puellæ ſecus
„ videatur, alio modo ſatisfieri oportere.

„ Quartum enunciatum. Qui dolo aut mendacio, aut falſis pollicitationibus, aut importunis precibus in ſtuprum illexit virginem; illamque ſcelerate decepit, in foro conſcientiæ ſatisfaciat, arbitrio boni viri, aut cum ea componat. Hoc ſentit D. Anton. in 2. par. titu. 5. cap. 6. §. 1. cui aſſentiuntur Roſella, in verbo, Adulterium, §. 11. Tabienſis, in verbo, Reſtitutio, §. 23. Syluest. in verbo, Luxuria, q. 5. Nauarrus in Summa, cap. 16. num. 17.

Quintum enunciatũ. Si nulla vi, nulla fraude adhibita, ſponte ſtupratori obſequitur virgo, nihil ei ab ſtupratore in conſcientiæ iudicio præſtari oportebit, ex illa
» regula iuris, Scienti & conſentienti non
» fit iniuria.

Confirmant propoſitionem hanc hi omnes conſcientiæ magiſtri. D. Anton. in 2. pat. tit. 5. c. 6. §. 1. Sylueſter, in verbo, Luxuria, qu. 5. Tabiena, in verbo, Reſtitutio, §. 23. Roſella, in verbo, Adulterium, §. 11. Nauarrus, in Summa, cap. 16. num. 16. Sotus, lib. 4. de iuſtit. & iur. q. 7. art. 1. Neque hi, vno excepto D. Anton. quòd meminiſſe poſſim, mentionem faciunt patris virginis; qui diuus Antoninus putat placandum eſſe patrem.

Contradicit huic enunciato Bartholomæus Medina, lib. 1. inſtruct. confeſſ. c. 14. §. 30. vult enim, cum puella, quamuis conſentiente, debere ſtupratorē nuptias coniungere, dummodò cōditione exæquentur; aut eamdem in matrimonium collocare. Ac licèt ſit in alterius matrimonio, opus eſſe nihilominus, violatæ virgini ſatisfacere. Verùm fruſtra vnius conatus contra tot tantóſque viros. Angelus, in verbo, Stuprum, in calce, ſcripſit, ſatis eſſe illam in bonum ſtatum, vt eius verbis vtar, reducere.

Mihi S. Antonini monitum de virginis 6.
patre recolligendo, & Angeli, de illa bono ſtatu locanda, perplacet. Nam & ſi ſtupratori id oneris iuſtitia non imponeret, nihilominus caritas, quæ mala alterius non contemnit, præſertim cùm ipſe eorum cauſſa fuerit, licèt aſſentiente ea, quæ damnum patitur, prorſus videtur imponere.

Sextum enunciatum. Mihi perquam probabilis opinio Caietani videtur, quãuis voluntate filiæ & patris, ſtuprum fiat, peccatum nihilominus peccari iniuſtitiæ, ab illo qui facit; cùm nec virgo domina ſit ſignaculi virginalis, quo amiſſo inhabilis redditur ad matrimonium; nec pater cuſtodiam deſerere poſſit eiuſdem ſignaculi.

Nec magis Caietanus vult, virginem virginalis ſigilli eſſe dominã, quàm oculi, manus, pedis, quem ſi præcidat, per iniuriam faciat. Caietani doctrinam probat, & ſequitur Bart. Med. eod. lib. & cap. quod indicauimus: eamdē improbat quaſi ſtomachans, Sotus, in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. ar. 4. vbi ſtatuit, ſtuprum, ſpeciem eſſe luxuriæ, & peccatum luxuriæ non iniuſtitiæ; nec minùs eſſe dominam virginem membri ad generationem comparati, quàm oculi ad videndum.

Sed nihil erat, quòd Caietani dicta ſtomachoſa Soto viderentur: eorum, quæ

adfert

Digitized by Google

adfert ipſe contra Caietanum, nihil probant. Quis enim neget, adulterium peccatum eſſe contra iuſtitiam, quamuis ſit etiam contra temperantiam? Quæres, cui ergo fit iniuria? eſto: non fiat virgini: non fiat eius patri: fit tamen toti humano generi; toti ſpeciei, toti Reipub. toti ciuium ſocietati; quæ legitimis connubiis conſeruatur & augetur; & patrimonia & hereditates legitimis heredibus tranſmittuntur. At legitima connubia, mirè impediri virginum conſtupratione, eſt quàm notiſſimum. Itaque, vt lex, & poteſtas publica, veniam det ſtupratæ virgini, ſtupratori tamen non ignoſcit, non ſolùm priuatam virginis, quam non credit vmquam ſponte aſſentiri ſtupro, ſed ſuam etiam publicam vlciſcens iniuriam.

Neque verò ob eiuſmodi iniuriam publico bono allatam, puto ſatisfieri debere à ſtupratore; pariter enim ſtuprata ſatisfacere deberet. Præterea nec adulter, nec adultera pro adulterio ſatisfaciunt occulto; quamuis contra ius legitimi viri agant. Neque, qui manus ſibi amputauit, in foro conſcientiæ cogitur ſatisfacere.

7. Septimum enunciatum. Quamuis fœminei membri integritas aut caſu, aut arte violetur, aut ipſa ſe voluntariè polluat, amittátque virginitatem, quæ virtus eſt; eſt nihilominus ſtuprũ cum ea extra matrimonium coitus, vt probat Caietanus in 2.2.q.154. artic.6. Vnde ſextum etiam enunciatum deprompſimus.

Octauum enunciatum. Qui dolo, fraude, importunis precibus comparatis, rem cum muliere habet corrupta, quæ pro incorrupta habebatur, ſi eius lædit famam, in foro conſcientiæ, quamquam ob violatam pudicitiam non teneatur, tenetur tamen ob famam ereptam corruptę ſatisfacere: vt rectè Nauarrus, in ſua Summa, cap.16.num.19. qui eiuſdem ſententiæ patronum citat & ſequitur Maiorem, in 3. ſent.diſt.37.q.33.

8. Verumenim in huius quæſtionis extremo diluendum eſt vnum, quod nobis ex quæſt. noſtra de iureiurando doloſo obiici poterat. In ea namque diſputatione, ex multorum & magnorum, & veterum Theologorum ſententiis, docuimus, ex eo iureiurando, cui non adeſt animus præſtandi quod promittitur, non exiſtere obligationem efficiendi promiſſi: ergo, qui mendaci promiſſione aut connubij, aut pecuniæ, aut aliarum rerum ſtupri conſuetudinẽ elicit ex virgine, exſoluendi promiſſi neceſſario iure minimè tenebitur. Nodi ſolutio è poſtrema parte illius quæſtionis petenda eſt. Nam, vt demus ex ſtipulatione non debere; certè actione iniuriarum, doli & damnorum, in quæ coniicitur virgo, debet auctoritate Dei, & Eccleſiæ, & Doctorum, & perſpicua ratione id decernente. Quin imò eiuſmodi impendere poſſet periculum corruptæ & deceptæ virgini aut proſtituendæ pudicitiæ, aut vitæ, aut æternæ ſalutis amittẽdæ, vt ſtuprator, in foro Dei & conſcientiæ, omnino cogẽdus eſſet cum virgine inire connubium: cùm hac vna ratione illius exitio ſubueniri poſſet, impelleretúrque in eam neceſſitatem tunc ſtuprator, non modò caritate, ſed etiam cogente iuſtitia.

QVÆSTIO XVII.

PVer quattuor annos natus, à flagitioſa muliere, ad impuram corporum commiſtionem eruditus ac laceſſitus, eam agnoſcit. 1.

Alter puer, vndecimum annum agens, cum alio puero nefarium commercium habet.

Conſulens ſcire auebat, an ambo hi pueri virginitatem amiſiſſent.

De puero quattuor annorum, reſpondi, in eo virginitatem minimè violatam eſſe, ſiue huius virtutis materiam, ſiue formam ſpectes. Materia namque virginitati ſubiecta, vt docet D.Thom. in 2.2.qu. 152. art.3. eſt immunitas venereæ voluptatis, & integritas carnis abſque omni experimẽto venereorum: materiam verò virginitatis tollit reſolutio ſeminis, ſenſibilem ef-

ficiens delectationem, vt ſentit, & loquitur idem S. Doctor in illa q. art. 1. in reſp. ad 3. Eadem hæc habes in 4. ſent. diſt. 33. q. 2. art. 1. atqui in puero quattuor annorum ſeminis reſolutio locum non habet. Forma verò virginitatis in eo ſita eſt, vt numquam deliberatè velit voluptatem experiri veneream, ex eod. D. Thom. neque puer ille ſuſcipere contrariam voluntatem cum conſilio potuit: quia eſt expers omnino conſilij, & rationis.

Potuit igitur puer vndecim annorum id, quod pro forma eſt in virginitate, perdere: & eum perdidiſſe mihi eſt perquam credibile: nam, ſi peccauit, ſine dubio perdidit: peccaſſe verò id ætatis eum pluſquā veriſimile eſt, niſi fuerit inſanus. Quamquam amiſſam ſuam virginitatem puer vndecim annorum pœnitentiæ ſubſidio referre poteſt: nam in illa facinoroſa libidine non fuiſſe aliquam ſeminis deciſionem credimus: ſi enim ea extitiſſet, nulla pœnitentia amiſſa virginitas reuocari poſſet.

Et quoniam caſtarum mentium ac virginitatem colentium votis ſatisfaciēdum eſt; quæ in hoc genere, quemadmodum, & quāta cum iactura peccetur, noſſe diſcupiunt: idcirco noſtrum hoc reſponſum quantumcunque eſt, inſigniorum magiſtrorum doctrina atque ſententia augeamus.

2. Vt igitur è nitidiſſimis D. Thomæ fontibus hauriamus; is in 2. 2. q. 152. art. 1. verbis Ambroſij, in lib. de virginitate, hoc pacto virginitatem definiuit. *Caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas.* At D. Auguſtinus in lib. de nuptiis, & concupiſcentia, cap. 8. *Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Placet autem Angelico Doctori, carnis integritatē, ſiue inſtrumentorū virginitatis, eſſe quoddam accidens huic virtuti minimè neceſſarium. Quare ſi inſtrumentorum, quæ ad procreandum comparata ſunt à natura, ſine culpa violetur integritas, nihil plus de virginitate detrahi, quàm ſi pes, vel manus, verba ſunt D. Thomæ, corrumperetur. Et in 4. ſent. diſt. 33. q. 2. art. 1. Si per aliquam inciſionē clauſtra pudoris rumpantur, non maius detrimentum virginitati inerit, quàm ſi pes, aut manus gladio incideretur.

Cùm autem virginitatem corrumpentia tria ſint, ſeminis detractio, voluptas, & animus illius impuræ voluptatis deguſtandæ: duo priora opponuntur materiæ virginitatis, quorum primum eſt corporis; ſecundum, corporis & animæ; tertium verò repugnat formæ, in ſolo animo reſidens.

Quia igitur, inquit D. Thom. virginitas 3. dicitur per remotionem prædictæ corruptionis, conſequens eſt, quòd integritas membri corporalis per accidens ſe habeat ad virginitatem: ipſa autem immunitas à delectatione, quæ conſiſtit in ſeminis reſolutione, ſe habeat materialiter: ipſum autem propoſitum perpetuò abſtinendi à tali delectatione, ſe habet formaliter & completiuè in virginitate. Et in eod. art. 1. ad 4. pollutio eſt tantùm, quæ eſt ex impudicitia: & ex propoſito vult tolli virginitatem. Et in art. 3. ad 3. ſcribit, quum materialiter & formaliter perit virginitas, in forma quidem propter pœnitentiam reſireſcere poſſe, in materia non poſſe. Veluti prodigus, qui ſua omnia bona obligurijt, atque conſumpſit, quamuis liberalitatis habitum recuperare poſſit, conſumpta tamen bona non poteſt. Non enim (ſimile eſt, & ratio D. Thom.) ſi quis magnificus conſumpſerit diuitias ſuas, per pœnitentiam reſtituentur ei diuitiæ.

In 4. autem ſentent. diſt. 33. q. 2. art. 1. ad 5. non credit interire virginitatem poſſe, quod ad materiale attinet, ſine ſeminis reſolutione: in qua completa, inquit, conſiſtit Veneris voluptas. Quòd ſi quouis alio modo concidat, pœnitentia iterum excitari poſſe: in quo multos comites habet D. Thomas, vt Angelum, Syluestrum, Ioannem Tabiēſem, Caietanum, in Mart. illius, q. 152. 2. 2. qui pro opinione D. Thomæ contra Martinum quemdam acriter decer

decertans, hiſce animaduerſionibus defenſionem inſtruxit. Prima animaduerſio. Dupliciter virginitas conſiderari poteſt: vno modo, naturaliter; altero, moraliter. Primo modo conſiſtit in membrorum integritate. Secundus modus, bipartitò diuiditur: nam partim pro quodam hominum ſtatu, partim pro virtute ſumitur. Virginitas, vt eſt ſtatus, duas, inquit ille, conditiones requirit: prima eſt, quòd non ſit polluta voluntariè: ſecunda, quòd ſit in propoſito ſic ſe ſeruandi, niſi matrimonio iungatur. Et hoc modo puellæ nubiles caſtæ dicuntur virgines. Virginitas, prout eſt ſpecialis virtus, addit ſupra virginitatis ſtatum perpetuitatem voto firmatã. Hæc Caietanus.

Verùm Syluecter, propriam quamdam eſſe virtutem, ſine voto, probat, quod ante Syluestrum ſcripſit D. Thom. in 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. ad 4.

Secunda Caietani animaduerſio. Virgo quæ diu, inquit, manſit in concubitu, & non ſeminauit, perdidit virginitatem, ſed non conſummatè.

In tertio dub. in reſp. ad 2. argument. tertia animaduerſio. Quamuis accidere poſſit, vt quis in eiectione ſeminis, dolore, non voluptate aliqua afficiatur, vt argumentabatur Martinus; quem virginitate priuari dubium nõ eſt: non iccirco doctrina D. Thom. accuſanda eſt; quæ, cùm moralis ſit, de iis eſt, quæ plerumque accidunt.

Quarta animaduerſio. Licèt, nec mas, nec fœmina ante pubertatis annos gignere queant: mulier tamen, quia emittendo ſemine ante pubertatem corrũpi poteſt, quod etiam de puella ſexennni vſu doctæ mulieres affirmant, ideo antè mulieres, quàm homines, amittere poſſunt virginitatem.

5. Quinta animaduerſio. Puer, à quo ſemen effundi non poteſt, quia eius elaborandi nondum eſt facultatem adeptus, quamuis ad illius effuſionem nitatur, & venereis actibus det operam, non ita virginitatem amittit vt reuocare non poſſit: quod ipſum communis approbat ſententia Doctorũ, & Toſtatus, in cap. 25. Matth. quæſt. 82. qui tamẽ illud de muliere actui apta venereo aſſeuerauit, qu. 79. in idem cap. eius virginitatem auolaſſe, vt numquam reditura ſit: ſi voluit cognoſci, & viri congreſſum experiri: quamuis in congreſſu non fuerit in matricem ſemen effuſum. Ac licèt, vt dictum eſt, communis habeat opinio, pueros obſcœnis deditos voluptatibus, ſi nondum poſſint ſemen emittere, non ita amittere virginitatem, quin recuperare poſſint, non deſunt tamen graues Doctores, qui ſecus & crediderint & ſcripſerint: in quibus eſt Vlricus, à Syluestro citatus, in verbo, Virginitas, num. 3. quem ipſum citat etiam, & ſequitur Roſella, in verbo, Virginitas, num. 3. idem Abulenſis affirmat, in Matth. cap. 25. q. 82. quemlibet enim libidinoſum calorem, quo ratio opprimitur, quamuis nulla conſequatur pollutio, vult virginitatis extinctorem eſſe; vt illa numquam refloreſcere poſſit.

Diuus Antoninus in 3. par. tit. 2. c. 1. §. 9. qui paragraphus eſt de voluntaria & irrecuperabili amiſſione virginitatis, verbis, & ſententiis vtens Paludani, qui ea de re differit, in 4. ſent. diſt. 33. tribus modis oſtendit, quampiam mulierem mente & corpore corruptam, virginitate nudari.

Primus modus, inquit, eſt, cùm frangũtur vaſa voluntariè, quamuis nec ſeminet, nec ſemen recipiat.

Secundus, per ſeminis virilis ſuſceptionem; quamuis clauſtra pudoris non violarentur: hac enim ratione prægnans poſſet euadere: prægnantem autem addit ille per naturam nemo diceret virginem: præterquam quòd nonnullæ mulieres concipiunt, cùm nullum ipſæ ſemen emittant, vt probat Ariſtoteles, in 1. lib. de generat. animal. cap. 20. & in 2. cap. 4. in quo cap. teſtis eſt nonnullas concipere mulieres abſque voluptatis ſenſu.

Tertius modus eſt, ſi ex vehementia 6.
ardoris, inquit D. Antonin. ſine fractione clauſtri ipſa ſeminet: puta voluntariè co-

» gitans de commiſtione turpi,& huiuſmo-
» di,abſque commiſtione cum aliis.Et talis,
» quæ corrumpit ſe ipſam voluntariè, ait
» idem D.Anton.vel ab alia muliere vo-
» luntariè corrupta, non debet inter virgi-
» nes conſecrari,etiam ad tollendum ſcan-
» dalum: quia non eſt virgo,vt habetur in
» 2.par.cap.de ſcandalo. Hæc ille.

Verùm in hac parte, quæ pertinet ad conſecrationem virginum,diſſentit à ſancto Antonino Caietanus, in Summa, in verbo,Conſecratio virginum:putat enim, virginem conſecrari poſſe, quæ ſtatus virginitatem habet:quamuis ea careat, quæ virtus eſt. Sed quod ait D.Anton. & plurium eſt Auctorum,& verius.

Itaque quod ad puerum attinet vndecim annorum,ſi in ea præpoſtera libidine, qua inficiebatur, in eo calor libidinoſus, turbulentus ac ſordidus,tenebras rationi offundēs,excitatus eſt,credibile eſt,amiſiſſe virginitatem ſine vlla ſpe eius recuperandæ.Namque virginitatem tolli ſine vlla ſeminis emiſſione, in ea perſona,quæ illam amittit,multa perſuadent.

Primùm,quia teſtantur mulieres nonnullæ, ſe concepiſſe viri tantùm ſemen complexas,nullum ſuum fundentes: nullum inquam nec intra,nec extra vterum. Deinde: quia apertè ſcribit Ariſtoteles quoddam genus eſſe mulierum,quæ nullum ſemen emittunt, quæ tamen concipiunt & pariunt. quis autem dixerit virgines eas, quæ ex concubitu viri concipiunt & pariunt?

Poſtremò ſequeretur, Eunuchos, qui in obſcœnis cōplexibus, & venereis corporum coniunctionibus, voluptate inſaniunt, corpore virgines eſſe; quod nemo debet affirmare.

Neque neceſſe eſſe emitti ſemen cum ſenſu voluptatis ad amittendam virginitatem,credent ij, qui non ignorant, pleroſque cum acri doloris morſu pollui homines, ſeménque proiicere.

* *
*

QVÆSTIO XVIII.

SVperior quæſtio hanc item adducit, 1.
quæ à ſacerdote ſene mihi propoſita
fuit. Quodnam pollutionis genus virginitatem deleret.

Reſpondi, ex ſententia D.Thomæ, ea tantùm pollutione, quæ ex impudicitia oritur, virginitatem exterminari.Sic enim
D.Thomas in 2.2.q.152.art.1. ad 4. Dele- »
ctatio,quæ eſt ex ſeminis reſolutione,du- »
pliciter poteſt contingere : vno modo, vt »
procedat ex mentis propoſito:& ſic tollit »
virginitatem;ſiue fiat per concubitum,ſi- »
ue abſque concubitu. Facit autem men- »
tionem Auguſtinus de concubitu: quia »
huiuſmodi reſolutio communiter & na- »
turaliter ex concubitu cauſſatur.Alio mo- »
do, poteſt prouenire præter propoſitum »
mentis vel in dormiendo,vel per violen- »
tiam illatam, cui mens non conſentit; »
quamuis caro delectationem experiatur: »
vel etiam, ex infirmitate naturæ, vt pa- »
tet in his qui fluxum ſeminis patiuntur: »
& ſic non perditur virginitas: quia talis »
pollutio non accidit per impudicitiam, »
quam virginitas excludit. »

Et quoniā virginitas, ex Auguſtini ſen- 2.
tentia,quæ communior eſt, & quā tuetur D.Th.virtus eſt, quod ſcripto teſtatus eſt S.Anton.in 3. par. tit.2.c.1.§.10. eiúſq; eſſentia in anima domicilium habet, vt affirmat D.Thom.in 2.2.quæſt.152.art.1. ad 2. ideo abſque improba animi electione exturbari ſua ſede non poteſt. Igitur ea tantùm pollutio illam perimet, quæ eſt cum crimine letali coniuncta, id eſt, vt interpretatur Syluester, in Summa, verbo, Pollutio,quæ vel procuratur,vel placet ad voluptatem.

Vnde patet,inquit ille, quòd compla- »
centia pollutionis in ſomnis propter alle- »
uiationem naturæ,aut mitigationem car- »
nalium motuum,ſine procuratione, non »
eſt peccatum; ſed operari directè vt eue- »
niat,puta comedendo calida, tali fine, eſt »
mortale; ſecus ſi non intenditur; ſed ſi »
quid

Digitized by Google

quid tale fiat propter guloſitatem, aut aliam cauſſam, cum dubio tamen ſecuturæ pollutionis: quia eſſet veniale ſolùm. In vigilia autem aliquando eſt ſine peccato, vt in patientibus fluxum ſeminis; aliquando cum veniali; vt quando præter voluntatem euenit, etiamſi procedat ex aliquo peccato veniali, puta cogitatione non moroſa; aliquando cum mortali, vt quando procuratur, aut venit peccato mortali actualiter illi coniuncto, aut deliberatè ex voluntate placet.

3. Verumenim Caietanus, de pollutione ſententiam exponens ſapientiorem, & graui Magiſtro, & Theologo dignam, in tractatu de pollutione, docet, quando pollutio non eſt ipſa per ſe expetita, ſed, vt is loquitur, in cauſſà dumtaxat volita, talem eſſe, qualis eſt cauſſa, quam volumus: vt interdum, qui illam patitur, apud Deum mereatur; nonnumquam reus ſit, leuis; quandoque, mortiferæ culpæ; & aliàs in ea nulla ſit culpa, nullúmque meritum; qualis ea eſt quæ dormientibus ſine vlla culpa eorum, quæ antegreſſa ſit, accidere ſolet.

Atque ex his, quę adhuc expoſita ſunt, nonnulla exiſtunt paradoxa: de quibus D. Anton. in 3. part. tit. 2. cap. 1. §. 10. In quibus paradoxis illud eſt, quòd vir fieri poteſt pater, & femina mater, tum concipiens, tum pariens, virginitate non amiſſa, neque aureola, quæ virginitati debetur. Exempli gratia, ſi dæmō è viro, ſomno conſopito, qui ſit virgo, ſumeret ſemen; illúdque in matricem feminæ virginis coniiceret, ſiue dormientis, ſiue vigilantis; proles, quæ naſceretur, è patre matréque virgine ſuſcepta foret: tametſi carnis, ſeu vaſorum integritas læderetur in femina pariente: quæ tamen integritas eſt planè ad virginitatem extrinſecus affecta, ei nec veram materiam, nec formam præbens; vt teſtis eſt D. Thom. in 2. 2. q. 152. art. 1.

4. Addit tamen illic D. Antoninus (quod tenendum eſt) qui vxorem duceret virginem, quæ vi eſſet oppreſſa, nec vim inferenti, nec congreſſui eſſet aſſenſa, eum tamen futurum bigamum, & irregularem: quia verè carnem vnam in plures quamuis coacta diuiſit. Atque hæc ipſa, ſi ſe in ſacrarum Virginum domicilium reciperet, virgineúmque velum poſceret, recipere illud iure non poſſe: ſiue quia non poteſt exploratum eſſe Eccleſiæ, num ea, cùm cognoſceretur, animo obnixa ſit, 32. quæſt. v. ille, ſiue quia non gerit ſignum integritatis Eccleſiæ, quæ Chriſti eſt ſponſa incorrupta. Illud quoque in eo §. 10. prodidit D. Antoninus, in Martiniana extare hiſtoria, Merlinum filium fuiſſe diaboli, moniali prognatum, à dæmone, incubi priùs, poſtea ſuccubi, partibus ſuſceptis: nam ſuccubuit viro, cui ſemen ſubtraxit: mulieri deinde incubuit; in cuius vterum ſemen virile iecit. Itaque non verè diaboli Merlinus filius exiſtimandus eſt, ſed eius viri, è cuius eſt ſemine procreatus.

Tollendæ nunc ſunt aliquot dubitationes. Mulier aut ſomno conſopita, aut vino obruta, ſi ab quopiam viro cognoſcatur, amittítne virginitatem? 5.

Reſpondeo. Si nō eo conſilio cubitum diſceſſit, aut vino ſibi mentem eripuit, vt cognoſceretur, non amittit. Ita D. Thom. in 4. diſt. 33. quæſt. 2. art. 1. ad 6. & Abul. in cap. 25. Matth. quæſt. 76. & Angelus & Syluester: éſtque ſententia communis. Si quis, priùs quàm ad quietem proficiſcatur, alicuius obſcœni flagitij cupiditate animum commaculauit, atque in ſomno pollutus eſt, deſinit ne eſſe virgo? non deſinere multis rationibus pugnat. Toſtatus in Matth. cap. 25. q. 74. Quis vigilās optat nocturnam pollutionem: hanc dormiens patitur: eſt ne ei adempta virginitas? negat Abulenſis in idem cap. Matth. q. 75.

Nec ſecus opinati videntur eſſe Angelus & Syluester, in ſuis Summis, in verbo, Virginitas: qui etiam illud ſcribunt, ob pollutionem, quæ noctu accidere ſolet, non amitti virginitatem, etiamſi aut antequam contingeret, aut poſtquam contigit, probata eſt; aut etiam aliqua cauſſa

non ſine culpa antegreſſa eſt. Hanc tamẽ
additionem Vlricus, & ſumma confeſſo-
rum, quos in verbo, Virginitas, quæſt. 4.
citat Syluester, improbant. Verùm, quod
aiunt Angelus & Syluester, verius eſt,
certioribúſque rationibus concluſum.

QVÆSTIO XIX.

1. ADoleſcens femina futuras nuptias
parentibus non diſſenrientibus iu-
ueni pollicetur: illáque ad cõnubij ſpon-
ſionem ſtupri etiam conſuetudinem ad-
iunxit.

Quæſitũ eſt; num hæc mulier in con-
tubernium ſacrarum Virginum conferre
ſe poſſit, illícque virginale velũ accipere.

Reſpondi, excepro virginum velo, re-
liqua omnia ius fore mulieri ſumere. Pa-
ludanus, in 4. diſt. 33. quæſt. 4. art. 3. concl.
2. quem D. Anton. in 3. par. tit. 2. cap. 2. §. 2.
& reliqui Summarum ſcriprores ſequun-
tur, quinque iure canonum vela eſſe ſcri-
bit, quæ monialibus rradi conſuerunt.

Primum Velum eſt profeſſionis. Se-
cundum, Virginalis conſecrationis; quod
dari ſoler annos viginti quinqne natæ,
20. quæſt. 1. placuit. Tertium, dicitur ve-
lum ordinarionis: quo poteſtas rraditur
antiphonas inchoandi in choro, atque
homilias pronunriandi. Ac vt D. Anton.
ait eodem tempore eſt ſolitum dari, quo
virginalis conſecrarionis. Quartum, eſt
prælationis; quod olim ætatem exigebat
ſexaginta annorum; tempore Paludani
triginta: nunc autem ex decreto Concil.
Tridentini, ſeſſ. 25. cap. 7. de regular. qua-
" draginta, ſic enim Concilium. Abbatiſſa,
" & Prioriſſa, & quocumque alio nomine
" præfecta, vel præpoſita appelletur, eliga-
" tur non minor annis quadraginta; & quæ
" octo annis poſt expreſſam profeſſionem
" laudabiliter vixerit: cogente tamen ne-
ceſſitate poteſt is, qui electioni præeſt,
deligere quæ annum trigeſimum com-
pleuerit: ídque eodem Concilio largien-
te. Quintum, velum eſt continentiæ, &
obſeruantiæ: quod traditur viduis.

Omnia hæc vela nigro ſunt colore.
Nonnulli ſextum nouitiarum addunt ve-
lum, quod album eſt.

Ergo huic fœminæ vitiatæ poteſtas erit
ſumẽdi cetera vela, virginali omiſſo: quod
à Doctorum & canonum ſenſu, neque
virginibus, quæ per vim compreſſæ ſunt,
datur; ſic decernente, & ſcribente Leone,
in epiſtola 85. cap. 5. ad Africæ Epiſcopos.
Illæ autem famulæ DEI, verba ſunt Leo- "
nis, quæ integritatem pudoris oppreſſio- "
ne barbarica perdidere, laudabiliores "
erunt in humilitate ac verecundia ſua, ſi "
ſe incontaminatis non audeant compa- "
rare virginibus: & habentur hæc 32. q. 5. "
illæ. & in canone, acurius, qui eſt D. Au-
guſtini diſt. 26. eſt his verbis. Si Catechu- "
mena vitiata eſt, non poreſt poſt Bapti- "
ſmum inter DEI Virgines conſecrari. "

His conſentit D. Thomas, in 4. diſt. 38. 2.
quæſt. 1. arr. 5. ad vltimum argumentum:
qui nec ad remonendum ſcandalum vult
pro virgine eam conſecrari poſſe, quæ oc-
cultè corrupta fuir. Nullo, inquit, modo "
illæ, quæ ſunt corruptæ occulrè, ſiue à vi- "
ris, ſiue alio modo, ſunt velandæ. Idem "
Albert. idem Paludanus, in eamdem diſt.
38. q. 5. art. 3. concl. 7. idem D. Anton. in
3. part. tit. 2. cap. 2. §. 1. idem Turrecrema-
ta, in cap. acutius, diſt. 26. quæſtionis ſuæ,
art. 2. & in cap. illæ, 32. quæſt. 5. idem Syl-
ueſter, in verbo, Conſecratio, tit. 3. quæſt.
1. idem Angelus, in verbo, conſecratio
virginum. idem Tabiena, eod. rit. quæſt. 3.
idem Roſella, in verbo, eod. num. 1.

Armilla autem eod. tit. hanc excogita-
uir exceptionem. Eas virgines, quæ in vi-
gilia corruptæ ſunt, & corporis virginita-
tem retinuerunt, conſecrari poſſe, quia
Eccleſia non de occultis iudicat, ſed de
iis, quæ apparent: quam exceptionem di-
dicit à Caietano, in Summa, in verbo, Vir-
ginum conſecratio. Nam credidit, in iis,
quæ conſecrantur virginibus, ſatis eſſe
ſtatum virginiratis, quæ in inregritate
membrorum phyſica conſiſtit, non item
virtutem caſtitatis eam ad rem neceſſa-

riam

riam eſſe. Sententia hæc longè diſſidet à
„ verbis D. Thomæ, ſcribentis, quæ ſunt
„ corruptæ occultè, ſiue à viris, ſiue alio
„ modo,&c. ergo quamuis à ſe ipſis ſtupra-
tæ. Repugnat etiam D. Antonino, qui non concedit, vt, quæ virginitatem amiſerunt, eius recuperandę facultate erepta, velo virginali donari queant.

3. Quòd ſi externi ſigni cuſtodia eſſet ſatis ad conſecrationis virginalis velum capiendum, libidinoſiſſimæ mulieres, & omnium impuritatũ cœno oblitæ membrorum integritate ſeruata, conſecrari poſſunt: quod nemo ſanæ mentis dicere auderet. Quare prudenter Nauarrus ſententiam prorſus contrariam ſuadet, in Summa, cap.16. num.3.

Verùm in hoc genus, quo de agitur, incurrit nõ diſſimulanda difficultas: liceatne Epiſcopis conſecrantibus occulrè corrupras, virginitatis nomen caſtitatis vocabulo ſummutare. Diuus Thomas, in 4. indicato loco, dicit id licere Epiſcopis: & in Diuum Thomam cuncti Summarũ ſcriptores concedunt, vno excluſo Fumo, qui maluit Paludani obſcuriore, quàm Diui Thomæ clariore, igne lucere. Aduerſariam enim S. Thomæ, Paludanus his verbis opinionem perſuadere conatus eſt.
„ Quòd autem aliqui dicunt, quòd illa, quę
„ non ſunt de ſubſtantia virginalis veli, poſ-
„ ſunt variari propter vitandum ſcandalũ,
„ vt accenſio candelarum, & alia huiuſmo-
„ di, fiant mutatis occultè illis, quæ nõ ſunt
„ de ſubſtantia virginalis veli, puta quòd
„ nomen virginitatis in caſtitatem varietur,
„ non eſt verum, quia hoc eſt mentiri facto,
„ & ſi non verbo. Vnde ſicut bigamus non
„ debet ordinari nec mutatis nominibus,
„ nec aliter, quia deficit à ſignificatione Sa-
„ cramenti; ſic nec corrupta velari. Sed ve-
„ rum eſt quòd ſi Epiſcopus neſcit niſi in
„ confeſſione, nullo modo debet publicè
„ repellere: imò nec etiam ſi aliter ſcit eſſe
„ occultum: ipſa tamen ſibi conſcia de cor-
„ ruptione perfecta mortaliter peccat ſu-
„ ſcipiendo eam. Nihilominus tamen in opinione Diui Thomæ manendum cenſeo, quæ verior & æquior eſt; & multò plurium approbarorum auctoritate commendata. Argumentationem verò Paludani rectè diluit Syluester, in eo, quem ſuprà indicauimus, loco.

QVÆSTIO XX.

Quàm ſæpiſſime quæſtione hac petitus ſum, oſcula, tactiones, complexus, eſſent ne iis, qui coniugij vinculo ſoluti ſunt, crimini danda. 1.

Cui quæſtioni nec reſpondi vmquam, nec ſine diſtinctionibus cenſeo reſponderi poſſe.

Sit igitur prima diſtinctio. Tactus ſunt nonnulli, quibus palam, & priuatim, & peræquè, vtuntur omnes ſine vllo pudore ac verecundia, in quibus honeſta oſcula, & pudici complexus, & manuũ prehenſio decora numeratur. Atque hoc genus ſuapte natura, cùm turpitudinis nihil præ ſe gerat, omni vitio & culpa vacat. Quidam ſunt tactus pudendi, qui latebras, & teſtium abſentiam quærunt; quos caſti & pudici vitare ſolent: ex quo genere ſunt eorum membrorum tactus, quæ natura contexit; & ab reliquorum oculis remouit.

Secunda diſtinctio. Hæ partes occultiores noſtri corporis, in quibus poſt parentalem labem natura pudorem quemdam inſeuit, interdum ſine crimine attingi poſſunt; nonnumquam ſine flagitio tangi non poſſunt: ſine crimine, medendi cauſſa, aut alia quapiam impellente neceſſitate, tangi poſſunt à medicis, chirurgis, obſtetricibus. Cauſſa eiuſmodi ſublata, D. Anton. in 2. par. tit. 5. cap.1. §.9. Crimen contrahi credit æterna morte dignum, tum à tangentibus, tum ab iis, qui
tangi ſe ſponte ſiuunt: Permittere, inquit „
ille, ſe tangi in membris genitalibus, niſi „
ſint coniuges, vel niſi ſubſit cauſſa infir- „
mitatis & huiuſmodi, credo non poſſe ex- „
cuſari à mortali: cùm iſtud non fiat com- „
muniter niſi ex amore libidinoſo: & cre- „
dere

» dete quòd hoc fiat pura intentione, eſt » fatuitas: quia periculo ſe exponit peccati » luxuriæ ponens ignem in paleis. Cuius ſententiam & profert & ſequitur Syluester, in verbo, Delectatio, num.7. & Nauarrus, in Summa, cap.16. num.13. & Caietanus, in 2.2. q.154. art.4.

Verumenim, quia poſſet accidere, vt qui inter ſe tangunt, præſertim ſi ſint eiuſdem ſexus, nulla obſcenæ voluptatis cupiditate illecti, ſed aut curioſitate, aut leuitate quadam adducti id facerent, equidem non auderem eos tanti ſceleris reos facere: cùm præſertim genus hoc tangendi non ſit ex earum rerum genere, quæ ſemper malæ ſunt: vti eſt adulterium, fornicatio, ſtuprum, mendacium.

2\. Quare D. Thomas, generatim de tactibus diſſerens, in qq. de malo, q.15. luxuriæ pertractans locum in art. 2. decimo octauo, ſeu poſtremo, reſpondens argumento, ſcribit his verbis: Ad decimum octauũ » dicendum: quòd tactus, amplexus, & » oſcula, in quantum ordinantur ad actum » fornicationis; conſequuntur conſenſum » in actum fornicationis: in quantũ autem » ordinãtur ad ſolam delectationem, con» ſequuntur conſenſum in delectationem, » qui eſt peccatum mortale. Et ideo vtro» que modo ſunt peccata mortalia: quia » cùm huiuſmodi non ſint ſecundùm ſpe» ciem ſuam peccata mortalia, ſicut forni» catio & adulterium, ſed ſecundùm quòd » ordinantur ad aliud, id eſt, ad conſenſus » prædictos: ideo Apoſtolus non reiterauit » de turpitudine, & ſcurrilitate, & ſtulti lo» quio; ſed ſolùm de illis quæ ſunt ſecun» dùm ſe peccata mortalia.

Et planiùs in 2.2. quæſt. 154. artic. 4. » Aliquid dicitur eſſe peccatum mortale » dupliciter, vno modo ſecundùm ſpeciem » ſuam; & hoc modo oſculum, amplexus, » vel tactus, ſecundùm ſuam rationem, nõ » nominant peccatum mortale. Poſſunt » enim hæc abſque libidine fieri, vel pro» pter conſuetudinem patriæ, vel propter » aliquam neceſſitatem, aut rationabilem » cauſſam: Alio modo dicitur aliquid eſſe peccatum mortale ex ſua cauſſa; ſicut ille, » qui dat eleemoſynam, vt aliquem inducat ad hæreſim, mortaliter peccat propter » intentionem corruptam. Dictum eſt autem ſuprà, quòd conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum: » & ideo cùm fornicatio ſit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ ſpecies, conſequens eſt, quòd conſenſus in delectationẽ talis peccati ſit peccatum mortale, & non ſolùm conſenſus in actum. & ideo cùm oſcula & amplexus huiuſmodi propter delectationem huiuſmodi fiant, conſequens eſt, quòd ſint peccata mortalia. & ſic ſolùm dicuntur libidinoſa.

Vnde huiuſmodi ſecundùm quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia. Huiuſmodi autem, cùm dicit, eos item intelligit, de quibus loquitur in reſpond. ad 2. argumentum. Ac pene omnes Summarum auctores hunc alterum locum Diui Thomæ citant, & ſequuntur: quod idem facit Gabriel, in 4. ſent. diſt.31. q.2. art.3. dub.2. 3.

Et quoniam Richardi S. Victoris præſcriptio, & regula, qua is metitur omne lethalis culpæ genus, eſt magno magiſtro digna, in quadam perbreui tractatione eius de diſcrimine peccati mortalis, & venialis: idcirco ea item in hac quæſtione vtendum foret. Is enim peccatorum omnium, quæ mortem adferunt animo, tripartitam ait eſſe rationem: partim quæ ſine magno DEI contemptu admitti non poſſunt: partim, quæ alterum inſigniter lædunt: quædam quæ nos ipſos » magnopere corrumpunt: atque in poſtremo hoc genere ſine dubio collocat peccata, quæ ſpeciem habent impudicitiæ ac turpis voluptatis: reliqua omnia peccata ipſius iudicio ſunt venialia: ergo ſi in tactibus non inſit illa magna, de qua loquitur Richardus, corruptio noſtri, illius iudicio mortifera culpa non ſuſcipietur.

Verùm, ne quiſpiam ſuſpicetur parum pudicæ cauſſæ me patrocinari, pedem referam; atque ad tactus, qui ſuapte natura pudici

pudici atque honeſti ſunt, & habentur, diſputationem conuertã. Nonnulliſque adhibitis propoſitionibus, docendum puto, quando in eo genere aut grauiter, aut leuiter, aut nullo modo peccare, imò nonnumquam apud DEVM promereri contingat.

4. Prima propoſitio. Oſcula, amplexus, & manus porrigere & accipere, ac tenere, aut amicitiæ, aut beneuolentiæ ergô, aut more prouinciæ, vel patriæ, nullum eſt peccatum: conuenit id inter omnes.

Secunda propoſitio. Inter quos hi tactus exercentur, ſi ij aut obſcenam putidámque in illis voluptatem quærunt; aut verò ad conſceleratam commiſtionem corporum referunt, ex omnium ſententia flagitium æterni ignis luendum pœna committunt; neque venia excuſationis danda eſt iis, inter quos futurarum nuptiarum inita ſunt fœdera, ſi hoc animo inter ſe tangant; quamuis nomine illius pactionis iſtos defendere videatur Nauarrus, in Summa, cap.16. num.12.

Verùm nullus mihi occurrit Theologus, qui huic hominum generi concedat, quod indulget Nauarrus; cuius opinioni fauere aliquo modo videtur Caietanus, in 2.2.q.154. art.4. ſanè certè, cùm tam veteres quàm recentes Theologi venereæ voluptatis cauſſâ tactiones non permittant, niſi iis, quibus eſt coitus & concubitus permiſſus; pluſquàm periculoſum, & temerarium eſt ſponſis, qui nondum legitimo coniugio copulati ſunt, oſcula, tactus, amplexus, concedere ea mente & voluptate commaculatos: quos vnum ſolum matrimonium iuſtum poteſt perpurgare.

Itaque Paludanus, in 4. ſent. diſt.31. q.3. art.2. concl.6. loquitur his verbis. Si enim oſcula & amplexus ideo ſolùm ſunt mortalia in ſolutis; quia ipſe actus eſſet mortalis: ergo in coniugatis, quibus actus non eſſet mortalis, nec incitatio ad ipſum eſt mortalis. Quæ Paludani ſententia ab aliis fere Doctoribus comprobatur. Quapropter puellæ & virgines, quæ aut ex oſculis & amplexibus caſtorum iuuenum quos amant, voluptatem capiunt honeſtam, ſiue cùm eos tactus honeſtos cogitant, ſiue etiam corpore cùm admittũt, aut non peccant, aut leuiter peccant, vt inquit Syluester, in verbo, Delectatio, numer.7. Non mortiferè peccare affirmat Roſella, in verbo, Cogitatio moroſa, num.4. ſecus dicendum, ſi animo obſcenam, aut corpore turpem voluptatem haurirent: vt illimet auctores aiunt, & D. Anton. in 2.p. tit.5. cap.1. §.10.

Tertia propoſitio. Libidinoſa voluptas, quæ tactus ceteróqui honeſtos vertit in culpam, ea ſola eſt, qua obſcenæ partes commouentur, atque in iis cietur. Syluester, in verbo, Debitum coniugale, q.7. 5.
» delectari, inquit, tactibus non impudicis,
» qui non procedunt ex venere, vt ſunt
» oſcula, & amplexus honeſti, procedentes
» ex amore, non ſunt peccata mortalia.
» Angelus, in verbo, Luxuria. num.5. in ta-
» ctibus, oſculis & huiuſmodi, eſt peccatũ
» mortale, quando fiunt cauſſâ delectatio-
» nis luxurioſæ: cuius verba & ſententiam deſcribit & ſequitur Gabriel, in 4. diſt.31. quæſt.2. art.3.

Tabiena, in verbo, Cogitatio moroſa, num.9. vt voluptas, quæ oritur ex tactibus, & oſculis, de quibus agitur, dici poſſit noxia mortifera animæ, vult vt generetur cum motione ſpirituum (ſic is loquitur) circa partes libidinoſas ex intentione cogitque ratio, vt ita dicamus, ac ſentiamus.

Primùm, quia voluptarij hi tactus, & impudici, ad genus luxuriæ reuocantur; at luxuria in membris habitat obſcenis. Deinde, quia, vt ſcribit D. Auguſtinus, in 14. de ciuit. Dei, cap.16. Cùm ſint multarum rerum libidines: tamen cùm libido dicitur; nec cuius rei libido ſit, additur, non fere ſolet animo occurrere, niſi illa, qua obſcenæ partes corporis excitantur. Hæc ille. Quanto igitur magis, cùm de impudicitia & luxuria diſſeritur, libido eamdẽ notionem, quam dicit Auguſtinus, retinebit? quam idem variis nominibus nun-

cupare ſolet:nam in hypognoſticis, lib.4. *voluptatem luxuriæ* dixit : probátque aduerſus Pelagianos, eam malum eſſe peccantis naturæ, non à Deo. In 14.de ciuit. cap.26. vocat eamdem *ardoris illecebroſum ſtimulum, turbidum calorem, turbidam libidinem*.

Cùm verò conſtet,in genere moris talem eſſe delectationem,qualis eſt actio,è qua naſcitur,& cuius eſt comes;quod docuit Ariſtoteles, in 10. Ethic. cap. 4. & 5. quem citant & ſequuntur D. Thom. atque alij Theologi; ſequitur, voluptatem natam ex oſculo, ex tactu honeſto, & beneuolo,non libidinoſo, honeſtā eſſe : cuiuſmodi matrum & patrum eſſe ſolet, filios ſuos ac filias oſculantium & amplexantium; fratrum item ac ſororum inter ſe amplectentium, atque oſculantium fraternæ beneuolentiæ cauſſa:cuiuſmodi etiam eſt amicorum id ipſum eamdem ob cauſſam molientium.

6. Quarta propoſitio. Quando oſculum & amplexus honeſtè initur; citatúrque in oſculantibus, aut iis, quibus ſuauium datur, voluptas, quæ non ad tactum venereæ voluptatis, ſed primarum ſecundarúmve qualitatum, qualis eſt leuitas & mollitudo,refertur;eáque nimia eſt, meo quidem animo peccatum nō eſt pronuntiandum mortiferū: quod enim ſomniauit aliquis, eam delectationem vitioſam eſſe, & ſuapte natura progredi ad corporum coniunctionem,ſeu ſexuum commiſtionem, ridiculum & inane commētum eſt:nam & ſine vllo peccato reperitur in parentibus, fratribus & ſororibus, vt dictum eſt; quæ ad nullum refertur concubitum; & in animalibus, quæ ſpecula naturæ priſcus quidam appellare ſolitus erat Philoſophus, eoſdem tactus & complexus conſpicimus; qui nullo concubitu finiuntur. Verùm,ſi cum ea voluptate,quæ in nullo eſt vitio, confunderet ſe ea, quæ vitioſa,& venerea eſt; dum ſuauiis & amplexibus opera datur, & negligentiùs remouetur,ſed non approbatur,culpa leuis nequaquam vitaretur.

Quinta propoſitio. Qui oſculis,amplexibus, manuum comprehenſione & attrectatu alteri beneuolentiæ ſigna impertiretur, vt eum ad quodpiā rectè factúm prouocaret, vel ab aliquo facinore auocaret, non ſolùm is nihil contra Chriſtianum officium ageret; verumetiam optimi viri munus expleret; &,ſi non ſit diuinæ gratiæ expers, haud paruum à Deo Opt. Max. eſt meritum recepturus.

QVÆSTIO XXI.

Viduam mulierem propinquus ætate prouectior amplexatur: ſed illa veretur, ne ſuauiantis amplexantíſque propinqui animus aliqua ſit laſciuia corruptus. 1.

Percunctabatur mulier, eſſent ne eius animo ij tactus exitiales futuri, niſi vitaret omnino. Tractatur hæc quæſtio à Caietano, in 2.2. q.154. art. 4. à Sylueſtro, in verbo, Delectatio, num. 5. à Tabiena in verbo,Cogitatio moroſa,num.9.de quorum ſententia reſpondi mulieri impudicos tactus ab ea nullo modo poſſe admitti:in quibus tactibus impudicis furtiuum oſculum numerat Caietanus; ſed fallitur: nam oſculum per ſe honeſtum, hoc eſt, omni laſciuia carens, non fit turpe, quia ſit clandeſtinum, aut quia datur remotis arbitris: imò ad ceterorum vitandam offenſionem rectius foret interdum publica vitare ſuauia; in nonnullis præſertim prouinciis,vbi morum integritas degenerauit.

At tactus, qui nec deformitatem, nec vllam turpitudinis ſpeciem præ ſe ferunt, dixi mulieri,nō ei neceſſariò eſſe reſpuendos propter anceps & dubiū peccatum, aut tangentis, aut oſculantis: Nam ſigna » affabilitatis,& amicitiæ, inquit Sylueſter, » negari non debent propter peccatum du- » bium ſocij: & quia non debet ſocium de » libidine iudicare; ſed de honeſto amore, » vel ſaltem ſenſuali citra mortale. Poteſt » etiam admittere, quando vitare non po- » 2.

teſt

» teſt ſine ſcandalo. Hæc ille. Conſule eoſdem, quos nominaui doctores.

Quid ſi, aut certò ſciret, aut ex veriſimilibus coniecturis cognoſceret mulier ſibi ſceleratè ac libidinosè ab alio oſcula & amplexus exhiberi? Tunc ſine dubio tangentem & tactum deteſtari & auerſari deberet, ſi non vult alienæ impudicitiæ adiutrix & adminiſtra eſſe.

QVÆSTIO XXII.

1. Sed illa quæſtio prætereunda non eſt: an tactus impudici, atq; obſcœni, qui viris ac mulieribus ſolutis criminoſi ſunt, ſint item coniugibus. Placet mihi Paludani diſtinctio, in 4. ſent. diſt. 31. q. 3. art. 2. concl. 6. quæ ad hæc tria enuntiata commodè redigi poteſt.

Primum enuntiatum. Non contrahit crimen is, qui vel ad ſobolem procreandam, vel ad fornicationem in ſe, vel in altero coniuge vitandam, vel ad reddendũ coniugale debitum, cùm ad eam rem po-
» tis non ſit, aut viribus ſit imbecillis, natu-
» ram incitat ſuam vſu, (incipiet iam loqui
» Paludanus) vel potu calefactiuorum: aut
» oſculis, vel amplexibus quibus etiam ani-
» malia ſe prouocant, vt vrſi, & columbi:
» vel aliquibus aliis tactibus, in quibus non
» quærat, propter ſe delectari, ſed ſolùm ad
» actum illum præparari, non videtur pec-
» catum: quia licet iuuare naturam corpo-
» ris ad rectè obediendum rationi.

Secundum enuntiatum. In ſuperioribus tactionibus voluptatem expiſcari, vt delectationis cauſſa cognoſcere quis poſſit vxorem ſuam, peccatum quidem eſt: ſed non æterno ſupplicio coercendum.

Tertium enuntiatum. In voluptate venerea impudicarum tactionũ ſiſtere velle, nec progredi ad legitimum coniugij actum, credit Paludanus etiam coniugibus culpam eſſe lethalem: eamdémque ſententiam defendit Syluester, in verbo, Debitum coniugale, q. 7. ſeu num. 9. vbi
» ſcribit his verbis: Omnis actus venereus,
qui non eſt coniugalis coitus, vel ad illum »
non ordinatus, actu, vel habitu, eſt illici- »
tus, & mortale peccatum. »

2. Neque ſententia hæc probabilitate caret. Quandoquidem ſanctũ debet eſſe coniugium, & caſtimonia commendatũ: & quod vnus in ſuo corpore facere ſine ſcelere nequit, vt in eo voluptatis venereæ ſenſum ſuſcitet, atque in eo conquieſcat, an hoc poſſit facere in alieno corpore, quamuis iure coniugij ſuum ſit, ſed ita ſuum, vt eo ad munera coniugij & iuſtæ procreationis vti debeat? Quòd ſi voluptas venerea à natura fabricata eſt ad concubitum maris & fœminæ, atque ad humanam ſpeciem propagandam; ab hoc fine non videtur ſine crimine ea poſſe auelli.

Sed tamen contrariam ſententiam inuenerunt & probauerunt hi omnes, Caietanus, in 2. 2. q. 154. art. 4. & in Summa, in verbo, Matrimonium, §. 1. ſed vult abeſſe debere pollutionis periculũ, quod vix accidere poſſe credendũ eſt, niſi fortaſſe iam libidine ſatiatis. Angelus idem probat, in verbo, Debitum coniugale, num. 26. Tabiena, in verbo, Cogitatio moroſa, num. 9. Armilla, in verbo, Impudicitia, num. 3. Sotus, in 4. diſtin. 31. art. 4. in extremo.

Sed miror hos auctores nihil firmę ſolidæque probationis ad ſuam opinionem perſuadendam excogitaſſe. Vt quidquid in ea probabilitatis eſt, propter auctorum tantùm pondus & exiſtimationem eſſe videatur. Ergo hi doctores coniuges crimine liberant: culpam dumtaxat leuem in iis agnoſcunt. Quorum opinio benignior eſt, & in eos, qui vitam coniugalem colunt, ſatis indulgens.

QVÆSTIO XXIII.

De furtis minutis.

Theologus quidam Patauinus, qui me variis quæſtionibus exercuit, de

leuium furtorum culpa hanc item propoſuit.

1\. Cùm quis minutatim pauca furatur, an & quādo lethali furto teneatur, onúſque ſubeat rem fraudatam reſtituendi.

Mihi quæſtio viſa eſt ſemper difficilis, multiſque nodis implicita: in quibus ille primus eſt.

Quanta res furtiua eſſe debeat, quæ leue furtum à graui diſtinguat. Nauarrus, in Summa, cap. 17. numer. 4. furtum, ſi in pecunia conſiſtat, æterna morte dignum putat, quod eſt vnius drachmæ, ac dimidiæ; id eſt, vnius denarij, ac dimidij; ſiue vnius ac dimidij iulij. Quòd ſi in alio rerum genere fiat, lethale eſſe, quamuis victoriato, ſeu quinario ſit minus; hoc eſt, quamuis ad alteram partem iulij nō perueniat. Quare, qui gallinam, quæ dimidio denario, vel iulio minoris eſſet, qui duodecim oua ſurriperet, capitalis furti hunc reum eſſe credit omni perſonarum diſcrimine ſublato. Hanc ſuam ſententiam. §. gallinarum inſtit. de rerum diuiſione facilè apertéque putat perſuaderi. Nam propter gallinam ablatā actionem dari aduerſus furem oſtendit. §. his verbis
» ab Imperatore perſcriptis. Et qui ea ani-
» malia lucrandi animo detinet, furtum
» committere intelligitur. At olim in publica, inquit Nauarr. diſputatione, quam ſuper dicto, cap. fin. 14. quæſt. 6. habuimus, defendimus non eſſe concedendam actionem furti, nec aliam propter ablationem, aut retentionem tam exiguæ rei, quæ non pertingeret ad culpam mortalē: de quo ipſo à Gloſſis ciuilis iuris planè diſſentire videtur Nauarrus. Gloſſa enim §. gallinarum, etiam pro nummo actionem concedi contra furem affirmat; & pro ouo ablato eamdem indulgeri ſcribit Gloſſa legis, id eſt, vſque ad duos aureos. ff. de damno infecto.

2\. Sed nimirum quæ à Gloſſis, & quæ à Nauarro adferuntur, in pari errore verſantur. Quid enim rationis habet, pro nummo & pro ouo licere alicui apud iudicem experiri: præſertim ſi rei ereptæ dominus ſit locuples & eo rerum genere abundans? Propter ouum igitur dabit ſatellites Prætor? ſontem comprehendet? in vincla coniiciet? infamia notabit? & pro re leuiſſima tragœdia agetur in iudiciis? Quis hæc non rideat? Nec legem puto eſſe aliquam, quæ, quod Gloſſæ aiunt, loquatur: nam in §. gallinarum, non dicit
Imperator, ſi gallinam quis furetur, ad- »
uerſus eum in iudicio agi, ſed furtū com- »
mitti: tam exiguum autem poteſt eſſe »
furtum, vt elegantis hominis non ſit propter illud actionem inſtituere contra furem; eúmque in iudicio audiri: præſertim ſi ab inope & calamitoſo ablata ſit; nec reddere eam poſſit: lex autem, ſi proprietarius §. 1. in calce. ff. de damno infecto, non concludit, quod credit Gloſſa. Nam
verba illa, eadem erunt, etiamſi minimū »
damnum detur: non appellant damnum »
minimum, quod ad veritatē eſt eiuſmodi; & quo minus eſſe nequit; ſed quod tale eſt ad opinionem iudicis, & ſententiam legis; quæ non quæuis damna æſtimat digna, quæ ad iudicem deferantur: ſed illa, quæ in duobus aureis verſantur. l. id eſt, vſque ad duos aureos. ff. de dolo. In ſtipulationę item damni infecti, ſi domus tua in meam irruat, ac diruat, iuriſconſultus non vult rationem haberi tectoriorum, ac picturarum, quarum rerum iactura multo pluris eſt, quàm vnius oui, vel nummi. Conſule legem, ex damni infecti §. 1. ff. de damno infecto.

Poſtremò, illud ore omnium celebratur: *minima non curat Prætor.* Neque vera ratione concluduntur, quæ docet Nauarrus.

Primùm, in eo mea quidem ſententia 3. peccat; quòd negat, actionem conuenire in eum qui letale furtum non admiſit. Cùm enim ad iudicis religionem pertineat, non ſolùm eas prohibere iniurias, quæ amicitiam inter ciues diſcindunt, ſed etiam, quæ ad id malum viam muniunt; profectò non ſolùm graues, ſed etiam, quæ leuiſſimæ non ſunt, ab eo extingui oportet. Deinde, iudicis eſt ſuum cuique reddere;

redderet:at meum eſt,ſiue magnum, ſiue paruum:dummodo de minimo moleſtia ei minimè exhibeatur. Poſtremò, culpæ mortiferæ & actionis ciuilis connexum neceſſarium non eſſe illud cogit:quòd in emptione & venditione denegatur actio ei qui non vltra dimidium eſt deceptus:& in dolo eius actionem excludit; cui non ſit in duobus aureis facta fraus,quam capitalem eſſe non inficiatur Nauarrus. Ad hæc ſempiterni interitus fulmen nunciare ei, qui etiam ab homine pecunioſiſſimo & locupletiſſimo,ab Rege & Imperatore potentiſſimo,denarium ac dimidium,aut gallinam abſtuliſſet, hominis eſt nimiùm ſeuerè in ſontes animaduertentis.

Richardus de S. Victore, cuius magiſtralia eſſe dicta ait D.Thom. caput ſcripſit egregium de differẽtia peccati mortalis ac venialis: mortiferæ autem culpæ » materiã eam eſſe præfinit,in qua aut ma- » gnus Dei contemptus, aut magna læſio » proximi,aut magna noſtri corruptio (his » enim is vtitur verbis) reperiatur: reliqua » omnia peccata retur eſſe venialia.Nemó-
5. que Theologus non in hac re Richardo » aſſentitur.

Quoties igitur proximi aut vitæ, aut ſuis domeſticis,aut famæ, aut honori,aut rebus externis non inſigniter nocitũ fuerit,mortifera culpa nõ contrahetur. Quis autem in maximis Regis Philippi theſauris,& in ampliſſima eius gaza furtum æſtimatione dignum putet eius, qui duos tréſve denarios ſubtraxerit? Quis beneficentiſſimum Deum,optimúmque parentem,cui eſt hominum ſalus cariſſima,credat flammis eum addicere ſempiternis, qui homini bonis omnibus circumfluenti,aut duas drachmas,aut quod minus eſt, ademerit eo animo,vt non plus auferret?

Quare mortiferæ ablationis ſummam, quam tam reſtrictè definit Martinus Nauarrus,non videtur probaſſe D.Anton.in 2.par.Summæ, tit.1.c.15.§.3. furtum enim viginti ſolidorum, hoc eſt,vnius ac dimidij Iulij, paruum exiſtimauit, niſi ſi fortè pauperi fiat.

Nunc opinio eſt excutienda contraria, 4.
quæ multò maiore nititur probabilitate. Illius enim patroni defendunt, furtum dari duorum aureorum ac pluris, quod non ſit facienti pernicioſum,ſi factum ſit ei,qui habet quamplurimum. Ad id proferunt magnam Gloſſam in legem & elegãter, §.poſtremo.ff.de dolo, verba illa legis explanantem. Nam niſi ex magna & „ euidenti calliditate non debet de dolo „ actio dari. Dic magna, inquit Gloſſa, id „ eſt,vltra duos aureos. Gloſſæ opinionem „ ſequitur Angelus,in verbo,Furtum,num. 34. Sylueſter,verbo eod.q.2.Sotus in 5.de iuſt.& iur.q.3.art.3.

Admonent tamen hi Doctores,furtum rei, quæ per ſe ipſa exigua eſt, funeſtum euadere, ſi rei domino magnopere obſit. Noluiſſem huius opinionis à Sylueſtro,& Angelo Gloſſam illam ciuilem,quaſi ducem laudari:nam ſuprà demonſtratũ eſt, non viciſſim retro cõmeare alicuius doli actionem ſublatam eſſe iure ciuili, atque illum non eſſe iure diuino fraudis architecto exitialem.

Quod verò in Soto reprehendendum videtur, illud eſt, quòd is quamdam pecuniæ ſummam eſſe decernit,quæ ſuapte natura, ad nullum hominem, verúmque dominum relata, mortifera culpa furem conſtringat. Ex quo fit,vt caritas non tantùm Deo, & proximo debeatur,ſed etiã pecuniæ, rebúſque vitæ & rationis expertibus:id quod cogitare, rationi & caritati eſt valde alienum. Etenim cùm furtum præcepto ſecundæ tabulæ prohibeatur,& præcepta ſecundæ tabulæ ad proximi caritatem referantur, ſequitur, furtum non ſuſcipi,niſi contra caritatem proximi.

Concludamus igitur,furtum illud eſſe 5.
lethale,quamuis in re minima fiat,ex quo magnum aut detrimentum aut incommodum capit rei dominus.Illud item eſſe eiuſmodi, quod ab animo proficiſcitur, aut rem magnam ſurripiendi, aut ſimpliciter alteri nocendi:reliqua furta his contraria eſſe leuia.Quæ cõcluſio tutam multarum ſententiarũ explicationem habet,

quæ apud priſcos Doctores ac Theologos,ſunt paulò obſcuriores.

Verùm hoc nos conſectario laceſſit Dominicus Sotus: Ergo furari à Cæſare, verba ſunt eius, centum aureos numquã eſſet mortale delictum: quia non intelligit Sotus, quodnam magnum damnum ex eo furto creari Cæſari poſſit:quæ complexio falſa eſt,cùm conſtet ſæpenumero, potentiſſimos Reges,atque Imperatores, non minùs,quàm vnumquemque priuatum ciuem vno egere aureo. Ac licèt ſint opulentiſſimi ac pecunioſiſſimi, nihilominus, arces, oppida & vrbes, quas partim ædificant, partim reficiunt, partim muniunt,milites quos iis præficiunt,exercitus,quos alunt, innumerabilium hominum calamitoſorum, quibus opitulari debent,turba, familiæ tum profanæ,tum ſacræ,quibus opem ferre debent, quamplurimæ, miniſtri, quibus eſt merces perſoluenda innumeri,amici, quorum obſequia remunerantur non pauci, faciunt vt Regibus, reliquíſque magnis Principibus deſint potiùs opes,quàm ſuperſint.Quod enim apud Salomonem in Eccleſiaſte, cap.5. ſcriptum eſt, veriſſimum eſt: *Vbi multæ ſunt opes,multi & qui comedunt eas.*

6\. His conſtitutis,ad propiora veniamus: & quæ dubitari in minutorum furtorum genere poſſunt, remoueamus.

Prima dubitatio eſt de famulis, minutis ablationibus heros fraudantibus: verbi cauſſa, cùm ſingulis diebus ſingulos quadrantes ſurripiunt, vel ad forum rerum venalium emendi cauſſa proficiſcentes,vel clam domi ſubducentes.Sotus, in 5.de iuſt.& iur.q.3.art.3. harum famulorũ furtum damnat tamquam mortiferum: quod planè intelligitur ex eo quod ſibi objicit & diluit: vúltque famulum ſceleſto ſe furto obligare, cùm centies quadrantem ſurripuerit. Tunc autem animi exoriri perniciem,quum vna aliqua conſequens ablatio ad priores addita, exitialis furti efficit ſummam. Non ſecus hac de re viſus eſt exiſtimaſſe Medina, in C. de rebus reſtit.qu.10. duabus poſtremis columnis.

Nauarrus, benigniùs interpretans huiuſmodi furta, concedit hæc omnia in Manuali, cap.17. num.139. Primùm ex multis furtis leuibus,& quæ omnia peccata ſint leuia, perueniri poſſe ad eam ſummam, quam nemo ſine deteſtabili ſcelere,aut interuertere,aut retinere poſſet. Deinde, ex leuibus furtis obligationem exiſtere poſſe neceſſariam reſtituendi:vt ſine caritatis Chriſtianæ interitu retineri non poſſit, quod ea incolumi diuerſis interuallis ſublatum eſt.Deinde de hoc genere furtorum non ignoſcendum eſſe ei, qui continenter, nec modicis explicatis interuallis in illis verſatur:ei verò parcendum, qui minuta furta intermiſſa longioribus interuallis reuocat: licèt huius furta ſummam altero tantò maiorem, quàm illius relinquant: omníſque ſuperſit,quam etiã retineri poſſe ait, ſalua cum Deo amicitia. Ego in hac diſtrahenda controuerſia hiſce diſtinctionibus vtor.

Prima diſtinctio. Qui ſæpe, repetitis furtis, maioris rei eripuit ſummam; aut eam ſummam conſeruauit, aut exhauſit; ſi conſeruauit,reſtituat domino:niſi fortè ei exploratum ſit, dominum condonaturum: ſi non ſeruauit, ſed conſumpſit, aut in rem quampiam neceſſariam, ſeu vtilem,ſeu honeſtam conſumpſit, tacitè approbante domino,aut ſecus,priore modo non videtur ei imponenda neceſſaria lex reſtituendi. Primùm, quia nec auferendo, peccauit, nec retinendo: quia re ipſa non retinuit. Non peccauit,inquam,peccatum graue. At furtum,niſi criminoſum ſit, vinculo neceſſariæ reſtitutionis non conſtringit. Deinde:quia huiuſmodi furta leuiora,quæ ad res nec turpes,nec flagitioſas ſeruo ſegetem præbent, ingenui Domini contemnere conſueuerunt. Si poſteriore modo, eſſet acriter obiurgandus famulus, deterrendus, hortandus ad rem furtiuam reddendam, ſeu eius æſtimationem : quandoquidem conſumpta eſt: cogendus etiam ſi magnum eſſet damnum, quod dominus ſuſtinere nollet. Nauarrus autem cogere videtur hos ſeruos 7.

nos propter retentionem rei collectæ, atque manentis, in Summa, cap. 17. num. 4. & num. 139.

Secunda diſtinctio. Aut herus diligit famulum, aut eſt ei offenſior: ſi infenſus, ſummam furtiuam, ſi magna ſit reſtituat, ſiue ea extet, ſiue non extet: ſi diligit, vt veriſimile ſit herum non repetiturum, ſed largiturum, non eſt quod reſtituat: ſed eſſet ſeruus ab ſacerdote vehementi oratione perterrefaciendus.

Tertia diſtinctio, aut domino diſplicet res ablata, aut modus tantùm ablationis: quia clādeſtinus: quia furtiuus: ſi res ablata, atque hæc ob furtorum minimorum cumulum graui damno afficit herum, quod damnum is nec diſſimularet, ſi reſciſceret; nec pati vellet: reſtituatur tota ſumma, ſiue maneat, ſiue non maneat: ſi modus diſplicet tantùm auferendi, vt in filiorum furtis minimis accidit: quod in illis iudicauit in ſumma Caietanus, in verbo, Furtum, hoc item ipſi in his, quæ fiunt à ſeruis, exiſtimare poſſumus; vt nec propriè furta ſint, ſintque reſtitutionum iure ſoluta.

8. Tertia dubitatio. Ea ſumma furtiua, quæ ex vnius bonis detracta, furis æternam ſalutem interimit; interimítne, ſi ex multorum aut opibus, aut pecunia fuerit decerpta? Sotus ait, ob eam rationē, quæ ſuprà eſt à nobis tota reiecta: vult enim aliquam eſſe furti quantitatem, quæ ſummo malo ſit furi, etiamſi nemini oppido noceat. Quod cùm nec verè dicatur, reliquorúmque Theologorum conſentiente autoritate explodatur, à nobis etiam debet explodi. Ergo furto licebit vitam ſuſtinere? Hæc enim cōplexio monit Sotum. Sed tamen neganda eſt: nec enim peccare licet vllo tempore, furta autē minuta peccata eſſe nemo vmquam negauit.

Quarta dubitatio. Quis per bonæ vuæ è quinquaginta dominorum vineis racemos legit, è ſingulis vineis ſingulos: muſtum ex iis exprimit: dolium implet: erítne hic funeſtæ culpæ affinis exiſtimandus? Sotus hac de re nihil dubitauit. Nam reum æternæ pœnę eſſe decernit. Medina in C. de rebus reſtituendis, quæſt. 10. his verbis reſpondet, in extremo illius quæſtionis. Si homo ille id in fraudem legis „
de non furando non faciat: ſed quia fortè „
non habet aliàs, vnde ſufficienter ipſe, & „
familia ſua viuat, excuſari poterit ſaltem à „
mortali: & tunc non video rationem, qua „
veniat ad reſtitutionem ſub pœna peccati „
mortalis cogendus: ex quo neminem illo „
modo notabiliter damnificauit. Si autem 3.
diues ſit, qui hæc facit, & habet, vnde cō- „
petenter viuat, arbitror illum mortaliter „
peccare, ſi ea intentione illa particularia „
furta committat; vt notabilem acquirat „
quantitatem: & ita puto eum omnia ſic „
ablata debere ipſis ſpoliatis reſtituere: niſi „
vnuſquiſque ob rei modicitatem debitū „
condonet: ſed quamdiu de hac voluntate „
condonandi non conſtet, meritò præſu- „
mitur, quòd in huiuſmodi furtis modicis „
ob præfatum finem factis erunt domini „
rationabiliter inuiti. Hæc ille. „

Quæ mihi videntur parum conſentanea & conſequentia: etenim cùm ab re aliena abſtinere manus debeamus, niſi fortè aut ſumma, aut graui neceſſitate cogamur ſecus facere: non video cur Medina quod non tribuit diuiti, largiatur illi alteri, in quem eiuſmodi neceſſitas nulla incurrat. Ad hæc ſi ſingulis, è quorū vineis botros ſumpſit, perparum, aut nihil nocuit, quî potuit aut caritatem, aut iuſtitiā, qua homines conſociantur, diremiſſe? quòd ſi nullum aut caritati, aut iuſtitiæ eſt graue vulnus inflictum, vnde neceſſitas manat vnicuique botrum ſuum reſtituendi? Ecquis hanc reſtituendi ſpeciem non rideat? Ergo licebit homini cuius & horrea frumento, & cellæ vinariæ ſunt onuſtæ vino, retinere integrum dolium vino plenum ex alienis vuis collecto? ego verò non dixerim hoc ei licere: quin, addiderim, pauperibus diſtribuendū eſſe omnino: propterea quòd in earum rerum genere reperitur, quæ ſuperſunt: iuréque naturæ vitæ pauperū tuendæ ex D. Thomæ ſententia debentur: quam ipſi ſententiam

rentiam alibi & plurimis rationibus, & magnorum Auctorum teſtimoniis comprobauimus.

10. Quinta dubitatio. Quid in eo ſtatuendum eſſet, qui tantumdem vuæ ex communi multorum dominorum aceruo, aut tritici de communi multorũ arca furtim ſuſtuliſſet. Hoc in illum iudicij dandum eſſet, ſceleratè feciſſe: quod per fraudem lucrifecit, in aceruum referendum eſſe, ſi extet: ſi non extet, magiſtro Societatis, ſocialiſve iuris procuratori, reſtitui oportere: ſi ille, illive, ad quos res ablata pertinet, ignorentur, egentibus erogandam eſſe. Difficultatem hanc ſignificauit Medina C. de rebus reſtit. q. 10. in calce, ſed in alterutram partem nihil diſſerens, in medio reliquit.

Sexta dubitatio. Multi ingrediuntur vineam Petri: ſinguli ſingulos racemos decerpentes, vua ſpoliant vineam. Quid ab his præſtari oportebit: Breui præcidam, quod pluribus diſtinctionibus exſequitur Ioan. Medina. Aut quilibet de alterius furto nouit aut ignorat: ſi nouit, ſinguli in ſimplum reſarcient damnum domino vineæ: ſi ignorat, donec ignoratio, bonáque fides perſeuerat in vnoquoque, non ſatisfaciendo non peccant.

Septima. Quid de laniis, piſcariis, cæteriſque opificibus, qui falſis ponderibus vel menſuris vtuntur: aut quamuis ſint pondera, & menſuræ iuſtæ, ij tamen nec iuſtè ponderant, nec iuſtè admetiuntur emptoribus: atque ea re lucrum improbũ faciunt? Hi publici iuris prædones ſunt perquam digni ſuſpendio: reſtituéntque omne, quantum lucrati ſunt, aut iis, quos iniuria damnóque affecerunt, ſi non contemnendum ſit damnum: aut, ſi leue damnum eſſet, de quo non valdè ſolliciti emptores eſſent, pauperibus: quibus ipſis reſtituant omnia, ſi veri domini, ſeu emptores, quos fraudarunt, ignorentur.

QVÆSTIO XXIV.

1. Femina virum habet prodigum, aleatorem, rem domeſticam dilapidantem, vt verendum ſit, ne vxor, totáq; familia egeſtate tabeſcat, aut ad quampiam aliam duram deſpectámve vitæ conditionem detrudatur: eumdem maritum experitur nec Chriſtiani officij colentem, & à largiendis eleemoſynis valde abhorrentem.

Quæritur primò, poſsítne vxor, ſaluo conſcientiæ iure, è mariti bonis tantùm ſubtrahere & occulere, quantùm ad ſe & familiã alendam, neceſſarium eſt; quamuis ea res viro magnopere diſpliceat; & num eo neſciente, atque adeò inuito tribuere poſſit eleemoſynas egentibus.

Priori dubitationi reſpondeo: poſſe vxorem, reclamante viro, ſubducere ea, quæ vir ſibi, vxori, & aliis quos debet alere, negare nõ poteſt. Ita docent hi omnes: Syluester, in verbo, Vxor, q. 6. & in verbo, Furtum, q. 10. Angelus, in verbo, Furtum, num. 35. Tab. eod. titu. num. 13. qui citant Rod. nec volunt viro parendum eſſe præcipienti, vt tradat omnia: nam aiunt id eſſe tradere gladium furioſo. In hos concedit etiam Armilla, in verbo, Vxor, nu. 5. Vxor, inquit, habens virum prodigum, » poteſt abſcondere de bonis eius, & non » obedire ei in hoc: quia agit negotiũ eius, » ſi ſit in bona fide: idem quando eſt luſor, » & huiuſmodi. Prudenter enim agit mariti » bona conſeruans. Hæc ille. Sentit eadem » Armilla, in verbo, Reſtitutio, nu. 18. quando quis occupauit, iniuſtéve poſſidet bona eius, qui aut in meretrices, aut in Chriſti iniuriam, aut in ſuæ famæ iacturam inſumit, idem facturus ſi ablata recuperaret, poſſe ea ſeruare, quæ filiis, vel heredibus, vel ipſius prodigi neceſſitatibus inſeruiãt: Quia tunc, inquit Armilla, eius negotium » geritur: & ſecundùm rectam rationem de » hoc contentari deberet. »

2. Venio ad poſterioris quæſtionis explicationem: de qua accuratè diſputauit Alexander Halenſ. in 4. par. qu. 32. membr. 4. artic. 2. de ead. D. Thom. in 2. 2. q. 32. art. 8. D. Bonauent. in 4. ſent. diſt. 15. art. 2. q. 2. & in eamd. D. Thom. q. 2. art. 5. quæſtiuncula 1. Durand. in eamd. q. 8. Richard. in eamd. art. 2. q. 6. Paludanus, & alij. D. Antoninus

in 2.

in 2.par. tit. 1. cap. 15. §. 1. Summarum ſcriptores in ſuis ſummis, verbo, Eleemoſyna. Sed D. Anton. omnium diligentiſſimè hunc locum exſequitur, & Syluest. in verbo, Eleemoſyna, quæſt. 5.

Sciendum eſt igitur, è communi Theologorum decreto, multa incidere tempora, cùm vxor ſuo viro ignaro, & inuiro largiri poteſt eleemoſynas. Primum eſt, cùm quis ſumma laborat inopia.

Secundum, cùm præter dotem, qua ſuſtentari à viro poſſunt onera matrimonij, bona poſſidet paraphernalia: ex quo genere ſunt ſucceſſiones hereditariæ, legata, munera, &c.

Tertium, quando lucratur, nec lucrum neceſſarium eſt, ſaltem totum ad viri, ſuámque vitam ſuſtinendam. Et hanc limitationem Syluester, in verbo, Eleemoſyna, num. 8. ait eſſe ſingularem; eámque tribuit Aſtenſi.

Quartum, quando vir certam ſummam vxori aſſignauit pro victu: nam ſi ſuo victui de ea ſumma detrahere vult ad egētium incommoda leuanda, poterit id facere.

Quintum tempus ad graue aliquod damnum aut ſuum, aut viri vitandum, vt fecit Abigail; quæ à viro peſſimo ſuo Nabal perniciem exitiúmque auertit: quem
» Nabal, diuina Regum hiſtoria filium Be-
» lial vocat: ita, vt nemo cum eo loqui poſ-
» ſet, & hominem durum, peſſimum & ma-
» litioſum. Res nota ex 1. lib. Reg. c. 25.

Sextum tempus. Cùm vir eſt fatuus: tunc enim domus adminiſtratio tota eſt mulieris, niſi aliquid aliud ſit à magiſtratū conſtitutum.

Septimum, ſi vir aut abeſt, aut peregrè abiit.

3. Extra hos caſus poteſt etiam leues ac exiguas dare eleemoſynas, etiamſi præcepiſſet maritus, vt eleemoſynas omitteret. Nam, vt magni ac veteres Theologi, aliſque Summarum ſcriptores aiunt, mariti vetitum interpretari debet vxor de immoderatis largitionibus ac ſuperuacaneis. Quòd ſi vir cauiſſet etiam de paruis, ceſſandum eſſet ab eleemoſynis non neceſſariis.

Dices: Atqui Auguſtinus in epiſt. 199. ad Ediciam, & habetur, 33. quæſt. 5. can. quod
D E O. obiurgat fœminam his verbis: Nihil »
ergo de tua veſte, nihil de tuo auro vel »
argento, vel quacumque pecunia, aut re- »
bus vllis terrenis tuis ſine arbitrio eius fa- »
cere debuiſti: ne ſcandalizares hominem, »
qui tecum Deo maiora vouerat. Quam- »
quam in decretum ſuum non tranſtulit »
verba illa Gratianus: *ne ſcandalizares, &c.*
In huius loci interpretatione ita cōmentatur Gloſſa. Ex hoc, inquit, videtur, quòd »
vxor non poſſit facere eleemoſynam ſine »
licentia viri: ſed iſtud intelligas de rebus »
dotalibus: nam dominium rerum dotaliū »
eſt penes mulierem de iure naturali; de »
iure ciuili, eſt penes maritum. C. de rei »
vendicatione: & de his intelligas hoc cap. vel, ſi vis intelligere de paraphernalibus, conſilium eſt ſic: nam cui commiſit corpus, honeſtum eſt, vt res committat, C. de pactis conuentis, hac lege: & extra, de dote poſt diuortium, cap. vlt.

Hæc in Gloſſa, ſed nimirum totam il- 4.
lam epiſtolam, ſi eius Gloſſæ Auctot perlegiſſet, vidiſſet ab Auguſtino reprehenſam illam eſſe mulierem quòd duobus tranſeuntibus monachis omnia, vel penè omnia, quæ habebat, donauerat inconſulto viro: nec de paruulo filio, quem ex legitimo thoro ſuſceperat, laborarat. Quæ res adeo animum viri exulcerauit, vt continentiæ D E O votæ frænos abruperit, & in adulteriū præceps ruerit: quæ duæ res improbant factum mulieris: quæ non ſolùm non facere, ſed nec factum ipſum cogitare debuerat, ſi tantùm malum proſpexiſſet. Neque hoc ita dicimus (verba ſunt »
D. Auguſtini ad eam mulierem ſcribentis)
vt, ſi quiſquam ſcandalizatus fuerit de »
bonis operibus noſtris, ab eis deſiſtendum »
putemus: ſed alia cauſſa eſt alienarum, alia »
neceſſariarum in ſocietate aliqua perſo- »
narum: alia fidelis, alia infidelis, alia pa- »
rentum erga filios, alia filiorum erga pa- »
rentes. Alia poſtremò ea quæ in his rebus »

« vel maximè intuenda eſt, viri & vxoris:
» vbi mulierem coniugatã non licet dicere,
» facio quod volo de meo: cùm & ipſa non
» ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc eſt, viri ſui.

Quæ D. Auguſtini verba planè docet, ob mutuam cõcordiam, ob domeſticam pacem, in ſuorum etiam paraphernorum adminiſtratione, & quauis largitione eleemoſynarum communicanda eſſe cum viro conſilia; quum ſimultates, & grauia imminent incommoda, ſi ſecus ab vxore agatur. Diſſociatos enim animos viri & vxoris in vna aliqua domo maximorum ſementem eſſe malorum nemo eſt qui neſciat: quæ, vt vitentur, ſumma debet coniugum eſſe cautio, atque prouiſio. Sed nimirum, quæ in ea epiſtola dicuntur ab Auguſtino, non infirmant ea quæ nos à communi Theologorum ſenſu verè docuimus.

QVÆSTIO XXV.

1. MIſſa epiſtola, ſciſcitabatur quidam Theologus Patauinus, & Chriſtiani officij diligens inueſtigator: númne damni dati actio in ſeruum, in ſuum item dominum inſtitui poſſit?

Damnum factum à ſeruo ab hero reſarciri oportere cenſebat ille Theologus: neque addebat, culpáne heri damnum feciſſet ſeruus.

Significaui igitur litteris ad Theologum datis, mihi non videri æquum, fraudi debere eſſe hero, ſi quid culpa ſerui damni contractum fuerit: quoties dominus ſerui facinus aut ignorauit; aut prohibere non potuit.

Cum Imperatoriis legibus congruit
hæc noſtra ſẽtẽtia: nam C. de noxalibus
» actionibus, l. 2. iubet ſi ſeruus in ſaltu fur-
» tim cæciderit arbores: cui rei eſt pœna le-
» ge conſtituta, in poteſtate Domini eſſe,
» aut noxæ dedere ſeruum, aut condemna-
» tionem ſuſſerre. Ex ea verò, quæ ſequitur,
lege perſpicimus, cùm Domino conſcio, à quo ſerui furtum impediri poterat, eſt à ſeruo ſcelus admiſſum, tunc non liberari dominum ſola ſerui deditione, ſed omne debere reddere, quãtum eſt à ſeruo ablatum. Ergo, ſi heri culpa abfuerit, nihil is præter ſerui deditionem præſtabit.

A Gloſſa hæc enucleantur ſubtiliùs, C. 2.
de nox. act. l. ſi ſeruus ignorante Domino.
His verbis loquitur Gloſſa. Conuenitur »
Dominus ex delicto ſerui, aut in ſolidum »
detracta deditione; aut quatenus ad eum »
peruenit ex maleficio; aut cõuenitur cum »
noxæ deditione: qui tres caſus ſignifican- »
tur in hac lege. Si verò Dominus magis »
velit ſeruum dedere pro noxa, tum adhuc »
conuenitur pro rebus, quæ ad eum perue- »
nerunt. Si autem potuit prohibere, & non »
prohibuit, tenetur in ſolidum. Sed quid »
cùm ſeruus commiſit crimen publicum, »
rapiendo vxorem alicuius? Certè, ſi da- »
mnum paſſus, velit actionem publicam »
inſtituere, debet eam dirigere contra ſer- »
uum, non contra Dominum. »

Hoc autem loco, qui cardo eſt quæſtionis, mihi admonendus eſt is, qui veri videndi eſt cupidus: in foro conſcientiæ, vbi agitur de damno dato, illud non probari ob quamcumque culpam, ſed ob latam dumtaxat. Quam ſententiam vti humaniorem ſæpe ipſi in publicis gymnaſiis, & in noſtris ſcriptis laudauimus; & auditoribus, cõſultoribúſque noſtris ſuaſimus, ab Innocentio, aliíſque grauibus Auctoribus, qui in tractatu noſtro de contractibus citantur, traditam. Et ſi non deſunt magni viri, quibus placet, ob damnum datum omnem præſtari culpam: exciderat, quod nullo modo prætereundũ fuit.

Quodlibet enim flagitium & fraudem 3.
ſerui, ſuo Domino non eſſe præſtandam,
palam confirmat lex, quòd ſi ſeruus, §.
proinde. ff. de in rem verſo: vbi pater &
dominus exæquantur in iis, quæ debent
ob ea, quæ committuntur à filiis, ſiue ſer-
uis, & in §. ſed ſi ſic accepit, ad hunc mo-
dum loquitur Iuriſconſultus. Sed, ſi ſic ac- »
cepit (ſermo eſt de ſeruo) quaſi in rem »
Domini verteret, & non vertit; & decepit »
creditorem, non videtur verſum: nec te- »
netur

netur Dominus: ne credulitas creditoris Domino obeſſet, vel calliditas ſerui noceret. Idem docet Syluester, in verbo, Obligatio, §.6.& Angel.eod.tit.num.13.ſed nimirum ad hanc ipſam finiendam controuerſiam maximè pertinet illa quæſtio, in qua quæritur: vtrum ex facto familiæ teneatur Dominus.

Quæſtio hæc explicatur à Panormitano in cap.1. de reſtitutione ſpoliatorum commentarij ſui, num.7. à Syluestro, in Summa, verbo, Dominium, q.6. ab Angelo, in verbo, Dominus, num.4. à Ioanne Tabien. eod.tit.num.8. Sentiunt ergo hi omnes, ſi in munere aliquo publico verſetur Dominus; & in eo adminiſtrando non idonea & honeſta familia vtatur; propter miniſtrorum & ſeruorum maleficium, in Dominum iudicium dari. Volunt autem munus, quod gerit dominus, publicum, non priuatum eſſe debere. Iu-
1 dicium verò, quod aduerſus Dominum instituitur, non capitis, ſed rerum eſſe, id eſt, non eſſe domino capitale, quod cæteroqui famulo, ſeu miniſtro erit capitale. Ad hæc aiunt liberari dominum deditione noxæ, hoc eſt, ſi ſeruum dedat. Hoc item addunt Syluester & Angelus, locis quæ indicauimus.

4\. Quamuis in iudiciali foro non tangāt culpæ ſeruorum dominum; niſi quæ ad publicum officium ſpectant: in conſcientiæ foro alias tamen à domino præſtari debere: ſi ſeruum facinoroſum & improbum non verbo, nec exemplo corrigit: ac niſi eumdem, ſi corrigi nolit, ab reliqua familia ſegreget: niſi fortè retinere velit, ne improbior euadat. Tunc enim Domino, qui quantùm poteſt, fraudi ſerui obſiſtit, iuſta venia datur; quæ ipſa danda non eſſet, ſi erranti ac delinquenti ſeruo, minis, atque etiam, ſi opus eſſet, verberibus & vinclis non aduerſaretur. Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur: & negligere, quippe cùm poſſis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fauere: vt eſt in canone Innocentij, diſt.83. can.errore, & in c. conſentire, qui eſt Gregorij: Conſentire videtur erranti, qui ad reſecāda, quæ corrigi debent, non occurrit: in ead.diſt.can. Conſentire. Ad ſummam, mihi videtur dicendum: ſi extra culpam latam ſit dominus, non teneri actione illati damni à ſeruo: quia nec ſi idem dominus dediſſet, teneretur.

Quòd autem Ioannes Tabien. quæ ab Angelo & Syluestro adiunguntur, non probet, in eo Tabienſis probandus non eſt: eſt enim adiunctio illa rationi valde conſentanea.

QVÆSTIO XXVI.

Hoc etiam propoſuit ſcripto Theologus Patauinus.

Cùm ager ſuo Domino fructum fert tantùm centum aureorum nummûm, latro verò, ſiue malæ fidei poſſeſſor, cultu & induſtria ſua percipit alteros centum ex eodē agro, an vniuerſum hoc auctum emolumentum vero Domino reſtituere debeat.

Medina, C.de rebus reſtituendis, q.10. 1.
cenſuit non debere, captioſis argumentationibus deceptus, & falſus contrariam ſententiam eſſe communem. Scotus in 4. ſent.diſt.15.q.2.artic.4.§. de tertio ſcilicet: ſcribit his verbis: Dico, quòd non ſolùm tenetur quis ad reſtituendum ablatum, vel vſum rei, ſed etiam ad intereſſe, & fructum perceptum; ſi res erat fructifera: ſed non fructum, qui prouenit ex induſtria eius, qui vtitur illa re: ex quo ſequitur, quòd lucrum acquiſitum ex pecunia fœnebri, non tenetur fœnerator reddere. Vbi Scotus non loquitur de fructu, qui è terra colligitur: hæc enim fructifera eſt, multáque ex ſe gignit; ſed de pecunia, quę ſine humana induſtria, nullam prorſus humanæ vitæ comparat vtilitatem. Maior in 4.diſt.15.q.26. Fur, inquit, tenetur rem furtiuam reſtituere, ſi eam habeat: &, ſi rem ipſam alienauerit: vel, ſi res ipſa perierit, pretium reſtituere tenetur ſecundùm optimum ſtatum rei, hoc eſt, ſecundùm

» quod plus valuit, poſtquam fuit ab ipſo
» empta: & pòſt aliquanto; tenetur etiam
» reſtituere fructus, qui percipi poterant
» tempore, quo ipſam rem habuit: quia hoc
» eſt de lege naturæ.

Neque Maior huic iniuſto poſſeſſori largitur, vt fructus retinere poſſit: ſed id ſolùm, vt pretium eorum quæ expenſa
» ſunt, illi ſoluatur. Fructus enim eos eſſe
» conſtat, qui deductis impenſis ſupererũt, ait Vlpianus.l.fructus.ff. ſoluto matrimonio.& Paulus, in l. ſi à patre, vel à domino, §. fructus.ff. de petitione hereditatis:
» fructus intelliguntur deductis impenſis,
» quæ quærendorum, cogendorum, con-
» ſeruãdorúmque eorum gratia fiunt: quod
» non ſolùm in bonæ fidei poſſeſſoribus
» naturalis ratio expoſtulat, verumetiam in
» prędonibus, ſicut Sabino quoque placuit.

Quod nos dicimus, dicit quoque Panormitan.in c.grauis, de reſtitut.ſpoliat. num.7.& 14. ſui commentarij, & Syluester, in verbo, Furtum, §.16.num.20. & in verbo, Reſtitutio, 3.§.7. idem colligitur ex Nauarro, in Manuali, cap.17. num. 216. Mirandum verò in modum lex adiuuat hanc ſententiam, lex inquam, adeo quidem, §.ex diuerſo.ff.de acquirẽdo rerum dominio: quamuis eiuſmodi legem ad id, quod nunc diſſeritur, à nemine ſumi videam.

5. Sic enim illa ſtatuit: ſi quis in alieno ſo-
» lo, ex ſua materia ædificauerit, illius fit
» ædificium, cuius & ſolum eſt: & ſi, ſcit alie-
» num ſolum eſſe, ſua voluntate amiſiſſe
» proprietatem materiæ intelligitur. Itaque
3. ne diruto quidem ædificio vindicatio eius
» materiæ competit. Lex loquitur, de eo, qui dolo, & mala fide, in alieno ſolo extruxit ædificium.

Neque dicendum eſt, Iuriſconſultum hanc pœnam irrogare, non ius declarare, aut condere. Primùm: quia lex eſt à Iuriſconſulto conſcripta: cuius nõ eſt, pœnam infligere; cùm is Princeps non ſit. Deinde: quia lex eadem eſt æquitate naturali firmata: quæ non præſcribit, vt ego pro eo ædificio tibi impendam pretium, quod ego noluiſſem in meo fundo excitari. Poſtremò; quia cauſſam amiſſi ædificij exprimit, cùm ſubiungit: ſua voluntate pro- »
prietatem materiæ amiſiſſe intelligitur. »
Quantò igitur magis idem lex ſtatuiſſet in eo, qui inuito domino ex alieno fundo percipit fructus? nempe dixiſſet, illos ad verum fundi dominum pertinere. Ad reſponſum noſtrum ius Imperatoris accedit, inſtit.de rerum diuiſione, vbi eſt his
ipſis verbis: Ei verò, qui alienum fundum »
ſciens poſſederit, non idem conceſſum »
eſt: itaque cum fundo etiam fructus, licèt »
conſumpti ſint, cogitur reſtituere. Nec »
vlla adhibetur diſtinctio, minorésne, an maiores fructus fundi dominus demetere ac percipere potuiſſet.

QVÆSTIO XXVII.

Eſtne ius aliquod relictum religioſis 1.
largiendarum eleemoſynarum?

Quæſtionis explicationem in nonnullas propoſitiones conferam.

Prima propoſitio. Religioſus, ſi religioſo ſodalitio, totíque rei familiari, & domeſticis rationibus moderetur, ius obtinet erogandæ eleemoſynæ. Propoſitio eſt apud omnes certiſſima: imò addit Alexander Alenſis, in 4. part. quæſt. 32. memb. 4. art. 1. eiuſmodi religioſum non ſolùm poſſe, ſed debere in pios ac religioſos vſus conferre omnia, quæcumque ſuperfluunt: omnibus enim edicitur Luc.11. *quod ſupereſt, date eleemoſynam.*

Secunda propoſitio. Peregrinans religioſus, itérve faciens, ſuo iure ſubuenire poteſt pauperibus: quod ius tum conſuetudo generalis, tum tacita ac recta voluntas ſuperiorum tribuit. Neque apud Doctores de hac ſecunda propoſitione controuertitur.

Tertia propoſitio. Si ſtudiorum cauſſa verſetur religioſus in gymnaſiis, poſſe eũ egentibus opitulari, ait D.Thom.in 4. d. 15.q.2.art.5. quæſtiunc.4. Quia, inquit D.
Thomas, cùm dantur ei expenſæ, com- »
mittitur

„ mittitur ei earum diſpenſatio. Huic propoſitioni aſſentitur etiam Alex. vbi ſuprà, & Dur. in 4. diſt. 15. quæſt. 8. num. 6. qui totam ſententiam exſcribit D. Thomæ: nec quiſquam huic propoſitioni contradicit.

Quarta propoſitio. Monachus, ſeu religioſus, intra monaſterium degens, rem paruam, abſente Abbate, vel Præfecto domicilij, ratus Abbatem ratum habiturum, dare poteſt indigentibus: eſt D. Tho. in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 5. quæſtiunc. 4. & & in 2. 2. quæſt. 32. art. 8. breuiùs dicit hoc „ pacto. Si verò non habet diſpenſationẽ; „ quia nihil proprium habet; tunc non po„ teſt facere eleemoſynam ſine licentia Ab„ batis, vel expreſsè habita, vel probabiliter „ præſumpta. Eadem verba ſunt apud Richardum vbi ſuprà. & Durandus, in ead. quæſt. & num. Vxor, & filius familias, & ſeruus, & monachus, ſeu quicumque religioſus, niſi habeat adminiſtrationem aliquam, non poſſunt licitè facere eleemoſynam niſi modo ſupràdicto; videlicet quantùm credunt bona fide placere domino, vel adminiſtratori, vel aliqualiter ſcire, & diſſimulare.

2. Quinta propoſitio. Religioſus, ei, qui eſt in ſummam inopiam coniectus, poteſt ac debet, etiam repugnante Abbate, opem ferre potu, cibo, veſte: tum, quia tempus extremæ neceſſitatis facit omnia communia: &, qui ea premitur, Dominus eſt eorum quæ ei dantur. Tum, quia præceptum illo tempore proximis, id eſt, hominibus ſubueniendi, eſt à Deo, & naturæ domino, cunctis perſonarum generibus impoſitum.

Sed quæres; Vtrùm ſubuenire poſſit non conſulto ſuperiore, nec ab eo data venia opitulandi. Alexand. Alenſ. in 2. p. „ quæſt. 32. memb. 4. artic. 1. reſpondet: Si „ Prælatus ſit præſens, & opportunè peti „ venia poſſit, eſſe petendam; ſi non con„ ceſſerit, inquit, vel præſens non fuerit, & „ ipſum adire non poterit propter tempo„ ris breuitatem, debet erogare: quia in tali „ articulo omnia ſunt communia. D. Thomæ & Richardo non videtur ea petitio facultatis neceſſaria. Richardi verba hæc ſunt. Omnes tamen prædicti licitè poſ- „ ſunt, & debent in caſu neceſſitatis extre- „ mæ indigentibus ſubuenire, etiam aſſenſu ſuperiorum non habito expreſsè, nec præſumptè. Hoc ipſum placuit S. Bonau. in 4. diſt. 15. artic. 2. quæſt. 2. cùm locutus eſt his verbis: vnde canon 12. quæſt. 1. non dicatis. Certum eſt quòd monachus nihil habere, vel dare, vel accipere ſine licentia debet: niſi fortè ille, qui indiget, ſit in extrema neceſſitate: tunc non debet obedire Abbati: quia manifeſtè faceret contra Deum. Eiuſmodi autem petitionem veniæ eſſe minimè neceſſariam hac firma ratione concluditur. Quia, vt quis generali Dei præcepto pareat, ab homine veniam petere ridiculum eſt, ne quid grauius dicam. Id tamen quod dicit Alexander, ſeruandum eſſet, vel quando res, qua ſubueniri debet indigenti, haberi nõ poteſt, niſi largiatur Abbas; vel eo iubente alius; vel quando orietur ſcandalum, niſi extremæ neceſſitatis Abbas certior fieret. Quòd ſi ſuſpicio foret probabilis, Abbatem opi ferendæ allaturum impedimentum, nulla ratione indigentia fratris extrema eſſet illi ſignificanda, ſed aliis modis omnibus, quos docet caritas, ſubleuanda.

QVÆSTIO XXVIII.

1. Petrus furtum facit Ioanni: domi eius, clam effracta arca nummaria, & pecunia, quæ erat quingentorum aureorũ, inde ablata, fugit. Domus, & pecuniæ dominus rediens videt arcam apertam, pecunia vacuam; incidit ei ſuſpicio, argentũ à duobus famulis domeſticis eſſe ſurreptum; horum nomen iudici defert: famuli iudicis iuſſu comprehendũtur: traduntur in cuſtodiam: ad quæſtionem abripiuntur; tormentis feſſi ſui ti crimẽ, quod eos minimè attingebat, ſuum agnoſcunt. fertur ab iudice ſententia, vt ſuſpendantur.

Digitized by Google

tur. Interim cùm fama de infelicium ſeruorum interitu percrebreſcit, verus auctor furti, ſceleris conſcientia cruciatus, ad ſacerdotem adit; ad eius pedes abiectus conſilium auxiliúmque expetit: illúmque de re omni certiorem facit.

Quæſitum eſt, quæ furis conſulentis, quæ item Sacerdotis conſilium dantis ſint in hac cauſſa partes neceſſariæ.

2. Mihi videtur illud in primis à fure præſtari oportere; vt, ſi reſtituenda pecunia furtiua inſontibus illis famulis ſubuenire poteſt, nulla interpoſita mora reſtituat. Dixi, ſi poteſt, quia iudex ſuſpicari poſſet redditionem pecuniæ non eſſe nomine Petri, qui ſe non prodit, ſed nomine famulorum, qui ea ratione conantur ſe morte eripere: poſſet etiam credere, eorundem aliquem cognatum, conſanguineum, vel amicum offerre Ioanni pecuniam; vt ab iudice vel Principe; ſuorum famulorum mortem deprecetur. Si igitur hac via mors innocētium redimi nequit, tenere hanc ſecundam deberet vt Sacerdos iudicem conueniret, furis occulens nomen; diceretque ſibi in confeſſione ſacra compertum eſſe furem, illos miſeros morte liberandos videri.

Verùm nec iudex Sacerdoti cogitur credere; qui verbis alterius inductus, à quo falli potuit, alloquitur iudicem: opinaríque poſſet aliquem aut ſanguine, aut affinitate, aut amicitia, cum duobus famulis, aut alterutro eorum coniunctum, apud Sacerdotem mentitum eſſe: ne damnati in laqueum collum inſerant. Adde, quòd nec preces Sacerdotis, nec pecuniæ redditæ poſt ſententiam definitiuam à iudice pronuntiatam, vim habent ad ſententiam reſcindendam, vel immutandam. Iudex enim vbi ſententiam tulit, non poteſt eam aut augere, aut minuere, aut mutare, aut reuocare, niſi iniquitatē contineat manifeſtam, ex cap. inter ceteras, de ſententia & re iudicata: ac niſi lata eſſet in abſentem, qui deinde legitimam cauſſam abſentiæ demonſtraret; ac niſi propter errorem facti irritanda eſſet vel etiam ob publicam vtilitatem. Princeps autem poteſt ſemper, cùm ei collibitum erit, reuocare, mutare, corrigere.

3. Quocirca tertia via quærenda eſſet; vt ſi qui gratia & auctoritate apud Principē valerent, hos pro vita illorum innocentium ad Principem allegaret; vel allegandos curaret: rogandúſque eſſet iudex, & rogandus Sacerdos; vt de mitiganda ſententia ac pœna, cum Principe obnixè agerent. Atque hæc mihi via omnium tutiſſima videtur.

Nec quarta diſplicet; id eſt, appellationis. Cùm enim ab ſententia inferioris iudicis, quis prouocare poſſit ad ſuperiorem iudicem; detúrque id beneficium etiam cōfeſſis, vt probat Archidiaconus, in cap. Romana. de appellat. in 6. num. 11. præſertim ſi cauſſam exprimat, quòd, vel vim tormentorū nequiuit perferre; vel, quòd errauit in facto; vel quia confeſſionem ſuam declarare vult; vel, ob aliam quampiam æquam cauſſam. Recedítque Archidiaconus ab opinione Azonis; qui negauit, in crimine appellandi facultatem ei tribuendam eſſe, qui ſit confeſſus, & teſtibus conuictus, & argumentis ſuperatus.

Verùm ſi beneficio appellationis vti volet, id faciet intra decem dies; qui à die latæ ſententiæ numerantur. C. de appellat. l. extrema. Ac ſi reformidat adſpectū iudicis, à quo prouocat; licebit ei coram honeſta perſona appellare. Pro eo etiam, qui ad ſupplicium ducitur, quilibet poteſt appellare, inuito etiam reo; vt eſt in l. non tantum. ff. de appell. recipiendis.

Quare, ſi quis doctus à fure nonnulla indicia, quæ veriſimile eſt ignoraſſe illos famulos, vt genus monetæ varium, vt arcæ, in qua aſſeruabatur pecunia, magnitudinem, formam, ſeu figurā & alia eiuſmodi, ſi ea, inquam, indicia deferret ad iudicem appellationis, non ſolùm differretur ſupplicium, ſed etiam fortaſſe vitaretur.

Quæres, num quinta via, aut ſuadenda, aut ſit furi ſuſcipienda vt is furtum ſuum aut iudici, aut palam enunciet; illorúmque 4.

rumque inſontium laqueum ſibi paret; quo illi expediantur.

Reſpondeo, in hanc illum neceſſitatem minimè conijciendum eſſe. Id quod auctoritate & ratione peruinco. Sotus, in 4. lib. de iuſt. & iur. q. 6. art. 3. vbi longiſſimè de reſtit. diſputat. §. quid autem, dum
„ quis famam. Sic loquitur: Si crimen com-
„ miſiſti, ob quod ille falsò condemnatur: ſi
„ tu illi non impoſuiſti, nihil tua refert: ob
„ idque nulla lex te ipſum tunc prodere co-
„ git. Nauarrus, in Summa, cap. 15. num. 17.
„ Qui alium occidit, ob quod alius cum pe-
„ riculo ſuæ vitæ eſt in carcere, non videtur
„ obligatus ſe ipſum prodere; ſéque pericu-
„ lo propriam vitam amittendi exponere.
Cordubenſis, non obſcurus Doctor, inter ſuæ nationis viros, in lib. qq. quæ de caſibus conſcientiæ ſunt ab eo, ſermone Hiſpanico explicatæ, quæſt. 174. idem ſentit omnino, eiuſdémque ſententiæ comitem alium quemdam Doctorem Hiſpanum, Pedrazam nomine dilaudat.

Venio ad argumenta. Prima ratio, horret id communis natura; vt quis aut mortem ſibi ipſe conſciſcat; aut ſalutem ſuam in extremum capitis diſcrimen adducat.

5. Quare D. Thom. & magni Theologi ſentiunt, eum, qui capitis damnatus eſt, poſſe ex carcere euadere; modò ne effringat, aut vim Magiſtratibus, eorúmve miniſtris vllam adferat, etiamſi reus ſit iuſtè in vinculis; eum poſſe etiam, qui condemnatus eſt, vt fame pereat, cibum quærere, ac ſumere. Quæ igitur honeſta ratio docere poteſt, vt ille fur, qui famulis iniurius non fuit; qui nullis iudicum ſuffragiis condemnatus eſt; cuius eſt planè crimen occultum; ſe, ſuúmque facinus prodat; & capitalium iudiciorum ſibi plagas texat?

Secunda. Si Petrus præſente alterutro famulo heri pecuniam ſuffuratus eſſet; & ab eodem famulo furti poſtulatus eſſet, poſſet coram iudice ſibi crimē obiectum inficiari, honeſta aliqua vtens tergiuerſatione: quamuis famulo pœna capitis luēda eſſet, quòd intentatum crimen non probarit. Nam reus, cùm eius eſt occultum crimen, vtitur iure ſuo, cùm illud in iudicio cælat: quantò igitur magis eidem furi tegere licebit extra iudicium à nemine accuſato? à nemine in ſuſpicionem furti aliquam vocato?

Tertia. Si vlla actione Petrus teneretur, ea eſſet damni dati: at hæc in eius latrocinio locum non habet: eius enim furtum damni, in quod famuli inciderunt, cauſſa tantùm remota, non propinqua fuit; propinquam autem ex communi Doctorum interpretatione eſſe oportebat. Sic enim interpretantur ſententiam illā in extremo cap. de iniuriis, & damno
daro: Qui occaſionem damni dat, damnū „
dediſſe videtur. & in cap. de cetero, de „
homicidio. Qui homicidio cauſſam dediſſe videtur, non videtur ad Sacerdotium promouendus.

Furtum verò Petri longinquam cauſ- 6.
ſam eſſe interitus ſeruorum, & longè diſtantem, hinc intelliges: quòd inter facinus Petri, & necem famulorum decem quaſdam alias cauſſas interiectas percenſendo reperias.

Hæ autem ſunt. Heri ſuſpicio è coniecturis veriſimilibus orta; eiuſdem eſt contra ſeruos factitata accuſatio: famulorum auctoritate iudicis comprehenſio; ipſorum in vincla coniectio: arguta iudicis interrogatio & quæſtio: tormenta ad extorquendam confeſſionem delicti ſeruis adhibita: eorundem confeſſio; iudicis ſententia, & condemnatio: ſeruorum ad patibulum itio: & omnium, quæ in ſuſpendendis reis agi ſolent à carnifice, adminiſtratio. Vt famuli de ſua tantùm animi mollitie & iniuria, qua veritatem, iuſtitiam, ſuum honorem, famam, & vitam falſa ac mendaci confeſſione affecerunt, meritò queri poſſint, & debeant: ſuique damni, & mali ſe ipſos ſolos auctores agnoſcere. Sapienter enim vtraque lex Pontificia & Cæſarea ſtatuit. Damnum, „
quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debere, „
non alij imputare, cap. nullus. de regulis „
iuris, lib. 6. & ff. eod. l. Quod quis.

In his autem delictis alienis, ob quæ ſæpe

ſæpe plectuntur, ignominiiſque, damnis & morte mulctantur ij, à quibus nec admiſſa, nec cogitata ſunt, probabilis eſt illa Cordubenſis exceptio, quæſt. 174. vt, qui ſuo fraudulento facto, improbóve conſilio, malum alteri inſonti machinatus eſſet, omnium iniuriarum, ac damnorum actione teneatur.

QVÆSTIO XXIX.

AD feram, ſiue auem, caprandam, à me comparatur laqueus: eo implicatur fera, ſeu auis, tu illinc extrahis, & aſportàs: vt præda fruaris.

1. Quæſitum eſt; num iure id tu facere poſſis. In conſeſſu multorũ Sacerdotum, cùm de hoc genere diſputatum eſſet, fuit à me delata controuerſia; & in eo cœtu conſtitutum fuit; qui è laqueo feram eduxit, ei, qui poſuit laqueum, non cogi teddere; nulliúſque furri reum eſſe. Legem, laqueum. ff. de acquirendo rerum dominio, proferebant: in qua lege ſic loquitur Proculus iuriſconſultus. Videamus, laqueúmne interſit in publico, an in priuato poſuerim: &, ſi in priuato poſuerim, vtrùm in meo, an alieno: & ſi in alieno: vtrùm permiſſu eius, cuius fundus erat, an non. Præterea vtrùm in eo ita cohæſerit aper; vt expedire ſe nõ poſſet ipſe: an diu luctando expediturus ſe fuerit. Adhuc iuriſconſultus diſtinxit, & multifariam quæſtionem diuiſit, ſuam deinceps ſententiam ſubiecit, Summam tamẽ, inquit, hanc puto eſſe; vt ſi in meam poteſtatem peruenerit, meus factus ſit. E quibus verbis cogi videtur id, quod in illa Sacerdotum coitione decretum eſt. Adſtipulatúrque eidem opinioni ſumma hæc Bartoli, in illam ipſam legem. Quod in laqueum meum incidit, nõ eſt meum, niſi manualiter capiatur.

2. Ego, ſecutus naturalem æquitatem, quam conſcientiæ, & DEI tribunal intuetur, & ſequitur; cuius oculi vident æquitatem, hac diſtinctione, quam indicat iuriſconſultus, reſpondi.

Animal, quod ſe in laqueum meum induit, aut è laqueo occiſum pendet; aut adeo eo eſt impeditum, vt euadere non poſſit: ſi ita intra laqueũ meũ ſit animal, ſeu fera, vt illinc euadere non poſſit; nemo dubitauerit eam meam eſſe, cuius eſt laqueus. Quod ipſum omnibus his rationibus peruinco.

Prima ratio. In eius eſſe poteſtate & iure debet illaqueatum animal, qui prior illi laqueum propoſuit, & fugiendi facultatem præcidit: id fecit auctor laquei, ergo illius eſt animal. Secunda. Sequeretur etiam, prædam piſcium, ſeu auium, quæ retibus meis inhęſerunt, auferri ab eo poſſe, cuius nec ſunt retia; neque vllo ſuo labore eiuſmodi animalia concluſit. Quod enim licet in laqueo, cur non liceat in retibus? Tertia. Ei præda, ſeu fera capta adicenda eſt, cuius eſt labor, induſtria, ſudor, impenſa & inſtrumenta: hæc omnia ſunt eius, qui retia ſeu laqueum tendit: ergo eiuſdem erit præda. Quarta. Sicut pugnantis in acie captiuus miles, eſt eius qui victum vinxit; ita in bello, quod geritur cum feris, ſeu auibus, eius debent eſſe, à quo vinctæ & illaqueatæ ſunt. Quinta. Vt fructus è re mea, quæ non eſt alteri vllo nomine obligata, meus eſt; ita animal meo laqueo captum, meum erit: eſt enim meæ rei fructus. Sexta. Sicut mea pecunia meo labore & induſtria tantùm comitata cùm parit fructum, mihi vni patit; ſic laqueus meus cùm meo labore implicat feram, illam meam facit, nullius præterea. Septima. Leges & conſuetudines, quæ odia & ſimultates, & lites fouẽt, nequeunt eſſe iuſtæ ex communi Doctorum ſententia. Sed, ſi lex, animal meo laqueo incluſum, alteri concederet, contentionum & inimicitiarum ſeminarium eſſet: ergo id nulla iuſta lex cuiquam permittere poteſt.

Poſtremò, quod nos defendimus, defendit item Gloſſa in l. naturalem. ff. de acquirendo rerum dominio: defendit etiam Bart. in eamdem legem, Gloſſam 3.

citans

citans & ſequens; quam Gloſſam ait eſſe memoria dignam. Et tene, inquit Bartolus, menti iſtam Gloſſam, quam allegaui in tractatu de molendinis: eamdem ſententiam iterat idem Bart. in l. in laqueum, eod. titu. ea comprobans, quæ ſcripſerat antea in legem naturalem. ff. de acquirendo rerum dominio.

In eadem ſententia eſt alius quidam doctor à Gloſſa citatus, explanante legem in laqueum: qui doctor ita aiebat: timeo ſcandalum, non futurum iudicium: ſignificabat id omne malum, quod nos in ſeptima ratione memorauimus. In eadem eſt Azon, ab eadem Gloſſa nominatus: qui ſcripſit, animal meum eſſe, cùm ſe meo laqueo explicare non poteſt. In eadem eſt Syluester, in verbo, Inuentum q. 2. vbi citat Gloſſam in l. in laqueum, & §. ſingulorum, in inſtitutionibus de rerum diuiſione: vbi ſic Imperator. Quidquid autem eorum ceperis, tuum eſſe intelligitur, donec tua cuſtodia coërceatur: cùm verò tuam euaſerit cuſtodiam, & in libertatem naturalem ſe receperit, tuum eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit. Quis autem ignorat laqueum paratum feræ, in quem ea incidit, illi eſſe pro cuſtodia? atque eam naturali ſua libertate ſpoliatam eſſe? In eadem ſententia eſt directorium; cuius meminit illic Syluester. In eadem eſt Angelus, in verbo, Inuenta. §. 2. ſententiámque confirmat lege in laqueum, & §. ſingulorum, quem deſcripſimus. In eadem eſt Couarruuias, in regulam, Peccatum. §. 8. num. 13. 1. tomo ſuarum relectionum. Tunc enim credit non committi furtum, cùm animal, quod incidit in laqueum, aut illum rupturum eſt, aut antè elapſurum quàm laquei Dominus poſſit aduentare.

4. Hoc idem ipſi legi, & iuriſconſulto probatum eſſe hæc tria perſuadent. Primùm, Quia illo ſuo ſimplici reſponſo credibile non eſt tam multas diſtinctiones, ab eo excogitatas, quibus ſingulis ſingulæ debebantur reſponſiones, imprudenter & temere euertere voluiſſe. Deinde, quia iuriſconſultorum reſponſa bonum, æquũ, & honeſtum moderatur. At eſt longè ab æquitate & ratione diſiunctum, vt fera eius ſemper ſit, qui manu capit, etiam eo tempore, aut quo periit laqueo; aut eo ita conſtricta tenetur, vt abeundi nulla ſit ei facultas, niſi ſit laquei dominus. Poſtremò. Quia huc illius verba ſpectant, quæ reſponſum conſequuntur. Si autem, inquit, aprum meum factum in ſuam naturalem laxitatem dimiſiſſes: eóque facto meus eſſe deſiiſſet, actionem mihi in factum dari oportet; veluti reſponſum eſt, cùm quidam poculum alterius ex naui deieciſſet. Hæc iuriſc.

Reſponſum autem hoc de poculo deiecto ex naui, extat in l. ſernandarum. ff. de præſcriptis verbis. Vbi vides animal amotum è laqueo vaſi comparari, è naui deiecto: & laqueum ipſi naui: ergo, ſicut iniquum eſt è naui vas meum deiicere, ita ex laqueo meum animal emittere. Verba autem illa: *in factum meum*, intelligi neceſſariò debent, dum fera laqueo meo colligata erat: nam ſi dum in manu mea eſſet, eam tu eriperes, & libertati ipſe reſtitueres, non tam in factum meum mihi eſſet actio, quàm in tuum furtum, rapinam, vim.

Ergo reſponſum ſuum iuriſconſultus tunc tantum voluit eſſe verum; cùm animal, aut laqueum eluſiſſet, aut fregiſſet, aut quoquomodo inde ſe ſuo marte ſuíſque viribus eripuiſſet; aut etiam, cùm laqueum, & animal, dominus laquei pro derelicto haberet.

Denique huius æquiſſimæ veriſſimæq; ſententiæ conſuetudo teſtis & approbatrix eſt; quæ in animæ & conſcientiæ foro ſeruanda eſt omnino, vt loco, quem ſignificauimus, admonet Didacus Couarruuias.

QVÆSTIO XXX.

Curius nobilis latro, impura bellua, ſcelus populi, communitatis labes, 1.

ſententia iudicis ſuſpendendus eſt; patibuli laqueos declinabit, ſi creditoribus de ſuis bonis ſoluant vxor & filia Curij.

1. Sciſcitatæ ſunt è quodam Sacerdote, Curij vxor,& filia; cogantúrne vllo conſcientiæ iure ſuorum bonorum iactura, ſupplicio Curiũ liberare. Tres huic cauſſæ ſcopuli obiecti ſunt,quos ſuperare duce Iesv debemus.

Primus eſt, Furis vxori, ac filiæ, vllâne ſit impoſita neceſſitas ſuorum bonorum aut oppigneratione,aut abdicatione,Curium à morte eripiendi. Secundus, Num potiùs cogantur eidem non hac ratione ſubuenire, ſed ſinere eum ſupplicio perire. Tertius, Qua cautione adhibita Sacerdos mulieribus debeat reſpondere.

De prima parte quæſtionis ita mihi iudicatum olim fuit; nec retexo iudicium; neutri mulieri vllã extitiſſe neceſſitatem illius nequiſſimi furis ſoluendi ſupplicio, illius turpiſſimis nominibus exſoluendis & expediendis.

Primùm, Quia pecuniæ ſolutione quantùm vitæ corporis prodeſſe poſſunt, tantundem, imò multo magis vitæ animæ Curij obeſſent.Qui cùm ſit tot ſcelerum maculis notatiſſimus & diuturna peccandi conſuetudine corruptus, liberatus ſupplicio, ad eaſdem flagitiorum ſyrtes, & ſalutis ſuæ ſcopulos, continuò deferetur: id quod ne contingat,mulieribus vtcumque prouidendum eſt:iis enim multò pluris Curij æterna ſalus, & vita animi, quàm ſalus corporis æſtimãda eſt. Deinde. Quia peſti domeſticæ contra commune bonum ſuccurrere nefarium eſt. At Curius peſtis & pernicies eſt communis cœtus indigenarum. Poſtremò. Quòd ſi cauſſã improbi latronis ſuis fortunis euertuntur mulieres, in maximum periculum earum exiſtimatio, pudicitia, & ſalus prouehitur: quæ mala multò magis fugienda ſunt illis,quàm Curij ſupplicium prohibendum, quo eſt is digniſſimus; & quo vno æterna illius felicitas continetur.

Et quoniam, quæ rationes neceſſitate ambas mulieres liberant ſatisfaciendi pro fure creditoribus, eædem perſuadet non ſolùm poſſe nõ ſatisfacere, ſed planè non debere ſatisfacere,ideo concluditur,nihil illas contra officium facturas eſſe, ſi tantæ, ac tam immani belluæ iam collum in laqueum inſerenti, tanto ſuo, tantóque innocentium periculo, & malo deſierint ſubuenire.

At enim opponat quiſpiam:impietatis genus eſt, parenti ac marito opem non ferre. Verùm id nimis præcisè dicitur,addendum enim fuit;niſi parens, niſi maritus ipſe, in Devm, in ſuam animam, & ſalutem,in patriam,in liberos, in vxorem in propinquos & amicos, impius ſit, ac ſceleratus. Atqui ordo præcipit caritatis; vt rem noſtram familiarem pro alterius vita profundamus: & id præcisè dicitur: plenè autem & perfectè diceretur hac adiunctione verborum; ſi is, cui opitulandum eſt,ſit vita dignus;ſi eius vita non ſit virtutum interitus, & tyrannis vitiorũ; ſi eius vita non ſit communis boni pernicies. Denique,ſi res familiaris non ſit habenti ad ſuam & propriam vitam, ad exiſtimationem, ad pudicitiam tuendam, virtutémque colendam, inſtrumentum neceſſarium. Ergo peccarint mulieres, ſi ſuis facultatibus huius porteri ſaluti proſpexerint? profectò haud rectè fecerint ipſæ: ignorantiæ tamen earundem ignoſcendum foret: quia hæc iura, de quibus diſceptamus, non ſolùm muliebrem, vetumetiam multorum virorum, eorum etiam, qui indoctiſſimi non ſunt, intelligentiam, poſſunt præteruolare. 2.

Poſtrema difficultas, Sacerdotem, qui conſulebatur, attingit. Poſſitne reſpondere mulieribus, vt ſuo potiùs tenui peculio, quàm vitæ nocentiſſimi Curij parcant. 3.

Hac ratione reſpondendi eſſe prohibitum Sacerdotem, illud ſuadet, quòd ea reſponſione occidendi furis cauſſa videatur.Reſponderi poteſt talis necis non eſſe cauſſam proximam ſua reſponſione, ſed remotam,& valde longinquam:proximæ enim

enim cauſſæ ſunt iudex & carnifex, & ſi vis,adde furis maleficia, & ſatellitum ſtudium,qui furem comprehenderunt. Huc adde,quòd ſi mulieres viri eſſent, hi non irregulares eſſent, quia furi opitulati non ſunt:non enim quicumque non prohibet necem alterius, irregularitatem incurrit: alioqui in ciuitate quàmplurimi, qui vel vi,vel etiam precibus,gratia & auctoritate poſſent ſicarios & latrones è ſupplicio eripere, eſſent irregulares, non eos eripiẽtes: quod ſtultum eſt cogitare,ne dum affirmare. Si ergo viri, qui poſſent vitam impetrare latroni, ſi non impetrent, irregulares non ſunt; quia non omittunt id, quod omittere non debent, id eſt, non faciunt pro latrone, quod non eſt fas facere; cur ſacerdos labatur in irregularitatem, ſi conſilium ea de re det, quæ fieri ab alio debet ſine vllo metu irregularitatis?

4. Diceret quiſpiam. Longè diuerſæ ſunt hæ tes duæ: ab omni ope,quæ à me expectari non debet,nec ad me ſpectat, ceſſare, & conſilium dare alteri de ceſſando: nam ceſſare eſt, ſola priuatio, & negatio: at conſilium eſt quid facti, & affirmationis.Si quis conſilij cauſſa ad me aditet,an ei rectum ſit ſupplicio ſubducere hominem non quidem exitioſum patriæ, ſed potiùs vtilem, iuſtè tamen ſuſpendendũ, atque reſpondeam ſatiùs fore, vt ſinat eum ſuſpendi; ſi ſuſpendatur, is, qui non iuuit,irregularis non eſt:Sacerdos autem, qui illud dedit conſilium,vtrùm extra irregularitatem ſit,dubitari poſſet:ſed quia actus inducens irregularitatem, ſuapte natura attingere debet necem, ſeu mutilationem, id quod non facit, qui reſpondet mulieribus nulla neceſſitate cogi ſuatum fortunarum iactura auxilio eſſe ſuſpendendo Curio,potiùs credendum eſt illo ſuo conſilio, & reſponſo non fieri irregularem. Neque enim vlla actio, è qua exiſtere ſupplicium poſſit, ſuadetur, ſed ceſſatio dumtaxat eius rei, quam quis præſtare nec poteſt, nec debet, vt iam diximus.

Poſſet etiam ac deberet Sacerdos, ſi animi penderet,nec quidquam explorati haberet, conſulentes reiicere ad ſapientis Theologi,aut alterius doctoris iudicium. Salua ſemper meliore ſententia.

QVÆSTIO XXXI.

Aporus, mercatoris cuiuſdam adminiſter, egeſtate ambuſtus, in ſumma annonæ difficultate, coactus eſt, ad ſuam alendam familiam, te vti mercatoris.Rei conſumptæ æſtimatio, fermè centum eſt aureorũ nummûm. Aporus,mercatori ſpondet, opera ſe illi & labore ſatisfacturum. Huius autem miſeri debitoris domus tanta conficitur inopia, vt, ſi partem nominis diſſoluere velit,lectus,in quo cum vxore iacet, ei ſit aut vendendus,aut pignori opponendus. Sed tamen mercator non ceſſat hoc ipſum vrgere nomen; afflictúmque debitorem, quia non eſt ſoluendo, curauit dandum in cuſtodiam, in qua, tota eius mœrente & laborante familia,aſſeruatur. 1.

Confeſſarius Sacerdos mercatoris quæſiuit, poſſitne abſolutionis Sacramentum ei impartiri, qui negat è carcere Aporum educi debere; quamuis mercatori polliceatur,lucri ſe partem, quod faciet, ei in ſingulos menſes daturum: nec viro poſſit in vincula coniecto victum ſuppeditare vxor, niſi perparua ſupellectile diſtracta, qua egentiſſima familia ſuſtentatur ægerrimè.

Conſulenti Sacerdoti reſpondi, Sacramenti gratia ideo indignum eſſe mercatorem,quòd ab eo tum caritatis tum iuſtitiæ leges ſcelerate perfringantur. Neque deſinet mercator magni ſceleris vinculis colligatus eſſe,quoad ex illis,quibus ſuus debitor adſtrictus eſt, eumdem exemerit. Id quod nonnullis pronuntiatis Theologicis, quibus non credere nemini licet,demonſtrare cònatus ſum. 2.

Primum pronuntiatum. Is qui Summa egeſtate neceſſitudinéque oppreſſus,quę

 neceſſi

neceſſitudo, aut naturæ, aut vitæ, aut corporis, aut indiuidui, aut abſoluta rectè nuncupatur, rem habet alienam, quamdiu non eum deſerit neceſſitas, reddere illam domino priori non cogitur: ideo, quia eiuſmodi neceſſitudo alienarum rerum iuſtam communionem adferre conſueuit, vt iura, tum Imperatoria, tum verò Pontificia, cunctorúmque Doctorum voces teſtantur. Hic tamen locus eam exceptionem admittit. Quòd ſi res priori poſſeſſori, vel domino, ſubtracta eſt, quo tempore ipſe ſummè egebat, ei reſtituenda eſt: quàmuis eodem tempore, qui ſubtraxit, grauiſſima laboraret inopia, propterea quòd prior dominus numquam rei ſuæ ius amiſit.

Huius exceptionis inuentores & comprobatores ſunt Scotus, in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 2. artic. 4. in reſponſione ad argumenta. Richardus, in eamdem diſtinct. art. 4. quæſt. 4. Diuus Antoninus, in 2. part. tit. 2. cap. 8. Henricus Gandau. quodlib. 6. quæſt. 24. Paludanus, in 4. ſentent. diſt. 15. quæſt. 2. artic. 4. Angelus, in verbo, Reſtitutio, 5. Ioannes Tabienſis, in verbo, Reſtitutio. §. 5. qui his verbis inter-
» pretatur vim extremæ neceſſitatis. Intel-
» ligo, inquit, extremam neceſſitatē, quan-
» do, ſine illo nō poteſt diu viuere: vel ſine
» eo exponeret ſe periculo magnæ infirmi-
» tatis; vel quando aliter non poteſt ſibi
» prouidere, ſecundum D. Thomam, in
» quodlib. 5. art. 17.

3. Secundum pronuntiatum. Rei alienæ poſſeſſor non ſubeſt neceſſitati eius reſtituendæ, cùm ei creditor eleemoſynam cogitur impertiri, eſt hoc pronuntiatum apud Ioannem Tabienſem, eodem loco, & quoniam ipſi in hortatione quadam ad populum, multis grauiſſimis ſanctiſſimiſque teſtibus, probauimus neceſſarium tempus largiendæ eleemoſynæ nō ſolùm illud eſſe, quo quis extremè, verumetiam quo vehementer eget, ſiue de neceſſitate vitæ, ſiue de ea, quæ ſtatus & conditionis dicitur, agatur, conſequens eſt, vt, ſi alterutra neceſſitas Aporum premat, interim ſit reſtituendi lege debitor ſolutus.

Huius opinionis adſtipulator eſt Diuus Antoninus, in 2. part. tit. 2. cap. 8. Sylueſter, in verbo, Reſtitutio, 5. num. 3. vbi ad
hunc modum ſcribit: Non ſolùm neceſ- »
ſitas extrema, ſed etiam magna, excuſat à »
reſtitutione, argum. de furtis. l. ſi quis »
propter, & ibi expreſsè in Gloſſa: & hanc »
ſententiam addit Sylueſter eſſe huma- »
niorem & veriorem. »
Eamdem ſequitur Roſella, in verbo, Reſtitutio, 1. numer. 2. Angelus, in verbo, Reſtitutio, 3. Armilla, eod. tit. numer. 28. concl. 1. citans Sylueſtrum, admonens illud ſapienter, ne ſtatus neceſſitas magna creditoris, cum debitoris confligat, cederet enim tunc creditoris neceſſitati neceſſitudo debitoris: adhæc omnem ſumptum non neceſſarium vitare debet, qui tunc rem tenet alterius.

Tertium pronuntiatum. Impotentia, 4. quamdiu ea perſeuerat, reſtitutionem remittit, atque condonat. Id ab omnibus conceditur doctoribus. Quam impotentiam Caietanus, in Summa, vbi de reſtitutione præcipit, cap. 6. his verbis exequitur.
Impotens eſt non ſolùm conſtitutus in »
extrema neceſſitate, ſed etiam, qui ma- »
gnum incurreret damnum ex præſenti »
reſtitutione. Nam impotens dicitur, non »
ſolùm, qui non poteſt. Sed, qui vix poteſt: »
in huiuſmodi autem humanis vix poſſe, »
eſt cum magno damno poſſe. »
Quam rationem exponendi ſequitur Armilla, loco iam indicato. Ac licèt Caietanus hanc ſuam moderationem valere in eos tantùm velit, qui debent ex re aliena, non item ex iniuſta acceptione: tamen Armilla ad hos etiam porrigit: id quod æquitatem habet; à qua alij Doctores non recedunt. eſt item tum Caietani tum Armillæ ea prudens animaduerſio, vt damnum accidat in rebus propriis, non autem in lucro ceſſante.

De impotentia reſtituendi loquens Nauarrus, in Summa, cap. 17. à num. 55. ad 57. incluſum.
Impotentia, inquit, re- »
ſtituendi excuſat à ſtatim: & dicitur non »
poſſe

Digitized by Google

» poſſe non ſolùm qui eſt in extrema neceſ-
» ſitate, aut nullo modo poteſt, ſed etiam
» qui commodè non poteſt, l. nepos Pro-
» culo.ff.de verb.ſignific.& cap.faciat,22.q.
» 2.Gloſſa verò in caput,cùm teneamur, de
» præbendis,in verbo, ſi non poteſt. Ei ait,
» id ſolùm fieri poſſe, quod commodè, vel
» iure fit, & ſine ſcandalo.ff.de verb.ſignif.
» l.nepos.ff.de vſu & habit.non aliter.Hæc
in ea Gloſſa & Nauarrus, in eodem loco:
» Ille autem,inquit,dicitur commodè non
» poſſe, qui non poteſt ſine damno bono-
» rum altioris ordinis famæ,vitæ,ſalutis,&c.
» vel ſine magno damno bonorũ eiuſdem
ordinis: refertque ſe ad eum locum diui Antonini, qui eſt à nobis ſignificatus. Tribuitque id ipſum ius ei qui debet ex furto cõtra Caietanum. At D. Antoninus in 2.par.tit.2.cap.8.docet, potentiam, quæ neceſſitatem adfert reſtituendi, eam eſſe quæ dicitur facti, iuris & commoditatis: itaque incommoditas iuris impotentiam gignit.

5. Huius tertij pronunciati veluti corollarium eſt hoc quartum. Poteſt quis reſtitutionem remorari, quãdo reſtitutio ipſa debitori ingens damnum, creditori verò leuem iacturam adferret: atque hoc ius eſt debitori, etiam creditore inuito: neque enim iuſta voluntate poteſt quis paruum ſuum incommodum magno alterius incommodo anteferre; quamuis ei ſit alter nexu obligatus. Affirmatio eſt hæc Scoti, in 4.ſent.diſt.15.q.2.art.4.in quam pedarij currunt reliqui Chriſtiani officij explicatores. Quare, nõ cogitur quis aut artis ſuæ inſtrumenta, aut verò libros, aut lucri ſui ſortem vendere, vt æs diſſoluat alienum. Sic colligunt D. Antoninus, Sylueſter, Angelus, citatis locis, ſic Tabiena, in verbo, Reſtitutio, num.5. ſic Roſella, eod.tit. extremo. Quamquam D. Antoninus, Roſella, Sylueſter, admonent haud rectum eſſe doctrinam hanc populo enunciare, vt ad rapinas & furta ne fortè via muniatur.

6. Quintum pronunciatum, quod clauis à Sylueſtro appellatur, in verbo, Reſtitutio, 5.num.3. Licitum eſt rem alienam, in- »
quit ille, ad tempus detinere, quando »
ipſe rei dominus hoc rationabiliter velle »
deberet: licèt cupiditate, vel alia irratio- »
nabili cauſſa ductus nolit. Huius pronun- »
ciati & clauis, veritatem & æquitatẽ probat Sylueſter, Ioannis Neapolitani auctoritate, quodlib. 9. qu. 22. quem Ioannem ſententiæ patronũ, & huiuſce clauis quaſi magiſtrum, probant reliqui ſummarum ſcriptores, ac diuus Antoninus in 2. par. tit.2.cap.8.cum quo coniungunt Scotum, alióſque Doctores.

Verùm ipſi ſic magnis auctoribus contenti eſſe debemus: Alexandro Haleſi, quem video ab aliis omitti, qui in 4.par. ſummæ Theologicæ, q.24.memb.5.de reſtitutione, art.3.ſcribit his verbis: Hæc ar- »
gumentatio non valet: hic contrectat vim »
alienam inuito Domino: ergo furtũ com- »
mittit, vel rapinam: quod enim dicitur in- »
uito Domino, intelligitur de voluntate »
rationali & diſcreta, eſt igitur furtum, in- »
quit ille, contrectatio rei alienæ, inuito »
Domino, meritò & iuſtè. Scoti verba in »
4.ſent.diſt.15.q.2.art.4.hæc ſunt: Licet de- »
tinere rem alienam: quando ille, cuius eſt, »
debet eam rationabiliter velle detineri: vt »
cùm eſſet in detrimentum recipientis aut »
communitatis, aut diffamationem proxi- »
mi: quia magis debet velle famam proxi- »
mi, quàm paruum illud ſuum commodũ »
ſtatim. Debet etiam præponere magnum »
incommodum proximi, ob ſubitam reſti- »
tutionem paruo ſuo incommodo ob di- »
latam. Tenet enim reſtituturus rem alte- »
rius domino volente: ſi non actu elicito, »
ſaltem actu debito, & voluntate ordinata »
& iuſta. Hactenus Scotus. Ad cuius ſen- »
ſum atque auctoritatem prorſus accedit »
Adrianus, quodlib.1.col.12. in maioribus codicibus. Hac ipſa claui eſt vſus D. Antoninus in 2.par.tit.2.cap.8. & Caietanus in Summa, in verbo, Reſtitutio, cap.6. vbi hanc exprompſit rationem. Rationabile »
eſt, vt quiſque velit alteri, quod ſibi vellet »
fieri. Eadem vſus eſt Gabriel, clarus Theo- »
logus, in 4.ſent.diſt.15.q.2.art.2.concluſ.2. »

eadem Roſella, verbo, Reſtitutio, titu. vlt. eadem Ioannes Tabienſis, in verbo, Reſtitutio, num. 5. eadem Armilla, in verbo, Reſtitutio, num. 28. concluſ. 2.

7. E quinto hoc pronũciato Scotus, Gabriel, Syluester, Angelus, cæteríque harum rerum diſceptatores, cõficiunt: vt ex eorũ patefactis iam locis apparet, graui nobis aut alteri ſeu vitæ, vel corporis ſeu animæ, aut famæ periculo impendente, reſtitutionem poſſe differri: licere etiam differre, quum inſignem rerum ſuarum iacturam facturus eſſet, qui debet, nec talem is, cui debetur. Id quoque ex eodem pronunciatio eluceſcit: id verè à multis magniſque magiſtris conſtitutum eſſe, reſtituendi legem hac poteſtate pollere, vt ſtatim ſuum alteri reddatur: ſicut enim committere contra iuſtitiam numquam fas eſt, ſic retinere quod eſt alterius, eo inuito, & iuſta voluntate aduerſante nulla parte temporis licet.

Quapropter in Scoti doctrinæ veſtigiis hærens Gabriel, in 4. d. 15. q. 2. art. 2. conc. 2. loquitur his verbis: Et ita tenendo rem alienam inuito domino, obligat ſemper: intelligendum eſt domino rei inuito, voluntate ordinata. Quòd ſi furtum, vt definitum eſt ab Alex. loco ſuprà allato, eſt cõtrectatio rei alienæ inuito domino meritò & iuſtè: ſiue, vt loquitur Scotus, voluntate debita & ordinata, profectò voluntatem eiuſmodi violare numquam eſt conceſſum. Neque cunctationis in reſtituendo neceſſaria eſt poſtulatio, quum iuſta rectáque & debita voluntate domini, res eius tenetur. Ac licèt aliter videatur D. Thomas ſtatuere in 2. 2. q. 62. artic. 8. ad 2. argument. eius tamen conſtitutum triplicem aut quadruplicem habet interpretationem.

8. Primùm, vt locum habeat in forenſi iudicio. Deinde, quum de aliorum offenſione, aut etiam de eius, qui reſtituere debet infamia veriſimiliter timeri debet. Tum, cùm poſſidentis rem alienam conſcientia ſedari non poteſt. Ad extremum, quod tantus doctor ait, in hac, quæ à nobis agitur cauſſa, ad officium magis pertinet honeſtatis, quàm neceſſitatis.

9. Liquet ex his, quæ tam accuratè & cogitatè à tot Doctoribus atque Theologis ſcripta ſunt, periniquè agere cum Aporo mercatorem, à quo repetit, quod nullum eſt ius ei nunc repetere: quo tempore tot debitoris vxori cæteræque familiæ mala imminent ac damna: nec noſtrum iure reprehendi poſſe iudiciũ, qui cenſuimus, mercatorem, niſi ad officia iuſtitiæ Chriſtianæque caritatis animum flectat à pœnitentiæ ſacramento abſterreri excludíque oportere.

In neceſſitate ſubuenire inimicis magis eſt effectus iuſtitiæ, quàm caritatis, inquit diuus Thomas in 3. ſent. diſt. 30. q. 1. art. 2. in reſpõſione ad 1. quãto igitur magis opitulari amiciſque ſuiſque adminiſtris? & in lege, rem legatam. ff. de adimendis legatis & fidei commiſſis, eſt his verbis: *Nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit*: ac ff. de donationibus inter virum & vxorem: *Non enim donat, qui neceſſariis oneribus ſuccurrit.* Quibus etiam ſentẽtiis ad miſericordiam huius innocentis rei permoueri deberet animus mercatoris.

QVÆSTIO XXXII.

1. Olethrius, Aurij patrẽ interfecit; qui cùm ſibi à legibus, & à magiſtratibus, malum cruciatum impendere animaduerteret, ſupplex ad Aurium adit: atque ad eius pedes proiectus, ſcelus ſuum deteſtans, iniuriæ & ſupplicij vim deprecatur.

Reſpondet Aurius iam ab ſe ei ignotum eſſe: omnémque ſimultatem extinctam: nec quidquam de gratiæ reconciliatione inter eos ambigi poſſe, aut verò oportere. Inſtat, atque vrget vehementiùs, Olethrius: vt de reconciliata gratia, & de venia crimini data, publicas tabulas confici velit. Ab Aurio negatur: ſeu quòd tantam impunitatem, tantámque beneficij gratiam, tanti facinoris Olethriani immanitas non meretur: ſeu, quòd tabularum

auctori

Digitized by Google

auctoritate fretus ad ſuos ciues reuerteretur Olethrius: in quorum oculis, ſi impunè, palámque verſaretur, Aurij propinquorúmque tum animos, tum oculos exulceraret: peſſimúmque inultæ cædis exemplum præſentibus poſteriſque proderetur.

2. Dubitatum fuit: num Aurio fas ſit Olethrium tabulas reconciliationis poſtulantem non audire: poſsitque Aurius more Chriſtiano, abſque vllo crimine, tam pœnitentiæ quàm Euchariſtiæ ſacramentum percipere.

Recens nõnullus centum caſuum explicator, caſu, qui incipit, Antonius interfecit, fol. 16. eamdem quæſtionem commutatis tantùm nominibus pertractauit. In qua hæc quattuor affirmat.

Primùm, inimico prece ſupplici veniã petẽti illatæ iniuriæ ac flagitij: necnon pacem publicis tabulis cõſignatã, poſtulãti, denegandam non eſſe. Secundum illud eſt, ſi denegetur, eum, qui negat, in ſacramento pœnitentiæ, abſolui non poſſe. Tertium, hanc expreſſam (vt is loquitur) ſententiam eſſe D. Thomæ, in 3. ſent. diſt. 30. q. 1. artic. 2. ad 2. & in 2. 2. q. 83. art. 8. & Caietani ibidem. Alexandri Halenſis, in 3. par. q. 67. memb. 3. S. Antonini, 2. par. tit. 8. c. 3. §. 6. Diui Bonauenturæ, 3. ſent. diſt. 30. in explanationem textus: Gabrielis, in eamdem diſt. q. 1. art. 3. dub. 2. Sylueſtri, in verbo, Caritas, q. 6. Tabienæ, eod. tit. §. 14. Piſanellæ eod. q. 6. Richar. in 3. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 1. Armillę, in verbo, Caritas, num. 1. Viguerij, de virtute caritatis, c. 12. §. 1. ver. 6. Nauarri in Manuali, cap. 14. num. 9. & quamuis in indicandis auctorum locis nonnumquam erratũ ſit, mihi cordi non fuit errata corrigere, ſed vt reperi in eius libro, huc transferre. Veras notas locorũ, & ſententiarum lector è noſtris citationibus poterit haurire. Quartum eſt, Doctores, qui ſcribunt, inimico præcipua beneuolentiæ ſigna non eſſe neceſſarium oſtendere, vel iniuriam condonare, loqui de inimico formaliter: & qui in ſimultate, atque inimicitia perſiſtit.

Cùm verò hic ipſe auctor ſuæ opinionis aſſectatores habeat, nõ ſolùm eos, qui 3.
alteri iniuriam faciunt, verùm etiam ex iis, qui ad populum concionantur, nonpaucos, quos ipſos exiſtimare poſſumus harum rerum doctrinam non acri ſtudio coluiſſe: idcirco mihi faciundum putaui, vt nonnullis enũciatis quę quattuor iſtius affirmationibus opponentur, quid in hac re haud parui momenti ſequi oporteat, oſtendam.

Sit igitur hoc primum enunciatum. Hæc quæ in manibus eſt quæſtio de publicis tabulis pacis inimico veniam poſcenti concedendis, à nemine doctore, quos protulit centum caſuũ ſcriptor, tractata eſt: quare dicere non potuit, hanc eorum expreſſam fuiſſe ſententiam. Hoc enunciatum cunctis credibile erit, qui loca Doctorũ, quæ ab iſto indicantur Theologo, & quæ nos item oſtenſuri ſumus, leuiter inſpexerit.

Secundum enunciatum. Eam officiorum caritatis ſignorúmque beneuolentiæ 4.
diſtinctionem, quæ caritatis lege præſtare cogimur inimicis, atque illorum quæ iiſdem non cogimur impartiri, ad inimicos non formaliter ſed materialiter intellectos, hoc eſt, ad eos, nõ quia inimici ſunt, ſed quia homines, quia imaginem Dei gerentes, quia gratiæ, & vitæ æternæ capaces ſunt, pertinere, ex eorumdem Doctorum ſcriptis manifeſtè compertum eſt. Nam D. Thomas in 2. 2. q. 25. art. 8. diligere inimicum, vt inimicum, ſcribit eſſe peruerſum: quia hoc, inquit, eſt diligere malum alterius: & in reſponſione ad 2. dicit eſſe vituperabile. Scotus in 3. ſent. diſt. 30. litt. A. ait, inimicum per ſe nullo modo diligendum eſſe, quia malus, inquit, eſt & vitioſus. Nam inimicitia contraria eſt amicitię, quæ reſpicit bonum in amato. Durandus in eamd. diſt. qu. 1. conſiderans inimicum dupliciter, formaliter & materialiter: formaliter, inquit, illum potiùs debemus odiſſe, quàm diligere: quoniam inimicus eſt ob culpam, quæ nec naturæ, nec caritatis impulſu diligi poteſt.

Illud

Illud verò Toſtati connexum in caput S.Matth. q. 345. præclarum eſt, nec mini- » mè dubium. Ab eo formaliter diligi ini- » micum, qui inimicitia delectatur alterius: » nam hic formaliter diligit inimicitiã, ſicut » qui, inquit, aliquem ſecundùm virtutem » diligit, virtutem diligit in eo. Quum igitur » nec amor, nec fauor vllus, nec auxilium culpæ debeatur, conſequens eſt, vt nec inimico, hactenus, vt inimicus eſt, deberi poſſit. Si quidem ſcelus illud, & vitium, quod virtutem amicitiæ, & caritatis interimit, verè & propriè quempiam efficiat inimicum.

5. Tertium enunciatum. Inimicum propter naturã cõmunem, & quia particeps eſt beatitudinis, vti reliquos proximos, amore generali cõplecti debemus: eique velle ſummum bonum, & media ad conſequendam beatudinem diſpoſita: atque eiuſmodi media ei quærere debemus: quũ illis caret, nec habet, vnde petat: ſiue bonum ſit conſilij, ſiue doctrinæ, ſiue ſacramenti pœnitentiæ, ſiue orationis, & item cùm in extremam adductus eſt vitæ corporis neceſſitatem, ſubuenire illi, ſicut cęteris non inimicis, debemus. Lege diuum Thomam in 2.2.q.25.art.8. hæc quæ ſtrictim nunc ipſi attingimus, præcipientem. Is enim, in art.9. eiuſdem quæſtionis, quærens vtrùm exhibere inimico ſigna dilectionis ſit de neceſſitate ſalutis, cõcludit, generalia ſigna extra caſum neceſſitatis eſſe illi impartienda, extra eiuſmodi caſum ſigna ſpecialia eidem minimè deberi.

Idem Doctor in 3.ſent.diſt.30.q.1.art.2. quid in amore, atque in officio inimicis tribuendum ſit, his ſententiis verbiſque » expreſſit, effectus caritatis, inquit ille, de- » bet affectui reſpondere. Vnde ſecundùm » quòd tenetur quis affectum caritatis ad » inimicum habere, ita & effectum ad eum » extẽdere: caritas autem, vt dictũ eſt, reſpi- » cit bona gratiæ, quæ ſunt communia o- » mnibus viuentibus vel actu, vel potentia, » & ideo communior eſt, vel latior, quàm » aliqua alia amicitia, quæ ad pauciores ſe » extẽdit: in quantùm fundatur ſuper communicatione aliqua, quæ non ad omnes » eſt: & aliquot verſibus interiectis. Quilibet » ex neceſſitate tenetur odienti ſe opta- » re bona æterna, non autem temporalia: » ſed hoc eſt de perfectione caritatis; vt » etiam ad iſta ſe extendat: & poſt aliquanto. » Et ſimiliter eſt de effectu. Quia co- » operari in iis, quæ ſunt ad vitã æternã pro » loco, tempore, & modo ſuo tenetur ho- » mo etiam inimico, ſaltem, vt orando in » communi, eum à ſuis orationibus non ex- » cludat: quãuis fortè de eo ſpecialem men- » tionem non faciat: ſicut nõ oportet, quòd » de omnibus, ad quos caritatẽ habet, ſpe- » cialem orationem faciat, ſed communem: » in aliis autẽ bonis nõ tenetur ei cooperari » niſi neceſſitas incumbat: ſed eſt de perfe- » ctione caritatis, ſed tenetur non facere ei » malum: niſi in quantum eſt impedimen- » tum maioris mali, vel promotiuum ma- » ioris boni, vt iuſtitiæ, vel alicuius huiuſ- » modi. Atqui hæc alibi in ſuis ſcriptis inculcare ſolet D.Thomas.

Diuus autem Bonauentura, in 3.ſent. diſt.30.ar.1.q.4. in quæſtione ponit: vtrùm teneamur inimicos diligere quantum ad effectum: conſtituitque actu caritatis elicito ſummum bonum optãdum eſſe inimicis, quemadmodum reliquis hominibus non inimicis: actu verò imperato, quo alteri proſperos euentus, fluxaque bona cupimus, non cogi nos cupere inimico. Et in ead.q. ſcribit diligere inimicum dilectione affectus, neceſſitatis eſt: dilectione autem affectus & effectus, perfectionis eſt. Quæ diui Bonauenturæ præceptio ad tempus à neceſſitate abiunctum referenda eſt: atque in eodem artic.q.5. magis enucleans quæ in q.4. docuerat, ait actu exteriore diligere inimicum cumulum eſſe perfectionis, quando ſe offert temporis opportunitas: ſed quando incumbit neceſſitas, eſſe generalis & neceſſariæ obligationis, idque tradit, num.27. ipſumque loqui de inimico veniam etiam petente apparet ex q.4.num.18. 6.

Richardus in eamdem diſt.30.art.1.q.1. 7. planis verbis docet, effectibus generalibus diligen

diligendum inimicum eſſe, non autem ſingularibus ac indiuiduis extra tempus neceſſitatis. Durandus, egregia adhibita diſtinctione de inimico formaliter & materialiter, materialiter vult eos diligi affectu generali, vt omnes proximos, qui imaginem tuentur Dei, & beatitudinis capaces ſunt: affectu autem ſpeciali non tenemur, inquit, quia ſic nec amicos extra caſum neceſſitatis: & quia effectus exterior dilectionis reſpondere debet affectui interiori, ideo generales effectus debentur inimico, ſpeciales autem excepto articulo neceſſitatis minimè: quia extra eiuſmodi caſum, neque amicis debentur.

8. Scotus in eamd. diſtinct. q. vnica. litt. A. probat actu poſitiuo, & elicito non videri neceſſarium diligere inimicum: quia nec de eo quis cogitur cogitare. Tamen, inquit, ſi eſſet neceſſitas, deberet quis ei velle & ſpiritualia & temporalia bona: ſed negat quempiam teneri velle inimicis, diuitias vel ſanitatem. Vitam corporis debet velle actu interiore: vtrùm verò id ipſum velle quis debeat actu exteriore, dubitat Scotus: qui tamen paullò antè dixerat, tripliciter poſſe nos interitum optare inimici. Primò, inquit ipſe, ſi credimus eum finaliter futurum malum. Secundò, vt det locum ſanctis. Tertiò, ne addat peccata peccatis; éſtque certiſſimum, eum loqui de inimico non formaliter, & per ſe: ſed per accidens, vt is diſtinguit, quà homo eſt.

9. Alexander Halenſis in 3. par. quæſt. 59. memb. 5. art. 2. diligere inimicum affectu ſcribit eſſe præcepti: effectu verò nõ item: ſed imperfectis vult eſſe conſilium: perfectis autem meritum congrui. Sed in art. 3. rectiùs locum hunc concludit. Cùm, ait, tempore neceſſitatis etiam effectu diligendum eſſe: extra verò illud tempus eſſe perfectionis & ſupererogationis. Altiſiodorus lib. 3. Summæ, tract. 5. de dilectione, qu. 2. de dilectione proximi in extremo quæſtionis, his verbis decernit: Diligere inimicum affectu & effectu non eſt præceptum, ſed conſilium. Nimirum hic Doctor intelligit tempus extra neceſſitatem, & effectum ſpecialem: nam generalem non eſſe adimendum inimicis conſtat inter Theologos: qualis eſt publica oratio, ſacrificium, diuini verbi ad populum expoſitio, pia cohortatio ac ſermo. Quæ item interpretatio accommodanda eſt in ſententiam Gloſſæ in cap. 5. Matth. vbi ſcriptum reliquit, Benefacere inimicis, & orare pro eis, cumulum eſſe perfectionis.

10. Gabrielem veluti ſuæ opinionis patronum recens Theologus citauit in 3. ſent. diſt. 30. q. vnica, art. 3. dub. 2. cui dubio reſpondet breuiſſimè ex ſententia D. Bonauenturæ: refert autem ſe ad ſectionem ſuã in canonem Miſſæ 76. vbi multis de re præſenti diſputat ad ſingulas partes diſputationis doctrinam accommodans Scoti: primæque dubitationi, vtrùm quis ei, à quo læſus eſt, exteriora beneuolentiæ ſigna exhibere teneatur, reſpondens affirmat extra caſum neceſſitatis non imponi offenſo hoc onus: reſponſioníque adiungit auctoritatem D. Thomæ in 2. 2. q. 25. art. 9. addítque quæ ipſi non neceſſitate præcepti, ſed ex mera liberalitate præſtamus amicis, multò minùs nõ cogi præſtare inimicis. Atque iſtud, ait, eſſe ex mẽte D. Bonauenturæ, & Alexandri Halenſ.

11. Viguerius in Inſtitutionibus cap. 12. §. 1. verſ. 6. affirmat eadem quæ alij: inimicos formaliter odio habendos eſſe, ſicut etiã malitiam: propter naturam tamen, & quia conſequi poſſunt beatitudinem, diligendos eſſe: bona & ſigna communia negari non oportere: quæ tamen ſecluſo ſcãdalo poſſunt ad tempus negari, ideo vt reſipiſcant: particularia ſigna neceſſaria non eſſe niſi tempore neceſſitatis, & in præparatione animi. Libens omitto permultos alios, qui in ſuperiores magiſtros concedunt, & ne toties eadem repetantur.

1. Quartum enunciatum. Quamuis ei, qui nos iniuria damnóque affecit, reconciliatæ gratiæ ſigna nõ ſolùm communia, ſed etiam propria danda ſint interdum, vt dictum eſt; tamen actionem iniuriarũ, damnorum, & eius, quod intereſt noſtra,

remittere ei non cogimur, neque hac de re doctorum auctoritas, certaque ratio dubitare nos ſinit. Pulſo enim ex animo odio, aduerſus inimicum, fas eſſe agere iniuriarum, hi omnes apertè confirmant. Richardus, in 3.ſent.diſt.30.art.1.quæſt.2. quamuis veniam petat inimicus, quia nemo tenetur alteri condonare, quod ei iure debetur. Alexander Halenſ. in 3.par.q. 59.memb.5.art.3. negat, legem nobis impoſitam, inimico etiam, errato ſuo poſcenti veniam, impunitatem largiendi: modò id fiat amore iuſtitiæ.

Diuus Thomas in 2.2.q.108. artic.1. ad 4. fatetur licere propriam vlciſci iniuriam, cùm ea redũdat in Deum, vel Eccleſiam, atque etiam cùm eam tolerare non expedit: ſed id faciendum eſt auctoritate iudicis: quando alteri eſt malum pro malo reponendum, abeſſeque debet odium. Ioannes à Turrecremata, in cap. ſi quis, diſtin.90. tam iuſtam ait eſſe iniuriarum actionem, quàm ablatæ pecuniæ repetitionem; nec ad eius condonationem cogi quempiam poſſe. Id ipſum apertis verbis dixerunt Petrus Tarantaſius, in 3.ſentent. diſt.30. quem ſequitur ac citat Piſanella in verbo, Caritas, q.6. & Syluester, eod.titu. eadémque quæſt. & Roſella, eod.num.7.

11 & Angelus, in verbo, Iniuria, §.7. & Tabienſis, verbo, Caritas, §.14. & D.Antoninus in 2.par.tit.8.cap.3.§.6. vbi tranſcribit verba, & ſententias Durandi ordinis minorum, quem Durandum locis citatis ſecuti ſunt Angelus, & Roſella, & Syluester, in Aurea Roſa, caſu 56. eamdémque ſententiam tertiò inculcat in verbo, Iniuria, q.5. Toſtatus in 2.Re.q.23. vbi definiés rancorem propriè, quem remittere quis „ tenetur, ait eſſe deſiderium retribuendi „ malum pro malo, quem ponere ex animo „ neceſſe eſt: quamuis nõ petat veniam inimicus: in quo licet animaduertere diſcrimen inter Deum & hominem: nam Deus non parcit inimico niſi ex animo iniuriam deteſtetur, quoniam iudex eſt culpæ vlciſcendæ.

A communi ſententia non diſcedit Armilla, in verbo, Caritas, num.1. nec Nauarrus in Summa, cap.14. num.25. neque Oſtienſis in Summa, l.5.tit. de maledicis, §.1. neque Panormitanus, in cap. de cætero, de teſtibus, & atteſtat. nu.8. commentarij, & cap. olim de iniuriis, & damno dato, num.6. & in cap. vlt. de maledicis, num. poſtremo, in doctrina hætens Bartoli, in l.ſi tibi decem, §.1.ff. de pactis, Satisfactio- „ nem, inquit, iniuriæ nemo tenetur remit- „ tere, ſi non vult: propter hoc quod nota- „ tur in dicto cap. ſi quis, & in cap. ſtuden- „ dum, diſ.90. & facit c.olim infrà, de iniur. „ & ex hoc infert Bartolus, in dicto loco: quòd ſi infirmus dicit ſacerdoti; remitto „ iniuriam mihi illatam per talem, quòd „ cenſetur remiſiſſe odium, & non ſatisfa- „ ctionem iniuriæ, quod eſt benè notandũ. „

Dictum hoc Bartoli ſequuntur Syluester, in verbo, Iniuria, q.8. & Angelus, eod. tit. num.7. & Tabiena, eod. titu, & num. itémque alij. Gloſſa in cap. ſi quis contriſtatus, diſt.90. Actionem, inquit, iniuria- „ rum, id eſt, ſatisfactionem, non tenemur „ dimittere: nam ad remittendam iniuriam „ nullus eſt cogendus, 23.q.4. ſic ille: imò „ bene facit, qui dimiſſo rancore agit iniu- „ riarum, 45.diſt. & qui emẽdat, 23.qu.5. de occidendis. Hæc totidem verbis in Gloſſa. Felinus in cap. de cætero de teſtibus, & atteſtat. num. 10. huius quarti enunciati comprobatores profert quamplurimos: in quibus variæ ſunt iuris canonici Gloſſæ; eſt item Bartolus in l.ſi tibi decem, §. quædam.ff. de pactis, & in l.non ſolùm, §. iniuriarum.ff. de iniuriis & Baldus, & latè Romanus, in l. Diuus. ff. ad Syllan. & idem Bald. in §. fin. inſtitut. de iniuriis. & Ioannes Andr. in cap.2. de homicidio in 6. & Dom. Ant. & Immola in cap. de his, de accuſat.

Hoc ipſum neceſſariis peruincitur ra- 13. tionibus. Nemo ius ſuum alteri donare cogitur: ſed ius agendi iniuriarum eius eſt, qui læſus eſt: ergo non cogitur lædenti donare ſeu remittere.

Confirmatur eadem ratio. Iure naturali, diuino & humano, qui offendit alterũ, ſatis

ſatiſfacere ei debet de iniuria, damno, & de eo, quod eius intereſt, qui offenſus eſt: ergo hæc remittere lædēti cogitur nemo. Ad hæc pluris eſt iniuria accepta, aut in exiſtimatione aut fama, aut vita, quàm in re familiari: ſed rem familiarem ſurreptā recuperatorio iudicio aduerſus eum, qui ſurripuit, perſequi licet: ergo multo magis honorem, famam, vitam, iniuriam, nobis licebit aduerſus inimicos iniuſtè lædentes iure defendere.

Adde quòd ſæpe acceptæ iniuriæ is, qui accepit, non eſt dominus: neque eam concedere poteſt: ſed is poteſt, qui præeſt offenſo. Nam ſi monachus iniuria violatur, remittit Abbas: ſi filiusfamilias, pater: ſi vxor, vir: ſi ſeruus, dominus, vt D. Antoninus in 2.par.tit.8.cap.3.§.6. cum multis aliis affirmat. Non igitur iniuriæ condonatio, & ſatisfactionis remiſſio eſt neceſſaria cùm in gratiam reditur cum inimico.

Subiungit tamen in eodem loco diuus Antoninus actionem iniuriarum aboleri ſolere dupliciter, vel remiſſione, vel diſſimulatione: vt ſi is, qui eſt iniuria affectus, cum eo, qui affecit, vel luſit, vel riſit, vel comedit. Verùm Panormitanus in cap. olim, de iniur. num.6. de ratione, quemadmodum actio tollatur iniuriarum, ſubtiliùs pleniúſque diſputat, quàm D. Antoninus; qui in illo cap.3.6.§.dicta collegit tantùm illius Durandi ordinis minorum. Videndus eadem de re eſt Sylueſter, in verbo, Iniuria, qu.8.& Angelus, eod. titu. num.7.

14. Quintum enunciatum. Deprecanti pacem inimico, & ſuppliciter roganti: publica teſtificatione tabularum, aut manu tabellionis confectam dare, minimè eſt neceſſarium: imò ſæpe eſt pernicioſum.

Multiplex eſt huius enūciati probatio, quæ de ſuperiorum enunciatorum naſcitur argumentis.

Prima probatio. Nemo poteſt alteri ius adimere, quod ei debetur: ſed actio iniuriarum aduerſus eum, qui violauit iniuria, debetur ei qui violatus eſt: ergo non debet ſibi eripi: id eripitur illa pacificatione, cuius publicæ tabulæ ſunt teſtes: nam elidunt actionem iniuriarum: quare id genus pacis iure extorqueri non poteſt ab eo, qui eſt iniuriam paſſus.

Secunda probatio. Doctores negant beneuolentiæ ſigna neceſſariò danda eſſe inimico, niſi in corporis animæque neceſſitatem coniecto: ſed talis pax, de qua eſt quæſtio, ſæpe petitur ab eo qui nulla eiuſmodi neceſſitate vrgetur: ergo illi non cogitur eximium hoc beneuolentiæ ſignum dare, qui accepit iniuriam.

Tertia. Homines ſicarios, veneficos, turbulentos, peſtilentes, facinoroſos, verſari inter ciues, & cum reliqua pacata multitudine vitam degere nullo modo conuenit: ergo cum hoc hominum genere teſtificatione tabularum pacem conciliare non modò non eſt neceſſe, ſed etiam eſt turpe & flagitioſum: nam tali pace impetrata ſtatim iura communia, & commoda ciuium illis reſtituta ſunt: quod communi bono, & tranquillitati non parum incommodat.

Quarta. Si perditis hominibus, quorū mentes ad cædes & ſcelera imminent, hoc ſemel intellectum fuerit, iis qui in alterum inſigniter peccarunt, cùm pacem rogauerint, & eam pacē, quæ reis ac ſontibus in patriam ad ſuos reditum conficit, negari non poſſe: quantam putauerint ſe obtinere licentiam ſuarum explendarum cupiditatum, & flagitiorum committendorum?

Quinta probatio. Quotidiana experientia eruditi didicimus, eorum qui impiè cædem fecerunt, liberè tota vrbe volitantium adſpectu, in eorum animis, qui pepercerunt, renouari odia, vim nouam efferueſcere inimicitiarum; atque grauiores quàm antea, ſimultates reuiuiſcere. Quæ mala, quia tabulis conflata pax ſolet adferre, illorum cauſſam malorum nulla lex iuſta imperabit, ſed prohibebit omninò.

Neque duplex apud diuum Thomam locus huic enunciato officit. Is enim, tum in 3.ſent.diſt.30.q.1.art.2.ad 5. tum in 2.2. 15.

q.83. art.8. docet, inimico non ſimulatè, ſed ex animo petenti veniam, non eſſe familiaritatis ſigna deneganda, imò inter amicos habendum ait in 3.ſent. loco allato.

Verùm nec D.Thomas huius ſigni minimè neceſſarij meminit, quod in publica pacis ſcriptura conſiſtit: neque tunc temporis complectendum ducit inimicum ea amicitia, quæ ſingularis eſt, & paucorū. longè enim id quidem abeſt: ſed ea quæ generalis eſt, & ciuilis ab Ariſtotele appellata, qua de is diſſerit in 8.ethicor. ad Nicomachum, cap.9. quæ ipſa definitur ab eodem in 9.ethicor. cap.6. eſſe concordia ciuilis.

16. Quid ergo largiendum eſt poſcenti veniam inimico? allocutio, ſi opus eſt, ſignificatio reconciliatæ voluntatis, atque alia huiuſmodi. Caietanus, explanans, q. 83. art.8.2.2. ſignum & effectum tunc impertiendum ſcribit eſſe annuere inimico, id eſt, veniam tribuere, & exteriore ſigno declarare: nec ſomniauit D. Thomas, aut Caietanus ſignum hoc eſſe tabulas pacis conficere.

17. Sextum enunciatum, quę interpretatio quædam eſt, & moderatio ſuperiorum. Fatendum eſt nonnulla incidere tempora; cùm inimicus audiendus eſt ſupplex, quando pacem rogat publico tabularum iure firmatam. Primum tempus eſt, cùm iniuriæ princeps fuit is qui periit, aut grauiter offenſus eſt. Secundum, cùm petit is qui nec nefarius, nec facinoroſus eſt, ſed ciuitati, aut cæteræ multitudini, in qua verſatur & fuit, & futurus eſt vtilis ac ſalutaris. Tertium, quando nec perturbaturus eſſet otium tranquillitatémque ciuium: ſimúlque familiam haberet, vxorem, filios, filias, ſeu neptes; quæ eius neceſſaria opera, aut præſidio egerent. Quartum, quando niſi pax ſcripta conſequatur, de multo grauioribus malis timendum ſit. Ac ſi tempus aliud exiſtere poſſet eiuſmodi.

Ex his intelligi facilè poteſt, quid in Olethrij Auriique cauſſa faciundum ſit: nam ſi nulla harum exceptionum opituletur Olethrio, vt Aurius cum eo obſignatis tabellis in gratiam redeat, non videtur vllo iure cogi poſſe.

Septimum enunciatum, eſt illud in monitis Theologorum iuſtè, nonnunquam laudabiliter ei, qui in nos iniurius fuit, ſubtrahi ſigna communia, ne dum propria amicitię, collocutionem inquam, ſalutationem (quamuis hæc ferè ad ſigna non generalia, ſed ſpecialia reuocentur à doctoribus) vt eum facti pœniteat ac pudeat: atque ad bonam ſe frugem recipiat, vel vt vitetur graue aliquod malum ſiue in eo, qui offendit, ſiue in eo qui offenſus eſt: vt docent Richardus in 3.ſent.diſt.30. art.1.q.1. Gabriel in canonem Miſſæ, lect. 76. Viguerius, in inſtitut.cap.12.§.2.verſ.6. Syluester, in verbo, Caritas, q.6. Tabienſis, eod.tit.§.14. Angelus, in verbo, Diligere, nu.1. ex ſententia Richardi. Caietanus, ſalutare, loqui, vendere, congredi numerās in particularibus ſignis in 2.2.q.26. art.8. his verbis admonet confeſſarium ſacerdotem: & propterea caue tu confeſſor, ne » neges abſolutionem nolenti hæc ſigna » dilectionis inimico exhibere. Noſtram » autem hanc opinionem tot enunciatis tótque cautionibus vallatam omnibus tutam fore confido. 18.

QVÆSTIO XXXIII.

1. PRædicunt Aſtrologi Ioanni, ſi Kal. Nouemb. domo exeat, eum interfectum iri.

Quæritur, peccétne Ioannes eo die propter eiuſmodi prædictum tenens ſe domi.

Reſpondi, hac vſus diſtinctione. Aut Ioannes credit, & morigeratur Aſtrologo necem ſibi prædicēti ex aſtris, cæliquo adſpectu; aut ob alias cauſſas iuſtas, quæ ſuo loco indicabuntur: ſi prædictum ſequitur Aſtrologi veluti è ſideribus hauſtum, grauiter apud Deum offendit Ioannes: ſi ei ob alias cauſſas honeſtas, & rationi

tioni conſentaneas fidem habet, nullam ſuſcipit culpam.

2. Prior pars diſtinctionis probatur. Nam ſuperſtitionibus ſuperſtitioſiſque hominibus credere, atque obtemperare, graue flagitium eſt: ſed futurorum euentuum, qui ex humana pendent voluntate, ex inſpectione aſtrorum ductæ diuinationes, ſuperſtitionis, temeritatis, erroris, atque impietatis pleniſſimas eſſe ſacrarum litterarum teſtimoniis, ſacrorum canonum auctoritate, ſanctorum Patrum decretis, Theologorum ſententiis, atque argumentorum firmitate eſt quàm compertiſſimū: ex quibus quinque locis in poſteriore noſtro libro de Caſuum reſeruatione, ad aſtrologicam confutandam ſuperſtitionem ſunt argumenta deprompta complura.

3. Nunc autem nonnullis ſacris teſtimoniis, & vna atque altera ratione contenti erimus. Iſaiæ cap. 44. *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna diuinorum, & hariolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens*, & cap. 47. apud eumdem Prophetam irridet Deus Chaldæos aſtrorum obſeruationibus præſidentes, & Ieremiæ, cap. 10. *Hæc dicit Dominus, à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vana ſunt.* Et Eccleſiaſtæ, cap. 8. *Multa hominis afflictio; quia ignorat præterita: & futura nullo ſcire poteſt nuncio*: ergo nec Aſtrologus poteſt futurorum eſſe nuncius, & cap. 10. *Ignorat homo, quid ante ſe fuerit: &, quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?*

4. Ratio eſt huiuſmodi. Non poſſunt prædicere certò Aſtrologi, quæ certò non queũt cognoſcere: ſed futuras hominum actiones non poſſunt certò cognoſcere; ergo nec prædicere. Maior nullam requirit cõfirmationem: minor probatur. Nam ſi poſſent ab iis cognoſci, aut in ſe ipſis, aut in ſuis cauſſis cognoſcerentur: neutro modo pernoſci queunt; non in ſe ipſis, quia in ſe ipſis, etiam ſint futuræ, nondum ſunt: rerum autem, quæ non ſunt, ex ea parte, quatenus non ſunt, nulla eſt ſcientia. Neque vt in ſuis cauſſis latent incluſæ: nam earum cauſſæ tres cogitari poſſunt, Deus, Cœlum, Humana voluntas. Vt in Dei conſilio & mente verſantur, humanam præteruolant intelligentiam: quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? inquit D. Paulus, ad Rom. cap. 11. & Iſaias 40. E cœlo prænoſci nõ poſſunt: vel quia cœlum eorum, quæ geruntur, & gignuntur in terris, cauſſa eſt generalis; nec notitiam præbere poteſt effectus particularis: vel quia cauſſa eſt corporea & materialis, ita non poteſt cauſſa eſſe electionis humanæ, quæ expers eſt corporis & materiæ. Neque vt in poteſtate humanæ voluntatis deliteſcunt. Primùm, quia eius interiores motus, qui exteriores gignunt, latent etiam Angelos, nedum aſtrologos: Deinde, quia voluntas eſt potentia erratica & vaga; quæ non vnam, non certam, non definitam habet rationem agendi, ſed multiplicem, & ancipitem; quam is etiam, cuius eſt, ignorat quàm ſæpiſſimè: nec quid optatura, moliturave in ſe ipſo ſit, diuinare poteſt. Poſtremò, quia ipſa à ſe non rarò diſſentit: & quam rem modò concupierat, mox reſpuit.

Adde quòd cùm ſcientia ſit earum rerum, quæ aut ſemper, aut plerumque eueniunt, aſtrologicæ prædictionis nulla poteſt eſſe ſcientia: quoniam, quæ illius artis patroni prænunciant, aut numquam, aut rarò contingunt. Veriſſimæque ſunt illæ apud Aulum Gellium, lib. 14. cap. 1. Phauorini philoſophi voces: Ea quæ vel temerè, vel aſtutè vera dicunt aſtrologi, præ iis, quæ mentiuntur, vix partem eſſe milleſimam. Quibus ipſis his verbis exprobrat M. Cicero, in 2. lib. de natura Deorum. Quid plura? quotidie refelluntur Chaldæi: quàm multa ego Pompeio, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari dicta memini, neminem eorum niſi in ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum? Vt mihi permirum videatur, extare, qui etiam nũc credat iis, quorum prædicta quotidie vi- 5.

„ deat re, & euentis refelli: namque in ſolitudine Ægyptiorum interemptum Pompeium, à Parthis trucidatum Craſſum, in Curia Cæſarem à ſuis ciuibus & propinquis interfectum eſſe non mentiens narrat hiſtoria.

6. Quòd ſi in prognoſticis imbriū, grandinum, niuium, ventorum, tranquillitatum, tempeſtatúmque cœli, & maris, nec non caloris & frigoris, ſterilitatis & vbertatis, quæ omnia in natura cauſſas habēt, certas & neceſſarias, omnibus locis, atque momentis turpiſſimè errant aſtrologi, quid veritatis eos allaturos credimus in humanæ voluntatis euentibus prædicendis, quorum cauſſæ incertæ ſunt, liberæ, obſcuræ, ipſi etiam homini, qui agit, ignoratæ? ergo, ſi Ioannes Kal. Nouemb. metu aſtrorum aſtrologicæque prędictionis manet domi, contra officium Chriſtianum facit: Quòd ſi ob alias cauſſas non abſcedat domo; vel quia eſt valetudine impeditus: vel quia nauare operam debet amicis, aut libris, aut epiſtolis ſcribendis: vel quia nihil rei neceſſariæ eum domo exire ſuadet: vel etiam quia ſuſpicatur, Aſtrologum non tam è Cælo ſibi denunciare perniciem, quàm vel ex aliquorum hominum ſermone, vel aliqua ſignificatione, atque admonitione dæmonis: vel denique, quia fieri poſſet, vt idem Aſtrologus ad ſuæ artis confirmandam vanitatem eo die ſtruxerit Ioanni inſidias: ſi ob hæc domi ſe teneat, nihil ab eo peccabitur.

QVÆSTIO XXXIV.

1. EGo, & tu, in iure diſceptamus: in tuis tabulis extant iura, & probationes.

Dubitarunt, & ſciſcitati ſunt nonnulli; num meus aduerſarius tabulas ſuas mihi edere debeat, quæ aut commune, aut ius meum continent. Et pleriſque viſum eſt, non cogendum eſſe edere: quòd aiunt eſſe iniquum, è rei domo arma petere aduerſus illum, quibus is ſit iugulandus in iudicio.

Opinionis huius præcipuū firmamentum eſt illa lex. qui accuſare. C. de edendo, in qua eſt his verbis: Qui accuſare volunt, probationes habere debent: cùm neque iuris, neque æquitatis ratio permittat, vt alienorum inſtrumentorum inſpiciendorum poteſtas fieri debeat. Sed nimirum tum iure conſcientię, tum etiam iure ciuili inſtrumenta publica, quæ communem continent cauſſam, aut alterius litigantis propriam, non ſunt neganda ei, cuius intereſt.

Primùm. Quia ſi furtum committis, 2.
quia rem meam aut aufers, aut retines: ergo idem furtum facis, ſi rerum mearum iura mihi eripis; aut me inuito retines: nam ius meum res mea eſt. Deinde. Qui rem communem totam ſuam facit, contra ius facit: ergo ſi tabulæ habēt ius commune, illud neceſſariò cum altero communicandum eſt. Poſtremò ne rem certam incertam argumentando faciamus. Qui cauſſam iniquam tuetur in iudicio, & cauſſa eſt iudici falſæ pronuntiandæ ſententiæ, iniquiſſimè & ſceleratiſſimè agit, & litiganti rem vindicatam in iudicio alteri litigāti reſtituere debet; eidémque impendia litis compenſare: ergo aduerſarium iura ſua celare non poteſt. Neque id eſt, ſua arma alteri tradere, ſed reddere aliena.

Neque obſcuris legibus hæc ſententia 3.
adiuuatur. Nam in l.1.ff. de edendo, cauetur his verbis. Tota ſtipulatio edenda eſt „ aduerſario; qua vſurus eſt apud iudicem; „ & in l. quædam §. poſtremo, eodem tit. „ Omnibus poſtulantibus, & iurantibus, „ non calumnię cauſſa petere rationes, quę „ ad ſe pertinent, edi iubet. Quis edi iubet? „ Prætor, vel iudex. Huc etiam ſpectant leges. Cod. eod. tit. l.1.&2. Hæc enim ſic loquuntur: Ad inueſtigandam veritatem „ edenda ſunt acta publica, ciuilia & criminalia: &, lex, non eſt nouum, eſt hoc modo ſcripta. Non eſt nouum, eum, à quo „ pecunia petitur, implorare rationem creditoris, vt fides rei conſtare poſſit. „

Legis verò, qui accuſare, principio al- 4.
latæ

latæ, multiplex eſt ratio interpretandæ. Vel enim loquitur in cauſſa capitali; vbi periniquum videtur ſuis telis velle conficere tuum aduerſarium: vel certè quando aduerſario meo inficianti in iudicio rem ſe habere meam, poſt inficiationem præſertim iuratam tabulas proferenti, meáque iura oſtendenti, impenderet infamiæ periculum graue, & pœna periurij; cuius ille iacturam rei meæ iacturæ eo tempore debet anteferre; ſed ita anteferre, vt etiam meo damno proſpectum ſit. Vel etiam id lex ſignificare voluit, partes eſſe accuſatoris, rei, quam ad iudicem defert, probationes non quærere ex reo, ſed aliunde. Iudicij enim ratio poſtulat; vt reus ſuſtineat actoris probationes, non pariat ipſe. Sed non illud præſcribit lex; vt vel extra iudicium reus mea iura, aut occupare, aut ſupprimere poſſit: aut etiam non in iure, iubente iudice, patefacere, quum id ſua exiſtimatione incolumi facere poteſt.

Quarta, ſit legis explanatio. Tunc non eſſe aduerſario inſtrumentum edendum, cùm vel commune vtriuſque litigatoris, vel proprium mei aduerſarij ius non continet: ſed proprium eius, qui non vult edere. Nam tunc verè alienum dicitur inſtrumentum, quod lex ait non eſſe edendum.

De Vectigalibus.

QVÆSTIO XXXV.

1. IVſta vectigalia, ſeu quæ ambiguam iuſtitiam habent, fraudarínę ſine furti crimine poſſint, petitum eſt à quam plurimis.

Duplici enuntiatione reſpondi.

Prior enuntiatio. Iuſtum vectigal ſubire debent omnes, quibus eſt illud legitimè impoſitum: neque huic fraus vlla fieri debet. Enuntiatio hæc tum propter Chriſti Domini, & Apoſtoli auctoritatē, tum propter Theologorum conſenſionē, tum propter rationem adeo firma eſt, & certa; vt mirum ſit, quempiam tanta ingenij confidentia extitiſſe, qui cōtrariam huic veritati opinionem, aut animo fingere, aut ſcriptis mandare ſit auſus. Nam & humani generis Dominus, & Magiſter Chriſtus IESVS, apud Matth. cap. 22. à Iudæis conſultus de cenſu Romani Imperatoris, illi ne reddendus eſſet, an non, reſpondit, & præcepit reddi debere, & D. Paulus, ad Rom. cap. 13. *Reddite*, inquit, *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal:* vbi vides ad genus earum rerum, quæ alteri debentur, vectigal referri ab Apoſtolo, & illud quidem vectigal erat, quod à Chriſtianis non Chriſtianis principibus penſitabatur. Iam verò catalogum contexere Doctorum idem & ſcribentium, & ſentientium nimium eſſet longum, & moleſtum, ac minimè neceſſarium. Sanè certè Sylueſt. in verbo, Gabella, 3. num. 21. ſcribit, omnes Doctores & Summiſtas communiter tenere peccare eos, & obnoxios eſſe reſtitutioni, qui iuſta fraudant vectigalia. Qui autem id, quod res eſt, intelligit tributa, & vectigalia iuſta, nihil aliud eſſe, quàm, aut eius, qui communitati moderatur, & operam dat, neceſſaria ſtipendia, & communium neceſſitatum ſubſidia; dubitare non poteſt, quin abſque flagitio ea fraudare non poſſit.

Poſterior enuntiatio. Si de vectigalis iuſtitia non conſtet, ſed de ea doctorum proborúmque hominum iudicio meritò ambigatur, illud ſoluere cogitur nemo. Quod ipſum tradunt hi, Angelus, in verbo, Pedagium, num. 6. Armilla, in verbo, Gabella, num. 17. Sylueſter, in verbo, Gabella, tit. 3. §. poſtremo. 2.

Quod verò aiunt quidam, quum anceps eſt iuſtitia vectigalium, fauendum Principi tunc eſſe, & ſolui debere, & habenda pro iuſtis, meritò refellitur ab Angelo eo loco: nam multò magis Canoni, quamquam, de cenſibus, lib. 6. fauendū eſt; qui canon ferè vectigalia, præſertim

noua

nouā condemnat tanquam iniuſta. Itaque,ſi Principi ſtudendum eſt,ſtudeamus totius Chriſtiani populi Principi, & Legiſlatori & Paſtori;qui eſt Romanus Pontifex; qui in illo Canone loquitur. Ergo ab re non fuerit, nonnullos locos hic ex eorum Doctorum ſummis in hac noſtra quæſtione deſcribere, quos modò nominauimus. Sic ergo Angelus,in verbo,Pe-
» dagium, num.6. Pedagia noſtri temporis
» ſunt communiter illicita; vnde niſi pro-
» bent legitimè impoſita, debemus præſu-
» mere iniuſtè, cap. quamquam, de cenſ.
lib. 6. ergo antequam probent eſſe legitima, ſtabo in præſumptione iuris,ſcilicet, quòd ſint iniuſta, & ſic non teneatur ſoluere.

3. Et ſic nota, quòd noua pedagia, ſiue augmentationes factas, nullus poteſt exigere,niſi ſit certus, quòd ſint impoſita, & ab habente auctoritatem imponendi, & ex legitima cauſſa; ex quo ius præſumit omnia fore iniuſta. Armilla verò in verb.
» Gabella, num.12. ſic. Contra quod com-
» muniter hodie fit in Italia;cùm omnia fe-
» rè ſine moderamine, aut iniuſtè exigan-
» tur, & num.18. Quando gabellæ ſunt du-
» biæ,an ſint iuſtæ,ſicut communiter hodie
» ſunt,vt diximus, confeſſores non debent
» cogere confitentes ad reſtitutionem:quia
» exponerent ſe periculo ſurripiendi à pœ-
» nitente,quod ſuum eſt. Quod monitum
eſt item Sylueſtri, in verbo,Gabella, 3. §. poſtremo,& Angeli in eo,quem ſuprà indicauimus, §. qui Angelus, Sacerdotes, qui ſacris præſunt confeſſionibus, admonet; vt decreta & leges inſpiciant ſingulorum vectigalium, ne in eorum iuſtitia iniuſtitiave diiudicanda fallantur.

4. Additque Angelus, quando gabellæ ſunt nimis graues, & ſine neceſſitate, nec ad vtilitatem communis, vel nimis grauati aliis impoſitionibus,poſſunt fraudari ſine peccato. & Sylu. in verb. Gabella, 3. num.8. ob neceſſitatem aliquam vult im-
» poni debere vectigalia,& non ad explen-
» dam, inquit, luporum ingluuiem, viuen-
» tium ex rapto: & ſecundùm quod ſubdi-
torum & negotiorum facultas patitur. »
Ab Angelo illud item ſcriptum eſt num. 23. & 24. Et ſimiliter idem eſt,vbi quis eſt »
iniuſtè damnificatus à Principe; nec po- »
teſt rehabere ſuum: quia poteſt ſibi ſatiſ- »
facere vſque ad plenum, non obſtante »
quòd damna inferre videtur ementibus »
gabellas:tum quia eas emunt minore pre- »
tio, propter ſimiles fraudes, quæ fiunt »
communiter: tum quia Princeps non po- »
teſt illis vendere meum:eſt autem meum »
ius retinendi illud, quod aliàs principi »
deberem,ſi ille mihi non deberet. »

Conceditur etiam à Doctoribus; vt nomine iuſtę compenſationis,qui in præſtando vectigali non iuſto iniuriam & damnum paſſus eſt, tantumdem de iuſto detrahere poſſit, quantùm inuitus de ſuo addidit iniuſto. Cui compenſationi eſt etiam locus, quando quis pro rebus ad tuendam vitam neceſſariis ſoluit: neque enim huic rerum generi vectigal iuſtè imponitur; vt ex ea, quæ attexetur, quæſtione mox intelligetur. Huic addo de vectigalibus à Romano Pontifice impoſitis non eſſe à quouis iudicandum: ſed illa ſemper iuſta credi debere, & præſtari oportere.

QVÆSTIO XXXVI.

SIcut, qui in Principum poteſtate ſunt, 1.
ſi iniuſtè agunt, ſi iuſta vectigalia refugiunt; ſic multo grauiore ſcelere Principes implicantur,ſi iniquis aut tributis aut vectigalibus vexant eos, quorum fortunas conſeruare,& augere commoda, non euertere debent.

In quos etiam Canon V. in Bulla Cœnæ animaduertit, atque excommunicatione Romano Pontifici reſeruata, eoſdem percellit,ſi aut noua in ſuis terris vectigalia imponunt; aut quæ iure vetita ſunt,neque imponi queunt,exigunt. His enim verbis eſt perſcriptus Canon. Item »
excommunicamus omnes, qui in terris »
ſuis, noua pedagia, ſeu gabellas præter- »
quam

» quam in caſibus ſibi à iure, ſeu ex ſpeciali
» ſedis Apoſtolicæ licentia permiſſis impo-
» nunt; vel augent, ſeu imponi, & augeri
» prohibita exigunt. Ac nimirum cùm dicit
» à iure, ius à conſuetudine ſecernit.

Vbi etiam animaduertendum eſt primùm à Xiſto V. deinde ab aliis, qui conſecuti ſunt, Pontificibus illa verba, quæ in Bulla Gregorij XIII. quam nos olim explanauimus, legebantur, (ad id auctoritatem non habentes) dempta eſſe; vt iam nullum relictum ſit genus principum Chriſtianorum cenſura excommunicationis ſolutum; ſi ob iniuſta vectigalia committat in Canonem. Idcirco ſummo nobis opere enitendum eſt; vt, quænam iuſtitia ſit ea, quæ in vectigalibus elucere debet, patefaciamus; nec quidquam à noſtro ſenſu ſtatuamus.

2. Omnium igitur Doctorum hæc firmata videtur eſſe ſententia, vectigal iuſtum eſſe non poſſe niſi in omnibus quatuor cauſſis iuſtitia inſit, in efficiente, inquam, ſiue in auctore, in fine, in materia, in forma. In efficiente igitur, ſiue in eo, qui imponit vectigal iuſtitia agnoſcitur; ſi is ſit, qui ſua ciuili adminiſtratione, atque iuriſdictione liberè vtatur, nec ab eo ad maiorem ciuilem poteſtatem prouocari poſſit. Dixi ciuilem; quia à quauis mundana poteſtate ad Romani Pontificis auctoritatem, qui cunctorum Chriſtianorum Principum pater eſt, iudex, & paſtor, prouocari poteſt. In Decretali Innocētij III. ſuper quibuſdam de verborum ſignificatione legitima poteſtas vectigalia imponendi tribuitur Imperatori, Regi, Concilio. Quòd ſi Concilio, multò magis Romano Pontifici: qui Concilio præeſt ac ius dicit. Verùm, vt dictum eſt, eadem poteſtas conceditur cuilibet, qui regit multitudinem ſuis legibus; neque ciuile ius, ſeu poteſtatem regendi ab alio ſuperiore accipit. Et quia, qui ab aliis exigit vectigal impoſitum, neceſſe eſt, vt in eos habeat imperium; atque ipſos illos poſſit cogere: ideo neceſſariò efficitur, vt clericis nullus profanus Princeps aut tributum, aut vectigal, aut aliud onus imponere queat, cùm in eos nullum ſit illis imperium, nullàque poteſtas: vt à nobis in qq. de immunitate: & libertate Eccleſiaſtica iure diuino vniuerſitati clericorum conceſſa, apertis rationibus ac teſtimoniis eſt demonſtratum tum in primo volumine horum reſponſorum moralium, quæſt. 94. & 95. tum in noſtro Apologetico Italico, cap. 5.

3. Namque Principibus in perſonas Eccleſiaſticas nullam neque humano, ne- »
que diuino iure attributam eſſe poteſta- »
tem dixit Leo X. in ſua conſtitutione, »
quæ incipit, Supernæ diſpoſitionis, in concilio generali Later. ſeſſ. 9. promulgata, & approbata. Idémque probatum eſt ex Decretali Innoc. III. ſancta Maria, de conſtitutionibus. & ex Concilio Romano, cui præfuit Symmachus: de quo Concilio eſt in diſt. 96. Can. bene quidem, & ex Decretali Bonifacij VIII. Quamquā, de cenſibus, & ex literis Eugenij IV. ad Franciſcum Toſcanum ducem Venetum, vbi eſt his verbis. Cùm tamen »
omnia diuina & humana iura diſponant, »
miniſtros & ſacerdotes Dei ab huiuſmodi »
oneribus & exactionibus immunes, eſſe »
debere, & ex Concilio Tridentino, ſeſſ. »
25. cap. 20. Ac licèt à clericis communitati laicorum, vel principi egenti ſubueniri par ſit; id tamen ipſi facere non poſſunt, niſi priùs Romano Pontifice conſulto, vt perſpicuis verbis in ſuis commentariis ſacrorum Canonum pernobiles teſtantur interpretes, Innocentius, Oſtienſis, Ioan. Andr. in cap. non minus de immunitate Eccleſiarum, n. 9. Panormit. in idem cap. nu. 4. Butrius, in cap. peruenit, eodem tit. n. 6. Ancharanus, in c. quia nonnulli de immunitat. lib. 6. num. 5. vbi hanc Canoniſtarum confirmat eſſe ſentētiam. Quod ipſum ſeueris legibus ab Romanis Pontificibus ſancitum eſt. Ab Innocentio III. in cap. aduerſus, de immunitate, in Concilio generali; à Bonifacio VIII. in cap. clericis, de immunitate, lib. 6. à Benedicto XI. in extrauaganti, quod olim, de im-

munit. à Clemente V. in Concilio generali Viennenſi, cap.1. eod. tit. à Leone X. in Concilio generali Lateranenſi, ſeſſ. 9. in conſtitutione, cuius eſt initium, Supernæ diſpoſitionis: ab aliis Romanis Pontificibus in Bulla Cœnæ, can. 18.

4. Et quamuis Bonifacij VIII. conſtitutio reuocata fuerit à Clemente V. in Concil. Viennenſi: nihilo ſeciùs à Leone X. in Concil. Lateran. ſeſſ. 9. reſtituta eſt. In quo cōcilio cunctę Bonifacij VIII. conſtitutiones ad libertatem Eccleſiaſticam pertinentes innouantur: &, quod in ſua Decretali ſciuit Bonif. VIII. iiſdem verbis & ſententiis ſciſcit Leo: & quicquid Concilium Lateranenſe nouiſſimum de libertate Eccleſiaſtica decreuit, confirmant atque innouant cum omnibus cenſuris poſteriores Pontifices in bulla Cœnæ, can. 18. vt illud etiam planum ſit, Bonifacij decretum noſtris temporibus in bullam Cœnæ translatū eſſe; quemadmodum Cardin. Toletus, in ſua Summa teſtis eſt, in tractatu de caſibus in bulla Cœnæ reſeruatis, excommunicatione nona.

Atqui hi omnes ſuperiores Pontifices excommunicatione latæ ſententiæ Romano Pontifici reſeruata in eos omnes animaduertunt, qui præſtationem, ſolutionémve aliquam imponunt Eccleſiaſticis perſonis ſine Romani Pontificis aſſenſu; etiamſi recipiant à ſponte dantibus, ſed tamen non credit Toletus cenſura irretiri eos, qui ſponte ſoluunt; vt decernebat Bonifacius: in hac enim parte neque in bulla Cœnæ, neque in Concilio Lateranenſi apparet conſtitutionem renouatam eſſe. Quare cauſſæ conficientis nomine omnium æquiſſima exiſtimanda ſunt vectigalia, quæ vel Romani Pontificis, vel generalis Concilij iuſſu inſtituuntur: in quorum nutu & poteſtate, tum cunctum populum Chriſtianum, tum clerum vniuerſum eſſe, nemo, qui de tanta poteſtate rectè ſentiat, fuerit vmquam inficiatus. Cohæret cum iuſtitia cauſſæ effectricis illa finis, quem Doctores Bartolum ſecuti, in ll. C. de vectigal. docent publicam eſſe vtilitatem, atque neceſſitatem; qualis eſt refectio pontium, viarum munitio, alicuius publicæ domus, vel arcis exædificatio.

Cui fini vbi ſatisfactum eſt, ceſſare debet vectigal, quod ad eum finem inuentum eſt. 5. Iuſtitia formæ ſita eſt, vt rectè philoſophatur Alphonſus à Caſtro lib. 1. cap. 11. de poteſtate legis pœn. & Medina, in C. de rebus reſtituendis, quæſt. 14. in geometrica proportione; quæ exigit; vt, qui plura poſſident, ac minùs egent, plura conferant; pauciora autem, qui pauciora habent, & pluribus egent. Quocirca neceſſe eſt, iniqua ea vectigalia eſſe, quibus duriùs vexantur pauperes, quàm diuites: id quod accidit cùm vel in pane, vel vino aut oleo venali, vel ſale, vel in rebus, quæ moluntur, vectigal cōſtituitur: nam, cùm eo rerum genere pauperes magnopere egeant, hi multò magis, quàm locupletes eiuſmodi vectigali conflictantur. Quod incommodum, & iniuriæ genus vt vitarent veteres Romani, vectigalia, & tributa per æs & libram inſtituebant, hoc eſt, vt vnuſquiſque ex cenſu & bonorum æſtimatione, tributum vectigálque conferret: éſtque factum illud, ac dictum Romani, & perantiqui ſenatus prædicatione, & imitatione perquam dignum: quo de Titus Liuius, lib. 2. primæ decadis ad hunc modum memorauit. » Portoriis quoque & tributo plebe liberata, vt diuites » conferrent, qui oneri ferendo eſſent, pau- » peres ſatis ſtipendij pendere ſi liberos » educent. Neque vlla conſuetudo huic iuri, quod eſt proprium formæ, aut incommodare, aut derogare poteſt; cùm ſit è iuris naturalis, & diuini viſceribus erutum. Itaque acutè viderunt ij, qui de iuſta vectigalium materia diſſerentes à vectigalium iuſtitia res eas ſecreuerunt, quæ in humanæ vitæ vſum incidūt neceſſarium.

Materiæ igitur nūc iuſtitiam exequentes, eam cenſemus eſſe, quam & communis ſenſus Doctorum, & leges codicis minimè obſcuræ, definierunt. Lex enim codicis

dicis, Vniuerſi prouinciales, de vectigalibus & commiſſis, omnium doctorum probata conſenſu, res dumtaxat ad negotiationem, & mercaturam pertinentes, non item quæ ſiue è macello, ſiue aliunde quis ad ſuæ vitæ neceſſarium vſum defert, vectigalium materiã eſſe legitimam conſtituit: eadémque materia conſtituitur in l. omnium. C. eod. tit. & lex vniuerſi, capitis damnat, qui in legem committunt. D. Thom. in cap. 13. epiſt. ad Roman. lect. 2. in extremo, res, in quibus quis mercaturam exercet, materiam ſcribit eſſe vectigalium. D. Antoninus, in 2. part. ſuæ Summæ, tit. 1. cap. 13. §. 9. idem ſentit propter leges codicis, propter auctoritatem Oſtienſis & Bernardi, in cap. ſuper quibuſdam, de verborum ſignificat. & Ioannis, in Summa, & Bartoli, in Piſana, & Directorij, qui nullam excuſationem dant conſuetudini contrariæ: facit idem Aſtenſis, in 1. p. lib. 1. tit. 32. art. 4. q. 4. qui conſuetudinem ſoluendi pedagium, pro rebus ad vitæ vſum neceſſariis, tum ſuæ, tum familiæ negat retinendam eſſe; confirmat auctoritate legis, Vniuerſi Prouinciales. C. de vect. & comm. & auctoritate Oſt. & Bernard. in cap. ſuper quibuſdam, de verb. ſign. Ea autem verba legis, ſi publicanus. §. poſtremo. §. de vectigal. » & publicanis. In omnibus vectigalibus » conſuetudo ſpectari ſolet, interpretatur de vectigalibus, quæ in rebus negotiationis verſantur: nam quantùm pro vectigali ſolui debeat, conſuetudine æſtimari conuenit. Angelus, in verbo, pedagium, num. 3. Tab. eod. tit. & num. Caiet. in Summa, verbo, Excommunicatio, 71. & in verbo, Vectigalia, cap. vectigalia iniqua, Armilla, in verbo, Vectigal, nullam aliam materiam concedunt iuſtis vectigalibus niſi eam, in qua quiſpiam negotiatur.

7. De eadem materia, Roſella, in verbo, Pedagium, num. 6. Sylueſter, in verbo, Gabella, 3. quæſt. 2. quærit in num. 6. quot ad vectigalium iuſtitiam requiratur; profitetur ſe ex Doctoribus & philoſophiæ moralis principiis reſponſurum; & in eo materiæ iuſtitiam poſitam ait, vt ne perſonis Eccleſiaſticis imponantur, & quæſt. 5. num. 14. in rebus negotiationis collocat, Oſtienſi & Bernardo allatis, qui contrariam conſuetudinem reiiciunt; is tamen non reiicit, cùm mercium genus publicis neceſſitatibus ſubleuandis non eſt ſatis. Gabriel, in 4. diſtinct. 15. quæſt. 5. art. 2. conc. 2. Nauarr. in Summ. cap. 17. num. 203. vel 202. Sotus, lib. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 7. Cardinalis Toletus, vir in hoc quæſtionum genere, & in Curiæ moribus annos plurimos excellenter verſatus, tot Romanorum Pontificum Theologus perinſignis, in ſumma, de caſibus conſcientiæ, cap. 73. Ioannes Medina, in C. de reb. reſtit. quæſt. 14. eamdem materiam inculcant: & ſanè Toletus, vt etiam Caietanus, excommunicationem bullæ Cœnæ ſubiri ab iis ſcribit, qui ob res vitæ vniuſcuiuſque neceſſarias vectigal præſtari præcipiunt, ſed tamen Medina concedit nonnulla tempora, cùm in eo rerum genere inſtitui vectigal iuſtè poteſt, pauperes ſemper excipit.

At enim conſuetudo res quoque humano victui neceſſarias vectigalium præſtationi ſubiecit: cui conſuetudini non pauci cum D. Antonino obſequuntur. Primùm, qui iſtam conſuetudinem improbant, conſuetudini quæ iuſta & iniuſta eſſe poteſt, ius, quod non poteſt non iuſtum eſſe, opponent. Tum Canones Eccleſiaſtici & bulla Cœnæ nullam conſuetudinem, quæ libertati officere poſſit Eccleſiaſticæ probant. Præterea Canon, 5. bullæ Cœnæ requirit vectigalia iure permiſſa, non dicit conſuetudine permiſſa.

Poſtremò, ne nimis præfractè conſuetudinem accuſemus, ea multis modis defendi poteſt. Dici enim poteſt eam in collectis valere, quas ſibi imponunt ciues; in vectigalibus non item, quæ ſoluuntur etiam ab externis, & peregrinis: nec aliam mentem D. Antonino, & qui eum affectantur fuiſſe, ex eorum verbis perſpici poteſt. Nec non tunc locus datur conſuetudini, cùm res negotialis nõ eſt ſatis,

vt inquit Syluester, in verbo, Gabella, tit. 3. num. 14. indulgendum etiam tunc eſt conſuetudini, quum tempora quædam incidunt neceſſaria, cùm non ſolùm rebus vitæ noſtræ ſuſtinendæ neceſſariis, ſed ipſa etiam vita, & ſanguine eſt communi ſaluti, & bono opitulandũ; quemadmodum Medina admonet. C. de reb. reſt. quæſt. 14. Addimus ipſi non illam improbandam eſſe conſuetudinem, cùm nec pauperibus nocet, nec immunitatem lædit Eccleſiaſticam.

8. Leges verò codicis, Vniuerſi Prouinciales, &, omnium, de vectigal. & commiſ. abrogatas eſſe, dici nec poteſt, nec debet. Vel quia cuncti Doctores, qui de vectigalibus diſſerunt, iis legibus tamquam vitus, & ratis vtuntur: vel quia ſumma æquitate nituntur. Adeo enim cum iuſta vectigalium forma implicita eſt materia, quam ius codicis è vectigalibus eximit, vt conſiſtere illa non poſſit, ſi in eo rerum genere, quo maximè egere ſolent pauperes, conſtituantur; niſi ſi fortè pauperes exciperentur: vel denique, quia nemo Sacerdos, quod ſciam, paulo peritior, reſtituendi religionem iniicit iis, qui res vitæ ſuæ neceſſarias apud publicanum, aut non profitentur, aut occulunt, aut pro iis vectigal minimè ſoluunt.

Et quia perdifficile eſt, vnum aliquod exiſtere vectigal quattuor omnibus iuſtis cauſſis communitum, idcirco & canon, Quamquam, de cenſibus, lib. 6. perparum vectigalium exactionibus fauet: cùm » cauet his verbis: Pedagiorum exactiones » tam iure Canonico, quàm ciuili regulari» ter meritò damnatæ ſunt. Atque ob id ipſum verè ab iis iudicatum videtur, qui onere præſtandi vectigalis liberant eos, qui meritò de illius iuſtitia poſſunt ambigere.

QVÆSTIO XXXVII.

1. IN ſumma difficultate annonæ, & rei frumentariæ inopia, magnum æs alienum contraxit quædam ciuitas non obſcura; quo ære ciuium bona conteruntur, propter graue fœnus, quod ſoluit.

Princeps tanto ſuorum ciuium malo proſpicere cupiens, percũctatus eſt, num iis inuitis, ac repugnantibus vectigal imponere poſſit, quo diſſoluere queant æs alienum, & ſe ex vſuris emergere: num etiam clerici volũtarij poſſint illud ipſum onus ſuſtinere.

De clericis reſpondi, onus ſibi illud ſua voluntate imponere non poſſe, ſed priùs Romani Pontificis expectandũ eſſe conſenſum: nec quidquam abſque eius auctoritate in hac re moliendum: id quod ex ſuperiore quæſtione cuique poteſt eſſe compertum. Addo illud, vix mihi perſuaderi poſſe, voluntariè clericos venditoribus pro ea re maius pretium pendere, quam minore emere poſſunt; quod ante nos obſeruauit Nauar. in Summa, cap. 27. n. 61. declaratione 4. & Caiet. in Summa, Excomm. 39. Nam, ſi verbi cauſſa clericus, aut in macello pro carne, aut in taberna vinaria pro vino quidpiam ſoluit, tamquam debitum ſoluit: ergo nõ ſponte, & liberaliter: ſoluit ex empto & vendito, & tamquam iuſtum pretium rei venalis: ergo non liberè, ſed contractus neceſſitate cogente. Denique, ſicut vellet venditor ſemper cariùs vendere, ſi poſſet; ita emptor viliùs emere: quod cùm ſecus contingit, præſertim vbi à pretij iuſtitia diſceditur, inuitis illis contingit: neque vellet vmquam emptor plus pretij dare, quàm ius æqualitatis expoſuit.

De reliquis ciuibus ita ſenſi, ſi ſua ipſi commoda & patrimonia non oderint, rationem à Principe excogitatam æris alieni diſſoluendi, pro eximio beneficio ab iis haberi oportere: illúdque vectigal non ſolùm non repudiare, verumetiam optare & efflagitare eoſdem debuiſſe: dummodò ea iuſtitia munitum ſit, de qua in ea, quæ antecedit, quæſtione, diſputatum eſt: atque ea præſertim, quę in ratione formæ conſiſtit; ne pauperes ob vectigal deteriore ſint quàm locupletes conditione, 2.

necnon

necnon animaduertendum eſt,vt moderatum ſit onus,quod ſingulorum ciuium facultates & bona ferre poſſint. Illud item cauendum,ne peregrini externíve homines ſoluere cogantur:cùm ſit ab æquitate quàm remotiſſimum,vt æs tuum alienum nulla mea culpa contractum,ego ſoluam: atque æs alienum Peruſinorum ſoluant Bononienſes; aut Bononienſium, Mutinenſes; aut Hiſpanorum,Itali;aut horum, Hiſpani.

3. Quòd ſi onus moderatum & æquum ſit, ciuibus nec moleſtum, nec odioſum erit: præſertim ſi illud Platonis in 11.lib. de legibus cum animis ſuis cogitarint.
» Ciues ſingulos non magis ſuos eſſe,quàm
» ciuitatis:neque ſuas opes,fortunas ac pa-
» trimonia illorum magis eſſe,quàm maio-
» rum,& poſterorum, ac denique ipſius ci-
» uitatis.

Quamobrem, quum Princeps, qui pater debet eſſe multitudinis,quam tuetur, & curat,bono communi conſulit, iure & ciuibus, & eorum bonis imponere ea poteſt,quæ ad publicam ſpectant vtilitatem vel neceſſitatem:& quia ius imperandi & gubernandi, vim habet cogendi eos, qui ſunt in alterius imperio: conſequens eſt, vt cenſus, ſeu vectigalis onus,quod ciuiũ cauſſa meditatur, & inſtituit Princeps, ij reſpuere minimè poſſint:maximè ſi Princeps,de hoc enim loquimur,is ſit,qui poteſtate polleat eius generis onera imponendi.

QVÆSTIO XXXVIII.

1. A Summo Principe ſuo Dynaſtæ beneficij gratiæque cauſſa conceſſum eſt vectigal librarum centum mille: quæ eo tempore, quo dabatur beneficium, ſummam aureorum conflabant nouem & decem millium,& octingentorum.

Verùm certo annorum interuallo adeo aucta eſt auri æſtimatio,vt ad libras ſex,& quattuor ſolidas perductus ſit; quod incrementum non paruum, vt aiebat Dynaſta, vectigali ſuo attulit damnum. Propterea quòd nunc nõ capit niſi ſexdecim millia nummûn aureorum ,& quingentos. Adiungit Tetrarcha, ſine ſuo aſſenſu aurei pretium auctum eſſe.

Mali duplex excogitauit remedium:alterum,vt aureus in ſuo vectigali quinque librarum ſit,& 13.ſolidorum; ciuitatis autem,ſex librarum:alterum,vt aureus tantidem ſit in ſuo vectigali, ac tota ciuitate, hoc eſt,quinque librarum, & 13.ſolidorũ: hac enim ratione in pecunia aurea multò ſe plus habiturum, quàm nunc habeat: quamuis prior illa ſumma 19. millium & octingentorum, refici non poſſit.

Quæſiuit Dynaſta,hoc inuento vti ne poſſit iure Pontificio incolumi, quod eſt in bulla Cœnæ, quo vectigalium incrementa prohibentur.

Reſpondi, pactionem,quam cum ciuibus Regulus facit, iniquam eſſe, & iure Bullæ vetitam. 2.

Huius reſponſi vis in nonnullis, quæ ſubiicientur, propoſitionibus, erit illuſtrior.

Prima propoſitio. Vectigal impetratum non in aureis nummis,ſed in centum millibus librarum conſiſtebat:ergo ſi ſatrapæ fixæ ſint centies mille libræ,iis debet eſſe contentus; nec obolo ampliùs poteſt exigere.

Secunda propoſitio. Si Princeps vectigal Satrapæ donauit in certa librarum, aut aureorum aut argenteorum nummorum, ſumma, neque genus monetæ æſtimare voluit:maius minúſve pretiũ, quod ratio temporis tuliſſet,ad ſatrapam pertineret, non ad vllum alium.

Tertia propoſitio. Quo tempore nobis propoſita quæſtio fuit, Tetrarchæ nihil lucri periit: nam ſupra centum millia librarum, bis mille & trecentas è vectigali percipiebat:vt non modò nullo damno, ſed etiam magno ſit lucro Dynaſta affectus:iuréne an iniuria,liquebit ex quarta propoſitione: quæ eſt huiuſmodi.

Tetrarcha illas bis mille & trecentas libras vectigalis nomine conſequi non

potuit: & quia aucto vectigali, cuius augendi poteſtate carebat, locupletatus eſt, excommunicationem bullę Cœnæ ſubiit: ac niſi reſtituat, aut de reſtituẽdo caueat, abſolui à peccato non poteſt. Quòd ſi, vt accepi, è vita exceſſit, eius heredes pro defuncto ſatisfaciant.

3. Quinta propoſitio. Ambæ conditiones, quas ciuibus fert Dynaſta, bono ſunt illi, malo ciuibus: ideóque repudiandæ, neque cupiditate peculij erant à Rectore ciuitati aut demonſtrandæ aut ſtatuendæ. Paſtor enim hominum illorum, quos tuetur, non ſua commoda debet intueri. Sapienter enim Plato in primo de Republ. eorum, qui populum regunt, curam cum paſtorum cura confert. Paſtoris autem, hactenus, vt paſtor eſt, hæc prima curatio eſt, vt gregis ſaluti conſulat; atque illud prouidere, vt eidem gregi quàm rectiſſimè ſit. Paſtorali arti, inquit Plato, nihil aliud curæ eſt, quàm vt id, quod cuſtodit, optimè ſe habeat: & pòſt aliquanto. Sic ego putabam neceſſe eſſe eos confiteri: vnumquemque principatum in eo, quòd principatus ſit, nullius alterius bonũ proſpicere, niſi eius, quod ſub illo eſt. Et ſicut, qui oues occidit, vt iis veſcatur, id facit, non tamquam paſtor, ſed tamquam conuiua, eodem auctore Platone: Et qui paſcit, vt eas vendat, id facit non veluti paſtor, ſed lucri cupidus: ita qui rem communem adminiſtrat, & multitudini imperat, vt ex ea adminiſtratione ſua commoda aucupetur, lupum non paſtorem imitatur. Itaque Ariſtoteles in 8. Ethic. cap.10. Regem à Tyranno his verbis ſecreuit. Tyrannus enim ſuam, Rex ſubditorum vtilitatem ſpectat: & paullo pòſt. Quocirca vtilitatem non ſibi, ſed ſubditis procurabit. Et in 5. polit. cap.10. Vult autem Rex eſſe iuſtos: vt qui diuitias habẽt, nihil iniuſtum patiantur: nec etiam populus afficiatur contumeliis. Tyrannus autem, vt ſæpe iam diximus, ad nullam communem reſpicit vtilitatem, niſi gratia proprij commodi. Hæc Ariſtotel.

4. Vtriuſque verò philoſophi ſententias complexus D. Thomas in 3. de regimine Principum, cap.11. diſcrimina Tyranni & Principis ab Ariſtot. conſtituta in 8. Ethic. breuiter colligit. Regnum, inquit diuus Thomas, non eſt propter Regem: ſed Rex propter regnum: quia ad hoc DEVS prouidit de eis, vt regnum regant & gubernent; & vnumquemque in ſuo regno cõſeruent: & hic eſt finis regiminis; quòd ſi ad aliud faciunt, in ſe ipſos commodum retorquendo, non ſunt Reges, ſed Tyranni: contra quos dicit Dominus in Ezech. cap.34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos, non ne greges paſcuntur à paſtoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis.* Et in opuſculo 21. reſponſionum ad Duciſſam Brabantiæ, in reſponſ.7. ad 6. quæſtionem, num à ſuis ſubditis Chriſtianis exigere cenſum poſſet. Conſiderare, inquit, debetis, quòd Principes terrarum ſunt à DEO inſtituti, nõ quidem, vt propria lucra quærant, ſed vt communem populi vtilitatem procurent. Atque aduerſus Principes ſuis commodis vtilitatibúſque ſeruientes, diuina quædam ſanctorum Prophetarum oracula profert.

At ob vtramque conditionem in optima cauſſa eſſe Dynaſtam, atque in deterrima ciuitatem, eſt quàm notiſſimũ. Nam prior conditio multa librarum millia defert Regulo: aufert populo; poſterior merces atque opes imminuit ciuitatis, communes corrumpit vtilitates. Itaque eſt vtraque meritiſſimè reiicienda conditio.

5. Sexta propoſitio. Non aſſenſu Dynaſtæ aurei æſtimationem immutatam eſſe credi vix poteſt. Primùm, quia eius rei non fuit ignarus; & immutationi, atque auctioni ſi voluiſſet, occurriſſet; quod cùm non fuit, rem probaſſe videtur. Deinde: quia communem æſtimationem eſt ille ipſe ſecutus: neque enim aliter credi poteſt. Poſtremò: quia abſimile veri eſt ab eo tamdiu cohibitum, & celatum fuiſſe conſenſum, & tanto pòſt tempore ob nouam quæſitam vtilitatem detectum.

Septima

Digitized by Google

Septima propoſitio. Quamuis inſciente Dynaſta aurei pretium factum ſit maius, non ideo eius cauſſa alleuatur: quoniam è tradito ſibi vectigali haurit centum millia librarum, & bis mille, & octingentas, quæ ſibi non debentur, etiam colligit: in quo vectigalis exaggerator exiſtimandus eſt. Vt hæc quæſtio proponenda fuerit:

Vtrúmne ob duarum millium, & trecentarum librarum compendium, quas non pariebat vectigal, quum fuit à maiore Principe tributum, cenſendum ſit, Regulum illud auxiſſe, & in bullam Cœnæ commiſiſſe.

QVÆSTIO XXXIX.

1. CHriſtiani Imperij Regulus, ſuæ ciuitatis pauperes, huc illuc vagari ſolitos, vult vnum in locum compellere, & alere.

Pecuniæ conficiendæ ratio hæc ab eo excogitatur: vt in ſingulas olei libras, cùm venit, quadrante pretium augeatur. Aliàs id à Regulo factitatū eſſe narratur.

Quæritur num Regulo id liceat abſque violatione cenſurarum, quæ ſunt in bulla Cœnæ: & num Reguli miniſtri, qui pecunias aut colligunt, aut exigunt, eiuſdem culpæ & pœnæ, cuius eorum Regulus, ſint affines.

Qui tum Reguli cauſſam, tum iuſtitiā impoſiti oneris tueri vellet, dicere poſſet, illud aut eſſe olei auctum pretium, aut collectam: neutra autem res vectigal eſt, non collecta: quia ipſa communia, quæ collectas ſibi imponere poſſunt, vectigalia non poſſunt: nec auctum pretium rerum vocari poteſt vectigal: quia piſcatores, olitores, propolæ, caupones, tabernarij augere ſolent rerum ſuarum pretia: qui vectigal, cùm id faciunt, nullum creant. Quod autem huic generi hominum facere licet, cur non liceat Regulis, à quibus ij reguntur?

2. Sed quid attinet aut collectæ, aut pretij aucti velis ſuperius vectigal obtendere? collecta enim eſſe nequit. Primùm, quia collecta fit per cenſum & æſtimationem bonorū, quæ quiſque poſſidet: at, de quo diſſeritur, onus per cōtractum inſtituitur emptionis. Deinde, in collecta vnuſquiſque cōfert ſuum, nemo quod eſt alterius: hic venditor obolū dat, quod eſt emptoris, non ſuum. Tum in collecta omnes de ſuis bonis, quæ poſſident, aliquid detrahunt, vt in commune conferant; hic ij tantùm, qui oleum emunt, de ſua pecunia afferunt. Pòſt in collectis plus tribuunt diuites, quā pauperes: hîc autē nihil diuites, aut multò minùs, quàm pauperes: nam pauperes oleum coguntur emere in ciuitate, aut ſoli, aut multò ſæpiùs quàm copioſi ciues. Poſtremò, collectarum immunes debent eſſe peregrini, & exteri homines: at onus, quod excogitatū eſt, peræquè attingit externos, atque indigenas. Neque aucti pretij titulo iuſtè obtegitur.

Primùm, quia ſi quadrans ille, qui ſoluitur ab emptoribus olei, pars pretij eſſet, 3. eius dominus venditor euaderet, non ciuitas aut Regulus, aut quiuis alius: ſicut enim res empta ad emptorem, vt ad legitimum dominum pertinet: ſic rei emptæ pretium ad venditorem: at obolus additus pretio non ad venditorem ſpectat. Deinde, iuſtum rerum pretium ferre debent ſimiliter clerici, vt laici; at hoc onere ſoluti debēt omnino eſſe clerici: ergo quadrans non eſt pars pretij. Poſtrema, quia vulgus onus eiuſmodi vectigal ſolitus eſt appellare, in quo nec à Syluestro, in verbo, Gabella, tit. 1. num. 3. nec ab Angelo, in verbo, Immunitas, num. 38. nec à Gabriele, in 4. diſt. 15. q. 5. art. 1. diſcedit: qui eiuſmodi aucta pretia, quæ communitatis aut Principis ærario inferuntur, vectigalia ſeu gabellas nominant; nec diſſidet à Nauarro in Summa, cap. 17. num. 203. neque ab eod. lib. 3. ſuorum conſiliorum, de cenſ. concluſ. 2. nec à Toleto, in Summa, lib. 1. cap. 72. qui quodlibet onus pecunia æſtimabile vectigalis nomine cenſeri aiunt à Romanis Pontificibus, in bulla Cœnę. Ad

extre

extremum rem omnem conficiunt tres quattuórve Xiſti V. conſtitutiones; qui huius generis aucta pretia vectigalia vocat.

4. Ergo quod cuique opifici in re ſua facere licet, non licebit Principi? Imò verò maximè licebit: ſed tunc ſolùm, cùm is rei ſuæ æquum pretium ſtatuet, illúdque augebit: quum nemo aliter ei rem ſuam ſubduxerit. De genere igitur ac nomine oneris, quin vectigal ſit, & hoc ſolo nomine dignum, dubitare non poſſumus.

Illud diſſerendum nunc eſt, ſítne iuſtum an iniuſtum: iniuſtitiam eius coarguunt hæc quinque. Primum, quòd nouum eſt. Secundum, quòd peræquè laicis ac clericis impoſitum: nam per ſe vectigal premit ementes, quicumque ſint illi, ſiue laici, ſiue clerici, ſiue ciues, ſiue externi. At Principes profani nullam habent in clericos poteſtatem, vt toties dictum & probatum eſt. Tertium, quia exigitur ab alienis, Hiſpanis, Gallis, Germanis, aliarúmque ciuitatum & prouinciarum hominibus; qui alienarum perſonarum neceſſitatibus ſubuenire minimè coguntur.

Quartum, quia in re humano victui neceſſaria conſtituitur. Quintum, quia pauperum pecuniam magis quàm diuitum exedit & conficit. Quare alia materia noui oneris ſumenda eſſet, cuiuſmodi eſſet genus aliquod panni pretioſi: aut carnium, quibus ſæpius & libentiùs locupletes quàm pauperes veſcuntur.

Mitto, valde iniquum eſſe, vt cœtus pauperum, qui in vnum aliquod domicilium congregandi erunt, potiùs pecunia aliorum pauperum quàm diuitum alantur. Cùm & diuinarum Scripturarum oracula, & ſanctorũ Patrum voces, & Theologorum decreta, & naturæ iura perſuadeant; vt inopes à copioſis, tenues à pecunioſis paſcantur. Veriſſiméque D. Thom. " in 2.2.q.66.art.7. ſcripſit, res, quas aliqui, " ſic enim is loquitur, ſuperabundanter ha" bent, ex naturali iure deberi pauperum " ſuſtentationi. Iam verò de miniſtris Principis ſic ſentio: Dum vectigal, vel imperatam pecuniam exigent, inſcientiæ excuſationem legitimam non habere, niſi peritos priùs conſuluerint: præſertim cùm recentis, & non antiqui vectigalis veri exactores ſint. Non ſecus docet Syluester, in verbo, Gabella, tit.3.num.20. qui eiuſdem ſententiæ Auctorem citat, & ſequitur Oſtienſem.

QVÆSTIO XL.

Sintne Chriſtiani vectigalium ac tributorum, quæ ab Rege Turcarum inſtituuntur, iuſti fraudatores, non ſemel conſultus ſum. 1.

Reſpondi, noſtros Chriſtianos horum iniquiſſimorum vectigalium ac tributorum, eſſe iuſtiſſimos fraudatores.

Primùm: quia Turcarum Regem eſſe veriſſimum crudeliſſimúmque Tyrannũ nemo Chriſtianus, & vir ſapiens, dubitare poteſt. At Tyranno nullum eſt legitimum ius aliis imperandi, tributáque imponendi. Deinde: quia eſt iſta importuniſſima bellua, Chriſtiani ſanguinis mirandum in modum ſitiens: qui plurimas Chriſtianorum prouincias rebus omnibus inſtructiſſimas ſpoliauit atque nudauit: qui multa opulenta regna vi & armis occupauit: nec quidquam ei eſt optabilius quàm Chriſtianarum virginum pudicitiam expugnare, matrumfamilias exiſtimationem atque honorem violare, cæteras fœminas quauis flagitij labe conſtuprare; cunctis Chriſtianis hominibus aut libertatem, aut vitam eripere.

Poſtremò: quia Chriſtianis Principibus, quos ille continenter vexat, ſemper eſt iuſtum bellum aduerſus nequiſſimum latronem: quem penſitandis vectigalibus iuuare, & confirmare, quid eſt aliud quàm illi opes & arma aduerſus nos ipſos ſubminiſtrare? Itaque cùm tributorum, & vectigalium iſtius barbari fraudatio, ſiue fraudatoribus, ſiue aliis innocẽtibus nullum graue periculum creat, aio illa non ſolùm fraudari iure poſſe, verùm etiam 2.

debere;

debere; ne Chriſtiani tantæ tàmque diræ Tyrannidis adiutores; ne immaniſſimorum facinorum, quæ iſte barbarus omnibus momentis meditatur & obit, ſocij; ne infinitarum libidinum atque iniuriarum, quibus orbem terrarũ ſemper oppugnat, atque diuexat, miniſtri & fautores eſſe videantur.

Quid verò indignius, quàm ei à nobis deberi tributum, cui poſſet à Chriſtianis vita digniſſimè eripi?

Scio alios graui auctoritate Doctores à nobis facere: ad quorum auctoritatem in re nimiùm aperta confugere, & piget & pudet.

QVÆSTIO XLI.

1. EXigitur vectigal ab indigenis, atque exteris hominibus: verùm altero tanto ampliùs exteri pendunt.

Conſultores quærebãt, iuſtúmne eiuſmodi vectigal cenſendum foret.

Mihi iniquum viſum eſt: quia valde abſurdum arbitratus ſum, in penſitandis vectigalibus ac tributis, deteriores facere peregrinos atque alienos, quàm ciues. Primùm: quia iſta inæqualitas maleuolentiæ atque odij externis ſegetem præbet, in eos, qui ſunt Auctores vectigalis: atqui beneuolentiam externarum nationum quilibet Princeps ſibi deberet adiungere: vt neceſſariis dubiiſque temporibus illorum opera atque ope vti poſſet. At benignitate atque humanitate, liberalitate, & largitione alienorum animi conciliari ſolent: contra abalienari, cùm eorũ pecunia callidis artificiis extorquetur.

Deinde: quia eiuſmodi grauia atque odioſa vectigalia, magno ſunt ciuitatibus detrimento: carere enim earum rerum copia coguntur, quibus abundarent, ſi vectigalium inhumanitate non deterrerentur externi. Poſtremò: quia ab iis conuenit plura præſtari Principi, quibus plura & maiora à Principe beneficia tribuuntur: ſed multò maiora & plura tribuuntur ciuibus, quàm peregrinis: nam ciuium ſalutem, vitam, parentes, vxores, liberos, propinquos, famam, honorem, rem familiarem, & iura vniuſcuiuſque ſingulis momentis Princeps tuetur.

At peregrinis beneficium datur tuti itineris ac viarum: cùm mercimonij cauſſa in alienas ſe conferunt vrbes: quod beneficium eſt iis commune cum ciuibus: conſtat autem, minimam vectigaliũ partem in muniendis viis, & itinerum defenſione, collocari. Vt cuiuis notum eſſe poſſit, grauiora vectigalia imponenda ciuibus eſſe, quàm peregrinis. Adſcribam hîc locum Syluestri, in Summa, verbo, Gabella, tit.3. num.18. Forenſes, inquit, non tenentur ſe conferre ad defenſionem ciuitatis, ſed ſolùm ad expenſas viarum, & ſecuritatis conſeruandæ. Ergo, ſi alienæ ciuitatis defenſionem ſuſcipere non coguntur externi ac peregrini, neque iis aut tributis, aut vectigalibus vinciri debent, quę ad huiuſmodi defenſionem inſtituuntur. 2.

QVÆSTIO XLII.

DE me quæſitum fuit, qui alterius famam & exiſtimationem per iniuriã violauit, eſſetne eius heredibus impoſita lex, violati iniuriæ ſatisfaciendi, & damna ex infamia orta, iis quorum intereſt, veluti vxori, liberis, parentibus reſarciendi. 1.

Ipſe Adrianum ſecutus, in quodlib.11. col.12. in grandioribus codicibus, §. de difficultate, & Nauarrum, in Summa, cap. 18. num.42. eam legem impoſitam heredibus eſſe reſpondi: à quibus auctoribus reliqui, qui de Chriſtiano officio diſceptarunt, haudquaquam diſſident. Quum ſcribunt, teſtatoris delicto teneri heredes; quod item illi auctoritate Bartoli confirmant, vti Angelus, in verbo, Heres, nu.4. & Syluester, in verbo, Hereditas, 3.nu.4. & Tabiena, in verbo, Heres, nu.4. & Gloſſa, in cap. extremum, de ſepulturis, idem affirmat, cuius hæc ſunt verba: Ex hoc cap. & inf. de raptoribus, in litteris, patet, quòd

» heredes conueniuntur ex maleficio de-
« functi,licèt nihil inde peruenerit ad eos:
» quamuis lis conteſtata nõ fuerit cum de-
» functo;cùm ad eos bona defuncti perue-
» nerint. Tamen ex delicto defunctorum
» heres non tenetur ſecundùm leges, niſi
» in quantum ad ipſum peruenerit,vel niſi
» lis conteſtata fuerit cum defuncto, C.ex
delictis defunctorum, in quantum here-
des conueniantur,l.vnic.

2. Et Bartolus in l.1.ff.de priuatis delictis,
num.6. ad hunc modum loquitur: Quæ-
» dam ſunt actiones pœnales ex parte rei,
» ſed perſecutoriæ ex parte actoris:pœnales
appellat Bartolus actiones, quibus pœnã
à ſonte expetimus:perſecutorias verò,qui-
bus rem noſtram iudicio perſequimur ac
» repetimus. Tunc,inquit ille,hoc caſu diſ-
» fert ius ciuile à canonico:nam de iure ci-
» uili non dantur niſi quatenus ad heredem
» peruenit:ſed de iure canonico dantur in
» ſolidum. Ius hoc canonicum,de quo lo-
quitur Bartolus, perſcriptum eſt in po-
ſtrema Decretali, de ſepulturis, quæ eſt
Gregorij IX. & in Decretali, in liberis,de
raptoribus, quæ eſt Alexandri III. & in
Decretali, à nobis, 2.de ſententia excom-
municat.quæ eſt Innocentij III. in capi-
te,in litteris,his verbis præcipit Romanus
» Pontifex. Heredes eius moneas & com-
» pellas, vt iis quibus ille per incendium,
» vel alio modo damna contra iuſtitiam ir-
» rogauerat, iuxta facultates ſuas condignè
» ſatisfaciant;vt ſic à peccato valeat libera-
» ri; vel,vt legunt Io.Andreas & Adrianus,
» valeant liberari, non ad defunctum ſed
ad heredes eius referentes:quam lectio-
nem ſolam verã eſſe contendit Adrianus.

3. Ac licèt Panormitanus in cap.illud ex-
tremum, de ſepulturis, tunc tantùm diſ-
crimen agnoſcat inter ius ciuile & Ponti-
ficium,cùm maleficij auctor confeſſionis
ſacramento expiatus, & heredibus lege
impoſita ſatisfaciendi,deceſſit. Tunc au-
tem ius vtrumq; exæquet, quum ille nec
contritus, nec confeſſus è vita migrauit
(quam diſtinctionem exoſculantur noſtri
Summiſtæ:)nihilominus quia ipſemet Pa-
normitanus fatetur,opinionem commu-
nem canoniſtarum ſuæ eſſe contrariam,
& ab eo Gloſſa & Bartolus prorſus diſ-
ſentiunt: ideo de iuris ciuilis & canonici
differentia à Panormitano meritò rece-
dere debemus:ſicut recedit etiam Adria-
nus.Quid autem rationis habet,vt defun-
cti pœnitentia, qui in alterum iniurioſus
fuit, ius heredibus conſtituat iniuriæ ſa-
tisfaciendi,damni dati ſarciendi:impœni-
tentia autẽ hoc ius tollat; præſertim cùm
reſtituendi onus ex iniuſtitia naſcatur,ſo-
láque reſtitutione, aut liberali condona-
tione eius, cui eſſet reſtituendum, delea-
tur? quod reſtituendi onus heredibus
tranſmitti iure canonum planum eſt, in
quos item heredes cõdictio furtiua etiam
iure ciuili deriuatur:etiamſi furti nõ fue-
rint heredes participes.ff.de condictione
furtiua,l.in condictione,& l.ſi pro fure,§.
poſtremo.

Quòd ſi actione furti tenentur here- 4.
des,cur non item actione famæ à demor-
tuo nefariè inquinatæ? cùm grauius ſit in
fama quàm in externorum bonorũ poſ-
ſeſſione lædi? Etenim de famæ reſtitutio-
ne magni Theologi ita ſenſerunt & ſcri-
pſerunt:vt cùm ea reſtitui nõ poteſt,quo-
piam alio bonorum genere compenſetur:
ſic docet D.Thomas in 2.2.q.62.art.2.ad
2.& Adrianus,in quodlib.11. col.12. com-
munem hanc omnium Doctorum ait eſſe
ſententiam,in 4.ſent.diſtin.15.& Sotus,in
4.lib.de iuſtit.& iur.q.6. art.3. col.9. opi-
nionem regiam appellat, à qua,inquit,nõ »
eſt diuertendum:accuſatque Sylueſtrum, »
quòd ab ea diuerterit, in verb.Detractio,
4.Atque in Summa,cap.Eccleſia 2.vt lite
pendente nihil innouetur, eſt his verbis:
Cùm res reſtitui non poteſt,in alio æqui- »
ualenti fieri debet reſtitutio. Quòd ſi op- »
ponas legem primam.ff.de priuatis deli-
ctis, ita loquentem: Iniuriarum actio he- »
redi non competit.Reſpondeo, primùm, »
Iuriſconſultum non loquutum fuiſſe de
actione perſecutoria,ſed de pœnali(vt di-
ſtinctione vtamur Bartoli.) Neque enim
ſi tuus pater hominẽ occidit,qui damna-
tus,

Digitized by Google

tus, aut vltimo ſupplicio afficiendus, aut in exilium pellendus erat: idcirco tu, qui illius es heres, eamdem pœnam ſufferre debes. Quòd ſi iudex pœnam, quæ tuo patri conſtituta erat, abs te iuſtè repetere non poteſt; neque actio conuenire alteri poteſt aduerſum te, qua paterni ſceleris pœna plectaris.

De actione verò perſecutoria ſecus dicendum eſt. Deinde, illud addimus, Iuriſconſultum audiendum non eſſe, ſi perſecutoriam etiam intellexit: nam in hoc, de quo diſputamus, genere, ab Eccleſiæ, & canonum iure ſtandum eſt omnino.

QVÆSTIO XLIII.

1. PErcunctabatur religioſus ſacerdos, poſſemúſne malis precibus execrari diabolum: aut verò culpæ affinis ſit, qui ei maledicit.

Reſpondeo, dæmoni, hactenus, vt DEO ſuiſque eſt inimicus, ſine vlla culpa maledici poſſe: namque & Iob ei maledixit, cap. 3. *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* Ad hanc enim ſententiam Iobi verba inflexit D. Thomas, in 2. 2. q. 76. art. 1. ad 4. in qua quæſtione diſputat de maledictone, ea, quæ à nobis dicta ſunt, confirmans: in » reſponſione enim ad 4. dicit, In diabolo » naturam ſpectandam eſſe, & culpam. Na» tura quidem eius, inquit, bona, eſt à DEO; » nec maledicere licet: culpa autem eius eſt » maledicenda, ſecundùm illud Iob. 3. *Maledicant ei, &c.* Alexander autem Halenſ. in ſua Summa, par. 2. q. 130. quæ eſt de maledictione, memb. 4. non planè, vt D. Tho» mas, quæſtioně euoluit. Quoniam, inquit, » perſona, ptout eſt cauſſa peccati, digna eſt » maledictione: & hoc modo ſuper totum » tranſit maledictio: non tantùm ſuper per» ſonam; nec tantùm ſuper peccatum, ſed » ſuper perſonam deformatam peccato: ſu» per enim rem non exiſtentem non eſt fe» renda maledictio; nec ſuper rem exiſten» tem quoad hoc, quòd exiſtit à DEO: ſed » ſuper rem exiſtentem, quæ proprio motu priuauit ſe bene eſſe: Gregorius, otioſum » eſt maledicere non exiſtenti: pernicioſum » verò, ſi exiſteret: ſed tunc rectum, cùm ſe » bene eſſe priuauit; & à iuſtitia DEI non » diſcordat ſpiritus prædicentis. Hactenus » Alexander, etiam membro primo. Si ergo » fuerit maledictio reſpectu illius, qui me» retur maledictioně, cum aliis debitis cir» cumſtantiis, erit maledictio, bonum: & ſi » ſit malum ei, cui maledicitur. Caietanus, » in Summa, in verbo, Maledictio, quæſtionem verbis his explicat. Dæmonem de» mum maledicere abſolutè, non eſt pecca» tum: quia ratione ſtatus ſui mali intelligi» tur à Chriſtianis maledici. »

Neque hoc noſtrum reſponſum auctoritate cõuellitur Eccleſiaſtici, cap. 21. dum inquit: *Dum impius maledicit diabolo, maledicit animam ſuam:* id enim tantùm ſignificare voluit, cùm impius diabolum imitetur, hoc eſt, improbitatem eiúſque impietatem, propter quam ſolam meritò eſt execrabilis, eamdem execrationem ſubire impium, in quem cauſſa eadem conuenit execrationis. Contrà homo pietatis colens, quia imitatione ingenium & mores diaboli non exprimit, illi malè precari poteſt. Neque verò locus ille in epiſtola Catholica Iudę Apoſtoli, cap. 1. Cùm » Michaël Archãgelus cum diabolo diſpu» tans altercaretur de Moyſis corpore, non » eſt auſus iudicium inferre blaſphemię: ſed » dixit, *imperet tibi Dominus:* hic, inquam, lo» cus non priuat homines iuſtos ac ſanctos poteſtate obtrectandi diabolo. Nam cùm dixit Michaël, *imperet tibi:* vel, vt verbum indicat Græcum, *increpet te* DEVS, diabolo malè precatus eſt, vt obſeruauit Cornelius Ienſenius, explanans cap. 21. Eccleſ. cuius Ienſenij etiam ſunt illa verba. Sed » tamen ibi docetur, Michaëlem, ob iniuriam & malitiam diaboli ſecum conten» dentis, non inſectatum eum eſſe maledi» ctis & conuiciis: nec ſtuduiſſe ſe vindica» re, ſed omnem vindictam reliquiſſe DEO. » Illud etiam ipſi ex maximè veriſimili coniectura commentari poſſumus, in ea contentione, quæ inter diabolum & Michaë-

lem Archangelum verſata eſt, à diabolo, qui petulantiſſimo & arrogantiſſimo ingenio eſt, aliquod maledictum ſeu conuicium, aut in Deum, aut in Michaëlem iactatum eſſe intoleranter: cuius tamen maledicti iudiciũ atque vindictam Michaël non ſibi arrogauit, ſed Deo reſeruauit.

3. Perutile autem fuerit in hac diſputatione exſcribere, & huc transferre, quæ Alexan. Halen. in ea. q. 130. de maledictione, memb. 2. reliquit. Quadruplex enim, ſcribit, eſſe maledictum, primum ſubreptionis, quod habet primum noſtri animi impetum & impulſum. Secundum, laſciuiæ, quod eſt à quadam animi leuitate. Tertium, quod manat ex odio. Quartum, quod ex caritate naſcitur: duo prima genera putat leuia eſſe peccata: poſſunt tamen, inquit, eſſe mortalia, ſi ducãtur in conſuetudinem propter contemptum. Tertium peccatum ait eſſe mortiferum. Quartum in bono ponitur.

Sed D. Thomas in 2. 2. q. 76. art. 3. rationem diſtinguendi & explicandi affert, exercitato magiſtro perquam dignam, quum ſcriptum reliquit, pronũciare malum contra alterum, vel optando illi malum vel imperando, eſſe cõtra caritatem, atque ob id ipſum peccatũ, æterna morte dignum. Contingit tamen, inquit ille, verbum maledictionis prolatum eſſe peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo, imprecatur: vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba; dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex ſubreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu penſantur: vt ſuprà dictum eſt.

QVÆSTIO XLIV.

1. Siſenna cauſidicus, quibuſdam opificum miniſtris præſentiam ſuam in iudicio contra mercatores commodauit. Eius patrocinio mercatores cauſſa ceciderunt. Poſt datum in mercatores iudicium, intellexit Siſenna, illos non iure ſuperatos eſſe: veriorem & æquiorem cauſſam habuiſſe: quamquam, cùm coram iudice diſceptaretur, iniquiorem illorum cauſſam arbitraretur.

De me quęſiuit, num damni dati actione teneretur.

Antequam conſulenti aduocato reſponderem, iuſſi, eum, tum miniſtrorum, tum mercatorum iura cuncta exponere: iis cognitis ſenſi, ſi contra miniſtros pronunciatum iudicium eſſet, eos inſigne & iniquum damnum ſubituros; ac penè paria vtriuſque cauſſæ proſpexi eſſe momenta.

Quare duabus hiſce propoſitionibus memini me reſpondiſſe Siſennæ.

Prior hæc fuit. Quando in pari & ancipiti cauſſa alterutra pars litigantium incommodum, damnũmve ferre deberet, potiùs in mercatorum locupletium fortunas, quàm in tenuem & calamitoſam miniſtrorum conditionem deriuari oporteret: nam quis id ſua ſponte non videt, ingentem operariorum inutilitatem minori mercatorum vtilitati anteponendam eſſe?

Poſterior propoſitio fuit. Si in ſuſcipienda & pertentanda operariorum & mercatorum cauſſa, nihil eius ſtudij & cautionis prætermiſit, quod ſui ordinis diligẽtes probíque patroni adhibuiſſent, nihil ab eo mercatoribus aut præſtari aut ſarciri debere. Imò verò de culpa negligentiæ, quæ vitanda eſt in damno dato communi Doctorum ſententia conſtitutum eſt, ſecundùm dolum, cui numquam parcitur, culpam dumtaxat latam in foro conſcientiæ præſtari: quam ſententiam ipſi vti æquiorem in noſtro volumine de contractu ſecuti ſumus.

Nec leuioris culpę onus fere iudicibus & aduocatis imponitur, vt videre licet 2.
apud Sylueſtrum, in verbo, Aduocatus, quæſt. poſtrema: vbi huius ipſius ſententiæ profert alios ſuffragatores: in quibus eſt Panormitanus, in caput, cum cauſſam, de teſtibus, nu. 7. vbi ſcripſit, in foro animæ

Digitized by Google

» mæ non teneri iudicem, niſi de dolo &
» lata culpa. Quod Panormitani dictum,
Syluester, in verbo, Culpa, quæſt. 4. in eo
» iudice locum habere dixit, qui officium,
» inquit, non aſſumpſit, vel quæſiuit: ſed
» impoſitum acceptauit.

Quam ipſam exceptionem ante Syluestrum docuerat Angelus, in ſua Summa, verbo, Culpa, §. 5. quæ exceptio ad cauſſam huius cauſidici, de quo quæſitū eſt, rectè accommodari poteſt. Et quoniā fere aduocatorum genus patrocinia reorum quæſtus cauſſâ vndique aucupantur idcirco, ſi Siſenna ex horum numero fuit, culpam leuiorem debet agnoſcere: damnúmque ob illam cōſecutum reſarcire.

Huc etiam facit, quod Panormitanus admonet, in caput, quia indicāte, de præſcriptionibus, num. 10. eos qui exercent aliquam artem tamquam periti, & magiſtri, teneri non ſolùm de lata culpa, ſed etiam de leui & leuiſſima, ſecundùm quantitatem culpæ & imperitiæ, inquit ille. Quod verum putarem, addit Syluester, in verbo, Culpa, quæſt. 4. quando aliàs diligentem quæſiuiſſet, niſi fuiſſet deceptus ex profeſſione iſtius: quia etiam tenetur de leui: aut diligentiſſimum: quia tunc tenetur de leuiſſima.

Quæ omnia huic noſtræ controuerſiæ diiudicandæ apprimè ſunt opportuna. Salua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XLV.

HErmachus accuſator laicus, vnico teſte instructus, R. clericum turpiſſimi criminis reum apud iudicem facit.

1. Sciſcitabatur iudex, num clerici nomen, quod deferebatur, recipere poſſet, & iudicium aduerſus clericum inſtituere.

Reſpōdi Iudici, qui Eccleſiaſticus erat, ſacris Eccleſiæ ſanctionibus eſſe morem gerendum, neque in iudicando ab iis recedendum. Quibus legibus vetitum eſt laicos criminoſam actionem intendere clericis: nam ciuilis eſt laicis contra clericos permiſſa. Extat Decretalis Alexandri III. de cetero, extra, de teſtibus, his verbis ſancita. De cetero laicos in accuſationem »
vel teſtimonium contra clericos in crimi- »
nali cauſſâ non eſſe aliquatenus admit- »
tendos cenſura ſacrorum Canonum ma- »
nifeſtiùs edocet: niſi fortè ſuam, vel ſuo- »
rum iniuriam proſequantur. Nec tunc »
etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſatio- »
nem poſſunt admitti. Canones, quorum »
cenſura nititur Romanus Pontifex, hi indicantur à Gloſſa, 2. quæſt. 7. cap. 1. 2. 3. & 6. quæſt. 1. beatus. & 11. quæſt. 1. cap. 3. & de Accuſationibus. Cum P. Manconella. Verùm huius canonis idem Pontifex auctor fuit. Quare canonum antiquiorum, qui in volumen decretorum relati ſunt, cenſuram intellexit.

Innocentius, in cap. P. Manconella, num. 5. meminit opinionis quorumdam, bonos laicos admitti ad accuſationem clericorum: ipſe verò, num. 1. ſuam ſententiam promens ſcribit, ad hūc modum:
Contra laicos Simoniacos indiſtinctè "
quilibet admittitur ad accuſandum, & "
teſtificandum. Sed contra clericos diſtin- "
guitur. Nam contra clericos bonæ famæ "
in criminibus exceptio, 11. quæſt. 1. can. in "
primis, & contra clericos malæ famæ ad- "
mittuntur laici, & clerici malæ famæ, & "
fures & meretrices inf. de Simonia, tanta, "
& maximè ſi agatur ciuiliter, argum. ad "
omnia prædicta infrà de Sim. per tuas, ex- "
cipiuntur conſpiratores & capitales ini- "
mici, infrà de Sim. licèt Heli, per tuas, qui "
etiam cum tormentis admittendi non "
ſunt, & participes criminis, & muneris ſu- "
prà de teſt. veniens. Item notat, numer. 2. "
omnes, quicunque ad accuſandum admittuntur ad teſtificandum etiam admitti ſolere, exceptis iis qui iniurias ſuas proſequuntur, quibus ius eſt accuſationis, non teſtificationis, ex c. de cetero, de teſtibus.

2. Verùm magis concinna ſunt, & perſpicua, & magis cum cauſſa coniuncta, quæ doctè à Panormitano, & à Felino, in caput de cetero, de teſtibus, & meditata,

& conſcripta ſunt. Panormitanus enim primùm docet, ex Gloſſa, in c. teſtimonium, 11. quæſt. 1. & ex textu, nec laicos contra clericos, neque hos contra clericos ad teſtimonium dicendum admitti, cùm agitur criminaliter. Addit tamen ex ſententia Oſtienſis, in cauſſa criminis Eccleſiaſtici coram iudice profano clericum aduerſus laicum accuſatorem eſſe poſſe, & teſtem.

Addit, quod amplius eſt, Panormitanus, etiam in crimine ſeculari vbi ſanguine pœna luenda non foret, licere clerico contra laicum teſtari, vbi aliorũ teſtium
» facultas non daretur. Quia laici, inquit,
» excluduntur; quoniam præſumuntur in-
» feſti clericis, 11.q.7. laicos, & cap. clericos:
» quæ ratio ceſſat in clericis, cùm præſu-
» mantur ſanctiores, & preces ſpirituales
» ipſorum laicorum, 11. q.3. abſit, & 12.q.1.
duo ſunt genera.

In parte, quæ ſequitur, ſui Commentarij, idem Panormitanus, nonnulla oſtendit eſſe tempora, cùm laicis permiſſa eſt poteſtas teſtandi in cauſſa criminis contra clericos.

Primum tempus, quando delictum
» commiſſum eſt alicubi, puta ruri, vbi non
» eſt clericorum copia: & vbi, inquit, non
» poteſt haberi vera probatio, admittitur
» præſumptiua, & ineptum eſt, inquit, re-
» gulam non fallere, vbi ratio naturalis ſua-
» der. Omniàque nititur auctoritate aut canonum aut legum probare Panormitanus. Verùm de hoc primo tempore, vel exceptione ab eo diſſentit Felinus, in caput, de Cetero, de teſtibus, num. 5. loquẽs
» his verbis. In criminali lex canonica adeo
» reſiſtit, ne laici teſtificentur contra cleri-
» cos, quòd non videtur iſte caſus poſſe de
» nouo induci ex ſola auctoritate Domini
» Abbatis. Contra quem etiam facit, quod
» dicit Bartolus, in l. fin. de in litem iuran-
» do: vbi dicit, quòd licèt contra doloſum,
» cùm agitur ciuiliter, data difficultate pro-
» bationis fiat probatio per iuramentum,
» non tamen cùm agitur criminaliter, &
» cùm dubitatur, ne crimen maneat impu-
nitum, reſponde ex textu in l. abſentem, »
in principio. Reſponde aliter: quòd ipſi »
laici poterunt eum accuſare ciuiliter vt »
remoueatur à beneficio. »

Secundum tempus ex Panormitano. 3. Cùm delictum eſt notorium.

Tertium. Quum non admittuntur ad plenam probationem, ſed ad indicium, quo torqueri clericus poſſit.

Quartum. Cùm de crimine non criminaliter, ſed ciuiliter agitur: quamuis priuandus eſſet beneficio: nec enim ea priuatio genus immutat actionis. Item ſi »
agatur per viam, inquit, inquiſitionis, vel »
denunciationis, citat Federicum, conſ. 23. »

Quintum tempus eſt, cùm agitur de exceptis criminibus, quæ Gloſſa numerat in c. P. Manconella, de accuſat. quæ ſunt crimen Simoniæ, hæreſis & læſæ maieſtatis.

Sextum addit Felinus, in idem cap. de cetero, de teſtibus, num. 8. cùm teſtimonium dicit laicus pro clerico. Poteſt enim clericus purgare innocentiam ſuam per laicos bonos, vt ait idem Felinus, in cap. Cùm P. Manconella, de accuſat. num. 3. probàtque auctoritate Gloſſæ, in cap. clerici, diſt. 81. ſi clericus fornicationis poſtuletur, & contra eum duo clerici teſtimonium dicant, & ex altera parte pro eo duo laici teſtentur: his magis eſſe credendum. Ac licèt ceteris paribus dignioribus teſtibus maior ſit habenda fides quàm
minùs dignis. Hoc tamen fallit, inquit »
Felinus, niſi illi minùs digni ſtarent pro »
reo, idque multiplici auctoritate appro- »
bat, & concludens commentarium, & te- »
ne, inquit, menti perpetuò. »

Quantùm verò ad accuſationem attinet, laici contra clericos ſuas, & ſuorum iniurias perſequi poſſunt: qui verò ſuorum nomine ſignificentur, breuiter, & accuratè indicarunt Panormitanus, in c. de Cetero, de teſtibus, num. 7. & Felinus, in idem cap. num. 11. Deſcribam locum à
Panormitano. Secundùm Accu. illi di- »
cuntur ſui, qui pro eo teſtificari non poſ- »
ſunt, vt not. in C. ad Turpil. l. pen. in princ. »

& vide

» & vide per ſpecul. in tit. de accuſ. §. 3. in
» prin. Oſtienſis, dixit illos ſuos, de quibus
» habetur. ff. de accuſ. l. 1. & 2. Goff. intelli-
» git ſuos, omnes illos, pro quibus agere
» poteſt quis actione iniuriarum, quaſi in-
» iuria videatur ſibi illata: vt ſerui, filij, vxor,
» inſtit. de iniuriis. §. patitur. ff. de iniuriis. l.
» item apud Labeonem. §. ſponſum. Item ſi
» quis defendit mortem propinquorum. l.
» hi tamen, ff. de accuſat. & ſic intelligitur.
» 3. quæſt. 11. neganda. Abbas verò dicit
» hoc poſſe intelligi de omnibus conſtitu-
» tis in poteſtate vel non, dummodò ſint in
» primo gradu. alleg. de ſententia excomm.
» ſi verò, P. dicit, quòd in illis caſibus po-
» terit accuſare, quibus ſine pœna poterit
» verberare: qui habentur in d. c. ſi verò.
» Ioan. Andr. in addit. ad ſpecul. in d. §. 3.
» dicit quòd omnes ſunt ſui, pro quibus po-
» teſt poſtulari, & enumerantur. ff. de po-
» ſtul. l. 1. in fin. cum lege ſeq. quod putat
» verum exceptis vltimis duobus ibi enu-
» meratis, & enumerantur ibi hæ perſonæ,
» parentes, patroni, vel patronæ, & eorum
» liberi, frater, ſoror, ſocer, vxor, ſocrus, ge-
» ner, nurus, vitricus, nouerca, priuignus,
» pupillus, furioſus, & fatuus. Mihi placent
» omnia præter iſtas tres perſonas vltimas:
» quia iſti non poſſunt dici ſui, ex quo ſibi
» non attinent, licèt illis ſit miſerandum &
» fauendum. Hactenus Panormitanus.

5. Idem Panormitanus, in cap. ex parte, de teſtibus, & atteſtat. num. 6. commentarij multis opinionibus enumeratis, num clerici à laicis accuſari poſſint, concludit, exceptis caſibus, de quibus ſuprà dictum eſt, & ſuæ ſuotúmque iniuriæ perſecutione criminaliter accuſari non poſſe, ciuiliter autem poſſe in multis caſibus. Turrecremata, in canonem, ſicut, 2. q. 7. tres dicit concluſiones è Panormit. in c. cum P. de accuſationibus, quæ tempora oſtendunt, quibus accuſari poſſunt à laicis clerici: & in caput, oues, ead. cauſſa, & quæſt. quærens, Accuſare ne poſſint ſuos Prælatos ſubditi. Hac diſtinctione, quam Alexandri Halenſis dicit eſſe, hiſque verbis
» reſpondet. Vnde iuxta Alexandrum de
Hales, dicendum eſt ſub diſtinctionibus »
quibuſdam. Prima, quòd eſt accuſatio fa- »
cta ex affectu fraternæ caritatis: & eſt ac- »
cuſatio ex affectu malignitatis. Item eſt »
accuſatio facta à criminoſis; & eſt accuſa- »
tio facta à bonis. Dicendũ eſt ergo, quòd »
ex affectu caritatis à bonis licita eſt accu- »
ſatio Prælatorum: ex affectu verò mali- »
gnitatis, & à criminoſis, eſt prohibita. Et »
ſecundùm hanc diſtinctionem intelli- »
guntur omnes canones, quibus videtur »
prohiberi accuſatio Prælatorum. Et poſt »
aliquantò aliam diſtinctionem ſeu diuiſionem ſubiungit accuſatorum: nam vel ignoti ſunt, vel noti. Ignotos ait prohiberi accuſare Prælatos: notos non prohiberi ſuperiore tamen diſtinctione ſeruata. Ad Alexandrum verò Halenſem addit D. Thomam, in 2. 2. quæſt. 68. art. 1. illud verò verbum, *Oues*, in canone, nonnulli ad laicos, quidam ad clericos torquent.

Verùm quod de ignotis accuſatoribus dixit Turrecremata, multò antea Innocentius ſignificauerat in commentario cap. Cùm P. Manconella, de accuſationibus, num. 7. vbi ab accuſandi munere remouit tum ignotos laicos, tum fidei, atque inimicitiarum ſuſpectos, vbi etiam dicit eum qui ſemel contra quempiam teſtimonium dixit, amplius contra eumdem teſtimonium in criminali cauſſa dicere non poſſe: quod tamen Panormitanus non credit abſolutè, ac ſemper verum eſſe, ſed tunc tantùm, cùm teſtis ſuum obtrudit teſtimonium.

Quare ille ſic, atque his verbis, diſtinguit in extremo commentario capitis, 6.
Cùm P. Manconella, de Accuſationibus,
Et ideo in hac materia concludo: quòd »
aut teſtis inuitus perhibuit teſtimonium »
in cauſſa criminali; & non poteſt repelli, »
vt inimicus in illa cauſſa; vel in alia: aut »
ſponte venit ad ferendum teſtimonium: »
& tunc præſumo eum inimicum. arg. l. »
quæ omnia. ff. de procur. facit. cap. cum »
in tua, de ſponſal. & hoc caſu intelligo »
iſtum tex. quem ad hoc noto vt ſingu- »
larem. »

Ex

Ex hac igitur canonum interpretúmque communi doctrina hæc mihi ratio ſuadendi Iudici occurrit: Rectiùs factum illum, ſi repudiet, quàm ſi accuſationem recipiat. Primùm, Quia accuſatio neque in exceptis criminibus, neque ſuæ ſuorúmve iniuriæ perſequendæ cauſsâ inſtituebatur. Deinde. Quoniam Accuſatoris perſona ignota erit. Deinde, quia ignorabatur cuiuſmodi vita eius eſſet, innocens, an criminoſa. Deinde, quia nec ſciri poterat quo animo, & quo conſilio, prauo, an recto, ad accuſandū deueuiret.

Deinde, quòd vnico teſte ſeptus accuſationem comparauerat, ac teſte fortaſſe nequaquam idoneo, præſertim in cauſſa clerici capitali. Et quamuis canonum auctoritati conſuetudinem iudex opponeret, eum tamen etiam atque etiam monui, ne conſuetudini, vel potiùs corruptelæ mallet obſequi, quàm Eccleſiæ ſanctionibus. Eſt enim illud Innocentij III. veriſſimum dictum in ſua Decretali, ex litteris, de cõſuetudine. Conſuetudinem, quæ canonicis obuiat inſtitutis, nullius debere eſſe momenti.

QVÆSTIO XLVI.

1. NVm ex leuibus coniecturis, ſeu argumentis temerè de aliorum vita ſuſpicari criminoſum ſit, & à magnis Theologis diſputatum eſt, & paſſim ab hominibus quæri ſolet.

Nonnullis minorum gentium auctoribus, recentibúſque ſcriptoribus, viſum eſt, genus illud ſuſpicionis ad mortiferam noxiam pertinere, quamuis ſuſpicio, ſeu opinio ad firmum certúmque iudicium minimè progrediatur. Horum ratio eſt, quia ob fallacia & leuia ſigna proximum contemnere, ac de eo opinionem malam habere, eſt contra officium caritatis, & Chriſtianæ iuſtitiæ: quare letali culpa non caret. Huc accedit, quòd multi, qui probitatis commẽdatione boni viri ſpeciem tuentur, mallent ſe minorum ſcelerum certis, firmiſque ſententiis, quàm maiorum infirmis opinionibus, ſuſpicionibúſque perſtringi.

Exempla à Dominico Soto ſumere poſſumus, in 3. lib. de iuſt. & iur. quæſt. 4. art. 3. vbi de hac ipſa re copioſè diſceptat. Qui enim ſuſpicaretur, quempiam inceſtè vti matre, vel ſorore, maiore eum afficeret iniuria, quàm ſi certò crederet eumdem ipſum ſcortari: imò ob dubitationẽ ſolam poteſt quis interdum affinis eſſe mortiferi flagitij: vt ſi quis de integra, caſtáque vita dubitaret aut ſanctiſſimæ Virginis, aut Sancti Ioannis Baptiſtæ. Poſtremò Gloſſa, in illud Pſalmi 118. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum*. Maximum, inquit, humanitatis vitium » eſt ſuſpicio: quo teſtimonio vtitur Alex. » Halenſis, in 2. p. q. 117. memb. 2. in qua quæſtione agit de iudicio præſumptionis.

Verumenim contraria ſententia amplectenda eſt cùm ſit præcipuorum auctorum, & fermè omnium, qui in hoc argumento verſati ſunt. Eſt D. Aug. in 4. c. prioris ad Cor. D. Thomæ, in 2. 2. q. 60. art. 3. Alex. Alenſis, in 2. p. q. 117. memb. 4. & memb. 7. Nicolai Lyrani, in cap. 7. Matth. verba illa explanantis: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*. D. Antonini, in 2. parte Summæ, tit. 3. cap. 8. in quo cap. de iudicio temerario, & de ſuſpicione: Aſtẽſis, in 1. par. lib. 1. tit. 38. art. 1. in quo citat & ſequitur D. Thomam, & Alexandrum Alenſem; Caietani, in 2. 2. exponentis, art. 3. q. 60. & in Summa, verbo, Iudiciũ temerarium; quo nemo hac de re ſubtiliùs diſſeruit; Ioannis Tabienſis, quem videas ſententiam & verba à Caietano mutuari; Syluestri, in verbo, Iudicium, q. 3. Viguerij in inſtitutionibus, cap. 5. §. 2. verſu 3. Armillæ, in Summa, in verbo, Suſpicio, qui citat & ſequitur Caietanum; Nauarri, in Manuali, cap. 18. num. 9. Angeli, in Summa, auctoritate Alexandri Alenſis & Nicolai Lyrani, hanc opinionem comprobantis. Tot tantorúmque virorum ſententiam haud auſus eſt Sotus conuellere: tametſi illam quibuſdam ſuis additioni 2.

tionibus atque exemplis eleuauit in 3. de iuſt.& iure,q.4.art.3.

Atque, vt de huius veritate ſententiæ nulli facultas ſit ambigendi,eam nonnullis principiis effatíſque prætexam.

3. Primum effatum ſuſpicionem eſſe opinionem mali ex leuibus indiciis ortam, ſumit D.Thomas in 2.2.q.60.art.3.ex M. Tullio: malámque eſſe opinionem ſumit ex eod. Alex.Halenſ. in 2.par. quæſt.117. memb.1. & alij,qui hos duces ſequuntur. Quod ſi ita eſt,abſque fide & perſuaſione ſuſpicio eſſe non poterit: hanc enim ab opinione ſecerni non poſſe, his verbis docet Ariſtotel. in 2. de anima. text.157. δόξῃ μὲν ἕπεται πίστις· οὐκ ἐνδέχεται γὰρ δοξάζοντα, οἷς δοκεῖ μὴ πιστεύειν. Et poſt pauca interiecta verba: ἔτι πάσῃ μὲν δόξῃ ἀκολουθεῖ πίστις· πίστει δὲ τὸ πεπεῖσθαι, πειθοῖ δὲ λόγος. Hoc eſt: *Opinionem quidem ſequitur fides; non enim contingit,opinantem, iis quæ videntur, non credere. Ad hæc quamlibet quidem opinionem conſequitur fides, fidem autem perſuaſum eſſe,perſuaſionem autem ratio.* Ex quo conficit Ariſtoteles in belluis opinionem haud ineſſe. Quamquã, quæ comes opinionis eſt fides, firma poteſt eſſe,& infirma, hæſitans, & non hæſitans: id enim noſſe, ad id quod in præſenti agitur, permagni intereſt.

4. Secundum effatum, ſuſpicio,ſeu mala opinio, dupliciter ſpectari poteſt, vno modo ſpeculatiuè,altero practicè; ſpeculatiuè,cùm per ſe ipſa, & nuda conſideratur, ſine appetitu, ſine conſilio, ſine electione, quæ eam aut antecedat, aut ſequatur: practicè verò, cùm conſultationem atque electionem habet adiunctã.

Sicut enim cogitatio rei malæ duplex eſt,vna ſpeculatiua,quæ electionem, ſiue actionem liberæ voluntatis præcurrit; altera practica, quæ delectationem & deliberationem habet annexã; de quarum duplici forma agit Alex.Al.in 2.par.q.116. memb.1. & S.Maximus, in 4.centuria,de caritate, cap.50. poſteriorem appellans cum affectu coniunctam: ſic eſt duplex ſuſpicio, vna anteuertens motum liberi arbitrij,manens in intellectu, ſpeculante, opinante & ratiocinante; altera electionem inſequens, & cum deliberantis animi motu copulata.

Tertium effatum. Sicut cogitatio ſpeculatiua,& quæ affectus electioníſque eſt expers, peccatum non eſt, vt inquit D. Max. in illo cap. 4. Cent. & probat Alexander his argumẽtis ac teſtimoniis Sanctorum; ſic etiam vitio vacat ſpeculatiua ſuſpicio: eámque probationem his verbis exſequitur Alexander. Cogitatio præuenit voluntatem, ſed ante voluntatem nõ eſt peccatum: ergo in cogitatione ſola non eſt peccatum. Item Greg. *Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat.* Item Iſidorus. *Non eſt arbitrij noſtri cogitationis praua ſuggeſtionibus præuenire, iacere autem in animo cogitationem noſtra attinet voluntati: illud ad culpam non redigitur: iſtud culpa propriæ imputatur ad peccatum.* Item cogitatio bona non ſufficit ad meritum: ergo nec cogitatio mala ſufficit ad demeritum:ergo nec ad peccatum. Quæ ſanè omnia valent in ſuſpicionem ſpeculantis intelligentiæ.

Verùm ipſi eumdem locum haud leuioribus argumentis concludamus. 5.

Prima ratio. Sine actu liberi arbitrij nõ peccatur,ſed electio eſt proprius actus liberi arbitrij ex D.Thom.in 1.p.q.83.ar.3. ſuſpicio autem, cùm ſit opinio, non eſt electio, vt perneceſſariis rationibus conficit Ariſtoteles, in 3.Ethic. c.2. ergo ſuſpicio, vt ſuſpicio,non eſt peccatum:eligendo enim ſumus boni, & mali, non item opinando: & opinio eorum eſt, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, & multi bene opinantur, qui agunt improbè: &, cùm eligimus,idcirco eligimus, vt aliquid adſciſcamus,vel fugiamus:opinamur autem quid ſit aliquid, aut cui, aut quomodo conducat. Denique, bono aut malo diſtinguitur electio: opinio, vero aut falſo. His omnibus argumentis cogit Ariſt. electionem nõ eſſe opinionem in illo 2. cap. 3.Ethici. Adde ex eodem, in 2. de anima textu 153. opinari non eſt in noſtra pote-

ſtate,at peccare eſt in noſtra poteſtate:ergo opinari ac ſuſpicari per ſe culpa vacat.

Imò iudicium temerarium, quod, vt peccatum ſit morte æterna dignum, tria requirit:vt ſit certum;vt ex leuibus coniecturis;vt de re graui: addit Sotus, in 3. de iuſt.& iur.q.4.art.3.dummodò non ſit repentinum: nam cùm reflexione, inquit, & deliberatione debet firmari ſententia, quantò igitur magis in ſuſpicione id fieri oportet?

6. Quartum effatum. Deliberatam ſuſpicionem, quæ in mentibus noſtris infirmā aſſenſionem relinquit, ex infirmis natam coniecturis,ad leuia peccata,& quæ vitari vix poſſunt, referunt ij omnes auctores, quos ſuprà commemoraui. Ex Auguſtini Gloſſa, in ea verba Apoſtoli, prioris ad Corinth.c.4.tum à veteribus,tum à nouis Theologis hæc, atque his verbis adferri ſententia ſolet.Si ergo ſuſpicationes vitare non poſſumus quia homines ſumus: iudicia tamē, id eſt, definitiuas firmáſque ſententias continere debemus.Si ergo ſuſpicamur,quod eſt humana tentatio, ſaltem non iudicemus: & paulò antè dixerat, ſuſpicari ad humanam tentationem pertinere, ſine qua vita iſta non ducitur. Quibus verbis non obſcurè indicauit D. Auguſtinus, ſuſpicionem, de qua controuertitur, culpam eſſe leuem: nam vitari non poſſe; ad humanam tentationē pertinere, ſine qua vita iſta non ducitur, de culpis quotidianis & minutis peccatis à Diuo Auguſtino ſolet efferri.

D. Thom. in 2. 2. q. 60. art.3. tres gradus ſuſpicionis hac oratione diſtinguit.

Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidam gradus eſt, vt homo ex leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat: & hoc eſt veniale & leue peccatum:pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur, vt habetur in Gloſſa ſuper illud 1. ad Corint. 4. *Nolite ante tempus iudicare.*

Secundus eſt, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indiciis; & hoc ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi. Vnde Gloſſ.ibidem ſubdit. Etſi ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus; quia homines ſumus, iudicia tamen, id eſt, definitiuas firmáſque ſententias continere debemus.

Tertius gradus eſt, cùm aliquis iudex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniuſtitiam pertinet: vnde eſt peccatum mortale. Verba hæc D.Thomæ adeo ſunt perſpicua,vt commentario minimè egeant.

Alexander Halenſis, in 2.part. ſummæ 7.
Theologicæ,q.117.memb.4.ad hunc modum. Suſpicio cùm non progreditur in ſententiam firmam, & definitiuā, veniale poteſt eſſe peccatum:cùm autem progreditur,eſt mortale. Cùm enim homo mouetur ex coniectura ad opinandum, & non plus extenditur quàm coniectura exigat,tunc eſt humana tentatio:cùm autem nimis amat ſuam ſententiam, & plus format ſibi ex malitia libidinoſæ voluntatis,diabolica videtur tētatio: & memb. 7. eſt triplex ſuſpicio; temeraria, quando ſunt multa ſigna boni,pauca mali: & tūc iudicare ex ſuſpicione, id eſt,condemnare, eſt peccatum mortale, ſi fiat cum deliberatione.Si verò fuerit ſuſpicio probabilis, quia multa ſunt ſigna mali, pauca boni,tunc iudicare ex huiuſmodi,peccatum eſt,ſed nō ita graue,ſed veniale, dum ſtat in ſuſpicione: ſi verò veniat ad aſſertionē firmā, tunc ex pertinacia præſumitur eſſe mortale. Eſt item ſuſpicio violenta, cùm omnia ſigna mali apparent, nulla boni,& tunc non eſt peccatum.

Nicolaus Lyranus,in cap.7. Matth. ex- 8.
ponens illa verba: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, hanc elucubrauit explanationem. Nolite iudicare & non iudicabimini, id eſt, vt non incurratis peccatum mortale.Ad intellectum huius,ſciendum eſt, quòd aliquis poteſt iudicare malum de proximo multipliciter.

Vno modo, ex euidentia facti; cùm aliquis iudicat aliquem homicidam, quia vidit eum interficere hominem; & hoc nullum

nullum eſt peccatũ. Alio modo, ex ſignis euidentibus, vt ſi aliquis iudicet fornicatorem aliquem, quia vidit eum cum aliqua, nudum cum nuda, ſolum cum ſola, & hoc ſimiliter nullum eſt peccatum. Tertio modo, ex ſignis leuibus: & in hoc iudicio triplex eſt gradus.

Primus eſt, quando leuibus ſignis aliquis dubitare incipit de bonitate fratris, & hoc peccatum veniale eſt; quia procedit ex humana infirmitate: & hoc non vocatur iudicium propriè, ſed ſuſpicio. Secundus gradus eſt, quando ex talibus ſignis firmiter tenet in animo, quòd frater ſit malus; & hoc propriè dicitur iudicium: quia iudicium importat firmam ſententiam: & hoc eſt peccatum mortale: ſi malum quod iudicat de fratre ex leuibus ſignis, ſit de genere peccati mortalis: peccatum enim mortale eſt, quod contrariatur caritati. Tertius gradus eſt, quãdo ex leuibus ſignis non ſolùm prædicto modo iudicat; ſed etiam procedit ad punitionem fratris, ſicut de facto, & hoc eſt grauius; quia non ſolùm eſt contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiæ æquitatem. Et de talibus intelligitur verbum prædictum, *Nolite iudicare*, &c.

Hos tres gradus ſuſpicionis didicit à Diuo Thoma Lyranus.

9. Ex Caietani commentario nunc pauca adſcribam, finémque faciam deſcribendi aliena. Sic igitur commentatur ipſe in 2.2. q.60. art.3. initio commentarij. In artic.3. vbi aſſignatur ſecundus gradus ſuſpicionis, Diligenter aduerte; & caueas ne fallaris in illis verbis (pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indiciis.) Poteſt quidem dupliciter intelligi; primò pro credulitate vnius partis, cum aliqua tamen hæſitatione admiſtæ: ſecundò, pro aſſertiua determinatione: verbi gratia, video iuuenem cum inhoneſta muliere euntem: & credo in mente mea illos ſimul velle peccare; atque hoc tamquam verum exiſtimans, pertranſeo, vel admiror, ſumque in mente mea ita diſpoſitus, vt ſi egomet interrogarem me ipſum, an iſta æſtimatio mea ſit apud me adeò vera, & certa, quin etiam credam, quòd fortè falsa eſt æſtimatio iſta: reſponderem quòd fortè falsa eſt: Verumtamen mihi ſic videtur; tunc credulitas eſt firma, non ſimpliciter, ſed hæſitationi admiſta. Si autem eſſem ſic diſpoſitus, quòd reſponderem, quòd mea æſtimatio eſt vera, & certa, vt nullus dubitationi locus ſit, tunc eſt aſſertiua determinatio. Senſus litteræ non accipit æſtimationem pro certo primo modo, ſed ſecundo, vt & Ly. pro certo, ſignificat, & auctoritas ſubiuncta teſtatur; quæ definitiuas ſententias prohibet. In primo gradu ſuſpicionis locato totam latitudinem æſtimationis aliquomodo hæſitantis: & in ſecũdo ſolam definitionem, ſiue intus ſiue extra fiat verbis, citra tribunal tamen. In tertio autem ſententiam iudicis, quæ coactiuam vim iniurię habet, pro quanto auctoritatiuè ſit. Et hæc nota pro multis, qui credunt ſe incidiſſe in temerarium iudicium ex mala, quam conceperunt, opinione proximi: nec ſciunt diſcernere inter opinionem, quæ cum formidine aliqua alterius partis eſt, & iudicium ex opinione non natum, ſed temere prolatum corde & ore. Hæc ille, Theologicè & eruditè: nec ſecus in Summa philoſophatur, in verbo, Iudicium temerarium. Vbi illud ſapienter admonet, non eum iudicium incurrere temerariũ, de quo loquimur, qui ob inſcitiam ex facto, vel verbo, quod in altero obſeruat, putans eſſe peccatum mortale, eiuſdem peccati reum credit illum, cuius eſt verbum, vel factum: Quoniam, inquit Caietanus, non iudicat perſonam, ſed opus: nec errat in iudicio perſonali, ſed in iudicio rerum. Tunc autem iudicaret temerariè, quando eſſet iudicium perſonale: ita quòd ex parte intentionis, ſeu animi, iudicaret illum peccare mortaliter, audẽs definire in actibus dubiis aut venialibus intentionem mortalem. Hæc ille. Alios auctores conſulat vnuſquiſque in iis locis, quæ ante primum effatum indicauimus.

10. Sit igitur, quintum effatum. Triplex eſt ſuſpicio, vt habetur in Gloſſa Canonis » Melchiadis, 2.q.1. Primo ſemper. Temeraria, quæ (verba ſunt Gloſſæ) expurgationem non inducit. Probabilis, quæ expurgationem inducit, vt inf. q. 5. preſbyter. 3. Violenta, quæ ad condemnationem ſufficit, vt 32.q.1. dixit Dominus: tamẽ quandoque violenta ſuſpicio, vel præſumptio, non ſufficit ad condemnationem vt extra de teſt. cog. præterea extra de præſumpt. literas in fin. Doctores caſuum conſcientiæ, fermè vtuntur omnes hac tripartita Gloſſæ ſuſpicione.

Quæ autem ſint ea argumenta, & coniecturæ, è quibus gignatur ſuſpicio vim adferens ad alienum factum vel dictum condemnandum, non eſt cuiuſuis diiudicare, ſed viri probi, atque prudẽtis. Hoc de genere iudiciorum, & veriſimilium, à nobis diſputatum eſt in Pij V. conſtitutione, de beneficiorum Eccleſiaſticorum confidentia.

11. Sed contraria, quæ huic veræ ſententię allata ſunt, depellamus.

Aiunt idcirco criminoſas illas eſſe ſuſpiciones, quia contemnunt proximum, eiúſque exulcerant exiſtimationem: quare caritati iuſtitiæque aduerſari. Quod totum inficiandum eſt: neque enim ſuſpicio, quæ imbecillam habet aſſenſionem, ſine firma ſententia contemptum perfectum prę ſe fert alterius; neque infamiam irrogat; quæ ſine voce teſtante malam, quam de alterius vita habemus opinionem, eſſe non poteſt. Eſt item eius benignitatis & humanitatis, qua inter ſe homines complectuntur, vt eiuſmodi ſuſpicionis errata, atque offenſiones, quæ in vniuſcuiuſque naturam parentalis culpæ merito irrepſerunt, parui pendant, atque alter alteri condonet.

Quod autem ait Sotus, quoſdam malle certam minorum peccatorum infamiã, & condemnationem, quàm maiorum incertam, minimè leues rationes obiicit dubitandi.

Primùm, quia infamia dubia cum certa ſi comparetur, impropriè dicitur infamia. Deinde, quia voluntate, quæ ſit Chriſtiano homine digna, nemo optare poteſt, aut debet, vt ob leuiora flagitia potiùs habeatur Dei certus aduerſarius, & hoſtis, quàm ob ſuſpicionẽ maiorum criminum non certò credatur eiuſdem Dei amicus.

Poſtremò, quod de caſtiſſima Virgine, & D. Ioanne Baptiſta adfertur, nihil eſt. 12.
Qui enim de eorum integra & incorrupta mente, aut corpore, non dico grauiter ſuſpicaretur, ſed leuiter inſtructo conſilio ambigeret, eſſet ad ſacrum inquiſitionis Catholicæ tribunal abripiendus, & haud leui pœna plectendus. Nam & diuinis ſcripturis, & patrum ſententiis, & Eccleſię ſenſui iniuriam faceret inſignem, qui in eiuſmodi incideret dubitationem: neque enim de ſanctitate cuiuſquam quem colit, & veneratur Eccleſia, cuiquam fas eſt ſine impietatis ſcelere dubitare.

Nam Beatã Virginem Mariam omnia vitaſſe in vita peccata, etiam leuia, certum eſt, ex teſtimonio & decreto Concilij Tridentini, ſeſſ. 6. can. 23. D. item Ioannem Baptiſtam, angelicam potiùs quàm humanam vitam egiſſe in terris, & impuritatis in eo labem numquam hæſiſſe: ex ſcripturis, Eccleſiæ auctoritate & Patrum, probari poteſt: quò enim valent verba illa Angeli ad Zachariam, de Ioanne affirmantis, *Erit magnus coram Domino; & quòd paraturus eſſet Domino plebem perfectam*. Luc. 1. Quò Euangeliſtæ teſtimonium in cod.cap. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël?* Quò Ioannis vocis cohortantis populum ad pœnitentiam? Quò tempore è ſolitudine in multitudinis conſpectum Dei admonitu venit? Luc.3. Quò illa ore Chriſti laudatio, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta?* Matth. 11.

Eccleſiæ verò ſenſus de Ioannis innocentia, quæ numquam illius vitam deſeruit, minimè obſcurus eſt, in iis hymnis, quibus eiuſdem feſtum natalem ornat. Nam in ſecundo dicit,

Ne

13. *Ne leui ſaltem maculare vitam*, &c.

Et in tertio.

Neſciens labem niuei pudoris.

E patrum teſtimoniis,quæ ſunt innumera,ſatis ſit pauca collegiſſe. Chryſoſtom. homil.37.in Matth. loquens de Ioanne. *Ita in terris,quaſi in cælis verſabatur.* Et homilia 27.in opere imperfecto. *In humana natura Angelicã ſanctitatem tranſgreſſus eſt: & obtinuit quod non habuit natura, per gratiam.* Et homil.10.in Matth. idem Chryſoſtomus. *Ab ipſis incunabulis in eremo ſemper habitauit, & Angelicam vitam in mortali carne præ ſe tulit.* Origen.in Leuit. homilia 9.ſcribit,ne leuem quidem motum in Ioannis lumbis fuiſſe, ſed ſolam caſtitatem, putámque pudicitiam.Et hom.11. in Lucam, non ſecus quàm Moyſem, putat illum cum DEO collocutum eſſe.Petrus Chryſologus,ſerm.88.Beatus,inquit, qui antè meruit ſcire cælum,quàm terrã. Et ſerm.91. Ioannes antè peruenit ad cælum quàm tangeret terram;antè accepit diuinum Spiritum,quàm haberet humanum:antè ſuſcepit diuina munera, quàm corporis membra:&, vt vinceret mundũ, vicit antè naturam. S.Gregor. III.moral. cap. 5. aſſerit, nihil in eius vita fuiſſe detergendum. Beda verò in ſerm. de vigil. B.Ioannis Baptiſtæ. Spiritus, inquit, ſanctus qui eum repleuit, ab omnibus peccatis abſoluit: abſoluit, poſuit Beda, pro præſeruauit.Et in homilia de Ioannis decollatione, quiſnam, inquit, dicere audeat, B.Ioannem,actu, vel dicto,vel habitu,vel motu peccaſſe?Quis in eius præcordiis peccato poterat eſſe locus, quem ante natiuitatem Spiritus ſancti conſecratat aduentus?Euſebius Emiſſen.ſerm. 1.de Ioanne,haud diſſimilem ſententiam expreſſit: negat enim in eum quidquam ſæcularis maculæ introire potuiſſe.

Adde Bernardum in ſerm. de Ioannis priuilegiis, vbi dicit, eum non oblitum ſæculi cupiditates,ſed neſciſſe, & perpetuum cum diuinitate habuiſſe commercium.

Videndus Hieronymus contra Luciferianos non longè à principio:Nec non patres vocant Ioannem,virtutis ſcholam, magiſterium vitæ, ſanctitatis formã, normam iuſtitiæ,orbis exemplum,correctionem Iudæorum. Vide D.Auguſtin.ſerm. 21. de ſanctis.Petr. Chryſol. ſerm.127. D. item Bernard. in ſerm.de priuileg.Ioannis:Vt cuiuis conſtans & certiſſimum eſſe debeat,S.Ioannem,in ſua prima ſanctificatione in gratia fuiſſe confirmatum.

Quocirca qui de illius honeſta vita ambigeret, haud eſſet Chriſtiano nomine dignus: eodem enim tempore & temerè atque iniurioſè de viro ſanctiſſimo ſuſpicaretur ſiue dubitaret: & Spiritus ſancti, & Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum teſtimonium illius in omni vita ſanctimoniam comprobantium impiè aſpernaretur. 14.

Quod autem obiiciebatur ex Gloſſa, maximum humanitatis vitium eſſe ſuſpicionem:vitium in ea Gloſſa pro labe naturæ, non voluntatis,ſeu pro ad malum propenſione,ſiue, vt loquitur Alexander de Ales,pro miſeria pœnæ vſurpatur. Sic enim ille in ea quæſt.117.memb.2.dicitur malum, prout dicitur ſuper illud Pſal.4. De neceſſitatibus meis erue me. Gloſſa, infinitæ ſunt neceſſitates, vt neſcire cor alterius, ſuſpicari bonum de amico infideli, malum de amico fideli. Et vocatur ibi neceſſitas miſeria pœnæ. Hæc Alex.

Ac licèt omnes,quæ ab iniquo & maleuolo animo ſuſpiciones manant, in malo ponantur ab Apoſtolo: quemadmodum Baſilius ait, in regulis breuioribus, interrogat.29. non ideo conſequens eſt,eiuſmodi ſuſpiciones,ſi firmæ nõ ſint, eſſe crimina: in quo deceptus mihi videtur Sotus,in 3.l.de iuſt.& iur.4.q.art.3.neque enim quæcumque aut meditatur,aut agit,aut loquitur DEI inimicus, peccata ſunt æterno ſupplicio digna,niſi inſigniter iuſtitiam lædant,ſeu caritatem.Neque illud eiuſdem Soti probatur,non eſſe neceſſarium, vt malum, quod interiore iudicio pronunciatur contra proximum, peccatum debeat eſſe mortiferum; cùm

etiam quædam alia mala infamiã aſpergant hominibus, vt generis, & procreationis labes. Nam ſecus ſentire multos, & graues Doctores,& ex eorum ſcriptis, & ex hac noſtra diſputatione cuilibet poteſt eſſe perſpicuum. Deinde, quia ſicut ſola virtus veram habet gloriam & commendationem, ſic ſolum vitium veram infamiam ac turpitudinem.

Itaque animaduertas, ſummorũ Principum filios, quamuis legitimè procreatos, notariſſimos eſſe atque contaminatiſſimos omnibus vitiis, atque omni dedecore infames,ac generis ſplendore eorum vitam fœdiùs infuſcari. Namque, vt præclarè D.Ambroſius ſcriptum reliquit, » in lib.de Noë,& Arca.Probati viri genus, » virtutis proſapia eſt:quia ſicut hominum genus homines:ita animarum genus virtutes ſunt; neque in mandandis publicis muneribus ac dignitatibus generis nobilitas à quoquam ſapiente ſpectatur, ſi ea ſit cupiditatum & vitiorum cœno inquinata. Imò tamquam pernicioſa bellua,& cõmunis generis vtilitatibus infeſta, cauetur à cautis hominibus diligentiſſimè.

QVÆSTIO XLVII.

1. AD proximè ſuperiorem quæſtionẽ eſt item hæc affecta: alterius dicta vel facta,quæ dubia ſunt,& propter animi inductionem improba poſſunt eſſe vel proba,debeamúſne in meliorem ſemper partem interpretari.

Sanè hoc modo fore interpretanda conſentiens eſt Theologorum decretũ, quod confirmatur cap.Eſtote,de regulis iuris, & verbis Gloſſæ, in ea verba Apo- » ſtoli ad Rom.14. Manducantem non iu- » dicet, quæ vult dubia in meliorem par- » tem eſſe interpretanda. Diui autem Au- » guſtini hæ ſunt ſententiæ: ſunt quædam » facta media, quæ ſi ignoramus, quo ani- » mo fiãt, quia bono & malo fieri poſſunt: » de quibus temerarium eſt iudicare:maxi- » mè vt condemnemus. De manifeſtis ergo iudicemus:de occultis verò iudicium » Deo relinquamus, de ſermone Domini » in monte lib.2.c.28.& in eod.cap. Duo ſunt autem, in quibus temerarium iudi- » cium cauere debemus;cùm incertum eſt, « quo animo quidque factum fuerit: vel » cùm incertum ſit, qualis futurus ſit, qui » nunc vel bonus vel malus appareat. »

Peccatur verò in huiuſmodi temerario iudicio, tres ob cauſſas. Primùm, quia contemnitur proximus:deinde, quia nos ipſos lædimus:poſtremò,quia quod DEI proprium eſt,vſurpamus,vt inquit D.Anton.in 2.par.tit.3.cap.8.

2. Itaque D. Thomas, quem alij vetuſti & graues ſequuntur Theologi,his verbis » hac de re ſuam explicauit ſententiam in » 2.2.q.60.art.4. Nullus debet alium con- » temnere, vel nocumẽtum quodcumque » inferre abſque cauſſà cogente:& ideo vbi » non apparent manifeſta indicia de malo » alicuius: debemus eum,vt bonum habe- » re, in meliorem partem interpretando, » quod dubium eſt. Hanc legem ambigua » dicta vel facta aliorum,ſic interpretandi, ducit Alexander Halenſis in 2.par.q.118. art.4. ex humanitate:probátque auctoritate Senecæ. Sapiens enim quidquid ac- » cidit,bene illud interpretãdo leuat:quid- » quid dubium eſt,ex humanitate inclinat » in melius. Addit verò Alexander, hanc » humanitatem non eſſe virturem, cùm in bonis iuxta atque malis inſit,ſed eſſe vim inſitã humanæ naturæ à principio. Sicut » enim,inquit,per ſynderesim fit reſpectus » ad propriam ſalutem: ſic per hunc habi- » tum naturæ fit reſpectus ad ea quæ ſunt » proximi. Sed hæc debilior eſt,quia magis » inclinamur ad bonum noſtrum,quàm ad bonum proximi. Eſt item prudens diui Thomæ animaduerſio,in illo 4.art.ad 3. argum. cùm noſtris vel alienis malis remedium adhibemus, licere, quæ dubia ſunt, deteriùs interpretari ex ſuppoſitione,ſed non definitione;quæ verba in eo loco,quem ſuprà indicauimus, enucleat D.Antoninus.

Nũc tribus dubitationibus occurramus.

3. Prima dubitatio, cùm in noſtros ſenſus incidunt ancipites proximi actiones; poſſumúſne ſuſtinere aſſenſum, & cohibere ſententiam, vt in neutram partem propendeat? vt nihil de eius bonitate, vel improbitate ſtatuatur? licere probat argutè Caiet. in eum art. 4. q. 60. ei contradicit Sotus in 3. de iuſtit. & iur. q. 4. art. 4. ſed Caietani opinio eſt multò verior.

Secunda dubitatio, cùm ſua quiſque cogitata, dicta, facta, dubia in deteriorem partem debeat interpretari, quemadmodum Alex. vbi ſuprà & alij docent Theologi, cur non eodem modo licitum ſit aliena dubia interpretari?

Reſpondeo, quia periculoſus ſtatus mentis ſuæ dubitantis, atque hærentis, vnicuique poteſt eſſe perſpectus, alterius autem, nequaquam.

Tertia dubitatio, cùm magni Gregorij canon ſit his verbis editus. Graue ſatis eſt, & indecens, vt in re dubia certa detur ſententia: & canon D. Augu. ex lib. de pœnit. Quamuis vera ſint quædam, tamẽ iudici non ſunt credenda, niſi certis indiciis demonſtrentur: & canon octauæ ſynodi. Non ſolùm ille reus eſt, qui falſum de alio profert, ſed etiam is, qui aurem citò criminibus præbet. Et habentur in decreto, 11. q. 3. can. graue, cap. quamuis, & cap. non ſolùm. Eſt item alius magni Gregorij canon ſumptus ex epiſtola ad Andream Tarentinum Epiſcopum, vbi eſt his verbis: In ambiguis rebus abſolutum non debet eſſe iudicium.

4. Cùm ergo tot vetent canones, quando eſt cauſſa ambigua, non certam pronunciandam eſſe ſententiam, cur multi Pontificij canones dubium factum, ex quo timebatur irregularitas, in deteriorem partem iudicando interpretati ſunt; illorumque factorum Auctores irregulares declararunt, vt apparet ex cap. ad audientiam, ex cap. ſignificaſti nobis, & ex cap. penult. de homicidio, & cap. iuuenis, de ſponſalibus, ex facto etiam non certo impedimentũ trahit affinitatis dirimentis. Gloſſa interpretans cap. penult. diſt. 15. 33. qui canon eſt ille Gregorij ex epiſtola ad Tarentinum Epiſcopum, diſtinguit triplicem ambiguitatem, iuris, facti, perſonæ. Vbi, inquit, eſt ambiguitas iuris, ibi de ſimilibus ad ſimilia proceditur: ſed vbi factum ambiguum eſt, tunc numquam ferenda eſt ſententia in alterius præiudicium, vt 11. q. 3. graue. Hoc ideo dico, quia ſi nullum ſit præiudiciũ, vt in baptiſmo, conſecratione, ordinatione, bene fertur in dubio certa ſententia: ſcilicet vt baptizetur, vel Eccleſia conſecretur, vel denuo ordinetur, vt de conſecrat. diſt. 4. paruulos, & diſt. 1. ſollemnitates, & diſtinct. 63. presbyteri. Tamen quandoque dubitatur de facto, & fertur ſententia in præiudiciũ alterius, vt extra de ſponſ. iuuenis: ſed illud eſt propter periculum animæ. Vbi autem eſt ambiguitas perſonæ, ſed factum eſt certum, bene fertur certa ſententia, vt V. q. 1. quidam.

Mihi expediendæ difficultatis hæc ratio occurrit, cum æquitate canonum, & Theologica ſubtilitate magis congruens.

5. Romanus Pontifex non vnam ac ſimplicem, ſed multiplicem perſonam ſuſtinet, vt communis magiſtri atque Doctoris cunctum Chriſtianum populum erudientis, vt conſiliarij ſalubria conſilia toti Chriſtianæ multitudini dantis, vt medici ſuarum ouium vulnera ac morbos curantis ac ſanantis, vt Patris ſpiritualis paterna caritate ac prouidentia ſuos filios gubernantis, vt Principis ſummi ac legiſlatoris ſalutares leges toti Eccleſiæ ferentis, interpretantis ac moderantis, vt iudicis facta improborum iudicantis & vleiſcentis. Cùm verò conſulentibus reſpondet, vel etiam non conſulentibus, ſed aut egentibus auxilio, aut errantibus proſpicit, nunc hac, nunc illa perſona vtitur, ſanctionéſque Põtificiæ cunctas perſonas illas exprimunt. Idcirco cùm dubia nõnullorum facta in deteriorem partem inflectit, non id facit tamquam iudex, ſed tamquam Doctor, ſeu tamquam conſiliarius, tamquam medicus, tamquam pater ſuggerens, quod eſt magis è re, & ſalute, &

te,& bono ſpirituali ſuarum ouium:facit enim cum iis, quod ſecum ipſæ facere deberent.

Iam verò dictum eſt in dubiis ſecum vnumquemque agere oportere ſeueriùs. Cùm igitur vnuſquiſque ancipiti cogitatione diſtractus, ſecúmque diſceptans,num graui aliqua culpa,irregularitate cenſuráve irretitus ſit, irretitum ſe eſſe credere debeat: quemadmodũ Doctores, & patres ſpirituales Chriſtianorũ tradunt,cur idem facere non debet Max. Pontifex, cùm munus Doctoris ac patris exſequitur? Ex illa quoque D.Thomæ diſtinctione dici poſſet, ſacrorum canonum patres cùm aliena facta deteriùs interpretantur, id non definiendo,ſed ſupponendo facere: prouidét enim fingẽdo malum,quod accidere poſſet;illáque deteriore interpretatione,ſed cauta ac paterna, impedimentum tutum malo obiiciunt.

6. Necnon tertius eſt modus dicendi. Aliud eſt iudicare ex dubio facto mentem, & conſilium alterius, aliud ex eod. facto de impedimento ſeu cenſura iudicium facere,illud canones vetant,hoc ſuo iure faciunt:nam irregularitatis ſeu affinitatis impedimentum non tam ex animo & conſilio eorum, qui faciunt, quàm ex natura facti ſpectari ſolet.

Quamobrem cùm caritas non cogitet malum,vt inquit Apoſtolus,1.Cor.cap.13. cùm idem ſuccenſeat iudicanti alienum ſeruum,ad Rom.14. his verbis. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum*? id eſt,vt interpretatur D.Anto. in 2.par.tit.3.cap.8.§.1. » verſu 2. ex iudicio: quomodo præſumis » iudicare cor alterius, quod DEO reſer» uatur?

Hoc genus iudicij ab ſua mente remouere debet quilibet Chriſtianus:nam eſſe Deo perodioſum duorum exemplorum,quæ è vitis patrum petiit D.Anton. commemoratione confirmat.

Prius eſt huiuſmodi.Duo germani fratres in ſolitudine deſerta,ſibi ac Deo viuebant:tanta eorum erat vitæ caſtimonia atque innocentia,vt alter,cùm ſibi collibitum eſſet, gratiam alterius in animum illapſam diuinitus externo quodam fulgore teſtatam conſpiceret. Ambo, cùm eorum,qui habitabant eremum, domicilia obirent, minor natu frater conſpicatus eſt ex illis incolis quempiam ſexta feria, hora tertia, cibum capientem, ratus ieiunij legem à patre illo fuiſſe deſpectã, cum fratre maiore in ſuum ſe locum recepit. Maior,cùm in minore ſplendorem illum cæleſtis gratiæ indicem requireret, non inuenit;cauſſæ ignarus,ſciſcitatus eſt ex eo, num alicuius recentis noxiæ ſibi conſcius eſſet: is ſua conſcientia diligentiùs pertentata, recordatus eſt ab ſe patrem illum tertia hora comedentem iniqua ſententia condemnatum eſſe.Maior, nihil dubitans ſubductę lucis cauſſam,temerarium illud iudicium extitiſſe, cum minore fratre contractæ ab eo culpæ,voluntariam pœnam ſuſcepit:ſtatímque ad minorem fulgor,qui auolarat,recurrit.

Poſterioris exempli nunc eſt ſubiicienda narratio. Duo religioſi iuuenes egregia forma, Euangelij enunciandi cauſſa, varias Chriſtiani orbis regiones peragrabant:iidem ad fœminam quamdam, ſanctitatis eius fama commoti, diuerterunt: cum ea ipſa diuinis de rebus collocuti diſceſſerunt. Poſt iuuenum abitum,venit mulieri in mentem ſubvereri de eorum integritate ac pudicitia: quam in illa eorum peregrinatione ſuſpicabatur incolumem eſſe non poſſe. Redit illa ad familiares cum DEO collocutiones; in iis planè frigebat: oblectamenta ac ſolatia, quæ antea magna hauriebat, erepta ſibi eſſe cognouit.Rei euentum eſt admirata, & piè de ſua calamitate conqueſta. Beatiſſima Virgo ſeſe illi oſtendit, grauiter obiurgans mulierem, quòd improbè de ſuorum ſeruorum caſtitate ſuſpicata eſſet, affirmans & ab ſe ſuos famulos in mundo cum mundanis degentes à criminum omnium contagione integros ſeruari poſſe, atque ei ſuas preces ob ſuſpicionis culpam ſuſceptam inſuaues accidiſſe.

Digitized by Google

cidiſſe. Itaque temerariæ ſuſpicionis cùm ſponte pœnam luiſſet, omne ſibi, quantum ereptum erat, recuperauit.

Subindicat etiam S. Antoninus illius Eremitæ exemplum,cuius animum indignè de ſanctiſſimo Gregorio ſuſpicâtem, huiusPontificatus perculerat amplitudo. Legito hæc apud D.Antoninum in 2.par. tit.3.cap.8.§.1. verſu, legitur enim.

7. Nec ſibi quiſquam in iis ſacrorum voluminum ſententiis blandiatur.Quomodo in aquis reſplēdent vultus proſpicientium;ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. Prouerb. cap.27. & Eccleſ. cap.19. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcetur ſenſatus. Amictus corporis,& riſus dentium,& ingreſſus hominis enunciant de illo. Primùm, dici poteſt teſtimonia hæc nulli largiri homini prudenti,vt iudicio certo quempiam condemnet iis nominibus, quæ in Salomonis verbis indicantur: verùm, vt coniecturam quamdam capere poſſit.Sic interpretatur Alexan.in 2.par.quæſt.118. memb.1.

Quamquam meo quidem animo hæc item eſſet haud inepta eorum locorum interpretatio: vt notitia, quam prudenti attribuit Salomon, è corporis indiciis ac notis,ad eorum malorum bonorúmque diiudicationem valeat, quæ naturæ ſunt, & temperationis, quæ eſt ex elementis, non autem volūtatis, atque conſilij: Vnicuique enim naturæ ſuam comitari proprietatem,& proprietati ſignum, ac notam,docet Ariſtot. in 2.analytico priore, cap.extremo. Hoc phyſiognomico fretus ſyllogiſmo Zopyrus, haud mendaciter multa in Socrate vitia notauit.Qua de re ſic Cicero, in 4. Tuſculana. Vt Socrates dicitur,cùm multa in conuentu vitia collegiſſet in eum Zopyrus, qui ſe naturam cuiuſque ex forma perſpicere profitebatur,deriſus eſt à cæteris;qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent: ab ipſo autem Socrate ſubleuatus eſt;cùm illa ſibi vitia ineſſe,ſed ratione à ſe deiecta diceret.

Sed eſto, ea,quæ in humanarum mentium receſſu ſunt, cernat ſapiens, quod tamen ſolius eſt DEI,quis obſecro Chriſtiana modeſtia præcultus,huius prudentis ſapientiſque hominis nomen ſibi audeat vſurpare?

QVÆSTIO XLVIII.

QVi imitatur id, in quo alter eſſet 1. obiurgandus, potéſtne eius iuſtus eſſe obiurgator ex Chriſti Domini ſententia ac iuſſu?

Reſpondeo, ex magnorū ſanctorúmque Doctorum decretis legitimum obiurgatorem alterius eiuſmodi hominem eſſe non poſſe. Sic enim à D.Baſilio docti ſumus,in regulis breuibus,interrogat. 164.cùm enim dixiſſet,ob ea,quæ in noſtra ſita ſunt poteſtate,& quæ plerumque dubia,non eſſe in alterum dandum iudicium: ſubiungit hæc verba:At in iudiciis DEI aliter faciendum eſt:nam ea omnino neceſſariò ſunt iudicanda,ne iis diſſimulandis in ſocietatē conſtitutæ à DEO pœnæ incurrat is, qui diſſimulauerit.Niſi ſi ſit aliquis, qui quòd in iiſdem quoque ipſe criminibus hæreat cum eo,qui incuſatur,liberè fratrem iudicare non poſſit: cùm Dominum audiat dicentem: *Eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis.* Matt.7.Et Iſidorus in lib.de ſummo bono,cuius teſtimonio vtitur D.Thomas in 2.2.q.33.art.5. *Non debet aliorum vitia corrigere qui eſt vitiis ſubiectus.*

Diuus Auguſtinus lib.2. de ſerm.Domini in monte,cap.30.Accuſare vitia officium eſt bonorum virorum & beneuolorum:quod cùm malefici agunt,alienas partes agunt. Et pòſt aliquanto. Et ideo 2. piè cautéque vigilandum eſt,vt cùm aliquem reprehendere vel obiurgare nos neceſſitas coëgerit,primùm cogitemus, vtrùm tale ſit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus: & ſi numquam habuimus, cogitemus & nos homines eſſe,& habere potuiſſe. Si verò habuimus,& non habemus, tangat me-

moriam communis fragilitas, vt illam reprehenſionem, aut obiurgationem, nō odium, ſed miſericordia præcedat: vt ſiue ad correctionem eius, propter quem id facimus, ſiue ad peruerſionem valuerit (nam incertus eſt exitus) nos autem de ſimplicitate oculi noſtri ſecuri ſimus.

Si autem cogitantes, noſmetipſos inuenerimus in eo eſſe vitio, in quo eſt ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus: ſed tamen congemiſcamus: & nō illum ad obtemperandum nobis, ſed ad pariter cauendum inuitemus. D. Thomas in 2.2.q. 33.art.5. fraternæ correctioni officere peccatum præteritum ait propter tria.

» Primùm, quia, inquit, ex peccato præ» cedenti indignus redditur, vt alium cor» rigat: & præcipuè ſi maius peccatū com» miſit, non eſt dignus, vt alium corrigat de » minori peccato. Secundò, redditur inde» bita correctio propter ſcandalum, quod » ſequitur ex correctione; ſi peccatum cor» ripientis ſit manifeſtum: quia videtur, » quòd ille, qui corrigit, non corrigat ex » caritate, ſed magis ad oſtentationem. » Tertiò, propter ſuperbiam corripientis, » inquantum ſcilicet aliquis propria pecca» ta paruipendēs ſeipſum proximo præfert » in corde ſuo: peccata eius auſtera ſeueri» tate diiudicans, ac ſi ipſe eſſet iuſtus.

3. Hæc diuus Thomas in 2.2. in 4. autem ſentent.diſt.19.q.1.art.2. quæſtiunc.2. ait, Prælatum, quamuis clādeſtinum ſit peccatum eius mortiferum, iniuſtè officio ſuo fungi, & peccare, dum aliorum reprehendit errata. Alio, inquit, modo aliquis corripit ex zelo caritatis, non vt Eccleſiæ miniſter: & tunc in correptione nō poteſt eſſe peccatum, niſi ratione ſcandali, quod non conſurgit, niſi de peccato notorio. Vnde ſiue Prælatus, ſiue ſubditus, etiam in peccato notorio exiſtens aliquem peccare viderit, poteſt eum monere non per modum corripientis, ſed per modum rogātis, vt exemplo ſuo non incitetur ad malum. & diluens ſecundum argumentum, quod fuerat huiuſmodi.

Nullus propter peccatum excuſatur ab obſeruatione præcepti; ergo peccator tenetur ad corripiendum: cùm ſit in præcepto: & ſi nō corripiat, peccat: ſi ergo peccando corriperet, eſſet perplexus, quod eſt inconueniens: diluens, inquam hoc ſecundum argumentum loquitur his verbis D. Thomas. Ad ſecundum dicendum, quòd peccator non eſt perplexus, nec tamen abſoluitur à præcepto corripiendi: poteſt enim peccatum dimittere, vel officium reſignare, aut etiā humiliter peccatum ſuum recognoſcens alium admonere rogando, & tunc non peccat.

Richardus ad hūc modum reſpondet eidem argumento in 4.ſent.diſt.19.art.2. q.2. ad 1. Dicendum, quòd peccatum non abſoluit hominem à præcepto: nec propter hoc homo perplexus eſt: quia ſi vult facere quod in ſe eſt, DEVS paratus eſt ſibi remittere peccatum.

Diuus Bonauentura, in eamd. diſtinct. 4. dub.4. diſtinguit duplicem correctionē: vnam, quæ conuenit ſuperioribus probis, & hanc eſſe ait per modum increpationis & arguitionis: alteram, quæ communis eſt bonorum & malorum; & hanc eſſe per modum ſupplicationis & admonitionis. Diuus Anton. in 2.par.tit.9.cap.6.§.3. deſcribit illa omnia, & plura etiam, quæ nos ſumpſimus à D.Thom. in 2.2. & ſolutionem Richardi. Conſule Summarum ſcriptores, in verbo, Correctio fraterna, & præcipuè Syluestrum, eod.tit.q.16. vbi ex Palud. docet, mortiferi flagitij labe ſpiritualem Prælatum pollui, qui cùm ſit ipſe ſcelere, ſiue manifeſto ſiue occulto, corruptus, ſubditum ſuū arguit, ſeu caſtigat.

Suntque hæ M. Tullij ſententiæ è V. Verrina, æterna memoria dignæ, intextæque ſunt in eius orationis exordio. Legē, » inquit Cicero, ſibi ipſi indicunt innocen» tiæ, continentiæ, virtutúmque omnium, » qui ab altero rationem vitæ repoſcunt: » & duobus verſibus interiectis; Nam qui » ſibi hoc ſumpſit, vt corrigat mores alio» rum, ac peccata reprehendat, quis huic » ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione of» ficij

ficij declinarit? & poſt nonnullas verborum comprehenſiones: Etenim non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehendatur.

QVÆSTIO XLIX.

1. QVoniam Eccleſiaſtici ieiunij legi multiplex fraus fieri poteſt: etiam ab iis, qui quadrageſimæ diebus licitè carnibus veſcuntur: idcirco tria de hoc hominum genere quæſita ſunt. Primùm, num eo cibi genere ſatisfacere poſſint ieiunij Eccleſiaſtici legi: deinde, vtrùm bis in die ſumere carnes poſſint. Poſtremò, vtrùm ſine culpa, & ieiunantium eſcis & carnibus frui poſſint.

De prima quæſtione ſic ſentiunt magni & antiqui Theologi, eſu carniũ ſolui frangique ieiuniũ Eccleſiæ. Alex. Halenſ. in 4. par. q. 28. memb. 8. art. 1. §. 1. D. Thomas, in 4. diſt. 15. qu. 3. artic. 4. quæſtiunc. 2. Richardus, in ead. diſt. art. 3. q. 7. Paludan. in eamd. diſ. q. 4. art. 4. concl. 2. vbi probat grauiùs frangi ieiuniũ comeſtione carniũ, quàm bina comeſtione. Quia Elias, cùm ieiunauit, comedit mane, & veſperi: ſed à carnibus ſe abſtinuit: idémque fecit Daniel: & Chriſtus Dominus ſolas, inquit, agni carnes comedit. Addítque Paludan. ſemel comedere, Angelorum eſſe; bis eodem die, hominum; frequentiùs, brutorum.

Alexand. Halenſ. loco, quem indicauĩmus, tres cauſſas exponit, cur eſus carnium, non piſcium, ieiunium perimat.

Primùm, quia DEVS non aquæ, ſed terræ maledixit. Deinde, quia aquis vim ſanctificandi & mundandi contulit, non terræ. Poſtremò, quia carnes magis nutriunt & roborant corpus, quàm piſces. Quare magis fini repugnãt ieiunij, quàm piſces. Eſu verò carnium ieiunium non conſiſtere, communem eſſe Doctorum ſententiam ait Angelus, in verbo, Ieiunium, num. 5. & Gabriel in 4. diſt. 16. q. 3. art. 3. litt. Q. ait, in hoc omnes cõueniunt Doctores, eſu carnium frangi ieiunium: vnde, inquit, ieiunare non dicuntur, qui tantùm ſemel in die carnibus reficiuntur. Sylueſt. in verbo, Ieiunium, num. 15. Eſus, »
inquit, carnium frangit ieiunium, ſecun- »
dùm omnes Doctores. »

Secunda difficultas hac diſtinctione 2.
explicanda eſt. Aut is, cui ius carnium conceditur, poteſt eſſe contentus vnica comeſtione: quia robuſto eſt corpore, quamuis fortè vel tenũ morbo, vel æſtu capitis conflictetur: aut corpore eſt imbecillo, vt illi ſæpiùs, & non multùm cibi ſumendum ſit. Primus ille habitus, & affectio corporis, non concedit geminam carnium comeſtionem. Secundus, concedit. Hæc docent Caietanus in 2.2. qu. 147. art. 7. & 8. Nauarrus, in Summa, cap. 21. num. 22. Medina, C. de ieiunio, qu. 5. Victoria, in 2.2. q. 147. artic. 4. citatus ab Antonio Cordubenſi, in qq. quas ipſe Hiſpanico ſermone diſſerit, q. 143. & qu. 167. bis enim hic Auctor tractauit eamd. quæſt. eiſdem verbis ac rationibus. Falsò etiam Caietano & Nauarro impoſuit: quòd ambo ſcripſerint, eum qui carnibus quadrageſimæ diebus victitat, bis in die illis poſſe veſci: cùm planè cõtrarium doceant: neque Caietanus permittat binam comeſtioné carnium, niſi iis quorũ eſt euidens impotentia, vt quiuis diſcere poteſt ex eius commentario, in qu. 147. art. 8. qui illud item tradiderat in commentario, art. 7. eum, qui diſpenſatus eſt in vna conditione ieiunij, nõ eſſe in aliis: quod ipſum confirmat Nauarrus loco citato. Tradítque regulam generalem, eum qui vſquequaque Eccleſiæ præceptũ ſeruare non poteſt, debere ex ea parte ſeruare, quę ſeruari abeo poteſt, ex cap. Cùm dilecti, de dolo & contumaciæ cum citatis, inquit, à Gloſſ. & Doctoribus ibidem.

Medinæ autem mihi videtur inſignis error & ſeueritas, cùm in ea quæſt. 5. ſcriptum reliquit, non licere ei, cui bina conceditur comeſtio in die ieiunij, ſæpius comedere; cùm bina comeſtio planè

Digitized by Google

tollat eſſentiam ieiunij.

3. Iam verò, vt quæſtioni tertiæ reſpondeamus, qui valetudinis cauſſa veſcuntur carnibus, quòd abſtinentiæ quadrageſimalis eſcæ iis noceant, ſi in eadem menſa volunt ſibi has, & carnes ad victum parari, contra temperantiæ leges omnino peccant, grauitérque delinquũt. Sin eos quadrageſimalis menſa ita delectat, vt nec ſtomachum lædat, nec valetudini admodum incommodet; in Eccleſiaſtici legem ieiunij ſine dubio committunt. Nec Prælatus vllus credo reperietur, qui aſſerenti ſe iucundè & commodè veſci poſſe ieiunij cibis, eorúmque pondus & molem ad 24. horas ſuſtinere poſſe, vſum carnium ſeu ouorum vellet indulgere. Et qui hanc victus rationem quadrageſimæ tempore ſequeretur, omnium Theologorum ſuffragiis condemnaretur.

Itaque videant, qui conceſſis carnibus, ſacræ & ſollemnis inediæ tẽporibus nolunt eſſe contenti, quemadmodum animarum ſuarum ſaluti conſulere debeant.

Quòd ſi tertiæ difficultatis explicationem aliqua magis concinna & abſoluta diſtinctione complecti vellemus, nimirum hac vti poſſemus: In iſto homine, qui ob inualetudinem, iuſſu medici carnibus veſcitur, diebus quadrageſimæ, aut proſtrata eſt cibi cupiditas, aut non eſt proſtrata, ſed viget: ſi proſtrata eſt, ad eam excitandam permitti ei poteſt vna aut altera halecula, ternæ quaternæve oleæ conditæ, aut aliquid eius edulij, quo perdita ciborum appetitio recreari poſſit. Sin autem cibi appetitio vigeat, aut ieiunij cibos vix attingit, aut copioſè capeſſit: nec ſecus quàm carnes: ſi vix, aut tenuiter, vix leuem culpam vitabit: ſi largè & effuſè, non aliter atque carnes: aut ea cibaria valetudini obſunt vehementer, aut non vehementer, ſed parum aut nihil: ſi vehementer, mortiferè peccat contra præceptum temperantiæ, & ius tuendæ valetudinis: ſi parum aut nihil, committit in legem Eccleſiæ ieiunium imperantis; neque illi carnibus veſci licet.

QVÆSTIO L.

VTrùm hora ieiunij ſit ab Eccleſia præcepta: &, qui eam inſigniter anteuertit, ſit ne violati ieiunij reus, quærentibus multis reſpondere, & diſputantibus ſententiam meam aperire ſum ſæpe coactus. 1.

Nunc verò duabus contrariis commemoratis ſententiis, vtra mihi potior veriórque videatur, & adhuc viſa ſit, breuiter indicabo.

De tribus igitur inter vtriuſque ſententiæ auctores cõſtare animaduerti. Vnum eſt; ea diei hora, quo tempore Eccleſiæ iuſſu ieiunandum eſt, prandiũ cœnámve iniri poſſe, quæ in ea prouincia, ſeu ciuitate, in qua quis verſatur, valuit. Probare id conantur ex Decretali Innocentij III. Conſilium, de obſeruatione ieiun. & ex can. illa, diſt. 12. qui ſumptus eſt ex epiſtola 118. Diui Auguſtini, ad Ianuarium, cap. 1. multóque magis ad rem facit: in extremo enim illo canone ponitur reſponſum, quod à D. Ambroſio, Auguſtino datum eſt, dum de ieiunio Romanæ Mediolanenſiſque Eccleſiæ conſulebatur. Mater » mea, inquit Auguſtinus, Mediolanũ me » conſecuta, inuenit Eccleſiam ſabbato nõ » ieiunantem: cœperat fluctuare, quid ageret. » Tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ » memoriæ virum, Ambroſium. At ille » ait: cùm Romam venio, ieiuno ſabbato; » cùm Mediolani ſum, nõ ieiuno. Sic etiam » tu, ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius 2. morem ſerua: ſi cuiquam nõ vis eſſe ſcandalo, » nec quemquam tibi. Hoc cùm matri » renuntiaſſem, libenter eſt amplexa. In » quem canonem Gloſſa, verbi, Intelligi, » vim explanans, argumentum, inquit, » quòd præſumendum eſt, conſuetudinem » eſſe iuſtam, & ex iuſta cauſſa proceſſiſſe, » niſi probetur contrarium. & in can. Nos conſuetudinem, in ead. diſt. ſic S. Gregor. ad Epiſcopos Numidiç, lib. 1. epiſt. 75. Nos » conſuetudinem, quę tamen contra fidem » Catholicam nihil vſurpare dignoſcitur, »

immo

Digitized by Google

» immotam permanere concedimus. & in can. Diuturni, qui hauſtus eſt ex 1. lib. in- » ſtitutionum Iuſtiniani. Diuturni mores » conſenſu vtentium approbati legem imi- » tantur. & in eo qui ſequitur, canone, petito ex C. lib. 8. quæ ſit longa conſuetu- » do. l. 1. Conſuetudo præcedens, & ratio, » quæ conſuetudinem ſuaſit, tenenda eſt, in ead. diſt. 12.

2. Alterum, quod neutra pars inficiatur, illud eſt, magni interualli anticipationem culpa vacare, ſi cauſſam æquam & probabilem habeat: qualis eſt virium imbecillitas, itineris ſuſcipiendi neceſſitudo; officia impertienda hoſpitibus, & quando ſtata hora ſumendi cibi non daretur facultas: atque huius generis alia.

Tertium. Ambæ partes concedunt, legitimæ horæ lineas qui immoderatè tranſiliunt, niſi cauſſa adſit iuſta, ab iis delinqui.

3 De quarto cōtrouerſantur, ſit ne mortiferum eorum delictum, & contra Eccleſiæ præceptum, an leue. Leue eſſe rentur hi omnes. Alex. Halenſ. in 4. p. quæſt. 28. memb. 8. quod membrum eſt de hora ieiunij, art. 3. in quo ad hunc modū quæ- » rit, An hora comedendi tempore ieiunij » ſit in præcepto, quæſtioni reſpondet his » verbis, Reſpondeo, quòd hora come- » dendi non eſt in præcepto. Tamen, qui » ex contemptu ſtatuti, ſiue conſuetudinis » Eccleſiæ, illam horam in comedendo ne- » gligeret, peccaret mortaliter: non quia » præceptum tranſgrederetur: ſed quia or- » dinatum ab Eccleſia, contemneret. nulla » enim negligentia eſt ita leuis, quin fiat » mortalis, ſi procedat ad contemptum. & » hoc ſonat verbum Domini, dicens: *Qui vos ſpernit*, &c. Innocentius, in cap. ex parte, de obſeruatione ieiunij, numer. 4. commentarij. Gabriel, in 4. ſent. diſt. 16. q. 3. art. 3. dub. 1. lit. Q. qui huius opinionis teſtem adducit Innocentium. Angelus, in verbo, Ieiunium. §. 2. Toletus, in Summa caſuum, 6. lib. cap. 2. Angeli ſcholiaſtes, qui eamdem opinionem falsò affinxit Richardo, vt mox intelligetur.

Secunda opinio patronos habet, numero & auctoritate doctrinæ ſuperiores. 4. D. Thomam, qui in 4. ſent. d. 15. q. 3. art. 3. ad quæſtiunc. 3. horam ieiunij ab Eccleſia inſtitutam, & communiter obſeruatam, ait eſſe horam nonam: quam horam eiuſdem Eccleſiæ conſuetudo hiſce temporibus in ſextam horam, ſiue meridiem, mutauit. & in 2. 2. qu. 147. art. 7. ad 2. Ad ie- » iunium, inquit, requiritur hora determi- » nata non ſecundùm ſubtilem examina- » tionem. Durandum, in 4. d. 15. q. 9. nu. 7. » qui tempus comedendi die ieiunij, ſcribit eſſe circa horam ſextam, & q. 10. num. 4. ægros ieiunij lege ſolutos eſſe ait, quia non poſſunt horam ſeruare ieiunij: ergo ex huius Doctoris ſententia hora ad ieiunij eſſentiam pertinet. Richardum, in eamdem diſt. art. 3. q. 7. in corpore, hoc pacto loquentem. Vnde ſub determina- » tionem præcepti Eccleſiaſtici de ieiunio, » non cadit niſi ſemel comedere in die na- » turali, & hora determinata, & abſtinentia » ab eſu carnium, & ab ouis, & caſeo in » quadrageſimali ieiunio. Eandémque ſen- » tentiam indicat in q. 8. eiuſdem articuli in fine, vt mirum ſit, ad opinionem Angeli, ab eius ſcholiaſte deductum, vel pertrahitum, fuiſſe Richardum. Paludanum, in eamd. diſt. quæſt. 4. art. 4. concluſione 1. Prima, inquit, concluſio. ieiunium fran- » gitur notabili horæ anticipatione, ſine » cauſſa, & in quadrageſima, oportet expe- » ctare nō veſperam diei, ſed officij. Iuſtam » horam definit eſſe ſextam, vel finem eius. Richardum, in quæſt. 8. illius 3. artic. Qui » comedunt, inquit, ſtatim poſt horam ſex- » tam, vel hora ſexta, quamuis derogét ali- » quid perfectioni ieiunij, non putat eos » violare id quod ad eius ſpectat neceſſita- » tem. Maximè, inquit, quia iam inualuit » conſuetudo in multis locis comedere ſta- » tim poſt horam ſextam, vel ipſa hora ſex- » ta. Turrecrematam, qui in cap. ſolent, de » conſecratione, diſt. 1. dubio 2. ſuæ explanationis, conſtitutam ait eſſe horam ab Eccleſia tempore ieiunij comedentibus. atque huius veritatis Diuum item Tho-

Digitized by Google

mam profert auctorē: profert item Dionyſius Carthuſianus, in 4. ſent. d. 15. q. 6. non longè ab extremo. Diuum Antoni-
» num, in 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 10. Tertiò,
» inquit ipſe, vitiatur ieiunium ex horæ ni-
» mia anticipatione. Maiorem, in 4. diſt. 15. quæſt. 3. col. 3. in vetuſtioribus codd. vbi
» ſic. Tamen hora duodecima, quando ſol
» medium cœlum conſcēdit, eſt conſuetu-
» do Chriſtianorum comedere. In multis
» iſtorum ſufficit voluntas, & conſuetudo,
» nec citanda eſt alia ratio: licèt in multis dari poteſt congruētia. Caietanum, à quo in 2. 2. quæſt. 148. art. 7. hæc in commen-
» tario ſcribuntur. Ex hoc, quòd omnes ho-
» mines communiter iudicant non ieiuna-
» re illos, qui tam notabiliter ante conſue-
» tam horam, qua ieiunantes ſolent pran-
» dere, comedunt, euidenter patet, quòd
» hora conſueta comedendi pro ieiunio,
» quæcumque hora ſit illa, eſt de neceſſita-
» te ieiunij: & paucibus verſibus interiectis:
» Tenetur ergo quilibet ad conſuetam ho-
» ram prandij in ieiunio, ſicut tenetur ad
» ieiunium ipſum. Et in Summa, verbo, Ieiunium, cap. quoad, ſentit ab hora nomen ſumpſiſſe ieiunium: vt videatur in hora vis eius omnis conſiſtere. Aſtenſem, qui in Summa, lib. 6. tit. 28. art. 5. anticipatione docet legem ſolui ieiunij. Syluestrum, qui in Summa, verbo, Ieiunium, num. 9.
» in principio, conſtituit integritatem ieiu-
» nij in illis tribus, quæ numerat Richard. & num. 12. ſcribit, conſuetudinem, quantum ſpectat ad horam comedendi, temporibus ieiunij, eſſe legem, & ſtatutum Eccleſiæ, & ad conſuetudinē aſſumptam eſſe meridiem, & eam horam inſigniter præuertere, culpam vult eſſe mortiferam, refellens Angelum, num. 13. ſuam ſententiam teſtimonio confirmans Gloſſę, quod faciunt alij: cuius Gloſſæ auctoritatē non multò pòſt ſubiiciemus. Ioannem Tab.
» in verbo, Ieiunium, nu. 6. vbi ſententiam improbat Angeli. Roſellam, in verbo, Ieiunium, num. 10. quæ in tribus quæ componunt ieiunium, atque integrum reddunt numerat horam. Medinam, in C. de ieiunio, quæſt. 1. vbi vult, ſeruandam eſſe horam, quæ deuexa ſit, & vergat ad meridiem: rationémque eſſe in hac parte habendam conſuetudinis. & in quæſt. 6. in qua de hora diſſerit ieiunij, in tertio argumento contra concluſionem, quam oppugnat, horam præcepto obſeruādam eſſe in ieiunio apertè demonſtrat, & q. 11. hæc tria ad ſubſtantiam ait pertinere ieiunij, & frangere illud qui tria illa non ſeruat. Nauarrum, qui in Summa, cap. 21. nu. 27. idem perſuadet. Panormitanum, qui in rubrica de obſeruat. ieiun. num. 2. tria admonet. Primùm, ieiuniis quadrageſimæ ab Eccleſia præſcriptam eſſe horam, vt non niſi expletis veſperis fas ſit comedere, cap. ſolent, de conſecrat. diſt. 1. quas veſperas quadrageſimæ diebus, ante prandium, & antemeridianis horis, ait celebrari. Deinde, aliis ieiuniis quamuis Eccleſia legem non præſcripſerit, qua hora ſit comedendum, generali tamen conſuetudine inductum eſſe, vt ea ſit nona. Poſtremò, in hac ipſa hora licitè ſumi cibum, ex Diuo Thoma & Archidiacono, in caput ſolent, de conſecrat. diſtinct. 1. Denique, hæc poſterior ſententia magiſtram habet Gloſſam, in caput, vnum. §. alias autem, in verbo, Ieiunantibus, vbi perſpicuis verbis affirmat, in ieiuniis ab Eccleſia ſtatutis, noxiam ſuſcipi mortiferam, ſi ante horam legitimam comedendi cibus capiatur.

Quam ipſe ſententiam vſque duxi ſe- 5.
quendam eſſe, quòd ſola vera tutáque videatur. Ad eámque perſuadendam, vniuerſi Chriſtiani populi ſenſus haud paruo debet eſſe momento: quòd minimè credit ſe legi Eccleſiaſtici ieiunij ſatisfacere, ſi immodico interuallo horam ieiunij legitimam præcurrat.

Huc accedit, quòd qui ſemel veſcuntur in die, quamuis oleribus piſcibúſque vtantur, ſi nimium eorum prandium horam antegrediatur ieiunij, negabūt illam rationem victus, ſumendíque cibi, eſſe ieiunium. Ad hæc. Illud in ieiunio ab Eccleſia præcipi decuit, quod ieiunij fini cum

cum primis conducit. Finis ieiunij intrinſecus eſt carnis petulantiam comprimere, & vitia compeſcere: huic autem fini ne dum vtilis, ſed neceſſaria videtur ſera hora comedendi; illam igitur præpropere anteire, & vim præcepti & robur ieiunij frangit.

Ad extremum, niſi ex inſtituto Eccleſiæ hora certa eſſet ieiunij quilibet pro arbitrio eam ſibi fingere, & deligere poſſet: id quod ieiunij legi haud leue adferret incommodum.

6. Verùm vnum, quod ab quopiam nobis obiici poſſet, diſſimulare minimè conuenit. Quæ communi lege iubentur, eiuſmodi debēt eſſe, vt obſeruari poſſint ab omnibus. At horam diei nonam, vel ſextam, vel meridianam ignorare coguntur, quàm plurimi: vt ruſtici, qui tintinnabulorum ſeu campanarum ſonitu horas non percipiunt: neque eas aut è ſolis radiis, eiúſque motu, neque è gnomonibus aut corporum vmbris, quum turbida eſt tempeſtas, aut nubibus obductum cœlum, diuinare poſſunt. Vt illi etiam qui eas incolunt regiones, vbi aut vnus dies, vnaque nox, totum emetitur annum, aut diem habent è multis menſibus conflatum.

De ruſticis facile eſt reſpondere, nō iis certām horam iniunctā eſſe ieiunij: cùm ieiunij lege non eos obſtringat Eccleſia ob agriculturæ labores. Verùm, ſi aliquo tempore otiarentur, non eſſent ieiunij immunes. Quare ſi ad eam horam traherent prandium, quæ ipſorum exiſtimatione ad meridiem propiùs accederet, horæ parerent. Mitto, gallum ruri commorantibus datum eſſe pro horologio: à quo canente in hora mediæ noctis, & meridiei, minimè falluntur. Ij etiam, qui Kalendario nō poſſunt vti Romano: nec perinde ſol apud eos, vt apud nos quinque diebus & ſexaginta, & trecētis, quarta fere diei parte addita, conuerſionem conficit annuam, quod ab eis tempore ieiunij exigit Eccleſia ſatis præſtabunt, ſi poſtquam ſunt experrecti, & legitimo ac naturali ſomno ſoluti, tantumdem vigilarint, cibum capiant: atque in altera parte vigiliæ, quæ conſequitur cibum, antequam cubitum diſcedant, comeſſatiunculam noſtro more vſurpēt. Liceret quoque iis tempore vigiliæ, quæ ſomno ſuccedit, ſeriùs, quàm extra tempora conſuerint ieiunij, prandere. Quid enim amplius, ab hoc hominum genere requirat Eccleſia?

QVÆSTIO LI.

Fvrius, vt ſtupro Septimiæ potiatur, animam ſuā diabolo deuouet: Chriſtianam religionem eiurat: ſanctiſſimæ matris Virginitatem negat.

Quæritur; quidnā cum hoc diro Chriſtiani populi portento in Sacramento confeſſionis ab ſacerdote agi oporteat. 1.

Reſpondi, primùm interrogandum eſſe: num, quæ ore prompſit, animo crediderit, & affirmarit, aut Chriſti fidem falſam eſſe: aut, ſanctiſſimam matrem Dei non eſſe Virginem: aut, diabolum aliquo honore dignum: aut, eum ſine Dei permiſſu quidquā efficere poſſe. Si enim horum quidpiam credidit, hæreticus eſt, & in bullæ Cœnæ excommunicationem lapſus eſt, à Romano Pontifice, aut eius auctoritate dumtaxat, abſoluendus.

Verùm ſi Furius ad blaſphemiæ impietatem non addidit errorem intellectus, in foro quidem exteriore, tamquam idololatra, & hæreticus, & blaſphemus punietur: in foro tamen interiore pro excommunicato haberi non debet. Lege Toletum, in ſua Summa, de inſtruct. Sacerd. lib. 4. cap. 14. vbi docet, Idololatram eum eſſe, qui falſo Deo honorem defert, illum aut laudando, aut inuocando, aut ei ſe proſternendo.

Secundo huic blaſphemo ſignificandum erit, in duplicem caſum reſeruatum incidiſſe in Bononiēſi diœceſi, in primum & ſecundum, nec poſſe niſi à legitima poteſtate abſolui. Tertium dicendum erit 2.

huic

huic nefario ſuperûm hoſti, ex conſtitutione Leonis X. promulgata, & approbata in Concilio Lateranenſi, ſeſſ.9. non poſſe eum abſolui in foro conſcientiæ ſine grauiſſima pœnitentia arbitrio ſeueri confeſſarij imponenda.

Hæc fortaſſe non indigna prorſus pœna exiſtimari deberet. Vt per annũ octauo quoque die Sacramentum pœnitentiæ obeat. Vt per annum ſingulis ſabbatis genibus nixus roſarium beatiſſimæ Virginis recitet. Vt triginta dies quotidie ter lingua ſignum crucis in terra deſcribat, & oſculetur: ter quoque, vbi ſignum illud oſculatus fuerit, percuſſo pectore, tanti facinoris à Deo atque ab eius ſanctiſſima matre, veniam deprecetur; noſtram fidem, & auguſtæ Deiparæ virginitatem laudibus efferens, cunctáſque hæreſes ac ſuperſtitiones, nec non ipſum nefarium dæmonem, deteſtans, atque eiurans.

QVÆSTIO LII.

Eiuſdem ſceleris ſocietatem duo ineunt: ſed antequã facinus edant, vnus dicit ſacra confeſſione illud ſe poſtea expiaturum: alter de confeſſione nihil cogitat.

1. Quæri ſolet, vter grauiùs peccet.

Cùm agerem ipſe Venetiis, tres patricij, qui hac ipſa de re certa ſponſione altercabantur, diſtrahendæ controuerſiæ cauſſa ad me adierunt: quid præmij victori eſſet, me latuit.

Ab iis igitur interrogatus, reſpondi, illud ipſum, quod iampridem & docueram & ſcripſeram: leuius peccatum eius eſſe, qui ſpe pœnitentiæ & veniæ ſcelus concipit. Qui enim culpam tantùm meditatur: nec vlla eius aut deteſtatio, aut pœnitentia cogitanti occurrit, magis præceps fertur ad malum: neque eius ſortes & voragines ſimiliter vitabit, vt is, cui poſt delictum, deliberatũ eſt ad bonam frugem ſe recipere.

Eiſdem patriciis ſignificaui hanc Diui Thomæ eſſe ſententiam in 2.2.q.21.art.2. ad 3.argum. ita ſcribentis: Ad tertium di- »
cendum; quòd peccare cum propoſito »
perſeuerandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad »
præſumptionem pertinet: & hoc non di- »
minuit, ſed auget peccatum: peccare au- »
tem ſub ſpe veniæ quãdoque percipien- »
dæ, cum propoſito abſtinendi à peccato, »
& pœnitendi de peccato, hoc nõ eſt præ- »
ſumptionis: ſed hoc peccatum diminuit: »
quia per hoc videtur habere voluntatem »
minùs firmatam ad peccandum. Scripſe- »
rat hoc ipſum antea D. Thomas in 3.ſent. diſt.22.q.1.art.3.ad 5.

Quam ſententiam Caietanus in illa perbreui explanatione articuli hiſce verbis comprobauit. In reſponſione verò ad »
tertium aduerte hîc vulgarem errorem, »
putantium, quòd peccans ſub prætextu, »
quòd pòſt confitebitur, & faciet pœni- »
tentiam, peius faciat. Habes enim hinc, »
quòd diminuit, non aggrauat peccatum: »
eſt enim voluntatis tranſitoriæ, & non »
pertinacis in malo. & Nauarrus, in Sum- »
ma, cap.6. num.3. in recentioribus, confirmat id ipſum, Quidquid, inquit, Bonauentura, in Apologia inſinuauerit.

Princeps huius opinionis videtur fuiſ- 2.
ſe magiſter ſententiarum in 2.lib. diſtinct. 22. §. ex quo manifeſtè animaduerti poteſt. Bis enim in eo ſiue §. ſiue capite, repetit, Adamum, minùs quàm Euam peccaſſe: quia de pœnitentia & miſericordia Dei cogitauit: Eua autem, mente ac voluntate magis improba, & maiore libidine, deliquit, vt ſentiunt Theologi: nulláque ſuſcepta cogitatione pœnitentiæ ac veniæ, eſt in culpam prolapſa.

Præter rationem principio allatam, hæ quoque poſſunt addi. Prima. Quicumque minus peccatum eligit, minùs peccat: ſed quicumque eligit peccatum, futura, & deſtinata pœnitentia miſtum, minus malum eligit, quàm qui illud ipſum eligit, non pœnitentia, & confeſſione emendandum: ergo minùs peccat.

Secunda. Qui vnum peccatum per ſe eligit,

eligit, quamuis non propter ſe, leuiùs delinquit, quàm qui illud per ſe eligit (dùm dico *per ſe*, intelligo, certo conſilio, & ratione conuerſionis) & quod virtute eſt multa: ſed qui ad cogitatum facinus, pœnitentiam, quæ conſecutura eſt, adiungit, videtur vnum tantùm peccatum eligere, & non virtute multa: quod tamen is videtur eligere, qui de purgando crimine, confeſſionis medicamento, non deliberat. Quare, &c.

3. Plena verò honoris ſunt illa S. Gregorij verba, lib. 1. in Ezechielem, homil. 11. De peccatore enim, quem Deus ad pœnitentiam expectat, loquens, ſic ait. Sed diſtricta ſunt omnipotentis Dei iudicia: & qui peccatorem diu expectat, vt redeat, non redeunti, atque contemnenti, ponit adhuc, vbi grauiùs impingat. Peccatũ quippe, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt; aut cauſſa peccati ſimul, & pœna peccati. Omne enim, quod priùs committitur, peccatum eſt: ſed, ſi citiùs pœnitendo non tergitur, iuſto iudicio omnipotẽs Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpã alteram permittit cadere. Multiſque verborum comprehenſionibus interiectis, quibus hoc ipſum exſequitur, ſubiungit hæc verba, ac ſi apertè dicat, Quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit, iuſto eum iudicio deſeram, ponam ei, vt & alibi impingat. Quod tamen Domini ponere eſt, nequaquam ad peccandum premere, ſed nolle à peccato liberare. Hæc totidem verbis D. Gregorius.

Tertia ratio. Peccat grauiùs, qui non videt peccati remedia, quàm qui videt, nec negligit. Nam, vt inquit idem Diuus Gregorius, lib. 1. ſuæ expoſitionis in 1. lib. Regum, cap. 3. *Non videre, pœna peccatoris eſt*: ſed qui de futuri peccati confeſſione cogitat, videt remedium peccati, quod ſuæ mentis oculis alter peccati ſocius non ſubiicit: ergo leuiùs peccat.

Quarta ratio. Si duo communis amici violent amicitiam, vno eodémque facinore, minùs apud amicum offendere is videtur, qui ſpe petendæ veniæ, ac deprecandi delicti, violat, quàm qui ſine ſpe eiuſmodi, violat: idémque videtur dicendum de duobus filiis communis parentis animum offendentibus: idem ergo ſentiendum eſt de duobus, qui eiuſdem flagitij coitione cum Deo amicitiam ſocietatémque abrumpunt. Quinta & poſtrema. Animus poſt malefactum pœnitendi, & non perſeuerandi in maleficio, ſinç dubio Dei donum eſt: ergo ante maleficium quoque donum erit Dei, quo voluntas execratur permanſionem in malo: ergo non poteſt augere peccatum, ſed illud extenuabit.

Sed nonnulla, quæ huius ſententiæ veritati obſiſtunt, ſummouenda ſunt. Qui præſumptionis vitio peccat, magis peccat, quàm qui ſine eo vitio peccat: ſed, qui ſpe veniç, diuináque miſericordia fretus, peccat, vitio præſumptionis peccat: ergo magis peccat. Minor ſyllogiſmi propoſitio probatur, ex Auguſtino, enarrante Pſalm. 31. in præfatione, vbi hanc ſententiam pronunciauit. *Ne præſumas ad peccandum de miſericordia Dei.* Reſpondeo, ex eodem Auguſtino in eodem loco, & in lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 5. & 6. præſumptionem eam damnari, quæ neceſſitatem pœnitentiæ ad veniam, & meritorum ad ſalutem conſequendam aſpernatur: de qua D. Thom. in 2. 2. q. 21. diſſerit: qui in artic. 1. & 4. in hoc huius criminis veram ſpeciem poſitam eſſe ait, cùm aliquis, verba ſunt eius, ſperat ſe veniam obtinere ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis. Hæc autem præſumptio eſt propriè ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, quia ſcilicet per eiuſmodi prçſumptionem tollitur vel cõtemnitur adiutorium Spiritus ſancti; per quod homo reuocatur à peccato. Sic D. Thomas. 4.

Hanc autem præſumptionem nõ conuenire in eum, de quo diſſeritur, p[illegible] ſuum non videt: animo enim hic [illegible] ſuſcipit pœnitentiam delictum eiuſdem delicti [illegible] tentiam.

Poteſt illud ſecundo loco opponi. 5.

Quòd temerè agit, qui ſibi de futura pœnitẽtia, & venia peccati pollicetur. Nam, ſibi arrogat, quod eſt in manu Dei. Neque enim, cùm voluerit homo, neque ſuis viribus deſerere poteſt peccatum: omniáque in futurum ſeruantur incerta: quemadmodum eſt apud Eccleſiaſtem, cap. 9. Reſpondetur. Temeritas & arrogans fiducia, putanda eſt media ſalutis optare, ac quærere, ac ſibi promittere veluti è noſtræ naturæ viribus aptarat ea velle, & ſibi polliceri, tamquam diuinæ benignitatis, quæ cunctis ſolet hominibus adeſſe, inſtrumenta; quæ vltro non reſpuentibus offert Deus, nō præ ſe gerit aut ſuperbam temeritatem, aut verò præſumptionem, vt D. Thomas, in 2. 2. quæſt. 131. art. 1. ad 3. ſapienter oſtendit.

Denique, illud obiici poteſt: Quòd ingraueſcit culpa propter notitiā mali magis perfectam. Verùm qui culpam ſuſcipit cum voluntate futuræ deteſtationis ac pœnitentiæ, perfectiùs videtur cognoſcere malum, quàm is, qui nec de confeſſione, nec de pœnitentia delicti, quidpiam animo agitat: ergo magis peccat.

Soluitur argumentum. Voluntas illa confeſſionis, & pœnitentiæ, quæ peccatum conſequetur, non oritur per ſe ex maiore ſubtilioréve ſcientia mali, ſed ex minore animi peruerſitate, atque ex perceptione periculoſæ permanſionis in malo, ſiue ex diuinæ vltionis formidine. Fieri enim poteſt, vt qui nihil horum, quibus à facinore retardantur homines, pertractat animo, multò ſit doctrina inſtructior, quàm is, qui eadem pertractat: multóque rectiùs de atrocitate maleficij iudicare ſit ſolitus; vehementi tamen ſeu perturbatione, ſeu improbitate victus, cùm flagitium concupiſcit, omnem tum confeſſionis, tum pœnitentiæ cogitationem aut abiiciat, aut verò nullam ſuſcipiat.

QVÆSTIO LIII.

Roganti amico, vt hanc quoque quæſtionem in ceterarum numerum referrem, parendum cenſui.

1. In ea anquiritur: de peccatis, quæ diuinam amicitiam non diſcindunt, ad hūc modum loqui, vel cum animo ſuo ſermocinari: leuia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum ſi in his maneam venialibus, minimíſque peccatis; crimen ſit æterna pœna dignum, an non?

Quæſtioni his verbis reſpondet Diuus Bernardus, in ſermone primo de conuerſione Pauli. Nemo dicat in corde ſuo, leuia ſunt iſta: nolo corrigere: non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimíſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Quæ verba; & ſi augendi cauſſa dicta videntur, ad eam tamen ſententiam, quæ protinus explicabitur, Catholicam præ ſe ferunt veritatem. Oppugnare enim veritatem vitę, in peccatis numerari ſolet, quę ſunt in Spiritum ſanctum. Verùm, qui ait contemnenda eſſe peccata venialia, nec magnum quid in iis permanere, Catholicam oppugnat veritatem; qua veritate contrariam ſententiam docemur omnino, quare, &c.

Syllogiſmi huius propoſitio minor, diuinæ Scripturæ & ſanctorum Doctorum auctoritate firmatur. Peruagatiſſimum eſt illud Salomonis dictum, in Eccleſiaſte, cap. 9. *Qui ſpernit modica, paulatim decidit.* Modica, inquit Gloſſa ordinaria, verbum otioſum, riſum, comeſſationes, potationes, & huiuſmodi. Nicolaus autem Lyranus, modica, id eſt, leuia peccata.

2. Itaque D. Auguſtinus, in lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 8. de peccatis, quæ venialia appellantur, verbā faciens, hæc peccata, inquit, & ſi ſint parua per Dei miſericordiam, fiunt magna in peccatoribus, negligentia: nullum enim peccatum adeo paruum, quod non creſcat neglectum: non enim conſiderandū eſt, quod fecerit, ſed quem offenderit, quàm bonus eſt, quàm benignus, quàm pius, quàm propitius, &c. D. Gregorius, homil. 2. in Ezechielem, cùm ſcripſit, omne peccatū

graue

graue eſſe,quia non permittit animam ad ſublimia leuari,etiam de venialibus locutus videtur:nam,dum hæc committũtur, certum eſt,animum noſtrum ad ſublimia efferri non poſſe: cùm tunc ipſe feratur deorſum.

Operæ precium duxi huc inferre, quæ conuenienter orationi Bernardi, Diuus Chryſoſtom.ſcribit,in c.7.epiſt.ad Rom. hom.12. Propterea exhortor, inquit, initio,vt caueamus,vel puſilla fugientes mala:nam magna ab his naſcuntur. Etenim qui in vnoquoque peccato dicere edoctus eſt, non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum, is pedetentim omnia perfundabit. Hoc igitur vitioſitatem ipſam attraxit;hoc ianuas reſerauit prædoni:hoc vrbis mœnia deiecit. Nimirum quoties ad vnumquodque peccatum dices: non hoc ad rem magnopere pertinet.Sic & in ipſis corporibus vſuuenire vidimus, vt magnæ ægritudines augeantur, quoties paruas negligimus.

3. Diuus autem Auguſtinus, in 1. epiſtol. S.Ioannis,tract.1.Iſta leuia,inquit,quę dicimus,noli cõtemnere.Si contẽnis,quando appendis: expaueſce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. Multæ guttæ implent vnum fluuium. Multa grana faciunt maſſam: iterátque eamdem ſententiam in libro de decem chordis,cap.11.additque,quàm minutiſſima ſunt genera arenæ? ſi arenæ ampliùs in nauim mittatur, mergit illã, vt pereat. & epiſt. 108. ad Seleucianam, hoc ipſum inculcat, de culpis venialibus ſcribens, quę collecta,inquit,contra nos ſi fuerint, ita nos grauabunt, & opprimẽt, ſicut vnum aliquod graue peccatũ.Quid enim intereſt ad naufragium, vtrùm vno grandi fluctu nauis operiatur, an paulatim ſubrẽpens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat nauem, atque ſubmergat? Ad iſtorum remedium ieiunia,& eleemoſynæ,& orationes,ſunt.

Neque verò hiſce verbis ſignificare voluit D. Auguſt. è multis leuibus peccatis vnum aliquod cõflari poſſe mortiferum. Aut verò eſſe eiuſmodi,quæ per ſe,& ſuapte natura, animi & ſalutis noſtræ deprimant nauigium; ſed in illis hanc vim ineſſe, vt paulatim & ſenſim obrepenti exitiali culpæ patefaciant aditum.

Ab his auctoribus ſic nobis licet argumentari.Qui diceret,iniurias factas Deo, contemnendas eſſe,impiè diceret, atque hæreticè: ſed, qui dicit, ſpernenda eſſe peccata leuia, hoc ipſum affirmat; cùm ideo peccata ſint, quia iniuriam inferunt Deo,quare,&c. Qui item diceret,ea,quæ viam muniunt ad diuinam gratiam amittendam, parui putanda eſſe, pietatem & Catholicam veritatem inſigniter violaret: ſed peccata venialia iſtam viam muniunt: ergo, qui non magni facienda illa dicit, pietatem & veritatem Catholicam grauiter lædit.

4. Ipſe D.Thom. in 1.2.q.88.art.3. docet, duobus modis veniale peccatum diſpoſitionem eſſe ad mortale. Primùm cùm confirmata, & corrobata eſt conſuetudo leues culpas committendi. Augmentata enim (verba ſunt S. Doctoris) diſpoſitione, vel habitu, per actus peccatorum venialium, in tantum poteſt libido peccandi creſcere, quòd ille, qui peccat, finem ſuum conſtituet in peccato veniali. Nam vnicuique habenti habitum,in quantum huiuſmodi, finis eſt operatio ſecundùm habitum, & ſic multoties peccando venaliter diſponetur ad peccatum mortale. Hæc ille.

Secundariò diſponit remouendo prohibẽs. Qui enim, inquit D.Thomas, peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem: & ex hoc, quòd conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubiicere, diſponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem ſuam non ſubiiciet ordini vltimi finis, eligendo id quod eſt peccatum mortale ex genere. Sic D. Thom.

Vtrumque modum huius diſpoſitionis ſua explanatione complexus Caietanus, hæc in commentario extulit. In veniali

Quòd temerè agit, qui ſibi de futura pœnitentia,& venia peccati pollicetur. Nam, ſibi arrogat, quod eſt in manu Dei. Neque enim, cùm voluerit homo, neque ſuis viribus deſerere poteſt peccatum: omniáque in futurum ſeruantur incerta: quemadmodum eſt apud Eccleſiaſtem, cap.9. Reſpondetur. Temeritas & arrogans fiducia, putanda eſt media ſalutis optare, ac quærere, ac ſibi promittere veluti è noſtræ naturæ viribus apta; at ea velle, & ſibi polliceri, tamquam diuinæ benignitatis, quæ cunctis ſolet hominibus adeſſe, inſtrumenta; quæ vltro non reſpuentibus offert Deus, nō præ ſe gerit aut ſuperbam temeritatem, aut verò præſumptionem, vt D.Thomas, in 2.2. quæſt.131.art.1. ad 3. ſapienter oſtendit.

Denique, illud obiici poteſt: Quòd ingraueſcit culpa propter notitiā mali magis perfectam. Verùm qui culpam ſuſcipit cum voluntate futuræ deteſtationis ac pœnitentiæ, perfectiùs videtur cognoſcere malum, quàm is, qui nec de confeſſione, nec de pœnitentia delicti, quidpiam animo agitat: ergo magis peccat.

Soluitur argumentum. Voluntas illa confeſſionis, & pœnitentiæ, quæ peccatum conſequetur; non oritur per ſe ex maiore ſubtilioréve ſcientia mali, ſed ex minore animi peruerſitate, atque ex perceptione periculoſæ permanſionis in malo, ſiue ex diuinæ vltionis formidine. Fieri enim poteſt, vt qui nihil horum, quibus à facinore retardantur homines, pertractat animo, multò ſit doctrina inſtructior, quàm is, qui eadem pertractat: multóque rectiùs de atrocitate maleficij iudicare ſit ſolitus; vehementi tamen ſeu perturbatione, ſeu improbitate victus, cùm flagitium concupiſcit, omnem tum confeſſionis, tum pœnitentiæ cogitationem aut abiiciat, aut verò nullam ſuſcipiat.

QUÆSTIO LIII.

ROganti amico, vt hanc quoque quæſtionem in ceterarum numerum referrem, parendum cenſui.

In ea anquiritur: de peccatis, quæ diuinam amicitiam non diſcindunt, ad hūc modum loqui, vel cum animo ſuo ſermocinari: leuia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum ſi in his maneam venialibus, minimíſque peccatis; crimen ſit æterna pœna dignum, an non? 1.

Quæſtioni his verbis reſpondet Diuus Bernardus, in ſermone primo de conuerſione Pauli. Nemo dicat in corde ſuo, leuia ſunt iſta: nolo corrigere: non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimíſque peccatis. Hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Quæ verba, & ſi augendi cauſſa dicta videntur, ad eam tamen ſententiam, quæ protinus explicabitur, Catholicam præ ſe ferunt veritatem. Oppugnare enim veritatem viræ, in peccatis numerari ſolet, quę ſunt in Spiritum ſanctum. Verùm, qui ait contemnenda eſſe peccata venialia, nec magnum quid in iis permanere, Catholicam oppugnat veritatem; qua veritate contrariam ſententiam docemur omnino, quare, &c.

Syllogiſmi huius propoſitio minor, diuinæ Scripturæ & ſanctorum Doctorum auctoritate firmatur. Peruagatiſſimum eſt illud Salomonis dictum, in Eccleſiaſte, cap.9. *Qui ſpernit modica, paulatim decidit.* Modica, inquit Gloſſa ordinaria, verbum otioſum, riſum, comeſſationes, potationes, & huiuſmodi. Nicolaus autem Lyranus, modica, id eſt, leuia peccata.

2. Itaque D.Auguſtinus, in lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 8. de peccatis, quæ venialia appellantur, verba faciens, hæc peccata, inquit, & ſi ſint parua per Dei miſericordiam, fiunt magna in peccatoribus, negligentia: nullum enim peccatum adeo paruum, quod non creſcat neglectum: non enim conſiderandū eſt, quod fecerit, ſed quem offenderit, quàm bonus eſt, quàm benignus, quàm pius, quàm propitius, &c. D.Gregorius, homil.2. in Ezechielem, cùm ſcripſit, omne peccatū graue

graue eſſe, quia non permittit animam ad ſublimia leuari, etiam de venialibus locutus videtur: nam, dum hæc committűtur, certum eſt, animum noſtrum ad ſublimia efferri non poſſe: cùm tunc ipſe feratur deorſum.

Operæ precium duxi huc inferre, quæ conuenienter orationi Bernardi, Diuus Chryſoſtom. ſcribit, in c. 7. epiſt. ad Rom. hom. 12. Propterea exhortor, inquit, initio, vt caueamus, vel puſilla fugientes mala: nam magna ab his naſcuntur. Etenim qui in vnoquoque peccato dicere edoctus eſt, non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum; is pedetentim omnia peſſundabit. Hoc igitur vitioſitatem ipſam attraxit, hoc ianuas reſerauit prædoni: hoc vrbis mœnia deiecit. Nimirum quoties ad vnumquodque peccatum dices: non hoc ad rem magnopere pertinet. Sic & in ipſis corporibus euuenire vidimus, vt magnæ ægritudines augeantur, quoties paruas negligimus.

3. Diuus autem Auguſtinus, in 1. epiſtol. S. Ioannis, tract. 1. Iſta leuia, inquit, quę dicimus, noli cőtemnere. Si contẽnis, quando appendis: expaueſce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. Multæ guttæ implent vnum fluuium. Multa grana faciunt maſſam: iterátque eamdem ſententiam in libro de decem chordis, cap. 11. additque, quàm minutiſſima ſunt genera arenæ? ſi arenæ ampliùs in nauim mittatur, mergit illã, vt pereat. & epiſt. 108. ad Seleucianam, hoc ipſum inculcat, de culpis venialibus ſcribens, quę collecta, inquit, contra nos ſi fuerint, ita nos grauabunt, & opprimens, ſicut vnum aliquod graue peccatű. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrùm vno grandi fluctu nauis operiatur, an paulatim ſubrẽpens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat nauem, atque ſubmergat? Ad iſtorum remedium ieiunia, & eleemoſynæ, & orationes, ſunt.

Neque verò hiſce verbis ſignificare voluit D. Auguſt. è multis leuibus peccatis vnum aliquod cőflari poſſe mortiferum. Aut verò eſſe eiuſmodi, quæ per ſe, & ſuapte natura, animi & ſalutis noſtræ deprimant nauigium; ſed in illis hanc vim ineſſe, vt paulatim & ſenſim obrepenti exitiali culpæ patefaciant aditum.

Ab his auctoribus ſic nobis licet argumentari. Qui diceret, iniurias factas Deo, contemnendas eſſe, impiè diceret, atque hæreticè: ſed, qui dicit, ſpernenda eſſe peccata leuia, hoc ipſum affirmat; cùm ideo peccata ſint, quia iniuriam inferunt Deo, quare, &c. Qui item diceret, ea, quæ viam muniunt ad diuinam gratiam amittendam, parui putanda eſſe, pietatem & Catholicam veritatem inſigniter violaret: ſed peccata venialia iſtam viam muniunt: ergo, qui non magni facienda illa dicit, pietatem & veritatem Catholicam grauiter lædit.

Ipſe D. Thom. in 1. 2. q. 88. art. 3. docet, 4. duobus modis veniale peccatum diſpoſitionem eſſe ad mortale. Primùm cùm confirmata, & corrobata eſt conſuetudo leues culpas committendi. Augmentata enim (verba ſunt S. Doctoris) diſpoſitione, vel habitu, per actus peccatorum venialium, in tantum poteſt libido peccandi creſcere, quòd ille, qui peccat, finem ſuum conſtituet in peccato veniali. Nam vnicuique habenti habitum, in quantum huiuſmodi, finis eſt operatio ſecundùm habitum, & ſic multoties peccando venialiter diſponetur ad peccatum mortale. Hæc ille.

Secundariò diſponit remouendo prohibẽs. Qui enim, inquit D. Thomas, peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem: & ex hoc, quòd conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubiicere, diſponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem ſuam non ſubiiciet ordini vltimi finis, eligendo id quod eſt peccatum mortale ex genere. Sic D. Thom.

Vtrumque modum huius diſpoſitionis ſua explanatione complexus Caietanus, hæc in commentario extulit. In veniali

» ex genere concurrũt duo (his verbis com-
» mentatur ille) puto in verbis iocoſis. Pri-
» mum eſt, affectio ad delectabile in verbis
» iocoſis: alterum eſt, declinatio affectus à
3. regula. Primum eſt, conuerſio ad com-
» mutabile bonum. Secundum eſt, quaſi
» auerſio. Ex primo peccatum veniale di-
» ſponit animum ad conſtituendum finem
» ſuum in tali bono. Ex ſecundo diſponit
» ad mortale ex genere; quia quaſi acceſſio
» diſponit ad auerſionem: quæ tollit ſubie-
» ctionem voluntatis ad Deum: quæ ſubie-
» ctio prohibet voluntatem ferri in obie-
» cta contraria caritatis obiecto. Sed ſuppo-
» namus ſecundæ rationi alias.

5. Sit tertia. Aduerſus peccata leuia decernit D. Auguſtinus ieiunia, eleemoſynas, orationes: ergo non paruo momẽto ponderanda ſunt. Quarta. Animi ægritudines, angores, cruciatus conſcientiæ, terrores, ictus tabifici, & quaſi carnificina, grauia per ſe ipſa mala ſunt. At hæc leuium peccatorum contemptum comitari ſolẽt. Quis ergo has culpas contemnat? aut leuis ponderis ducat? Quinta. Supplicium purgatorij ignis culpæ debetur veniali; cui pœnæ inter homines par reperiri non poteſt. Quis ergo ſanæ mentis homo paruo momento eam æſtimet? Sexta. Certa ratione ſancti ac Theologi perſuadent moriendum potiùs eſſe, cunctæque creatæ naturæ extinctionem ferendam eſſe, quàm leuiter peccandum. Quis igitur tantum malum culpæ non perhorreſcat? Septima. Clara Dei viſio eſt ſummum bonum: ergo id, quod nos ea reddit indignos, exiguum malum exiſtimari non poteſt: ſed nemo cũ culpa veniali Deum videre poteſt: exiguum igitur malum nec dici, nec cogitari poteſt, & qui id affirmaret, nec vera, nec Catholica eius affirmatio eſſet.

Imò recens quidam Theologus, qui commentarios elucubratus eſt in 1. p. D. Thomæ explanans, art. 6. q. 48. haud veritus eſt dicere, plus mali eſſe in peccato veniali, quàm in diuinæ viſionis priuatione. Cuius dicti ea ratio eſſe poſſet: quòd malum culpæ, quolibet malo pœnæ eſt maius. Viden' igitur in illo ſerm. quod exprompſit Diuus Bern: non rhetoricè ſed Theologicè exprompt um eſſe.

QVÆSTIO LIV.

COelia, virgo adoleſcens, æternæ ſa- 1.
lutis adipiſcendæ, pudicitiæque ac pudoris tuendi ſtudio ducta, in eo domicilio, quod corruptas tantùm mulieres recipit, ſibi perfugium quærit: cõfictóque mendacio illarum obtinet numerum. Nam dixit à viro nobili ſibi ereptam pudicitiam fuiſſe.

De me quæſitum eſt, cùm eo mendacio Virgo iſta non leuem ſuæ exiſtimationi, & famæ turpitudinis notam inuſſerit, reuocaréne ſe debet neceſſariò, atque ea ratione infamiæ maculam eluere.

Tum, cùm iſthæc conſulebantur, duo 2.
hæc mihi viſa ſunt. Alterum, Cœliæ mentienti non mortiferam fuiſſe contractam culpam. Alterum, non coniiciendam in neceſſitatem ſui retegendi mendacij, famæque perpurgandæ: neque ſic cenſendi, ea mihi ratio oblata eſt, quòd quilibet ſuæ famæ eſt Dominus: id enim quamuis nonnulli defendant, nos tamen in quadam noſtra Latina diſputatione de iure famæ conſeruando, in ſententiam contrariam deducti ſumus, tum ſacrorum canonum auctoritate, tum multorum grauium antiquorúmque Theologorum luculentis teſtimoniis, tum vi argumentorum, ſcriptorúmque, quibus Chriſtianæ fidei lumen non fulſit, perſpicuis vocibus ſententiiſque permoti.

Igitur quædam alia duo occurrebant, quæ Cœliæ cauſſæ mihi videbantur eſſe adiumento. Primum illud fuit. Quòd quemadmodum fortunis & pecuniis fama eſt potior; éſtque huius iactura pecuniarum damno anteponenda; ſic vita corporis, ac multo magis, vita animæ, æternáque ſalus, multo pluris quàm fama æſtimanda: nec vllius apud nos momenti

nomen,

Digitized by Google

nomen, & exiſtimatio debet eſſe, ſi aut diuinæ amicitiæ, aut innocentiæ vitæ, aut perpetuæ cæleſtiſque gloriæ adeptioni futura ſit impedimento. At Cœlia, de eo domicilio, in quo commoratur, exturbata, diuinum patrimoniũ Chriſti, quo illic fruitur, omne diſperderet ac diſſiparet.

3. Huius ſententiæ perſuadendæ cunctis bonus auctor eſſe poteſt Paludanus, qui in 4. ſent. diſt. 22. q. 2. concl. 3. officioſum mendacium confirmat eſſe illius, nec ad mortiferũ crimen pertinere, qui in quæſtione, ſeu tormentis mentiendo ſibi adimit famam, ne vita eripiatur. Quantùm igitur huius adoleſcentulæ mendacium leuius fuerit, infamiæ ſordes abſtergendi nulla ei impoſita neceſſitate: quæ non ad corporis vitam, ſed ad pudicitiam, ad diuinam gratiam, ad animi ſalutem conſeruandam, mendacium illud adhibuit?

Eôdem ſecunda ratio accedit, quòd Cœliæ amiſſæ famæ recuperandæ nulla eſt facultas relicta: eſt enim in earum mulierum cooptata cœtum, quarum non celebrari fama, ſed iactari ſolet infamia.

Neque ea re huiuſce virginis angi conſcientia debet, quòd domicilio, in quo verſatur, quæ conſumit, compenſare non poteſt. Conſumit enim, quod ſibi debetur: ſiquidem caritatis, iuſtitiæque leges præſcribunt, vt non minùs de vita animæ, quàm corporis, periclitantibus opitulemur: magiſque laboremus de innocentiũ ſalute retinenda, quàm de naufragio nocentis reficiendo: nam Chriſtus meliùs de probis quàm de improbis hominibus mereri ſolet. Mitto, domicilij moderatoribus hãc à Deo mentem iam à principio inditam fuiſſe, (nec enim ipſi ſecus eorum conditionem, diſciplináque rationẽ, quàm Chriſtianam, interpretari debemus,) vt ab aliqua eiuſmodi adoleſcentula, quæ dolo non flagitioſo in illud ſodalitium irrepſit, impenſæ & ſumptus nullo modo repetantur. Quas impenſas, & ſumptus & benigna Dei voluntas, & Chriſtiana pietas Cœliæ libenter dilargitur, atque condonat.

QVÆSTIO LV.

FAdius vxorem ſuam in adulterio deprehendit: eam apud Epiſcopum accuſat: criminis conuictam, & publico iudicio damnatã, ipſamque de flagitio confeſſam, ab ſe diiũgit: nec ea ceſſat in libidinum cœno volutari: certúmque eſt marito, vrbe, in qua viuit coniunx, excedere: habet ex ea infantem trium annorum puellam. Percontatur Fadius, poſſit ne filiam in ſinu matris dimittere alendam, atque educandam. 1.

Fadio reſpondi, nec per humana, nec per diuina iura id ei licere. Nam liberis parentes debent magis Chriſtianam educationem, & diſciplinam, quàm alimenta: cuius diſciplinæ atque educationis nullam partem ab impura matre hauriet aliquando puella. Matrem enim adſpiciet in procorum cœtu verſantem, nefariis eorum complexibus furentem, effuſas in omni intemperantia libidines intuebitur: nec ipſa puella à ſuo corpore impuriſſimorum hominum, ſpurciſſimorúmque lenonum manus poterit dimouere: denique nihil ſancti, nihil religioſi, nihil honeſti, nihil nõ turpe, non obſcœnum, non flagitioſum infelix nata, aut viſura aut auditura eſt. Priúſque ſit meretricula futura, quàm, quid vitium, quid virtus ſit, quid probri in vita meretricum inſit, diſcere ab quopiam potuerit. 2.

Tantáne ſtultitia, ac tanta impietate Fadius erit, vt ſibi non hominũ, qui conſilio reguntur, ſed equorum, ac taurorum conditionem imitandam eſſe ducat? à quibus animantibus generatam prolem mattum vberibus inhiantem continuò, deſeri videmus? quod cætera animalia cùm faciunt: ideo faciunt, quòd ea natura ad paſtum dumtaxat coitúmque abiecit.

At homines, in quibus mens, atque intelligentia viget, ideo conatu naturę procreant liberos: vt mentis, ſapientiſque rationis legibus obtemperent: vt diuinum 3.

numen colant ac venerentur:vt è virtu-
te vitam agant: vt denique Chriſtiana
religione imbuti,diuiníſque ſubſidiis mu
niti, vitam æternámque fœlicitatem aſ-
ſequãtur:illud etiam facit, cùm nos ipſos
natura, noſtrorum patrum potiùs quàm
matrum diſciplinæ commendet: quòd
matres, quia fœminæ ſunt,minùs mente
valeant:minúſque ratione quàm viri ex-
cellant. Filium membrum quoddam eſſe
patris, donec ætate ab eo non diuellitur,
ſcribit Ariſtot. in 1. ad Eudemum, cap.31.
& in 5.ad Nicomachum,cap.6.Sicut igi-
tur ſua membra,& partes corporis per ſe
curat vir:ita per ſe,non per vxorem, pro-
lem ſuam inſtituere & confirmare debet.
» Exigit ratio,inquit idem Ariſtot. in 1. de
» animalium ortu, cap.19. vt filij patribus
» ſimiles generẽtur. Ergo eadem ratio exi-
git,vt ad paternæ quoque rationis,rectæ-
que mentis,diſciplinam erudiantur: non
item vt ad maternæ turpitudinis ſimili-
tudinem traducantur.

Nec non illud eſt ab hoc ipſo magno
Philoſopho in 10.Ethic.cap.9.conſiderа-
tè ſapientérque præſcriptum, paternos
ſermones ac mores, pro legibus dome-
ſticis eſſe debere.Ergo Fadius, his legibus
infantem ſuam inſontem priuabit? in
priore verò œconomico, cap. 3. verbis
perſpicuis docet nutrire prolem eſſe ma-
tris, patris autem erudire.

4. Xenophon, 1.l.de prædia Cyri, illud
cum primis in huius prudentiſſimi regis
diſciplina legibúſque commendat ὅτι οὐ
παρὰ μητρὶ σιτοῦνται οἱ παῖδες, ἀλλὰ παρὰ
τῷ διδασκάλῳ, ὅταν οἱ ἄρχοντες σημήνωσι.
» Quòd, inquit, apud matrem non cibum
» capiunt pueri,ſed apud magiſtrum: cùm
» ij, qui præſunt,ſignificauerint.Etenim in
Theage, ſeu in dialogo de ſapientia, eru-
dita diſputatione concludit Plato, in li-
berorum educatione, quàm in procrea-
tione, multò plus eſſe negotij,non ſecus,
quàm in plantis:quarũ initio, primáque
vegetatio, paruo conſtat labore:accretio
verò & conſeruatio, multò maiore. Hæc
» mihi, inquit Theages, mei filij ſiue plan-
tatio,ſiue generatio appellãda ſit,omniũ »
facillima extitit:educatio autem difficilis, »
& plena timoris, ſemper maximum me- »
tum ipſius cauſſa ſubeunti,fuit. Ac in 7. »
dialogo de leg.ad hunc modum ſcribit. »
Quoniam verò nec pecudes, nec alia »
prorſus vlla ſine paſtore viuere debent, »
nec & pueri ſine pædagogis ſint,nec abſ- »
que dominis ſerui. eſt autem puer omni »
beſtia intractabilior. Hæc Plato.Nec mi- »
nùs inſtruenda puella, quàm puer. Quî
ergo conuenit,infantẽ paruulam,tamquã
indomitã equulam,matri,id eſt,effrænа-
tæ ac petulanti equæ,atque impudentiſ-
ſimæ lupæ, alendam condocendámque
tradere? quaſi verò inter Chriſtianum
partum,& lupinum fœtum,nihil interſit?
Pergit porrò Plato de prole puſilla dice-
re. Nam, cùm prudentiæ fontem nondũ »
perfectum habeat, inſidioſiſſimus eſt, »
acerrimúſque & petulãtiſſimus omnium »
beſtiarum: ideo multis quaſi frænis vin- »
ciendus eſt. Qua igitur ratione in vnius »
intemperantiſſimæ mulierculæ comple-
xu relinquenda puella erit, quæ pudici-
tiæ,quæ pudoris, quæ connubialis thori
iura ac frænos omnes abiecit?

Hic idem Philoſophorum princeps,in 5.
ſecundo de Republ.præcipit,vt pueri ho-
neſtis luſionibus aſſueſcant. At quanta
turpitudo & obſcœnitas, ſiue iocorum,
ſiue ludorum,erit quam iſta infantula in
ſuæ matris perſona aſſiduè conſpectura
eſt? In Protagora verò,iubet,filios debe-
re à prima ætate vſque ad extremam,op-
timis diſciplinis moribúſque imbutos
perduci: ac ſimulátque eorum, quæ à
nutrice dicuntur, notitiam accipere poſ-
ſunt, tunc omnem à patre, matre, pæda- »
gogo curam in eam partem deriuandam »
eſſe, vt in ſingulis (his verbis eſt vſus in »
eo dialogo) tum verbis, tum operibus »
optimus puer euadat, præcipuè verò do- »
ceatur,quid iuſtum,quid honeſtum,quid »
turpe,quid ſanctum,quídve prophanum »
ſit,quæ agenda,quæ non. Quibus ſi ob- »
temperat puer, præclarè ſecum agi putãt, »
qui ſic inſtituunt liberos: ſin renititur, »

tum

» tum veluti contortum obliquúmve li-
» gnum, minis plagióque dirigunt, inquit
» Plato. Huiuſmodi verò inſtitutio puellæ, quæ ab impudica matre proficiſcetur, futura ſit nécne, nemo non ſua ſponte videt.

6. Sed in primis ſalutaris eſt ea Platonis præceptio in 7.lib. de legibus, vt puellæ poſt ſextum annum ab hominum cœtu & conuictu ſegregentur. Atqui hæc miſera puella, in manibus brachiiſque matris amatorum verſabitur: neque ab ſe inſanas inhoneſtáſque illorũ blanditias propulſare poterit.

Quid verò Ariſtoteles de Fadio, & contra Fadium, iudicaturus eſſet, ex his eius præceptis ac legibus perſpici poteſt: nam in l. Politicor. c. 17. non ſinit prolem vſque ad ſeptimum annum foris ſiue extra domum ali & educi: eámque ab adſpectu & auditu rerum ſeruilium auertendã eſſe ait. Verùm iſta puella, ſi vitam aget cum matre, quid conſpectura, quid auditura eſt, niſi quæ non ſolùm ab ingenuis honeſtíſque tum viris tum mulieribus ſunt quàm remotiſſima, verùm etiam ſeruorum conditione ac diſciplina prorſus indigna? atque in eodem cap. mandat Ariſtoteles: ſeueréque edicit, vt nõ ſolùm ij quorum eſt prima ætas tenera ac molle ingenium, nihil turpe obſcœnúmve loquantur, vel videant, ſed etiam, vt turpiũ obſcœnarúmve rerũ nullam ſeu picturam, ſeu geſtum intueantur. Hæc autem puella non in tabulis tantùm pictis, ſed multò maximè in ſuæ matris, eiúſque amatorum oculis, ore, manibus, totóque corpore ſpectabit, quæ illiberalia ſunt, ſordida, petulantia, turpia, flagitioſa, obſcœna. Denique, Fadius ſi nec rationibus, nec grauitate duorum principum Philoſophorum commouetur, Diui Pauli patribus præcipientis auctoritate frangatur. His enim verbis ſancit ille, in epiſt. ad Epheſios, cap. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* Ac cùm Deus in diuinis Scripturis, liberos fidei ac diſciplinæ patris ferè committat, Fadius filiam ſuam, nullo ſuo conſilio arbitrióve vtentem in ſceleratæ impudentíſque vxoris fide ac religione, quæ nulla apud eam eſt, deponere audebit?

Quid igitur facturus, quid conſilij capturus eſt puellæ pater Fadius? Si quidquam mea apud Fadium ſuaſio, valitura eſt, Filiolam à materno domicilio longè ſeponet: eámque aut honeſtæ & caſtæ matronæ tutelæ concredet: aut in aliquo puellarum, ſi fortè inueniri poſſit, religioſo ſodalitio conſtituet: aut denique in aliquo Chriſtiano Xenodochio, quod optimos habeat moderatores, alendam ſuis ſumptibus, ac religioſè ſanctéque educandam, collocabit.

QVÆSTIO LVI.

HOc de genere controuerſiæ non ſemel eſt mea exquiſita ſententia: 1.
Vtrùm patresfamilias, qui ſuis domeſticis, & tabernarij, ac caupones, qui ad ſe diuertentibus hoſpitibus, ſine vllo delectu & diſcrimine perſonarum, ieiuniorũ, quæ ab Eccleſia præcipiatur, temporibus, prandia, cœnas, cibóſque præbent, quibus violant comedentes ieiunium, peccatum peccent æterno ſupplicio dignum.

De quæſtione quid ipſe habuerim, atque etiam nunc iudicij habeam, in extremo diſputationis teſtatum faciam.

De re tota Gabriel perquam ſubtiliter & accuratè, in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. art. 3. dub. 6. præſcripſit: atque in vtramque partem diſſeruit. Támque huic erudito magiſtro ardua viſa eſt difficultas, vt ſuo diffiſus iudicio, eam ad multorum Doctorum, qui ſua memoria doctrinæ nomine clari erãt, ſapientiam reiecerit: quorum item ſententias ſua ipſorum manu teſtatas, ad calcem diſputationis attexuit: cauſſam verò cur id ſibi faciendum duxerit, his verbis præfatus eſt, in littera X. Quia particula- »
rem, inquit, huius dubij determinationẽ »
non inueni: magis eligerem ſilentij digi- »
tum

» tum ori meo apponere, quàm aliquid ſcri
» bere: ſed quia caſus dubij in foribus eſt, &
» eius deciſio multis neceſſaria, vt dem oc-
» caſionem Doctoribus errãtes in via mo-
» rum informandi, quod ſentio, ſine teme-
» ritate & pertinacia profero, paratus ex ani
» mo ſuſcipere ſaniorem informationem.
» Dubium igitur iſtud ſeu quæſtiunculã
» iſtam, omnibus & ſingulis meliùs ſentiẽ-
» bus, & præſertim infrà notatis dominis
» doctoribus, tradidi examinandam, humi-
» liter ſupplicando, quatenus id, quod ſen-
» tiunt, de præſentis dubitationis materia
» annotare non pigeat. Hæc eſt Gabrielis
præfatio.

2. Verùm qui cauponibus patribúſque familiâs adeſſe vellet, hac vti defenſione poſſet. Primùm, quia, vt Gabriel argumentatur, mos valuit in curiis, domibus priuatis, diuerſoriis, repudiato diſcrimine perſonarum cibaria diebus ieiunij ſuppeditandi: à quibus ieiunãtes ſeſe abſtinent. Deinde: criminis condemnari iuſtè nemo poteſt, cùm ea agit, quę benè & malè fieri poſſunt. At non ieiunare, cùm non ſit per ſe malum: rectè, & ſine culpa fieri poteſt: non igitur tempore ieiunij petenti cibus denegandus eſt. Atque huc illud Apoſtoli ad Rom. cap. 14. pertinere videtur: *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Poſtea debetur à patrefamilias & domino, ſeruo merces. At cibum eſſe pro mercede ſeruo ſcribit Ariſtoteles, in priore Oeconomico cap. 5. Ad extremum vitare homo Chriſtianus debet ſcandalum: ſi quidem ad illud cauendum, quum domi propter ieiunium naſcitur, viro cum vxore rixante, poteſt cum vxore ex communi ſenſu Doctorum à Prælatis diſpenſari, vt ne ieiunet. Cur ergo non poſſint domorum & cauponarum præpoſiti ſubminiſtrare poſcentibus cibos diebus ieiunij ad iurgia grauéſque offenſiones ſubmouẽdas? Hæc igitur ſunt in tabernariorum patrúmque familiâs parte.

Sed tamen Gabriel Biel in illa ſua pereruditа, & collecta quæſtione concluſionem veram & tutam hanc eſſe demonſtrat. Vt, qui vel certò, vel probabiliter cognoſcit, alterũ lege teneri ieiunij, exempli cauſſa, quia ætatem præ ſe gerit legitimam, corpus robuſtum, integras vires: & quia nec eſt inedia, nec labore fractus, mortiferè delinquat præbẽdo cibo, poſtquam eo ſe ſemel refecit, niſi fortè qui petit, cauſſam ſi qua lateat, aperiat. 3.

Argumenta præcipua ad hanc propoſitionem confirmandam à Gabriele electa, hæc ſunt. Primùm, lege caritatis de- »
bet vnuſquiſque Dei offenſam, tum ab ſe »
tum ab altero remouere, quoad eius fieri »
poteſt. Eiuſdem enim eſt virtutis, inquit »
Gabriel, operari ſecundùm eam, & caue- »
re contraria: & ita caritatis eſt, velle bonũ »
dilecto, & remouere malum, ſeu cauere »
offenſam: & multò magis eius eſt, non »
præbere ea, quibus Deus offenditur: ſed »
tranſgreſſione præcepti Dei, & Eccleſiæ, »
Deus offenditur: tenetur igitur quilibet »
fidelis non præbere ea quibus præceptũ »
ſoluitur. Sic Gabriel. »

Deinde, eadem lege caritatis iubente, contagione culpæ, qua ſalus extinguitur animæ, magis proximum noſtrum liberare debemus, quàm ea lue, quæ perimit corpus. Namque, vt eſt apud Eccleſiaſticum, cap. 17. *Deus mandauit vnicuique de proximo ſuo*: ab hoc præſcripto Dei, & caritatis, prorſus diſcedunt, qui cibaria miniſtrant ieiunij Eccleſiaſtici legem violaturis. Deinde, quiſque è diuina præſcriptione debet errãtem fratrem corrigere, quantò magis debet, errandi peccandíque ſegetem, & materiam eidem non præbere? præbent autem, qui tempore ieiunij cibos apponunt iis qui appoſitis ſine ſcelere vti non poſſunt.

Debet, inquit Diuus Auguſtinus ad
Macedonium, Homo diligere proximum »
ſuum, ſicut ſeipſum: vt quem potuerit ho- »
minem beneficentia, conſolatione vel »
informatione doctrinæ, vel diſciplinæ »
correctione, adducat ad colendũ Deum. »

Colitur

Digitized by Google

Colitur autem Deus obſeruatione præceptorum.

4\. Poſtea patrisfamilias id munus maximè neceſſarium eſt, in eo ratio familiæ eſſe debet, in eo paterni & herilis officij religio cum primis verſari, vt ab nullo ſui domeſtici ſodalitij Chriſtiana diſciplina deſeratur; à nemine Dei, naturæ & Eccleſiæ leges perfringantur. *Si quis*, inquit D. Paulus, in priore ad Timot. cap. 5. *ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior:* at qua cura reguntur domeſtici, cùm peſſimis exemplis à patribus familias imbuuntur, & prauis occaſionibus impelluntur ad flagitium? Ac D. Ambroſius, in ea verba Apoſtoli, ad Epheſios, cap. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini*, ad hunc modum ſcribit: *Parentibus quoque alia lex ab Apoſtolo datur: vt ſic imbuant filios, ne mandata legis contemnãt: quia ſi in timore Domini fuerint enutriti, poterunt obſeruare quæ præcepta ſunt.*

Huc magnopere faciunt, quæ canon præſcribit Auguſtini, 23. q. 4. Duo.

5\. Poſtremam probationem ſumit Gabriel à loco neceſſario non inferendi offendiculum alteri: verſatque hunc locum acriter conglobatis ſententiis ac teſtimoniis diuinarum Scripturarũ ac Theologorum. Etenim cùm Chriſtus, particula illa *væ*, minas tum mundo tum iis qui puſillos ſcandalizãt, intentarit, Matth. cap. 18. dixeritque: *Si quis ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*: & cùm *væ*, imprecationis nota, æterna minitetur apud inferos cruciamenta, id quod multis ante Gabrielem ſeculis D. Chryſoſtomus obſeruauit, in lib. de virginit. conſequens eſt, mortiferæ culpæ reum eſſe qui ſcandalum in re præſertim magni ponderis creat alteri.

Quòd ſi rem optimam, ſed nobis planè voluntariam, nec vlla lege imperatam omittere debemus, ne conſcientiis infirmis ac rudibus ſcãdalum creemus: atque eam tantiſper omittere, dum frater admoneatur, neceſſarij exiſtimatur officij: ita vt ſecus agere ſit noxa mortifera, id quod confirmat Gabriel auctoritate Richardi in 4. ſent. diſt. 38. artic. vlt. quæſt. 2. quanto magis eas actiones vitari oportet, quas qui ſuſcipit, neceſſe eſt, vt cum altero flagitium concipiat, præſertim cùm illi eſcam obiicit delinquendi?

6\. In contrariis autem argumentis haud multum eſt firmitudinis. Conſuetudini enim reſpondemus: aut eam non vigere apud probos viros, & Chriſtiani officij colentes: aut illam ipſam non conſuetudinem, ſed fœdam corruptelam appellandam eſſe: neque enim cõſuetudo contra leges Eccleſiæ non abrogatas, & quæ peccati eſt fomes, & procreatrix, nomen meretur conſuetudinis. Vide cap. ex parte, & cap. cùm tanto, de conſuetud. Et ſicut in via cognoſcendi, verba ſunt Gabrielis, non eſt ſequenda multitudo popularium indoctorum, ſecundùm Ariſtotelem, ſed ſententia multorum ſapientum, & expertorum: ita in via morum non eſt ſequẽda turba ad faciendum malum: 2. nec in iudicio plurimorum, nec iudicio populi acquieſcendum eſt, vt deuietur à vero. Exod. 23.

Secundum argumentum diſſoluit Gabriel, eos, qui contra præceptum agunt, cùm certitudine morali conſtat de eorum opere prauo iudicari & condemnari poſſe, quamuis id certitudine euidentiæ facere nequeamus, neque factum illud, quod per ſe malum non eſt, retinet naturam mediam, quum lex ei humana reſiſtit.

Tertium facilè reprehenditur: quamuis enim paterfamilias, & dominus ſeruis cibum diuidere debeat, & tamquam mercedem ſoluere, id tamen ex præſcriptione iuris facere debet, vt non diuidat cum iniuria Dei & Eccleſiæ & ſalutis ſeruorum, & ſuorum vernaculorum.

Ad poſtremum reſpondet conuerſione argumenti Gabriel: nam ſcandalum

iniicitur fratri ſubminiſtratione cibi, qui non debetur. Quòd ſi ea re alter,cui nõ offertur cibus, offenditur,ipſe ſibi gignit ſcandalum, & ſua improbitate malitiáque offenditur:neque ab alio læditur.

Præter illos doctores quorum nomina percenſet Gabriel,eius ſententiam hi quoque,quos ipſe vidi, ſubſcripſerunt: Ioannes Medina in C.de ieiunio,qu.11.col.2. Toletus in 6.lib.de inſtruct.ſacerd.cap.5. Nauarrus,in Summa,cap.21.num.26. Caietanus,in 2.2.q.147.art.4. A qua ſententia ego numquam diſſenſi: diſſentio tamen cum Toleto à Nauarro & Caietano, qui putant poſſe inuitari ad prandium eum, qui inuitanti obſequetur, & ieiunium infringet.Id enim ex iis,quæ diſputata ſunt, fieri non poſſe non obſcurè conficitur.

QVÆSTIO LVII.

1. E Foro Cornelij, eius loci indigena, Bononiam rei ſuæ cauſſâ commeat, eo die,quo die ciuibus ſuis indictum erat ieiunium: ſed Bononienſis Eccleſia, nullum eiuſmodi agnoſcebat ieiunium: tutóque carnibus veſcebatur.

Doceri cupiebat; num commutatione loci, ieiunij patrij immunitatem eſſet aſſecutus.

Percunctatus ex eo ſum quãtùm temporis Bononiæ poſiturus eſt,Triũ,inquit, quattuórve dierum. Tunc ego;non ieiunare,magno tibi poſſet eſſe malo:ieiunare, omni te periculo liberabit.

Haud me fugit, Maiorem,nullam huic aduenæ ieiunij ciuitatis ſuæ neceſſitatem impoſiturum fuiſſe:is enim in 4.ſent.diſt. 15.q.3.col.14.in antiquioribus codd. ſcribit,eum qui non vtens fraude ac dolo,eò ſe confert, aut illac tranſit, vbi non ieiunant incolæ, natiui loci ieiuniis non teneri: atque huc ſpectare quod reſpondit » D.Ambroſius D.Auguſtino, Romæ cùm » eſſet,Sabbato ſolitum eſſe ieiunare;ſi ecius » facere, Mediolanum cùm veniebat. Sic » etiam tu (verba ſunt Ambroſij) ad quam » fortè Eccleſiã veneris,eius morem ſerua. Quæ verba recitantur ab Auguſtino, in epiſt.118.ad Ianuarium, extántque in illa, diſt.12. Verùm Paludanus, Ambroſiani reſponſi vim eam eſſe oſtendit; vt cùm quis aliquò migrat illic commoraturus, tunc demum faciat, quod diuus admonet Ambroſius.

Itaque ea,quæ huic Ioãnis Maioris opponitur opinio,verior videri debet.Talis 2.
enim viſa eſt Paludano, in 4.ſent.diſt.15. q.4. art.3. concl.2. & diuo Antonino, in 2.par.tit.6. cap.2.§.2. in extremo, & Roſellæ,in verbo,Ieiunium,nu.16. huic opinioni comitem adiungenti Gloſſam, in cap. quæ contra, diſt.8. Verba Gloſſæ, in c.illud,in verbo, Aut peregrini:hæc ſunt. Numquid ergo peregrini & ſcholares te- » nentur ſequi conſuetudinem illorum,in- » ter quos commorantur? Argumentum » videtur hîc,quòd ſic,1.& 12.diſ.illa,& 41. diſt.c.1.Argumentor contrà.Quia Viatores non ſortiuntur forum illius loci, per quem tranſeunt,vt ff.de iudiciis,heres,§. 2.& eſt argumentum quòd ſoli perpetuò habitantes obligantur legi ciuitatis,vt ff. de pignoribus,l.debitor,& talis Syluestro viſa, in verbo, Ieiunium, num.7. Cauere tamen ſedulò debent aduenæ,ne comedendo, ac cibi genere, loci quò deuenerunt, indigenas offendant.

Panormitanus in caput,Conſilium,de obſeruatione ieiun. ſui commentarij extremo numero, non ambiguis verbis fauet ſententiæ Ioannis Maioris. Sic enim Panormitanus. Nota tamen ex hoc,& ex » tex.quòd peregrini debent in ieiuniis,& » abſtinentia cibariorũ ſe conformare con » ſuetudini loci: & ad hoc poſſunt com- » pelli per Epiſcopum, vt hîc; ne ſit alicui » ſcandalum. Pro hoc bonus textus in cap. » illa 12.diſt.vbi dicitur,quòd ad quamcunque Eccleſiam acceſſeris,eius morem ſer- » ua:ſi non vis eſſe cuiquam ſcandalo, nec » quemquam tibi. Ideo peccant Catalani, » qui comedunt in iſtis partibus carnes in » die Sabbati:licèt in eorum partibus vtan- »

tur:

» tur:& facit quod notat Gloſ. ſequens.

Verùm nec Innocentius III. in illa Decretali, conſilium, nec Gloſſa, loquuntur de aduenis: quòd ſi loquerentur de iis, eos dumtaxat aduenas perſtringerent, quorum libertas & eſca aliorum ſauciat conſcientiam. Vnuſquiſque enim audire, & imitari debet Apoſtolum ſic de ſe pro-
» fitentem, in priore ep. ad Cor. c. 8. Si eſca
» ſcandalizat fratrem meũ, non mãducabo
» carnem in æternum, ne fratrem meum
» ſcandalizem: & quoniã accidere vix poteſt, vt apud noſtrates Catalani ſine magna cæterorum offenſione diebus ſabbatorum veſcantur carnibus, earum vſu eſſent omnino prohibendi. Vide quæ cõtra Catalanos ex Directorio ſcribit Sylueſter, in verbo, Ieiunium, in extremo: conſentanea enim dicit Panormitano.

Quòd ſi canon, illa, diſt. 12. qui eſt Auguſtini, ad peregrinos etiam & aduenas porrigendus foret: dici commodè poſſet, monitũ illius canonis, cùm nulla eſt probabilis ſuſpicio ſcandali, eſſe conſilij: cùm verò ſcandalum aliis probabile impenderet, eſſe neceſſitatis.

Scitari nunc quiſpiã poſſet, quàm diuturna eius, qui in alienam terrã peruenit, debeat eſſe cõmoratio, vt ieiuniis iiſdem teneatur, quibus Eccleſiæ ſuæ, & propriæ ſtatutis, ſeu conſuetudinibus, terræ vernaculi domeſticique cultores obligantur.

Quæſtionem hanc quoniam alij diſceptatores non attingunt: mihi quoque decretum eſt intactam relinquere.

QVÆSTIO LVIII.

1. QVia feſtos dies Eccleſiæ præcepto inſtitutos ſeruorum operę faciundo violare, haud in leuibus peccatis numeratur: ideo multorum conſultorum votis ac poſtulatis ſatisfacere coacti ſumus, pauciſque docere, quænam ea opera ſint, quæ ſeruilia nuncupantur, atque Eccleſiæ lege diebus feſtis prohibentur. Scire igitur oportet ea opera dici ſeruilia, à quibus ceſſare Chriſtiani iubentur, quæ ſeruorum ſunt propria; & quibus ſuis dominis ſeruitutem ſeruiunt: quæ verò ingenuis iuxta atque ſeruis cõmunia ſunt, ſeruilia non exiſtimantur. Ita docuit D. Thomas in 2.2. q. 122. artic. 4. ſic enim in
reſponſione ad tertium opera corporalia »
ad ſpiritualem DEI cultum non perti- »
nentia in tantùm ſeruilia dicuntur, in »
quantùm propriè pertinent ad ſeruos; in »
quantùm verò communia ſunt ſeruis & »
liberis, ſeruilia non dicuntur. Quilibet »
autem tam ſeruus quàm liber, tenetur in neceſſariis prouidere non tantùm ſibi, ſed etiam proximo: præcipuè quidem in iis, quæ ad ſalutem corporis pertinent. Alexan. Halenſis idem planiùs dixit in 3. par. q. 32. memb. 5. artic. 2. in quo diſſerit à quibus operibus ceſſandum ſit die Dominico. Opus ſeruile, inquit, determinatur ab Eccleſia mechanica opera, agricultura & ſæcularia negotia, vt mercatum, placitũ. Opera item ſeruilia in lege fuiſſe metere, arare, coquere cibos, & huiuſmodi ſæpius repetit in eadem qu. membr. 4. art. 1. Caietanus, quo nemo eſt in hoc argumento ſubtiliùs copioſiúſve verſatus, ea oſtendit opera ſeruilia Eccleſiaſtica lege interdicta, quæ corpore exercentur, & ſunt ſeruorum propria, & nequaquam liberalia, vt ruſtica, vt mechanica, vt cuiuis perſpicuum eſſe poteſt, ea, quę ab ipſo doctè diſputantur in Summa, in verbo, In feſto illicita, §. quod vt clariùs perſpicias, & in 2.2. q. 122. art. 4. quam opinionem ſubſcribit Nauarrus, in Summa, cap. 13. num. 5. & in caput ieiunia, de conſecr. diſtinct. 3.

In commentario illius 4. art. diſtinguit 2.
Caietanus duplex opus ſpirituale, vnum, quod eſt à Spiritu ſancto, & quo placemus DEO, & illi ſeruimus, vt eſt, orare, prædicare, docere ſacram Scripturam, & huiuſmodi, quæ non ſolùm diebus feſtis licent, ſed ſunt quaſi præcepta, vt inquit Caietanus in explicatione ſecundi caſus. Alterum, ſpirituale eſt, quia eſt à principio naturali animi noſtri, hoc eſt, à mente

& intelligentia,& cuius finis eſt item ſpiritualis,id eſt,interior aliqua animi noſtri functio;vt conſultare, cuius finis eſt electio; vt docere,cuius finis eſt gignere in alio diſciplinam: & hæc item licita ſunt diebus feſtis,in explicatione eiuſdem caſus in reſponſ.ad 1.dubium.

Corporalia autem opera idem auctor euoluens,tertium caſum partitur in tria: prima, ait ſeruis conuenire, vt mechanica: ſecunda, ingenuis ac liberis,vt opera artium liberalium: poſtrema,communia eſſe liberis ac ſeruis,vt ſcribere,iter facere. Prima tantùm feſtis diebus vetita eſſe contendit, ſeruilia etiam concedi multis temporibus,verbi cauſſâ ad tuendã conſeruandámque tum noſtri corporis, tum alterius ſalutem; ad vitandum graue damnum imminens,ſeu noſtris ſeu proximi noſtri rebus:ex conſuetudine item populi Chriſtiani à Prælatis cognita,nec tamen damnata: ex Eccleſiæ indulgentia ac benignitate, vt quorumdam piſcium captionem.

3. Scribere ait Caietanus non eſſe opus ſeruile, quia eſt locutio quædam permanens,ingenuis etiam communis hominibus:tranſcribere autem in ſeruilibus ponit:quod ſimpliciter enunciatum verum non eſt. Si enim tranſcriptio ſeu exſcriptio,ſpecies ſcriptionis ſit,ſcriptio autem conueniat homini libero, cur exſcriptio non conueniat? nec enim genus eſt liberum,& ſpecies ſeruilis. Ad hæc, quis exiſtimet opus facere ſeruile eum, qui aut ſuarum epiſtolarũ exemplum deſcribit, quoniam arcanæ ſunt? vel ſuarum orationum aut concionum, aut etiam alienarum,quoniam ſua manu delectatur, & alienam reſpuit, tamquam mendoſam, aut parum concinnas litterarum notas exarantem? Ergo quod Caietanus & alij de tranſcriptione tradunt,de eorum hominum genere intelligendum eſt, quos aut poteſtas publica,aut eorum voluntas ad hoc genus occupationis applicauit,vt communi ſeruiant, non ſecus quàm cæterarum artium opifices, quas mechanicas nominamus. Cùm igitur tranſcriptio duplex ſit, vna mechanica, altera ingenua; illa dumtaxat eſt Eccleſiæ lege interdicta.

Proponit idẽ Caietanus quæſtionem in illo commentario neceſſariam, & viro Theologo dignam. Num opera,quæ feſtis diebus ceteróqui licita ſunt, reddantur illicita, quia propter lucrum mercedémve ſuſcipiuntur. Richardus,in 3.ſent. diſtin. 37. art. 2. quæſt. 4. hoc principium conſtituit. Illa opera, quæ tamquam finem proprium & proximum reſpiciunt temporale bonum corporis ipſius operantis,ſeruilia ſunt, etiamſi naturaliter eſſent ſpiritualia: totidem ſunt eius verba: traditque triplex genus operum. 4.

Primum eorum, quæ corporea ſunt, & quorũ finis proximus eſt commodum corporis,quæ vocãtur ab eo materialiter & formaliter ſeruilia, ab his vult eſſe diebus feſtis ceſſandum. Secundum genus, eſt eorum, quæ formaliter ſunt libera, & materialiter ſeruilia, vt portare materiam ad templi ædificationem: ea, quæ pertinent ad diſciplinam militarem, & hæc negat eſſe prohibita. Tertium, eorum, quæ materialiter libera ſunt, vt cùm aduocatus cogitat,& ſtudet iis quæ craſtina die proponere vult: & Ruſticus, de aratione terræ:neque hoc tertium genus putat eſſe interdictum. Primum ergo genus dumtaxat credit eſſe prohibitum.

Hoc Richardi dogma multi Summarum ſcriptores arripuerunt, vt D. Antoninus, in 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 5. quamquam non apertè, vt alij nonnulli. Vult enim D. Anton. ſcribere pro pretio eſſe opus ſeruile prohibitum; vt, inquit, de quaterno in quaternum,vel inſtrumenta, cùm tamen poſſit ſine periculo differri. In quo non videtur à Caietani doctrina diſcrepare. Multò verò apertiùs Richardo fauet Syluester, in verbo, Dominica, quæſt. 4. & 5. concl. 5. & Tabiena, in verbo, Feriæ. §. 17. Ang. in verbo, Feriæ. §. 9.

Sed nimirũ multò mihi rectiùs ſenſiſſe videtur Caietanus,qui opus corporeũ, 5.

quod

quod per ſe prohibitum non eſt, exiſtimauit licitum eſſe, quamuis euadat mercenarium; quam ſententiam complexus eſt Nauarrus, in iis quæ indicauimus locis, & Armilla, in Summa, verbo, Feſtum. §.13. ſed nimirum quibus argumentis Caietanus, in 2. 2. quæſt.122. art.2. §. Vnum dubium non diſſimulandum: ſententiam ſuam concludat, videamus.

Primum argumẽtum. Spes lucri, opus, quod ſeruile non eſt, in ſeruile non conuertit: quia negotiatio, quam ſpes lucri inuenit, alit, & auget, ſeruile munus non " eſt: Cùm negotiari liberorũ ſit, inquit Ca" ietanus, qui ſoli ſunt Domini pecuniarũ, " & rerum, & non ſeruorum, qui nihil ha" bent. Quòd ſi negotiatio diebus feſtis eſt interdicta, non quia ſeruile opus ſit, eſt interdicta, ſed aliam ob cauſſam. Ex quo ſequitur ſtudere propter lucrum, non eſſe opus ſeruile formaliter.

Secundum argumentum. Mercis opus non ſeruile, ſeruile non efficit. Primùm, Quia inueniũtur opera ſeruilia ſine mercede, vt ſunt eorum, qui ſibi conſuunt calceos, coquunt panes, cædunt ligna, domos ædificant. ex quo conficitur aliud eſſe opus ſeruile, aliud mercenarium. Deinde, quia ſeruiliter operari diſtinguitur ab operari mercenariè, vt loquitur Caietanus. Nam operari, inquit, ſeruiliter, non eſt operari propter ſe; quia ſeruus quidquid operatur, Domino operatur: operari autẽ mercenariè, eſt operari propter ſe: Nam mercenarius operatur principaliter propter mercedem ſibi aut neceſſariam, aut vtilem. Ita concludit Caietanus, inter opus ſeruile & mercenarium, eſſe permagnum diſſidium; cùm ſeruili operi, nulla; mercenario verò, certa merces perſoluatur. Poſtremò, quia, quamuis opus mercede conductum ſeruiat alteri, qui non eſt operis auctor, non propterea exiſtimari debet ſeruile; cùm etiam opus gratuitum ſeruire alteri poſſit: ſed mercedis vinculum, quo operanti obſtrictus eſt is, qui opus remunerare debet, declarat opus ipſum nequaquam ſeruile eſſe.

Poſtremò id ipſum inductione confirmatur: nam muſicis pulſandis organis, aliiſque muſicis inſtrumentis operã ſuam locant muſici feſtis diebus; & liberalium artium magiſtri diebus feſtis mercede conducti publicas ſcholas in gymnaſiis explicant, & medici artem ſuam exercẽt, & nautæ, & coqui ſuam: & aduocati, Romæ; ac procuratores à clientibus docentur cauſſas, quibus patrocinari debent. Hinc colligit Caietanus, omnia opera, quæ quoquomodo, feſtis diebus conceſſa ſunt, pacta mercede fieri poſſe.

Admonet autem, in iis operibus quæ licitè fiunt feſtis diebus, duplicem ſpectari finem poſſe, vnum operis, alterum operantis. Docet doctor, pulſat fides ſeu organa muſicus: finis operis eſt illuminare intelligentiam, in doctore; in muſico, aures permulcere: finis autem operantis eſt merces, qua homines ſuæ volunt ſubuenire indigentiæ; quo fine opus conceſſum minimè deformatur, nec inficitur. Cur ergo, inquit Caietanus, peccatum " hîc timetur, vbi nulla culpæ ratio inueni- " tur? quandoquidem non ideo aut ſunt, " aut fiunt opera ſeruilia, quia lucrum, & emolumentum aucupantur, ſed ſeruilia, inquit ipſe, dicuntur, ex ſuo genere, vt ſunt opera mechanica, ad quæ ſeruos deputatos habemus, vt auctor docuit, hoc eſt D.Thom. Ego opinioni Caietani, eùm firmioribus ſit rationibus ſubnixa, libens accedo. 6.

Illud autem Sylueſtri non probo: vt domicellæ (quo verbo is vtitur) iis operibus occupari queant feſtis diebus, quæ acu & filo elaborãtur. Illud autem, quod item à reliquis omnibus affirmatur, probo: Mortiferam culpam non ſuſcipi ab eo, qui breui tempore, in opere prohibito occupatur; breue autem tempus, Victoria, in ſuo quodam libello Hiſpanico, de ratione confitendi ſtatuit, quod non ſit vltrà ſemihoram: idque mihi ſemper placuit.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS,

DE CRIMINOSA IGNORANTIA.

QVÆSTIO I.

NEMPE iactari quæſtio hæc ſolet ſimiliter ab indoctis, vt à doctis.

1. Excuſationis ne venia danda ſit iis qui ignorant ea, ſine quibus nemo ſalutem æternam aſſequi poteſt; an DEI inimicitia, & æterno cruciatu digni, ſiue ij Turcæ ſint, ſiue Iudæi, ſiue Indi.

Huius grauiſſimæ quæſtionis eſt explicator egregius Guglielmus Pariſienſis, in tractatu ſuo de legibus, cap. 21. ſeptémque argumentis concludit, nullum, ſine ſcelere, ſenſu ſcientiáque orbari earum rerum, in quibus ſua ſalus eſt ſita.

Prima argumentatio duplicem ſimilitudinem habet: prior eius eſt: Qui clauſis oculis viam ingreditur periculis & præcipitiis refertam; & in grauem quampiam calamitatem incidit; cuius quidem mali ſolus ipſe ſibi auctor, eſt iure ab omnibus „ reprehendendus. Et hæc omnium eſt ani„ marum conceptio, inquit Guglielmus. Et quemadmodum, qui tortuoſæ errátiſque viæ ignarus, voluntarium ducem reſpueret, erroris culpam ſibi tantùm aſſignare deberet: ſic qui in via morum, & humanæ ſalutis, tot difficultatibus, & periculis, tot præcipitiis circumuallata; aut omni cura & cogitatione ſalutis ſuæ abiecta, aut, eorum, qui ſibi ſaluti eſſe poſſunt, conſilio ſpreto, cæci & præcipites feruntur, ſanè illis nullus ignoſcendum arbitraretur. quæ poſterior eſt ſimilitudo.

Ex his ergo manifeſtum eſt, ſubiicit Guglielmus, quia negligētia iſta quærendi ſcilicet viam veritatis, & ſalutis, negligentia eſt culpabilis, & damnatione digniſſima.

Secunda ratio. Mens & ratio eſt à DEO conceſſa hominibus, ad ſalutares & neceſſarias notitias inquirendas & capeſſendas; ſi ſecus ab hominibus fiat, ſunt accepti muneris deſpicientes, grauique iniuria DEI beneficentiam afficiunt. 2.

Tertia. Si virtutum bonarúmque rerum ignaris, & malarum adminiſtris, venia iuſta tribuenda eſſet, nullum vitium, malúmve, nullúmque bonum, ſeu virtus, natura conſtaret, ſed opinione dumtaxat hominum, quod inſani eſt hominis vel leuiter ſuſpicari.

Quarta.

Quarta. Illud item conſequens eſſet, Deum ſimiliter vitio pollutiſque ceremoniis, ac virtute & incorrupta religione coli poſſe: idémque præmium & honorem flagitiis honeſtiſque actionibus deberi: quæ cogitare hominis eſt amentiſſimi. Et ne ſingula Guglielmi conſectemur, hæc addimus ipſi, ſitque probatio.

Quinta. Quilibet è ſua, quã tuetur, & in qua viuit ſecta, æternam felicitatem conſequi poſſet, quod Mahometanum eſt dogma, ſtultitiæ atque impietatis pleniſſimum.

Sexta ratio. Media ad adipiſcendam ſalutem non à DEI voluntate, ſed ab humano arbitrio penderent; neque iuſtæ impietatis pernicioſæque inſcitiæ pœnæ eſſent iis à DEO perſolutæ, qui Arij, Neſtorij, cæterorúmque Hæreſiarcharum ſunt errorem ſecuti.

Septima & poſtrema, ne in re perſpicua longiores ſimus: DEVS humani generis ſator, atque humanæ ſalutis Architectus, hominibus certas vias, quæ ducerent ad beatitudinem, oſtendit: propterea quòd *ſaluator eſt omnium hominum.* 1. Timot. c. 4. *& vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* in eadem epiſt. cap. 2. igitur eius leges, ac neceſſaria ad ſalutem iuſſa, à cunctis ſeruari oportet: at ſeruari nequeunt, niſi ſciantur: ergo ab omnibus cognoſci, & teneri poſſunt: quare horum inſcitia in ſola hominum negligentia & ſocordia conſiſtit. Relinquitur igitur, ſingulos, qui, aut fidei Catholicæ, aut decalogi ignari ſunt, ignorationis ſuæ pœnas perpetuas daturos.

3. Video hanc ſententiam ſubſcribi, à D. Auguſt. à D. Greg. Nyſſeno, à D. Thoma, aliiſque Theologis. D. Auguſt. in libro de gratia, & libero arbitrio, ad Valentinum,
» cap. 3. his verbis ſententiam tulit. Sed &
» illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui
» ſcire nolunt, ſed eorum, qui tamquam
» ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excu-
» ſat, vt ſempiterno igne non ardeat: ſi, pro-
» pterea non credidit, quia non audiuit
» omnino, quod crederet: ſed fortaſſe vt
mitiùs ardeat: non enim ſine cauſſa di- »
ctum eſt, Effunde iram tuam in gentes, »
quæ te non nouerunt. Pſalm. 78. & illud »
quod ait Apoſt. Cùm venerit in flamma »
ignis dare vindictam in eos, qui ignorant »
DEVM. 2. ad Theſſal. cap. 1. Probat hanc »
ipſam ſententiam Greg. Nyſſenus 5. libro
de philoſophia, cap. 4. qui ait, vniuerſa- »
lium ſecundùm electionem non eſſe in- »
uoluntariam ignorantiam, ſed particula- »
rium. D. autem Iuſtinus, quæſt. 111. ad or- »
thodoxos, voluntate, ait, ignorare illos, »
qui res ad cognitionem ducentes habẽt, »
nec de ſcientia laborant. »

Diuus Thomas, in 1. 2. quæſt. 26. art. 2.
Omnes tenentur ſcire cõmuniter ea quæ »
ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta: »
ſinguli autem quæ ad eorum ſtatum & »
officium pertinent, & in 2. lib. ſent. diſt. »
22. quæſt. 2. artic. 1. loquitur his verbis: »
Vnicuique peccatum eſt ignorantia eo- »
rum, quæ ad bonos mores & fidei verita- »
tem pertinent; & quodlib. 3. art. 10. In iis, »
quæ ad fidem & bonos mores pertinent, »
nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam »
opinionem alicuius Magiſtri. In talibus »
enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem, Arij, Neſtorij, & aliorum hereſiarcharum.

D. Bonauent. in 2. ſentent. diſtinct. 22. 4.
artic. 2. quæſt. 2. facit duplicem cognitionem, cui opponitur ignorantia, vnam earum rerum, quæ nec ad virtutem, nec ad ſalutem neceſſariæ ſunt, vt ſunt artes mechanicæ, & liberales, quarũ rerum ignoratio vacat culpa, ſiue hæc ignorantia ſit, »
inquit, negationis, ſiue diſpoſitionis, ſiue »
etiam ſit voluntaria: Alia eſt, inquit, co- »
gnitio credibilium, & operabilium, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt in adulto, & hæc eſt cognitio fidei, & prouidentiæ; & ad hanc cognitionem habendam tenemur, quia ſine hac nullus poteſt rectè viuere; & in hac ponit culpam & pœnam, niſi impotentia excuſet, qualis eſt in furioſis.

Hugo Victorinus, in 2. l. part. 9. cap. 5. ob ignorantiam præcepti de ſuſcipiendo

Baptiſmo

Digitized by Google

Baptiſmo neminem excuſat:quia, inquit, niſi ſua culpa obſtiterit, audire, ac ſcire poterit,ac debebit; citatúrque hic perinſignis Theologus ab Adriano,quodlib.4. artic.1.

Altiſiodorus, non ſecus quàm ceteri, in 3.p.ſuæ Theologicæ ſummæ,ab eodem Adriano citatus, qui Altiſiodorus,vetulæ audienti ſuum Prælatum, concionantem de Chriſto, & docentem, ratione diuinitatis,Patre minorem eſſe,idque credenti, opinionis ſuæ & peſtiferæ perſuaſionis culpam nequaquam condonat, quia, poteſt, inquit,ab alio veritatem diſcere, puta à Deo; ſi ei aperiat oſtium cordis ſui, per deuotam Dei glorificationem. Nec ſecus hac eadem de re iudicauit Guglielmus Pariſienſis, in illo ſuo tractatu de legibus, cap.21.

Propugnator huius veritatis eſt Alexander Halenſis,in 2.p. quæſt.112.memb. 8. vbi quærit, Vtrúmne infans,qui à Saracenis in cuſtodia retinetur, cariturus ſit, ſine ſua culpa, ea ſcientia quam vnicuique decreuit Devs neceſſariam eſſe ad ſalutem: reſpondétque, haud ſine culpa ſua cariturum, in quo ceteri conſentiunt Theologi: confirmátque ſententiam hãc Alexander, Bedæ auctoritate. Etenim, ſi infans ille, cùm ſuæ mentis erit,vitæ & ſalutis ſuę Deo rationes committat,eiúſque opem & prouidentiam religioſa mente imploret, docent, Deum ipſi illi nulla ratione defuturum.

5. Illud etiam Alexander,in quæſtionem adducit, num peccet is, qui diabolum adorat, beati Angeli ſpecie aſſimulata, quamuis antequam adoraret, cunctatione & cautione vſus ſit: conſtituítque, iſtũ peccare, nec credendum,eum,quæ oportebat, circumſpectaſſe; circumſpectanti enim Deus affuiſſet, ne tam nefaria fraude irretiretur:& quæſt.153.memb.3. Ignorantia, inquit, iuris naturalis neminem excuſat, qui vſum poteſt habere ſciendi. 1.q.4. §.notandum quoque. Peccatum verò per ignorantiam iuris diuini, in iis, ſine quibus non eſt ſalus, ſimiliter peccatum eſt, nec per illam aliquis excuſatur, qui ſcire poteſt. Hactenus Alexander. Gerſonis, tractatu 24. eadem de re diſſerentis, hæc ſunt verba: Culpabilis ignorantia iuris diuini non cadit in facientem illud, quod in ſe eſt: quoniam Spiritus ſanctus talem hominem de neceſſariis ad ſalutem, quæ vires ſuas excedunt,docere immediatè vel mediatè paratus eſt. Habetur tractatus hic Gerſonis,in 2.par. ſuorum voluminum, & eſt de regulis moralibus,in principio, & in 3.par. tract.61. de vita ſpirituali animæ, lectione 4. coroll.3. Quidquid, inquit, ſit de ignorantia facti, aut iuris humani, aut naturalis poſitiui, concors eſt ſententia, nullã in iis quæ legis diuinæ ſunt, cadere ignorãtiam inuincibilem: quoniam facienti,quod in ſe eſt, Deus ſemper aſſiſtit, paratus illuſtrare mentem, quantam oportebat ad ſalutem, & erroris euitationem.

Gabriel Biel, in 2. ſentent. diſtinct. 22. 6.
quæſt.2. art.2. dub.1. Alexandrum, quem appellat, vſquequaque ſequitur: auctoritatem verò illam D. Auguſtini, in quæſt. quadam veteris teſtam. ſi non fuerit, à quo diſceret, nec ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit,tunc non ſuo vitio ignorat, & immunis eſt à cõdemnatione, interpretatur de eo qui neque extrinſecus neque intrinſecus doceri potuit: quæ item explanatio eſt Alexandri Halen. Adrianus quodlib.quæſt.4. negat reperiri in adulto iuſtam ignorationem aut decalogi, aut incarnationis Chriſti, mortis eius & reſurrectionis, reſurrectionis item mortuorum,ac ſimilium.Quamquam non requirit Deus à multis multarum rerum, quæ in eius lege promulgatæ ſunt, cognitionem.

Traduntur autem à Theologis quat- 7.
tuor viæ pernicioſæ inſcitiæ vitandæ. Prima eſt,ſuo ingenio, iudicio,ac ſtudio niti, ad ea percipienda quæ neceſſariò cuique tenenda ſunt. Secunda, ſi noſtra mens viribus illa aſſequi nequit, alterius opera atque intelligentia vti. Tertia, ad Deum magiſtrum, & ſapientiæ fontem, ſupplici

prece

prece confugere. Quarta, è virtute vitam agere, & à vitiis declinare.

His omnibus ita concluſis, conſectaria illa ſunt. Primum, vehementer erraſſe Sotum, qui in lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 3. exiſtimat, inter eas barbaras nationes, quæ lege naturæ dumtaxat regebantur, fuiſſe nonnullos, qui ſine crimine credere potuerint, licere fornicationem; perinde quaſi non ea eſſet naturæ iure vetita. Quanto veriùs à D. Thoma ſcriptum eſt, in quodlib. 8. art. 15. fornicationem ei futuram mortiferam culpam, qui lèuem crederet, atque eadem commacularetur?

Secundum conſectarium eſt, eas mulieres hominéſque Chriſtianos, qui neceſſarios Catholicę fidei articulos, & morum neceſſarias quaſdam leges ignorant, grauiter apud Deum offendere; nec minùs, imò magis quàm Turcas, cæteráſque barbaras gentes, inimicitia atque odio erga noſtram religionem ſublato.

8. Tertium, ſingulares concluſiones, quæ in facto conſiſtunt, cùm ſint quodammodo infinitæ, nulláque lege circumſcriptæ, abſque flagitio ignorari poſſe; vt, quòd hæc res ſit Petri; quòd illa ſit vxor Ioãnis; multáque ex eodem genere. Hinc regula iuris fluxit, *Ignorantia facti excuſat, non iuris.*

Quartum, tametſi cuncta mortifera peccata à cunctis vitari debeant, nihilominus non eſt neceſſe omnia ab omnibus cognoſci, vt admonet Alexan. Halen. in 2. par. q. 112. memb. 8. & Altiſiodorenſis, multíque alij Theologi.

Quintum corollarium, in iis, quæ aut diuina lege, aut naturali conſtituta ſunt, eſſe non pauca, quorum ignoratio non ſolùm idiotis non nocet, ſed nec etiam doctis, illud prorſus perſuadet, quòd de rebus variis & maximis principes Theologi & viri ſanctiſſimi, controuerſantur: in qua certatione neceſſe eſt alteruttram partem errare, ac decipi: nec propterea vllo inſcientiæ crimine accuſandos eſſe, quòd in iis rebus inſcientia verſatur, quas noluit DEVS ab iiſdem ſciri neceſſariò oportere.

QVÆSTIO II.

De ignorantia, quæ eſt cauſſa peccati.

QVandoquidem inter omnes conſtat, eum, qui propter ignorantiam craſſam & ſupinam, contra legem agit, præter culpam, legis etiam pœnam ſubire. Quæſitum eſt à plurimis: quænam & cuiuſmodi ea ſit ignorantia. Magiſter ſententiarum in 2. lib. diſt. 22. cap. de ignorantia, tres ſpecies diſtinguit ignorantiæ. Primam ait eorum eſſe, qui ſcire vellent, ſed non poſſunt; & hanc ignorantiam, non tam peccatum quàm pœnam pecati, eſſe ait. Secundam, eorum, qui cùm poſſint ſcire, nolunt: hanc affectatam ceteri appellant, quæ auget potiùs peccatum, quàm minuit. Tertiam, illorum, qui nec volunt, nec non volunt ſcire, quam affirmat vim habere extenuandæ culpæ, nimirum ad hanc ſpectat ignoratio, quæ dicitur craſſa, ſeu ſupina. 1.

Alexand. in 2. par. quæſt. 112. memb. 7. primam inuincibilem appellat, ſecũdam ſupinam, tertiam negligentiæ: ſed reuera ſupina, & negligentiæ, eſt eadem. Diuus Bonauentura, in 2. ſent. diſt. 22. art. 2. q. 2. primam ait in nobis eſſe, ſed non à nobis. Quamquam Alexander Halenſis, in 2. p. qu. 112. memb. 2. nonnullum diſcrimen conſtituit inter tertiam ſpeciem explicatam à Magiſtro ſententiarum, & craſſam ignorantiam: tripartitò enim diuidit, in ſimplicem, craſſam & affectatam. Simplicem agnoſcit, in iis qui aliquid præſtant, vt ſciant, ſed non tantùm, quantùm eſſet opus, quam ignorantiam excuſare ſcribit à tanto, ſed non à toto. Craſſa, inquit, eſt quando quod negligit ſcire, nec tamen vult ſe neſcire. Quare Alexander videtur huic ſecundæ ſpeciei omnem laborem & operam ſciendi detrahere, vt ſi quid boni habet, in ſola poſitum ſit voluntate. Hanc item vult excuſare à tanto, ſed non à toto,

quod reliqui item fatentur Theologi.

2. Affectatam tradit iis quibus placet neſcire, & hanc nullam veniam dare exiſtimat; imò verò, vt iam à nobis dictum eſt, additamentum eſt culpæ, vt ſentiunt hi omnes, Albertus Magnus, in 2.p.Summ. quæſt. 88. Richard. in 2.ſentent. diſt. 22. art. 2. quæſt.3. & Durandus, in 2. ſentent. diſtinct.22. quæſt.4. Gabriel, in eamdem diſtinct.quæſt.2.art.1. concl.3. licèt enim ignorantia, vt ignorantia, minuat peccatum, quia minuit rationem voluntarij, nihilominus, vt affectata eſt, auget inquit D.Bonau. in eamdem diſtin.22. art.2. q.3. Gerſon, tract.31. lit.E. & Adrianus, quodl. » 4. col. penultima. Qui enim ſcire non » vult, iudicabitur non de ignorantia, ſed » de contemptu, inquit D.Bernardus.

Mihi tamen viſum eſt aliquando, & nunc etiam videtur, vſuvenire interdum poſſe; vt inſcientia etiam optata minuat peccatum: quod in eo accidit, qui putans ſatis ſibi ad ſalutem eſſe fidem implicitã, refutat ſcientiam quotumdam articulorum, qui ſine crimine ignorari non poſſunt, atque ea re is erroribus aſſentitur veræ fidei contrariis, ſed non præfractè, nec contra Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: in quo quidem grauiter peccat; ſed multò minùs, quàm is, qui ſciens quoſdam articulos fidei ab Romana Eccleſia ſuſcipi, & credi; ipſe tamen reſpuit: hic enim hæreticus eſt; ille minimè: quippe qui in Catholicæ Eccleſiæ fide velit vſque permanere.

3. Diuus Bonauentura, in 2.ſent. diſt.22. art.2. q.2. vidit id ipſum multo ante nos. illic enim tres ſpecies numerat ignorãtiæ, primam, vocat erroneam, ſecundam, affectatam, tertiam, ſupinam vel craſſam: primam, collocat in hæreticis, qui veritatis viam, in qua conſtiterunt aliquando, voluntariè deſerunt; ſecundam, in iis, qui cùm ad veritatem peruenire poſſunt, malunt in tenebris verſari: tertiam, in illis, qui ſocordia & negligentia obtorpeſcentes, non laborant de iis rebus diſcendis, quæ forent illis ipſis perdiſcendæ. Et in eodem art.2. q.3. num.39. partiens ignorantiam in vincibilem, & inuincibilem, ad priorem reuocat affectatam, qua ait grauius fieri peccatum: & ſupinam vel craſſam, quæ ex negligentia, inquit, eſt, & » ignauia, & (verba ſunt S.Bonau.) Si ali- » quo modo excuſet, non tamen ita excu- » ſat, vt ſempiterno igne non ardeat: ſicut » dicit Auguſtinus, & Magiſter, in littera. Richardus, in 2.ſent. diſtin.22. art.2. q.2. ignorantiam eorum quæ ſcire quis tenetur, contingere ſcribit, aut per voluntatis commiſſionem, quando, inquit, homo » vult ignorare ea, quæ ſcire tenetur, pro » tempore, quo ſcire tenetur; vel per vo- » luntatis omiſſionem; & tunc, inquit, di- » citur ignorantia craſſa; quia ſcilicet ex » quadam negligentia omittit voluntas » procurare notitiam eorum, quæ ſcire te- » netur homo. Nec non idem Richardus, » in 4.ſent. diſt.15. art.5. q.2. ad 1.argum. ait, conſilium ex ignorantia craſſa fraudulentum eſſe, & negligentiam craſſam eſſe propriè dolum. Illic enim loquitur de ignorantis hominis negligentia. Totúmque hoc Richardi dictum comprobat Adrianus quæſt. vltima de reſtitutione, quæ incipit, ex cauſſa differens, reſpondens quintæ rationi. Et Gabriel, in 4.d.15. q.12. art.3. dub.2.

Ex ſuperiorum Theologorum ſententiis ac verbis tria perſpicua ſunt. Primum, 4. ignorantiam craſſam, vel ſupinam, nihil eſſe aliud quàm negligẽtiam quamdam, incuriam, atque deſidiam, in iis rebus cognoſcendis quarum eſſet notitia neceſſaria: quam ipſam ignorantiam indirectè voluntariam & vitioſam eſſe, demonſtrat D.Thom. in 1.2. quæſt.19. art.6. & quæſt. 76. art.3. in hac enim poſteriore quæſtione loquitur his verbis. Ipſa ignorantia eſt » voluntaria, vel directè, ſicut cùm aliquis » ſtudioſè vult neſcire aliqua, vt liberiùs » peccet; vel indirectè, ſicut cùm aliquis » propter laborem, vel propter aliquas oc- » cupationes negligit addiſcere id, per » quod à peccato retraheretur: talis enim » negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe » volun »

voluntariam, & peccatum. Atque hæc
ſententia à D.Thom. in ſuis ſcriptis iden-
tidem vſurpatur. Congruit cum D.Tho.
clariſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus.
Sic enim hic lib. 3. de lib. arbitr. cap. 22.
» Non enim quod naturaliter neſcit,& na-
» turaliter non poteſt, hoc animæ deputa-
» tur in reatum, ſed quòd ſcire non ſtuduit,
» & quòd dignam facultati comparandæ
» ad rectè faciendum operam non dedit.
» Et in lib.2. qq. vet. & noui Teſtam. q.67.
» non omnis ignorans immunis eſt à pœ-
» na : ille enim ignorans excuſari poteſt à
» pœna, qui, à quo diſceret, non inuenit.

Eſt illud etiam ſecũdo loco ex ſenten-
tiis Theologorum recitatis ſatis comper-
tum, genus hoc ignorantiæ craſſæ pecca-
tum graue eſſe, & quidem æterno malo
mactandum,cùm in iis rebus verſatur, ſi-
ne quibus ſalus noſtra concidit ; quam-
quam vim habeat quadam ex parte mi-
nuendæ culpæ.

5. Tertium eſt,ſupinæ ignorantiæ defini-
tionem, excogitatam à Gloſſ. in cap. vt
animarum,de conſtit. lib. 6. prorſus reii-
ciendam eſſe, etſi nonnulli ſummarum
Scriptores ſint eam amplexi:definit enim
ſupinam ignorantiam eſſe ignorare quod
omnes ſciunt.& Sylueſt.in verb.Ignoran-
tia, num. 5. craſſàm & ſupinam ignoran-
» tiam de mente doctorum ait eſſe, qua
» quis,inquit,ſcienda non ſcit,ex negligen-
» tia lata, ſiue latæ culpæ; vt quia non ſcit
» publica & manifeſta, quæ omnes ſciunt,
» ad ſimilitudinem hominis craſſi, & ſupi-
» ni,qui nõ videt etiam poſita coram. Hæc
Sylueſter. Nauarrus autem, in Summa, c.
23. num. 45. loquens de craſſa & ſupina
» ignorantia. Craſſa verò, inquit, ſiue ſupi-
» na,eſt,qua quis ignorat id quod commu-
» niter omnes ſui ordinis ſciunt, quod con-
» tingit per culpam latam. Quæ definitio
eſt explodenda omnino.

Primùm : quia nulla ratione cohæret
cum ea quæ explicatur à magnis Theo-
logis; quorum de ignorantia craſſa ſunt à
nobis antea nomina & dicta recitata. De-
inde:quia fatendum eſſet, Iudæorum, aut
Turcarum,aut hæreticorum ignorantiam
in iis quæ ad æternam ſalutem ſpectant,
nec craſſam nec ſupinam eſſe, & ideo ex-
cuſationis veniam mereri : quia omnes,
aut pene omnes, ignorant eadem, ſine
quibus ſalutem aſſequi nequaquam poſ-
ſunt; atqui eiuſmodi ignoratione omni-
bus illis hominum generibus exitialem
& criminoſam eſſe, à nobis in proximè
ſuperiore quæſtione liquidò demonſtra-
tum eſt. Tum,quia confundunt nomen
ignorantiæ & negligentiæ; quum igno-
rantia per ſe hæreat in intellectu, & op-
ponatur ſcientiæ;quæ eſt item habitus in-
tellectus; negligentia verò,reſideat in vo-
luntate. Pòſt: Culpam iuridicã & Theo-
logicam permiſcent, cùm Theologica
ſemper offendat Deum,iuridica nõ item,
vt à nobis oſtenſum eſt in quadam diſpu-
tatione de dolo & culpa. Ad extremum:
quia definiunt, ſupinam craſſámve igno-
rantiam, eſſe priuationem eius ſcientiæ,
ſeu notitiæ, quæ aut in omnibus homini-
bus reperitur eius claſſis, cuius eſt is, qui
ignorat;aut in maiore parte : cùm reuera,
ex ſententia Theologorum & Philoſo-
phorum ſupina & craſſa ignorantia ſup-
plicio digna ſit, quæ in iis ineſt homini-
bus,qui ſcire debent & poſſunt,ſiue ea ſit
in omnibus, ſiue in ſingulis, ſiue in toto
ordine, ſiue in aliqua parte eiuſdem or-
dinis.

Vt huius ignorantiæ duplex ſit radix, 6.
ſeu cauſſa. Prima, onus ſciendi à lege im-
poſitum. Secunda, facultas ſeu poteſtas
ſciendi: quæ res duæ prætermiſſæ à tota
aliqua vniuerſitate, ſua culpa,vel deſidia,
ita totam eam condemnant, vt ſingulas
partes. & quemadmodũ, ſi totum quod-
dam commune odio, ſeu legis, ſeu legiſ-
latoris, & Principis, promulgationem le-
gis,aut audire nollet,aut impediret, graui
ſe affectatæ inſcitiæ ſcelere obligaret : ſic
craſſæ inſcitiæ culpam contrahit, ſi, cùm
poſſit neceſſariam legem cognoſcere, in
cognoſcendo non, quam debet, operam
ponit.

Notationem vocabuli quiſpiam nunc

ſcire aueat, cur genus hoc ignorantiæ ſupinum, vel craſſum, appellatum ſit. Ga-
» briel, in 2.ſent. diſt. 22. q. 2. art. 1. Craſſa,
» inquit, dicitur, quia cauſſatur ex pigritia
» laborandi ad acquiſitionem ſciendi, quæ
» frequenter adhæret craſſis, & pinguibus
» hominibus. Supina verò, quia eſt men-
» tium ad inferiora & terrena declinatarũ, non potentium, veriùs non volentium ad ſuperna, æterna, & ſalutaria ſe erigere, de quibus dicitur, *ſapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt*. Hieremiæ 4.

7\. Verumenim alterum illud appoſitum, *ſupina*, haud rectè eſt Gabriel interpretatus: exiſtimauit enim idem valere *ſupinum*, quod *pronum*, quod ad anteriorem partem flexum, ſeu terram ſpectans: cùm tamen pronum ſupino opponatur, id eſt, in partem ſupernam verſo, vel, ad ſuperna conuerſo. Iuuenalis Satyra 3.

cubat in faciem, mox deinde ſupinus.

Liuius in 6. de bello Punico. *Vndique matronæ in publicum effuſæ circa Deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cælum, ac Deos tendentes.* Virgil. 3. Æneidos,

tendóque ſupinas
Ad cælum cum voce manus.

In eo igitur verior nominis interpretatio ſita videtur. Quòd, ſicut iacere ſupinum, indicium hominis eſt remiſſi, ſoluti, & otioſi: (vnde factum eſt, vt ſupinus pro molli, delicato, otioſo, ac negligenti ponatur. Seneca ad Lucilium, *Eſt quidem mi Lucili ſupinus & negligens, qui in amici memoriam, ab aliqua regione admonitus reducitur*) ita illa hominum ignorãtia ſcientiam nec quærentium, nec refutantium, atque in rerum vtilium & neceſſariarum notitia capeſſenda oſcitantium, ſupina nominata eſt, quaſi diceres, delicatam, mollem, otioſam, negligentem, ſeu hominum diſſolutorum, languidorum, effœminatorũ, otio & ſocordia diffluentium. Interdum etiam vſurpatur ſupinum pro accliui & montoſo. Ita Horatius, lib. 1. carm. *Tybur ſupinum* vocat: ideo, quòd excelſo eſt monte poſitum. Quare indigenarum facies cernas fermè ſine ſucco & ſanguine, ob ventos crebros, auràmque pertenuem. Ergo, qui hanc vocabuli notionem ſequi vellet, propter hypallagen, ſeu metonymiam, ignorantia ſupina diceretur, quòd homines ignaros ad impendentiũ montium altitudines, & ſalutis præcipitia, abripit. Supinam hanc, atque inertia liqueſcentium hominum inſcitiam Truſaticam appellat Scotus, in 4. ſent. diſt. 6. q. 8. in extremo.

Scire fortaſſe hoc loco quiſpiam aueat, 8.
an is, qui craſſæ & ſupinæ inſcitiæ culpa implicatus eſt, ſemper peccet, cùm ſemper eius mens in ignorantia verſatur.

Reſpondendum, non ſemper peccare, ſed tũc ſolùm, cùm præcepto ſciendi obtemperandum eſt: prætermiſſio namque ſcientiæ neceſſariæ præcepto opponitur affirmatiuo: quod quamuis ſemper obliget, quia ſemper eſt præceptum, non tamen, vt loquuntur Theologi, obligat ad ſemper: nec ſecus de nouo peccato ignorantis hominis, docuit D. Thomas, in 2. ſent. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. ad 4. & D. Bonau. in eamdem diſt. art. 2. q. 2. num. 31. & Durand. in eamdem quæſt. 3. num. 5. & Richardus, in eamdem, artic. 2. quæſt. 1. ad 4.

Sed percunctaberis, quodnam illud ſit tempus, cùm nouo peccato ſe obſtringunt, qui, quod ſcire debent, ignorant.

Reſpondeo, quoties oblatam facultatem ſciendi negligunt, ſeu omittunt.

Concludat aliquis, ergo, qui ſemper poteſt diſcere, & non diſcit, ſemper peccat: & quidni ſemper peccet, ſi ſemper omittat, quod omittere nec debet, nec iure poteſt?

* * *

QVÆ

QVÆSTIO III.

Utrùm ignorantia humanæ legis iuſta & probabilis, factum diuina naturali-ve lege vetitum vindicantis, pœna humanitus inflicta, quamuis excommunicationis ſit, liberet.

1. IVris humani pœna, ſi excommunicationis ſit, non teneri eos, qui abſque culpa ius ignorant humanum, credunt hi omnes: Innocentius, in cap. ſi verò, de ſententia excommunicationis: quamquã in breuiſſimo commentario illius Decretalis, ſi verò aliquis, Innocentius non vniuersè de re, qua de quæritur, agit, ſed illud tamen, quod eſt in Pontificio reſponſo, repetit. Antonius Butrius, Panormitanus, Felinus, in cap. à nobis, de ſententia excommunicationis: verùm hi tres potiùs differunt, quàm ſtatuant quidquam certi. D. Anton. 3. par. tit. 24. c. 33. Sotus, in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. propoſ. 4. Angelus, in verbo, Excommunicat. 7. caſu vltimo, & in verbo, Ignorãtia, §. 4. Syluester, in verbo, Excommunicat. 2. num. 25. & Excommunicatio, vltimo, num. 4. & in verbo, Ignorantia, qu. 8. Nauar. in Summa, c. 27. num. 47. vbi etiam falsò citatur pars D. Thom. & falsò affingitur Caietano, quod non ſcriptum reliquit: idem Nauarr. in lib. 5. ſuorum conſiliorum: conſecrat. 50. num. 4. & conſecr. 52. eod. num. de ſententia excommunicationis.

2. Tria ſunt huius opinionis firmamenta præcipua. Primum eſt, quia Chriſtus non promiſit poteſtatẽ Eccleſiæ excommunicandi niſi contumaces, & non obtemperantes: *Si Eccleſiam non audierit*, inquit Chriſtus, Matth. cap. 18. *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*: atqui nemo contumax, & non obtemperans Eccleſiæ haberi poteſt, qui eius voces non audiuit: oportet ergo, iubentis & ſciſcentis Eccleſiæ vocem perferri ad eum, qui excommunicationis pœna multatur ab Eccleſia.

Secundum fundamentũ eſt Decretalis Bonifacij VIII. vt animarum, de conſtitutionibus, lib. 7. vult enim, ordinariorũ ſententiis non conſtringi eos qui illorum ignorant ſtatuta: niſi ſi fortè ignorantia fuerit craſſa, ſiue ſupina. Atque in eadem Decretali exemplũ ſubiicitur de excommunicatione, quæ propter furtum irrogatur: at furtum eſt naturali diuináque lege damnatum.

Tertium fundamentum, eſt Decretalis Alexandri III. Si verò aliquis, de ſententia excommunicationis, in qua eſt his verbis: Si verò aliquis in clericũ nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apoſtolico præſentari conſpectui, nec etiam excommunicatione notari: dummodo ipſum eſſe clericum ignorauerit: manus autem adferre clerico, aut alteri ſceleratas, quis ignorat eſſe diuina & naturali lege prohibitum?

Sed tamen contraria ſententia nec minùs multis, nec minùs antiquitatis & doctrinæ grauibus auctoribus probata eſt, 3.
vt Gloſſæ, in cap. à nobis, 1. de ſententia excommunicationis, & in cap. ſi verò aliquis, eod. titu. & in cap. vt diuinarum, de conſtitut. l. 6. maximè ſi quæſtio ſit de lege Pontificia, aut vniuerſæ impoſita Eccleſiæ. eadem placuit Ioan. Andr. in caput illud, vt animarum, Bartolo, Baldo, in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinitate, totíque ſcholæ Iuriſconſultorum, vt teſtis eſt Roſella, in ſua Summa, verbo, Ignorantia, num. 13. concluſ. 3. in additione.

Placuit eadem ſententia Scoto in 4. ſent. diſt. 6. q. 8. his verbis ſcribẽte: Quando ſuper aliquo, quod eſt ex iure diuino illicitũ, additur pœna canonica: vt illud ampliùs euitetur, non eſt neceſſarium ad hoc, vt incurratur illa pœna, aliquã ſcientia iuris canonici, ſed ſufficit, quòd teneatur ſcire præceptum diuinum: &, ſi illud tranſgrediatur, incurrit pœnam canonicam; etiam ſi neſciat à iure canonico pœ-

nam eſſe inflictam: hoc enim modo percutiens clericum, cùm faciat contra præceptum diuinum de caritate fraterna, & ſi neſciret, excõmunicationem latã à canone ſuper tali facto, tamen incurreret eam pœnam. Placuit Maiori, in 4.d.18.q. vnica, in reſponſione ad 2. argumentum contra primam concluſionem. Placuit Gabrieli, in 4.diſt.6.q.2.art.3. dub.8. Placuit Adriano, qu.3. de clauibus. Placuit Driedoni, lib. 2. de libertate Chriſtiana, cap.9. & cap.10. Couarruuiæ, in cap. Alma mater, §.10. Bartolomæo Medinæ, par.2.qu.74.art.3. Cordubenſi, lib.2. ſuarum quæſtionum, qu. 27. Roſellæ, qui acerrimè pro hac ſententia agit in ſua ſumma, num.13.concluſ.3. ad quam item propẽdet Victoria, in ſumma de ſacram. tract.de excommunicat. quæſt.8. Peruetuſta hæc ipſa videtur eſſe ſententia, & à Marco Tullio, contra Caium Verrem, act.4.apud Romanos iudices comproba-
„ ta. Deſperatiſſimo enim perfugio vti ait
„ eum, qui dicit ſe imprudentem feciſſe,
„ exiſtimaſſe id licere: additque perditiſſi-
„ mam hanc eſſe defenſionem.

4. Huius opinionis hæc magna ratio eſt, quòd leges ciuiles, quum factum quodpiam naturali lege vetitum prohibent, puta homicidium, nullam excuſationem dant iis veniæ, qui humanæ legis inſcitia tueri ſe voluerit: ſed reos, & ciuitate, & bonis, & capite multant. Cur igitur non valeat in lege Eccleſiaſtica, quod valet in ciuili, cuius grauiores & capitaliores ſunt in facinoroſos pœnæ? corroborat hanc opinionem Decretalis Innocentij III. cùm illorum, de ſententia excommuni-
„ cationis, in qua non parcit illis, qui non
„ recolentes factum, verba ſunt Pontificia,
„ pro quo in latæ ſententiæ canonem inci-
„ derunt: vel factum quidem ſcientes iuris
„ ignari, neſciũt exinde ſe teneri: hos enim negat ab Epiſcopis poſſe abſolui. Dices canonẽ loqui de iis qui ſupinè, vel craſsè ignorant. Verùm iſta diſtinctio tua eſt nõ canonis, ſeu Pontificis: qui de neſciente vniuersè loquitur.

Nec valde operoſum eſt contrariæ opinionis fundamenta ſubruere. Primum parũ firmitudinis habet illa enim Chriſti auctoritas, apud Matth. eos perſtringit, qui fraternæ correctionis, & Eccleſiæ ſententiæ, quæ correctioni ſuccedit, ſunt deſpicientes. Etenim, vt Tertullianus in apol. teſtatur, olim qui delinquebãt, poſt fraternam obiurgationem ſeu admonitionem, ad cœtum fidelium coram Antiſtite deferebantur, & communibus ſuffragiis condemnabãtur. Illius autem Eccleſiæ voces nulla ratione ignoratæ poterant eſſe ei qui palam condemnabatur. Itaque locus ille Euãgelij non ad excommunicationes generali lege promulgatas, ſed quæ voce Prælatorum irrogãtur, referri debet: quòd ſi ad canonum etiam ſententias referatur, dicendum eſt, Eccleſiæ voces eſſe non ſolùm, quas ipſa ſuis legibus condendis expromit, verùm etiã cùm Dei naturæque iura populis enunciat, interpretatur, vtcumque ſuadet, & quauis ratione ad ea ſeruanda hortatur. Imò & Dei, & naturæ voces, ac monita præcipuæ & grauiſſimæ ſunt Eccleſiæ voces ac monita. 5.

Canon verò Bonifacij, quod alterum erat fundamentum, perfacilem habet explicationem. Primùm enim dici poteſt, illic non agi niſi de conſtitutionibus Epiſcoporum ſeu Ordinariorum, non autem Romanorum Pontificum ſeu canonum generalium: & hic modus dicẽdi eſt valdè communis, quem ſequitur Gloſſa illius cap. & Ioannes Andr. Adrianus, Driedo, Roſella, atque alij. Quòd verò aduerſariæ partis nonnulli, in quibus eſt Syluеſter, in verbo, ignorantia, qu.8. argumentantur, Romanum Pontificem in ordinariorum claſſem redigendum eſſe: quippe qui ſit ordinariorum ordinarius: hoc ſanè ridiculum eſt. Primùm, quia à Gloſſa, à Ioanne And. in caput, vt animar. apertè refelluntur, nec non à Gloſſa cap. ordinarij, de officio ordinarij, lib.6. quam Gloſſam canon ipſe confirmat: ex quo intelligitur ordinarius ille eſſe, qui in certo quopiam

quopiam loco forum agit,& ius dicit, nō in toto orbe Chriſtiano, vt Romanus Pontifex:& Gloſſa capitis,tot animarum, de conſtit. lib.6. reiicit, ad Gloſſam Bernardi:& Goff.in cap. cùm ab Eccleſiarū, de officio ordinarij, in qua Gloſſa hæc
» ſunt.Illud generaliter traditur,quòd qui-
» libet Prælatus collegiatæ Eccleſiæ: licèt
» ſubſit Epiſcopo,eſt tamen iudex ordina-
» rius in plebe ſua,& habet iuriſdictionem
» cognoſcendi & excommunicandi,vt hîc dicitur:& in authent. de defen.ciuit.§.2. collat.3.& 15.q.4.c.1.& inf.de iud. decernimus.Argum.C.de iuriſdict.om.iudic.l. vlt. & illum dico Prælatum hoc facere poſſe,&talem iuriſdictionem habere,qui eſt electus à collegio ſeu vniuerſitate, ſ. de elect.cap.1.& 93.diſt.legimus:& idem intelligo,ſi præficiatur collegio, vel vniuerſitati, ab eo qui habet adminiſtrationem cum iuriſdictione, puta Epiſcopo.

6. Iiſdem de rebus magis perſpicuè præcipit in ſuo commentario Innocētius, in illud caput, cùm ab Eccleſiarum, à quo mutuati ſunt Oſtienſis, Ioannes Andr. Panormit. & alij eiuſdem canonis explanatores. Docet igitur Innocentius, nu.1. ſuæ explanationis,vniuerſitatem, quæ ſibi iudicem eligit ordinarium,à ſuperiore conſtitutam eſſe oportere, conſenſu eius tacito,vel expreſſo,atque ab eodem confirmatā, ſiue vniuerſitas Eccleſiaſtica ſit, ſiue laica, ſiue opificum, ſiue liberalem quampiam artem profitentium, in 2.nu. admonet, iudicem ordinarium Eccleſiaſticum, qui præſit clericis,non poſſe eligi niſi ab vniuerſitate clericorum: & eum qui eligitur,clericum eſſe debere,aut religioſum: quia aliter nec dari nec recipi poteſtas poteſt excommunicandi, interdicendi, & ſimilium, & num.3. propriè etiam Princeps, Papa vel Imperator, ordinariam tribuere ſolet iuriſdictionem,& num.4.à canone habent Epiſcopi ordinariam iuriſdictionem, 16.qu.2. c.1. & q.7. omnes,& 25.diſt.perlectis.Ex qua præceptione Innocentij, quem cæteri ſequuntur, hoc eruitur argumentum aduerſus eos, qui ordinarij nomen cadere etiam volunt in Romanum Pontificem. Ordinarius creatur cum iuriſdictione, aut à Principe,aut à canone,aut ab vniuerſitate,ſed Romanus Pontifex ordinariam iuriſdictionem neque à Principe, neque à canone, neque ab vniuerſitate eligente recipit,ſed proximè à Deo, ergo ordinarij nomine cenſendus non eſt. Porrò, in cap.vt animarum, è cœtu ordinariorum Romanum Pontificem ſecretum eſſe hac mihi firma ratione perſuadeo. Nam ea lex imponitur cunctis ordinariis, cui parere debent neceſſariò: at vnus Pontifex Romanus ſucceſſoribus ſuis nullam ferre poteſt legem, cui debeant morem gerere: cùm par in parem poteſtatem non habeat.

Abs re non erit, hîc apponere verba 7.
Roſellæ,in verbo,Ignorantia, nu.13. quæ tametſi nitore careant orationis,ſunt tamen ſparſa ſale quodam vrbanitatis. Si
Papa voluiſſet,inquit,ignorantes non li- »
gari ſententia excommunicationis infli- »
cta per ius commune,vel ſtatuta genera- »
lia, ſicut in ſtatutis ordinariorum, puta »
niſi ignorantia craſſa fuerit, vel ſupina: »
fuiſſet ſuperfluus in dictis ſuis: ſuffeciſſet »
enim dicere, quòd ſententiis per ſtatuta »
quorumcunque non ligantur ignorātes, »
niſi ignorantia fuerit craſſa vel ſupina:& »
poſitū fuiſſet minùs de atramento,& mi- »
nùs de charta: ſed cum magno myſterio »
addidit ordinariorū:vt ſic excluderet ſen- »
tentias inflictas, per ſtatuta generalia, vel »
canones generales ipſius Papę:quę haberi »
debent in maiore honore & reuerentia: »
& ideo maior pœna debetur trāſgreſſori- »
bus ſtatutorū:Papaliū quàm ordinariorū, »
& è conuerſo, maior irreuerentia & in- »
obedientia requiritur ad incurrendam »
pœnam ſtatutorum ordinariorum, vel »
municipalium, quàm in ſtatutis genera- »
libus. »

Secundus modus exponendi canonis eſt Conarruuiæ,in cap.Alma mater,§.10. qui mihi perplacet. Is enim ob excuſantem ignorantiam, nullum inter Romanorum

norum Pontificum, atque ordinariorum conſtitutiones diſcrimen agnoſcens, cùm ſcelus puniunt, naturali diuináque lege damnatum, in duas partes ſententiam Decretalis diuidit: in priore hoc ius condi exiſtimat à Romano Pontifice, vt ſententiis Epiſcopalium ſtatutorum non ligentur ignorantes: intellige, niſi factum ſit per ſeipſum malum: in poſteriore, de iure reſpōdet, nec nouum conſtituit: cùm ait, excommunicatione, quæ fertur ob furtum, non teneri ſubditum Epiſcopi, ſi furtum faciat extra diœceſim.

8. Tertium & poſtremum fundamētum erat, cap. ſi verò aliquis, de ſententia excommunicationis: cui reſpondet Roſella, in verbo, Ignorantia, num. 13. concl. 3. canonem illum exceptionem habere præcipuam: nam canon, ſi quis ſuadente, & canon, ſi verò aliquis, dolum requirunt expreſſum, cuius pœnam nemo ſubit ſine dolo: & hoc verum eſt, non ſolùm in illo canone, ſed in cunctis qui non animaduertunt, niſi in dolum adhibentes; cui dolo ignorantia craſſa vel ſupina, cùm in re magna ea ſit mortifera culpa, comparari ſolet: facit huius reſponſionis ſuæ Roſella, Panormitanū auctorem, in cap. cognoſcētes, de conſtitutionibus: is enim num. 6. interpretationis ſuæ hæc affirmat: canonem, ſi quis ſuadente, in q. 4. & cap. ſi verò aliquis, de ſententia excommunicationis requirere dolum expreſsè: & quando aliquis in eiuſmodi canones cōmittit, non eſſe ſatis latam culpā, hoc eſt, ignoraſſe quod communiter eius loci ſciunt, in quo puto eum falli: nam & lata culpa æquatur dolo, l. magna negligentia. ff. de verb. ſignific. & l. quod Nerua. ff. de depoſ. neque canon, ſi quis ſuadente, dolum alium requirit, niſi ſuaſionem diaboli, hoc eſt, culpam lethalem: & quia Gloſſa capitis, ſi verò aliquis, & Scotus, & alij non pauci, credunt pœnam canonis incurrere, qui percutit clericum, quamuis eum clericum eſſe ignoret, idcirco reſpondere poſſimus aliter: in illo canone non hoc decerni, talem percutientem nō incidere in excōmunicationem, ſed non mittendum eſſe ad Romanum Pontificem, nec publica excōmunicationis nota inuri. Vt ſi diceret Romanus Pontifex, ob indignitatem clerici nutrientis comam, & propter iuſtam percutientis inſcitiam, cum eo agendum eſt mitiùs, vt ad nos adire non cogatur, neque palàm pronuncietur excommunicatus: ita noſtro beneficio à ſuo Epiſcopo poterit abſolui. Illud tamen concedendum eſt, cùm factum humana tantùm lege prohibitum eſt: neque ea re prohibitum, quia per ſe malum ſit, excommunicationis pœna nō irretiri, qui legis ignorantia iuſta & probabili laborant.

QVÆSTIO IV.

SVperioris quæſtionis quaſi appendix hæc eſt altera: num, quando lex humana propoſita pœna excommunicationis vetat aliquid, quod, niſi iure humano vetitum eſſet, liceret, ad ſubeundam cenſuram ſit ſatis noſſe legem: an ſit etiam neceſſarium, pœnam excommunicationis à lege impoſitam tenere. 1.

Pœnam excommunicationis cognoſci debere aiunt, Syluester, in locis in ſuperiore, qu. indicatis, & Angelus, in verbo, Ignorantia, & Nauar. in Manuali, c. 27. nu. 16. & 274. & lib. 5. Conſiliorum, conſ. 51. & 52. de ſententia excommunicationis. Antonius Butrius, Panormit. & Felin. in cap. à nobis: ſolent adduci pro hac opinione.

Sed re vera Panormitanus variè illic loquitur, vt liquet ex eius commentario, num. 9. idem facit Felin. & Ant. Butr. neque illi dicunt ſcientiam requiri pœnæ, quam infligit ſtatutum, ſed ſtatuti eam irrogantis.

Nec verò ſecus videtur dici poſſe: nec ſecus multò plures & ſapientiores, quàm credimus ipſi, ſenſerunt: nam contrarium ſenſum & doctrina communis, & omniū tribunalium conſuetudo, & certa argu- 2.

menta

menta confutant. Primum argumentum. Sicut ad peccati rationem & eſſentiam ſpectat, vt ſit voluntarium: ita ad pœnæ rationem, vt ſit inuoluntaria; vt indicat D. Auguſt. in libro de duabus animabus, & D. Thomas ſæpe in ſuis ſcriptis inculcat: namque, vt D. Thomas identidem in ſuis libris repetit, culpa eſt corruptio actionis, pœna corruptio agentis. quis autem ſuam corruptionem expetat? Itaque in 1. par. q. 48. art. 5. ſcriptum reliquit, eſſe de ratione pœnæ, vt ſit voluntati contraria. Si igitur eſt per ſe inuoluntaria, voluntarij principia minimè requirit: quæ ſunt cognitio & appetitus, ex omnium philoſophorũ & Theologorũ ſententia.

3\. Secundum argumentum. Obligatio, quæ contrahitur ex delicto, ad luendam pœnam, naturalis eſt, nõ ex conſenſu delinquentis, ſed ex legis naturalis auctoritate, vt docet Bartol. l. 1. ff. de conditione indebiti, num. 10. & Bartoli opinionem communem eſſe cõfirmat Couarruuias, in C. Alma mater, §. 10. num. 11. ſiquidem æquitas naturalis, & publica ſuadet vtilitas, vindicanda eſſe delicta. Si igitur obligatio eiuſmodi conſenſum delinquentis non requirit, ergo nec notitiam, ſine qua nullus poteſt eſſe conſenſus: quis enim rei aſſentiatur, quam ignorat?

Poſtremum argumentum. Excommunicationis pœna in contumaces & proteruos conſtituta eſt: at non ideo quis contumax exiſtimatur, quia pœnam legis ignorat, ſed quia legi non paret: imò poteſt quis contemnere pœnam, & magnifacere legem: vt ſi lex mulctam minitetur pecuniarum, quis poſſet pecuniæ amiſſionem negligere, & legem ipſam magno æſtimare: & quàm multas credere poſſumus ipſi poſt hoc mortale æuum pœnas ſceleratis comparatas eſſe diuinitus, quæ nunc eos latent omnino? nulláque humana coniectura aſſequi poſſunt?

4\. Ex his, quæ tum in proximè ſuperiore, tum in hac quæſtione à nobis diſputata ſunt, cognoſci poteſt, pœnam excommunicationum quæ in bullam Cœnæ digeſtæ ſunt, non vitari ab iis, qui ea faciũt, quæ illic vetantur: cùm ea fermè omnia iure diuino, ſeu naturali interdicta ſint: quæ iura nefas eſt à quoquam Chriſtiano, qui ſuæ mẽtis ſit, & rationis compos, ignorari. Mitto, eaſdem cenſuras eſſe ex eo genere, quæ cunctis, vbi promulgatur bulla, cognitæ eſſe deberẽt. Neque enim D. Thom. quodlib. 2. art. 19. veniam dat iis qui non ſeruant Pontificis Romani conſtitutionem, quã noſſe haud maiore negotio potuiſſent. Diuus autem Anton. in 3. par. tit. 24. c. 35. in calce, ignorantiæ excuſationem præcidit mulieribus, & iis viris, quamuis ſint religioſi, qui cùm ſuis egrediãtur monaſteriis, ignorãt ius, quod ſingulis annis in iis locis, vbi commorantur, promulgatur: & profitetur hac ſe in re auctorem ſequi Anton. Butr. quibus adſtipulatur Syluеſt. in verbo, Ignorantia, q. 8. Sanè certè Ariſtot. in 3. Ethicor. cap. 5. pœnas ſumi ait ab iis, qui leges ignorant, quas facilè ſcire poſſent: propterea quòd ignorare eſt in poteſtate eorum, & quando negligentiam atque incuriam vitare potuiſſent.

QVÆSTIO V.

De peccatis ebriorum & furioſorum.

1\. Marcus Bibulus ſua culpa in ebrietatem, furorémve, incidit: multa mala ebrius furénſque egit. Dubitatum eſt, vtrùm ea mala fuerint ei vera crimina.

Atque, vt finita quæſtio ad infinitã reuocetur: quæritur, vtrùm qui peccando ad ebrietatem furorémve deducuntur, quæ interim flagitia admittunt, vera ſint iis flagitia: atque ob ea ipſa pœna digni.

Qua de re magna eſt inter magnos auctores cõtentio. Namque ad furioſorum & temulentorum cauſſam hi omnes accedunt, Gulielmus Altiſiod. in Summa ſua Theologica, lib. 2. tract. 29. q. 3. vbi furioſum,

rioſum, qui ſua culpa in furorem incidit, cum pecude æquat, quando in eo funditus interit ratio. Gabriel Biel, in 2. ſenten. diſt. 22. q. 2. art. 2. concl. 3. idem affirmat de ebrio. Roſella, in verbo, Ignorantia, nu. 1. & in verbo, Ebrietas, num. 2. citans Raynerium, & Angelus, in verbo, Ebrietas, num. 3. idem quod Gabriel defendunt. Maior, in 4. diſt. 17. q. 2. quamuis præfatus ſit ſcholaſticæ diſputationis cauſſâ ſe pro ebriis argumentaturum, tamen decem argumentis ebriorum cauſſam defendit: nec animum viſus eſt gerere argumentis contrarium. Gerſon, tract. 31. de natura & qualitate conſcientiæ, opinionem, quæ omni peccato liberat ebrium, cùm tamquam ebrius agit, probabiliorem arbitratur.

2. Nominant hi ſuæ opinionis magiſtros, D. Auguſtinum, D. Ambroſium, D. Bernardum, Origenem; multiſque rationibus ſe corroborant. Sed nimirum quantùm in ſanctorum Patrum ſententiis, quantùm item in rationibus quas adhibet, præſidij ſit furioſis ac temulẽtis, poſt contrariæ ſententiæ expoſitas auctoritates Philoſophorũ atque Theologorũ, & poſt explicata argumenta videbimus: eò enim illa reſeruo, ne bis cogar eadem commemorare.

Ac Maior, qui ebriorum cauſſæ argumentando perbeneuolus fuit, duo fatetur: Vnum, hanc ſecundam opinionem eſſe communem: alterum, aduerſariam piorum & ſobriorum auribus odioſam. Henricus autem Gandauenſis, quo nemo vberiùs neque ſubtiliùs de re tota diſputauit, quodlib. 3. q. 26. circumſpiciens quæ vtrimque dici poſſent ſcribit his verbis:
» Sed tamen, quod nullo modo dicẽdum
» ſit, malè actum à tali in tali ſtatu eſſe pec-
» catum, abſurdum & irrationabile videtur
» eſſe: & contrarium dictis ſanctorum &
» Philoſophorũ, vt patet ex prædictis: cùm
» talis ignorantia, qua ſcilicet ebrius homi-
» cidium tale committit, ex culpa eius pro-
» ueniat, & ex malitia electionis exiſtentis
» ſua culpa in voluntate eius: quæ malitia
» exiſtens in voluntate eſt cauſſa mali exi-
» ſtentis in opere, & non propriè inuolun-
» tarij, vt dictum eſt. Hactenus Henricus.

3. Aduerſus igitur temulẽtos, tum philoſophi tum ſancti Patres, tum Theologi ſuffragia ineunt. Ariſtot. in 3. Ethic. cap. 5.
» pœnas ignorationis dependi ait ab illis,
» qui ſibi eius cauſſa extiterunt: ita duplicem in ebrios pœnam conſtitutam eſſe, vnam, propter crimen ebrietatis: alteram, propter criminoſam & voluntariam inſcitiam, in quam incidunt: in primo verò magnorum moraliũ, ad Eudemum, cap. 31. hæc ſcribit: Quandocumque perpe-
» trãdi aliquid cauſſa abſoluta fuerit igno-
» rantia, id non fit conſultò: & proinde ne
» iniuria quidem afficit. At cùm ipſe ſuæ
» cauſſa fuerit ignorantiæ, perpetrariſque
» quidpiam ex ignorantia, cuius ipſe exti-
» tit cauſſa, is planè afficit iniuria, ac eiuſ-
» modi iure criminis arguetur: veluti in
» ebriis euenit. Vino namque merſi, ſi quid
» perpetrarint, ſine controuerſia adferunt
» iniuriam: quandoquidem ipſi ſibi igno-
» rantiæ cauſſa extiterunt.

Ita Pittacus, è ſeptem ſapiẽtibus vnus, duas in ebrios pœnas conſtituit, ſi quem fortè in ebrietate percuſſiſſent, ſeueriùſque in eos voluit animaduerti, quàm ſi idem ſcelus ſobrij conſciuiſſent: qua de lege Pittaci meminit Ariſtot. in 2. Politic. cap. extremo, & in 2. Rhetoric. cap. 27. Quapropter Ariſtoteles, ebriis, qui ſibi ſponte vini potu mentem eripuerunt, nullo modo ignoſcendum putauit. Plato in 6. lib. de legibus, ebrium mente & corpore furere ait, illùmque eſſe vitioſum: ergo ſi Plato vitioſum facit ebrium, is vitioſè agit, ergo vitia & delicta ſunt mala, quæ ſuſcipit: idem Plato, in primo de legibus, extrema pagina, hominem ebrium peſſimum eſſe affirmat; ſeque ſponte in omnem prauitatem abiicere. Atqui duo hęc clariſſima lumina philoſophiæ multò plùs in hac cauſſa quàm aut Maior aut Gabriel, nonnullique alij, cum his duobus philoſophis minimè conferendi, viderunt.

Auer

4. Auerroes cuius multa illuſtria de peccatis ebriorum dicta colligit Henricus Gandauenſis, in illo quodlib.3.q.26. hoc loquitur, in cap.5.lib.3.ad Nicomachum.
» Puniunt quidem Domini legũ pro igno-
» rantia, eum, de quo putant, quòd volun-
» tas ſua fuit cauſſa ignorantiæ, vt in ebriis:
» duplicãt enim pœnas, eóque principium
» huius facti in ebrio eſt: cùm fuerit in ipſo
» non ebriari: hæc autem ignorantiæ cauſ-
» ſa: & ei, qui immoderato vini potu excæ-
» catus eſt, quod vitium eſt corporis, omnes
» nulla commiſeratione commoti, vitium
» corporis exprobrant; quanto magis vitia,
» & ſcelera, quæ labefaciunt mentem; &
» virtutem interimunt? quæ ratio eſt ipſius Ariſtotel. Euſtathius, Ariſtot. interpres, in cap. illud 5. Ethic.3. Pittaci laudat legem, qui duplicem pœnam inflixit ebriis. Vnam, propter ebrietatem; alteram propter ſcelus in ebrietate commiſſum. Cum his philoſophis copulo nunc D. Thom. tamquam philoſophum, & Ariſt. explanatorem, iterum eum tamquam Theologum citaturus: is igitur, in idem
» cap.5. tertij Ethici: Ignorantia, inquit, in-
» uoluntariũ cauſſat, vt ſuprà dictum eſt: ſi
» tamen nos ſumus ignorantiæ cauſſa, erit
» ignorantia voluntaria, & pro ea puniemur. Poteſt autem homo eſſe cauſſa ſuæ ignorantiæ dupliciter: vno modo, directè aliquid agendo, ſicut patet de iis qui ſe inebriant, & ex hoc redduntur ignorantes qui dupliciter ſunt increpandi: primò quidem, quia ſe inebriauerunt: ſecundò, quia ex ebrietate aliquod peccatum fecerunt. Principium enim ebrietatis eſt in poteſtate ipſius hominis: quia homo eſt dominus eius; quòd non inebrietur, idem in ſua poteſtate hoc habet: ebrietas autem eſt cauſſa ignorantiæ, & ſic per conſequens eſt homo cauſſa ignorãtiæ. Hæc D.Thom. tamquam philoſophus, atque Ariſtot. explicator, in 3.Ethic.lect.12.

5. Doctores Eccleſiæ ſanctique Patres, philoſophis coniunguntur. D. Ambroſ. lib.1.de Abrahamo, cap.6. Vitandam di-
» cimus ebrietatem, per quam vitia cauere non poſſumus: nam quæ ſobrij cauemus, »
per ebrietatem ignorantes committimus. »
Viden', vt Ambroſius condemnet ebrietatem, ob ſcelera quæ facere ſolẽt ebrioſi? igitur ſcelceratè agunt & vitioſè: ergo illis ſunt peccata. D. Auguſt. in libro de ſobrietate & virginitate, cap.1. Ebrietas ab animi iniuria incipit, & flagitiorum »
omnium mater eſt: culparum materia: ra- »
dix criminum: origo vitiorum, atque ob »
id ipſum eam vocat inſaniam voluntariã. »
Vtrùm hæc verba hominis ſunt vino ſuo vitio obrutos ab ſceleratè agendi improbitate & flagitio vindicantis? Diuus Baſilius, in homil. κατὰ τῶν μεθυόντων, contra ebrios, μέθη, inquit, ὁ αὐθαίρετος δαίμων ἐξ ἡδονῆς ταῖς ψυχαῖς ἐμβαλλόμενος· κακίας μήτηρ, ἀρετῆς ἐναντίωσις. id eſt, ebrietas, eſt dæmon voluntarius, noſtris »
animis ex voluptate iniectus: ebrietas »
vitij mater: virtutis oppoſitio: ergo ne- »
ceſſe eſt vitia eſſe ebriis, quæ per ebrietatem ſcelera edunt. Quis enim inficiari audeat, ea eſſe nefaria, quæ manant à dæmone? at dæmon voluntarius eſt ebrietas, apud Baſilium: nec ſolùm, apud Baſilium, verùm etiam, apud Chryſoſtomum & Bernard. ſic enim. Chryſoſtom. hom.1.ad populum Antiochenum, in ea »
verba Apoſtoli, *vtere modico vino*. Ebrius, »
mortuus eſt animatus: dæmon volunta- »
rius: morbus veniam non habens: ruina »
excuſatione carens, & homil.54. ad pop. »
Antioch. Ebrius infinita dignus damna- »
tione fera magis quàm homo. Cur dixit, »
infinita dignus damnatione, niſi propter innumerabilia flagitia, quæ concipere ſolent temulenti, vinóque cõfecti; & hom. 17. in Matth. probat, ebrios peiores eſſe belluis, canibus, aſinis: & homil.71.ad populum Antioch. negat, quidquam gratius eſſe dæmoni ebrietate: quando omnium eſt fons malorũ & genitrix. Si igitur tantopere delectatur dæmon ebrietate, id accidit, quia minimè ignorat, quæ à mente alienatis propter ebrietatem peccantur, vera eſſe peccata.

Sanctus Gregorius Nyſſenus, in 5.lib. 6. de

de philoſophia, cap. 2. actiones ebriorum ſcribit eſſe voluntarias, eóſque ignorãter quidem facere, ſed non per ignorantiam: quandoquidem voluntate ſibi inſcitiam pepererunt: quam ſententiam penè totidem verbis S. Ioannes Damaſcenus, in 2. lib. de fide orthodoxa, cap. 24. tranſtulit. D. Bernardus, in ſerm. 25. ad ſororem, qui ſermo eſt de ebrietate, mira quædam refert, in quibus eſt illud; ebrietatem eſſe manifeſtiſſimum dæmonem.

Grauiſſimos hos patres cuncti, qui ſapientiæ Theologicæ maiore gloria florẽt, ſunt inſecuti. D. Thomas, in 1.2. qu. 76. artic. 4. & 2.2. q. 150. art. 4. & in 2. lib. ſent. diſt. 22. q. 2. artic. 2. ad 2. D. Bonauent. in eamdem diſt. art. 2. quæſt. 3. Richardus, in eamd. diſt. art. 2. q. 3. ad 2. & in 4. ſent. diſt. 15. art. 3. q. 7. Durandus, in 2. ſent. diſt. 22. q. 4. Alexander Halenſis, in 2. par. ſummę Theologicæ, q. 112. memb. 9. & quæſt. 153. membr. 2. Albertus Magnus, in 2. parte ſuæ ſummæ, q. 88. Henricus Gandauenſ. in 3. quodlib. q. 26. S. Anton. in 2. par. tit. 6. c. 3. §. poſtremò. Turrecremata, in cap. Sextò die, diſt. 35. & 15. q. 1. in cap. inebriauerunt. Carthuſianus, in 2. ſent. diſ. 22. q. 1. vbi citat D. Thomam in ſcripto, & cum eo ſentire ait Richardum, Petrum Paludanum, Albertum, & communiter alios. Viguerius in inſtitut. cap. 7. §. 3. verſu 5. Alphonſus à Caſtro, in 2. de parte legis pœn. cap. 14. col. 19. Couarruuias, in relectione Clementinæ, ſi furioſus, de homicidio, parte tertia, ante, §. Tabiena, in verbo, Ebrietas, num. 8. & Syluester, in verbo, Ebrietas, q. 4. Caietanus in 1.2. q. 76. art. 4. & in ſua Summa, verbo, Ebrietas. Armilla, in verbo, Ebrietas, num. 1. & in verbo, Ignorantia, num. 10.

7. Quòd ſi omnes iuriſperiti, vt ait Alphonſus, loco citato, tradunt, peccata ebriorum minùs eſſe punienda, quàm ſi ea ſobrij peccaſſent, nominátque Cynũ, in l. ſi quis non dicam rapere, C. de Epiſcopis, & clericis; & Salicetum, in l. 1. ad legem Cornel. de ſicariis, prorſus cuique apertum eſſe poteſt, à Theologis in hac cauſſa non diſcrepare Iuriſconſultos, in l. reſpiciẽdum, §. delinquunt. ff. de pœnis, apertè dicitur, ebrios delinquere. Sanè certè vox & ſententia videtur naturæ, iis qui ſua ſponte in ebrietatem lapſi ſunt, ob malefacta ignoſcendum non eſſe, ideo, quòd cuncti, pueri, viri, ſenes, mulieres, infimi, medij, ſummi, maledictis, conuiciis, execrationibus, iuſtiſque odiis illos ipſos turpiter agentes inſectantur. Neque intelligi poteſt, cùm effectus naturam redoleat cauſſæ, ſi cauſſa, quæ ebrietas eſt, improba, criminoſa, & venenata eſt, non eſſe item tales, qui ea gignuntur euentus.

Verùm, quæ contra hanc veram ſen- 8.
tentiam adferri ſolent, euertenda ſunt. Adducunt ex D. Ambroſio, in lib. de Patriarchis, cap. 6. de Abraham, in quo extãt hæc verba: Sanè diſcimus vitandam eſſe ebrietatem, per quam crimina cauere nõ poſſumus. Nam, quæ ſobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus: & poſt aliquantò: neſciunt quid loquantur, qui nimio vino indulgent: iacent ſepulti: ideóque, ſi quã per vinum deliquerint, apud ſapientes iudices, venia quidem facta donantur, ſed leuitatis damnantur auctores.

Reſpondeo: ſi loquitur D. Ambroſius de iis qui ſua culpa non fiunt ebrij: crimina dicit, quæ per ſe crimina ſolent eſſe, & lege prohibita, quamuis crimina non ſint ebriis: atque ob idipſum apud iudices ſapientes excuſationem habent: neque ſupplicio afficiuntur. Verùm, ſi de iis loquitur, qui ſua culpa fiunt ebrij, ij nec ſine culpa ſunt, ſi delinquunt, etiam ſi peccãt, dicuntur donari venia, quia mitiùs puniuntur; vt interpretatur Gloſſa in cap. ſanè, 15. q. 1. qui canon habet omnia, quæ recitata ſunt, verba D. Ambroſij.

Sumunt à D. Auguſtino quod is de Loth ebrio ſcriptum fecit, in 2. contra Fauſtum Manichæum, cap. 44. Inebriauerunt Loth filiæ eius, & ſe neſcienti miſcuerunt: quapropter culpandus eſt quidem, non tamen quantùm ille inceſtus, ſed quantùm illa meretur ebrietas: quæ

verba tranſtulit Gratianus, in cap. Inebriauerunt, 15. quæſt. 1. Miror equidem, Maiorem, & alios nonnullos, hac auctoritate Auguſtini defenſionem ebriis comparaſſe: cùm eius verba reprehenſionem certam habeant ebriorum: nam cùm dicit Loth culpandum eſſe: ergo culpam contraxit ob inceſtum concubitum: cùm addit, non quantum, & c. hoc tantùm declarat, culpam fuiſſe minorem propter ebrietatem, quæ rationem minuit voluntarij. Subſidium mutuantur etiam à D. Bernardo, in lib. de gratia & libero arbitr.
» in primis paginis, vbi ſic. Inſanis, vel in-
» fantibus, itémque dormientibus, nihil,
» quod faciunt, vel bonum, vel malum im-
» putatur: quia nimirum ſicut ſuæ non ſunt
» compotes rationis, ſic nec vſum retinent
» propriæ voluntatis: ac per hoc nec iudi-
» cium libertatis. Verumenim hîc D. Bern. de impuro ebrio non loquitur, neque de iis qui ſuo ſcelere mentem amiſerunt, atque à ratione voluntarij deſciuerunt. Teſtimonio quoque Ioannes Maior vtitur Origenis ex eius hom. 5. in Geneſim. Verùm totam illam mihi homiliam perlegenti nihil occurrit, quo ebriorum cauſſa ſubleuetur: nam exquirens quid de facto Loth, & filiarum eius ſentiendum ſit, de
» Loth hoc pacto conſtituit. Vnde videtur
» mihi in parte culpabilis: in parte excuſa-
» bilis inueniri: Et paucibus verſibus inter-
» iectis, Audite, ebrietas quid agat: audite,
» quantum facinoris conciliet temulentia: ergo facinus exiſtimauit Origenes inceſtum illum cum filiabus in ebrio Loth.

9. Quem virum, & quas feminas non ſum ignarus à magnis auctoribus excuſari. Filias enim omni crimine liberant, Irenæus, lib. 4. cap. 51. Chryſoſt. homil. 44. in Gen. Theodoretus, quæſt. 69. in Gen. ab his non videtur diſiunctus Origenes, in
» in ea homilia 5. Singulis, inquit, ingreſſæ
» noctibus ſingulæ ſuſcipiunt ab ignoran-
» te conceptum. Vltra non repetunt, non
» requirunt. Vbi hîc libidinis culpa? Vbi
» inceſti crimen arguitur? Quomodo dabi-
» tur vitio, quod non iteratur in facto? Sed tamen flagitij coarguuntur à D. Auguſtino, qui ea de re diſputat, lib. 22. contra Fauſtũ, à c. 42. ad 46. cuius ſententia placuit poſterioribus doctoribus, atque Theologis. Ego quidem malim omnem culpam remouere ab illarum patre, quod ipſum facit D. Chryſoſtomus, hom. 44. in Geneſim, cum quo ſtare videtur D. Tho. in 2. 2. q. 150. art. 4. nam ſi ebrietas culpa caruit, quod eſt perquam probabile, coitus, qui eam conſecutus eſt, non potuit, nec debuit tamquam criminoſus obiici Lotho. Quamquam D. Bonau. in 2. ſent. diſt. 22. art. 2. q. 3. ſcribit, apud Sanctos Loth in culpa eſſe, licèt quodammodo eumdem excuſent.

Reſtat, vt pondera rationum aduerſariæ opinionis examinemus. 10. Prima ratio: Sine motu liberi arbitrij nemo delinquit: ſed in iis, qui perfectè ſunt ebrij, nullus eſt motus liberi arbitrij, nulla electio: qui eſt proprius liberi arbitrij actus, ex D. Th. in 1. p. q. 83. art. 3. ergo ebrij peccare non poſſunt.

Reſpondeo, ad culpam committẽdam ſatis eſſe motum liberi arbitrij qui anteceſſit in cauſſa: dupliciter enim malum eligi poteſt, vel in ſe ipſo, vel in ſua cauſſa: vtro modo eligatur, ſatis eſt ad peccandum: ſecundo modo eligitur ab ebrio, id eſt, ab eo, qui ebrietatem nimio potu elegit.

Secunda ratio. Ebrius mereri non poteſt: ergo nec demereri. Ratio hæc nulla. Iudæi, hæretici, pagani & reliqui facinoroſi mereri non poſſunt: ergo nec demereri falſa conſecutio: plura enim requiruntur ad meritum, quàm ad demeritum: noſtra enim voluntas ſola poteſt demereri; ſola mereri non poteſt: diuina enim gratia, & cœleſtibus præſidiis munitam eſſe oportet, ſi ſit ſalutem promeritura.

Tertia igitur peccatũ eſſet ante actum prauum, quo generari ſolet: quandoquidem dictum eſt, peccata ebriorũ in cauſſa æſtimanda eſſe: illa enim peſtifera ebrietatis labes antecedit actiones, quas deinceps promunt ebrij. eſt argumentũ Henrici:

rici: cui reſpondit idem Doctor: Peccato ebriorum non tam ad voluntatem committentem, quàm omittentem referri debere, eodémque tempore eum, qui ſe ſuámque mentem vino obruit, duplicem culpam ſuſcipere, vnam commiſſionis, quæ verſatur in ipſa ingurgitatione, intelligentiam demergente; alteram, omiſſionis, quæ inconſiderantia fuit: aut non cauiſſe ab iis malis; aut noluiſſe cauere, quæ è ſua ebrietate exiſtere poterãt. Voluntatem igitur hac culpa negligentiæ & remiſſionis infectã vult propriam eſſe radicem Henricus flagitiorum, quæ concipiunt ebrij, ipſáque flagitia ad omiſſionem potiùs quàm ad commiſſionem pertinere: atque ea re neceſſarium eſſe vt præcurrat euentũ, ſeu actum, qui poſt mentem ſopitam vino, ſuſcipitur ab ebrio, ſeu furioſo, ipſa omiſſio.

11. Mihi videtur dici poſſe preſſiùs. Quemadmodum ſemen, quod poteſtate continet flores, folia, ramos & fructus arboris, natura & tempore illa omnia anteit; nec illorũ nominibus appellatur, antequam ad materiam, è qua illa generantur, vim ſuam transfuderit: ſic facinoroſam ebriorum voluntatem eſſe ſemen ceterorum flagitiorum, quæ admittunt ebrij, ſed non poſſe nanciſci nouorum peccatorum nomina, & naturam, niſi poſtquam ad diuerſas actiones vim ſuam tranſmiſerit.

Quarta ratio. Si ebrius, qua voluntate ſe potu vini ingurgitauit, ea peccat: ergo cùm ſit ebrius, non vnum peccatum peccat, ſed plurima. Reſpondet Henricus, & vnicum committere, & quodammodo infinita. Vnum principale, propter vnam & principalem intentionem, qua ebrietatem adamauit: innumerabilia, propter circumſtantias, & euentus adiunctos, quos neglexit.

Quinta ratio: Ergo non peccat tantùm in iis quæ agit ebrius, ſed etiam, quæ agere poſſet. Reſpondet Henricus, peccatum committi in iis dumtaxat, quæ potuit, ac debuit cauere.

Ego quartum & quintum argumẽtum ſic diluerem. Ebrius eorum ſcelerum tantùm videtur reus, quæ concipit in ebrietate; illa verò ſcelera tunc generãtur, cùm à cauſſa venenata prauæ volũtatis, quam anteceſſit recens prauitas, ſeu actio flagitioſa, erumpit. Sicut enim humana voluntas non peccat, quia poteſt peccare: ſemper enim peccare poteſt in mortali vita: ſed cùm ad actum legi iuſtæ contrarium ſe applicat: ſic voluntas ebria non ſcelus, vitiúmve profundit, niſi cùm recens actio cõtra rectam rationem erumpit: quemadmodum eſt à nobis in quadam noſtra diſputatione de pernicioſa inſcitia demonſtratum.

Sexta ratio: Ergo actus exterior addit malitiam eſſentialem ad actum interiorem: id eſt, peccatum ex ebrietate auget prauitatem eius actus voluntarij, qui ebrietatem procreauit. Hoc argumentum confirmatur à Maiore. 12.

Reſpondeo primùm argumento, non vrgeri eos, qui vitia, ſeu ſcelera concepta ab ebriis, negant eſſe noua peccata, ſed improbas tantùm eiuſdem peccati circumſtantias eſſe contendunt: neque ad peccatum, quo ſe ratione nudauit, eſſentialem nequitiam, ſed accidentalem tantùm apponere. Deinde aio, ſicut cùm radix arboris eſt veneno imbuta, & ante frondes, ramos, & fructus procreata, virus in ea dumtaxat incluſum eſt: verùm ſtatim atque folia, rami, & fructus ſe efferunt, ipſi quoque venenum obbibunt: ſic prorſus de voluntate ebrij, ante fructus & partus ebrietatis editos, ſentiendum eſt.

Septima & poſtrema ratio. Si animum ebrij commaculant maledicta, inceſtus, ſcortationes, atque aliæ impuræ actiones, ſequeretur, ob leuem culpam, qua ſe inquinat, quo tempore ebrius euadit aliquis, gratiam poſt ebrietatem amittere, quam illi non ademit ebrietas.

Reſpondeo, id nullo modo conſequi: propterea quòd culpæ, quæ ebrietatem conſequuntur, nunquam peiores ſunt quàm ea, quæ mater fuit ebrietatis. Id enim receptum eſt à Theologis, atque

Philoſo

Philoſophis, effectus ſuarum cauſſarum naturam æmulari: quare ſi ebrietas ex nulla culpa eſt nata; euentus, qui ex illa manant, omni culpa vacare: quòd ſi in eo, aut leuis culpa, aut mortifera contracta eſt, pro genere culpæ tales item futuros effectus, qui ex ea gignentur.

13. Quando autem exiſtimandũ ſit, ebrietatem alicui probro dandam eſſe, vel non dandam, aut cum leui, aut cum letali, aut item cum nulla culpa coniunctam, his verbis ſtatuit D. Thom. in 2.2. q. 150. art. 2. » à quo didicerunt alij. Culpa ebrietatis, » ſicut dictum eſt, conſiſtit in inordinato » vſu, & concupiſcentia vini. Hoc autẽ con- » tingit eſſe tripliciter. Vno modo ſic, quòd » neſciat potum eſſe immoderatum, & ine- » briare potentem: & ſic ebrietas poteſt eſ- » ſe ſine peccato, vt dictum eſt. Alio modo » ſic, quòd aliquis percipiat potum eſſe im- » moderatum, non tamen æſtimat potum » inebriare potentem: & ſic ebrietas poteſt » eſſe cum peccato veniali. Tertio modo poteſt eſſe, quòd aliquis bene aduertat potum eſſe immoderatum, & inebriantẽ, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abſtinere: & talis propriè dicitur ebrius, quia moralia recipiunt ſpeciem non ab iis quæ per accidens eueniũt præter intentionem, ſed ab eo quod eſt per ſe intentum: & ſic ebrietas eſt peccatum mortale: quia ſecundùm hoc volens homo & ſciens priuat ſe vſu rationis: & ſic peccat mortaliter, periculo peccandi ſe committens. Totidem verbis S. Thom.

De furioſis autem nequaquam illud prætereundum eſt: ſi eorum furor lucida habeat interualla, hoc eſt, ſi aliquando ad ſanitatem redeunt, & culpæ, culparúmve præteritarum eos pœniteat; quæ rurſus eodem arrepti furore agunt, faciúntve, nullo eos ſcelere ſeu culpa adſtringere: quo beneficio temulenti potiri minimè poſſunt.

QVÆSTIO VI.

QVæſtionis de furioſis, & ebriis, qui ſuo flagitio in ebrietatem furorémve incurrerunt, quæ quidem quæſtio eſt à nobis adhuc pertractata, eſt hæc altera additamentum.

An ex ebrietate & furore naſcentia mala ſpeciem ſuam tueantur prauam ab ebrietate diſtinctam, vt, verbi cauſſa, inceſtus ebrio ſit verus inceſtus, & homicidium verum homicidium: an potiùs circumſtantiæ ſint eiuſdem peccati. Tractatur quæſtio à D. Bonau. in 2. ſent. diſtin. 22. art. 2. q. 3. de ebrio & furioſo, qui ebrietati & furori iniuſtam cauſſam attulit: atque videri ſibi eorum probabiliorem eſſe opinionem, qui credunt, illud genus hominum non poſſe nouam culpam committere, ſed primam tantùm augere. 1.

Richardus, in 4. diſt. 15. art. 3. quæſt. 7. horum peccata circumſtantias eſſe putat, non noua peccata: hoc ipſum putat Alphonſus à Caſtro, in 2. lib. de poteſtate legis pœn. cap. 14. col. 19. & Couarruuias, in relectione Clementinæ. Si furioſus, de homicidio, parte 3. initio, & Caietanus, in 1.2. q. 76. art. 4. §. de peccatis autem, quæ fiunt ex voluntaria ignorantia; hoc item ſequi videtur Syluester, in verbo, Ebrietas, q. 4. refert enim ſe ad ea quæ ſcribit D. Thom. in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 2. verùm illic D. Thom. nõ loquitur de effectis, ſeu euentis ebrietatis, ſed de peccatis, in quæ incurrunt, propter exemplum, aut imitationem, aut aliam ob cauſſam, ceteri: hoc enim colligi videtur ex eius verbis. Viguerius in inſtitutionibus, cap. 7. §. 3. verſu 5. comparat ſtatum ebriorum cum ſtatu damnatorum, quantum pertinet ad demeritum: quamuis enim peccent damnati, tamen non demerentur, vt probat ex D. Thom. ſed nimirũ longè diſpar eſt ratio damnatorum, & ebriorum: nam pœnam mereri ebrios, non ſolùm philoſophi, ſed etiam clariores Theologi, docent, & ipſemet D. Thom.

Thom. explanans caput 5. 3. Ethic. lect. 12. & aliis locis, qui mox aperientur.

2. Eſt igitur alia opinio fortaſſe verior, ebrios, de quibus diſceptatur, in ebrietate, nouo peccato, ſi peccant, peccare, peccato inquam homicidij, ſi hominem interficiunt, & ſtupri, ſi vim adferunt Virgini. Hoc viſum eſt D. Thom. in illa lect. 12. & in 2. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 2. ad 2. & in 1. 2. quæſt. 76. artic. 4. ad 4. & in 2. 2. quæſt. 150. art. 4. Henricus Gandau. in 3. quodl. quæſt. 26. idem probat. & D. Anton. in 2. part. tit. 6. cap. 3. §. 4. hoc ipſum ſequitur Carthuſianus, in 2. ſent. diſt. 22. quæſt. 1. nec mihi dubium eſt, eandem fuiſſe mentem Ariſtoteli, Platoni, Auerroi, aliiſque Philoſophis, & Sanctis Patribus, qui cùm dicunt, ebrietatem matrē eſſe vitiorum, flagitiorum, peccatorum, quid aliud indicant, niſi noua edi ſcelera ab ebriis, diuerſa ſpecie ab ebrietate? quis enim ignorat, vitium, peccatum, flagitium nominationem eſſe nō circumſtantiæ, ſed prauæ qualitatis, ſeu actionis, cui circumſtantiæ adueniunt? Quòd ſi in vitia & crimina labuntur ebrij, vt in ſuperiore quæſt. luculentis Sanctorum Patrum teſtimoniis probatum eſt: ergo vnumquodque peccatum, quod admittunt, in ſua & propria ſpecie reponendum erit: cùm nihil ſit in genere, quod non item in certa quapiam ſpecie reperiatur.

Præterea, cùm ſtuprum offert virgini ebrius, aut peccat, aut non peccat; peccare eum ſatis probatum eſt in proximè ſuperiore diſputatione: ſi peccat, aut peccatum ebrietatis, aut aliud: non ebrietatis, vt planum cuique eſt: ergo aliud peccatum; aliud fingi non poteſt, quàm ſtuprū: ergo peccatum ſpecie diuerſum ab ebrietate peccat. Ad hæc ſi peccata, quorum cauſſa eſt ignorantia craſſa, & ſupina; diſtinguuntur ab ipſa ignorantia, cur non diſtinguantur ebriorum & furioſorum peccata ab ea ignorantia, quam ipſi ſua mortifera culpa elegerunt: cùm ea ignorantia ſit plus quàm craſſa, aut ſupina?

Poſtremò, qui in ebrietate, quæ culpā habuit, occidit hominem, ex ſententia meliore & communiore incurrit irregularitatem, &, vt inquit Syluester, eſt de mente S. Thomæ, apertéque id affirmat Richardus, in 4. diſt. 15. artic. 3. quæſt. 7. & Caiet. in 1. 2. quæſt. 76. artic. 4. Syluest. in verbo, Ebrietas, quæſt. 4. Tabiena, eodem tit. num. 9. Armilla, eod. tit. num. 8. & in verbo, Irregularitas, num. 8. Cardinalis, & Ioannes Imola, in Clemen. vnicam de homicidio voluntario; quamuis ſecus opinati ſint, Alphonſus à Caſtro & Couarruuias, locis antea citatis, Angelus, in verbo, Ebrietas. Si ergo ebrius occidens hominem, non euadit irregularitatem: homicida eſt: nam ex homicidio illa oritur irregularitas, quamquam ad leniendam ſententiam has duas attexo propoſitiones. 3.

Prima propoſitio. Si ebrietas non prorſus extinguit lumen rationis, ex omnium ſententia conſequentem culpam non excuſat, niſi quadam ex parte, vt rectè admonet Syluest. in verbo, Ebrietas, q. 4. Secunda peccata, quibus contaminatur ebrius, nomina & ſpes ſuas conſeruantia, illa ſunt, quæ priùs, quàm in ebrietatem incideret, aut proſpexerat, aut veriſimili coniectura potuerat debueratque proſpicere. Secunda hæc propoſitio eſt Henrici Gandauenſis, quodlib. 3. quæſt. 26. & Caietani, in Summa: ſummáque nititur æquitate: reliqua peccata non prouiſa, vel quæ præuideri non poterant, circumſtantiæ fortaſſe dici poſſent ebrietatis, non noua peccata.

QVÆSTIO VII.

PRopertius ruſticus, ab exulibus comprehenſus, metúque mortis coactus, domum ducit eos Cornelij, quem ſcit Propertius ad necem quæri ab iſtis ſicariis. Is trucidatur: domus incenditur.

Quæritur an Propertius reus cenſendus ſit homicidij; & num iis, qui propter 1.

interi

Digitized by Google

interitum Cornelij damna ſunt paſſi, ſarcire illa debeat.

Suſpicari quiſpiam poſſet, terrorem mortis ab exſulibus illatũ Propertio, eum & crimine homicidij, & iure reſtituendi liberare: propterea quòd vnicuique pluris eſt ſua vita, quàm alterius: ergo ne ſuam profunderet, potuit alienam negligere. Ad hæc, quia nedum ab humanarum, ſed etiam à diuinarum ac naturalium legum præſcriptione recedere nonnumquam conceſſum eſt, ne vitam amittamus. namque rem alterius fraudatam reſtituere, & depoſitũ reddere, & integrè de ſuis peccatis apud ſacerdotem confiteri, ius non humanum, ſed aut naturale, aut diuinum initiò ſanciuit: atqui ad vitandum interitum ſecus facere licet, vt Theologi omnéſque iuriſperiti docent. Præterea demonſtrare alienam domum res eſt per ſe nec mala, nec iniqua: ergo nec fraudi, nec malo debuit eſſe Propertio.

Ad extremum. Nemo videtur ob ea accuſandus, aut puniendus, quæ agit inuitus, & coactus: huic enim veniam & miſericordiam nonnumquam tribuere ſolemus, vt inquit Ariſt. in 3. Ethico. cap. 1. » & in eodem cap. negat laudem quidem » impertiri iis, qui agunt ea, quæ non de- » bent; ſed tamen veniam dari, cùm pro- » pterea agunt, quæ humanã naturam ſu- » perãt, nemóque ſuſtineret. Accedit Gloſſa, in lege penultima. ff. ſi familia furtum feciſſe dicatur. Loquens enim de ſeruo, qui inuitus paruit Domino, aut furtum, » aut atrocius quidpiam iubenti, hæc ait, Si » omnino inuitus ſeruus paruit; periturus, » ſi non paruiſſet, hîc nullum eſt ſerui deli- » ctum. Quòd ſi ita eſt, & venia dignus erit ſeruus, & nulla pœna afficiendus.

Quam Gloſſam, tamquam ſingularem, laudat Iaſ. in §. ſi minus, de action. & idem exiſtimaſſe Cynum ſcribunt Couarruuias, in epitome 4. Decretalium, parte 2. cap. 3. §. 4. numer. 7. & Panormitanus, in cap. Sacris, de iis quæ vi metúſve cauſſa: qui Cynus, in l. 1. C. vnde vi, penultim. quæſtione, ſeruum, qui timore mortis ſibi inferẽdæ à Domino, niſi Domini vxorem occidat, occidentem ait non teneri homicidio: cui ſententiæ illic Panormitanus adſcribit etiam Bartolum, in l. 2. de noxalibus action. & hanc ait eſſe opinionem iuriſconſultorum.

Euſtratius verò, homo egregiè doctus, interpretans 1. cap. 3. Ethici, affirmat laudandum fore eum, qui cum vxore Tyranni conſueſcat, atque adulterij cum ea conſuetudinem habeat: aliquódve mendacium conflet ad tollendum Tyrannum, eiúſque dominationem extinguendam; teſtatúſque erat eamdem ſententiam dum libri ſecundi Ethici, cap. 6. explanaret. Hæc igitur in Propertij defenſione videntur eſſe præcipua.

Verumenim iuſtæ Propertij defenſioni nullus eſt locus: quod cuique perſpicuum erit ex iis quæ continuò ſubiiciam. 3.
Primùm. Quia ſi inficiatione, aut ambigua oratione Propertius poterat ſuæ ſaluti, & Cornelij, conſulere; illud faceret omnino. Quid enim erat tanti dicere, Domus eſt mihi ignota Cornelij, hac interiore interpretatione, vt eam vobis liceat indicare. Quòd ſi Propertius reſpondeat: eiuſmodi verbis nullam fidem homicidas illos habituros: quòd iis eſſet perſuaſiſſimum Cornelij domum illi eſſe notiſſimam: illud addo ſecundum, Si non indicata domo, non mortis, ſed verberum tantùm periculum impendebat Propertio, Vitam Cornelij ſua verberatione redimere debebat. Poſtremò affirmo: Si Propertio prorſus pereundum erat non demonſtranti domum, mortem illi oppetendam fuiſſe neceſſariò; ne tanti ſceleris conſceleratis illis miniſter eſſet. Cùm nec laboris, nec conſilij, nec vocis, nec manus auxilium alterius flagitio ferre liceat aliquando. Quamuis enim viri ſapientes, certiſſimis ſententiis atque veriſſimis conſtituerint, virum fortem & conſtantem non facere contra officium, ſi metu maioris mali minus eligat: hoc nihilominus eſt eorumdem firmiſſimum decretum, malorum omnium maximum

KKKK pecca

peccatum eſſe, & ſcelus; cunctáque mala corporis, & fortunæ, quamuis calamitatem, atque ærumnam perpetiendam eſſe potiùs quàm honeſti, Deique leges perfringendas.

4. Vidit hoc Ariſtot. in 3. Ethic. cap. 1. vbi ſcribit his verbis: Quædam autem fortaſſe ſunt, ad quæ perpetranda nemo cogi compellive poteſt, ſed potiùs extrema quæque pati, ac mori conuenit. Ita Zeno, vt Euſtratius ea verba Ariſtot. explanans narrat, linguam ſibi mordicus arreptam abſcidit, atque expuit, priuſquam arcana ſibi credita enunciaret, ac proderet. Idem Ariſt. iam in 2. Ethico. cap. 6. moralis philoſophiæ alumnos commonefecerat, nonnullos eſſe affectus, aliquas item actiones, quæ nullam mediocritatem admitterent; ſed ſtatim ipſo nomine prauitatem implicarent, vt maleuolentiam; impudentiam, inuidiam, quæ ad affectus referuntur; itémque adulterium, furtum, homicidium, quas actiones eſſe confirmat. Omnia enim hæc, inquit Ariſtot. & huiuſcemodi ita appellantur, quia non exceſſus ipſorum, & defectus, ſed ipſa mala ſunt: vt nullo modo poſſit quiſpiam rectè agere, ſed peccare ſemper neceſſe ſit; neque bene, aut non bene ſe gerat, dum quatenus, & quando, & quo modo oportet, adulterium committit: ſed dum abſolutè vnumquodque horum facit, continuò peccet. Hactenus Ariſtoteles. ac D. Auguſt. de ciuit. Dei, lib. 1. cap. 18. de pudici animi fortitudine differés, eam ait decernere, quælibet mala potiùs toleranda eſſe, quàm malo conſentiendum: habetúrque 32. q. 5. cap. ita ne.

5. Quocirca cuncti Theologi iudicauerunt, numquam peccaturum virum fortem, vt quoduis malum effugiat. Peccata enim, inquit D. Thom. in 4. ſentent. d. 29. quæſt. 1. art. 2. in reſponſione ad 2. ſunt maxima malorum, & ideo ad hoc nullo modo poteſt homo conſtans cogi: imò magis debet mori; quàm talia ſuſtinere, vt etiam Philoſophus dicit, in 3. Ethic. cap. 1. D. Bonauenturæ ſunt hæc in 3. ſentent. diſtinct. 39. artic. 3. quæſt. 2. numer. 53. licèt reſpectu actuum humanorum poſſit cadere metus ſufficiens in virum conſtantem; tamen quantùm ad ea quæ iuſtitiæ ſunt, non poteſt cadere metus ſufficiens in virum conſtantem: quantùm enim ad illa dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Ideo apud Deum talis metus non reputatur cauſſa ſufficiens ad excuſandum hominem à reatu peccati. & in 4. ſent. diſtinct. 39. art. 1. quæſt. 1. num. 9. nullus timor reſpectu peccati perpetrandi poteſt nec debet cadere rationabiliter in virum conſtantem: ſecus quando agitur de re indifferenti, quia tunc non poſſet ſinere ſe interfici.

Scotus, in eamd. diſt. 4. q. vnica, art. 1. in calce, nullus metus poteſt inducere aliquem ad peccatum mortale ſecúdùm rectam rationem: quia non poteſt eſſe maius malum, quod imminet, quàm iſtud peccatum. Durandus, in eamdem diſtin. quæſt. 2. num. 4. quæ in hanc ſententiam ſubtiliter dicuntur à D. Thom. in illam diſt. quæſt. 1. art. 2. ſequitur, ac exſcribit pene totidem verbis: nec aliter in hac parte viſum eſt Alexandro Halenſi, in 3. par. quæſt. 4. memb. 4. art. 3. & in 4. par. quæſt. 8. memb. 7. art. 2. §. 1. quibus poſteriores Theologi ſunt omnes ad vnum aſſenſi.

Neque ſolùm ad vitandam culpam 6. grauem, & letalem, ſed etiam leuem, quæ tamen ipſa Deum offendit, cuncta pericula & mala debet quiſque perferre, vt docet D. Thom. in quodl. 11. artic. 9. & Adrianus, quæſt. 3. de clauibus except. 8. Didacus Couarruuias, in epitome 4. Decretalium, par. 2. cap. 3. §. 4. numer. 3. & ante illum Caiet. in 1. 2. quæſt. 96. art. 4. & Panormit. in cap. ſacris, de his, quæ vi metúſve cauſſa fiunt. In quo canone ſunt hæc verba: Cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere?

Cùm ergo maximum ſit crimen, occidere innocentem; nullúmque incidat tempus, cùm tantum facinus conſciſcere

liceat, ne Propertius perflagitioſis latronibus operam nauaret vllam ad interimendum Cornelium, omnia pericula & tela iſtorum ſubire debebat: id enim quiuis vir probus & conſtans præſtitiſſet. Quapropter iure diuino, naturali, & Pontificio, nequidquam dubito, Propertium veri homicidij; id eſt, iniuſtæ hominis interfectionis reum eſſe: quod enim aliud eius fuit delictum? compenſandorúmque damnorum onera ad eum ſpectare, quæ ceterorum ſunt homicidarum. Neque verò perdifficile eſt omnia depellere, quæ à principio diſputationis pro ruſtico Propertio, ſed perleui colono allata ſunt.

7. Primum enim argumentum multipliciter reprehenditur. Primum falſum eſt, ſemper pluris vitam noſtram quàm alterius æſtimandam eſſe: quum enim in alterius vita cómunis ſalus eſt, vel Catholicæ religionis propagatio nititur, tunc multò minoris tibi tua vita eſſe debet, quàm alterius: nimirum, quia rationes, & partes publici boni, cuique potiores eſſe debent, quàm priuati, & proprij: præſertim cùm bonum priuatum caducum eſt, ſiue vitæ ſit, ſiue famæ, ſiue externorum commodorum.

Deinde, iuris huius, quod præcipit, vt nobis noſtra quàm alterius ſit vita commendatior, ea eſt vis; vt ſit ſemper excepta aliena iniuria: neque enim tibi fas eſt tuam ſalutem conſeruare prodenda euertendáque mea: quæ Dei naturæque iure debet eſſe incolumis: ergo vitam meam iuſtam debes ipſe magis diligere, quàm tuam cum iniuria atque iniuſtitia coniunctam: ſicut magis diligere debes iuſtitiam, & virtutem, quàm corporis tui ſalutem, imò quàm totum te ipſum: propterea quòd iuſtitiæ, temperantiæ, ceterarúmque virtutum amor ad eũ amoré, qui Deo debetur, refertur ab Origene in procemio Canticorũ. Itaque neque rem familiarem tuam, neque famam, neque vitam, cùm habent alterius adiunctam iniuriam, anteferre debes rei domeſticæ, vel famæ, vel vitæ iuſtæ proximi tui.

Audi Scotum, in 4. ſent. diſtinct. 15. quæſt. 2. Si arguas, inquit, quòd magis » debet quilibet ſe diligere, quàm proxi- » mum: & per conſequens magis vitam » ſuam corporalem, quàm proximi: & per » conſequens iſtam rem ſimpliciter neceſ- » ſariam ſibi magis retinere, quàm dare » proximo: Reſpondeo, magis debet dili- » gere vitam ſuam ordinatè, vt eſt diligibilis ad vitam æternam, & ita magis conſeruationem iuſtam vitæ proximi: ſed non magis conſeruationem iniuſtam vitæ ſuæ, quàm conſeruationem iuſtam vitæ proximi. Sic enim magis debet latro ſuſtinere ſuſpendium, quàm occidere ſuſpendentem, vt euadat: cuius ratio eſt, quia dilectio vitæ corporalis iniuſtè cuſtoditæ, non eſt dilectio ordinata: quia non eſt ad dilectionem animæ, nec Dei.

Hæc totidem verbis Scotus. Quod 8. item ſecundo loco adferebatur, multis modis refellitur. Principio tenendum eſt, quaſdam eſſe leges tum naturæ tùm Dei, à quibus recedere numquam poſſumus: quales ſunt eæ, quæ aut præcipiunt rem bonam, quæ nullo vmquam tempore poteſt eſſe mala; vt, Deo credere, illum amare, in eo ſpem ſalutis ponere; aut rem interdicũt per ſe adeo malam, vt numquam bona poſſit euadere, vti eſt fornicatio, adulterium, mendacium, inuidia, peccata contra naturam, odium Dei, hæreſis, blaſphemia in Deum.

In hoc legum genere reperitur: *Innocentem non occides*. Omnibus his legibus ſic obtemperandum eſt, vt numquam ſecus facere liceat; at ex hoc genere non ſunt illæ tres prolatæ, de re fraudata reſtituenda, de reddendo depoſito, de integra peccatorum confeſſione. Tum dico, à legis cuiuſque præſcripto tunc diſcedi poſſe, cùm voluntas & benignitas legiſlatoris diſceſſui aſſentitur: quod ipſum facit Eccleſia cùm quis ad magnum aliquod aut famæ, aut vitæ, aut etiam bonorum vitandum incommodum, vnam aliquam

legem ab ſe latam non ſeruat. Leges autem Eccleſiæ quæ benignæ ſunt, nõ obligare Chriſtianos cum vitæ periculo ſentit Sotus de iuſt. & iure, lib. 1. quæſt. 6. artic. 4. col. penult. & Syluest. in verbo, Metus, quæſt. 2. tametſi ſecus viſum ſit aliquando Caiet. in 1.2. quæſt. 96. art. 4. vbi vult, Eccleſiæ leges obſeruandas eſſe, vitæ etiã illato periculo: nec quemquam excuſari ob quemlibet metum; contrariámque opinionem erroneam appellat.

Verùm tam grauis cenſoriæ ſeueritatis nota ſententiæ non leuium auctorum inurenda non erat: præſertim cùm is à ſe ipſo poſtea in Summa deſciuerit: vbi de dierum feſtorum obſeruatione præcipiẽs eos, quibus vis infertur, excepit his verbis. Si verò infertur violentia, non propter feſti iniuriam, ſed propter exactionem operis; & niſi ſerui, famuli, aut quicumque ſic compulſi pareant, imminet eis damnum magnum in perſona, vel rebus, tunc ex neceſſitate imminẽtis damni vitandi poſſunt, audita, ſi poſſunt, miſſa, laborare: neque aliter iudicandum eſt de reliquis Eccleſiæ legibus; cùm vi iuſtóque metu coactus quis illis non obtemperat: modò abſit contemptus, & iniuria, aut Dei, aut Eccleſiæ, aut grauis ſcandali: tunc enim cùm ad humanam legem diuina etiam & naturalis accedat, eiuſmodi contemptum, iniuriam, & ſcandalum prohibens, moriendum potiùs eſſet, quàm legi non obediendum.

9. Facilè verò Caietani argumenta infirmantur: nam, quod ait, interdictum de connubio Eccleſiaſticum, in gradu conſanguinitatis vetito ab Eccleſia, nullo metu violare licere: id accidit, quia ſi violaretur, matrimonium eſſet nullum, & in fornicationem eſſet prolapſio. ego verò illud addo: matrimonium tunc fore iure diuino & naturali nullum: quia libero careret conſenſu. Id verò, quod addit de præcepto miſſæ celebrandæ, cum veſtibus ſacerdotalibus, lumine altaris; vt etiam impendente morte ſecus agere nõ liceat: ſanè Nauarrus, in Summa, cap. 25. numer. 84. Caietani dictum in hac parte profitetur ſibi durũ videri. Adfert idem Caietanus, canonem Innocentij III. ſacris, de iis, quæ vi metúſve cauſſa fiunt, vbi Innocentius ait excommunicationis labe inquinari eum, qui communicat excommunicatis inuitus: cùm pro nullo metu, inquit, debeat quis mortale incurrere.

Reſpondet Sotus, in 1. de iuſt. & iur. quæſt. 6. artic. 4. caput illud intelligi ab omnibus de communicatione in ſacris, & cum ſcandalo. Sed magis probatur mihi interpretatio Sylueſtri, in verbo, Metus, quæſt. 7. vt decretalis loquatur de eo, qui participat directè in iis quæ ſunt per ſe mala, ſeu in crimine, vt loquuntur, criminoſo.

Ad extremum, quod adiungit Caietanus; vbi aliquid præceptum eſt ab Eccleſia: ſtatim euadere actum virtutis, & ad aliquam virtutis ſpeciem pertinere; pro qua virtute eſt mors ſubeunda: fatendum eſt, inſeri in genus virtutis id, quod præcipitur, ſed non tamquam neceſſarium quouis tempore ad ſalutem: neque vt vitio vertatur ei, qui interdum, aut neceſſitate, aut aliquo acerbiore caſu omittit, quod iubet, vetátve Eccleſia.

Hæc de legibus Eccleſiæ. Eſt item in Dei naturæque legibus talis æquitas, vt earum auctor Deus in quibuſdam velit ſe eſſe lenem, eáſque nolit nonnumquam ſeruari; & illis quidem duabus de reddendo depoſito & de reſtituẽda re aliena noluit morem geri oportere, quando aut reſtituenti & reddenti grauius aliquod incommodum & malum immineret; aut etiam ei, cui reddendum reſtituendúmque eſt, aut etiam Reipubl. nam eiuſmodi legum moderatricem, vt ceterarum omnium, voluit eſſe caritatem, quæ cogit rei dominum magnũ damnum alterius ſuo paruo anteponere.

De tertia autẽ illa lege, quæ integrita- 10.
tem attingit confeſſionis, ita ſtatuit diuina caritas, vt cùm ad illam pariendam, nutriendam, atque augendam inſtituta ſint

ſint à Chriſto Domino ſacramenta, non culpam in ſacra confeſſione ſuſcipiat is, qui ne amittat vitam, delictū aliquod ſacerdotem celat. Neque enim ſacramenta ſua voluit Chriſtus ita ſalutaria eſſe animabus, vt corporibus eſſent exitioſa. At indicare domum non eſt res per ſe mala.

Reſpondeo, non eſſe per ſe malam, ſi vniuersè conſideretur, verùm malam euadere propter ſingulares circumſtantias huius temporis, atque horum hominum: neque occidere hominem, neque cognoſcere mulierem, per ſe malum eſt, vt ſemper ſit malum: at hominem occidi nunc, & ab hoc, & mulierem cognoſci ab hoc, aut ſecus quàm cognoſcenda eſt, ſit per ſe malum, & graue ſcelus.

Poſtremum in cauſſa Propertij fuit, quòd qui coactus & inuitus quidpiam agit, quamuis contra legem agat, errati (ſi erratum dici poteſt, quod non ſponte quis agit) & liberationem pœnæ impetrare debet: atqui Propertius vi coactus, & vitæ diſcrimine perterrefactus, Cornelij domum prædonibus illis monſtrauit: ſuntque ad eam confirmandam rationem Philoſophorum & Iuriſconſultorum auctoritates quæſitæ. Sed in quāta inanitate omnis illa verſetur probatio, hinc intelligent omnes.

Duplex eſt, inquit D.Thom. in 4. ſent. diſt. 29. q. 1. art. 1. coactio, vel violentia. Vna, quæ facit neceſſitatem abſolutam, & tale violentum dicitur à Philoſopho violentū ſimpliciter, vt cùm quis alium corporaliter impellit ad metum (puto à D.Thoma ſcriptum eſſe ad motum, quo vincitur corpus) Alia, quæ facit conditionatam neceſſitatem: & hanc vocat Philoſophus violentum miſtum: ſicut cùm quis proiicit merces in mare, ne periclitetur: & in iſto violēto, quamuis hoc, quod fit, non ſit per ſe voluntarium, tamen conſideratis circumſtantiis hic, & nunc., voluntarium eſt: & quia actus in particularibus ſunt, ideo ſimpliciter voluntarium eſt, ſed ſecundùm quid inuoluntarium. Vnde hæc violentia, vel coactio poteſt eſſe in conſenſu, qui eſt actus voluntatis, nō autem prima: & quia hæc coactio fit ex hoc, quòd timetur aliquod periculum imminens, ideo iſta vis idem eſt quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo. Hæc ille.

11. Prima coactio, quæ neceſſitatē adfert abſolutam, vt inquit D.Tho. ſufficiens dicitur à multis antiquis Theologis. Secunda, quæ cōditionata & à D.Tho. & ab illis ipſis inducens nuncupatur, vt ab Altiſiodorenſi, lib. 2. tract. 11. q. 3. ab Alex. Halen. in 4. par. q. 8. membr. 7. artic. 2. §. 1. à diuo Bonauent. in 4. ſent. diſt. 4. art. 2. q. 1. nu. 22. à Durando, in 4. diſt. 29. q. 2. nonnulli alij primam coactionem, ſeu vim appellant abſolutam, ſecundam cōditionatam, & prima vis ſeu coactio, aut neceſſitas adhiberi non poteſt humanæ voluntatis interiori actui ſiue elicito, quem ſola ipſa gignit, & recipit: & huius ratio eſt, inquit D.Thom. in 1. 2. q. 6. art. 4. quia actus voluntatis nihil eſt aliud, quàm inclinatio quædam procedens à principio interiore cognoſcente: ſicut appetitus naturalis eſt quædam inclinatio ab interiore principio, & ſine cognitione: quod autē eſt coactum, vel violentum, eſt ab exteriore principio. Vnde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quòd ſit coactus vel violentus: ſicut etiam eſt contra rationem naturalis inclinationis, vel motus lapidis, quòd feratur ſurſum.

Hæc D.Thomas, qui tamen in 4. ſent. diſt. 29. q. 1. art. 1. fatetur id, quod fatendum eſt, eamdem voluntatem vim & coactionem pati poſſe in actibus ſuis imperatis: in iis inquam, quos imperat, & adfert corporis membris, vt eſt, loqui, videre, mouere, ambulare. Poſſunt enim hi extrinſecus neceſſitate quadam impediri eadem repugnante voluntate.

Quærat quiſpiā fieri ne poſſit, vt quis primam coactionem, & neceſſitatem ſuſtinēs, culpæ & pœnæ ſit verè obnoxius. 12.

Reſpondeo, fieri poſſe: vt cùm reus, qui iuſſu iudicis debet redire ad carce-

rem, recuſar, & vi abreptus à ſatellitibus ad eum reducitur: & cùm filiusfamilias patris iuſto imperio à cõplexu meretricis, eiúſque domo, abſtractus, ad paternos lares per vim ſeruorum, aut etiam ſatellitum deducitur. Huic enim violentæ motioni repugnás reus, & filiusfamilias, ſine dubio peccant vterque.

Altera coactio, ſeu vis, quæ vel inducens, vel conditionata appellari ſolet, numquam culpa vacat, cùm ad vitãdum quodlibet incommodum, ſeu ſupplició, culpa eligitur: cùm malũ cuiuſlibet culpæ maius ſit quolibet malo cuiuſlibet pœnæ, vt ſapientes Philoſophi ac Theologi veriſſimè docent.

Itaque homo virtute & conſtãtia prçditus ad culpam numquã flectitur quouis alio malo, atque impendente periculo, éſtque prudens Gabrielis obſeruatio, in 4.ſent.diſt.29.art.1.not.1.id, quod Iuriſconſultis eſt metus, Theologis eſſe cõditionatam coactionem, & Ariſtoteli in 3.Ethic.cap.1.violentum miſtum. Metus autem hic, ſi excuſationem culpæ & pœnæ habet, debet eſſe iuſtus; & qui cadere poſſit in conſtãtem virum: quem metum ipſi in libris noſtris de contractibus definiuimus eſſe, inſtantis, grauis, iniuſtique mali ab homine ſibi inferendi vehementem probabilémque opinionem: dico *inſtantis*, quia ea, quæ longiùs abſunt, formidare non ſolemus: quamuis ſciamus euentura: cuncti enim intelligunt ſe morituros: nec ea re tamen cruciantur: id explicat Ariſtot. in 2. de arte Rhetorica, cap.5. grauis: quia leui malo non perturbatur vir conſtans ac prudens. *Iniuſti*, vt docet Panormit. in c. Abbas, de his, quæ vi metúſve cauſſa, num. 7. commentarij. & actiones quidem, quæ huius metus cauſſa ſuſcipiuntur, ad maius malum euitandum, cùm electiones ſint, & in rebus ſingulis poſitæ, per ſe voluntariæ cenſentur, à philoſopho, in 3.Ethicor.cap.1. contrà ipſa obiecta actionum ſeu mala, quæ impellente timore eligi ſolent, ſimpliciter inuoluntaria ſunt, vt idem ait: quoniam illa per ſe, & propter ſe nemo vmquam eligeret, vt carcerem, vt verbera, vt corporis cruciatum, vt iuris infamiam, vt vincula, vt exilium, & alia eiuſmodi.

Reliquum eſt, vt auctoritatibus Ariſtotel. Euſtrathij, & Iuriſconſultorum reſpondeamus. Sanè loca Ariſtotelis nulli ſunt Propertio præſidio: nam cùm ſcripſit, veniam & miſericordiã tribui nonnumquam iis qui aliquid, quod non decebat, agunt inuiti; nimirũ excludit multa tempora, quibus temporibus venia & miſericordia neganda eſt: in quibus temporibus eſt illud, cùm à nefariis & crudeliſſimis hoſtibus vita & ſanguis innocentis expetitur: cuius vitã violare, ſicut ſemper eſt impium: ita violantibus adiutorem quoquo modo eſſe, eſt ſceleratũ: & ne inſonti miſerrima peſtis ac pernicies importaretur, extrema quæque viri boni pertulerunt: & quæ humana natura pati poteſt, magna animi conſtantia tolerauerunt, & ſuſtinere turpia pro honeſtis, licet, vt idem docet Ariſtotel. in illo, cap.1.3.Ethic. at mala agere, vel peccare, nequaquam: turpia autem dicit, vt rectè interpretatur Euſtrathius, quæ ignominiæ, & dedecoris labem ſolent adſpergere, vt nudum prodire in locum publicũ, & alia eiuſmodi. 13.

Quæ autem ab Euſtratio de illa conſuetudine cum vxore Tyranni & mendacio dicuntur: quæ item à nonnullis Iuriſconſultis excogitata ſunt, tum à veritate, tum à Theologorum, & diuinarum legum auctoritate longè abhorrent. Ipſíſque illis ante nos ſucceſuit Couarruuias in epitome 4. Decretalium, par.2.cap.3. §.4.num.4.5. & 6. & Nauarrus in commentario capitis: ita quorumdam de Iudæis, notab.11. num.16. vbi ſcribit deci- »
ſionem Cyni ac Petri, & eorum, qui illos »
duces ſecuti ſunt, eſſe multò falſiſſimam. »

Verba ſunt huius pereruditi ſenis.

QVÆ

QVÆSTIO VIII.

De captiuis remigibus Chriſtianis.

1. ALiquid haud paruæ moleſtiæ mihi accidit, in ea, quam nunc ingredior, quæſtione.

Culpámne mortiferam, & excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam contrahant ij captiui Chriſtiani, qui Turcarum triremes aduerſus innocentes Chriſtianos impellunt.

Hac de re nunc tertiùm ſcribo. Primùm, plus triginta ab hinc annos de eadem diſſerui, cùm Gregorij XIII. bullam in Cœna Domini explicarem. Secundò, ſextum ante annum toties hoc de genere flagitatus: & in prima quidē diſputatione nō ſum auſus à Nauar. opinione recedere, qui ab his miſeris mortiferi facinoris crimē ſuſcipi credit, tum in Sūma, cap. 27. nu. 63. tum in commentario, capitis, ita quorumdam, de Iudæis: notabili vndecimo: non tamen putat iis aut à Conciliis, aut à Romanis Pontificibus excommunicationis ſecurim inflictā eſſe. Cardinalis Toletus in 1. lib. de inſtructione Sacerdotum, cap. 14. & lethalis culpæ, & excommunicationis cenſura condemnat captiuos Remiges, qui Turcas vehunt, à quibus Chriſtiani liberi occidendi ſunt, diripiendi, & affligendi. Sed quod ait calamitoſos hos Remiges excommunicationi ſubiici à Nauarro, ipſum haud affirmat Nauarrus. Sed contraria ei potiùs ſententia placuit.

Cordubenſis in quæſtionibus Hiſpana lingua diſceptatis, contradicit Nauarro, quæſt. 137. in qua miſcet nonnulla à Doctorum opinione oppidò abhorrentia: illius autem noſtræ primæ ſententiæ hæc Summa erat.

2. Contra officium facere noſtros captiuos remiges: quoniam nullo iure licet alteri opitulari contra vitam, & libertatem eorum, quos nefas eſt lædere: nec quidquam adferūt, qui aiunt ideo Chriſtianos remiges non teneri mortifera noxa: quia item Chriſtiani hanc illis iniuriam libenter condonāt. Iniuria enim illa quæ fit Chriſtianis, diuino naturalíque iure prohibetur: ergo ab eo tantùm condonari poteſt; qui naturæ eſt auctor. Dices, ius non lædendi Chriſtianos hoc tempore, de quo diſputamus, in fauorem eſſe Chriſtianorum, eóſque de iure ſuo poſſe decedere.

Primùm dici debet ius illud non tribui Chriſtianis: quia Chriſtiani ſunt, ſed quia innocentes ſunt: quos nullo modo vult lædi Deus. Deinde, ius non lædendi inſontem, non tantùm eſt in fauorem huius inſontis, ſed etiam eſt totius Chriſtianæ Reip. cuius eſt membrū, atque adeo totius Catholicæ religionis, quam nullo modo violare licet in ſuis membris. Poſtremò, liceret interfectori impunè, & ſine ſcelere mortem adferre innocenti, iubente ac minitante Tyranno: quando interfectori innocēs condonaret iniuriam: quod eſt ab omni pietatis & veritatis ſenſu quàm remotiſſimum. Hæc tunc à nobis totidem verbis.

Decem & octo annis pòſt, hæc item 3. addidimus, cùm iterum de eadem controuerſia multò copioſiùs diſceptaremus. Alterius facto, quod tum facienti tum aliis inſigniter nocet, Conſilium, opem, operámve pręſtare flagitioſum eſt: atqui nauigium contra inſontes Chriſtianos agere nocet Turcis, qui peccant grauiſſimè, & Chriſtianis quorum Vitæ, libertati, honori, & fortunis iniuria adfertur. Diui Thomæ in 2.2. q. 110. art. 6. illa eſt præceptio: Nullus debet obedire alicui ad communicandum ſibi in facto illicito: ergo nec captiui Chriſtiani morem gerere debent Turcis in Chriſtianos irruentibus.

Adrianus in 3. quodlib, art. 2. ſubtiliter tractat hunc locum. An ſemper ſit illicitum cooperari proximo ad actum peccati, his enim verbis quæſtionē proponit;

&

& poſt de eadem re contrarias ſententias explicatas in columna proxima poſtremæ, hæc ſcribit: Vnde pro regula dico, non licet cooperari proximo ad actum peccati, per quem alius læditur:& ad eū limitari debet, quod dicunt Doctores: non licet locare domum volenti fœnerari,nec licet parato furari,demonſtrare, quo loco ſitum eſt alienū, vt ipſum poſſit auferre:niſi in caſu,quo dominus actu elicito vel debito eſſet volens: puta, ſi prænoſceretur fur aliàs dominum rei occiſurus: vel maius damnum eidem pro certo illaturus. Hactenus ille.

Memoria verò & cognitione digna eſt doctrina Gloſſæ, de quadruplici conſenſu ab ea tradita,in cap.1.de officio delegati, atque in eod.quodlib. probata ab Adriano, col.2.in meo codice:nota, verba ſunt Gloſſæ,quòd quadruplex eſt cōſenſus, ſcilicet negligentiæ, conſilij, cooperationis & auctoritatis, ſeu defenſionis: in primo caſu ſcilicet negligentia, minùs peccat conſentiens,quàm faciens: niſi fortè negligentia nimis craſſa fuerit, vt in Prælato, 1.q.1.quidquid inuiſibilis, & 83.diſt.conſentire,& cap.nihil. In ſecundo caſu ſcilicet conſilij minùs punitur, plus tamen quàm negligens, atg.86. diſt. tanta. In tertio caſu cooperationis æqualiter peccant facientes, & conſentientes: & ſecundùm hoc intelliguntur omnes auctoritates, quæ dicunt, quòd æqualiter puniuntur. In quarto caſu auctoritatis, ſiue defenſionis, magis peccat conſentiēs defendendo, & auctoritatem præbendo,quàm faciēs:& magis puniendus eſt, 23.q.3. quæ aliorum, & 11.qu.3. qui conſentit, in hac cauſſa, quæ agitur, Remiges conſentiunt vnà agendo, vel opera præſtanda Turcis, Chriſtiani nominis,& Chriſtianorum hoſtibus.

Requirat aliquis de nobis, vtrùm infœlices & exerciti nautæ ſinere debeant brachia ſibi amputari,à ceruicibus caput abſcindi: id enim mali ſuſtinebunt, niſi contra Chriſtianos remigēt.Reſpondeo, cùm eadē aut maior vis aliqua mali impendet Chriſtianis cōtra quos nauigium remis incitatur,iſthæc,aliáque damna, & mala inuicto animo Chriſtianæ virtutis cauſſa nautis perpetiēda eſſe:neque enim iis qui innocentibus perniciē moliuntur, opitulari quoquo modo licet.

Oppones:atqui nauigia agitare remis naturam habet mediā, tum à laude, tum à vituperatione ſecretam.Reſpondeo,remigationem per ſe & vniuersè prauitatis bonitatíſque moralis expertem eſſe, vt etiam eſt interfectio hominis,vt etiam vti re alterius, aut alienum retinere: vt etiam mulierem cognoſcere:verùm ſicut rem alienam retinere iuſtè repugnante domino, & mulierem non ſuam cognoſcere, & hominem priuata auctoritate occidere,eſt per ſe & ſemper malum: ſic curſum,vel nauem, ſeu triremem dirigere aduerſus innocentes,eorúmque vitam libertatem & ſalutem, adeo eſt natura malum,vt numquam rectè fieri poſſit. 5.

Obiicies iterum. Atqui non eo conſilio remigant nautæ Chriſtiani, vt ſuum remigium ſit liberis Chriſtianis exitio. Verùm ne Turcarum commota tela in alios, in ſua ipſorum iugula & corpora recidant:ergo aliena pernicies,ſi non optatur tamquam finis, ſaltem tamquā medium ad propriam vitandam eligitur. Verùm, ad ſuam tuendam vitam innocenti parare exitium nemo vmquam poteſt:id quod in proxima ſuperiore quæſtione pluribus eſt à nobis demonſtratū. Quòd ſi,cùm vis vi repellitur, non licet intendere inuadentis interitum, nec vti finem,neque vti medium:vt placet diuo Thomæ,in 2.2.q.64.art.7.& in eumdem art. Caietano & Abulenſi, in c.5.Matth. q.46. quantò minùs id licitum erit remigantibus Chriſtianis, quibus à Chriſtianis liberis nulla vis infertur?

Dices, non eligi ab iis necem aliorum Chriſtianorum, ſed laborem tantùm remigandi: at iſte labor per ſe hoc tempore,& cum hoc genere hoſtium, eſt cauſſa necis aliorum Chriſtianorum, quamuis tu nolles eſſe cauſſa eorum interficiendorum, 6.

dorum, aut diripiendorum per ſe, & ſimpliciter, vis tamen ſecundariò: non ſecus quàm velles, pugionem, quo me interimis, perterrefactus à Tyranno, eſſe cauſſam necis meæ, ſine qua vides te tuam vitare nō poſſe: abſque dubio meam mortem ipſe per te non expetis: ſecundariò tamen eligis, vt viuere poſſis ipſe.

Sed enim nonnullæ leges iſtis Chriſtianis remigibus fauent; prima eſt lex, vt vim. ff. de iuſtit. & iur. his enim verbis eſt
" in ea lege. Nam iure hoc euenit, vt quod
" quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit,
" iure feciſſe exiſtimetur. Verùm hæc lex loquitur de eo, qui vim illatam, qui iniuriam propulſat: at nulla iniuria, vis nulla à Chriſtianis liberis, vinctis remigibus adhibetur. Secūda lex eſt, in ff. de reg. iur.
" l. is damnum. Eius verò, inquit lex, nulla
" culpa eſt, cui parere neceſſe eſt. Dico, hāc legem, aut intelligi debere de damno, quod non vitæ, ſed fortunis alterius datur, metu grauioris mali: nam verba quæ
" antecedunt hæc ſunt: Is damnum dat, qui
" iubet dare: vel dic loqui de culpa promerente pœnam ciuilem: vel dic legem eſſe à Iuriſconſulto prolatam, cuius adſpectum vera neceſſarij officij ſpecies fugerit. Has ipſas leges quemadmodum interpretatus ſit Martinus Nauarrus, vide in commentario eius, in cap. ita quorumdam. de Iudæis, notab. 11.

7. Quamquam, ne acerbiùs ærumnoſos remiges perſtringamus, quantùm iuſtæ veniæ excuſationem dare iis poſſumus, tribuamus: quod eſt à nobis cumulatè præſtitum, quo tempore eſt ſecundò à nobis horum remigū cauſſa diiudicata. Etenim tria à nobis tempora remigandi tunc deſtinata ſunt: nunc addo quartum. Primum tempus remigij iuſti, neceſſarij, Deóque accepti: ſecundum, iniuſti Deóque perinuiſi: tertium eſt liberi: quartum, partim liberi, partim non liberi. Remigio iuſto, neceſſario ipſíque Deo accepto vtuntur Chriſtiani remiges, quando illis eſt exploratum in pugna committenda Chriſtianos fore victores: quòd ab omnibus rebus ad victoriam ſint quàm Turcę paratiores. Tantóque magis occaſio illa remigandi vrgere debet Chriſtianos captiuos, ſi in longis nauibus Turcarum, aliiſve nauigiis, cōſtrictus catenis magnus aliquis vir teneretur: cuius vita & libertate aut communis ſalus, aut Chriſtianæ religionis dignitas magnopere niteretur.

Secundum tempus iniquæ & deteſtabilis remigationis eſt, cùm Chriſtianis viris & fœminis, aut vitæ aut æternæ ſalutis amiſſio à Turcis impendet: necnon pudicitiæ expugnatio, cæteræque nefandæ turpitudines, atque dedecora, quæ viri honeſti ac mulieres, vt à ſuis corporibus depellant, oppetere etiā ſolent mortem. Tertium tempus remigij liberi cenſendum eſt, cùm Chriſtianis, in quos curſus nauigij dirigitur, nihil imminet aliud, quàm iactura bonorū externorum; quæ negligere oportet, vt alter vitam non amittat, aut membra.

Quòd ſi ad prohibendam necem Petri, iure poſſum ad illius horrea & apothecas latrones ducere, vt Petri bonis contenti, eiuſdem vitæ parcant: quantò magis ad vitam tuendam meam, de alienis fortunis prædandis, non eſt mihi curandum: niſi ſi ex eiuſmodi præda tantorum malorum aliis impenderet tempeſtas, vt ad eam cauendam eſſet etiam caput meū prædatori obiiciendum? Quòd ſi inimicis me meis inſequentibus, vt vitæ meæ conſulam, equum alteri poſſum eripere, vt hoſtium manibus eripiar ipſe, cur mihi vetitum ſit remigare, ſi remigatio mihi ſaluti futura ſit, alteri damno tātùm rerum externarum: & quæ præ vita alterius cōtemnendæ ſunt homini Chriſtiano? Caritas enim, inquit Palud. in 4. "
ſent. diſt. 15. q. 3. art. 2. caſu 1. plus diligit "
vitam proximi, quàm omnia bona temporalia. Sic ille. "

Quartum & poſtremū tempus remigandi, dixi partim eſſe liberum, partim non liberum. Liberum eſt, quum liberis Chriſtianis non vitæ, non æternæ ſalutis, non fortunarum amiſſio imminet, ſed 8.

LLLL tantùm

ranrùm libertatis: contrà captiuis nautis certa vel mors, vel mutilatio corporis. Tunc ſi aut certū, aut eſt probabile nautis, pluris Chriſtianos liberos nautarum æſtimare vitam, & incolumitatem membrorum, quàm ſuam libertatem, incitato in eos nauigio prementibus Turcis, ac minitantibus ferri poſſunt. Sin autem credunt nautæ nolle Chriſtianos liberos pro nautarum vita ſuam libertatem profundere, tunc mihi nec tuta, nec à culpa graui nautarum videretur eſſe remigatio: ideo quòd ſua ſeruitute vitam alterius redimere, gratuiti videtur eſſe officij, non neceſſarij: namque, ſeruitutem à legibus æquari cum morte, apertè ſcribit S. Anton. in 2.par.tit.10.c.5.§.1. Itaque videmus quotidie vel pro non amittenda, vel pro recuperādā libertate, conſcribi, atque armari exercitus, ſummáſque, atque acerrimas ſuſcipi contentiones bellorum.

Súntque hæ à M. Tullio de libertate in Senatu dictæ ſententiæ, in 2.Philipp.
» Seruitus poſtremum malorum omnium;
» non modò bello, ſed & morte repellen-
» dum: & in 3.Philipp. Nihil fœdius ſerui-
» tute: & in 8. Quæ cauſſa eſt iuſtior belli
» gerendi, quàm ſeruitutis depulſio? & in
» 10. Non enim in ſpiritu vita eſt, ſed ea
» nulla omnino ſeruienti: & in eodem. Ita
» præclara eſt recuperatio libertatis, vt ne
» mors quidem ſit in repetenda libertate
» fugienda: & in 11. Mors ſeruituti antepo-
» nenda eſt: & in 13. Vita, corpus, fortunæ,
» res familiaris hæc ſapientia poſteriora libertate ducit: neque pro his libertatem, ſed pro libertate hæc proiicienda præcipit.

Dicat remex captiuus, ergo eadem præceptrice ſapientia pro mea libertate, quæ tanti eſt, auctore Cicerone, proiiciam libertatem alterius, minimè verò: id enim reſpuit ſapientia. Vt enim ei, qui tuam aut vitam, aut libertatem conatur perdere, eam ipſam tu iure poſſis adimere: tamen reliquis Chriſtianis qui nec vitam, nec libertatem oppugnant tuam, non potes ipſe, aut illam eripere, aut eripere conātibus adiutor eſſe: quod ipſum tam ſæpe, & in proxima ſuperiore, & in hac ipſa quæſtione inculcatum eſt.

QVÆSTIO IX.

1. NEc Chriſtianorum remigum, nec illius ruſtici Propertij cauſſa ſatis expedita videri poſſit, niſi graues dubitationes nonnullæ, & quædā argumenta quæ in vtraque cauſſa moleſtum ſcrupulum poſſunt iniicere, ſuis ponderibus examinentur, atque elidantur.

Perſæpe enim dictum eſt actioni alterius facinoroſæ nihil opis ſeu operæ præſtari poſſe. Quam veritatem multa videntur conuellere. Primum eſt: quòd Deus peccanti ſic adeſt, vt Deo non agente fieri non poſſit, vt alter peccet. Quidquid enim eſt entis in actione praua, eſſe à Deo tamquam à cauſſa conficiente, verius eſt: quod igitur facit Deus, qui eſt ipſa bonitas, & iuſtitiā, cur non poſſit facere homo? & non poſſint remiges? & non poſſit ille ruſticus Propertius?

Reſpondeo, in primis non vrgeri hoc argumento eos, qui actum peccati negauerunt eſſe à Deo verè faciente, in quibus eſt Durandus, & Aureolus in 2.ſent. diſt.37.& alij nonnulli: quam opinionem neque probat, neque improbat ſententiarum Magiſt. in ead. diſt. de re in vtramque partem diſſerens: ſed nulla ſua interpoſita ſententia, controuerſiæ liberum iudicium prudenti lectori condonat.

Sed periculoſæ doctrinæ prolapſionem eorum habet opinio, qui Deo efficientiam adimunt illius entis, quod in praua actione reperitur, vt D.Thomas, diuúſque Bonauentura affirmat. D.Thomas his verbis, in 2.ſent.diſt.37.q.2.ar.2.
Hæc opinio non eſt ſecura, quam ad præ- »
ſens nonnulli, vel pauci tenent: quia pro- »
pinquiſſima eſt errori duplici. Primò, quia »
ex ea videtur ſequi, quòd ſint plura prin- »
cipia:

Digitized by Google

» cipia:hoc enim eſt de ratione primi prin-
» cipij, vt agere poſſit ſine auxilio prioris
» agentis,& influētia eius. Vnde, ſi huma-
» na voluntas actionem aliquā poſſit pro-
» ducere, cuius actor non eſſet Deus, hu-
» mana voluntas rationem primi principij
» haberet. Secundò, quia cùm actio etiam
» peccati ſit ens quoddam, non ſolùm ſe-
» cundùm quod priuationes,& negationes
» entia dicuntur, ſed etiam ſecūdùm quod
» res in genere exiſtentes entia ſunt: ſe-
» queretur, ſi actiones peccati à Deo non
» ſunt,quòd aliquod ens eſſentiam habens
» à Deo non eſſet: & ità Deus non eſſet
» vniuerſalis cauſſa omnium entium:quod
» eſt contra perfectionem primi entis.

2. Diuus autem Bonauent. in eamd.diſt. art.1.q.1. num.8. à ſententia D. Thomæ
» nihil deflectens,ſic ait: Nunc communi-
» ter tenetur, quòd illa opinio verior ſit,
» quæ dicit,quòd omnis actio ſiue ſubſtra-
» ta peccato,ſiue nō,ſecundùm id quod eſt
» actio, eſt à Deo:nec immeritò:quia illud
» oportet ponere:ſi penſetur eminentia di-
» uinæ potentiæ, & indigentia potentiæ
» creatæ:& pòſt aliquāto. Et ideo hæc po-
» ſitio, quæ dicit omnem actionem eſſe à
» Deo,ſecūdùm quod actio eſt,abſq; omni
» ambiguitate tenēda eſt. Vnde Anſelmus,
in lib.de concordia prædeſtinationis, &
» præſcientiæ: omnis qualitas,& omnis a-
» ctio, & quidquid habet aliquam eſſen-
» tiam,à Deo eſt.

Quam ſententiam D.Auguſt. idemtidem in ſuis ſcriptis confirmat: illúdque admonet D.Thom. non poſſe abſolutè dici peccatum eſſe à Deo, ſed cum additione,vt eſt ens,vt eſt actus:necnon illud addit tum in diſt.37.2.q.2.artic.2. tum in 3.q.art.2. de cauſſa mali, cùm duo inſint in peccato,alterum actus,alterum deformitas, ſeu receſſus à iuſta lege: primum tantùm eſſe à Deo: ſecundùm à voluntate deficiente, & vitiata: neque deformitatem naſci ex vi efficiente Dei vllo modo,ſed ex virtute, ſeu facultate deficiente liberi arbitrij:quemadmodū claudicatio, vt eſt motus, & ingreſſio, eſt à virtute tantùm progrediendi: verùm,vt eſt detorta,& vt eſt claudicatio,eſt à vitio tibiæ. Deum igitur ad actionem improbam concurrere neceſſe eſt: quia eſt auctor omnis entis:nec vllum agens ſine eo poteſt quidpiam agere: neque eiuſmodi concurſus eſt moralis, ſed potiùs Phyſicus:at homo,cùm dando conſilio, vel re quapiam adminiſtranda adiuuat ſceleratam alterius actionem, moraliter agit, quare peccat.

Adde, quòd non quidquid iure facit 3.
Deus,facere poteſt homo:is enim ſuo arbitratu æquiſſimo delet prouincias,& nationes vniuerſas ſempiternis addicit ſuppliciis: hunc vel illum, mente, corpore, fortunis ſpoliat:quod facere homini non licet.

Secundum argumentū.In rebus contrahendis,in pactionibus ſocietatibúſque conflandis, fas eſt ab infidelibus iuſiurandum recipere, quamuis ſciamus ipſos per ſuos falſos Deos iuraturos:idque agi poſſe defendit D.Auguſt.in epiſt.154.ad Publicolam:éſtque ſentētia hæc Auguſt. in canonem Eccleſiaſticum relata.22.q.1. mouet te: eóque propendet D.Auguſtinus,vt neque is peccet, qui ab illo exigit iuſiurandum, quem falſo Deo interpoſito teſte cognoſcit iuraturum:quod idem affirmatè dicit diuus Bonauent.in 3.ſent. diſt.39.art.2.q.3.

Reſpondet idem D.Bonauen.ibi hiſce
verbis: Notandum quòd in iuramento »
facto per idolum eſt duo conſiderare,vi- »
delicet ipſius idoli venerationem, & ex- »
terioris verbi confirmationem,habendo »
reſpectum ad primum; nulli licet iura- »
mentū ab idololatra recipere, nec exige- »
re nec facere:quia idoli veneratio eſt o- »
mnino deteſtāda:ſi verò habeatur reſpe- »
ctus ad ſecundum, ſic licitum eſt ab eis »
recipere iuramentum, maximè pro vtili- »
tate communi: & ſic recepit Iacob pro »
pace ſuæ poſteritatis à Laban idololatra,
Gen.31. & Iudas pro pace gentis ſuæ:ſic Chriſtiani à Sarracenis recipiunt pro pace & vtilitate cōmunitatis. De Iuda Ma-

chabæo intelligit, quando cum Romanis fœdus percuſſit, à quibus ficti falſíque Dij colebantur: de quo fœdere eſt in. 1. Machab.cap.8. Vnde inquit D.Bonauen. quamuis illicitum ſit iurare per idolum: quia forma illa eſt prohibita: tamen vbi neceſſitas, vel cõmunis vtilitas hoc requirit, licitum eſt recipere iuramentum tale.

Hæc confirmantur à D.Th.in eamd.d.
4. q.1.art.poſtrem. Ad terriũ, inquit, dicẽdũ, » quòd ille, qui iurat per idola, peccat qui» dem quantùm ad formã iuramẽti, ſed nõ » quãtũ ad aſſertionẽ veri, vel promiſſionẽ » alicuius, quod redundat in bonum com» mune: & quantum ad hoc poteſt ei con» ſentire ſine peccato, ſed non quantum ad » primum: & ideo iuramento eius vti poſ» ſumus quandoque ſine peccato: quemadmodum, inquit D.Bonauentura, eleemoſynã ab eo petere poſſumus, qui dat murmurans. Ab idololatra accipi poſſe iuſiurandum ſenſit etiam Richar. in 3.diſt.39. art.3.q.3.& ante hos omnes Alex.Halen. in 3.par.q.31.memb.2.art.6.§.2.

Tertium argumentum. Scio, Petrum falſum iuſiurandum iuraturum: tamen ab eo poſſum recipere iuſiurandum: at id videtur, comitem & fautorem eſſe impietatis alterius. Differunt hac de re D. Thom.D.Bonauent.Richar.in 3.ſentent. diſt.39. S.Thom.q.1. art.5.quæſtiunc.2. D.Bonauent.art.2. q.5. Richar.art. 3.q.3. Alex.Halenſ.in 3.par. q.31.membr.2.art. 6.§.2. vna autem mente ſic ſtatuunt. Iudici licere, cùm id iudicij forma & natura expoſcit, cùm ipſe ſit boni communis cuſtos atque defenſor, poſſe admittere eius iuratam affirmationem ſeu negationem, quam ſcit eſſe non veram: neque enim pluris amanda eſt anima vnius, quàm bonum commune, atque iuſtitiæ publicæ: quam anima ſibi etiam ipſi debet anteferre.

Eodem accedit, quòd, vt ait D.Bonau. poſitio, vel priuatio iurationis exterioris, non ponit per ſe ſalutis defectum & detrimentum: ideo caritas de hoc non dicit eſſe multùm curandum, verba ſunt huius Doctoris: Quamquam auctoritate iuris, » ſeu iudicij, non cogente, non debet fal» ſum teſtimoniũ cum iureiurando à quo» quã iudex accipere: imò eum debet pro 5. virili repellere à teſtificando, vt præcipit » Alexan.Halenſ. priuata autem perſona, ſi » eiuſmodi reciperet iuſiurandum, non le» ui ſe ſcelere obligaret. Atque hac diſtin» ctione canonem D. Auguſtini interpretantur hi præſtantes Theologi ex 2.2.q. 5.ille, ſumptum ex ſerm.11. de Sanctis, in decollatione S.Ioannis, ille qui homi» nem prouocat ad iurationem, & ſcit eum » falſum eſſe iuraturũ, vincit homicidam: » quia homicida corpus occiſurus eſt, ille » animam, imò duas animas; & eius, quem » iurare prouocat, & ſuam. »

Quartum argumentum. Quid? Elias 5. cùm ſacerdotes Baal induxit ad ſacrificandum, an non ſceleris illorum impulſor fuit? minimè verò. Verùm impia eorum ipſorum mente ad omnem nefariæ ſuperſtitionis ſpeciem paratiſſima, eorum ſacrilegis cæremoniis, & pollutis ſacrificiis vates ſanctiſſimus vſus eſt, ad Dei Opt.Max. gloriam illuſtrandam: & ad verum incorruptæ religionis cultum Hebræorum mentibus commendãdum: de quo dubitare nõ poterant, cùm quantùm inter rationem vero Deo, falſiſque diis ſacrificandi, intereſſet, experientia atque oculis didiciſſent. Itaque Adrian. in 3.quodlib.artic.2.his verbis loquitur: De facto Eliæ dico: quòd ibi genti Iu» dæorum profuit, eamdem ab idololatria » reuocando: nec aliis nocuit, quia parati » erant, & firmi propoſiti amodò in idolo» latria perſiſtere. Vide 3.lib.Reg.cap.18. »

Quintum argumentum. Naaman Syrus ab Eliſæo veri Dei cultum edoctus, ab eodémque lepra liberatus, ad Dominum ſuum Benadabum Syriæ Regem, reuerſurus, ad hunc modum rogauit Eliſæum: *Depreceris Dominum pro ſeruo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente ſuper manum meã, ſi adorauero in tẽplo Remmon, adorante eo, in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus*

nus ſeruo tuo pro hac re. Cui Eliſæus, vade in pace. 4. Reg. cap. 5. ſua reſponſione an non videtur Eliſæus conceſsiſſe Naaman Syro, vt impiæ Domini ſui adorationi obſequeretur?

Venit in mentem nonnullis credere permiſſum ab Eliſæo fuiſſe Naamano, vt idoli, quod Rex Syriæ venerabatur, cultum ſimularet; cùm illum ad fanum deduceret: &, cùm flectente genua Rege, ſe ruus etiam cum eo flecteret. Qui modus explicandi plenus eſt temeritatis, & peſtilentis erroris; vt Lyranus & Toſtadus oſtendunt, locum illum explanantes, in 4. Reg. ſicut enim numquam permiſſum eſt vllum alium Deum adorare, quàm verum Deum; ſic numquam conceſſum alterius Dei cultum aſſimulare.

6. Ita primi præcepti eorum, quæ ſunt in decalogo, bipartitam Deus voluit eſſe rationem: vt prior in affirmatione, poſterior in negatione conſiſteret; nec tam Deo diſplicet ſe non coli, quàm odioſum eſt falſis Diis cultum adhiberi, vt ſentit Abulenſis, interpretans caput illud 5. 4. Reg. Magis enim, ait hic explicator, tenemur ad nõ colendum alium negatiuè, quàm ipſum affirmatiuè: & magis obligamur non colere Deos alienos, quàm colere ipſum.

Quare Lyrani & Toſtadi, quæſt. 75. in illud ipſum cap. 5. perexpedita videtur eſſe defenſio. Naaman iam vera Dei notitia & religione imbutus, verebatur, ne, ſi Dominum ſuũ ad templum Remmonis comitatus eſſet, & accidentis ad pauimentum Regis brachia ſuſtentaſſet, atque ob id ipſum is procubuiſſet, aliquo magno impietatis ſcelere contaminaretur. Vatis reſponſo intellexit facere id ſine ſcelere ipſum poſſe: præſertim cùm noua à Naamano ſuſcepta religio nec Regem, nec alios lateret: cunctiſque aſtantibus in templo poſſet eſſe perſpectum, flexum genuum ſerui non ad idoli venerationem, ſed ad heri corpus ſuſtinendum & iuuandum pertinere: idémque ab eo obſequium intra templum præſtari Domino, quod extra templum præſtabatur.

Sextum argumentum. Si Loth nefariis Pentapolitanis auctor fuit ad virgines filias ſtuprandas, quo eoſdem à nefanda libidine abduceret: ergo licet aliquando alieni flagitij, aut miniſtrum aut ſuaſorem eſſe. Res cuique nota ex cap. 19. lib. Geneſ. S. Ambroſij, lib. 1. de Abrahamo, cap. 6. hæc eſt defenſio. Offerebat ſcilicet Loth filiarum pudorem: nam & ſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, tamen minus erat ſecundùm naturam coire, quàm aduerſus naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. Et habetur 32. q. 7. offerebat. Contrà, à D. Auguſt. in Geneſ. quæſt. 42. Loth condemnatur hac oratione. *Quod ait Sodomitis Loth: ſunt mihi duæ filiæ, quæ nondum nouerunt viros: producã illas ad vos: vtimini illis quomodo placuerit vobis, tantum ne in viros iſtos faciatis iniquũ.* Quoniam proſtituere volebat filias ſuas hac compenſatione, vt viri hoſpites eius nihil à Sodomitis tale paterentur. Verùm admittenda ſit compenſatio flagitiorum, vel quorumcumque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat; an potiùs perturbationi Loth, non conſilio tribuendum ſit, quia hoc dixerit, meritò quæritur. Et nimirum periculoſiſſimè admittitur hæc compẽſatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ nullo modo imitanda eſt: Extátque ſententia hæc Auguſtini, in decretis, diſt. 14. cap. 1.

Ac licèt Caiet. Lothi facto excuſationem quærat, in 2. 2. quæſt. 178. art. 4. nihilominus damnat Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. quæſt. 1. art. 5. & Turrecremata, in illum canon. Auguſtini, & ſanè tripliciter iure reprehendi poteſt, ac debet Lothi factum. Primùm, quia pluris illi facienda erat minor turpitudo, & flagitij labes in ſuarum filiarum corporibus quàm maior in alienis. Pòſt: quia veriſimilius erat

peccato ſtupri filias mẽte aſſenſuras,quæ adoleſcentes virgines eſſent,ſexúque imbecillo, quàm viros infandi criminis maculam animo ſuſcepturos. Tum quia neque teterrimæ libidinis luem Lothus excepit:his enim verbis intemperantiſſimis monſtris obtulit filias: *abutimini eis, quomodo vobis placuerit.* Ergo, in eo tantùm Lotho ignoſci debet, vel quia non certo iudicio, ſed ſubito & cæco quodam animi impetu illud fecit: vel etiã,quia ſpurciſſimos illos latrones ſuis verbis delinitos credidit, tum ſuarum tum hoſpitum corporibus temperaturos.

QVÆSTIO X.

A Quæſtione, quæ poſtremo loco explicata eſt, non poteſt ea quæ nunc inſtituitur,eſſe diuulſa:in qua quæritur.

1. Vtrúmne ſine flagitio poſſit quiſpiam ad feneratorem accedere, vt ſibi credat pecuniam, quam certò ſcit ſine fenore non crediturum: hunc enim ad credendam pecuniam inducere, nihil aliud videtur eſſe, quàm ad exercendum fenus eum impellere, eíque ſordidi criminis cauſſam adferre.

D. Thom. in 2.2. quæſt. 78. atticulo poſtremo: hoc de genere hanc,atque his verbis perſcriptam reliquit ſententiam. » Inducere hominem ad peccandum nullo » modo licet:vti tamen peccato alterius ad » bonum licitum eſt: quia & Deus vtitur » omnibus peccatis ad aliquod bonum: ex » quolibet enim malo elicit aliquod bonũ, » vt dicitur in Enchiridio (Enchiridium dicit Diui Auguſtini, cap.11.) & pòſt aliquanto, » ita etiam in propoſito dicendum » eſt, quòd nullo modo licet inducere aliquem » ad mutuandum ſub vſuris: licet » tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, » & vſuras exercet, mutuas accipere ſub » vſuris propter aliquod bonum, quod eſt » ſubuentio ſuæ neceſſitatis, vel alterius.

Et in reſponſione ad primum argumentum. Qui accipit pecuniam mutuò ſub vſuris,nõ conſentit in peccatum vſurarij;ſed vtitur eo:nec placet ei vſurarum acceptio; ſed mutuatio;quæ eſt bona, & reſpondens ſecundo argumento. qui accipit pecuniam mutuatam ſub vſuris, nõ dat occaſionem vſurario vſuras accipiendi,ſed mutuandi:ipſe autem vſuratius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui. Vnde ſcandalum paſſiuum eſt ex parte ſua, non autem actiuum ex parte petentis mutuum:nec tamen propter huiuſmodi ſcandalum paſſiuum debet alius à mutuo petendo deſiſtere, ſi indiget: quòd huiuſmodi paſſiuum ſcandalum non prouenit ex infirmitate,vel ignorantia, ſed ex malitia. Hæc omnia D.Thom.

Si quiſpiã ſciſcitetur, in pœnam mortiferæ culpæ vocent ne is, qui nulla neceſſitate coactus ab iis pecunias petit,qui illas fenerantur. Alexand: Halen. in 4. part. quæſt. 24. memb. 5. artic.3. §.5. reſpondet,culpam eſſe letalem:nec non D. Bernardinus, in lib.de contractibus. Altiſiodorus,in 3. lib.ſuæ Summæ,tract.21. c.1. quæſt. 2. ſtatuit, peccatum eſſe ſcandali:ſed pro quanta neceſſitate,inquit, ſit peccatum, pro quanta non determinat ars,vſus, ſcientia, ſed caritas:vnctio enim docet nos de omnibus huiuſmodi. Virtus enim omni arte certior & melior eſt, vt dicit Ariſt. 2.

Ex prædictis patet, quòd licet accipere ad vſuram,vt paſcantur pauperes: eadem ratione licet accipere ad vſuram, vt fiant opera miſericordiæ. S.Anton. in 2. par. tit. 1. cap.9. §.extremo ſine neceſſitate ſcribit eſſe peccatum: & eſſe capitale manifeſtò liquet ex eius ſermone, atque ſententia: putat hoc ipſum Richard. in 4.diſt.15. art.5. quæſt.5. in calce. Non tamen,inquit,licitum eſt extra caſum neceſſitatis accipere ad vſuram: quia hoc prohibetur propter damnum Reip. & ad reſtrictionem malorum:nec intelligo hîc neceſſitatem illam, quæ extrema eſt; ſed quando homo notabiliter damnificaretur,vel notabilem penuriam pateretur, ſi non

non reciperet ad vſuram.

Vitare autem damna Reip. graui præcepto Dei & naturæ cogitur vnuſquiſque: grauis illa neceſſitas in nobis inſit, an in aliis, nihil intereſt, vt rectè D. Thom. Richardus & alij admonent. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. art. 3. dub. 14. ne tranſuerſum quidem vnguē à D. Thoma & Richard. recedit: negat enim fieri vmquam iure poſſe, vt quis ad fenerationem induci poſſit, ſed ad mutuam dandam pecuniam poſſe, quamuis reddere cogatur cum fenore is, qui accipit: neque iniuriam pati peccatum eſt, ſed facere: quæ ratio allata erat à D. Thoma, in 2. 2. quæſt. 78. art. 4. ab Ariſtot. oſtenſa in 5. Ethic. cap. 11. non longè ab extremo lib. ſic enim ille, τὸ μὲν ἀδικεῖν μετὰ κακίας καὶ ψεκτόν, τὸ δ' ἀδικεῖσθαι, ἄνευ κακίας καὶ ἀδικίας: hoc eſt, iniuria quemdam afficere, nec vitio, nec reprehenſione vacat: iniuria verò affici vitio, & iniuſtitia caret.

3. Maior, in 4. diſt. 15. quæſt. 7. eſt in eadem ſententia: tria enim requirit in eo qui fenebrem ab alio pecuniam ſumit. Primum eſt, vt is, qui ſumit impellente neceſſitate, non habeat vnde petere poſſit. Secundum, vt non offerat ſe feneratori ad ſoluendã vſuram; neque mutuum fenoris nomine amiciat: ne inquam profiteatur ſe cum fenore redditurum pe-
» cuniam. Tertium, vt rationabiliter, in-
» quit, egeat pecunia; verùm hoc tertium incidit in ſecundum; remota verò iuſta neceſſitate credit materiam iniuſtam ſcandali alteri ſuppeditari, non ſecus quàm facit mulier, quando cum ratione ſui muneris non exigente, eorum ſe offert adſpectibus, à quibus ſe libidinosè concupiſci non ignorat. Aſtenſis, citans D. Thom. Richard. & Monaldum, idem defendit, lib. 3. tit. 11. artic. 3. in extremo. Idem, Ioannes Tabienſis, in verbo, Vſura, 8. quæſt. 2. ſeu numer. 3. & Syluest. in verbo, Vſura, 7. quæſt. 1. requirit neceſſitatem, ne grauiter peccetur. & Nauarr. cap. 17. num. 263. Comitem eiuſdem opinionis faciunt Paludanum.

Sed eum, qui ſine vlla neceſſitate à feneratore ſumit pecuniam, abeſſe à culpa exiſtimat Adrianus quodlib. 3. art. 2. aut non niſi leuem culpam contrahere ſcripſit Caiet. in 2. 2. quæſt. 78. articulo poſtremo, & Sotus de iuſt. & iur. lib. 6. q. 1. art. 5. & Card. Toletus, in 5. lib. de inſtr. Sacerd. cap. 27. & Armilla, in verbo, Vſura, §. 38. & Angelus, in verbo, Vſura ſecundo: qui ſcripto teſtatus eſt etiam ob rem neutram ſine peccato à fenori dante pecuniam capi poſſe; citátque Innocentium, Oſtienſem, Ioannem Andream, Butrium & Panormitanum, in cap. ſuper eo de vſuris. Innocentius quidem, & Panor. ſentiunt, quod ait Angelus, Oſtienſis autem, & Butrius nequaquam. Ioannes Andreas ſentit cum Innocentio. Turpiter verò errauit Antonius Butrius, quum ſcripſit peccari ab iis qui cum onere ſoluendi vſuras accipiunt pecunias, quamuis id faciant ad grauia incommoda animi vel corporis vitanda.

Vtrùm verò ſine ſcelere ad credendã 4.
pecuniam induci poſſit is, qui ſine eiuſmodi quæſtu non vult dare, vt vitæ ſubueniatur alterius, dubitationem habet. Angelus, in verbo, Vſura, 2. §. 2. pugnat id fieri poſſe, auctoritate can. Duo mala, diſt. 13. atque Innocentij, in cap. ſuper eo, de vſuris: idem tuetur Turrecremata, in illud cap. Duo mala: probátque teſtimonio Gregorij, in can. ſequenti, & D. Auſtini contra mendacium, vbi ſic. Illa de- »
ſinunt eſſe peccata, quæ propter grauiora »
vitanda ſuſcipiuntur. »

Verùm non loquitur D. Auguſtinus niſi cùm pugnant duo tempora; alterum minoris boni, quod præcipitur, alterum, maioris, quod item iubetur: tunc enim cùm alterutrum faciendum eſt, illud ſine dubio faciendum eſt, quod eſt maius bonum. Cogeris reddere hoc die depoſitũ Domino: verùm hic eo vult vti ad alterius, aut etiam ad ſuam perniciem: præceptum maius vitandi alterius iniuſtam perniciem te cogit ad non reddendum: at ſermo non eſt cùm id quod fit quouis

tempore

tempore eſt malum.

Angelum redarguit Gabriel, in 4. diſt. 15. quæſt. 11. art. 3. dubit. 14. & Caietanus explanans artic. 4. quæſt. 78. in 2. 2. facit à Gabriele, imò D. Thom. in eod. artic. & omnes illi, qui citantur in duabus ſuperioribus quæſtionibus. eſt enim vſura ſemper per ſe mala, quare alteri numquã ſuaderi poteſt. Non nego, homini ad duo mala parato ſuaderi poſſe vt ſuſcipiat minus malum, vt nos alibi in noſtris quæſtionibus moralibus probauimus, atque in hac probaturi ſumus, id enim eſt ſuadere potiùs bonum quàm malum.

Sed fortaſſe ad concordiam vtraque ſententia Gabrielis & Angeli, adduci poſſet. Vt Angeli ſententia vera ſit in eo, qui ſemper ad fenerandum eſt animo paratiſſimo: neque enim tunc propriè inducitur ad peccatum, ſed improba eius voluntate ad vitandum graue alterius, aut etiam proprium, vtimur. Gabriel verò fortè locutus eſt de eo, qui abhorret à mutua pecunia danda, quamuis non exerceat fenus, ſed ſpe fenoris oſtenſa mutuam daret. Nunc de tota quæſtione quid mei ſit iudicij nonnullis propoſitionibus aperiã.

5. Prima propoſitio. Mutuum ſumere ab vſuratio ad grauem noſtram ſeu alienam ſublenandam neceſſitatem, omnes concedunt: præſertim cùm non inuenitur, qui gratis rem ſuam credere velit. Secunda propoſitio. Quamuis quis artem fenoris non exerceat, neque animum gerat ad fenus procliuem, ſi credere non vult ſine fenore, magna ſuadente neceſſitate licet ab eo petere ex veriore & plurium ſententia: quamuis D. Bernardinus contradicat. Tertia, amputata graui neceſſitate fenore accipere pecuniam graue peccatum eſt, vt eſt plurium & grauiorum doctorum opinio. Quarta. Coniuere alterius peccato, illúdque probare numquam licet; eo autem vti ad bonum licet ex D. Auguſtino, D. Thom. & omnibus qui rectè ſentiunt. Quinta. Quamuis nemo minus peccatum peccare poſſit, vt vitet maius: licet tamen ſuadere alteri, qui peccaturus eſt, vt omiſſo grauiore peccato committat minus. Verbi cauſa, ſi cuipiam certum eſt, aut meretricem, aut virginem agnoſcere, ſalutare conſilium eſt, ei ſuadere, vt potiùs virgini parcat: &, ſi fenerator intelligit quempiam moriturum, ni ſubueniat, nolítque ſine fenore ſubuenire, Chriſtiano homine dignum conſilium erit, vt cum fenore adiuuet moriturum.

Huic opinioni ſunt hi omnes aſſenſi: Turrecremata, in can. Duo mala, diſt. 13. à quo citantur Auguſtinus & Gregorius: Adrianus, in 1. quodlib. q. artic. 3. ad octauum argumentum. Sotus, de iuſt. & iur. lib. 6. quæſt. 1. art. 5. Toletus, in 5. lib. de inſtruct. Sacerd. c. 17. Nauarr. in Summa, cap. 17. numer. 263. Sylueſter, in verbo, Vſura, 7. quæſt. 1. Angelus, in verbo, Vſura, 2. §. 2. Innocentius, Ioannes Andr. Oſtienſis, Panormitanus, in c. ſuper eo, de vſuris. Caiet. etiam in Summa, in verbo, Tyrannus, quamuis aliud ſecutus eſſet antea in Summa D. Thom. in 2. 2. q. 78. artic. 4. Et quod æquat auctoritate omnes Theologos, qui commemorati ſunt, eſt D. Chryſoſtomus, homil. 27. ad popul. Antioch. vbi enim, qui praua conſuetudine corruptus per Deum iurat, hortatur, vt nomine Dei vſurpato, ſua tantùm interpoſita perſona iuret, quòd leuiùs in hac ratione iurandi delinquatur. Adrianus, citat can. D. Auguſt. 33. q. 2. ſi veriùs, deſcriptus, ex cap. 15. lib. 2. de adulterinis coniugiis.

Vbi ad hunc modum D. Auguſtinus, 6.
Si facturus eſt quod nõ licet, faciat adulterium, & non faciat homicidium. E re futurum arbitror quæſtioni ſatisfacere, quam à mercatore Florentino D. Thom. fuiſſe propoſitam teſtis eſt Sotus, de iuſt. & iur. lib. 6. quæſt. 1. ar. 5. liceát ne mercatori fenore accipere pecuniam, vt ex ea negotiando comparet vberiorem quæſtum, quàm erit vſura ſoluenda. D. Tho. reſpondit, quemadmodum eſt apud eundem Sotum, id fieri non poſſe. Sotus cenſet peccatum ex genere eſſe leue: idem

Caieta

Caietanus, idem Toletus, in 5. lib. de inſtruct. Sacerd. c. 27.

Ego ita diſtinguerem, aut mercator cogitur pecuniam ſumere à feneratore ad negotium gerendum, & ſe, ſuámque familiam alendam; aut nulla vi, & egeſtate coactus id facit, ſed ſpe maioris pecuniæ redigendæ. Si primo modo, non peccat, ex omnium Theologorum ſententia: Si ſecundo, à multorum ſenſu grauium Theologorum letali culpa polluitur; à multorum item leui, & non mortifera: quæ opinio humanior eſt, nec minùs quàm prior habens probabilitatis: præſertim cùm petitur ab eo, qui fœnus exercet; & illi ſemper animo & voluntate incubat. Nam ſi pecuniam poſceretur is qui non exercet fenus, & ei occaſio offerretur exercendi, multò plùs difficultatis in re ineſſet; & factum eſſet accipienti & danti valde periculoſum; & danti quidem exitioſum, ſi abſque fenore pecuniam credere nollet.

7. Porro nulla neceſſitate flagitante mutuum cum fenore complecti, & ſoluere, non mediocrem culpam eſſe hinc quiuis intelligere poteſt. Primùm, quòd ampliſſimas & ſplendidiſſimas familias fenore trucidatas & deletas eſſe nõ ignoramus. Deinde, quòd commercia ſaluti ciuitatum perneceſſaria partim imminuuntur, partim concidunt: tranſlato enim iuſto quæſtu à mercatoribus & opificibus ad feneratores, quis non videt eorundem opificum frangi ſtudia, & omnem induſtriam relangueſcere? Tum quàm plurimi, qui laboribus, & manupretiis vitam ſuſtinere deberent, molliuntur otio, atque deſidia intabeſcunt inertiſſima. Pòſt, propter vim pecuniarum homines infimi & ſordidiſſimi, optimatibus & præclariſſimis viris, dominantur. Ad extremum, quia in iſta re eſt ad infinita ſcelera aditus, & ianua patefacta.

QVÆSTIO XI.

De obſcænis comœdiis.

Locus de alieni criminis ſocietate vitanda perlatè patet; nec eſt nobis tam facilè deſerendus. Locum hunc proximè attingit quæſtio de comœdiis impudicis; in quibus quæri ſolet. 1.

Vtrúm ne earum actores, & ſpectatores, ſint mortiferi criminis rei.

Flagitatores aſſidui & acres fecerunt, vt multis antè annis bis ea mihi de re ſcribendum fuerit. Plenus libellus extat in ſecundo volumine noſtrorum reſponſorum moralium, quæſt. 260. vbi quinque viis oſtendimus, tum eos, qui agunt, tum qui audiũt impudicas comœdias, culpam letalem non effugere. Prima ſacrarum ſanctionum, & legum ciuilium, fuit. Secunda, ſanctorum Doctorum & antiquiſſimorum Scriptorum, qui in noſtræ religionis defenſione floruerunt. Tertia, principum Theologorum, atque eorum, qui de Chriſtiani officij rationibus libros ediderunt. Quarta, argumentorum è principiis moralis Philoſophiæ, ac Theologiæ erutorum. Quinta, illorum Philoſophorum, qui Chriſtianæ ſapientiæ luce orbati fuerunt.

Ex illa igitur vberrima diſputatione in 2.
hanc potiora quædam contrahemus. Eccleſiaſtica pſephiſmata in actores turpiũ fabularum duo ſunt ſatis expreſſa, alterum in can. pro dilectione, alterum in can. qui ſequitur. In priore huic hominũ generi Eccleſiaſtica communio denegatur; quæ pœna criminoſis dumtaxat actionibus irrogatur: in poſteriore, perſonæ apoſtaticæ nominantur: prior canon ſumptus eſt ex epiſtola decima Diui Cypriani ad Eucratium, lib. 1. alter è tertio Concilio Carthaginenſi, cap. 31. Vterque verò canon reperitur in 2. diſtinct. de conſecratione. Leges Romanæ eoſdẽ notant infamia. Vide legem 2. §. ait Prætor. ff. de iis qui notantur infamia.

Luculentum verò eſt M. Tullij teſtimonium in libris de Republ. quod D. Auguſtinus totidem verbis tranſtulit in
„ 2. librum de Ciuitate Dei, cap. 13. Cùm
„ artem ludicram, verba ſunt Ciceronis,
„ ſcenámque totam in probro ducerent;
„ genus id hominum non modò honore
„ ciuium reliquorum carere, ſed etiam tri-
„ bu moueri, notatione cenſoria voluerũt.
Huius ipſius infamiæ meminerunt Tertullianus, in lib. de ſpectaculis, ac Diuus Cyprianus, lib. 1. epiſtolarum, epiſt. 50. ad Eucratium. in collatione autem nona in qua quattuordecim cauſſæ commemorantur liberos exheredandi, decima hæc
„ eſt: Si præter voluntatem parentum in
„ arenarios, vel mimos ſeſe filius ſociaue-
„ rit. Atqui infamiæ & exheredationis pœna non ſubitur propter flagitium non graue.

3. Veniamus ad Eccleſiæ doctores, & clariſſimos viros, quorum ſunt à nobis in illa diſputatione collecta teſtimonia non aliis verbis quàm ab illis ipſis ſunt ſcripta. Igitur, qui aut oculis aut auribus fœdarum comœdiarum actoribus fauent, nefarij criminis condemnantur à ſanctiſſimo Cypriano, lib. 2. epiſt. epiſt. 2. ad Donatum: à D. Hieron. in cap. 20. Ezechielis, ea verba explanante, *Dixi ad eos, vnuſquiſque offenſiones*, &c. à D. Auguſt. in lib. 50. homil. homil. 21. & in Pſalm. 50. & in 2. lib. de ſymbolo ad Catechum. c. 2. in tract. verò 100. in Ioan. *Donare*, inquit, *res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane.* D. Gregor. Nazian. in poëmate ad Nicobulum, turpitudines ſcenicas execratur: earumdem auctores & ſpectatores vehementer deteſtatur D. Ioan. Chryſoſtom. locis innumeris, vt c. 2. in Matth. hom. 6. vbi ſtatuit par eſſe peccatum actorum, & ſpectatorum. Locus eſt omnino legendus: ille item cognoſcendus, qui in homilia eſt de Dauide & Saule, eſt item conſulendus locus eiuſdem doctoris in hom. 1. de verbis Iſaiæ. *Vidi Dominum:* & in hom. in Pſal. 119.

Tertullianus librũ de ſpectaculis compoſuit: vbi decem rationibus perſuadet omnia ſpectacula ſcenica & impudica, quibus homines à noſtris ſacris abhorrentes delectantur, eſſe Chriſtianis interdicta. Poſtremam autem rationem duobus exemplis, Dei iracundiam in eos qui impudicitiis ſe ſpectaculorum commaculant, declarantibus, hiſce verbis concludit.

Nam & exemplum accidit Domino teſte, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo cùm onerarerur immundus ſpiritus, quòd auſus eſſet fidelem aggredi: *Conſtanter, & iuſtiſſimè quidem*, inquit, *feci: in meo eam inueni.*

Conſtat & alij linteũ in ſomnis oſtenſum eius diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominato tragœdo: nec vltra quintum diem eam mulierem in ſeculo fuiſſe.

Mimorum autem & ſcenicorum turpia dicta, vel facta imitantium, & qui ad eos audiendi viſendíque cauſſa commeant, quãta ſit pernicies, atque exitium, diſerta & prudenti oratione exponit Lactantius Firmianus, lib. 6. c. 20. diuinarum inſtitutionum.

Cum patribus Theologi ſummarúm- 4.
que ſcriptores mirè conſentiunt, vt D. Thom. in 2. 2. quæſt. 167. art. 2. ad 2. & q. 168. art. 3. & q. 87. art. 2. Alexand. Hal. in 2. p. q. 132. memb. 3. has fabulas pernicioſas ait eſſe actoribus & ſpectatoribus. & in memb. 4. confirmat immane eſſe peccatum iſtorum laſciuam & vitioſam artem quoquomodo ſuſtentare, vtitúrque D. Auguſtini auctoritate tract. 100.
in Ioannem: Donare res ſuas hiſtrioni- »
bus immane eſt vitium: quo vitio obli- »
nuntur ij, qui ad ſpectanda, quæ aguntur »
ab illis, locum & introitum pecunia re- »
dimunt. Vide Paludanum, in 4. ſent. d. 16. »
q. 2. art. 3. concl. 1. Durandum, in 4. diſt. 17. q. 5. D. Antoninum, in 2. p. tit. 3. c. 7.
§. 5. Si repræſentant, inquit, multùm tur- »
pia & laſciua, ea exercentes mortaliter »
peccant: & inſpectio voluntaria talium »
mortale

» mortale eſt: quia nihil eſt aliud, quàm
» delectari de turpibus: tum quia periculo
» tentationis ſe exponunt. Gabrielem, in
4. diſtinct. 15. quæſt. 13. artic. 3. dubit. 3.
» qui illo axiomate vtitur. Quiſquis de-
» lectatur in peccato mortali, peccat mor-
» taliter: citátque & ſequitur Roſellam,
in verbo, Ludus, §. 2.

In iſtos ipſos actores & ſpectatores impudicarum comœdiarum tamquam in mortiferi peccati reos ſententiam dicit Caiet. in 2. 2. quæſt. 167. artic. 2. ad 2. & in Summa, verbo, Spectacula. Sylueſter, in verbo, Ludus, quæſt. 8. Angelus, eodem tit. num. 3. Roſella, in verbo, Ludus. Tabiena, in verbo, Chorea. §. vlt. Nauarr. in Summa, c. 20. num. 14. firmans auctoritate Gabrielis ſententiam ſuam.

5. Cumulatur verò idem iſtud ſcelus, cùm diebus feſtis committitur contra le-
» gem poſtremam Cod. de feriis, his verbis
» iubentem. Dies maieſtati altiſſimæ dedi-
» catos nullis volumus voluptatibus occu-
» pari: & de Dominica die præcipiés, Nec
» tamen huius religioſę diei otia relaxantes
» obſcœnis quemquam patimur volupta-
» tibus detineri: nihil de eadem die ſibi
» vendicet ſcena theatralis, aut Circenſe
» certamen, aut ferarum lacrymoſa ſpecta-
» cula: & ſi in noſtrum ortum, aut natalem
» celebranda ſolemnitas inciderit, differa-
» tur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionémque patrimonij ſuſtinebit. Si quis vm-
» quam hoc die feſto ſpectaculis intereſſe,
» vel cuiuſcumque iudicis apparitor, præ-
» textu negotij publici, ſeu priuati, quæ hac
» lege ſtatuta ſunt, crediderit temeranda.
Et quoniam lex huiuſmodi iuſta eſt, diuinum ſanciens cultum, tem, quę permagni intereſt, iubens, ab eo, qui orbi terræ legitimè imperabat, conſtituta, & à cunctis prouinciis recepta, ſine crimine contemni non poteſt. de qua lege cùm mentionem feciſſet Richardus, in 4. diſtin. 37. art. 2. quæſt. 4. ad 3. argum. culpam mortiferam eſſe concludit ex magiſtrorum ſententia ducere choreas, verba ſunt eius,
& haſtiludia facere diebus Domiuicis: & »
hæc, inquit, opinio ſatis eſt rationabilis: »
maximè ſi de choreis intelligatur, in quibus mulieres ſe oſtendunt in virorum conſpectibus, & è conuerſo: & quia tunc directè occaſionem dant prouocationi concupiſcentiæ: adducítque teſtem D. Auguſtinum, in lib. de decem Chordis; vbi de fœminis Hebræis loquens, rectiùs »
facturas eas ait, ſi diebus ſabbatorum ne- »
rent, quàm totas neomenias in ſaltationi- »
bus impudicis conſumerent. »

Sed, vt ne ſumma videatur eſſe in te- 6.
ſtibus, ad quartum locum, qui rationum eſt, accedamus; & primùm quidem probandum eſt, crimen ſibi facere, qui cum turpitudine & obſcœnitate agunt comœdias: deinde, eos qui ad eas audiendas adeunt.

Contra primos hæ ſunt argumentationes. Prima, ſeipſum, & alios ea virtute priuare, ſine qua nulli datur æterna à Deo ſalus, ſcelus eſt ingens: caritatem enim id extinguit: ſed cordis munditia, ſine qua nemo videbit Deum, ſponte ſe, & alios priuat, qui palam in obſcœnarũ rerum imitatione verſatur: quare, &c.

Secunda, nimiùm ſceleratè agit qui fundamenta ciuitatum, & Rerump. quæ ſapienter inſtitutæ ſunt, euertit: id iſti nebulones moliuntur: cùm pudorem, modeſtiam, temperantiam, pudicitiam è ciuitatibus exterminant: ergo diſce quæ in 1. lib. officiorum à M. Tullio de duplici forma decori præcipiuntur.

Tertia, cum ſecunda ſociata. Quicumque impedimento pueris ſunt, quominus ad honeſtatem ſplendorémque ciuilem inſtituantur, grauiſſimè peccant: id agunt impurarum comœdiarum impuriſſimi actores: igitur, &c.

Audi Platonem, in 2. lib. de Republ. leges ſalutariter inſtituentem. In qua- »
uis bene morata Republ. ſtatim à primis »
annis pueri honeſtis in iocis aſſueſcien- »
di ſunt: nam ſi iocis minùs decentibus »
aſſueſcant; numquam legitimi probíque »
viri euadere poſſunt. Et in eodem dia- »

Digitized by Google

» logo: quale cuiuſque fuerit educationis
» initium, apparet talia fore, quæ ſequun-
» tur. An non ſemper ſimile ſimile pro-
» uocat?

Quarta. Quicumque adoleſcentibus, quod in iis eſt optimum, eripiunt, hi execratione & deteſtatione digni ſunt; id eripiunt mimi, & hiſtriones impudici: quum eos prolectant ad inhoneſtos amatores, amatóſque quærendos. Quartã hanc rationem ſuggerit in conuiuio Plato in collaudatione Phædri, in amorem.
» Quid enim, inquit Plato, melius accide-
» re poſſit adoleſcenti, quàm optimus ama-
» tor, aut amatori quàm amatus optimus,
» non inuenio. Duo quidem ſunt, quæ à pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui ſit præclarè victurus; in rebus turpibus verecundia; in honeſtis, ſtudium. Verùm comœdiarum lues ad primum rerum genus impellit; à ſecundo adoleſcentes abducit.

7. Quinta. Qui ciuitatum & rerumpubl. finem verum corrumpit, eum corruptiſſimum moribus, & mente contaminatiſſimum eſſe neceſſe eſt: ſed improbi mimi, & hiſtriones, id moliuntur: cùm pro virtute, quæ ſola eſt ad felicitatem via, vitium, & libidinem in ciuitatem infundunt: omnium enim iuſtarum legum, & prudentum legiſlatorum finis eſt, idémque rerumpubl. vt ciues virtute præditi euadant, & virtute felicitatem adipiſcantur: vt auctor eſt Ariſtot. in 1. Ethic. cap.9.

Plato, in tertio de legibus, tria legiſlatori propoſita eſſe debere ſcribit: vt ciuitas libera ſit: vt ſibi ipſi amica: vt mentem habeat: quæ omnia diripiunt hæ humani generis maculæ. Ciuitatem enim vitiorum ac turpitudinum ſeruam faciũt, ſtuprorum, inceſtorum, adulteriorum & ſacrilegiorum ancillam, & quia vitium amicitiam omnem extinguit, fieri non poteſt, vt vel ſibi, vel alij amica ſit ciuitas, quæ gerit cum virtute inimicitias. amicitia enim aut virtus eſt, aut non ſine virtute, teſte Ariſtot. in 8. Ethic. cap.1. mimi denique mentem iiſdem ciuitatibus adimunt: quia pecudum voluptatibus, ac ferinis moribus eas inquinant. Atqui opus hominis eſt, ex virtutis præſcriptione ſuſcepta actio, vt docet Ariſt. in 1. Ethic. cap.7.

Sexta. Qui in agendo aliquid criminoſum intuetur, criminoſè agit: ſed qui fabulis, obſcœníſque imitationibus auditorum aures, & oculos oblectant, eiuſmodi voluptatem aut in tota fabula, aut in aliqua eius parte propoſitam habent: agunt igitur criminoſè: éſtque eorum crimen aut ſcandali actiui, vt loquuntur Theologi, aut homicidij ſpiritualis.

Septima. Nemo ab Eccleſia Chriſtiana ſacramentorum communione priuatur, niſi ob ſcelus æterna damnatione dignum: at hi mimi & hiſtriones eiuſmodi priuantur communione: quare, &c.

Octaua. Qui poëma, carménve amatorium componeret, quo lectorum mentes ad libidinis illecebras, turpiúmque rerum amorem inflammatum iri minimè vereretur, ſcelus ederet, quo inſigniter diuina amicitia læderetur. Quanto igitur grauiùs eam violabit, qui ſpectantium animos vitiorum tædis incendit & exurit, non ad eorum oculos inanimato libello admoto, ſed ore, geſtu, vultu, voce ſpirãte libidinem, impudicitiam omnem, atque laſciuiam vibrante?

Nona. Peccatum vitam exhauriens animæ, illud eſſe definit Richar. Victorinus in perparuo libello de diſcrimine peccati mortiferi, & non mortiferi, quòd vel inſignem Dei contemptum, vel graue alterius damnum, vel magnam ſuimet labem, atque corruptioné habet: & hoc Richardi dogma cuncta amplexa ſunt gymnaſia Theologorum. Verùm impudicarum fabularum actores, & Deum illiúſq; auguſtas leges inſigniter contẽnũt; & ſpectatoribus vehementer nocent; & labem ſibi ipſis ingentem inferunt: ergo peccatum peccant ſuorum animorum interitum conficiens.

Decima & poſtrema. Tot ſacrorum nobiliſſi

nobiliſſimi Antiſtites, tot publicæ religionis doctiſſimi interpretes, tot Theologicæ diſciplinæ laude præſtantes, qui ſuis à nobis in hac quæſtione ſunt nominibus appellati, turpium comœdiarum, & eas exercentium genus tamquam perflagitioſum, Deóque perinuiſum condemnauerunt: igitur de qualitate, & ſceleris magnitudine dubitandum non eſt.

8. Proximum eſt, vt in ſpectatores argumentorum aculeos conuertamus. Ac licèt iiſdem telis horum cauſſa perimatur, quibus eſt actorum confixa, nihilominus nouo armorum genere aduerſus ſpectatores pugnemus.

Sit igitur prima ratio. Exitialis flagitij alteri cauſſam adferre exitiale eſt, ſed ſpectatores ſuo acceſſu & pręſentia cauſſam adferunt ſcenicis illa turpia imitandi & agendi.

Secunda. Hiſtrionibus ex eo genere pecunias largiri immane vitium eſt, ex Auguſt. tract. 100. in Ioannem, & vt ſcribit D. Hieronymus, vti refert Altiſiodor. in 3. lib. tract. 7. c. 7. q. 3. qui dat hiſtrionibus, immolat dæmoniis: ergo cùm id faciant, qui ad ſcenam properant, in vitio ſunt immani quaſi diabolo immolantes.

Tertia. E culpa letali voluptatem capere, ſeu ex ea re, quæ non eſt ſine culpa letali, letale eſt crimen: ſed qui interſunt comœdiis obſcœnis voluptatem hauriũt ex actione hiſtrionum, quæ illis criminoſa eſt, ergo eodem ſpectatores crimine inficiuntur.

Quarta. Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores, ſacræ Theologiæ magiſtri, de ſpectatorum peccato, vt nos, ſentiunt, ergo nos ſecus credere, aut opinari fas non eſt.

9. Quare, vt in quintam probationum viam ingrediamur, minùs mirandum eſt, ſi etiam philoſophis à noſtra religione quàm remotiſſimis, comœdiarum, & comœdorum turpium genus fuit ſemper perodioſum: & ne omnium Philoſophorum ſententias colligamus, nullus enim eſſet exitus diſputationis, principum Philoſophorum, Platonis, & Ariſtotelis nonnullas ſeligemus, quibus eſt horum turpiſſimorum cauſſa iampri dem oppreſſa.

A Platone igitur in 3. lib. de Republ. lex eſt hæc perſcripta. Pueris & iuuenibus fabulæ proponendæ ſunt, quæ ſint ad virtutem optimè inſtitutæ. in 3. verò de Rep. è Republ. exterminat comicam & poëticam imitationem & narrationẽ, quæ non habet ſimplicem decori imitationem: & in eodem lib. in ciuitatem non vult recipi malarum turpiúmve rerum comœdiam, neque comœdos ac hiſtriones. Cognoſcẽdi enim, inquit Plato, ſunt inſani, & mali tam viri quàm mulieres: nihil tamen ex eorum dictis vel factis agendum eſt, vel imitandum: edicítque in eodem libro cunctis artificibus, vt in nulla materia turpium rerum imaginem vllam exprimãt. Quamobrem, addit Plato, inquirendi ſunt artifices, qui naturali quadam induſtria, tamquam per veſtigia exprimere pulchri ipſius decorísque naturam poſſint; vt tamquam in loco ſalubri habitantes iuniores adiuuentur: poëtis verò ſancit legẽ in illo ipſo libro hiſce verbis. Cogendi ſunt poëtæ, vt vel imaginem boni viri exprimant, vel apud nos non ſcribant: & in 7. lib. de legibus. Nemo poëta præter ciuitatis leges, & iuſta, vel bona, fingere quidquam audeat: nec liceat, quæ compoſuit, vlli priuatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re iudices, legúmque cuſtodes, & viderint, & approbarint. Neque poteſtatem facit auctoribus tragœdiarum in publicum prodeundi, vt eas agant, niſi antè à legitimis magiſtratibus fuerint cõprobatæ. Etenim paullò antè dixerat, Nempe vniuerſa Reſpubl. noſtra pulcherrimæ optimæque vitæ imitatio eſt: quam nos certè veriſſimam tragœdiam arbitramur in eod. 7. lib. in quo item prohibet motus corporis & geſtus, qui agi ſolent ab iis, qui Bacchum, Panas, Silenos, & Satyros imitantur.

Ariſtotelis ſunt, quæ ſequuntur, in 7. 10.
Politic. cap. 13. Omnino, inquit, obſcœnitas verborum, vt & quidquam aliud,

per legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate: è licentia enim quodlibet turpe dicendi, exiſtit etiam facere quod prope eſt. Potiſſimùm igitur ſtatim à pueris, neque dicant, neque audiant quidquam turpe: neque ſinit iuuenes, iamborum & comœdiæ ſpectatores eſſe, ídque lege ſanciri oportere, τοὺς δὲ νεωτέρους οὔτε ἰάμβων, οὔτε κωμῳδίας θεατὰς νομοθετητέον, nulláque
» ratione permittit, vt pueri, aut obſcœ-
» nas imagines adſpiciant, aut res inhone-
» ſtas audiant.

Viden' quanta hac vna in re, de qua agitur, ſint Philoſophorum & Chriſtianorum ſcriptorũ conſpiratio atque conſenſio? ad quam ſi mentem ſcenici, & cogitationem adhiberent, næ illud cognoſcere poſſent, ſuos ludos, & in quibus ad voluptatem auditorum captandam, ſe exercent, fabulas, ludi, aut ioci nomen retinere non poſſe. Quis enim, inquit Iuſtinianus Imperator, in procemio dige-
» ſtorum, non longè ab extremo, ludos ap-
» pellet eos, ex quibus crimina oriuntur?

Verumenim tum artis tum artificum vitio fit, vt ij neque ſuam, neque artis, quam profitentur, peſtem & flagitium
» videant. Prauitas, inquit Plato, in 3. de
» Repub. neque ſe, neque virtutem cogno-
» ſceret vmquam. Virtus autẽ naturæ tem-
» pore addita diſciplina, & ſeipſam ſimul,
» & prauitatem intelligit.

Quòd ſi Epicurei à Meſſeniis è ſuis finibus pulſi à Romanis è ciuitate emiſſi & ablegati ſunt, quòd illorum exemplo, diſciplina, atque oratione ſuorum adoleſcentum animi ad blandas fœdáſque libidines potiundas incitarentur, quemadmodum eſt apud Ælianum, lib. 9. cap. 12. variæ hiſtoriæ, quis nõ hoſce deterrimos Epicuri affectatores ſordidiſſimos, impuriſſimóſque lurcones, omni flagitio ac libidine fœdatos, omnis decori, & virtutis hoſtes capitaliſſimos, non dicam ex vna vrbe eiiciendos, ſed è finibus humanæ naturæ exterminandos putet, à quibus ſciamus in puerorum, in iuuenum, in virorum, in ſenum, in virginum, in vxorum, in viduarum mentibus rationis lumen propè extingui, omnémque ſpeciem honeſti, rectíque conſilij è mortalium animis exturbari?

Sed homines egentes, ſordidos, ſine honore, ſine exiſtimatione, ſine ſenſu, ore, lingua, manu, mente inquinatos, vita turpes, probris, & obſcœnitate verborum infames, Eccleſiæ decretis, Imperatorum legibus notatos, atque conciſos dimittamus.

QVÆSTIO XII.

1. Deliberatum eſt cuidam, adamantis puluere alterum necare: ad pharmacopolam accedit, vt puluerem eum ſibi vendat. Pharmacopola, quo innocentis vitæ conſultum eſſet, cinerem, pro adamantino puluere promit ac tradit.

Petitum eſt, num à Pharmacopola peccatum ſit: facinoriſque, quod moliebatur emptor, miniſtrator fuerit. Iudicatum eſt à nonnullis nihil contra officium à pharmacopola cõmiſſum eſſe: imò Chriſtiano more rem omnem adminiſtratam.

Ego verò hac re ſic iudicata cur ſtari non oportere cenſuerim, tria fuerũt præcipua. Primùm, quia mentitus eſt pharmacopola. Deinde, quia ſuam famam grauiter apud illum facinoroſum vulnerauit: ſibíque pericula non leuia creauit. Poſtremò, quia actiuo ſcandalo, & peccato alterius materiam ſubminiſtrauit. Addi etiam quartum poteſt, crimen contra iuſtitiam, quæ commerciorũ eſt moderatrix: quia rem nullius pretij, nec venalem, ceu venalem, & alicuius pretij, vendidit ignaro.

2. Primum igitur fuit peccatum mendacij, cùm facto affirmauit cinerem puluerem eſſe adamantis: nihílque minùs peccauit, quàm ſi voce idem enũciaſſet. Neque enim aliud eſt mendaciũ, quàm cùm ſignum externum cum mentis notitia nõ conſentit, vt docet D. Auguſt. in lib. de mendacio: quem ad vnum cuncti Theologi ſequuntur.

Secun

Secundum crimen fuit violatæ famæ; cùm apud illum ſceleratum conſors criminis quin crederetur, non laborauit: nec pericula præcauit, quæ impendebant, ſi homo ille improbus aut de veneno dato in iudicium adductus eſſet, aut etiam extra iudicium de veneno ſumpto à pharmacopola confeſſus eſſet.

Tertium crimen fuit actiui ſcandali, in quod incurritur, quemadmodum exponit D.Thom. in 2.2.q.43.art.1. ad 4. non ſolùm, quando directò, & per ſe inducimus alterum ad peccandum, ſed etiã quãdo noſtrum factum eiuſmodi eſt, vel quia malum eſt, vel quia habet ſimilitudinem mali, vt alter inducatur ad peccatum: quis autem non videat cineris traditione, quæ tamquam venenum ſumebatur, impulſum alterũ eſſe ad interficiendum: quamuis ſuapte natura res, quæ tradebatur, interimere non poſſet? id ſanè, quod à pharmacopola fiebat, aut malum erat, aut ſimilitudinem habebat mali. Alexander Halenſ. in 2.par.q.169.memb.2. fermè in extremo ſcandalum in eo etiam reperiri ait, qui quamuis non optet alterius ſcandalum, ſeu animæ ruinam, nihilominus illius dictumvel factum à culpa
» ſcandali non ſunt remota. Licèt enim, in-
» quit, ſcandalizans non intendat ſcandali-
» zare, intendit tamen illud dictum vel fa-
» ctum, ex quo præbetur occaſio ruinæ: & ita ſcandalum eſt ex intentione: ſed, qui cinerem dedit, nimirum hoc voluit, vt qui accepit, is tamquam verum venenũ alteri præberet: ergo auctor fuit ſcandali, ex ſententia Alexandri.

3. Richar. in 4.diſt.38. art.10.q.1. ſcandalum actiuũ definit eſſe actionem ſcandalizãtis, ſcilicet dictum, vel factum minùs rectum alteri præbens occaſionem ruinæ. Duran. in eamd. diſt.q.3.& Palud. in eamd. diſt.q.6.art.1. concluſ.2. exſcribunt, quæ à D.Thoma de ſcandalo præcipiuntur.

Maior, in eamd. diſt.q.25. ex illa definitione ſcandali actiui, ſcandalum eſt dictum vel factũ minùs rectum alicui præbens occaſionem ruinę, tria conficit. Primum eſt, actiuum ſcandalum ſemper peccatum eſſe ei, à quo eſt. Secundum, nullum actum bonum, vel mediũ eſſe ſcandalum. Tertium, nullum actum prorſus interiorem dici poſſe ſcandalum: actus, qui exercebatur à pharmacopola, bonus non erat, quia tamquam venenum ab emente recipiebatur cinis, & qui dabat venenum exiſtimari volebat: quare prauitate ſcandali præditus fuit: & quemadmodum ſcelus eſt in ſceleratam voluntatem quemquam impellere, ſic actioni alterius, quam ſcimus à ſcelerata voluntate prodituram, eamdémque actionem flagitioſam eſſe, materiam ipſi proximam ſuppeditare ſine ſcelere non poſſumus. At, qui alteri veneno vitam exhaurire cupiebat, cùm cinere eſt vſus, improbiſſimè agebat: ergo & qui materiã dedit, agendi improbè materiam dedit. Neque aut eadem, aut par ratio eſt, homini ad duo flagitia parato minùs ſuadere, atque eidẽ ad alterutrum ſuſcipiendum, & faciendũ materiam adferre: illud enim licet, hoc alterum nullo modo: nam priore modo non ſumus ipſi mali conſortes; poſteriore, ſumus. Quis non graui ſcelere condemnaret pharmacopolam, ſi cultori idoli venderet thus, quo diceret ſe velle venerari ſuum idolum: quamuis non propter vllum honorem idoli illud daret pharmacopola, ſed ob ſuum dumtaxat quæſtum?

Verùm ad tria ſuperiora flagitia quartum addidimus, iniuſtitiam in cõtrahenda emptione & venditione: in quo contractu cùm res data ſit, quam nullo pacto voluiſſet emptor, & quæ floccifacienda erat, nec vllo pretio digna; venditor pretium reddere debet, & iniuſtitiæ culpam pœnitentia delere.

Reliquum eſt, vt nonnulla, quæ dici contrà poſſunt, è medio tollamus. Sanctum eſt ab inſontis capite perniciem depellere, fateor: ſed ea adhibita cautione, ne eadem ad animum tuum perlabatur: quod ipſum pharmacopola minimè vitauit:

Quinta cauſſa, ſi ſint multitudine plures, dummodò in vtroque contendentium agmine ſint cetera paria: etenim, ſi rebus quibuſdam aliis minimè exæquarentur, non eſſent neceſſariò plures paucioribus anteponendi: imò deberent interdum pauciores pluribus anteferri; præſertim ſi in paucioribus plura ineſſent ingenij & doctrinæ lumina; ſi maior in iis vſus, ſi maior auctoritas, ſi maior ſanctitas eluceret.

6. Quare Pius II. in epiſtola ad Ludouicum, Galliarum Regem, id, quod nos dicimus, his verbis confirmat; quæ verba à Maiore, Adriano, Corrado, in ſuis hac
» de re diſputationibus, recitantur. Scri-
» ptura, inquit, quæ ait; vbi multa conſilia,
» ibi ſalus: Conſiliorum multitudinem non
» requirit, ſed maturitatem & digeſtionem,
» quæ res in paucis, quàm in multis, faci-
» liùs reperitur. Neque enim honeſtas, aut
» iuſtitia multitudine facilè ſuadetur; quæ
» variis affectibus agitata ad peiora fre-
» quenter inclinat. Iuſtinianus autem Imperator. C. de vet. iur. enucl. l. 1. his ver-
» bis edixit. Sed neque ex multitudine au-
» ctorum, quod melius & æquius eſt iudi-
» catote: cùm poſſit vnius forſan & dete-
» rioris ſententia & multos & maiores ali-
» qua in parte ſuperare. Vt minùs mirandum ſit, ſi Bart. iuris peritiſſ. ad iudicium mercatorum & opificum pleraque ſua elucubrauit. & Q. Scæuola, homo eximia iuris ciuilis ſcientia, cùm de iure prædiatorio conſuleretur, conſultores ſuos nonnumquam ad Furium & Caſellium prædiatores reiiciebat, vt auctor eſt M. Tull. in Corneliana: & in eadem oratione
» protinus addit Cicero: Aſſiduus vſus vni
» rei deditus, & ingenium & artem ſæpe
» vincit.

Sexta cauſſa eſt ea, quam priore quæſtione euoluimus; cùm vna ſententia firmioribus, quàm aduerſaria, rationibus ſubnixa eſt; tunc enim eſt ei neceſſariò aſſentiendum.

Septima. Quando vnius partis magis luculenta ſunt teſtimonia, atque auctoritates.

Octauam ego adiungo, & explico 7.
quàm breuiſſimè. Opinioni illi palma danda eſt, quæ rationem conſuetudini, auctoritatíque præponit. Nuda enim conſuetudo, Romana excepta, quæ in aliqua orbis parte, nata & educata eſt, niſi ſe ratione & veritate defendat, rationi concedat oportet. Nemo, inquit D. Auguſtinus, »
in lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas,
cap. 6. conſuetudinem rationi & veritati »
præponat: extátque hæc Diui Auguſtini »
ſententia, in Decret. diſt. 8. can. veritate manifeſtata. Ac D. Cyprianus, in epiſtola ad Pompeium contra epiſtolam Stephani. Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas er- »
roris eſt. »

Diuus autem Chryſoſtomus, hom. 1. in Gen. præcipit, vt ne temere conſuetudini ſeruiamus; ſed cunctas res noſtras ratione adminiſtremus; eamdémque ſententiam iterat, ac perſuadet homil. 50. in eumdem librum. Itaque à Tertulliano principio libri de velandis virginibus, prudenter obſeruatum eſt, Chriſtum Dominum, ſe non conſuetudinem, ſed veritatem cognominaſſe. Sed nimirum, ſiquid in totius Eccleſiæ conſuetudine poſitum ſit, id firmiſſimè tenendum erit. Inſaniſſimæ enim arrogantiæ eſſe docet Diuus Auguſtinus epiſtola 118. exiſtimare non rectè fieri, quod ab vniuerſa Eccleſia fit.

Rationi quoque cedit auctoritas; ſiue 8.
auctoritas hominis ſit, ſiue legis ab homine conſtitutæ. Nam, vt præclarè Diuus
Thomas, in 1. 2. quæſt. 90. art. 1. regula »
& menſura humanorum actuum, eſt ra- »
tio; tradítque hic mirificus Doctor duplicem normam, ad quam humana voluntas & actio, eſt dirigenda: vnam primam & remotam, quæ æterna Dei eſt voluntas, & ratio; alteram propinquam & homogeneam appellat, quæ humana eſt ratio. Enodantur hæc ab eo ſubtiliùs in 1. 2. quæſt. 19. art. 4. & quæſt. 71. art. 6. quæſt. autem 95. art. 2. quærens, vtrùm lex omnis humanitus poſita à lege naturali deriuetur, his verbis reſpõdet. Iuſtum in

neficio non poteſt eum priuare confeſſarius: ſiue is proprius ſit, ſiue non proprius Sacerdos. Primùm, quia fieri poteſt vt pœnitentis opinio, quàm Sacerdotis, ſit probabilior. Deinde, quia cupit doctiorum, quàm eſt confeſſarius, vti conſilio. Tum, quia Sacerdos nõ poteſt ſuam pœnitenti imperare ſententiam: nec cogere de contraria decedere: id enim ſuo iure poſſet aut Concilium generale; aut Romanus Pontifex; aut grauis aliqua & legitima poteſtas pœnitenti præcipere.

2. Pôſt: quoniam ſic, vel aliter opinari, non eſt in poteſtate opinantis, vt docet Ariſt. in 2. de anima, text. 157. neque licet cuiquam aut ſuo nutu, aut ſuæ alienæve voluntatis arbitrio fingere opiniones, quas ſequatur. Itaque idem Ariſt. in 3. Ethic. cap. 2. multis acutiſque conficit rationibus, longè diſparem rationẽ eſſe " electionis, atque opinionis: fierique poſ" ſe, vt quis veris abundet opinionibus, " idémque vitiis ac vita ſit perquam turpis. Ad extremum, quia nemo abſolutione priuandus eſt, niſi quia ſua culpa eſt illa indignus: ſed is, de quo in hac ſecunda loquimur propoſitione, opinando non peccat: ergo non eſt ei beneficium abſolutionis adimendum.

Debere autem Sacerdotem abſolutionem tribuere pœnitenti in opinione minimè damnata hærenti, & quæ à viris eruditis ac piis non improbatur; affirmãt hi omnes. Paludanus, in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 1. Goffredus, in quodlib. 9. qui citatur à multis. Maior, in prologum 4. ſentent. fol. 5. col. 1. in ſolutione 4. argumenti, contra ſextam concluſ. in antiquioribus codicibus. Adrianus, quæſt. 5. de confeſſione, dub. 7. & in reſponſione, ad 1. argum. Corradus, in volumine de contractibus, quæſt. 100. concluſ. 3. Victoria, in Summa Sacramentorum, qu. 177. Medina, in C. de confeſſione, q. 19. folio poſtremo. Syluester, in verbo, Confeſſio, 4. num. 3. & in verbo, Confeſſor, 8. quæſt. 7. Toletus, in 3. lib. de inſtruct. Sacerdotum, cap. 20. in extremo. Vbi ſcribit, quum vtraque opinio tam confeſſarij quàm pœnitentis eſt probabilis, cogi poſſe Sacerdotem à pœnitente, vt abſolutionem ſibi impertiat. Id quod verè à Toleto dici puto de eo Sacerdote, qui proprius eſt pœnitentis: nam alienus poteſt eumdem abſoluere, ſed non cogitur neceſſariò id facere; niſi ſi extrinſeca aliqua neceſſitas ſuaderet.

Minimè me fugit, Corradum, Syluestrum, & alios nonnullos, diſcrimen conſtituere inter parochum ſacerdotem, atque eum, qui non eſt proprius ſacerdos pœnitentis: nam parocho neceſſitatem ſeruiunt impoſitam eſſe abſoluendi hunc opinantem: at qui parochus non eſt, facere id minimè debere. Ordinarius enim " ſacerdos, inquit Syluester, iudicium ſe- " qui debet Eccleſiæ non ſuum: at qui non " eſt ordinarius, ſuum, ſi non poteſt exuere " conſcientiam. " 3.

Quæ diſtinctio videtur arbitrio potiùs quàm ratione fabricata. Cùm enim qui iuriſdictionem exercet in pœnitentiæ ſacramento, quicumque ſit ille, miniſter Dei, & Eccleſiæ ſit, ſi rectè iudicare volet, eodẽ modo iudicabit. Adde, quòd cùm iudicium Eccleſiæ ſemper ſit rectũ, eius iudicium prauum eſſe oportet, quod eſt Eccleſiæ iudicio diſſentaneum: quod ſuum iudicium qui ſequeretur, peccaret.

Quocirca in hac ſecunda propoſitione, reliqui, quos memorauimus Doctores ſimiliter, de non ordinario vt de ordinario confeſſario conſtituunt.

Tertia propoſitio. Numquam contra ſuam opinionem ſeu conſcientiam ſacerdos abſoluere debet pœnitentem: nam peccaret. Sicut enim improbi eſt, animi conſcientiam abiicere, aut contra eam agere, cùm illam aut fides Catholica, aut ſcientia, aut fides humana non ambigua informat: ſic crimen eſt, ab eadem conſcientia in re graui diſcrepare: quum probabilis & iuſta eam imbuit opinio. Ita qui contrà quàm ipſi in hac tertia propoſitione præcipimus ſcriptis tradiderunt, poſſe ac debere ſacrarum confeſſionum 4.

iudicem

QVÆSTIO XIV.

1. Extremum vitæ diem morte conficit homo perflagitioſus, qui vitæ anteactæ ſcelera confeſſionis ſacramento nũquam expiauit: de animi ſui contritione vehementer dubitat: in vno pœnitentiæ ſacramento, ſalutis credit ſibi eſſe perfugium: ſed nullus adeſt ſacerdos, à quo poſſit abſolui, niſi aut is qui concubinam domi alit, aut verò hæreticus.

Quæritur, vtrùm is qui tunc eſt è vita emigraturus, inducere eos ſacerdotes poſſit ad ſuorum peccatorum procurationem atque abſolutionem: cùm minimè dubium ſit grauiſſimè peccare ſacerdotem, qui cum mortifera noxa ſacramentum adminiſtrat. Sacerdotem autem hæreticum, & qui pellicem domi retinet, maximo flagitio pollutum eſſe nemo Catholicus addubitarit. Quiſpiam alter pro ſua, infantiſve moribundi ſalute baptiſmo egens eum flagitat à ſacerdote ſimoniaco, cùm à nullo alio conſequi poſſit: negat impius ſacerdos ſe gratis, ſed data pecunia largiturũ regenerationis ſpiritualis ſacramentũ. Quęritur, num data pecunia perſuaderi ſacerdoti poſſit, vt miniſtret ſacramentum: nam ſi id licet, ergo alteri ad peccandum pecunia adiutorem eſſe licet.

2. In vtroque genere quæ mihi tutior & verior videatur eſſe ſententia, indicabo. Primùm igitur qui ab ſacerdote, ſiue pellicatu ſiue hæreſi contaminato ſacramẽtum pœnitentiæ petit, rem iuſtam ac ſanctam, ſibique etiam ab illis debitam petere mihi perſuaſum eſt: nam, vt is qui mortem impendentem videt, neque eſt antea de ſuis criminibus apud ſacerdotem confeſſus, neceſſaria lege ea confitendi tenetur; ſic quilibet ſacerdos, qui in illas anguſtias coniectum pœnitentem videt, ex illis eum educendi eſt neceſſario iure adſtrictus, non ſecus, imò verò magis, quàm ſi eumdem pœnitẽtem, niſi ei ſubueniatur cibo, fame periturum cognoſceret: illo enim neceſſario tempore, & poſtulare, & ſuſcipere, & præbere ſalutis ſacramentum, & religioſi & Chriſtiani eſt officij: quòd ſi ſacerdotes in largiendo peccant; id ſuo ipſorum vitio fit, nulla rei quæ flagitatur, natura, aut flagitantis ſtudio vel cõditione: vterque enim ſacerdos flagitium ſuum dimittat ac deteſtetur: ſicut illis quouis puncto temporis dimittendum eſt ac deteſtandum: nihilque peccabunt in tribuendo ſacramento.

Etenim ſicut puellæ ad ſeruandã corporis vitam, licet etiam ab impudico petere cibum, quamuis ſciat illum daturum mẽte improba & impudica. Vtitur enim iure ſuo puella, neque dantis animum ipſa offendit, ſed ille ſuo ſcelere ſe cruciat: ita qui ab vtrouis illo ſacerdote neceſſitate coactus ad animi retinendam vel potiùs adipiſcendam ſalutem pœnitentiæ ſacramentum poſcit, iure poſcit, quamuis neuter à ſcelere diſcedere velit.

Hîc tamen euellendus eſt ſcrupulus; 3. qui de hæretico ſacerdote quempiã pungere poſſet. Tali enim ſacerdoti numquã videtur ius datum vllum à peccatis in Eccleſia Catholica, cuius is non eſt membrum, abſoluendi: id quod apertè fatetur Nauar. in Summa, cap. 26. num. 26. & in commentario, cap. 1. diſt. 6. de pœnitent. num. 88. ergo peccat qui cupit ſe abſolui à ſacerdote iuriſdictione carente: illius enim aſſentitur ſacrilegio: nam cùm formam adhibebit ſacramenti, ſignificabit ſe facere, quod non facit: itaque falſa erit forma ſacramenti.

Reſpondeo, eſſe perquam probabile quemlibet ſacerdotem iure Diuino, atque etiam perpetua lege Eccleſiaſtica in articulo mortis poſſe quemuis à quouis peccato abſoluere, neque hac iuriſdictione priuatum eſſe hęreticum: quod ipſum planum fit ex verbis Concilij Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruatione. ipſa verba hæc ſunt. Verumtamen piè ad- » modum, ne hac ipſa occaſione aliquis » pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditũ »

» ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in ar-
» ticulo mortis:atque ideo omnes ſacerdo-
» tes quoſlibet pœnitētes à quibuſuis pec-
» catis & cenſuris abſoluere poſſunt: ſi omnes;ergo etiam ſuſpenſi,etiā interdicti, ergo excommunicati,ergo degradati,ergo hæretici: nam ſi hi non poſſunt, non poſſunt omnes: ob quæ Concilij verba, Nauarrus ſententiam ſuam retexuit, in Manuali, cap. 27. num. 272. affirmans, in eodem Manuali, cap. 26. num. 26. ſecus ſcripſiſſe, quòd verborum, Concilij immemor eſſet.

4. De illo verò altero, qui baptiſmum à ſimoniaco contendit:nec ſine pretio impetrare poteſt, ſententiæ, quam iampridem in noſtra diſputatione de ſimonia defendi, perſeuerātiam in hac item quæſtione retinebo. Eiuſmodi enim flagitatori mille potiùs mortes ſubeundæ ſunt, quàm ſacrilego pretio ſacramentum baptiſmi redimendum: cùm nihil aliud ſimonia ſit, quàm rem ſacram re profana, ſeu quæ ciuilem habet æſtimationem, emere ſeu vendere. Ita conſtituunt D.Th. in 2.2.q.100.art.2.ad 1.& in 4.ſent.diſt. 25.art.2. ad quæſtiunc.1.in reſponſ.3.argumenti:& Alex.Halenſ.in 2.par.q.167.
» memb.3. art.1. nam maximæ neceſſitatis
» eſt,inquit Alexan. vitatio ſimoniæ:& Richardus,in 4.diſt.25.art.3.q.1.ad 8. argumentum:& Paludanus,in eamd. diſt.q.5. art.3. Aduerſariam ſententiam tuentur hi omnes: Scotus in 4.ſent.diſt.5.q.2. propè in extremo. Gerſon,tract.36.de ſimonia, affirmans hanc eſſe opinionem Theologorum, in quo fallitur vehementer, pretiique traditionem ad redemptionē vexationis reuocat. Maior, in 4.diſtin.25. q.5. in fine 2.argum.Gabriel,in eamd.d. quæſt.2.art.2.propoſit.7.huc propendet, Adrianus,in quodlib.9.art.3.col.10.& 11. in meo codice. Caietan. explanans artic. 2.q.100.in 2.2.Sotus, in 9.lib.de iuſt. & iure,q.6.art.1. in reſponſ.ad 1. qui Sotus addit id,quod & tanto Theologo fuit indignum,& horribile auditu,qui petit baptiſmi ſacramentum, ſi vel ab impio ſacerdote,vel à Tyranno cogeretur iurare, ſe pecuniam, quam ſimoniaco dat, non ad vexationem redimendā,ſed ad emendum ſacramentum, & tamquam ſacramenti pretium dare, iurare illum poſſe, & tamquam pretium dare. Namque ait, tempore neceſſitatis eſſe vendibilia ſacramenta:de quo à Soto diſſentit Caiet. atque eorum verborum ſonum Catholicæ aures ferre non poſſunt. Ecquid aut fingi,aut cogitari poteſt abſurdius,quàm vile membrum terræ, qualis eſt pecunia, cum ſacramentis, quæ certa ſunt noſtræ ſalutis pignora, diuinæque gratiæ inſtrumenta,collatum pondus aliquod habere poſſe dignum æſtimatione,& quo ſacramenta ipſa emi poſſint?

Quam verò proportionem & compa- 5.
rationem habeant diuina cum humanis, cæleſtia cum terrenis, ſupernaturalia cū naturalibus? Quòd ſi aliquando liceat ſimoniæ nefariam fraudem concipere, liceat etiam pecunia emere ſacramenta; quæ ſuapte natura,quia ſacram & ſupernaturalem vim habent ſanctitatis,& gratiæ efficiendæ, fieri non poteſt, vt poſſint vmquam eſſe venalia.

Quapropter qui iuraret ſe pecuniam tamquam pretium pro ſacramento ſoluere ſiue ſoluturum, bis eſſet impius, ſemel in iurando,iterum in ſoluendo: neque verò eorum mihi ſatisfacit reſponſio,qui aiunt, pecuniam dari poſſe ad redimendam vexationem: nam vt vexationis redemptio non ſit ſimoniæ aſperſa labe,duo exigit: alterum eſt,vt ne detur pretium pro iure adipiſcendo,ſed pro eo, quod noſtrum eſt, & adeptum: alterum, vt ea pecunia quis à prauitate animi & actionis, qua nos vexat, diſcedat. At in re noſtra penditur pretium, pro re quæ nondum habetur; & ei penditur, qui & in voluntate ſceleratè agendi perſeuerat, & in agendo impiè nos adiutores & conſortes habet.

QVÆ

QVÆSTIO XV.

De tuta opinione eligenda.

1. AD vitandā pernicioſæ inſcitiæ prolapſionem, quæſtio de tuta in diſciplina morum deligenda opinione, cum primis neceſſaria videtur, quæ ad reliquas Chriſtiani officij tractandas diiudicandáſque controuerſias dux & magiſtra eſſe debet.

In duas autem partes erit diſtributa. Prior eſt, vtrúmne in perdiſcendis perſequendíſque Chriſtiani officij rationibus, cùm diſcrepant Doctores, ſit ſatis probabilem ſequi opinionem, probabiliore telicta. Poſterior, quæ, quótque cauſſæ ſint, cur vni potiùs quàm alteri opinioni aſſentiamus. In priore, fœda Armillæ prolapſio fuit: in ſua enim Summa, verbo, Opinio, num. 2. ſatis eſſe dixit, probabiliore abiecta, probabilem ſequi opinionem. At id ſatis non eſſe defendunt hi omnes. Henricus Gandauenſis quodlib. 4. q. 33. Gerſon tract. 36. attent. 10. Diuus Antoninus, in 1. par. tit. 3. c. 10. §. 10. & in 3. par. tit. 5. c. 2. §. 9. Ioan. Maior in prolog. 4. ſenten. q. 2. Corrad. q. 100. de contract. Adrianus, in qq. de reſtit. q. quæ incipit: iam dictum eſt, quod deriuendo. Caiet. in Summa, verbo, Opinionis vſus. Sotus in 3. lib. de iuſt. & iur. q. 6. art. 5. Syluester, in verbo, Opinio, qu. 2. Angelus, eod. tit. qu. 1. Tabiena, eod. num. 4. Nauarrus, in Manuali, cap. 27. Miſcell. 5. num. 286. Panormitan. in cap. Capellanus de feriis, num. 3.

2. Pondera probationum hæc ſunt. Prima probatio. A ratione diſcedere numquam licet: malum enim eſt hominis ſine ratione eſſe, vt teſtis eſt Diuus Dionyſ. in c. 4. de diuinis nominibus; nec quiſquam ſecundùm Deum viuit, qui non ſecundùm rationem viuit: quemadmodū ſcriptū eſt apud beatū Athanaſiū, in libro de Incarnatione verbi, & eius corporali ad nos aduentu: ſed qui aut improbabile, probabili; aut minùs probabile; magis probabili anteponit, palam à ratione diſcedit: hoc igitur facere numquam licet.

Secunda probatio. Nemo eligere poteſt longiùs abeſſe, quàm propiùs abeſſe à veritate: ſed, qui propter minùs probabile omittit magis probabile, vult à veritate abeſſe longiùs; cùm ſuapte natura magis probabile ſit veritati propinquius: quare, &c.

Tertia. In morum diſciplina obſtruere ſibi vias indagandę veritatis grauis eſt culpa: ſed id facit, qui reiecto magis probabili, minùs probabile adſciſcit: ſiquidem ad veritatem inueniendam multò certior eſt nota, ac via munitior, id quod eſt magis veriſimile, quàm quod eſt minùs: vt ex notatione vocabuli veriſimilis liquet: ergo. Cùm enim ad veritatem nati » ſimus, inquit Ariſtotel. in primo Rhetor. » cap. 2. eodem teſte, quibus coniecturis » aſſequimur veriſimile, iiſdem etiam ad » veritatem peruenimus. Ideo iniquum eſt, » certiores coniecturas veritatis cōtemnere, vt minùs certas capremus.

Quarta. Vt iudex à religione officij ſceleratè declinaret, ſi contrariis teſtibus auditis, eorum teſtimonium, quod minùs veriſimile eſſet, ſequi vellet, neque ea re, iniuriam leuem veritati, iuſtitiæ, & reorum cauſſæ inferret: ſic non minorem hominis ratio veritati contumeliam imponit, ſi pro tribunali ſedens ipſius veritatis, poſtquam contraria de eadem re accepit argumenta, veriſimilioribus minùs veriſimilia præfert.

Quinta. Contra naturam electionis eſt, atque eſt in eligendo peruerſitas, ſumere minus bonum, maiore bono omiſſo: at minùs probabile eſt minus bonum humanæ intelligentiæ: igitur illud ſumere numquam licet. Denique in Romanorum Pontificum reſponſis, illud animaduertas, cùm de eadem re duas contrarias ſententias explicarint, eos probabiliorem ſemper eſſe complexos. Quò mihi minùs conſiderato homine digna cuiuſdam re-

& Corradi, q. 100. de contractibus. & Adriani, in qq. de reſtitutione, quæſt. quæ incipit. Quia iam dictum eſt, quòd detinendo alienum. Huic exceptioni illud item adderem. Cùm quiſpiam ignarus non ignorat non vnam omnium de re quapiam bona vel mala eſſe ſententiam, conquiſita cura oportere eũ plurium & meliorum colligere ſuffragia: cum plures ſua ſponte inuenire poteſt: meliores autem, id eſt, qui virtute, doctrina, atque opinione ſuperent, ab aliis viris probis, nec indoctis diſcere debet.

3. Poſterior exceptio ea eſt. Ne de vnius ſententia id agat, quod agenti ignorare eſt culpa. Sunt enim quædam rerum genera, quarũ ignoratio ex omnium Theologorum ſentẽtia etiam imperitis eſt exitioſa: id quod in conſequẽtibus quæſtionibus de pernicioſa inſcitia à nobis perſpicuis argumentis multorúmque & grauium Doctorũ teſtimoniis, demõſtratur.

Locum igitur habet Alberti reſponſum in earum rerum controuerſiis, quarum eſt obſcura notitia; caremúſque certa ſiue Scripturarum diuinarum, ſiue Eccleſiæ regula, quam ſequamur, vt Syluester, in verbo, Opinio, aliíque circumſpecti magiſtri interpretantur. Sed tamen Adrianus, quodlibetica q. 4. col. 11. in hominem rudem haud criminoſum putat, ſi opinionem docti hominis quamuis errantis, ſequatur in iis quæ ſunt humano iure conſtituta: dum animo paratus ſit aliter facere, quoties ei intellectum erit, quod facit, iure fieri non poſſe. Verùm hîc quoque iura nonnulla humana forent excipienda, quæ nullis, qui ſunt rationis compotes, iis præſertim qui longiùs ſunt ætate prouecti, fas eſt abſque culpa ignorare. Cuius generis lex eſt vetans carnibus veſci ſextis feriis, ſabbatis, ſacríſque Quadrageſimæ diebus, lex item, de ſuis peccatis annis ſingulis ſemel confitendi, ac tempore Paſchatis Euchariſtiæ ſumendæ; nonnulláque alia iuſſa.

4. Iam verò de Aſteo dici hæc poſſunt. Si is Theologi opinionem minùs tutò & veriſimiliter opinantis arripuit, genúſque opinionis minùs probabilis, aut nec probabilis eum minimè latuit, extra culpam ponendus non eſt: ſin opinionem firmiorum rationum præſidiis tectam amplexus tenuit, abeſt à culpa. Quòd ſi paria contrariarum rationum momenta erant, eſt item in culpa: quia cùm paria inter ſe pugnantium argumentorũ põdera dubitationem noſtris animis adferant, eóſque fluctuare cogant, nimirum cùm in dubio morali eſt animus, ad eam partem, quæ periculi atq; peccati eſt expers, eſt omnino flectendus: id enim & certæ Eccleſiæ ſanctiones identidem admonẽt: & Theologiæ magiſtri præcipiunt. At pars ignata periculi in hac Aſtri cauſſa ſuapte natura animum à contractu ſocietatis alienabat: ergo ſine crimine inire non potuit.

Quamquam ſi alter magiſter alterum vitæ innocentia, vſu rerum, prudentia, ætate, ſcientiæ opinione & doctrinæ gloria ſuperaſſet, de eius ſententia Aſteus negotium ſuum gerere potuiſſet: nec iniuſtæ reprehenſionis culpam vllam incurriſſet, licèt argumentorum pondera cæteroquin æqualia eſſent. Tot enim adiumentis ſubleuata, tótque ornamentis altera honeſtata opinio alteram ſibi cedere propemodum cogebat. 5.

Quod ad reliquas duas ſpectat difficultates, breuiſſimè reſpondeo, priorem ſocietatem dirimendam; nouam quæ iuſtitiæ conſentanea ſit, contrahendam. Lucrum verò è ſocietate vtrinque factũ, quamuis iniquum fuerit, liberali vtriuſque volũtate retineri poſſe. Vt, quidquid Aſteus debet Getæ, illi Geta condonet: &, quidquid contra à Geta Aſteo debetur, eidem Getæ ab Aſteo ex animi liberalitate ac beneficentia tribuatur.

Quòd ſi alteruter ſociorum minimè leue damnum in ſocietate contraxiſſet, illúdque ſibi reſarciri vellet, is, qui dedit, prorſus præſtabit; vt ad parem conditionem, in qua ante ſocietatem erant, ambo reuertantur.

LIBER SEXTVS,

DE CENSVRIS ET IRREGVLARITATE.

QVÆSTIO I.

1. DVo, crudeles inter ſe ſimultates gerebãt; quæ ſtudio partiũ in dies confirmabantur. Contrariarũ autem factionum principibus, atque adeo factioſis ipſis, conſtitutum erat inimicitiarum cauſſas ferro velle dirimere; quod ſine multorum cæde haud fieri poſſe putabatur. Itaque pars vtraque ſuum ſibi patronum & armorum pugnæque arbitrum adoptat.

His, ne tam multorum ſanguis effundatur, viſum eſt, principum tantùm ſimultatis, & partium vitam in diſcrimen afferre; eóſque ad monomachiam vocare. Ad hanc autem certaminis præfecti pactionem venerunt, vt poſt certum numerum ictuum, commiſſam pugnam ſedarent.

Verùm, cùm deliberant de habitus genere, quo decertaturi deducendi eſſent in campum, in contrarias ſententias deliberantium animi diſtrahuntur. Nam vnus præfectus contendebat, debere linea tantùm tunica tectos in certamen venire: alter agonotheta cui id conſilium improbaret, duo erant. Primùm, quòd certationem ea conſultandi ratio pugnantibus nimiùm periculoſam reddebat: deinde, quia ſi alteruter in pugna cecidiſſet, de ſe, de ſua vxore, liberis & fortunis actum eſſe intelligebat. Alter ille patronus, cùm ſuam ſententiam refelli videret, adeo iracundia exarſit, vt conſilij ſui reprehenſorem imbellem, timidum appellaret; aliíſque contumelioſis verbis proſequeretur. Hæc verborum incenſa contentio eò progreſſa eſt, vt ſicarius ille contumeliæ auctor gladiatorio furore inflammatus, educto gladio, ventrem eius, qui contumelia appetitus erat, peteret; hominémque perfodiſſet, niſi loricam, qua is armatus erat, offendiſſet; quæ non ſolùm retudit ictum, verumetiam enſem in duas partes fregit. Tunc furioſus laniſta de inſania nihil remittens, ea parte gladij, quam manu tenebat, oculum illius miſeri adortus, adeo ſauciauit, vt medium caput transfverbararit: quo vulnere infelix concidit, ſenſitque, diem illum ſibi perniciosum fuiſſe, quem duobus illis factioſis hominibus luctuoſum eſſe nolebat. obijt hic ſuum diem,

diem, cùm ſacro Paſchatis tempore, confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramentis caruiſſet, ſed hoc ipſo anno ante ſolemnem quadraginta dierum abſtinentiam de ſuis peccatis apud Sacerdotem confeſſum eſſe aiebant. A moribundo pœnitentiæ ſigna hæc data eſſe teſtis vnus iuratus affirmauit; quòd beatam Virginem ſæpius inclamarit, quam ſuæ ſalutis deprecatricem eſſe optabat: quòd ſacram confeſſionem expetiuerit.

2. In huius calamitoſi cauſſa tria addubitata ſunt.

Primum eſt, num canon Innocentij III. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. obſtet ei, ne Chriſtiana ſepultura afficiatur. Secundum, num Clementis VIII. conſtitutio contra ineuntes ſingulare certamen, eripiat defuncto ſepulchri & exequiarum honorem. Tertium. Cùm quis excommunicationis vinculo etiam mortuus ſolui poſſit, liceátne Patriarchæ Veneto hunc abſoluere, quo defuncti cadauer, terræ more Eccleſiaſtico reddi queat.

De prima quæſtione ſic ſentiunt Doctores, non obſtare cap. Omnis vtriuſque ſexus, ij, qui ſemel in anno nec confeſſus, nec Euchariſtiam ſumpſit, ſi veræ pœnitentiæ notas moriens oſtendit. Vide Sylueſtrum, in verbo, Sepultura, quæſt. 9. qui profert eiuſdem ſententiæ auctores alios; vide Angelum, verbo, eod. nu. 29. Hic enim ſigna attuliſſe videtur contritionis: & vnius teſtimonio, qui hac in re ſatis eſt, probata ſunt. Adde, quòd cùm annua confeſſio tantùm præcipiatur, hic intra annum confeſſus eſt.

3. De ſecunda verò quæſtione hæc mihi eſt magna opinio, excommunicationis pœnam, quæ tantummodo à Romano Pontifice tolli poteſt, ſubiiſſe; eam enim irrogat Clemens VIII. non modò iis, qui rem duelli agunt, dimicando, ſed illis etiam, qui pactiones ineũt de dirimendo certamine poſt certum numerũ ictuum, vel vbi alterutrer ſauciatus fuerit; neque id lex Clementis requirit, vt verè pugna ſequatur. Quocirca, cùm ambos magiſtros certaminis pactiones feciſſe conſtet de diſtrahendo certamine poſt aliquot ictus, de cenſura excõmunicationis nullus videtur relictus dubitandi locus. Imò dicet aliquis, magnus videtur relictus: namque veriſimile eſt, tam interfectori quàm interfecto ignoratam eſſe legem Pontificiam; vt legis inſcitia, ſi non à culpa, ſaltem vtrumque vindicare poſſit à cenſuræ pœna. Imò Sylueſter & Nauarrus, credunt, probabilem ignorantiam nõ ſolùm legis, ſed etiam pœnæ, vbi agitur de excommunicatione, facere vt quis excommunicationem non incurrat; quamuis id faciat, quod lex vetat.

Id autem facilè eliditur: primùm, quia, vt eſt à nobis in aliis noſtris publicis diſputationibus & ſcholis ſæpe oſtenſum, & in quinto horum reſponſorum moralium, quæſt. 1. demonſtratum: contra quàm credunt Sylu. & Nauarrus, plures & maiorum gentium Doctores ſcripſerunt, præſertim vbi factũ, quod excommunicatione ab Eccleſia punitur, non ſolùm humana, ſed etiam diuina & naturali lege prohibetur: in quo genere eſt duellum priuata auctoritate ſuſceptũ, in quo vita vtriuſque certantis, æternáque ſalus periclitatur. Deinde, quia externa tribunalia, vbi lex Principis eſt promulgata, de inſcitia rei non laborant, præſertim cùm illam reus probare nõ poteſt. Ita M. Tull. in 4. actione in Verrem, deſperatiſſimo perfugio ait vti eum, qui dicit ſe imprudentem feciſſe, exiſtimaſſe id licere: addítque perditiſſimam hanc eſſe defenſionem. 4.

Maneat igitur, interfectum excommunicationis cenſura irretitum eſſe, nec Chriſtiano ritu ſepeliendũ eſſe. Verùm, quia publica pœna oritur ex publica culpa, iudex, qui priuare debet mortuum ſepultura, pronunciare antè debebit de interfecti crimine.

Poſtremæ dubitationi reſpondet Innocentij III. Decretalis, A nobis, ſecunda, de ſentẽtia excommun. in qua decernitur,

nitur, eum, qui in mortis articulo non eſt ab excommunicatione abſolutus, mortuum non poſſe abſolui, niſi ab eo, qui illum ſanum & viuum poterat abſoluere. Quare cùm occiſus, excommunicatione eiuſmodi nexus ſit, quæ eſt Romano Pontifici reſeruata, ab eodem liberetur nunc neceſſe eſt, aut, qui delegatam habet facultatem. Excommunicationis autem abſolutio, quę poſt mortẽ impartitur excommunicato, hoc habet commodi, quòd iuſto & indicto funere efferri poteſt, & ſi cadauer in loco religioſo defoſſum eſſet, priuſquam ſublata ſit excommunicatio; effodi non oporteret.

QVÆSTIO II.

1\. N. Amico conſulenti ſuadet, vt ſuum aduerſarium, cum quo rixatus eſt, ad ſingulare certamen prouocet; eíque ſe pugnãti adfuturum pollicetur, ad quamuis iniuriam arcendam. Amicus N. ſuo inimico pugnam condicit: hic minimè recuſat. Verùm eodem N. agente, & pacis ſequeſtrum quærente, ante omnem certationem inter aduerſarios gratia reconciliatur.

N. duelli ſuaſor Romam ſupplicem mittit libellum ad abſolutionem excommunicationis impetrandam. Maior iudex tollendæ cenſuræ, mandat inferiori Sacerdoti ex approbatis ab Ordinario, vt, » cùm N. plurimùm doleat de præmiſſis (verba ſunt delegantis iuriſdictionem) » & ſi te humiliter petierit, eum abſoluas » hac vice in forma Eccleſiæ conſueta, in» iuncta ei pro modo culpæ graui pœni» tentia ſalutari, & aliis, quæ de iure fue» rint iniungenda: in foro conſcientiæ » tantùm.

Hæc cùm ita ſeſe habeant, multæ & graues nobis ſeſe obiiciunt difficultates in hac forma delegatæ facultatis abſoluendi. Singulis propoſitis ſingulas exponemus.

2\. Prima difficultas. Cùm tres ſint modi ſeu formæ abſoluendi ab excommunicatione, vna pertinens ad neceſſitatem & eſſentiam, reliquæ duæ ad bene eſſe, & ſolemnitatem; quæritur, vtrùm ſolemni forma prætermiſſa valeat abſolutio forma eſſentiali ſeruata: valere ſentiunt fermè omnes Doctores, vt ait Syluest. in verb. Abſolutio, 3. §. ſciendum eſt tertiò. Verùm hoc loco admittenda eſt Doctorum exceptio. Nam, cùm abſoluenti certa forma præſcribitur, illa non ſeruata nihil efficitur. & ratio eſt, inquit in eod. lo- » co Sylueſter, quia omiſſa forma data ab » homine nulla competit iuriſdictio. Vide » cap. Cùm dilecta de reſcriptis, & quę illic profert Gloſſa, arg. item cap. fin. de præbend. & c. prudẽtia, de off. deleg. & quia reſcriptũ Romanum præſcribit modum abſoluendi, ſtudioſè ſeruandus eſt. Dicat quiſpiam: quænam ſubſtantialis eſt forma, & in quibus verbis ſita?

3\. Pene inter omnes conuenit eam eſſe, quæ ſignificat remotionem cenſuræ: hiſque ſolet verbis efferri, *Abſoluo te ab excommunicatione, Relaxo tibi excommun. Rebenedico te*, & aliis eiuſmodi. Quare D. Thom. opuſc. 2. 2. de forma abſolutionis Sacramentalis, cap. 2. conſtituens diſcrimen inter hanc & illam, quæ in excommunicationem accommodatur, loquitur his verbis: Dicamus, quòd alia » ratio eſt de abſolutione ab excommuni- » catione, quæ non eſt Sacramentalis, ſed » magis iudiciaria iuriſdictionem conſe- » quens; & aliud de abſolutione à peccatis » in Sacramento pœnitentiæ: quæ conſe- » quitur poteſtatem clauium, & eſt Sacra- » mentalis. In illa enim verba habent effi- » caciam ab intentione dicentis: vnde non » refert, quibuſcunque verbis vtatur ad » exprimendam ſuam intentionem. In Sa- » cramentis autem verba habẽt efficaciam » ex inſtitutione diuina. Vnde tenenda ſunt » verba determinata conſonantia diuinæ » inſtitutioni. Nec ſecus docuit Richardus, » in 4. diſtinct. 18. art. 10. quæſt. 5. nam vult ſufficere verba ſignificantia, inquit, excommunicationis remotionem. Vnde,

verba

» verba ſunt eiuſdem Doctoris, ſi diceres
» excommunicator, reuoco, vel relaxo ex-
» communicationem quam in te tuli, ille
» verè eſſet abſolutus. Atque in hos duos nobiliſſimos Theologiæ Magiſtros cunčti reliqui propè concedunt.

4. Vrgebis nūc de forma extrinſeca, quæ ad bene eſſe dumtaxat, & ſollemnitatem quamdā pertinet iuris Eccleſiaſtici. Hæc mihi duplex videtur, vna extat in cap. ex tenore, altera, in cap. à nobis ſæpe quæſitum, de ſententia excommunicat. prior, inquam, habetur in cap. ex tenore, de ſententia excommunic. vt quis iuratus promittat ſe pariturum mandatis abſoluentis, ſeu Eccleſiæ; atque vt ei præcipiatur ex vi præſtiti iuriſiurandi, ne ampliùs in canonem ſeu legem committat, ob quam violatam excommunicationem incurrit; qua forma vtendum eſſe ait Gloſſa in c. ſuper eo, de ſententia excommunic. in c. cùm deſideras, & cap. ſuper eo, de ſententia excommunicat. in abſolutione cuiuſlibet, qui in canonem incidit. Ac licèt Oſtienſ. credat iuſiurandum pertinere ad ſubſtantiam abſolutionis: nihilominùs ſecus probat Gloſſa à cunčtis ferè recepta.

Sunt etiā plerique qui negant exigendum eſſe iuſiurandum in quouis crimine, ſed tantùm in atrociore; quòd æquum eſſe cenſet D. Anton. in 3. par. tit. 24. cap. 77. §. 1. vbi etiam admonet ex Oſtienſ. quem alij Summarum ſcriptores ſequūtur, mandata iniungenda eſſe excommunicato, cùm fuerit abſolutus, eo modo, qui extat in decretali, A nobis ſæpe quæſitum. Ad eamdem formam ſpectat, vt ante abſolutionem ſatisfiat, aut damno aut offenſæ: quòd ſi id nequeat excommunicatus facere, cautionem præſtet, aut pignoratitiam aut fideiuſſoriam, & ſi id non poſſit, ſaltem iuratoriam: & fortaſſe, illa verba: *In forma conſueta Eccleſiæ*, non tam ſignificant præſcriptionem verborū, quibus vtendum eſt in abſoluēdo, quàm rerum quæ faciendæ ſunt, cùm abſoluitur excommunicatus: quam interpretationem ſequi videtur Nauarrus, cap. 27. num. 37. in Summa.

Altera forma quæ extat in Decretali Innocentij III. A nobis eſt ſæpe quæſitum, in extremo de ſententia excommunicationis, in eo conſiſtit, vt fiat cum Pſal. pœnitentiali, & tam oratione Dominica quàm cum alia conſueta. Illa prætcrea, quæ addi ſolent, diſce ex Archiepiſcopo Florent. vbi ſuprà, & ex Syluestro, in verbo, Abſolutio, 3. num. 4. & aliis. 5.

Secunda difficultas. Cùm à delegante præcipitur, vt excommunicatus, in forma Eccleſiæ conſueta abſoluatur, eſſéne ſatis vſurpare tantùm formam abſolutionis, quæ eſt intrinſeca & eſſentialis, an etiam eam, quæ refertur ad ſollemnitatem? Et, ſi hanc, vtramque an alterutram? & ſi alterutram, vtram? priorem, an poſteriorem? 6.

Magna hæc eſt quæſtio, de qua Romam litteras dedi: ad quam cùm reſponſum abſtulero, in extrema diſputatione hac indicabo, verba illa, *In forma Eccleſiæ conſueta*, non intelligi de ſubſtantiali forma, iſthæc confirmant. Primùm, quia in nulla Eccleſiæ ſančtione illa forma verbis cōceptis reperitur. Deinde, quia cùm iura indicant formam Eccleſię conſuetam, vt can. cùm deſideras, & can. ſuper eo, & canon, A nobis eſt ſæpe quæſitum, non mentionem faciunt verborum declarantium amotionem cenſuræ, ſed aut iuriſiurandi, aut orationum, quibus abſolutio ſollemnis adhibetur. Rurſus, quia forma Eccleſiæ conſueta debet eſſe eadem vbique, & apud omnes: at eſſentialis non eſt eadem, quantùm ſpectat ad genus verborum, quibus fieri ſolet. Poſtremò, Gloſſa formam Eccleſiæ vſitatā, in cap. ſuper eo, de ſent. excommmunic. docet eam eſſe, quæ exprimitur, in cap. ex tenore, eod. tit.

Mihi ſanè ex verbis Gloſſæ, in cap. ſuper eo, de ſentent. excommunic. iudicis delegantis mandato ſatisfieri videtur, ſi forma eſſentialis cum forma capitis ex tenore, cōiungatur. Verùm ſi in ſollemni

forma conſeruandus ſit ordo illorũ quattuor, quæ Doctores Summarum ſumunt ex Oſtienſi: dicendum videretur, formam canonis, à nobis omitti non debere: ſiquidem iuſſa & mandata, quæ tradi debent excommunicato, abſolutionem ſequi debent. Hoc item ex curiæ conſuetudine diſcendum erit.

7. Tertia difficultas. Cùm ſuperior iu- » dex abſolutionis, inferiori mandat, vt ex- » communicato grauem & ſalutarem pœ- » nitentiam iniungat, & ea quæ fuerint de » iure iniungenda: quæritur, quæ ſint ea, quæ poſt pœnitentiam impoſitam ſunt de iure iniungenda in foro conſcientiæ. Reſpondeo. Si eo ordine abſoluatur excommunicatus, qui à Doctoribus præſcribitur; qui modus complectitur tam formam cap. ex tenore, quàm capitis, à nobis, de ſententia excommunicationis, verba illa, & quæ de iure, & c. ad iuſta, & rationi conſentanea mandata referri videntur: nam mandata abſolutionem conſequuntur: cuiuſmodi debet eſſe mandatum de nõ violando ampliùs canone, vel conſtitutione, in quam commiſit: & alia quæ recta ratio excogitarit. Dixi, *mandata iuſta, & cum ratione congruentia eſſe debere:* quia ſi talia non eſſent, ab iis poſſet prouocari, vt Doctores admonent: probántque ex cap. poſtremo de pactis. Si verò mandati Auctor cõtentus eſſet forma capitis ex tenore, poſſet poſt iuſiurãdum, de parendo mandatis Eccleſiæ, & poſt ſatisfactionem, aut cautionem fideiuſſoriam, aut pignoratitiam, aut iuratam, ſi genus delicti hæc requireret, ſubiicere præceptum de non contemnenda in poſterum lege, propter quam excommunicationem incurrit; & alia mandare, quæ ſibi videbuntur. Nam iſthæc omnia iure, & ex iure fiunt. Porrò hic reus, qui ſupplicem libellum Romam miſit, ob contemptas pœnas à iure inflictas excommunicatis, vt quia à cæterorum communione, & conuictu ſeſe numquam remouit, hac item pœna ac præcepto conſtringendus foret, vt aliquot dies ſeſe cubiculo contineret à reliquorum omniũ conſuetudine planè diſtractus; illicque cibũ caperet ſolus; ſolúſque cubaret, ſi fortè ſocium in cubili haberet, necnon errati veniam ab iis deprecaretur, qui nouerãt eum excommunicatione damnatum, damnationíſque pœnam neglexiſſe.

Quarta difficultas. An abſolutio hæc à ſuperiore iudice delegata auelli poſſit à peccatorum ſacramentali abſolutione. Hoc item è Romanæ curiæ diſciplina intelligemus. Mihi mentem religioſam delegantis ſpectanti videtur nõ debere abiungi. Primùm, quia in foro conſcientiæ dumtaxat conceditur; quod forum propriè reſpicit ſacramentale iudicium peccatorum. Deinde, quia veriſimile eſt huiuſmodi abſolutionem iis impartiendam eſſe, qui eodem tempore cum Eccleſia, & cum Deo in gratiam redire cupiunt: at crimino ſis hominibus eum Deo pacificatio ferè ſolet eſſe difficilis abſque ſuorum peccatorum mœſta confeſſione, ſacramentalique abſolutione. Poſtremò, quia ampla priuilegia ſocietatis Ieſu ſacerdotibus ad remouendas Eccleſiaſticas cenſuras ab Romanis Pontificibus data, minimè ſuffragantur iis, niſi pœnitentium confeſſionibus diligenter auditis: neque à cenſuris abſoluunt, quin etiam à peccatis abſoluant: & qui ſecus ageret, peruerſè, & nihil, ageret. Vide Nauarrum, in Manuali, c. 26. nu. 31. 8.

Quinta difficultas. Faciamus, eum, qui libello ſupplici ab ſede Apoſtolica abſolutionem impetrauit, quo tempore dicebat de præmiſſis ſe plurimùm dolere, perinde ſe gerere, ac ſi excommunicatus non eſſet, aliorum conſortium, oſcula, ſalutationes, menſas non vitaſſe, canonum pœnas excommunicatis irrogatas vſque ſpreuiſſe, ante gratiam impetratam: dum ea exſpectatur, & poſt aduentum, vitæ politicæ officia coluiſſe: faciamus, eum, neceſſaria & ſuadenti & præcipienti ſacerdoti priuſquam abſolueretur, minimè paruiſſe: quid de gratia abſolutionis cenſendum erit? cámne ratam ab vrbe dela- 9.

tam

tam eſſe, atque etiam nunc ſupplicanti firmam manere?

Reſpondeo, impetratam gratiam, ſubreptitiam, nullámque, fuiſſe: & quamuis ab initio valuiſſet, nunc interiiſſe. Inanis ac nulla à primo fuit: quia mendaci narratione fuit extorta. Scripſit enim plurimùm ſe dolere de culpa admiſſa, quando pœnam ab Eccleſia, culpæ adiunctam, pro nihilo ducebat; quando Eccleſiam non ſeruando cenſurã, irritabat; nec eam ad veniã dandam, ſed ad grauiorem animaduerſionem ſua cõtumacia incitabat.

10. Abſolutio, inquit D. Antoninus, in 3. » par. tit. 24. c. 77. col. 2. ab excommunica- » tione ex falſa cauſſa ſecundùm Innocen- » tium & Oſtienſem non tenet: quia iudex » non intendit ſic abſoluere. Cùm igitur iudex adductus ſit ad indulgendum, & relaxandam cenſuram, quia excommunicatus teſtabatur ſe vehementer de ſuo ſcelere dolere, id quod dici de eo non poteſt, qui noua & aſſidua iniuria afficit Eccleſiam, profectò cùm deceptus ſit auctor delegatæ facultatis, noluit tribuere, quod tribuit. Denique, ſi ab initio valuiſſet gratia, periit. Siquidem excommunicatus cum delegato iudice iurgio contendit: ei temerè in cauſſa abſolutionis & præfractè reſtitit: & ſalutaria ac neceſſaria eius iuſſa deſpexit; & obſtinata mente facere voluit, quod ne faceret iudex, à quo erat abſoluendus, pro imperio vetuerat: erátque in Romanæ Pœnitentiariæ ſummi moderatoris litteris fore excommunicatum abſoluendum, ſi abſolutionem humiliter petiiſſet. Quis autem eum dixerit humiliter petere, qui ea agat, quæ non niſi ab improbo conſilio, à corrupta ſententia, & à peruicaci animo proficiſcuntur?

11. Ad extremum Roma hæc ſunt allata reſponſa. Ad primum. Per illam clauſulam, *abſoluas in forma Eccleſia conſueta*, non datur noua aliqua forma, per cuius omiſſionem inducatur nullitas abſolutionis, ex Nauarro, cap. 27. num. 37.

Ad ſecundum. Cùm hoc mandatum de abſoluendo directum *diſcreto viro confeſſario*, ſit reſtrictum ad forum conſcientiæ, non eſt neceſſe, quòd ſeruetur forma, de qua in dictis capitibus, ex tenore, & dicto cap. A nobis, ſæpe, de ſent. excommunicat. quæ iura procedunt in foro exteriori: ſed ſufficit, quòd ſeruetur illa ſimplex forma, qua vtuntur confeſſarij, cùm pœnitentes abſoluunt ab excommunicationibus & peccatis; & ita ſeruatur hic apud nos.

Ad tertium. Illa clauſula, *& aliis de iure iniungendis*, hoc inter cætera vltra prædicta, de quibus in dictis cap. docet obſeruandum, vt ſi abſoluendus teneretur læſo in aliquo ſatisfacere, iubeat talem ſatisfacere, vt notat Gloſ. dicto cap. ex tenore, verbo, Debeat, & ita etiam ſeruamus.

Ad quartum. Cùm dictum mandatum de abſoluendo, non dirigatur Petro aut Ioanni, ſed *diſcreto confeſſario*, patet, quòd is, cui illud præſentatur, non poteſt dicta poteſtate vti, niſi in ſacramento confeſſionis, & ſic abſoluendo etiam à peccatis: aliàs non vt confeſſarius abſolueret, ſed vt Petrus & Ioannes, & ita ſeruamus nos.

Hæc Ioannes Baptiſta Coſta ſcripſit ac teſtatus eſt de conſuetudine Pœnitentiariæ Varie.

De quarta verò dubitatione Romanæ Pœnitentiariæ conſuetudinem indicans P. Benedictus Iuſtinianus patri Virgilio Cepario ciui meo idem reſpondit, litteris ad eum Roma Florentiam miſſis 4. Idus Octob. 1598. quo tempore & Ceparius Florentiæ collegij noſtri erat Rector; & Iuſtinianus Romæ collegio minorũ pœnitentiariorum moderabatur.

QVÆSTIO III.

DE duabus monialibus hæc mihi diuerſis temporibus narrata, ac propoſita fuêre. 1.

Vna, ſtulta leuitate abrepta, ſubiens eam

eam partem rotæ, quæ erat ad partes abditas ædium conuerſa, eò voluitur, quò profanis hominibus eſt aditus: eumdémque ſitum & locum intra ligneum illum orbem retinens reuoluitur intro. Altera, in oſtio inſiſtens monaſterij, totam ſurã ianua effert.

Quærebatur, eſſétne vtraque mulier, ſcpta egreſſa monaſterij, atque in Gregorianam legem peccaſſet, qua excommunicationis nota inuruntur, quæ è ſuorum monaſteriorum ſeptis exeunt.

2. De priore moniali nonnullis iudicatum fuit, ab ea in Gregor. XIII. conſtitutionem nequaquam commiſſum eſſe, neque cenſuram aliquam excommunicationis ſubiiſſe: quia crediderunt, de rota perinde vt de porta ædium exiſtimandũ eſſe: ergo ſicut quæ portæ limen tenuiſſet, atque eam patefeciſſet, ſacra ſepta nõ violaſſet; ita nec violaſſe dicenda eſt ea quæ in ipſa rota cõſedit. Deinde, ea clauſtris monaſterij continentur, quæ intra eius muros ſunt: at rota intra murum eſt: ergo, quæ in ea inſidet, non poteſt dici extra muros eſſe.

3. Mihi tamen ſecus ſentienti hæc in cõtrariam partem ſuppeditabant argumenta. Primum. Quia ſua quadam conſtitutione, quæ incipit, Deo ſacris, interpretatus eſt Gregorius XIII. eum locũ extra ſepta monaſterij cenſendum eſſe, quò eſt laicis acceſſus impunè: ſed laicis impunè eſt acceſſus ad eum locum, quò verſans rotam delata eſt monialis: ergo verſata eſt extra ſepta.

Secundum argumentum. Ergo pariter mulieribus & viris profanis eſſet iure permiſſum in eamdem rotam ſe includere, atque ad interiores monaſterij partes introferri: atque illic ſermones cum ſacris virginibus conferre, earumdémque adſpectu, & complexu frui: atque iis rebus, quæ turpiores ſunt, potiri; id quod nemo ſapiẽs ac religioſus æſtimator vmquam dixerit. Qui enim id concederet, omnem ſententiam, mentémque legis ac legiſlatorum obrueret: qui magna à perſonis profanis religioſis fœminis impendentia pericula propulſare voluerunt.

Poſtremò, quia rota lignea muris inædificata monaſteriorum ab eorumdem ianua permagnam habet diſſimilitudinem: ſiue quia porta, ſeu ianua nonnumquam tota aperitur: rota numquam patefit vniuersè: ſiue quia numquam vſu venit, vt rota aliqua ſe totam aut monialibus, aut profanis hominibus dedat: ſiue quòd ianua vi careat cuiuſpiam rei, aut in monaſterium introferendæ, aut monaſterio efferendæ: id enim facere ij tantùm poſſunt, qui aut ianua ingrediũtur aut egrediuntur: at rota ſuo motu & circumductu id agit, neque ingrediente neque egrediente, aut locum mutante eo qui illam agitat & circumducit. Neque rota cum iis rebus comparanda eſt, quæ intra ſepta ſunt, quamuis ſit intra murum, vel in muro. Illa enim verè intra ſepta ſunt, quæ extima ſiue intima murorum ſuperficie continentur: quæ verò medios occupant parietes vel muros, ad ſepta pertinere non videntur: nam qui parietem perforaret, atque in medio pariete quidpiam conderet, non intra ſepta diceretur illud condidiſſe, quamuis intra murum collocarit. Huc accedit, quòd in partem exteriorem rotæ res impoſita tunc intra monaſterium eſſe dicitur, cùm circumuecta ad ſepta peruenit: atque in monalium eſt poteſtate.

Hæc igitur mihi de priore moniali ſententia fuit, ius clauſtri religioſi ab ea violatum eſſe: cenſura Bullæ conſtrictam fuiſſe.

De poſteriore moniali, quid probabilius dici poſſe videatur, triplici ſumptione indicabo. Prima ſumptio. Non quidquid ambitu interiore murorum, alicuius ſacri domicilij continetur, ad ſepta monaſterij, è quibus egredi non licet, pertinet. Quandoquidem monaſteria ſunt quamplurima regularium tam virorum quàm mulierum, quæ atria habent, impluuia, veſtibula, templa quoque, aut ſacella inædificata, ſuis portis inſtructa; ad quæ 4.

liber

liber profanis viris ac mulieribus eſt aditus : ad quæ loca, etiam cùm clauſa ſunt, eſt monialibus interdictus acceſſus ex conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit, Deo ſacris, §. declaramus præterea, edita anno Domini 1572. 3.Kal. Ianuar. Pontificatus ſui anno primo.

Sumptio ſecũda. Porta ſeu ianua, quæ à monialibus aperiri & claudi ſolet, pro ſeptis habet valuas : quod enim cæteris partibus clauſtri ſacrarũ Virginum, quod violare eſt nefas, ſunt muri, id ianuæ ſunt valuæ: nemo id fuerit inficiatus.

Tertia ſumptio. Cùm fermè cunctorum cœnobiorum ianuæ, quæ exitu violari non poſſunt, valuas habeant & clauſtra, quæ intus reuoluuntur, ſi leuicula illa monialis à tergo relictis valuis, quibus exterius limẽ à ſeptis diuiditur, toto corpore in ipſo limine conſtitit: quod limen totum à profanis hominibus toto quoque corpore occupari poteſt: hæc meo quidẽ animo extra ſepta fuiſſe, ex Greg. XIII. declaratione dicenda eſſet. Salua ſemper, &c.

QVÆSTIO IV.

1\. QVotidie iudices Eccleſiaſtici & Prælati, propoſita pœna excommunicationis, edicunt iis qui bona aliorum, aut ipſi poſſident, aut poſſideri ab aliis ſciunt, vt apud eoſdem edant ac proferant, quæ profetri edicto iubentur.

Dubitationis ſæpe fuit; an ij, qui nomine compenſationis iuſtę quidpiam aut retinent, aut retineri norunt ab aliis, ſiſti iudici debeant: atque ea, quæ bona poſſident, cogantur profiteri, quæ in alterius peculio aliquando fuerunt. Quòd ſi non profiteantur, in laqueum ſe excommunicationis induant.

Hac quæſtione petitus perſæpe, reſpondi, edicto edictique pœna non teneri eos, qui iure compenſationis tantumdem de bonis alterius habent, quantùm ei dederant. Quòd ſi auctor edicti ius excluderet legitimæ compenſationis, in errorem laberetur intolerabilem: neque culpæ eſſet affinis, qui non foret edicto audiens. Ita Angelus, in verbo, Furtum, §. 41. ita Tabiena, in verbo, Inquiſitio, §. extremo, vbi pro Angelo pugnat contra Roſellam; quæ ſententiæ Angeli obiicit, Epiſcoporum, Auditorum, & Romanæ curiæ conſuetudinem: in qua erroris prolapſio timeri non debet. Sed Roſella vehementer errat: conſuetudo enim & mos curiæ iuſtus eſt, & rationi conſentaneus: neque certum ius compenſationis tollit, ſed aut incertum, aut non verum. Itaque ab Angelo ſtant quoque Syluester, in verbo, Furtum, num. 19. & Armilla, eod. tit. num. 15. & Nauarrus, in Summa, cap. 25. num. 46.

Quæres num lege indicandi furti quis teneatur, cùm aut furtum indicari nõ poteſt, quin perſona furis indicetur, aut indici graue aliquod malũ immineat. Ioannes Tab. loco, quem indicauimus, reſpõdet non teneri, quod valde probabile eſt. 2.

Is qui furem teneret : ſed in iure furtum aduerſus furem probare non poſſet, cogeretúrne iudici patefacere ? nonnullis aientibus negant alij.

Roſella quæſtioni ita reſpondit, in verbo, Excommunic. 7. num. 20. Qui ſolus ſcit, non tenetur reuelare prælato publicè, imò tenetur non reuelare publicè, ſed ſecretò; vt corrigat ſecretè; nonnullóſque alios Doctores citat. Syluester, idem quod Roſella, qui addit non eſſe partes denunciantis probare. Angelus, in verbo, Excommunicat. §. 20. & in verbo, Denunciatio, §. 13. diſſentit : quamquam in poſteriore, §. fatetur, cùm more iudiciali agunt Prælati, non cogi quempiam indicare id, quod probare non poteſt: cui tamen indicari poſſet, cùm Prælatus partes ſuſcipit & agit patris: in quo ferè conſentiunt omnes, qui in hoc argumento verſantur. Additque Ioannes Tab. in eodem loco, de quo ſuprà, cenſuram excommunicationis vitaturum eum, qui nec adiret Prælatum, à quo clàm is, qui deliquit, corrigendus eſſet.

3. Probationem auté rei indicandæ in eo ſitam eſſe ſcribit Tabiena: vt duos præter me edam conteſtes. Panormitanus, in C. nouit, de iudiciis, nu. 41. ſui commentarij, negat denunciationi locum eſſe in occulto delicto, quod probari nõ poteſt: vtitúrque auctoritate Gloſſæ, in c. ſi peccauerit, 2. q. 1. & Ioan. And. in cap. nouit ille, de iud. qui ſic ſcribit: Caueat denuncians, quòd peccatorem conuincere poſſit: quia ei, etiamſi ſit Epiſcopus, non creditur. 6. q. 2. ſi tantùm, & cap. placuit.

Porrò autem Ioannes Andr. in c. nouit ille, quattuor denunciationum genera facit. Primam, Euangelicam. Secundam, iudicialem. Tertiam, canonicam. Quartam, regularem. de ſingulis diſſerit. Verumenim ſi is, qui in culpa eſt, fraternam admonitionem contempſiſſet, rectú eſſet ad eum deferre, qui prodeſſe poſſet, & non obeſſe.

4. De eo quoque inter Doctores conuenit: cùm fraterna correctione peccanti conſulere poſſumus, eam omitti non oportere: quòd ſi iudex iuri fraternæ & Euangelicæ correctionis officere conaretur, haud leuiter peccaret, illiúſque iuſſum, tamquam Euangelij auctoritati contrarium, nullius momenti eſſet: necnon illud ipſum affirmat in Summa Nauarr. cap. 27. num. 15. ictum excommunicationis ab eo declinari, qui delationem iudici præcipienti ob aliquam iuſtam cauſſam non morem gerit.

Cauſſas verò legitimas non deferendi ſeptem exponit in eadem Summa, c. 25. num. 46. Perſapientis ſenis hæc ſunt verba. Septimò, qui abſque cauſſa non paret iudici præcipienti, vt denunciet talia & talia crimina, vel debita, & eſt excommunicatus, ſi mandatum fuit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, tenetúrque damna reſtituere. Dixi abſque cauſſa, quia multa excuſare poſſunt, vt copioſiùs aliàs dixi vbi ſuprà, à num. 775. tractando de magna prudentia, quà eſt opus ad rectè parendum eiuſmodi mandatis.

Quorum primum eſt, quòd peccatum eſt occultum, & peccator iam emendatus, aut ſola fraterna correctione probabiliter emendabilis: tunc enim nõ eſt parendum ante fraternam correctionem, etiamſi præciperet, vt fieret denunciatio, non habita ratione fraternę correctionis, ſecundùm Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. & Ant. 2. par. tit. 9. cap. 6. §. quarto, col. 3.

Secundò, defectus probationis peccati denunciandi, vt dictum eſt ſuprà cap. 18. num. 61.

Tertiò, quòd à talibus, & taliter audiuit; vt ob id moueri non debeat, præſertim ſi denunciaturus eſſet talis, qui leuitatis ob illam denunciationem notaretur; aut cuius teſtimonium iudicem magis, quàm cõueniret, moueret, vt ibidem dictum eſt.

Quartò, denunciatio eius à quo audiuit.

Quintò, noſſe, eum, qui furatus eſt, vel tenet illud, retinere in compenſationem alterius tanti, vel pluris, quod ſibi debetur.

Sextò, quòd per ſolam ſacramentalem confeſſionem nouit.

Septimò, quòd per ſolam conſultationem ſecretam, pro conſilio habendo, nouit.

Ad nouẽ quæſitum, Reſpondeo, eum qui non denunciauit delicta intra tempus in edicto contentum, teneri ad denunciandum poſt illud quàm citò commodè poteſt, argum. cap. Cum dilectus, de dolo & contum. cum citatis à Gloſ. & Doctor. ibidem.

QVÆSTIO V.

MOrienti ſacerdoti adeſt clericus: is res aliquas demortui ſurripit: hunc iubet iudex ad dictam diem omne reddere, quantum abſtulit: ſi edicto non pareat, excommunicationis latæ ſententiæ pœna multatur. Præcipienti iudici non obtemperauit clericus. 1.

Quære

Quærebatur, num in excommunicationem inciderit, & vtrùm celebrando, irregularitatem incurrerit.

Quæſtionis euolutio hâc deſiderabat diſtinctionem: aut furtum clerici perſpicuum erat, de eóque in iudicio, aut etiam extra iudicium conſtabat; aut non conſtabat, quia clandeſtinum erat: ſi conſtabat, edicto parendum erat: &, ſi non paruit, neque excommunicationem effugit, neque irregularitatem, ſi excommunicatus celebrauit: ſin ablatio eſt occulta, ſiue in ſola hominum ſuſpicione poſita, & ſuum facinus indicanti clerico, ipſi vel ſuis graue aliquod damnũ periculúmve, ſeu vitæ, ſeu famæ, ſeu honori, ſeu etiam rei domeſticæ conflabatur; quod damnũ pluris æſtimandum eſſet, quàm res ablata: is ſe, & flagitium ſuum prodere nec poterat, nec debebat. Neque, vt id faceret iudex præcipere poterat: nam tantum malum iure diuino & naturali prohibendum fuit.

2. Itaque ſi edicto hac de cauſſa non obtemperauit, non peccauit clericus: quòd ſi non peccauit; pœnam excommunicationis non ſubiit, neque celebrando irregularis euaſit. Illud verò prorſus videat clericus, vt ſi fama incolumi rem ablatam reddere poteſt, reddat: ſi illam nõ poteſt, tantumdem in alio quopiam genere reſtituat.

QVÆSTIO VI.

1. N. Palam aut eſt, aut habetur excommunicatus: hic in foro tantùm conſcientiæ fuit abſolutus: poteritne ad ciuilem Eccleſiaſticámque communionem redire, ac ſi in foro etiam publico eſſet abſolutionis gratiam conſecutus?

Non poſſe redire hæc neceſſaria ratio peruincit: quia vinculũ cenſuræ publicæ tolli debet: & qui palam communitatem offendit, publicè ei debet ſatisfacere. At, quæ in conſcientiæ arcano indicio geruntur, notitiam aliquam aut fidem publicam habere non poſſunt. Et quemadmodum excommunicato publico ius Eccleſiæ publicum ademit communionem reliquorum fidelium: ita ius publicum, & non occultum, illam reſtituere debet. Sententiam hanc, quæ veriſſima eſt, apertè cõfirmat Decretalis Innocentij III. A nobis eſt ſæpe quæſitum, de ſententia excommunic. & Nauarrus, in volum. 2. ſuorum Conſiliorum, lib. 5. titulo de excommunic. conſ. 15, ſcribit his verbis: Ad ſecundam reſpondeo, primò, „ quòd verba illa abſoluere quoad forum „ conſcientiæ tantùm, & illa, dare poteſtatem „ abſoluendi quoad forum conſcientiæ, „ ſignificant quòd abſolutio data nihil „ proſit quoad forum exterius: in quo perinde „ iudicabitur de illo, ac ſi non eſſet „ abſolutus, ſecundùm rigorem iuris iuxta „ omnium mentem: id autem, quod in exteriore „ foro iudicatur, iudicari debet ab „ omnibus, ad quos forum conſcientiæ nõ „ pertinet. „

2. Sed, quæ in hanc conſtit. ſcripſit Nauarrus, parum conuenire videntur iis quæ in eod. lib. 5. ante ea ſcriptis, tradiderat, conſ. 23. titu. de pœnitentiis & remiſſ. vbi proponit hanc quæſtionem ſecundam explicandam. Cùm quis incidit in cenſuram aliquam Pontifici reſeruatam: & ſatisfacit etiam publicè, an ſufficiat tũc abſolutio confeſſarij, qui aliàs habet facultatem abſoluendi à tali cenſura cum declaratione, quòd talis pœnitens iam ſatiſfecit, & abſolutus eſt.

His verbis quæſtioni reſpondet. Ad „ ſecundam reſpõdeo, quòd abſolutio præfata „ non videtur prodeſſe niſi quo ad forum „ cõſcientiæ tantùm, niſi Cruciata, vel „ priuilegium expreſsè daret facultatem „ abſoluendi quoad vtrumque forum, per „ ea quę diximus in dicto Manuali, cap. 26. „ num. 31. & cap. 27. num. 150. operabitur „ autem illa abſolutio, vt poſſit diuina recipere „ ſacramenta, & beneficia ſibi canonicè „ collata: & poterunt omnes, qui ſunt „ certi de illa abſolutione, licitè ei communicare „ quoad forum conſcientiæ: quin „

» etiam, quod maius eſt, nec ab alio, quod
» ſciam, ſatis proditum : Epiſcopus, & alij
» iudices fori exterioris, poſſunt etiã quo-
» ad forum exterius communicare eius fa-
» ctis & dictis,& conuerſationi publicę,&
» tractare ipſum quaſi abſolutum, & diſſi-
» mulare eius excommunicationem, niſi
» aliquis aduerſarius peteret eum arceri &
» caſtigari, tamquam peccantem in leges
» prohibentes excommunicatis illos actus
» exteriores.

Poſtrema hæc, quæ ait, non ſatis eſſe ab aliis prodita, nititur variis argumentis perſuadere, quæ ſanè ſunt omnia valde topica: & tota ipſa doctrina tamquam inſolens ac noua, ſuſpecta videri debet: quam ſanè & noſtra,& ea quæ poſtea ab eodem ſene dicta ſunt, conſ. 15. de ſententia excommunic. planè refellunt.

3. Ego ſanè ſacerdotem eum, qui eiuſmodi excommunicatum, in foro tantùm conſcientiæ,abſolutum admitteret ad diuina, & mortifera culpa, & ſuſpenſione, non item irregularitate,teneri arbitrarer: nec ſecus in foro exteriore de eo ſacerdote iudicatum iri prorſus affirmo.

Couarruuias in cap. Alma mater, priore parte relectionis, §. 2. num. 6. probat ſemel excommunicatum habendum pro tali, donec non apparet eum abſolutum eſſe, ex cap. ſicut nobis, de ſententia excommunic.& ex Abbate,illic,& ex Gloſſa inſigni,in cap. propoſuit,de clerico excommu. miniſt. quam communi conſenſu Doctores ait ſequi : citat etiam Felinum,in cap. ſcribam: num. 3. de præſump. & Anchar. conſ. 54. & alios.

QVÆSTIO VII.

1. IVdex Eccleſiaſticæ ditionis, munus accipit à litigante, dum in iure & de iure diſceptatur.

Quæritur an iudex ſit excommunicatus.

Reſpondeo, quattuor Romanorum Pontificum eſſe conſtitutiones, ad quarum præcepta ac iura id quod in controuerſia poſitum eſt, perpendi poteſt. Prima eſt Pauli II. Secũda, Bonifacij VIII. Tertia, Gregorij XIII. Quarta, Clementis VIII.

1. Primùm quid iuris in ſingulis conſtitutum ſit, videndũ eſt. Deinde ex vniuſcuiuſque conſtitutionis iure reſpondendum. In conſtitutione igitur Pauli II. quę incipit, munera, hoc ius ſancitum eſt : vt nemo rectorum, gubernatorum, vel officialium quorumcumque Romanæ Eccleſiæ munus vllum accipiat, niſi eſculenta & poculenta, quæ biduo conſumi poſſint, pœnâ excommunicationis latæ ſententię Romano Pontifici reſeruata,& reſtitutionis rei acceptæ ac tantidem: eadémque cenſura in dantes animaduertit. Parcit conſtitutio Cardinalibus dumtaxat.

Bonifacij conſtitutio, quæ inter extrauagantes communes prima ſubiicitur titulo excommunicationis, excommunicatione, à qua ſolus Romanus Pontifex abſoluit, plectit omnes ſine vllo diſcrimine, qui vel paciſcuntur, vel ſine vllo pacto quidpiam promittunt magnum vel paruum, vel promiſſionem recipiunt, vel ex occulto pacto aliquid dant, vel recipiunt pro gratia, vel iuſtitia apud ſedem Apoſtolicã conſequendã. Hac ipſa pœna multat proxenetas, quamuis in ſua præſtanda opera, promiſſis rebus & non traditis, vtantur : nec non eos, qui cùm teneant culpæ affines, intra triduum Romano Pontifici non indicant: eos etiam, qui ſordium conſcij, rebus impetratis gratia, inquam, vel iuſtitia, vtuntur. Neque vult eos poſſe abſolui, qui quidpiam aut dederunt aut acceperunt pro gratia, vel iuſtitia obtinenda, niſi tantumdem pauperibus largiantur : ipſam verò gratiam, vel iuſtitiam adeptam nullius momenti & firmitatis eſſe decernit. Hæc ſunt in Bonifacij extrauaganti. 2.

Gregoriana conſtitutio, quæ incipit, ab ipſo Pontificatus, ad illam Bonifacij VIII. quattuor actiones addit, & tres pœnas. 3.

pœnas. Prima actio eſt, fingere, pretio, vel muneribus, ſed eorum, qui gratia valent, induſtriam gratiámve quæſiiſſe, & hæc actio principalis eſt. Secunda eſt, conſilium dare. Tertia, auxilium. Quarta, fauoré. Tres has poſtremas acceſſorias arbitratur eſſe Nauarrus, in commentario quem edidit in conſtitutionem Gregor. num. 43. quare niſi principales actiones perfectæ ſint, quæ ſunt, pactio, promiſſio, promiſſionis receptio, datio, acceptio, fictio, gratiæ vel iuſtitiæ adeptio, non vult ab auxiliantibus, ſuadentibus, fauentibus, ſubiri pœnas conſtitutionis.

Pœnæ additæ hæ ſunt. Prima, priuatio beneficiorum & officiorum, tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium ipſo iure. Secunda, inhabilitas ad eadem, & alia conſequenda. Tertia, infamia. Verùm Nauarrus, in illo eruditiſſimo ſuo commentario de datis & acceptis pro iuſtitia & gratia obtinenda, ſapienter meo quidem animo admonet, numer. 43. pœnas quidem excommunicationis & nullitatis gratiæ, ſeu iuſtitiæ, & reſtitutionis eorum, quæ data receptáve ſunt, ſubiri ante omnem ſententiam iudicis; tres autem à Gregorio adiunctas non item propter multa & grauia, quæ conſequentur, incommoda.

4. Sed operæpretium eſt ex illo litteratiſſimo commentario perdocti ſenis, qui commentarius, quattuor & ſexaginta columnis grandioribus continetur, nonnulla ſeligere, quæ tum ad noſtram quæſtionem, tum ad aliam multiplicem enodandam conducunt mirificè.

Primùm igitur, ex eius explanatione obſeruandum eſt, num. 29. Curiam Apoſtolicam in Gregorij conſtitutione formaliter ſumi, hoc eſt, pro ipſo Papa, vt Papa eſt ex inſtitutione diuina, non auté vt eſt Rex, vel Monarcha, ex donatione Conſtantini. Quare in legem Gregorij non committeret, qui vetita faceret, aut in rerum temporalium profanarúmve iudiciis, aut etiam in ſpiritualium extra Curiam.

Secunda obſeruatio. Qui daret vel acciperet poſt tributam gratiam, vel iuſtitiam, non teneretur pœnis, à num. 30. ad 34. Quid ſi daret quis munus ad labefactandum ius, non ad obtinendum? Ioannes Monachus, in extrauagantem Bonifacij, quæſtionem inuenit, ratúſque eſt, eum non alligari pœnis: cui meritò contradicit Nauarrus, num. 26. ſi enim, qui iuſtitiam quærit, non vitat pœnas; quanto minùs, qui illam ipſam iniquis pretiis conatur interimere?

Tertia obſeruatio. Qui daret acceperétque, meram liberalitatem ſecutus, aut principaliter ob liberalitatem, minùs verò principaliter, vt ne retardaretur iudicium, vel ſententia, nulla pœna afficeretur conſtitutionis: nam, quod principaliter agitur, attendendum eſt, non, quod minùs. ff. de rebus cred. l. ſi quis nec cauſſam. & cap. quamuis pactum, de pactis, lib. 6. adiuncta Gloſſa. id. num. 36.

Quarta. Gregorij conſtitutio punit ea, quæ ante conſtitutionem iure diuino, naturali, vel humano interdicta erant, num. 7. & 10. 5.

Quinta animaduerſio. Culpa, quæ dando, recipiendo, promittendo, vel iis, quæ vetantur, agendis, ſuſcipitur, debet eſſe ſuapte natura mortifera, num. 5. 21. 23. & in re tanta, quæ poſſit flectere animum iudicis, num. 20.

Sexta animaduerſio, quæ magnum lumen continet cauſſæ, in num. 16. munera, quæ dantur iudici, quattuor modis dari poſſunt. Primo modo, ad eius animũ corrumpendum, idque ſi fiat in iudicio rerum capitalium, peccatur contra præceptum de non occidendo: ſi in rerum ciuilium iudicio, contra præceptum de non faciendo furto. Secundo, dari poſſunt ad iuſtitiam defendendam & iudicem in officio continendum: atque id virtutis eſt, non vitij: quare pœnam non meretur. Vel tertio datur, vt iudex largiatur nobis, quod cupimus, ſiue illud nobis debeatur, ſiue non debeatur; nec quidquam de iure, vel iniuria cogitantes,

aut laborantes, quod iniuſtitiæ eſt, ac criminoſum. Vel denique dantur ad redimendam vexationem in iure nobis quæſito: idque licet: namque ſui ſuarúmque rerum conſecutio iure naturali conceſſa eſt: citátque Panormitanum, in cap. Cum ab omni, de vita & honeſt.

6. Septima animaduerſio. Xenia & munera, quæ per dies natalitios Domini noſtri mitti auditoribus, reliquíſque iudicibus ſolent, non improbantur iure Gregorianæ conſtitutionis. Primùm, quia ea vetus probauit conſuetudo. Deinde, quia ante conſtitutionem nec flagitioſa, nec iniqua erant. Poſtremò, quia ſciente, nec reprehendente Romano Pontifice, dantur, ac mittuntur. Hæc in num. 5. & 35.

Octaua & poſtrema obſeruatio. Denunciandi onus iis incumbit, qui commorentur in Curia. nam qui extra locum Curiæ ſunt triduo dierum ſpatio indicis officium explere non poſſunt. Quòd ſi delinquentium eſſet crimen occultum, denunciationem præcurrere deberet fraterna correctio, ex Euangelij lege & ſententia Theologorum. num. 37.

7. Reſtat Clementis VIII. conſtitutio, de bono regimine & adminiſtratione ciuitatum, edita anno 1592. 18. Kal. Sept. Pontificatus ſui anno primo, quæ ad Gregorij XIII. & Bonifacij VIII. decretales actionem adiunxit conſenſus & permiſſionis: ſed permiſſionem in eo tantùm hominum genere intelligo, qui ex officio & iuſtitiâ debent ea quæ vetita ſunt, prohibere: & conſtitutionem amborum Pontificum vult valere in omnibus locis Romano Pontifici mediatè vel immediatè ſubiectis, nec non in omni genere tribunalium, iudiciorum & cauſſarum, tam ſpiritualium quàm ſecularium.

Reliquum eſt, vt ex vniuſcuiuſque conſtitutionis iure quid de allata quæſtione ſentiendum ſit, diſquiramus. Vt igitur à Paulina ordiamur, ea non nocet huic iudici: propterea quòd aut non recepta; aut abrogata fuit. Namque eius nulla eſt mentio, neque apud Angelum, qui, in verbo, Excommunicatio, tit. 5. colligit excommunicationes Romano Pontifici reſeruatas: neque apud Sylueſtrum, qui id ipſum facit, in verbo, Excommunicatio, tit. 7. neque apud Nauarr. in Summa, cap. 27. qui hoc ipſum exſequitur, à num. 49. ad 109. neque apud Caietanum, neque apud Armillam, in catalogo, quem excommunicationum pertexunt.

Bonifacij extrauagans eidem iudici non obſtaret hactenus, vt Bonifacij fuit: nam à Clemente V. reuocatam eſſe teſtantur hi omnes: Paludanus, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. col. penult. Angelus, in verbo, Excommunicatio, 5. caſu, 35. Syluester, in verbo, Excommunicatio, tit. 7. excommunicatione, 46. qui ſcribit hoc idem affirmari à Ioanne de Lignano, & Ioanne Calderino, in caput, nemo, de Simonia. & Caietanus, in Summa, poſt cap. 81. & Nauarrus, in commentario, de datis & acceptis, num. 1. Verùm hac noſtra ætate obſtat; quia tota illa conſtitutio renouata fuit à Gregorio XIII. & à Clemente VIII. in ſuis conſtitutionibus, quæ iam indicatæ ſunt. Sed neque Decretalis Bonifacij, neque Gregorij noſtro iudici obeſſet: ſi is etiam in Curia ob iudicandam cauſſam profanam munus accepiſſet: aut extra Curiam etiam, propter ſpiritualem, vt placet Nauarro. Officere igitur ſolùm vehementer poteſt conſtitutio Clementis VIII. qui Bonifacij & Gregorij conſtitutiones valere voluit in omne genus cauſſarum, & vbique locorum, quæ immediatè vel mediatè temporali iuriſdictioni parent Romanæ Eccleſiæ. 8.

Sic ergo quæſtioni reſpondeamus. Si iudex, quicumque ſit ille, Eccleſiaſticæ ditionis, propter gratiam, vel iuſtitiam futuram, datum munus accipit, quod ante conſtitutiones hiſce dare minimè licuiſſet, ncidit in excommunicationem. Si etiam ante gratiam vel iuſtitiam adeptã, ea accepit, quæ in Curia antiquo more accipere ſolent tum auditores, tum reliqui

qui iudices, interprete Gregorianæ conſtitutionis Nauarro, non eſt excommunicatus. Clemens enim cùm approbet conſtitutionem Bonifacij & Gregorij, & ad plura genera cauſſarum deducat, de earumdem conſtitutionum probabili interpretatione haud quidquam detraxit.

QVÆSTIO VII.

1. BOnifacius, ſacris Ordinibus initiatus, ſed non Monachus, ſeu religioſus, & Sergius Monachus, profeſſus, perſonati per vrbem Bacchanalibus diebus incedunt.

Quæritur, an vterque in eo culpæ mortiferæ maculam ſuſcipiant, cenſurámque excommunicationis ſubeant.

Reſpondeo, id quod ſemper tum in publicis meis ſcholis, tum in priuatis reſponſis profeſſus ſum, cunctos clericos, qui ſacris initiati ſunt, omnéſque religionis approbatæ profeſſos, ſacrum habitū, quem tueri eos oportet, in illum fœdum, qui ludionum, mimorum & lupercorum eſt, conuertentes, culpam æterno ſupplicio dignam contrahere, & profeſſos religioſos excommunicationis cenſura implicari.

Genus vtrumque hominum crimen letale incurrere hæc omnia probant. Primum. Quia lex iſtis hominibus ſui, & Eccleſiaſtici habitus deferendi à ſacris impoſita canonibus non conſilij, ſed præcepti eſt: nec ſine flagitio violari poteſt, cùm nulla ſe oſtendit honeſta cauſſa habitus ac veſtitus mutandi: ſed licentia, ſiue vagandi, ſiue bacchandi, non iuſta, ſed ſcelerata, eſt cauſſa habitus relinquendi: ergo ſi eam ob cauſſam relinquitur, ſine animi pernicie non relinquitur.

2. Secundum argumentum. Inſigni iniuria, atque dedecore tum Eccleſiaſticum ordinem, tum diuinum cultum afficere letale ſcelus eſt: id faciunt omnes, quicumque caput ſuum ſacrum, ſacrámque perſonam illa infami larua & per turpi veſtitu dedecorant: ergo letale ſcelus admittunt.

Tertium. Profanis hominibus perſonatos prodire religioſo habitu eſt noxia mortifera, vti Syluester, Angelus & Armilla, in verbo, Habitus, affirmant: atque hoc ipſum genus hominum, Authentica de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. poſtremo. multat exilio: poteſtque vt in eam authenticā obſeruat Gloſſa, agi iniuriarum aduerſus eos, qui religioſi habitus dignitatem laruarum indignitate affligunt: quia, inquit Sylueſter, magna eſt triſtitia Dei in ſanctis ſuis: ergo nihilominus, imò multo magis, tum clerici, tum Monachi peccant, qui habitu perridiculo, & ſummè indecoro, ſacrorum Ordinum, quorum inſtituta ſequi debent, ſanctitati, & Dei Opt. Max. ac ſanctorum gloriæ inſignem contumeliam imponunt.

Quartum. Spectaculis, quę aut obſcœnitatem aut turpitudinem, aut deformitatem habent, intereſſe clericis non licet: 3. nec non ab iis menſis recedere eoſdem oportet, ad quas mimi & paraſiti accedunt: id probant doctores, ex can. non oportet, de conſecrat. diſtin. 5. ergo quorum non eſt fas audire voces, intueri geſtus, eorum ſine crimine poterunt clerici, ſeu monachi, tecti laruis & veſtibus perſonatorum induti, imitari dicta, facinora, ingenia, mores? longiſſimè id quidem abeſt.

Quintum. Earum culparum ſolet eſſe reſeruatio, quæ à diuina amicitia homines prorſus abalienant, vt ipſi in priore libro noſtro de reſeruatione oſtendimus: ſed, multi Epiſcopi reſeruare ſibi conſueuerunt peccatum hoc clericorum de quo diſceptamus: ergo mortiferum eſſe oportet.

Itaque perſonatorum habitum & laruarum vſum interdictum eſſe clericis, 4. ſcribunt Syluester & Angelus, in verbo, Ludus, nu. 2. & Cardinalis, in Clement. 2. de vita & honeſt. cler. quæſt. 3. Panormitanus, in cap. cum decorem, de vita & honeſt.

honeſt. cleric. laruas appellat deformitates hominum. Innocentius verò III. in illa ipſa decretali ſua, Cùm decorè, perſonatos monſtra laruatum vocat.

6. Sed Sergij & Monachorum nunc cauſſam excutiamus: & vtrùm in excommunicationem incidant, cùm perſonati procedunt, videamus: nam reliquos clericos non religioſos non incidere apertum eſt.

Sic igitur conſtituendum eſt, qui habitum religioſum perſonatorum profano, & qui religioſos maximè dedecet, commutant, cenſuram excommunicationis eos nequaquam vitare, his verbis ſciſcente Bonifacio VIII. in Decretali, vt periculoſę, ne Clerici, vel Monachi, lib. 6. » decretum eſt. Vt periculoſa religioſis » euagandi materia ſubtrahatur, diſtrictiùs » inhibemus; ne de cetero aliquis quamcumque religionem tacitè vel expreſsè » profeſſus, in ſcholis, vel alibi temere habitum religionis ſuæ dimittat: neque accedat ad quæuis ſtudia literarum, niſi à » Prælato cum conſilio ſui Conuentus, vel » maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa. Si » quis autem horum temerarius violator » extiterit excommunicationis incurrat » ſententiam ipſo facto. » Gloſſa in verbo, temere, ex cauſſa, inquit, licet habitum transformare, ſi iuſta » ſit, puta timor, ſupra de vita & honeſt. clericorum, clerici. quam Gloſſæ explanationem cuncti amplectuntur. Diuus Antoninus, qui excommunicationem hanc euoluit in 3. part. tit. 24. c. 53. à quo citatur Paludanus, in 4. ſent. diſt. 18. q. 3. » Si dimittat, inquit, vel transformet habitum, vt faciat aliquod malum, vt ſcilicet » fornicetur, vel huiuſmodi, non eſt dubium, quòd eſt excommunicatus, ſecundùm Petrum de Palude, in 4. At quis non videt dimittere habitum propter laruam clericis interdictam, cauſſam eſſe malam, & flagitioſam, vt iam tot rationibus demonſtratum eſt? citatur idem Paludanus à Ioanne Tabienſi, in verbo, Excommunicatio, 5. excommunicatione, 23. & à Nauarro, in Summa, c. 27. num. 131. Angelus, in verbo, Habitus, num. 5. Religioſus, inquit, dimittens habitum ſine cauſſa » rationabili, eſt excommunicatus, idem » repetit, in verbo, Excom. 7. caſu 27. idem ait Syluest. in verbo, Habitus, num. 3. & in verbo, Excommunicatio, 9. excommunicatione, 24. Caietanus, in Summa, in verbo, Excommunicatio, cap. 61. Dimittens, inquit, religionis ſuæ habitum ad » tempus excommunicatus eſt, nec requiritur Apoſtatica dimiſſio. Caietano aſſentitur Armilla, in verbo, Habitus, & in verbo, Excommunicatio, excommunicatione, 53. idem ante Caietanum docuerat Paludanus, in 4. diſtin. 18. quæſt. 3. art. 3. caſu 12.

Excipiuntur nonnulla à Doctoribus 7. tempora, cùm dimittit religioſus habitum, neque excommunicatione irretitur. Primum tempus eſt, ſi iocoſa leuitate ad horam, vt currat, vel lapidem proiiciat. Cuius exceptionis inuentor fuit, aut certè approbator, Paludanus: quam item D. Antoninus, Nauarrus, aliique approbant: ſed tamen à Roſella improbatur in verbo, Excommunic. 1. excommunic. 16. id enim ait eſſe periculoſum, & reſpuendum. Verùm ipſe in hac parte nimiam exiſtimo fuiſſe Roſellæ religionem.

Secundum tempus. Quum exuitur habitus, ſeu ad ligna ſcindēda, ſeu ad necandas beſtiolas, corpori infeſtas, vel ad lauandum corpus, vel ad commodiorem quietem & ſomnum. Denique ne ſingula tempora conſectemur, quoties vel neceſſaria vitæ cauſſa, aut alienæ ſalutis, & caritatis Chriſtianæ ſuadet depoſitionē habitus, extra culpam, & excommunicationem eſſet, qui eum ponit.

Angelus credit non pertinere ad eum ſententiam excommunicationis, qui intra monaſteriū ſine habitu eſſet, de quo ei contradicit Roſella, & cōmunis opinio. Illud igitur maneat, communi Doctorum conſenſu excommunicatum eſſe monachum, qui aut laruatum, aut bacchatio

chationum cauſſa habitum abiicit.

Verumenim illud alterum eſt controuerſum,an qui religioſa retecta veſte,corpori mimicam & perſonatam iniicit: atque veſtitu occultato ſacro, perſonatus prodit,ex cõmunicatione plectatur. Non plecti ſcripſit in cap. Deus qui,de vita & honeſt. cleric. Panormitanus: cum quo conſentit Geminianus, in cap.vt periculoſa, ne clerici vel monachi, lib.6. ex iis verò, qui ſummas de caſibus conſcientiæ ediderunt,ſolùm reperi Tabienſem Ioannem,qui à Panormitano faceret, in verbo, Excommunicat.5.excommunicat.23. vbi ſcripſit, opinionẽ Panormitani apertam eſſe,& ſecuriſſimam: hoc enim verbo opinionem laudat Tabiena.

9. Sed quanti ſit huius opinionis ratio, à Panormit.allata, poſtea conſiderabimus. Interim ſciendum eſt,contrariam ſententiam, quæ ſola vera ac tuta cenſenda eſt, ab his omnibus nobis relictã eſſe:à Gloſſa, in Clement.2.de vita & honeſt.cleric. in verbo, Extrinſeci. à Ioanne Andrea, à Butrio, in c. Deus qui, de vita & honeſt. cler. ab Ancharano, in cap.vt periculoſa, ne Clerici vel Monachi,lib.6.à Syluestro, in verbo, Excommunicatio, 9. excommunicatione, 24. quæſt. 4. vbi patronos huius ipſius ſententiæ nominat Franciſcum Mayronem,clariſſimum Theologũ, atque alios: nec ſecus Bononiæ ait iudicatum eſſe:à Caietano,in verbo,Excommunicatio,cap.61. ab Armilla, in verbo, Excommunicatio, excommunicatione, 53. à Nauarro, in Summa, cap.27. num. 132. Huius contrariæ partis maximum momentum eſt in mente & ſententia Pontificis, qui auctor fuit illius Decretalis,vt periculoſa:& in fructu, & vitatione incommodorum, quò tota illa Decretalis refertur.

Quis enim non intelligat,vt rectè Caietanus, Syluester & alij argumentantur, & mentem Pontificiam violari, & legis vtilitatem omnem concidere,ſi occulendi habitus religioſis facultas detur? quid enim intereſt ad ſuſcipienda flagitia inter eum,qui non geſtat religioſum habitum, & eum, qui perinde occultat, quaſi non geſtaret? Voluit enim Pontifex, vt ſuæ religionis habitum vnuſquiſque deferret, non ſolùm, vt more Caietani loquamur,materialiter,ſed etiam formaliter,id eſt, vt nota certa eſſet cernentibus hunc, illúmve,qui geſtat, tum religioſum, tum huius illiuſve ordinis religioſi eſſe.

Tria verò ait Caietanus requiri, vt quis committat in canonem:primum,vt habitus dimittatur,ſecundum,vt temerè, tertium,vt ſit materia vagandi. Qui verò pileatus, penulatus, ocreatus iter faceret, neque habitum oſtẽderet,nullo nec facinore, neque cenſura obligaretur: faceret enim,quod fere fit à multis viris honeſtis, ac probis: iuſtáque cauſſa occultationi habitus adferretur: neque pauciores ſunt cauſſæ occulendi habitus quàm relinquendi.

Panormitanum verò in ſententiã non 10. veram deductum propter Decretalem Innocentij III. Deus, qui, de vita & honeſt.clericorũ,vbi Pontifex monachis & canonicis, qui Euangelium Liuonienſibus enuntiabant, mandat, vt omnes vno habitu vtantur, quemadmodum vnum prædicabãt Euangelium, ſanè mirandum eſt:nam conſtat, Pontificiæ præſcriptionis & mandati cauſſam eã extitiſſe, quòd ij populi, qui recentes ſacra materiæ religionis ſuſcipiebant, diuerſitate habitus fuerint offenſi: quam offenſionem vnius habitus forma remouendam eſſe arbitratus eſt Innocentius. Itaque in paraphraſi illius Decretalis hæ ſunt ſententiæ, atque his verbis. Ex hac Decretali nota, quòd propter ſcandalum receditur à iure,& ab habitu regulari. Item in iis,quæ ſpectant ad profeſſiones, auctoritas Papæ intelligitur excepta, ſicut dicitur de iuramento. Scio,Roſellam & Angelum,poſt factum probaſſe ſententiam Panormitani;ante factum,fauere contrariæ. Sed nimirum,vt à Panormitano adhibetur ſententia, ſimiliter poſt factum, vt ante factum improbanda eſt: huiuſmodi enim

diſtinctionem meritò explodit Syluester, in verbo, Excommunicatio, 9. excommunicatione, 14. quæſt. 4.

QVÆSTIO IX.

N Sacerdos in excommunicationem incidit Romano Pontifici reſeruatam: quia abſoluit à caſibus reſeruatis, contra quàm ſuo decreto ſanxit Clemens VIII.

1\. Quæritur: num hic Sacerdos ab iis abſolui poſſit, confeſſariis poſt moderationem decreti: qui iure ſuorum priuilegiorum antea poterant à caſibus abſoluere extra bullam Cœnæ Domini.

Videtur hoc iis licitum eſſe: propterea quòd excõmunicatio de qua diſſerimus, neque in bullam Cœnæ, neque in exceptionem ſex caſuum coniecta eſt: qui ſoli caſus videntur iuriſdictioni eorum Sacerdotum ſubducti à primi decreti interprete & moderatore, qui ante decretum à Pontificiis propter ſua priuilegia abſoluebant. Sed nimirum is veriùs exiſtimabit; qui cenſuræ, de qua loquimur, abſolutionem ad vnum Romanum Pontificem dixerit pertinere, ad nullum præterea inferiorem Sacerdotem.

Ratione atque auctoritate id planum facio. Ratio petitur è verbis explanationis decreti Pontificij. Quibus verbis cõmonefiunt ij, qui iure ſuorum priuilegiorum ante primum decretum abſoluebant à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, non poſſe ab iis caſibus abſoluere, qui reuocationem habent priuilegiorum: Verùm, excommunicatio in primum decretum inſerta, in quam incidunt, qui contra interdictum Pontificium abſoluunt à reſeruatis, ita reſeruatur Romano Pontifici vt nullum priuilegium cuiuis confeſſario opituletur propter tam ſubtiles & ad tenue elimatas irritandi rationes adhibitas: ergo à nemine, præterquam à Romano Pontifice, remoueri poteſt.

2\. Auctoritas & teſtimonium noſtri ordinis grauium Patrum, Romæ commorantium, accedit: quos ipſe de re, de qua diſceptatur, literis conſului: reſponderúntque, decreti auctoribus & moderatoribus, mentem hanc eſſe, vt excommunicatio, de qua quæritur, ius omne conceſſi reſtitutíque priuilegij elidat; atque ad Pontificis Romani ſpectet tribunal. Neque ea verba decreti ſententiam hanc infringunt, vbi de Romani Pontif. mitigantis decretum, voluntate, ad hunc modum Patres ampliſſimi teſtantur. Ipſum » decretum ita moderatur ac declarat: vi- » delicet ſub eiuſdem prohibitione illos » tantùm in poſterum comprehendi caſus, » qui in bulla die Cœnæ Domini legi con- » ſueta continentur: ac præterea, &c. illud » enim temporis aduerbium, in poſterum, non ad conſequens tempus eorum, qui Clementi VIII. ſuccedant, Pontificum, ſed ad tempus conſequẽs moderationem decreti, refertur: neque ad quoſuis caſus, quos deinceps reſeruaturi ſunt Romani Pontifices; ſed ad eos, quos ſuperiores Pontifices reſeruarunt. Ceteroqui deterioris conditionis reſeruatio foret Pontificia, quàm Epiſcopalis: namque ab Epiſcopalibus caſibus nullus Sacerdos poteſt abſoluere, à Pontificijs poſſet: quamuis irritantibus priuilegia verbis muniretur.

Hæc igitur vera videtur illorum verborum eſſe explicatio. In poſterum, hoc » eſt, poſt hanc moderationem, qui ex pri- » uilegio à Pontificiis caſibus abſoluebant, » poterunt item abſoluere, exceptis iis, qui » inſunt in bulla Cœnæ, & illis ſex, qui in » moderatione decreti indicantur: at abſol- » uere nulli Sacerdoti permiſſum erit ab » iis quos inſequẽtes Pontifices verbis pri- » uilegia tollentibus ſunt reſeruaturi. Itaò » verò, vt hanc ipſe meam moderer interpretationem, eam, quæ Cardinalium eſt, nomine Pontificis Max. decretum exponentium, apponam. Neminem Sacerdo- » tem ob priuilegia ſacras confeſſiones au- » dientem poſſe à caſibus Romano Ponti- » fici ante decretum reſeruatis abſoluere, à » quibus priùs non erat ſolitus abſoluere: » aut

» aut verò non poterat: quoniam Pontifi-
» ficia conſtitutio priuilegiis derogarat.

3. Ita argumentum ruit ex illa exceptione ſex caſuum deprомptum. Nam ſententia exceptionis ea eſt, quam ſequens in eodem decreto declaratio adfert legenti. Et quoniam non paruo malo ſuo neceſſe eſt à ſacrarum confeſſionum arbitris ignorari pœnas decreto iis inflictas, qui à caſibus reſeruatis contra interdictum abſoluunt; idcirco illis duximus ſignificandas.

Pœna igitur prima excommunicationis Romano Pontifici reſeruatæ, laqueũ inducit iis, qui contra ius decreti abſoluunt à caſibus reſeruatis. Secunda, cunctis eos ſpoliat officiis, dignitatibus, beneficiis. Tertia, inhabiles ad audiendas confeſſiones reddit. Quarta, inhabiles item ad quæcumque officia, dignitates, & beneficia in poſterum obtinenda efficit. Quas omnes pœnas Clemens VIII. decernit ipſo facto ſine alia declaratione ſubiri à temere abſoluentibus: neque eas tolli poſſe, niſi ab ſede Apoſtolica.

Recens autem decreti moderatio tertiam pœnam dumtaxat expunxit, id eſt, audiendarum confeſſionum inhabilitatẽ: propterea quòd Romanus Pontifex pœnitentium ſaluti, ac bono conſultum voluit: nève peccatum confeſſariorum, & cenſura pœnitentibus noceret, præſertim cenſuræ neſciis, & noxiæ Sacerdotum.

4. Qui pœnitentes, ſi certum ſcirent Sacerdotem excommunicatum eſſe, quamuis ab Eccleſia toleratum, impellere eum ad ſacras audiendas confeſſiones minimè deberent, nulla præſertim cogente neceſſitate. Id quod à nobis in aliis noſtris reſponſis & publicis ſcholis, tum argumentis, tum haud lenium Doctorum auctoritate demonſtratum eſt. Quamuis enim Martini V. conſtitutio, ad euitanda, in Concilio Conſtantienſi edita, & approbata, id largiatur non excommunicatis, vt cum excommunicatis, ſed non nominatim, neque ob notoriam clerici percuſſionem, agere & congredi poſſint: atque, vt ne ea re minorem excommunicationem incurrant: id tamen non tribuit; vt excommunicatos ad actum factúmve quodpiam inducant, quod ſuſcipientibus & agentibus iure diuino & naturali, ſeu etiam Eccleſiaſtico, vetitum eſt: eſt autem iure diuino & naturali, & Eccleſiaſtico, vetitum indignè adminiſtrare Sacramenta: Indigniſſimè verò adminiſtrat; qui maiore excommunicatione eſt irretitus.

QVÆSTIO X.

MErcatores nonnulli Chriſtiani, qui negotiandi cauſſa Venetiis Conſtantinopolim, atque in alias Turcarum regiones tranſmittunt, lebetes, ſcutellas, coclearia, ollas è ferro, aliòve metallo, nec non gladiolos, ſeu cultros ad ſcindendum panem venales, aſportant. 1.

Perſæpe tum iidem mercatores, tum Sacerdotes percontati ſunt, num id per bullam Cœnæ Domini liceat.

Licere arbitrabantur nonnulli ideo, quòd nihil earum rerum, de quibus quęritur, ad impugnandos Chriſtianos comparatum videtur, verùm ad alios domeſticos vſus.

At in bulla Cœnæ profitentur Romani Pontifices, earum rerum ab ſe delationem vetari, quibus à Turcis Chriſtiani oppugnari ſolent. Gladiolos verò armorum nomine minimè contineri, non pauci tradiderunt, vt Panormitanus, in cap. clerici, 2. de vita & honeſtate clericorum, num. commentarij 6. & Angelus, in verbo, Excommunicatio, 5. caſu, 21. num. 1. & 10. & Sylueſter, in verbo, Excommunicatio, 7. num 59. & Tabiena, Excommunicatio, 6. num. 2. ita clericis, quibus ſacræ ſanctiones negant arma, cultri ad incidendum panem conceduntur.

Tunc tamen arma efficiuntur, cùm animus accedit geſtantiũ, illos adhibendi ad offendendum, vel defendendũ, quemadmodum iidem doctores interpretãtur: 2.

QQQQ 2 nam

Digitized by Google

nam propriè eſſe, ac dici arma, quę fabricantur, ſuáque natura referuntur, aut ad inferendam, aut propulſandam iniuriam, illi ipſi doctores ſcriptum reliquerunt. & Caietanus, in Summa, verbo, Excommunicatio, cap. 20. & Armilla, eodem tit. Excōmunicatione, 14. & Toletus, in Summa caſuū, lib. 1. cap. 23. qui fatetur, communem hanc eſſe opinionem: quam confirmat lege armorum. ff. de verb. ſignificat. & ff. de vi & vi armata, lib. 3. verùm hæc lex poſterior infirmat potiùs opinionem iſtā; cùm his verbis loquitur. » Arma ſunt omnia tela, hoc eſt, fuſtes, lapides, non ſolùm gladij, haſtæ, frameæ, id eſt, rompheæ. Itaque is qui extra Gloſſam, margini notationem adſcripſit, admonet, iuriſconſultum vocabulo armorum abvſum eſſe, probátque auctoritate Gloſſæ ſingularis in Clementinam 1. de ſtatu Monachorum, in verbo, Arma. eadem ſententia eſt in l. Armorum. ff. de verb. ſignif. ſic enim ibi. » Armorum appellatio, non vtique ſcuta, & gladios, & galeas ſignificat, ſed & fuſtes, & lapides. in qua lege illud *non vtique* idem valet, quod non tantùm. Lapides verò arma ſatis impropriè nuncupari hinc conſtat: quòd lapidum procreatrix eſt natura: armorum, humanum ingenium & artificium. Neque natura gignit lapides ad cuipiam nocendum, ſed vel ad vniuerſi ſpecies explendas, vel ad domos exædificandas: ergo qui cultros ſemouent à genere armorum non credunt contra bullam Cœnæ peccari ſi ea ad Turcas & Saracenos deferantur, niſi fortè animo nocendi Chriſtianis ferrentur, vt etiam admonet Toletus eodem loco.

3. Sed Nauarrus, in bulla Cœnæ, vult etiam cultrorum delationem & tranſmiſſionem ad Turcas & Saracenos prohiberi: vt cuiuis licet cognoſcere ex eius Summa, cap. 27. num. 63. Cuius mihi opinio minimè improbatur, & quamuis nomine armorum nō continerentur, nomine metallorū ſine dubio continentur: nec enim metallum deſinit eſſe metallum propter artificioſam formam illi adiunctam. Credere etiam poſſumus non minùs Romanos Pontifices Chriſtianæ Reipubl. ſaluti ac dignitati conſulere voluiſſe, quàm Imperatoria lex Romani Imperij maieſtati, ac ſaluti proſpexit, C. quę res exportari debeant. l. 2. vbi pœna capitis, & publicatio bonorum irrogatur iis, qui barbaris cuiuſcumque generis arma vendiderint, & nominatim gladios venundari poſſe negat.

Noſtram & Nauarri ſententiam ſedis Apoſtolicæ reſponſum confirmauit: nam cùm ego Venetiis eſſem, conſultus Clemens VIII. à locupletiſſimis mercatoribus, qui magnam vim cultrorū in Turcarum ditionem euexiſſent, vtrúmne excommunicationem bullæ Cœnæ contraxiſſent, contraxiſſe reſpōdit: Romámque nobilem quemdam mercatorem ſibi notum euocaſſet, niſi eius nomini, ac veteri amicitiæ, pepercíſſet. Itaque qui nunc contrà ſentiunt, non ſunt audiendi.

Et quoniā Chriſtiani nominis hoſtes, 4. tum ex cultris, tum ex lebetibus, phialis, ſcutellis, tam facilè conflare aduerſus nos poſſunt arma, quàm ex eadem metalli materia infecta: imò faciliùs, ac meliùs; quum metallum factum ſit magis quàm infectum, elaboratum, atque purgatum: idcirco eiuſmodi exportationem pœna excommunicationis propoſita in bulla Cœnæ vetitā eſſe mihi minimè dubium fuit: nec aliis eſſe debere planè cōfirmo.

Reor non ab re futurum, quæſtionem hanc pervtili monito Nauarri claudere in explicatione capitis, Ita quorumdam, de Iudæis, notabili 10. num. 40. Hæc eius ſunt verba. » Decimò infertur ex corollario præcedenti, omnes, qui animo formali vel virtuali iuuandi Saracenos contra Chriſtianos, deferunt eis aliqua vtilia bello, vel prælio, mediatè vel immediatè, incidere in cenſuras bullæ Cœnæ Domini: quod maximè animaduertant confeſſarij.

QVÆ

QVÆSTIO XI.

1. PRoximam ſuperiorem quæſtionem excipit alia, nec minùs grauis, ac multò magis impedita: quam & mihi alio atque alio tempore multi attulerũt: & ipſe non ſemel Romam miſi, vt veritatem ab iis hauri rem, à quibus exſpectanda erat: ſed quid cauſſæ fuerit, quamobrem non reſponderint conſulenti, ſuſpicari licuit, ſcire nequaquam potui.

Quærebam enim illud ipſum, quod alij de me quæſierunt. An ij, qui Sarracenis ſeu Turcis vendunt, aut donant, aut alterius contractus nomine tradunt ea quæ nefas eſt ad eoſdem barbaros deferre vel mittere, excommunicationis inuoluantur cenſura, quæ eſt in bulla Cœnæ Domini.

Nauarrus, in caput, Ita quorumdam, de Iudæis, notab. 10. num. 41. affirmat, qui vendit triremes vel naues Turcis vel Sarracenis, non incidere in canonem bullæ, idémque dicturum fuiſſe eum crediderim de cæteris rebus, quarum eſt à Romanis Pontificibus in bulla Cœnæ Domini interdicta delatio: illic autem Nauarrus ſententiæ ſuæ nullam adfert rationem.

Ante Nauarrum, eamdem opinionem ſecutus eſt Caietanus, in Summa, in verbo, Excommunic. cap. 20. in quos item concedit Cardinalis Toletus, in Summa, de instruct. ſacerdotum, lib. 1. cap. 23. ob hanc cauſſam: Quia cùm iſta materia, inquit, ſit pœnalis, verba ſunt intelligenda in ſua propria ſignificatione.

2. Huius opinionis firmamenta hæc eſſe poſſunt. Primum. Quòd ſi legiſlator cenſuræ excommunicationis ſubiicere voluiſſet, vendentes, donantes, permutantes, commodantes ea, quæ vetat deferri, ac tranſmitti; potuiſſet verbis illis vti.

Secundum. Vitare debet legis, & reſeruatorũ caſuũ auctor voces ambiguas & æquiuocas: quia nec lex intelligi poſſet, nec obſeruari: at ſi nomine delationis ac tranſmiſſionis ſignificare voluiſſet actionem vendendi, donandi, permutandi, vocibus pluſquam ambiguis, & æquiuocis, & tam ignaros quàm gnaros fallentibus, vſus eſſet: & laicis præbita eſſet occaſio delinquendi, & ſacerdotibus à peccatis & cenſuris abſoluendi, à quibus non poſſent.

Tertium. Pœna ſolet eſſe odioſa: at ex regula iuris odia conuenit reſtringi, non laxari.

Quartum. In cenſuris non conuenit argumentum ducere à pari, aut à minori ad maius, ſeu à maiore ad minus. Neque enim appoſitè argumentaretur, qui ſic colligeret: qui reſpiciunt bona naufragantium, excommunicati ſunt in bulla Cœnæ: ergo qui eoſdem interficiũt, ſubeunt eamdem cenſuram: quia multò maius eſt ſcelus naufragis vitam eripere, quàm merces, quas nauigio aſportant. Quòd ſi à pari, ſeu à loco maioris & minoris non ſumitur argumentum: multò minùs à diſparatis ſumendum erit: at actio deferendi & vendendi è genere ſunt diſparatorum: ergo ex altera altera non ratione concluditur.

Quintum. Caietanus, Nauarrus, Toletus, viri doctiſſimi, plurimos annos in Romana curia verſati ſunt, eiúſque conſuetudines, & decreta percalluerũt: quare veriſimile eſt in hac controuerſia verã illos ſententiam fuiſſe complexos.

3. Verumenim contrariam ſententiam & pluribus, & ingenio atque eruditione nõ inferiorib⁹ auctoribus placuiſſe animaduerti, Syluestro, Angelo, atque ei, qui eruditis ſcholiis Angeli ſummam ornauit, Roſellæ, Ioanni Tabienſi, aliíſque nonnullis, qui in bullã Cœnæ Domini commentarios ediderunt. Syluestro, in verbo, Excommunicat. 7. num. 64. Angelo, in verbo, Excommun. 5. caſu 21. num. 6. Ioanni Tabienſi, eod. verbo, tit. 6. nu. 11. & 12. Roſellæ, in verbo, Abſolutio, 1. nu. 88. 93. 94. 95. Diuus autem Antoninus in 3. par. tit. 24. cap. 30. ex Ioanne Andrea, & Ancharano teſtatur, illorum ætate Ro-

manum Pontificem ſolitum eſſe ter in anno fortèque excommunicationem aduerſus eos qui ad Sarracenos prohibita deferrent, ſeu venderent triremes ac naues.

Huius autem, qua de re nunc agitur, continentia ſunt, & firma præſidia non pauca: quæ mihi cauſſæ æquitas, & veritas ſuppeditat, indicabo. Primum eſt illud, quòd delatio armorum & equorum, aliarúmque rerũ, quæ in interdicto nuncupantur, non eſt vetita, neque excommunicationi ſubiecta, niſi propter venditionem & traditionem: ergo ipſa traditio per ſe videtur interdicta. Si enim quis interdicta adueheret in terras Turcarum ac Sarracenorum, nec iis tamen venderet, aut donaret, aut cum iis permutaret, ſed vel eò reuelaret, vnde deuexiſſet; vel apud ſe retineret, cenſuram bullæ effugeret: non igitur delatio per ſe vetita, & punita eſt, ſed propter venditionem & traditionem: ita Syluester, aliíque nonnulli argumentantur.

4. Secundum. Vera interpretatio legis, ex fine, qui intimus eſt legi, & ex voluntate legiſlatoris, quæ intra legem eſt, elici debet: ſed legis prohibentis delationem tranſmiſſionémve armorum, & reliquarum rerum quæ prohibentur, ad Chriſtiani nominis hoſtes, finis intimus & voluntas legiſlatoris, quæ intra legem reſidet, hæc eſt, ne capitaliſſimis Chriſtiani populi hoſtibus eo genere rerum vlla aduerſus nos auxilia ſuppeditentur: nec vlla facultas detur nos oppugnandi: nihil ergo intereſt, ea auxilia, ſiue facultas præſtetur rebus illis, ſeu conuehendis, ſeu vendendis, ſeu donandis, ſeu permutandis, ſeu quouis alio titulo tradendis.

Tertium. Gregorius IX. vt inquit Roſella, in verbo, Abſolutio. 1. num. 88. declarauit, eos, qui cũ armis ad loca Sarracenorum proficiſcuntur, vt iis protecti vitam ſuam tueantur, non incidere in excommunicationem Concilij Lateranenſis, quæ extat in c. ad liberandam, extra. de Iudæis, & Sarrac. incidere autẽ, ſi eadem Sarracenis vendant: ergo eidem declarationi locus eſſe debet in ſeptimo canone bullæ Cœnæ Domini, vbi perinde, vt in Concilio Lateranenſi, armorum delatio prohibetur.

Quartum. Vbi ſcriptum ab æquitate & ratione, & vtilitate publica, & iuſta legiſlatoris voluntate diſcrepat, id quod æquitas, & ratio, & communis vtilitas, & iuſta legiſlatoris voluntas ſuadet, ſequi cõuenit: ſed iſthæc omnia ſuadẽt id quod hęc ſecunda tenet opinio; igitur ab ea recedendum non eſt.

Quintum. Sequeretur, Venetos, ſi illud ſuum nobiliſſimum, omníque genere armorum refertiſſimum armamentarium Regi Turcarum donarint, nullã Eccleſiaſticam cẽſuram ſubituros, quod ridiculum videtur, cogitare, ne dum verbis aſſeuerare.

Sextum. Non dubiũ, inquit lex quinta, C. legibus, eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem: nec pœnas inſertas legibus euitabit, qui ſe contra iuris ſententiam ſæua prærogatiua verborum fraudulenter excuſat. Et Vlpianus lib. 3. ff. de adimendis legatis: Melius, inquit, eſt, ſenſum magis quàm verba amplecti. Verùm mens omnium Pontificum ea eſt, eſſéque debet, vt arma, aliáque in eorum conſtitutionibus prohibita, ne Chriſtiani nominis hoſtibus vllo modo ſubminiſtrentur: ergo quacumque ratione ſubminiſtrantur; contra voluntatem legis & legiſlatoris ſubminiſtrantur: quæ ratio penè eſt eadem cum ſecunda.

Poſtremum argumentum. Contraria 5. ſententia, quæ tota hæret in vocabulorũ notatione, Chriſtianę Reipubl. commoda corrumpit: ſacrarum ſanctionum ſenſum peruertit: mentem ac voluntatem maximorum Pontificum iugulat: ad innumerabiles fraudes ac dolos viam communit: pœnitentibus, & qui pœnitentium excipiunt confeſſiones, ſacerdotibus eſt periculoſa: non eſt igitur amplectẽda. Quam ipſam Paludanus, in 4 ſent. diſt. 18. qu. 3. art. 1. repudiauit, cùm ſcripſit, iure Pontificum

ficum perſpecto, nullo tempore licere, aliquid, quod appellatione armorum contineatur, & quod proſit, ad bellum Sarracenis aut mitti, aut quouis titulo tradi. Quamquam ex contrariorum argumentorũ diſſolutione huius poſterioris ſententiæ veritas magis effloreſcet.

In prima igitur argumentatione ponebatur. Quòd ſi legiſlator animaduertere voluiſſet in vendentes, donantes, permutantes, illos nominaſſet.

6. Reſpondeo, finem legis intimum horũ etiam hominum ſignificationem confeciſſe: neque mos is eſt legiſlatorum, vt cùm ſalutarem legem ſcribunt, illorum omnium mentionem faciãt, qui per fraudem voluntatem legis violare audebunt. Adde quòd cùm actiones deferendi & tranſmittendi propter ipſam traditionem vetitæ ſint, ipſam traditionem multò magis à legiſlatore interdictam eſſe oportet.

Sumptum eſt in ſecundo argumento: leges abhorrere debere à vocibus ambiguis & æquiuocis, quibus ij, qui perituri ſunt, facilè decipi poſſunt, & periculosè prolabi. Reſpondeo, ex fine minimè obſcuro legis, & ex mente minimè dubia Romanorum Pontificum, perſpici poſſe venditionem, donationem, permutationem prohibitam eſſe: quãuis ex propria vi delationis & tranſmiſſionis non elici videatur.

Dici etiam poſſet, duas illas actiones deferre & tranſmittere; ſumi dupliciter poſſe, vno modo phyſicè, altero moraliter, atque, vt ſubiiciuntur legibus contractuum, primo modo ſunt motus locales, ſecundo modo ſunt in contractum conuerſæ: in contractum, inquam, aut venditionis, aut permutationis, aut donationis, aut mutui, aut commodati, aut locationis: hoc altero modo vſurpatæ ſunt à legiſlatore: quandoquidẽ ſic & non aliter vſurpari neceſſe erat: ſi lex vtilis populo Chriſtiano futura erat. Tertius quoque eſſe poteſt modus dicendi. Licèt ex primaria ſignificatione illorum vocabulorum, deferre & tranſmittere, nõ exiſtant actiones illæ, ſeu contractus venditionis, permutationis, donationis, &c. tamen exiſtunt ex ſecundaria ſignificatione, quæ par eſt huic verbo *ſubminiſtro*: vt idem ſit non licere deferre & tranſmittere, quod ſubminiſtrare. At ſubminiſtratio veluti genus diuiditur in multas formas ſeu ſpecies, vt in donationem, permutationem, venditionem, mutuum, commodatum.

7. Quocirca Nauarrus, in commentario capitis, ita quorumdam, de Iud. notab. 8. num. 18. vocabulum *ſubminiſtrant*, quod eſt in Decretali Alexandri III. interpretando ſcribit his verbis: Sextò infertur » appellatione ſubminiſtrantium compre- » hendi vendentes, permutantes, donan- » tes, & quouis alio titulo ea in Sarracenos » transferentes: quoniam quicumque hæc » faciunt, ſubminiſtrant, & in omnibus vna » eſt ratio. »

Tertia aduerſaria ratio erat. Quòd quæ odioſa ſunt, contrahenda ſunt, non producenda, per regulam iuris, cui addi illa etiã regula poteſt: in pœnis benignior » interpretatio eſt faciẽda, de reg. iur. lib. 6. » At excommunicatio maxima eſt pœna: non igitur ſua ſede dimoueri debet: ſedem habet in delatione & tranſmiſſione: quare illinc deducenda non eſt.

Reſpondeo, in eo interdicto, quo excommunicatione in deferentes & tranſmittentes prohibita ad Turcas, & populi Chriſtiani hoſtes, vindicatur, non odium, ſeu pœnam delinquentibus conſtitutam ſpectari debere, ſed fauorem ampliſſimũ, & beneficium neceſſarium & maximum, quo canon cunctum fidelium cœtum, & Catholicas prouincias proſequitur. Quod cùm ita ſit, ampliſſimam & vberrimam admittit interpretationem.

Obſeruatione & memoria digna ſunt » quæ Panormitanus ſcripta reliquit in c. » ex tenore, qui filij ſint legitimi. Nota, » inquit, ſingularem hanc rationem Ioan- » nis Andreæ, & nõ tradas obliuioni: Quin » conſtitutio pœnalis debet extendi, & lar- » go modo interpretari, quando emanat, vt » euitentur animarum pericula. Vide, quod » in fini

in ſimili notat Gloſſa, in cap. ſciant cuncti, de electione, lib. 6. Auctor verò ſcholiorum in commentarios Panormitani, eiuſdem ſententiæ comites citat Gloſſam ciuilem, in Authentica, Sacramēta puberum, C. ſi aduerſus vendi. & Antonium Butrium, in cap. extremum, de conſuet. in 1. fallentia. Imolam & Ancharanum, in cap. quamuis de pactis, lib. 6. Alexandrū, in legem, qui iuréne in principio, de iureiurando. Quis autem ignorat canonem illum cōtra deferentes ad Turcas & Sarracenos maximè cauiſſe pericula animarum, & ad vitanda crimina conditū eſſe?

8. Quartum argumentum inde ducebatur. Quòd repellunt cenſuræ argumentum à pari, vel à maiore ad minus.

Verùm triplex eſt huius argumēti reprehenſio. Prima eſt hæc. In omni genere legum, & conſtitutionum, ſiue pœna, ſiue ſine pœna ſanciantur, licet argumentari à pari, & à maiori ad minus; quando id, vel ratio neceſſaria, vel publica vtilitas, cui lex ſtudet, vel mens non ambigua legiſlatoris, vel etiam conſuetudo cogit.

Secunda reprehēſio eſto: reſpuāt cenſuræ genus illud argumentandi: certè illud, quod eſt à repugnantibus, negligere non debet. Quis enim hoc modo neget certè concludi argumētum à repugnantibus? Non & delatio, ac tranſmiſſio armorum propter venditionem, traditionémve interdicta eſt, & non ipſa venditio interdicta eſt, atque traditio: fœda enim hæc repugnantia videretur.

Tertia reprehenſio. Ratio, quæ peruincit, à Romanis Pontificibus in bulla Cœnæ Domini peræquè delationē, venditiones ac traditiones rerum prohibitarum vindicari, non ſumitur à pari, vel à maiori, ſed ab eodem, ab eodem inquam ſine legis intrinſeco, & ab eadem voluntate, eodémque conſilio legiſlatoris.

9. Cenſuras autem vires ſuas potiſſimè ſumere à voluntate eius, qui eas infligit, docent ac ſæpe in ſuis ſcriptis repetunt Doctores. Atque in omni genere ſcripti, quod cum auctoris voluntate confligit, voluntatem præferri oportere, & ſacræ ſanctiones, & prudentum reſponſa prodiderunt. Notum eſt illud D. Gregorij, lib. 26. mor. c. 7. Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem: quia non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni: & habetur, 22. qu. 5. can. Humanæ aures: illud item D. Hieronymi in epiſt. ad Gal. cap. 1. peruulgatū eſt: Nec putemus, in verbis Scripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis: quæ ſententia relata eſt in decretum 1. q. 1. can. Marcion.

Ex hoc genere ſententias prompſit ſapientiæ plenas M. Tull. in orat. pro Aulo Cecinna, in quibus ſunt hæ: Cauſſæ ratione, non vocibus ponderantur, & non verba veniunt in iudicium, ſed ea res, cuius cauſſa verba in interdictum coniecta ſunt: & non quibus verbis quidque dicatur, quæritur, ſed quæ res agatur. Et illa: Non ex verbis totum pendet ius: ſed verba ſeruiunt hominum conſiliis & auctoritatibus. Et illa: Scriptum ſequi, calumniatoris eſt: boni iudicis, voluntatem ſcriptoris, auctoritatémque defendere. Et illa: Si voluntas tacitis nobis intelligi poſſet, verbis omnino nō vteremur: quia nō poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent volūtatem. Et illa: Imperium domeſticum nullum erit, ſi ſeruulis hoc noſtris cōceſſerimus, vt ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent. Fatendum tamen eſt, cùm anceps 10.
& obſcura eſt ſcriptoris, ſeu legiſlatoris voluntas, nec certa, aut valde probabili ratione percipi poteſt, à verbis, ſeu ſcripto recedendum non eſſe, vt præcipit Gloſſa, in caput, Humanæ aures. 22. q. 5. idque probat ex ff. de legat. 3. non aliter. ff. de exerc. l. 1. §. ſi is, qui nouem, ext. de ſponſ. ex litteris.

Poſtremum argumentum in trium virorum auctoritate collocatum eſt; quorum non exigua eſt pars ætatis in Romana

mana curia, eiúſque cognoſcendis conſuetudinibus iuribúſq; cōſumpta. Quod argumentum aut parium virorū aut fortaſſe ſuperiorum auctoritate eleuatur, vt Paludani, vt Syluestri, vt Angeli, vt Ioannis Tabienſis, vt Roſellæ: quorum ſcripta pereruditа de eorum ſcientia iuriſque omnis peritia, & in omni genere moralium quæſtionum ſapientibus reſponſis non obſcurè teſtantur.

Nec cuiquam dubium eſſe debet, poſt decretum de caſibus Romano Pontifici, & ordinariis, reſeruatis, promulgatum, quam nos defendimus opinionem multò eſſe tutiorem, atque ab omni periculo delinquēdi, & cenſurarum remotiorem.

QVÆSTIO XII.

1. Pius IV. ſua quadam conſtitutione promulgata anno Domini 1561. Pontificatus ſui anno 3. cuius eſt initiū, Cùm vices eius, à Pio V. confirmata quadam alia ſua, quæ incipit eodem modo, edita anno poſt Chriſtum natum 1572. ſui verò Pontificatus 7. reos maieſtatis decernit eſſe eos, qui tormētula retinent ignea, quæ *Archibuſetos* vulgus appellat, ſi duorum menſura palmorum ſint breuiores. Legatos verò, prolegatos, gubernatores, præſides, aliόſque ſedis Apoſtolicæ miniſtros ſuſpenſione à diuinis, & excommunicatione latæ ſentētiæ mulctat, ſi quauis ſpecie, vel ad breue tempus poteſtatem cuiquam fecerint, aut deferendi, aut retinendi id genus armorum. Eos verò, qui facultate, ſeu venia impetrata freti detulerint, retinuerintve, ſtatuit, pœnas prædictas, verba ſunt legis, incurſuros.

Hanc Pij IV. conſtitutionem Pius V. cum ſuis pœnis eodem modo inflictis porrexit ad eos qui pugiones aliáve arma, quorum longitudo ſit tribus palmis contractior, deferunt ſeu retinent, & qui cultros ad incidendū panem habent vno palmo breuiores, & quorum non ſit acies retuſa, ſeu ſine cuſpide. Vtraque cōſtitutio eos tantùm deuincit, qui in ditione ſunt Romanæ Eccleſiæ. Ambæ itē quoſdam iniiciunt ſcrupulos ac dubitationes, quarum explicationem ſæpius expetitam prætermittere nequaquā potui ac debui.

Prima dubitatio. Num quilibet ſacerdos, qui iure ſacras audit confeſſiones, poſſit pœna excommunicationis in ſacramento cōfeſſionis abſoluere. Reſpondeo poſſe, ex multorum doctorum ſententia: qui excommunicationem, quam ſibi conditor canonis non reſeruat, cuiuſuis ſacerdotis iuriſdictioni, qui à mortifera culpa abſoluit, cōceſſam eſſe contendunt: quorum ſententiam ſatis confirmare videtur decretum de reſeruatiōne caſuum, à ſacra Cardinalium congregatione, Clementis VIII. auctoritate, promulgatum: nam poteſtatem nō permittit ordinariis reſeruandi excommunicationes, quas ius nulli reſeruat. At excommunicatio lata in Piorum conſtitutionibus, non eſt Romano Pontifici reſeruata.

Secunda dubitatio. Cùm multis modis quis crimen ſuſcipiat perduellionis: vel quia contra vrbem ac ciuitatem per iniuriam aliquid molitur: vel quia profugit ad hoſtes: vel quia iuuat eos, aut armis aut opibus, equitatu, conſilio, aliáve ratione: vel quia ſubditas prouincias concitat ad defectionem: vel quia Prælatum, Magiſtratum, aut Principem occidit: & cùm hæc committi poſſint contra Romanum Pontificem, quorum nonnulla excommunicationis pœna coërcentur: quam ſolus Romanus Pontifex poteſt tollere. Cùm item pœnæ huic ſceleri cōſtitutæ conſiderari poſſint dupliciter, vel vniuersè, & à iure communi irrogatæ, vel propriè propter iniuriam in Romanum Pontificem inflictæ.

Quæritur quemadmodum huius criminis pœnæ intelligantur. 2.

Reſpondeo, probabile eſſe vniuersè intelligendas eſſe à ſcelere abiunctas, quod aut in perſonam Romani Pontificis aut in eius ciuitates, iuriſdictionémve ſuſcipitur: eaſdémque pœnas ad ius ciuile

Digitized by Google

& commune exigendas eſſe:in quo iure non ineſt pœna excommunicationis.

Atque ad hoc pœnæ genus legem ſuã deflexiſſe Pium IV. illa verba oſtendũt, quibus ſuam conſtitutionem ſanxit: Crimen læſę maieſtatis,& rebellionis,ac pœnas pro illo à iure inflictas eo ipſo incurrat: quum dicit, à iure, nimirum ius eiuſle indicat: quo de crimine,eiúſque pœnis extant tituli in iuris ciuilis communíſque voluminibus: vt in 3.col.ff.ad legem Iuliam maieſtatis, qui titulus eſt idem in C.Iuſtinianeo,lib.9.num.8.

3. Tertia dubitatio ex iis verbis conſtitutionis Pij IV. exiſtit. Decernentes nihilominus licentias & facultates ſic concedendas nullas penitus,& inualidas exiſtere,ac illis non obſtãtibus,eos, qui ſub illarum clypeo dictum genus armorum detulerint,aut vt pręmittitur,tetinuerint, pœnas prędictas omnino incurſuros: vel, vt loquitur Pius V. præfatam pœnam incurſuros.

Ambigi igitur poteſt num verbo illo, *prædictas*,ſeu *præfatam*, pœna tantùm excommunicationis, & ſuſpenſionis, quæ datur à Piis, magiſtratui poteſtatem permittenti ferendi arma interdicta,ſignificetur,an præter has pœnas, etiam illa rebellionis in eos, qui ſine magiſtratuum venia eadem geſtant arma.

Reſpondeo,valde æquum eſſe,vt pœnæ dumtaxat inflictæ magiſtratibus ſignificentur: alioqui ſequeretur, eorum, quorum minor eſt culpa, pœnam eſſe maiorem: nam magiſtratuum permiſſu, quamuis non legitimo,geſtare arma vetita peccatum eſt leuius, quàm ſpreta auctoritate legis ac magiſtratus illa ipſa ferre, habereve. Deinde repeti eadem ſoler pœna ab iis,qui eiuſdem criminis cõſortes ſunt: verùm & qui veniam petunt, & magiſtratus, qui dant, ferendorum armorum, quæ geſtare eſt nefas,idem peccatum peccare videntur, & in vnius culpæ ſocietatem venire: ergo in eiuſdem pœnæ communione eos permanere æquum eſt.

Poſtrema dubitatio. Conſuetudo Pij V. legi contraria vendendi & geſtandi,& habendi cultros ſcindendo pani, longiores vno palmo,& quibus acutus eſt mucro,liberátne à pœnis cõſtitutionis? credo liberare. Alioqui ab iis, qui legi non obtemperant, magiſtratus pœnas ſumerent: & qui delinquerent, eius rei in ſacramento pœnitentiæ veniam deprecarentur:& ſacrarum confeſſionum arbitri illos obiurgarent. Nec profani iuxta atque religioſi viri cultros eiuſmodi quærerent,iiſque vterentur: neque Romanæ ciuitatis,& Eccleſiaſticæ ditionis officinæ eo armorum genere completæ eſſent,neque priuatæ domus refertæ. Salua ſemper, &c. 4.

QVÆSTIO XIII.

De duello.

Ante editam conſtitutionem à Clemente VIII. de duellis, quæſtio hæc mihi poſita fuit. 1.

An,qui priuati duelli ſpectator fuit, in laqueum ſe induerit excõmunicationis; quam irrogat duelli ſpectatoribus Concilium Tridentiuum.

Poſt moderationem decreti ſacerdotibus prohibẽtis abſolutionem à caſibus reſeruatis,hæc item allata fuit.

Vtrúmne qui ad ſingulare certamen non quidem ſolemne,ſed priuatum,alteri pugilum arma prębuiſſet,legem à Gregorio XIII. contra monomachiam latam,violaſſet:eáque re pœna excommunicationis teneretur.

Reſpondi,hunc Gregorianæ legis violatorem extitiſſe, nec cenſuram excommunicationis vitauiſſe: nam propriè cauet lex de armis non ſuppeditandis, ad priuatam vetitámque certationem progreſſuris. Illum verò ſpectatorem negaui,in Concilij Tridentini pœnam incidiſſe:ideo,quòd Concilij patres de publico & ſolemni duello legem ſanxere.

Hæc

Digitized by Google

2. Hæc vtraque quæſtio nos interpellat: vt, quæ à Romanis Pōtificibus ante Tridentinum Conciliū, & quæ poſt, & quæ ab eodē Concilio de duello ſtatuta ſunt, memoremus. Ergo Iulius II. in quadam ſua conſtitutione, quæ incipit, Regis pacifici, tum pugnantes, tum eos dominos, qui locum ad pugnandum cōcedunt, excommunicatione plectit latæ ſententiæ. Verùm nec excommunicatio vlli reſeruatur: & ea ij dumtaxat coërcentur, qui in ditione ſunt Romanæ Eccleſiæ, mediatè vel immediatè. Conſtitutionem hanc Iulij confirmauit Leo X. quapiam alia ſua, cuius eſt initium: Quam Deo & hominibus, per quam excōmunicat pugnam committentes, locum in terris Eccleſiæ tribuentes, & ſpectatores: dimicātes bonis ſpoliat: eos, qui locum largiuntur ad depugnandum, feudis & locis priuat, quæ ab Eccleſia obtinent. Sed neque excommunicatio hæc reſeruatur. Eamdē Iulij II. conſtitutionem confirmauit Clemens VII. conſtitutione his verbis inchoata: Conſueuit Romanus Pontifex: nec quidquā addidit. Atque horum triū Pontificum animaduerſio non eſt peræquè in cunctos Chriſtianos: ſed in eos tantùm, qui in iuriſdictione ſunt Romanæ Eccleſiæ.

3. Pij IV. deinceps exorta eſt lex multò quàm ſuperiorum trium Pontificum, ſeuerior. Primùm enim priorum Pontificum cōtra monomachiam leges latas, fixas eſſe vult, & ratas. Deinde, nouas ſceleri pœnas adiicit: nam illos qui damnantur à ſuperioribus Pontificibus, vult pœnam ſequi perpetuæ infamiæ: necnon ea pœna teneri, quæ eſt de maieſtate: pœna quoque excommunicationis afficit hos omnes; Pugnantes, prouocantes, tentantes ad id, locū concedentes ad pugnam, comitantes, comitiuam (verba ſunt piæ ſanctionis) præſtātes, chartas duelli ſubſcribentes, affigentes, publicantes, adſtantes, certantes, adhærentes, fautores, conſulentes: & excommunicatio quidem eſt Romano Pontifici reſeruata. Eccleſiaſticos verò omnibus beneficiis & dignitatibus priuat ipſo facto. Atqui has pœnas dant qui mediatè vel immediatè Romanæ ſubſunt Eccleſiæ in ciuilibus. Sed illis, qui extra ciuilem ſunt iuriſdictionem Eccleſiæ Romanæ parem excommunicationis pœnam Pontifici Romano reſeruatam irrogat, ſi vel in duello certauerint: vel ad illud prouocauerint, vel auxilium, fauorem, conſiliúmve dederint ad eam rem, vel interfuerint, vel duelli chartas ſubſcripſerint, vel publicarint, vel de illis ſe intromiſerint. Imperatores, & Reges tantùm à pœna excommunicationis eximit: Eccleſiaſticos autē beneficiis priuat, atque Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus; ad quæ in poſterum conſequēda inhabiles reddit: neque perſonas Eccleſiaſticas pœnæ excommunicationis, quam ſuſtinent laici, immunes ſinit eſſe Pius IV. Incipit pia conſtitutio. Ea, quæ à prædeceſſoribus, promulgata anno à Chriſti ortu 1560. Idib. Nouemb. ſui autem Pontificatus anno primo.

5. Incurrit in huius Pontificis tempora Concilium Tridentinum; quod rurſus ab eo & indictum fuit, & confirmatum, anno 1564. ſeptimo Kalend. Febr. Pontificatus ſui anno quinto, vt liquet ex eius bulla, quam his verbis exorditur: Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: illóque ipſo anno ſui Pontificatus quinto, 15. Kalend. Auguſti declarauit omnia Concilij Tridentini decreta, quæ ad ius pertinent poſitiuum, à Kalen. Maij eiuſdem anni poſt tertiū menſem à confirmatione cunctos Chriſtianos deuincire cœpiſſe. Ergo Concilium Tridentinū, cupiens ex orbe Chriſtiano immunem duellorum corruptelam exterminare, in ſeſſ. 25. cap. 19. quinque hominum genera excommunicationi ſubiicit.

Primum eſt Imperatorum, Regum, & quorumcumque Principum ac dominorum, qui in terris ſuis inter Chriſtianos locum ad monomachiam concedunt. Quid ſi in terris ſuis locum non Chriſtianis darent ad pugnam? Quid ſi etiam

Chriſtianis extra ſuá iuriſdictionem, aut loca ſua? non videntur in huius pœnam decreti committere: cômittunt tamen in pœnam conſtitutionum Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. vt non multo pôſt intelligetur. Primo huic hominum generi alia pœna à Concilio imponitur: nam ſi locus in quo, vel apud quem pugnatum eſt, ſit ab Eccleſia conceſſus, ſtatim amittitur: &, ſi loca feudalia ſint, ſtatim directis dominis acquiruntur.

Secundum perſonarũ genus eſt committentium pugnam; qui præter excommunicationem, proſcriptionis omnium bonorum, perpetuæ infamiæ, & homicidarum pœnam ſubeunt: & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò carent Eccleſiaſtica ſepultura.

Tertium genus eſt patrinorum.

Quartum, eorum, qui in cauſſa duelli conſilium tam in iure quàm in facto dederint, aut quacumque ratione ad id ſuaſerint.

Quintum eſt ſpectatorum.

Sicut autem quinque ſunt genera perſonarum, quæ excommunicantur, ſic totidem ſunt actiones, ob quas excommunicantur. Prima eſt, locum concedere decertantibus. Secunda, decertare. Tertia, certantiũ partes ſuſcipere, ſeu eorum patrinos euadere. Quarta, conſiliũ certaturis dare, vel certationem ſuadere. Quinta, ſpectare pugnam. Fitque mihi veriſimile, niſi re ipſa conſequatur duellum: non eſſe locum pœnæ aduerſus eos, qui alias exercẽt actiones: nam ſi illi ipſi, qui ſunt inituri certamen, pœnarũ ſunt immunes, quãtùm intelligi poteſt ex ipſo decreto, niſi verè ineant: idem cẽſendum videtur de iis qui ante initum certamen, eorum, quæ vetantur, quidpiam egerint.

Quamquam prima quattuor genera propter illas actiones in excommunicationem incurrere cõſtitutionis Clementis VIII. aduerſus monomachiam, minimè eſt ambiguum. Neque hæc Concilij excommunicatio cuiquam reſeruatur.

5. Ad Synodi Tridentinæ decretum ſanctio acceſſit Gregorij XIII. cuius ſanctionis ſunt prima verba, Ad tollendum, » promulgata anno incarnationis Dominicæ, 1582. Pontificatus ſui XI. pœnas Concilij Tridentini omnes conuertens in priuatum & occultum duellum, quod ex condicto ſtatuto tempore, & conuento loco exercetur. Excommunicantúrque illud gerentes, domini illud ipſum aut permittentes, aut quantùm in ipſis fuerit, nõ prohibentes, necnon mãdantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quouis modo ſeſe præbentes: etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi accelerũt, impediti, pugnam non commiſerint, ſi per ipſos nõ ſteterit, quominus illa committeretur. Excommunicationem nemini reſeruauit: quam tamen ſibi reſeruauit Clemens VIII. vt paullo pôſt perſpicuum erit.

In hac Gregoriana conſtitutione nonnulla ſunt neceſſariò conſideranda. Primum eſt, quòd ad genus perſonarum & locorũ attinet, legem eſſe generalem, nemini que parcere: teſtatur enim legiſlator velle ſe plenius prouidere, quàm fecit Concilium Tridentinum. Additionémque Gregorianæ legis continere ius nouum probat Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 150. excommunicat. 59.

Eſt illud item ſecundo loco intuendum, non quodlibet duellum anathemate prohiberi, ſed quod eſt ex condicto, conſtituto loco, & tempore ad congrediendum cum aduerſario. Condicere autem eſt, quum duo pluréſve inter ſe aliquid denunciant: & condictum, quum aliquid eſt in commune dictum, ſeu promiſſum, ex Feſto.

Tertium ſciendum. Duellum, de quo ſcripta lex eſt à Gregorio carere poſſe patrinis, ſociis, & denunciantibus chartis, ſeu epiſtolis: quod è verbis legis eſt cuique promptum.

Quartum. Propoſitæ pœnæ excom-

muni

Digitized by Google

municationis non eſt locus relictus, niſi in locum delectum pugnæ certaturi deſcenderint: id non obſcurè ea legis indi-
» cant verba. Etiam ſi illi, qui ad locum de-
» ſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti
» pugnam non commiſerint.

Quintum. Illud intelligitur, ſi animo ſimulato locus adiretur, non ferro decernendi, ſed inanis cuiuſdam oſtentationis, & gloriæ militaris ſpeciem aucupandi, non conſtringi pœnis eos quos meminit Gregorij XIII. conſtitutio.

Poſtremò, id quoque exploratum eſt, non feriri anathemate eos, qui dimicaturos comitantur, vel iis pugnantibus adſunt, non ex compoſito, vt loquitur conſtitutio. Clemens VIII. curationem, acrioráque cupiens remedia eidem malo adhibere legem conſtituit; qua decretum Concil. Trident. ſuperiorúmque Pontificum conſtitutiones approbat, confirmat & innouat: iiſque teneri iubet cunctas Chriſtiani orbis prouincias & nationes. Conſtitutio Clementis edita eſt anno Incarnationis Dominicæ 1592. 16. Kalend. Septemb. Pontificatus ſui anno primo: qua de conſtitutione mihi deliberatum eſt, ſenſim in ea, quæ ſequitur, quæſtione diſquirere diligentiùs.

De Duello ex conſtitutione Clementis VIII.

QVÆSTIO XIV.

1. Haud ea noſtri eſt in hac quæſtione conſilij ratio, vt ediſſeramus, quæ ſingulorum verborum, aut membrorum, quibus conſtat Clementis VIII. conſtitutio, mens, & ſententia ſit: perlongum enim id eſſet, & operoſum: verùm id tantùm conamur, vt totam Clementis legem aduerſus monomachiam perlatam, cuius multa ſanè, & obſcura capitá, in certas partes diſtribuamus, legiſque & legiſlatoris finem perueſtigemus: quo inuento dubitationes aliquot, quibus in errorem ſcio quorumdam mentes raptas eſſe, depellemus.

Ergo lex ipſa, cuius initium ad hunc 2.
modum orditur Clemens VIII. Illius »
vices licèt immeriti, in quatuor partes »
tribui poteſt.

In prima ſuperiorum Pontificum, præſertim Pij IV. & Greg. XIII. conſtitutiones, nec non Concilij Tridentini decretum contra ſingulare certamen confirmat & innouat: &, quæ iis legibus ſancita ſunt, vbique terrarum & gentium valere ſtatuit.

In ſecūda parte excommunicationem latæ ſententiæ, & pœnas à Concilio Tridentino & prioribus Pōtificibus in duelli cauſſa peccātes, decem generibus perſonarum irrogat.

Primum genus eſt militis qui alterum in aduerſariorum exercitu militantem ob priuatam ſimultatē ad duellum ex condicto elicit, vel prouocat.

Secundum genus eſt illorum, qui pactionem faciunt de dirimendo certamine poſt certum numerum ictuum; vel cùm alteruter ſauciatus fuerit.

In tertio genere collocantur domini, qui in ſuis locis, & duces, qui in ſuis caſtris, vel etiam in hoſtili ſolo monomachiam hac conſtitutione, vel conſtitutionibus ſuperiorum Pontificum vetitam, aut permittunt; aut non prohibent; aut poſt admiſſum crimen, veniam & impunitatem concedunt.

Quartum genus ſpectat ad illos, qui genere quodam ſcriptorum, quæ manifeſta appellantur, muniunt viam ad ſuſcitandas ſimultates, atque inimicitias, ad prouocatorias chartas, ſeu duella: in quibus ſcriptis res geſta narratur vel ſui honoris tuendi, vel alieni lædendi cauſſa, vel ad illatam iniuriam propulſandam, aut ad eam probandam; illiusve ſuſpicionem amouendam.

Quintum, eſt eorū, qui rem quampiam adeo firmiter aut aſſeuerant, aut in-

ficiantur; vt, qui contradixerit, mendacij arguatur.

Sextum genus tangit eos, inter quos vel quæritur, vel reſpondetur, vel declaratur, qua mente quidpiam, quod ad ſuperiora ſpectet, geſtum ſit.

Septimum, glorioſos quoſdam & præfidentes amplectitur, qui aliquid ita eſſe, vel non eſſe, armis, vel inito certamine cuiuis ſe probaturos iactant.

Octauum genus conflatur ex iis, qui in locis publicis, vel priuatis, quò conuenire ſolet hominum multitudo, ſine vllo ſcripto aut narrant, aut declarant, aut teſtificantur eorũ aliquid, quod nec quarto, nec quinto, nec ſexto, nec ſeptimo generi licet.

Nonum genus diuerſum eſt, & multiplex, ob facinora & actiones, quæ in ſcriptionibus interdictis ſuſcipiuntur.

Quarum ſcriptionum triplex eſt ratio: nam prima, ad manifeſta; ſecunda, ad ea, in quibus quintum, ſextum, ſeptimum & octauum genus perſonarum delinquit, aut ad ſimilia; tertia, ad prouocantia, & ad duellum inuitantia ſcripta, pertinet: & qui in hac tripartita ratione culpam ſuſcipiunt, ob has tredecim actiones excommunicatione, atque iis pœnis, quas ceterorum Pontificum imponunt conſtitutiones, plectuntur. Vel quia dictant; vel quia componunt; vel quia ſcribunt; vel quia mittunt; vel quia deferunt; vel quia diuulgant; vel quia affigũt; vel quia tranſcribũt; vel quia typis imprimũt; vel quia ſubſcribunt; vel quia intimant; vel quia verbo denunciant; vel quia atteſtantur.

Decimum & poſtremũ genus eſt item multiforme. nam iiſdẽ pœnis hos omnes
» afficit, Qui aliis ad ſingulare certamen
» (verba ſunt Pontificia) publicè, vel oc-
» cultè incundum, vel ad prouocandum
» aliquem ad pugnam, ſiue ad huius gene-
» ris ſcripta, quæ manifeſta, quæque char-
» tulæ prouocatoriæ appellantur, ſcriben-
» da, dictanda, mittenda, deferenda, diuul-
» ganda, auxilium, conſilium, operam vel
» fauorem præſtiterint: ſiue id ſuaſerint, aut
mandauerint: quive in præmiſſis, vel eo- »
rum aliquo ſe quomodolibet immiſcue- »
rint: etiam ſi neque pugna aliqua, neque »
certamen, aut effectus, nec acceſſus, nec »
actus ad pugnam proximus, neque ex- »
preſſa, neque aperta prouocatio ſubſecu- »
ta fuerit: neque ſcriptiones prædictæ »
quæ manifeſtæ dicuntur, in publicum »
prodierint, aut cuiquam intimatæ extite- »
rint: ſi per eos non ſteterit, quominus pu- »
blicatio, aut denunciatio fieret. Totidem »
ſunt verba legis. »

Tertia pars conſtitutionis in eos vin- 3.
dicat, qui quoquo modo duellũ ex compoſito ineunt; ſiue illud ſuadẽt, ſiue prouocant; ſiue, opem, conſilium, vel fauorem præſtant; equos, arma & commeatus præbent; ſiue comitantur; ſiue circa chartulas, libellos, literas, nuncios, aut quæcumque alia ſcripta huiuſmodi, peccant; aut qui huius delicti de induſtria, ſocij & ſpectatores ſunt, vel patrini, fautores & defenſores exiſtunt. Qui verò in pugna occumbunt, Eccleſiaſtica in perpetuum priuantur ſepultura. Loca verò, in quibus factum eſt duellum, ſcientibus & permittentibus Dominis, Eccleſiaſtico ſubiiciuntur interdicto; quod ſolius Romani Pontificis auctoritate remoueri poteſt.

Quarta & poſtrema pars conſtitutio- 4.
nis acuit, & magnopere hortatur Imperatores, Reges, reliquóſque Principes, copiarum ac militum præfectos, duces, ac tribunos ad tam diram animorum & corporum cruentam peſtem exſecandam, atque ex humanæ naturæ finibus exterminandam.

Ex quo haud obſcurè perſpici poteſt, Clementi in hac ſua conſtituenda lege hanc mentem, conſiliúmque fuiſſe, vt omnem duellorum impietatem funditus deleret; eorúmque non ſolùm truncum excideret, ſed minutiſſimas etiam fibras euelleret. Atque ob id ipſum inuſitatis pœnis, & anathemate, non ſolùm duella, verumetiam quæ antegredi duellum ſolent ſcripta, & quæ ad dimicationem ſingularem habent inuitamentum, nec non ſemi

Digitized by Google

ſemina, & radices duellorum acerrimè inſectatus eſt, atque vltus.

5. Cognita Clementinæ ſanctionis diuiſione, atque ſententia, finéque legiſlatoris perſpecto, minoris nunc laboris erit difficultates aliquot amouere. In quibus ea prima ſe obiicit.

Vtrúmne conſtitutiones dumtaxat Pij IV. & Gregor. XIII. confirmarit Clemens, ſuæque legis pœnis corroborarit, an etiam Iulij II. Leonis X. & Clementis VII. Reſpondeo, de omnium Pontificum, qui anteceſſerunt, conſtitutionibus idem cenſuiſſe, & ſanxiſſe. Huc enim pertinent illa verba: Prædictas omnes conſtitutiones ac decretum Concilij Tridentini cum omnibus & ſingulis, &c. quæ verba extant in prima parte conſtitutionis. Prædictæ enim conſtitutiones illæ ſunt, videlicet, quæ à Clemente memoratæ erant; erant autem memoratæ non ſolùm Pij IV. & Gregorij XIII. ſed etiam aliorum, quamuis cum reticentia nominum.

6. Secunda difficultas. Punitúsne eſt Clemens VIII. duella tantùm ex condicto, quod facit Conc. Trident. & Greg. XIII. an etiam, quæ non ſunt ex condicto. Reſpondeo, punitum eſſe omnia, quacumque ratione, & forma ineantur, multifariam id intelligi poteſt. Primùm, quia propoſitum illi fuit cladem hanc ſingularis certaminis, & animorũ luem, à Chriſtianorum cœtu prorſus auertere: id minimè eſſet aſſecutus, niſi ſua lege omnem ſpeciem prohibuiſſet. Deinde: Quia ſi ſemina & radices duellorum eſt conatus extinguere, quanto magis omnia genera duellorum? Tum: Quòd vix, aut ne vix quidem reperiri poteſt duellum vtrinque iniuſtum, quod non ſit ex condicto, ſeu vtriuſque dimicantis placito & approbatione, quamuis certo tempore & loco ad pugnam delecto careat. Poſt duellum, ad quod quis laceſſitus iniuſtè, vi quodammodo deſcendit, excommunicationi ſubiicit prouocantem, vt perſpicuum eſt ex multis capitibus, & verbis ſanctionis: at iſtud duellum non eſt ex condicto. Poſtremò: Quia ita quotidie iudicatur Romæ, quæ Pontificiarum legum eſt fidiſſima interpres.

7. Tertia difficultas. Obiectas mihi falſum crimen: aio te mentiri. Committo ne ego contra legem Clementis VIII. vt nequeã pœnas legis effugere? minimè me effugere rati ſunt nec ineruditi, nec vulgares viri. Mihi tamen ex verbis legis ſecus videtur dicendum. Neque enim Clemens, in quemlibet, qui alterũ mendacij coarguit, aut mentiri dicit, animaduertit: ſed in eum à quo (recitabo verba legis) ex ſimili abuſu, hac de cauſſa aliquid tale adeo firmiter aſſeritur, aut negatur; vt, qui contradixerit, ſiue nominatim, ſiue in genere, mendacij arguatur, aut mentiri dicatur.

Qui locus legis quattuor exigit, in narratione, vel aſſertione eius, qui alterum mendacij arguit, id eſt, ordinem, modum, finem, materiam. Ordo eſt, vt narratio ſeu affirmatio alicuius rei antecedat; mendacij verò inſimulatio ſequatur. Modus, vt firmiter narretur, ſeu quidpiam aſſeratur; nec non vt more militari, hæc enim vis ineſt in iis verbis, vel ex ſimili abuſu. Finis, qui declaratur, nomine cauſſæ, in hac legis particula eſt, vt quod narratur, vel affirmatur, fiat cauſa tuendi honoris, vel famæ ſuæ, vel alterius violandi, ſeu ad illatam iniuriam propulſandam, aut eam probandam, aut ad illius ſuſpicionem tollendam. Materia, vt id quod narratur, vel aſſeueratur, ad eos fines pertineat.

Huc libet addere, quamuis Romanus Pontifex, mendacij iniuriam iactatam in alterum vlciſceretur etiam conditionibus illis quattuor nudatam, nihilominus inſimulationi ignoturum, quoties ea neque materiem, neque cauſſam vllam veriſimilem adferret ſeu duello, ſeu prouocationi ad pugnam. Vti, ſi pater dicat mentiri filium, à quo timetur, vel herus ſeruum, vel patricius ruſticum, vel religioſus religioſum, à quibus perſonarum generibus

neribus nequaquam probabile eſt excitatum iri ſemina duellorum.

8. Quarta difficultas. Quæſiuit nonnullus, num legere literas, ſcriptáve ad duellum prouocantia, reum faciat excommunicationis & pœnarum, quas ab iis petunt Romani Pontifices, qui in duelli cauſſa delinquunt. Reſpondi, non fieri reum, quantum tum ex Pij I V. tum ex Clementis conſtitutione perſpici poteſt.

Quinta difficultas, quæ hæc dum ſcriberem allata eſt, nec quæſtio eſt fictæ rei, ſed factæ. Vir honeſtus, ciuiliſque & Chriſtiani officij colẽs, in pacificationem duorum ſe interponit: horum alterum ad pacis hortatur conſilia: hic negat quidquam ſe de pace auditurum, antequam ad ſingulare certamen ſuus aduerſatius deſcendat, quem abſentem ad monomachiam vocat. pacificator ille, de reſponſo & prouocatione literis certiorem facit abſentem.

Quærebatur an Clementinæ conſtitutionis cenſuram auctor literarum ſubierit. Viſum mihi eſt, ſubiiſſe, ob ea verba, quæ in tertia parte conſtitutionis po-
» ſita ſunt. Quíve in præmiſſis, vel eorum
» aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint:
» etiam ſi neque pugna aliqua, neque cer-
» tamẽ, aut effectus, nec acceſſus, aut actus
» ad pugnam proximus, neque expreſſa,
» aut aperta prouocatio ſubſecuta fuerit.
Quantò igitur magis, quando prouocatio eſt conſecuta, & ei alter aliqua ratione nauat operam?

Verumtamen illud eſſet fatendum omnino, ſi Clementi placuiſſet eos tantùm coercere, qui in re duelli actiones, culpáſque ſuſcipiunt ſuapte natura flagitioſas, quauis humana lege circumſcripta multos pronuntiatum iri innocẽtes, quos factorum ſimilitudo magis quàm mentis improbitas, in culpam pœnámque legis trahere videtur.

Neque illud ignorandum eſt, in huius legis pœnas non incidere illum, qui ob probabilem eius inſcitiam rem quampiam gerit diuina naturalíve lege minimè vetitam: quod ipſum addimus penes è cunctorum conſenſu Doctorum.

Poſt multas Romanorum Pontificum conſtitutiones, & Tridentini Concilij decretum, ſit ne vllum duellum iuſtum, nec cenſura excommunicationis punitum.

QVÆSTIO XV.

VTendum eſt in hac finienda controuerſia, ea diſtinctione, quam duelli diſceptatores vſurpant. 1.

Duplex eſt duellum, vnum cruentum, cui propoſita eſt aut nex, aut mutilatio, aut effuſio ſanguinis pugnantium cum odio, aut ſimultate, aut iracundia, aut pugilum iniuſtitia coniunctum. Alterum, quod nec interitum, nec vulnus optat cuiuſquam, ciuilis amicitiæ & caritatis amans, quod virium exercendarum cauſſa inter ciues, inter propinquos & fratres etiam iniri ſolet: nullúmque veriſimile imminet periculum mortis.

Hoc genus ſingularis certaminis, ſeu duelli, quod nomen potiùs quàm duelli naturam retinet, legibus Conciliorum & Pontificum nec prohibitum eſt, nec vindicatum. Primùm, quia culpa caret: At ſacræ ſanctiones illa dumtaxat, quæ crimino ſa ſunt, deteſtantur. Deinde: quia paſſim fiunt, nec à quoquam religioſo ſapientéque viro reprehenduntur. Tum, quia ad fortitudinem & politicam diſciplinam ſpectat viros habere arte dimicandi, vſúque armorum eruditos. Quare hoc certationis genus non vitium, non iniuria vlla ſuadet, ſed virtus & caritas defendendæ patriæ, quum ab hoſtibus inuaderetur. Poſt, Arti ludicræ armorum & magiſtris, à quibus petitionum coniiciendarum & declinandarum ratio diſcitur,

Digitized by Google

diſcitur, merces propoſita eſt, & in Chriſtiani orbis prouinciis eius artis gymnaſia excitantur; in quibus, & qui docent, & qui certandi diſciplinam docentur, ſine culpa vlla verſari poſſunt: neque eorum ſtudium & ratio à quoquam improbatur. Ad extremum quoniam doctores hanc monomachiæ ſpeciem laudant potiùs quàm condemnant.

2. Illud alterũ duelli genus, quod cruentum appellatur, ſit ne vniuersè ab Eccleſia exploſum, pœníſque & cenſuris coercitum, ambigi poteſt. Sed tamen dubitationi hac diſtinctione reſponderi poſſet. Aut eiuſmodi duellum omne iure diuino & naturali eſt prohibitum & vituperatum; aut aliquod vnum reperitur, quod in nullius culpæ reprehenſionem cadit, ſaltem quæ laceſſitum & ſuſcipientem attingat. Vt, cùm quis duellum cum aduerſario init, quia ſi recuſet, de ſua vita actũ eſſe intelligit. Si omne duellum vniuersè reprehenſum eſt, & iure diuino naturæque damnatum, conſtitutionibus item pœníſque Pontificiis iugulatum fuiſſe mihi perſuadeo. Sin vnum vllum diuino naturalíque iure relinquitur licitum, ac iuſtum, exiſtimo, eos, vel illum, quibus cuive licitum eſt, Eccleſiaſticarum ſanctionum pœnas effugere.

Dices. Tua iſta diſtinctio nihil certæ fidei habet: nec quid in re tanta aut credendum, aut opinandum ſit, oſtendit. Tu quidem ſapienter opponis: idcirco quartam de duello quæſtionem attexam: in qua diligenter diſquiremus, an legibus, cenſuríſque Eccleſiæ circumſcriptis, duellum ſit aliquod concedendum cruentum: quòd ſine ſcelere grauíque crimine à quopiam committi poſſit: & quid iudicij de controuerſiæ genere Romani Pontifices habuerint, ex eorum conſtitutionibus eruemus.

Sit ne duellum aliquod cruentum ſuapte natura conceſſum: an verò quodlibet vetitum.

QVÆSTIO XVI.

A Multis eſt, quæ ponitur quæſtio, pertractata, verùm ab his ſex magnis Theologis perdiligenter, & peracutè. A Nicolao Lyrano, in caput 17. 1. Regum: à Toſtado, in idem caput quæſt. 45. ab Henrico Gandauenſi, in quodlib. 5. quæſt. 32. à Turrecremata, in cap. Monomachiam, 2. quæſt. 5. à Maiore, in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 16. in antiquioribus codicibus. à Caietano, in 2. 2. quæſt. 95. art. 8. §. Circa duella, in ſuo commentario. 1.

Magnos igitur intelligentéſque diſceptatores in duas contrarias partes animaduerti eſſe diſtractos. Vnius partis ducem video eſſe Nicolaum Lyranum; alterius, Alexandrum Halenſem, in 4. part. ſuæ Summæ, quæſt. 11. memb. 2. artic. 2. §. 4. verſu, conſequenter quæritur, vtrùm pugiles. Nicolaus igitur Lyranus, explanans verba illa, in cap. 17. 1. lib. Regum, Audita ſunt autem verba, quæ locutus eſt Dauid, de curſu interpretationis paululum digrediens percunctatur ſe ipſum: vtrùm duellum ſit licitum: diſtinctéque reſpondet quæſtioni, his ipſis verbis: Duellum poteſt accipi dupliciter, vno modo propriè: & ſic duellum eſt ſingularis pugna duorum: vt per victoriam vnius, appareat eius iuſtitia, tamquam per diuinum iudicium; & alterius iniuſtitia: & ſic ſecundùm omnes Doctores duellum eſt illicitum tam ex parte appellantis quàm etiam recipientis, & etiam iudicantis, & conſulentium, & fauorem præſtantium: quia ibi eſt manifeſtè tentatio diuina, & hoc modo loqui videntur de duello iura ipſum prohibentia, 2. q. 5. monomachiam, & extra de purgatione vulgari: 2.

vulgari: niſi per reuelationem diuinam manifeſtum fuerit: quòd Deus ſic velit indicare ſuam iuſtitiam: & hoc modo dicunt ſancti & Doctores Catholici, Dauid ſingulare certamen iniſſe cum Goliath: quia ſibi reuelatum fuit à Domino, quòd ſic volebat indicare ſuam iuſtitiam contra Philiſtæos. Vnde procedens contra Philiſtæum, dixit: Ego venio contra te in nomine Dei viuentis. & ſic non fuit propriè duellator, ſed magis diuinæ iuſtitiæ executor. Alio modo poteſt accipi duellum largè, prout eſt bellum ſingulare vnius cum vno abſque exſpectatione diuini iudicij; ſed vt per virtutem, vel fortunam, vel omnibus iſtis, vel aliquibus eorum concurrentibus aliqua controuerſia inter eos criminalis, vel ciuilis terminetur.

Hactenus Nicolaus diſtinguens: qui ſecutus poſteriorem duelli notionem minùs propriam, tempora nonnulla definit, cùm duelli conditio & adminiſtratio flagitio vacat. Verbi cauſſa, cùm quis cauſſa caderet in iudicio, ſeu capitalium controuerſiarum, ſeu ciuilium, niſi ad duellum ſibi perfugium eſſet: nullàque alia ratione aut vitam, aut rem ſuam tueri poſſet.

Quando etiam legitima iudicum vel principum auctoritate, aut permitteretur, aut cóccderetur duellum ad maiora mala auertenda, iuſtum cenſendum foret. namque id à B. Ludouico, Galliarum Rege, à Carolo Magno, pluribúſque aliis, factitatum eſſe ait: Quia ei, inquit Lyranus, qui habet curam alicuius communitatis, licitum eſt minora mala permittere ad euitandum maiora: ſicut licitè permittuntur meretrices in ciuitatibus, ne omnia turbentur libidinibus, vt etiam dicit Auguſtinus. Sic Nicolaus: nonnulláſque contrarias diſſoluit rationes, de quibus earúmque ſolutionibus & confirmationibus poſtea.

3\. Lyranæ aſſectatores ſententiæ ſunt nec pauci, nec infimi ſubſellij Theologi. Maior, in 4. ſentent. diſt. 15. quæſt. 16. in vetuſtioribus voluminibus. Caietanus, in 2. 2. quæſt. 95. art. poſtremo, col. 4. commentarij. Viguerius, in Theologicis inſtitut. cap. 12. §. 3. verſu 9. in veſtigiis hærens Caietani: quod item facit Armilla, in verbo, Duellum: Angelus, in Summa, verbo eod. Toletus, in Summa caſuum, lib. 5. cap. 6. pene in extremo: Nauarrus, in Summa, cap. 11. num. 39.

Quamquam fermè omnes hi aſſectatores ius committẽdi duelli magis quàm Lyranus coanguſtarunt. Nam Maior, in illa quæſt. 16. in reſponſione ad 1. argum. vnum probat caſum, quum controuerſia inter duos exercitus dirimenda eſt, & ex parte, inquit, duellantis cauſſa eſt iuſta, vel ambigua. Alterum caſum exponit in reſponſione ad 6. argum. quum de vita alicuius eſt actum, niſi ad ſingulare certamen deſcendat. Caſum vtrumque admittit Caietanus, ſed de ſecundo tutiùs loquitur quàm Maior. Sic enim Caietanus loco citato, In vno tamen caſu licitum mihi videtur acceptare duellum: quando ſcilicet accuſator euidenter calumniatur: & præualet contra me innocentem ad mortem, ſiue ad mutilationẽ. Tunc enim, ex quo impetit me iudicis gladio, iniuſtiſſimè ſine dubio occidet, vel mutilabit me: ego non habens aliud refugium, habeo iuſtum bellum offenſiuum contra eum. & propterea ſi offert mihi duellum, poſſum acceptare de conſenſu Principis, & tueri meliore modo, quo poſſum.

De primo verò caſu Caietanus illic his verbis ſtatuit: Fateor tamen, quòd in caſu, quo pars habens iuſtum bellum, cognoſcit vires ſuas, & quòd oportet aut confligere & ſuccumbere; aut acceptare duellum; quòd licitè acceptat duellum. Transfert .n. quaſi certũ caſum in dubiũ, & in ſpem Victoriæ vtẽdo omnibus ſuis viribus. Nec ſolùm licitum eſt tali parti in prædicto neceſſitatis articulo conſultè acceptare, ſed etiam prouocare, tale duellum, reſoluendo bellum in duellum. Probant ambos caſus Viguerius, Armilla, locis iam indicatis, nec non Nauarrus & Toletus

Toletus iiſdem locis. Angelus,in verbo, Duellum, laxiores conceſſit duelli habenas: nam illud concedit, quando ſine duello quis aut vitam, aut res ſuas retinere non poteſt. Verùm aliis huius primæ cauſſæ patronis non viſa ſunt iuſta duella aut famæ, aut honoris, aut etiam aliarum rerum cauſſa, vna vita excepta, ſuſcepta.

Huius primæ opinionis argumenta ne iterentur poſt ſecundam explicatam ſententiam, recitabuntur ac refellentur.

4 Secunda ſententia duellū omne, quod aut ad necem, aut vulnerationem ſpectat, vniuerſè tamquam immane atque impium deteſtatur; nullóque tempore licere defendit. A qua ſententia non puto cuiquam diſcedendum eſſe, tum propter grauitatem & multitudinem magiſtrorum & principum Theologorum, tum propter momenta rationum.

Huius opinionis inter Theologos princeps videtur fuiſſe Alexander Haleſis, in 4. part. quæſt. 11. memb. 2. artic. 2. §. 4. verſu: Conſequenter quæritur, vtrùm pugiles: nam vtraque ſententia explicata & confirmata concludit his verbis: Prima opinio ſecurior eſt; & illi conſentio, quòd nullo caſu licet duellum offerre, neque illatum, vel oblatum ſuſcipere: cùm monomachia ſit in lege ciuili prohibita, & eius prohibitio in canone approbata. Sed ſuſtinebit ne innocens in cauſſa criminali ſe ſuſpendi in confuſionem propriam, & generis ſui, & patriæ ſcandalum? Credo quòd ſic in caſu iſto cum confeſſione innocentiæ ſuæ, & reputatione humili ſe iſta aliàs meruiſſe. omnino ergo videtur mihi, quòd exiſtens in voluntate, vel propoſito aliqua cauſſa committendi duellum, eo quòd prohibitum eſt, & eo, quòd committere cauſſam ſuam ſorti duelli, eſt Deum tentare, intendit facere quod illicitum eſt, non debet accedere ad ſacā communionem. Hactenus Alexander.

Secutum hanc ipſam ſententiam fuiſſe Diuum Thomam, liquet ex eius verbis in 2. 2. quæſt. 95. artic. 8. ad tertium argumentum, vbi legem duellorum confert cum iudicio ferri candentis, vel aquæ feruentis. Iudicium verò, ad quod candens ferrum, aquáve feruens ſumitur, execrantur ſacri canones; ideo, quòd in eo tentatur Deus. Vide canonem, conſuluiſti, 2. q. 5. qui canon eſt Stephani II. vnde ſententiam, & verba mutuatus eſt Diuus Thomas. Vide canonem Mennam, eadem cauſſa, & quæſtione: vbi Alexander II. cuius eſt poſterior pars illius canonis, feruentis aquæ, ignitique ferri contactum ad purganda crimina fabricante inuidia omnino ficta eſſe ait: Apoſtolicáque auctoritate ait ſe prohibere firmiſſimè. Vide Decretalem Honorij III. Dilecti filij, de purgatione vulgari: qui loquens de candentis ferri iudicio, hæc ait: Cùm igitur huiuſmodi iudicium ſit penitus interdictum, vt pote in quo Deus tentari videtur, &c.

5 Candentis ferri iudicium in eo conſtitutum eſſe volebant; vt, qui in crimen vocabatur, ſi ferro candenti admoto, non exurebatur, innocens; ſi vrebatur, nocens haberetur; pœnámque ſceleri conſtitutam ſufferret: vt cuiuis ex illa Decretali Honorij poteſt eſſe perſpectum. Si ergo Diuus Thomas candentis ferri iudicium vult imitari duellum, conſequens eſt, vt ſicut ferri igniti iudicium ſemper repudiandum eſt homini prudenti & Chriſtiano; ita ſemper ſit reſpuendum duellum.

Henricus Gandauenſis, in quodlib. 5. quæſt. 32. poſtquam de iuſtitia iniuſtitiave duelli ingenioſe diſputauit, ſic inter contrarias ſententias diiudicauit. Vnde nec pro te vlla temporali, nec etiam pro propria vita ſuſtinenda debet conſentire duello; ſed potiùs ſe deberet permitti ſuſpendi. Vnde quia contra præceptum legis naturæ eſt quoad affectum, & intentionem occidendi; & expreſsè contra præceptum legis diuinæ eſt, quoad intentionem ſigno ſenſibili

» propria ſuſpicione iudicium diuinum
» experiendi: igitur nulla lex iuſta fieri
» duellum permittit, aut permittere poteſt;
» nec cuiuſquam auctoritate, aut quacum-
» que conſuetudine contraria diutiſſimè
» obſeruata licitè poteſt pugnari per duel-
» lum. Imò quicumque in duello pugnant,
» & quicumque eis auctoritatem, conſi-
» lium, auxilium, fauorem, aut permiſſio-
» nem præſtant, cùm poſſint impedire,
» participes ſunt homicidij, & mortaliter
» peccant. Hæc totidem verbis Henricus
Gandauenſis.

Dixit eamdem ſententiam, & egregiè tutatus eſt Ioannes à Turrecremata, in cap. monomachiam, 2. quæſt. 5. omniſque iure damnatum eſſe duellum probauit, iure diuino, iure gentium, iure ciuili & iure canonico, exſcribens ſententiam & verba Alexandri Halenſis; nullum tempus excipit, quo duellum licitum eſſe queat. Id ipſum perlonga conficit diſputatione Toſtatus, in cap. 17. 1. lib. Regum, quæſt. 45. vbi Nicolaum Lyranum, eiúſque argumenta confutat Gabriel, in 4. diſtinct. 9. quæſt. 2. artic. 3. dub. 3. ex Alexandro & Richardo ſcribit, duellantibus non eſſe dandam Euchariſtiam, nec vllum excipit duelli pugnam pugnantem. Sotus, in 5. de iuſtitia & iur. quæſt. 1. artic. 8. col. extrema, hac oratione veram ſententiam confirmat.
» Et ideo, qui exit in duellum, non
» repellit vim vi, ſed cooperatur ad iniu-
» ſtitiam, qua alter ipſum prouocauit.
» Præſertim quòd ſecundùm rei veritatem
» & ſapientum iudicio, non exire non eſt
» dedecus: quia vbi virtus non defendi-
» tur, nullus eſt honor: quippè qui eius
» eſt præmium. Ob idque cùm exire ad
» occidendum priuata auctoritate non ſit
» virtus, fit vt neque verè ſit honor, niſi ſe-
» cundùm vulgus, & nomine vulgi qui-
» cumque intelliguntur, qui non ſecun-
» dùm rei naturam, ſed ſecundùm popu-
» larem opinionem de rebus iudicant. Hæc
» Sotus.

Sententiam eamdem delegerunt D. Antoninus, in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. poſtremo, vb auctoritate Reinerij, Goffredi, Alani, Oſtienſis, Diui Thomæ & Ioannis, in Summa, probat numquam licitum eſſe duellum. Id in Summa confeſſorum reliquit Ioannes, in 2. lib. tit. 3. quæſt. 3. teſtatur id ipſum ſupplemẽtum, in verbo, Duellum 1. id ipſum Roſella eodem titulo: id ipſum Syluester, in verbo, Duellum, quæſt. 2. affirmans hanc omnium Doctorum ſui ordinis eſſe opinionem in nullo caſu conceſſum eſſe duellum.

Concilia ac Romani Pontifices hanc 6.
ſolam poſteriorem ſententiam approbaſſe videntur. Concilium enim Tridentinum, ſeſſ. 25. cap. 19. duellorum vſum »
deteſtabilem appellat, & fabricante dia- »
bolo introductum. Iulius II. in conſtitu- »
tione, cuius eſt initiũ, Regis pacifici, pur- »
gationes vulgares à noſtræ religionis pietate damnari ait, in quibus purgationibus vulgaribus duella numerantur, extra de purgat. vulgari, cap. 1. vbi vniuersè à Cæleſtino duella improbantur. Idem Iulius, cruenta ſpectacula (loquitur in ea bulla de duellis) à ſacris canonibus, & imperatoriis legibus prohibita eſſe teſtatur: idem in eadem conſtitutione duella etiam legibus permiſſa, & ex quacumque cauſſa excommunicationi ſubiicit. Si ex quacumque cauſſa, ergo nullum conceditur tempus, nulla cauſſa huius ſingularis pugnæ condicendæ & committendæ. Iſtámque Iulij II. conſtitutionem confirmauit Leo X. Clemens VII. Pius IV. & Clemens VIII. ergo hi quinque Romani Pontifices cruenta duella ex qualibet cauſſa excommunicationis pœna damnarunt. Atque hæc condemnatio, idque maximorum Pontificum iudicium, pro quouis argumento deberet eſſe in hac cauſſa, quæ diſceptatur.

Leo X. in conſtitutione ſua, quæ incipit, quàm Deo, & hominibus, ſcribit, pu- »
gnantes in duello iura diuina atque hu- »
mana deteſtari; duellum ſcelus eſſe dete- »
ſtabile, canonica & ciuili lege prohibitũ. »
Grego

» Gregorius XIII. in conſtitutione, ad
» tollendum, de duello loquens, ait nō mi-
» nùs eſſe cruentum, quàm animæ & cor-
» pori noxium. Clemens VIII. in conſti-
» tutione quam eſt his verbis exorſus, il-
» lius vices licèt immeriti, generatim o-
» mnia damnat duella: eáque nefaria ar-
» ma appellat diaboli, atque inter exitialia
» & enormia peccata recenſet.

7. Huius ſententiæ potiores probationes hæ ſunt. Prima, tentare Deum numquam licet, vt probat D. Thomas, in 2.2.q.97. art.2.& 4. quoniam, vt is loquitur in art. 4. illius quæſt. quæ eſt de tentatione Dei, ille, qui tentat Deum verbis, vel factis, proteſtatur dubitationem de diuina excellentia: & in artic.2. probauit dupliciter tentari Deum, aut expreſsè, aut interpretatiuè: in hunc autem artic.1. ſic Caieta-
» nus principio commentarij. Aſpice, in
» quo conſiſtit formale interpretatiuæ ten-
» tationis Dei: ſcilicet in hoc, quòd abſque
» neceſſitate vel vtilitate reſpuat homo
» cauſſas ſecundas. Verùm id ſemper euenit in duellis, vt argumentatur Turrecremata, in cap. monomachiam. 2.q.5. nam pugnantes, & remedia legum, & magiſtratuum iuſtā auctoritatem contemnūt: & in pugnando æqualitatem virium, & ſcientiæ armorum reſpiciunt, ergo ſemper in duello tentatur Deus, id quod cōfirmat ille canon, monomachiam; & peccatur in legem diuinam, Deuter. cap.6.
» & cap.4. Matth. promulgatam; Non ten-
» tabis Dominum Deum tuum. Cùm igitur ſine neceſſitate & vtilitate neglectis cauſſis ſecūdis deſcendant in arenam, qui ſingularem pugnam committunt, nimirum teſtātur exſpectare ſe temerè à Deo velle, quòd aliunde quærendum eſſet.

8. Secunda probatio. Ad declarandam veritatem, & iuſtitiam cauſſæ, vti medio ſuapte natura fallaci, & quod ſæpenumero palam falſitati & iniuſtitiæ ſuffragatur, contra viri boni & ſapientis officium eſt, ſed duellū quocumque nomine (niſi fortè Deo iubente) ſuſceptum apertè cauſſę deteriori non minùs quàm meliori fauit: cùm in eo is non rarò occubuerit, cuius erat cauſſa iuſta: & qui ſolus innocens erat: quare duelli ratio ſemper eſt flagitioſa.

Tertia, Ius naturæ & gentium, hoc præſcribit, vt innocens abſoluatur, & nocens puniatur: hoc ius, cruentum duellum ſæpe omne peruertit: cùm ſonti, & indigno vitam addicit, & innocenti eripit: ergo per ſe eſt duellum periniquum.

Quarta. Priuata auctoritate occidere hominem numquam licet, niſi cùm fortè alter te inuadit iniuſtè, ſed nō ex condicto, te ad pugnam laceſſens: verùm ineuntes duellū priuata auctoritate, & contra leges, & ſanctiones Eccleſiaſticas & iura naturæ pugnant, & vulnera ſibi imponunt, & vitam hauriunt: quare, &c.

Quinta. Innocentem occidere, aut ad illius interfectionem alteri quoquo modo aſſentiri, numquam eſt vllo iure permiſſum. Sed in duello cruento ſemper reperitur in altero voluntas, ac libido interimendi innocentem, & in altero voluntas aſſentiendi conatui ſeu certationi, qua ſons in inſontem arma conuertit. Quare id genus certandi ſemper debet eſſe damnatum.

Sexta. Duella, inquit Maior, in 4. ſent. diſt.15. qu.16. ad 4. argum. in vetuſtioribus, ſunt materia ſchiſmatis, & iurgij potiùs quàm concordiæ: ergo per ſe mala.

Septima. Vt iuſta hominis ſit interfe- 9.
ctio, tria requiruntur in interficiente, vt probat Halenſis, in 3. par. q.34. memb.2. art.2. §.1. iuſta cauſſa, iuſtus ordo, iuſtus animus. Cauſſa, vt mereatur mortem, qui eſt interficiendus. Ordo, vt polleat poteſtate publica, qui auctor eſt necis, & conuictum ſit crimen. Iuſtus animus, vt amore iuſtitiæ, non libidine vindictæ, vel pœnæ cupiditate, interficiatur: nihil horum inuenitur in duello cruento, & in iis qui illud exercent: ergo neceſſe eſt ab omni iure maximè eſſe diſiunctū. Quocirca Turrecremata in canonem illum, monomachiam. 2.q.5. probat, duellum cum iure diuino, cum iure ciuili, cum iu-

re gentium, & cum iure canonico mirè confligere.

Octaua probatio. Sicut iura omnia vt quis vim illatam repellat, concedunt: ſic, vt eam inferat, & aggreditur alterum, nō permittunt. At in duello, vt oſtendunt huius ſecundæ ſententiæ propugnatores, vterque pugnans eſt aggreſſor, & vim infert, alteriúſque necem optat, atque eius vult eſſe auctor: ergo nullum duellum iniuſtitia carere poteſt.

Nona. Qui in duello alterum interficiunt, pœnis tenentur homicidarum, & pœna notantur infamia ſempiternæ ex decreto Concilij Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. quam pœnam omnem in omnia duella valere voluit Clemens VIII. igitur certo eſt argumento, nullum iuſtum eſſe duellum. Confirmatur, ſi iuſtum eſſet vllum, poſſet præcipi, poſſet ſuaderi, poſſet adiuuari, poſſet ſpectari: at iſthæc omnia tum à Concilio Tridentino, tum à Gregorio XIII. tum à Clemente VIII. excōmunicationis pœna propoſita prohibentur.

Decima & poſtrema probatio. Qui in duello cadūt, Eccleſiaſtica in perpetuum ſepultura priuantur: ſic Tridentino Concilio: ſic Clemente VIII. ſic aliis Romanis Pontificibus decernentibus: ergo Eccleſia non dubitat, quin & pugna iniuſta fuerit nec minùs corpori quàm animæ funeſta. Atque ſententiam hanc tot teſtibus argumentíſque probatam, communem eſſe Doctorum affirmat Toſtatus, in cap. 17. 1. Reg. q. 45.

10. Sequitur, vt molem contrariarū argumentationum diruamus. Primùm habet pro telo hæc cauſſa duellū Dauidis cum Golia, ſed mane hoc eſt telum, atque ab ipſis etiam aduerſariis eluſum: nam diuino impulſu & iuſſu illud à Dauide ſuſceptum, Catholicos Doctores ſentire ſcribit Lyranus, in cap. 17. 1. Reg. & Henricus Gandauenſis in quodlib. 5. qu. 32. id ipſum confirmat D. Auguſtini auctoritate, in quodam ſermone de pugna Dauid & Goliæ.

Argumentantur ſecundo loco: ſi pro mea ſalute, & rerum mearum conſeruatione, poſſum, eum qui me adoritur, occidere, cur eadem de cauſſa non potero idem facere in duello? Reſpondeo: quia in duello ambo, qui manus conſerunt, ſunt aggreſſores: at omnis priuata aggrediens auctoritate, per ſcelus iniuriámque aggreditur. Deinde: quia in duello quilibet alterius optat interitū: at in defenſione, qua vis vi propulſatur, nonniſi per accidens mors alterius expetitur: nam, qui ſe tuetur, ſuæ tantùm vitæ proſpicit: quam ſi poteſt ſine alterius nece retinere, alteri necem offerre nō licet. At in duello, cùm vnuſquiſque victoriæ gloriā concupiſcat, quæ niſi proſtrato aduerſario ferè reportari non ſolet, huius exitium neceſſe eſt quæri ad victoriam conſequendam. Præterea in vi repellenda vtimur publica legis auctoritate: at in ſuſcipiendo committendóve duello, contra legem agimus, priuata noſtra freti auctoritate. Poſtremò in vi repellenda, nō fit poteſtas nocenti innocentē occidendi. At iure duelli, vbi æqua eſt vtriuſque decertantis conditio, fit poteſtas nocenti innocentem interficiendi. Hæc autem omnia, quia turpiſſima, & iniquiſſima ſunt, vt ne committantur, extrema quæque vir conſtans, & officij recti colens perpeti debet.

Tertia argumentatio. Sunt duo rei ſuis criminibus, & capitis condemnati, vterque ſuſpendendi: ambobus vitam hac conditione pollicetur iudex, vt illā duelli periculo offerant: ergo hi ſontes periclitatione duelli iuſtè ſaluti ſuæ conſulere poterunt. Reſpondeo, in primis nō poſſe iudicem, quem ſcelerum iuſtum vindicem eſſe oportet, noxios à patibulo in gladiatoriam pugnam deducere: iiſque impunitatem dare: quorum vitam certo ſupplicio auctoritas legum deſponderet. Malorum enim punitio, vt verbis vtar Adriani, in quodlib. 1. artic. 3. col. 20. in meo codice, eſt de neceſſitate vitæ; & eſt medicina ad cohibenda peccata: quum autem, 11.

autem,dicit : *Vita* intelligit vitã etãi gratiæ diuinæ. Audiant iudices Caietanum, in Summa, in verbo, Iudex, iudices acri oratione inſectantem, propter impunitatem,quam noxiis largiuntur:hiſce verbis
» loquentem:Magnum ſiquidem nocumē-
» tum Reipub.communiter infertur,quum
» mali impunes euadũt:quia creſcũt mali:
» & qui ſunt mali,aut ad malum proni, au-
» dent perturbare,vulnerare,occidere,&c.
» nec excuſat commutatio pœnæ in pecu-
» niariam:nec pax à parte habita:quoniam
» princeps eſt cuſtos iuſti. Ita quòd abſque
» rationabili cauſſa vtens huiuſmodi voca-
» ris clementiis peccatum mortaliſſimum
» incurrit : imò reus eſt homicidiorum, &
» cæterorum conſequẽtium. Obiiciat fortaſſe iudex, vel potiùs princeps in cuius poteſtate eſt nex,& vita ſontiũ. De duobus illis non liceret mihi deligere vnum, qui alterius futurus eſſet carnifex, carnifici ſpe vitæ oblata? Cur ergo, ſi extra duellum, alter alterum poteſt occidere, idem non poterit pugnando efficere? Ad hæc:ſi aduerſus ambos iſtos ſontes morti adiudicatos, poteſtatem necis poteſt cuilibet princeps tribuere: cur iiſdem contraſe ipſos concedere non poſſit in ſingulari certamine? Maior, in 4.ſent.diſt. 15.q.16.ad 4.argumen. in antiquis codd. ſuccubuiſſe videtur argumento: neque enim diluit:quamquã apertè ſcribit duobus,morte dignis,quos iudex poteſt iure interficere, largiri non poſſe, vt duello contendant. Sed frangenda eſt argumentatio.

12. Dico igitur,alterum alterius poſſe eſſe carnificem,ambos à quouis auctoritate Principis interfici poſſe:at verò vnum aduerſus alterũ armari in duello à Principe, nullo modo fas eſt. Longè enim diſpar ratio eſt carnificis, & eius, qui tamquã miniſter legis & principis, reum occidit,atque eorũ qui in duello mutuis ſe vulneribus conficiunt. Nam, qui miniſter eſt legis ac iuris,iuſtique principis, in necando altero bono cõſulit publico: iuſtitiæ ſatisfacit: neque alteri ſui occidendi facit poteſtatem. At,qui in duello depugnat,cùm ſit morte dignus,non pro iuſtitia, ſed potiùs pro iniuſtitia pugnat: non pro communi cauſſa,atque vtilitate, ſed pro ſua duntaxat vita priuatóque bono pugnat:quo non parum publicum lęditur bonum: & qui vult in duello occidere, alteri poteſtatem facit viciſſim ſui occidendi.

Mitto,in hac forma duelli,de quo diſſeritur,fieri poſſe,vt nequior, & qui magis pernicioſus futurus eſt Reipub.vitam retineat, minùs noxio ſublato: quod vlla nec ratio, nec ius permittere poteſt. Deinde,qualis eſt iudicis & principis,homines morti adiudicatos, quo tempore æternæ ſalutis,ac vitæ conſilia inire debẽt, ſuáque ſcelera deteſtari, atque eorũ veniam ſupplici à Deo prece impetrare,tãquam laniſtas ad mutuam cædem cohortari? ſed de tertia argumentatione, nimiùm multa.

Quarta. Haud multò tertiæ diſſimilis. 13.

Facit Cornelius Tiberio vim: armata manu certã ei mortem denunciat,niſi ſecum duello confligat. An non licebit,ſingulari certamine, Tiberio, ſi non vitam, ſaltem ſpem vitæ dubiam redimere? Dico id non licere ob tam multas cauſſas in alterius partis confirmatione expoſitas.

Quinta. At leges ciuiles nonnumquam duella concedunt. Maior obiicit ſibi legem, Federicus. §. ſi quis hominem. C. de pace tenenda,& eius violatoribus.l.11. Reſpondet ipſe,legem ciuilem contra ius naturale diuinum & canonicum,duellum permittentem,legem non eſſe, ſed errorem. Turrecremata ſibi opponit legem, qua actione. §. ſi in colluctatione. ff. ad legem Aquiliam. Reſpondit, legem loqui de iis qui luctantur non gladiis. Non ſecus legem interpretata eſt Gloſſa, in verbo, ſi in colluctatione. In colluctatione, inquit Gloſſa ad eam legem, id eſt, »
dum ſimul luctabantur pugnis, vel calcibus. »

Imò verò cruenta duella ſalutari legẽ ſuſtulit Conſtantinus. C. de gladiatoribus.

bus. l.vnica, lib. 11. his verbis perſcripta.
» Cruenta ſpectacula in otio ciuili & do-
» meſtica quiete,non placent. Quapropter
» omnino gladiatores eſſe prohibemus. In
» quam legem ad hunc modum Gloſſa ob-
» ſeruauit. Et eſt hîc argumentum, quòd
» duella non admittuntur. Sed quid attinet legibus ciuilibus agere, cùm duella permiſſa legibus ſuis ſeueris ſanctionibus tot Romani Pontifices exterminarint?

14\. Sexta. At enim ad grauiora mala euertenda, aut prohibenda, poſſunt permitti duella, atque etiam concedi. Reſpondeo, cõcedi numquam poſſe, aut debere; permitti aliquando fortaſſe potuiſſe: verùm aliud eſt, permiſſus alicuius rei, aliud conceſſus: conceſſus eſt rei honeſtæ & iuſtæ: permiſſus, non item. Verùm pòſt conſtitutiones recentes Eccleſiaſticas caueant Principes, ne inconſulto Romano Pontifice duella permittant: quia etiam in permittentes, & non prohibentes, excõmunicationis cenſura animaduertunt.

Septima & poſtrema. Sed enim beatus Ludouicus, Galliarum Rex, & Carolus Magnus, pluréſque alij Principes, quos religionis, & ſanctitatis fama in orbe Chriſtiano commendauit, duella nonnumquã & ſuſtinuiſſe, & conceſſiſſe dicuntur, vt inquit Lyranus. De beato Ludouico negat Turrecremata, ab eo vmquam conceſſa fuiſſe duella: nam in eius vita ſecus quàm ait Lyranus narratur. Toſtatus dupliciter reſpondet: vel concedendo duello eos peccaſſe: neque enim viri pij ſine culpa vitam agunt: vel, vt benigniùs quid dicatur, eos reuelante & impellente Deo: quod fecerunt effeciſſe: ego malim credere tãtos Principes duella permiſiſſe ad maiora incommoda vitanda, quàm illa conceſſiſſe, iíſque fauiſſe.

Quòd verò Nicolaus Lyranus etiam D. Thomam conatus eſt in ſuam pertrahere ſententiam etiam repugnãtem: hoc verò ferri non poteſt: nam D. Thomam in primariis prioris ſententiæ ducibus eſſe à nobis oſtenſum eſt.

Maneat igitur numquã accidere poſſe aut potuiſſe, vt iuſtè duellum committi poſſet: ex quo illud item neceſſariò cogitur, his temporibus quodlibet duellum excommunicationi eſſe ſubiectum.

QVÆSTIO XVII.

QVi poſt moderationem decreti, poteſtatem ſacerdotibus adimẽtis abſoluendi à caſibus reſeruatis, commiſit in legem Clementis VIII. de duello; ſed neque in Tridentini Concilij decretum, neque in Gregorij XIII. conſtitutionem peccauit, poteſtne ab iis abſolui confeſſariis, qui ante decretum abſoluebant à caſibus Romano Pontifici reſeruatis, iis exceptis, quos bulla Cœnæ Domini amplectitur? 1.

Mihi, cùm è verbis decretum mitigantibus anceps orta eſſet opinio, quidquid in vtramque partem meditatus erã, ſcriptis mandaui, Romámque ad Patrem Benedictum Iuſtinianum, noſtræ ſodalitatis præclarum Theologum, miſi, vt illuſtriſſimæ congregationis iudicio dubitationem meam dilueret.

Is ad me reſcripſit, dubitationem primùm ad ampliſſimorum Patrum delectum cœtum, quorum diuiſæ ſententiæ fuere, deinde ad Clementem VIII. delatam eſſe.

Eumdem Pontificem reſpõdiſſe, quoties nec in Tridentini Concilij, nec in Gregorij XIII. ſanctionem cõtra duella ineuntes editam, peccatum non ſit, poſſe eum, qui in ſuam deliquit, eáque re excommunicationem ſubiit, abſolui ab iis, qui iure priuilegij ante decretum à Pontificis caſibus abſoluere ſoliti erant, quãuis duella, & caſus Clementinæ conſtitutionis non attingerent: ſed quiſpiam pernoſcere optet, quæ in noſtris litteris ad Iuſtinianum in vtramque partem diſſerebantur: & cuiuſmodi is ad nos litteras dederit. 2.

Ergo tribus ipſi conficiebamus argumentis, qui cõtra Clementis VIII. conſtitutio

ſtitutionem de duellis commiſiſſent, ab iis non poſſe nunc abſolui ſacerdotibus, qui ante decretum à reſeruatis etiam ſedi Apoſtolicæ caſibus abſoluebant.

3. Primi arguméti robur illud erat: quòd decreti moderatio ſacerdotibus, qui iure priuilegiorum ante decretum in abſoluendo vtebantur, non plus poteſtatis largitur poſt decretũ, quàm antè habebant: imò de ea poteſtate non parũ imminuit: ſed ante decretum nemini ſacerdoti permiſſa poteſtas fuit abſoluendi iure communis priuilegij peccantes in legem Clementis V I I I. de duellis: ergo, &c.

Secundum argumentũ ex ipſis moderationis verbis ducebatur. Perſpicuè enim ampliſſimorum patrum edicit conuentus, nullum ſacerdotem caſus eos Pontificios attingere poſſe: quos ante decretum, vel non attingebant; vel ne poſſent attingere, præcipuis verborũ generibus cauebatur. At ius Clementinæ conſtitutionis omne priuilegium infirmauit, quo freti multi ſacerdotes ante decretum à reſeruatis abſoluebant.

Tertio argumento in eo vis erat: quòd cùm Clemẽs V I I I. ædis Lauretanæ pœnitentiariis fermè cunctos caſus in bulla Cœnæ Domini congeſtos conceſſerit, duella tamen, de quibus ſua is cauet conſtitutione, remouit. Quantò igitur magis credi debet ab iis remouiſſe, qui pœnitentiarij non ſunt illius religioſiſſimæ & auguſtæ ædis?

4. Verùm illæ ipſæ noſtræ litteræ tribus his argumentis quattuor baſce coniecturas opponebant. Prima fuit. Quòd ſi exceptio Concilij Tridentini decreto, & conſtitutioni Gregorij X I I I. innixa, iis ſacerdotibus non faueret, qui ſuis priuilegiis freti, à Pontificiis cenſuris ante decretum abſoluebãt, multò breuior & tutior, & ab omni prolapſionis metu explorata futura erat, ſi ad metas Clementinæ conſtitutionis hæſiſſet: nec vlla, aut decreti Concilij Tridentini, aut Gregorianæ conſtitutionis mentio facta fuiſſet. Siquidem conſtitutio Clementis, quidquid in ſanctione Gregorij & Tridẽtinæ Synodi reperitur, & multo plura, complectitur.

Secunda coniectura illa fuit. Quòd tum Romanus Pontifex, tum ſacræ pœnitentiariæ præfecti, innumerabilium libellorum, qui & Romam ſingulis momentis è cunctis Chriſtiani orbis prouinciis mittebantur, & Roma ad eaſdem pro abſolutione ſontium deferebantur, faſtidium nõ ferentes, id remedij inuenerũt, vt poteſtas abſoluendi eos, qui contra Clementis legem deliquiſſent, iis delegaretur, quorum priuilegia conuulſa in decreti moderatione penè conualuerunt.

Tertia cauſſa etiam cur moderationi decreti hanc adderet lenitatem Clemẽs, eſſe potuit: quòd quæ corruptela eſt hominum, pronos ad violandum ius conſtitutionis, nec pœnis irrogatis vidit poſſe coërceri, nec parum difficilem eſſe ſuæ legis obſeruationem.

Quarta & poſtrema. Quòd miris conſtitutio illa eſt implicita difficultatibus, in quibus viri quoque diuini humaníque iuris gnari hærere cogũtur: quas difficultates in Tridentino decreto, & Gregorij X I I I. conſtitutione nequaquam experiuntur. Hæc ipſi in litteris Iuſtiniani, atque ad hunc modum, qui adhuc expoſitus eſt, diſſeruimus.

QVÆSTIO XVIII.

Valens à Tatiano contumeliis appetitus, condicit ei duellum, certo loco & tempore ineundum: ad locum pugnæ accedit Valens multorum comitatu ſeptus: eôdem ſe contulêre nonnulli futuri ſpectatores: ſed Tatiano non deſcendente in campum, omiſſa eſt pugna. 1.

Quæritur, num Valens, & qui eum eomitati ſunt, in excommunicationem inciderint Gregorij X I I I. quæ incipit, *ad » tollendam*: nam ſubiiſſe omnes cenſuram » conſtitutionis Clementis V I I I. contra monomachiam, nemini dubium eſt.

De hac controuerſia multorum agitatis ſententiis tres opiniones repertæ ſunt. Prima, excommunicatione vinxit tum Valentem, tum eius comites. Secunda, comites duntaxat. Tertia, nec Valentem, nec comites.

2. Primæ ſententiæ illud propugnaculum fuit: quòd duellum à Conciliis, à ſacris canonibus, & Romanorum Pontificum conſtitutionibus in criminibus magnis atrocibúſque numeratur. In quo genere criminum ipſe conatus crimini proximus ſimiliter puniri ſolet, vt ſi verè delictum commiſſum eſſet: vt Gloſſa, & doctores affirmant, in l. ſi quis, C. de Epiſcopis & clericis, & in l. is qui cum telo, C. ad legem Corneliam, de ſicariis. Verùm nec Doctores de eadem re dilucidè magis loquuntur, quàm leges. Sic enim eſt in ea lege, is qui, C. ad leg. Corn. de ſicar. Is qui cum telo ambulauerit, hominis necandi cauſſa, ſicut is, qui hominem occiderit: vel cuius dolo malo factum erit cōmiſſum, legis Corneliæ de ſicariis coërcetur: & in lege, quæ eſt proximè ſuperiorem, eod. titu. ſi quis necandi infantis piaculum aggreſſus, aggreſſurúſve ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendū. At Valens ambulauit cum telo: & armatus ad locū certaminis venit, animo cædis faciendæ, ſuíque aduerſarij interficiendi: ergo non ſecus, quàm ſi pugnaſſet & occidiſſet, puniendus erit: & in lege, ſi quis, C. de Epiſcopis & cler. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantùm iungendi cauſſa matrimonij ſacratiſſimas Virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur: & ff. ad leg. Cornel. de ſicar. l. Diuus: in maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus: & in ea, quæ ſequitur lege: Nihil intereſt, occidat quis, an cauſſam mortis præbeat.

Itaque Cicero, in oratione pro Milone, Clodium, qui in templo Caſtoris ſuū ſeruum cum telo ad interficiendum Cn. Pompeium collocarat, hoc genere verborum percellit. Niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda: perinde quaſi exitus rerum, non hominū conſilia, legibus vindicentur. Minùs dolendum fuit re non perfecta, ſed puniendum certè nihilominus. Quibus verbis docuit apertiſſimè non Pompeij interitum, ſed cauſſam interitus ſpectari oportuiſſe.

Cùm igitur idem facinus à Gregorio XIII. diuerſis pœnis vindicetur, conſequens eſt: vt, ſi is, qui animo confligendi reſtitit in loco dimicationis aduerſarium opperiēs ſuū, teneatur pœnis iis, quæ aut ad corpus, aut ad externa bona referuntur: pœna quoque excommunicationis, quæ ſpectat ad animū, teneatur: illis autem pœnis, quæ corpus, & copias domeſticas, multant, irretitum eſſe duo Doctores iuris ciuilis ſpectata ſcientia, in pernobili Italiæ ciuitate, reſponderunt, rationem illam vnam, quæ iam explicata eſt, ſecuti. 3.

Quod reſponſum multis nominibus mihi probari non potuit. Primùm, quia non ab omnibus conceditur, conatum ad maleficium, quāuis atrox, eadem pœna, qua maleficium ipſum, puniri. De quo videndus eſt Couarruuias, in 2. par. relectionis de homicidio, ad initium, à nu. 6. Deinde, quia licèt conatus pari pœna, atque delictum cōmiſſum, plectendus foret, is tamen ad eum actum deberet erumpere, qui eſſet ſceleri finitimus: nec vllus propinquior: vt idem Couarruuias probat in ead. par. relect. num. 9. Atqui actus duello proximus non eſt acceſſus vnius, & comitatus multorum, ſed acceſſus amborum, qui ſunt dimicaturi. Tum leges perinde animaduertentes in conatum, vt in factum, totius orbis Chriſtiani conſuetudine abrogatás eſſe ſæpius repetit idem Couarruuias, vt num. 6. 10. & 11. Pòſt: quia prudenter obſeruauit Panormitanus, in cap. cum in cunctis, §. clerici, de electione, commentarij ſui num. 3. ex Ioāne Andrea, & Bartolo: quum lex cuipiam facinori certam pœnam decernit: non illam ſubiri ab eo, qui aut conatus eſt, aut inchoauit facinus, niſi illud perfecerit.

Panor

» Panormitani verba hæc ſunt; Poſuit
» Ioannes Andreas vnum dictum ſemper
» menti tenendum in regula, odia,in Mer-
» curialibus, ſuper verbo, pœna, dicens,
» quòd vbi pœna apponitur à iure ipſo fa-
» cto propter aliquod delictum commiſ-
» ſum, numquam eſt locus illi pœnæ, niſi
» illud delictum ſit conſummatum, quan-
» tumcumque fuerit inchoatum:ſed poſſet
» extraordinariè puniri: quia delictum in-
» choauit:pœna tamen à iure impoſita non
» habet locum: pro quo facit aliud ſingu-
» lare dictum Bartoli,in l.1.ff.de ſicar. vbi
dicit, quòd ſtatutum puniens delictum
certa pœna non habet locum in eo, qui
inchoauit,ſeu incepit illud delictum,ſi il-
lud non perfecit:quia ſtatutum,& maxi-
mè pœnale eſt ſtrictiſſimè interpretãdũ,
vt in regula, odia, lib.6. Hæc Abbas. in
quem pari ſuffragio it Alphonſus à Ca-
ſtro, in 2. lib. de poteſtate leg. pœnalis,
cap.6.extrema columna:ad eamdémque
ſententiam aggregat Decium in §. illum
clerici,notab.3. & Geminianum, in cap.
indemnitatibus,§.poſtremo, de electio-
ne, lib.6.

5. Poſtremò, quidquid ſit de reliquis pœnis, ſanè certè conuenit inter Doctores, nec irregularitate, nec excommunicatione aliáve cenſura affici delinquentem, niſi delictum abſoluerit: nam conatum eſſe, & non feciſſe id, quod punitur ab auctore cenſuræ, ſeu irregularitatis, non eſt ſatis. Vide Couarruuiam, in relectione,de homicidio, par.2.ad initium, num.5.quod nos dicimus,probantem affirmantémque communem eſſe opinionem:quã ipſam Alphonſus à Caſtro in 2. de poteſt.leg. pœn.cap.6. col. poſtrema,
» eſt his verbis amplexus. Et ideo numquã
» aliquis incidet in excommunicationem à
» iure latam; quamuis conetur facere id,
» propter quod eſt impoſita excommuni-
catio, niſi verè perfecerit illud.

Eſt verò memoria dignum illud Couarruuiæ,in relect. de homicid.par.2.ad initium,nu.10.eum, qui niſus eſt ad conſciſcendum ſcelus, ſi pœnitentia cohibitus ſeſe ab ſcelere abſtinuerit, non eſſe puniendum:quod multorum auctoritate confirmat.

Conſtat igitur duos illos iuriſperitos minùs rectè de controuerſia hac iudicauiſſe.

6. Secunda ſententia allata eſt à quodam Theologo: cuius nomẽ appellare eſt minimè neceſſe; qui ſcriptis ad me litteris teſtatus eſt pœnam conſtitutionis Gregorianæ non irrogari iis, inter quos eſt pugna condicta, niſi re ipſa ferrum manúmque conferant:quare licèt ambo ad locum commeent duelli,niſi certent,pœnam vitare excommunicationis:nõ item vitari ab iis, qui vel locum ad pugnandũ tutum cõceſſiſſent;vel conſilium opémve tuliſſent;vel comitati eſſent;ſi pugiles animo pugnandi locum adiiſſent: ſed aliunde impediti non depugnaſſent. Ita ſine dubio cenſuræ immunem videri ſibi, qui in loco pugnæ aduerſario ſuo præſtolatus eſt.

Tertia ſequitur opinio; quæ mihi ad veritatem videtur propius accedere:quã ipſam mihi ſequendam duxi: tribúſque propoſitionibus exponendam.

7. Prima propoſitio, in qua præſentis cauſſæ ſita eſt diiudicatio. Valens, qui ſuorum comitatu,& inſtructu,certaminis locum occupauit ac tenuit, in quem Tatianus laceſſitus non deſcendit,non videtur incidiſſe in excommunicationem latam à Gregorio XIII. nam legis verba vtriuſque aduerſarij acceſſum requirunt.
Sic enim loquitur lex:Etiam ſi illi,qui ad »
locum deſtinatum pugnaturi acceſſerũt, »
impediti pugnam nõ commiſerint; ſi per »
ipſos non ſteterit, quominus illa com- »
mittatur. Viden' vt ſemper numero vta- »
tur legiſlator multitudinis? qui numerus in vnum cadere haud quaquam poteſt? Sicut enim in publico bello non dicuntur conueniſſe, vel acceſſiſſe exercitus, ſi vnus tantùm aduenit:ita in duello, quod priuatum eſt bellum, pugnaturi non dicuntur acceſſiſſe, altero dumtaxat accedente. Ad hæc legis auctor, qui duella

prohibet ac punit, ob grauia mala, quæ illa comitantur, puniri ea mala timenda non ſunt, quum pugilum alter tantùm accedit: nemo enim armis ſecum decernit.

Secunda propoſitio. Qui comites ad locum duelli euntis Valenti fuerunt, non ſunt excommunicati.

8. Tertia propoſitio. Quando ad locum certaminis ab vtroque aduerſario aditũ fuerit, certo cõſilio ineundi duelli, quod tamen aliunde impeditum eſt, non quidem ab iis, qui vel loci impunitatem dederunt; vel operã tulerunt; vel comitati ſunt; illi quidẽ inter quos eſt pugna condicta, nõ videntur ex conſtitutione Gregoriana incidere in excommunicationẽ: incidunt tamen reliqui: non incidunt qui dimicaturi erant: quia re ipſa non ſuſcipiunt actionem, propter quam excommunicantur: nam illa actio eſt ipſemet conflictus, ac dimicatio: id quod planum fit ex ipſis verbis conſtitutionis: „Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, omnes illos, „qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in „loco conuento monomachiam commiſerint, &c. oportet igitur pugnam eſſe commiſſam. Incidunt autem, qui auxiliati, aut comitati fuerint: quia hi effecerunt, quod efficere minimè debuerunt.

Quòd ſi obiicias: ergo actio acceſſoria magis punita erit, quàm principalis, propter quam animaduerti ſolet in acceſſoriam. Dici poſſet in conſtitutione Gregorij, omnes actiones ceterorũ, qui certaturi non ſunt, haberi tamquam acceſſorias, ſi ſeiungantur, aut à pugna, aut ab acceſſu amborum, inter quos eſt pugna conuenta: cenſeri verò tamquam principales, & tamquam tales puniri, cùm aut cum certantiũ conflictu, aut cum eorum acceſſu ad locum pugnæ copulatæ fuerint.

9. Placet quartã addere propoſitionem. Si opera illorum, qui vel locum attribuerint ad pugnam; vel adiutores comitéſve fuerunt, certamen inhibitum fuit, atque ob id ipſum non pugnatum, dici veriſimiliter poſſet excommunicationis eſſe immunes. Tum quia verba illa, ſi per „ipſos non ſtetit, referri poſſunt etiam ad „perſonas non principales. Tum præterea, quia quem pœnituit, innocens habetur, eique ſolet ignoſci. Tum denique, quòd benignitati Gregorij XIII. id decorum eſt. Cenſurarum enim ſententiæ, vt in- „quit Panormitanus in cap. latores, de clerico excommunicato miniſtrãte num. commentarij 7. magis dependent (verba „ſunt eius) ab intentione proferẽtis, quàm „à verbis. „

Oppones ex eodem Panormitano, in eodem commentario: quando mens fe- „rentis cenſuram, eſt anceps, duriorem fa- „ciendam eſſe interpretationem: id quod „probat ex cap. quod ſequitur in eodem titulo. & ex cap. vnico, de ſcrutin.

Reſpondeo, tunc propriè aliquid anceps & dubium eſſe, quum vtrinque paria ſunt rationum momenta. Verùm in hac parte, quæ benignior eſt, & in quam ipſi nos damus, certiora ſunt argumenta clementiæ, quàm ſeueritatis: atque ob id ipſum præferenda contrariis. Salua ſemper, &c.

Quamquam ea, quæ in propoſitione quarta dicuntur, non mihi adeo aut explorata, aut tuta ſunt; vt ſi id, de quo in illa diſſeritur, incideret, nõ conſulendam cenſerem Apoſtolicam ſedem, iúſque abſoluendi ab eadem impetrandum. Topicæ enim ſunt probationes, quibus illa ipſa quarta nititur propoſitio. At vnicuique Sacerdoti, qui ſacrarum confeſſionum arbiter eſt, pluris eſſe debet animi ſecuritas & conſcientiæ tranquillitas, quàm ratio quælibet dialectica, quum animum non ſinit eſſe terrore liberum.

QVÆSTIO XIX.

Pver decem vndecimve annorum, manus violentas & contumelioſas adfert clerico. 1.

Quæſitum & diſputatum eſt, an is incidat

cidat in excommunicationem. Sotus, in 4. ſentent. diſtinct. 12. quæſt. 1. artic. 11. verſu. Sed ſi quæras, ſcribit, ante duodecimum annum non teneri puerum Eccleſiæ legibus. & in eundem 4. diſtinct. 18. quæſt. 1. art. 3. col. extrema, iterat eamdem ſententiam his verbis. A ſeptem annis, vbi deſinit infantia, & incipit pueritia, peccare poſſunt: ſuis tamen præceptis & cenſuris non vult ante duodecimum annum, vel quattuordecimum cogere, ſed relinquit eos ſub diuino iure.

Huius autem ſuæ ſententiæ nullam adfert rationem Sotus: imò parum ſibi conſtare viſus eſt: nam paulò antè loqués de puero minore duodecim annis, hæc ſcribit: Cùm neceſſitas præcepti confeſſionis tam diuini quàm Eccleſiaſtici ex eius neceſſitate ad ſalutem oriatur; cùm primùm homo neceſſitatem ſalutis incurrit, tenetur etiam ad confeſſionem, tum ſemel in anno, tum & in articulo mortis. Hæc Sotus. Si ſemel in anno, ergo ex lege Eccleſiæ: ergo tenetur præceptis Eccleſiæ. Sotus igitur vndecim annos natum liberat omni Eccleſiaſtica cenſura & lege.

2. De qua ſententia & Doctorum auctoritas, & vis me rationum deducit. Gloſſa, in caput 2. de delictis puerorum de puero decenni loquens, de quo agitur in illa decretali: eiuſmodi puerum, qui caſu hominem occidit, irregularem eſſe ſtatuit. Irregulatis tamen (verba ſunt Gloſſæ) fuit effectus, & pœna ſpirituali debet puniri ſeu canonica. Si pœna ſpirituali & canonica, cur non cenſura quoque excommunicationis? In idem caput Panormitan. num. 4. de puero, qui doli ſit capax poſt ſeptennium diſſerens: Si violentam manum iniiciat clerico, excommunicationem ſubire eum ſcribit, à canone latam, ſi quis ſuadente diabolo: leniori nihilominus pœna affici, quia Romam non mittitur abſoluẽdus. Sed ante Panormitanum ſenſit Gloſſa in poſtremum cap. de ſententia excom. puerum ſi ſit doli capax, incidere in excommunicationem ob violentam manus iniectionem in clericum. Oſtienſis, in Summa, lib. 5. tit. de puerorum delictis, nihil diſſentiens à Gloſſa, Maior, inquit, ſeptem annorum delinquere poteſt quoad Deum, & ſpiritualiter puniri: ac de pœna ſpirituali negat eſſe dubium. Ioannes Andr. & Butrius, in Decretali de delict. puerorum non diſcrepát à dictis Gloſſæ & Oſtienſis. Nam Butrius in poſteriorem decretalem apertè ſcribit, delictum pueri, qui ſit doli capax, non remanere multum, punirique poſſe pœna ſpirituali & canonica, quamuis non pecuniaria, cùm ſui peculij nihil poſſideat. Imò Panormitanus, explanans ſecundam Decretalem de del. puerorum, probat auctoritate Bartoli, in l. 11. de receptis, non vitari pœnam ſtatuti à pueris qui ſunt rationis compotes, ſi contra ſtatutum peccent: licèt mitiore pœna multandi ſint propter infirmitatem iudicij & ætatis.

3. Certemus rationibus. Puer doli capax, ex homicidio irregularitatem contrahit, vt tradit Gloſſa, in c. 2. de del. puerorum, Oſtienſis, Ioannes Andr. Butrius & Panormitanus, in idem caput, & iterum Oſt. in Summa, loco citato, num. 5. & Gloſſa Clementinæ de homicidio: imò ipſamet Clement. cùm tantùm infantem, id eſt, vt exponit Gloſſa, puerum non doli capacem ratione ætatis irregularitatis faciat expertem, ſi hominem interficiat: & eiuſmodi puerum eſſe irregularem dicit quoque Sylueſter, in verbo, Homicidium, 3. quæſt. 1. quem ſequitur Cordubenſis, in lib. qq. ſermone Hiſpanico explicatarum, quæſt. 60. Idem puer doli capax pœnam & cenſuram patitur interdicti, ſi feratur interdictum contra vniuerſum populum, vt eſt teſtis Sylueſter, in verbo, Interdictum, 3. num. 18. ſic enim ille: Interdicto populo interdicti ſunt impuberes eius ſecũdùm Ioannem de Deo; ſi ſunt doli capaces: quia ætas illa eſt plena malitiis & mẽdaciis. de delictis puerorum idem affirmat Angelus eod. verbo, tit. 2. num. 5. & Roſella, eodem verbo, tit. 1. num.

1. num. 8. & D. Anton. part. 3. tit. 26. cap. 3. in principio. vbi ſcribit, interdictũ ferri poſſe contra cuiuſlibet ætatis homines, quæ capax pœnarum ſit: impuberem autem, in quo viget ratio, & notitia mali, pœnis obnoxium eſſe, quia delinquit, ſuprà oſtendimus. Couarruuias autem in relectione capitis, Alma mater, de ſententia excommunicationis, parte 2. §. 4. » num. 5. cenſet in pueris etiam illis locum » habere interdictum, qui poſt ſeptennium » (verba ſunt eius) & ſi non ſint doli capa» ces, percipiunt tamen, & intelligunt ali» qua ex parte, cognitionem habent diui» norum officiorum, cognoſcentes equi» dem miſſarum ſolemnia pertinere ad cul» tum diuinum, & ad Chriſtianæ religionis » profeſſionem. Quòd ſi interdicti pœnam luere poſſunt pueri infra duodecimum annum, cur non excommunicationis?

4. Atque ad hunc modum ſit prima ratio concluſa.

Secunda. Si Deus puerorum delicta flammis vlciſcitur ſempiternis, ſi facinus ea pœna dignum conſciſcant; ſuáque diuina gratia & felicitate eoſdem priuat: cur non poſſit ac debeat Eccleſia illos ipſos peccantes ſuis iuſtis legibus vlciſci, & cenſuris multare?

Tertia. De puero hác ſententiam prodidit Plato, lib. 7. de legibus. Eſt autem » puer omni beſtia intractabilior. Nã cùm » prudentiæ fontem nondum perfectum » habeat, inſidioſiſſimus eſt, acerrimúſque » & petulantiſſimus omnium beſtiarum: » ideo multis quaſi frenis coercendus eſt. &, quibus legibus regendus ſit, aperit. at excommunicationis frenus, quo à ciuili conuictu abſtrahitur & ſociorum æqualiúmque conſuetudine abducitur, nonminùs vtilis eſt puero doli capaci, quàm ei qui iam conſtituta & corroborata eſt ætate: ergo huius cenſuræ frenum huic item ætati inijci decet.

Quarta. Si Eccleſia, vt inquit Sotus, pueros vſque ad duodecimum annum iuri diuino permitteret legibus Eccleſiaſticis ſolutos, educationi diſciplinæque puerorum peſſimè conſultum eſſet: nam populi Chriſtiani ſalutares mores, iuſſaque Eccleſiæ contemnere diſcerent: ſuis inſanis cupiditatibus effrenatiſque appetitionibus vitam agitarent: æternæ ſalutis inſtrumenta neceſſaria, qualia ſunt contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis, partim ignorarent partim aſpernarentur.

Quinta. Generales quaſdam leges, & 5. communia præcepta dedit Chriſtus Eccleſiæ, quibus cuncti fideles deuincirentur, vt confitendi, vt Euchariſtiæ ſumendæ, vt diuino cultui vacandi nonnullis diebus, ſeruili opere intermiſſo: quorum præceptorum obſeruatio cùm ſit neceſſaria & omiſſio exitioſa, tempora, quibus obtemperandum ſit eiuſmodi legibus, voluit Deus, vt ab eadẽ Eccleſia cognoſceremus: ergo cùm ea tempora deſignat Eccleſia, ei præcipienti etiam pueri rationis compotes morem gerere debent: ceteroqui ſuo magno malo iura diuina vel ignorarent, vel violarent.

Sexta. Cuncti fideles, ſiue infantes, ſiue pueri, ſiue adulti, magis ſunt in poteſtate Eccleſiæ quàm ſuorum parentum: nam de parentum poteſtate multis modis exeũt, adoptione, adrogatione, emancipatione, crimine hæreſeos à parentibus contracto: at verò in Eccleſiæ poteſtate ſemper remanent. Si ergo pater ſuo filio ad rationis annos progreſſo & leges, & pœnas imponere ſolet, cur non id faciet parens omnium fidelium Eccleſia? Confirmat hęc ipſa ratio. Omnes illi, vt ſcribit D. Thom. in 1. 2. quæſt. 96. artic. 5. qui ſubduntur poteſtati, ſubdũtur legi, quam fert poteſtas: ſed omnes Chriſtiani, qui peccare poſſunt, ſubduntur Eccleſiæ: ergo illius etiam legibus ſubijciuntur. Infantes quoque ad poteſtatem pertinent Eccleſiæ: ſed non perinde, vt ij, qui delinquere poſſunt, ſed vt ij, qui quodam alio prouidentiæ genere curari ac ſuſcipi debent.

Septima. Lex, inquit Diuus Thomas, in illa ipſa quæſt. & art. de ſui ratione duo » habet, primò quidem quòd eſt regula » humano

» humanorum actuum. Secundò, quòd » coactiuam vim habet. Sed puerorum actiones cùm errationum prauorúmque conſiliorum plenæ ſint, & metu pœnæ informari & corrigi debeant, magis legibus egent, quàm actiones virorum: ergo Eccleſia ſuis legibus illas moderari debet, & pœnarum formidine emendare.

6. Octaua. Habet ſine dubio Eccleſia in pueros, octo, nouem, decémve annorum, legitimam iuriſdictionem diuinitus conceſſam: ergo illos peccantes punire debet, ſuíſque pœnis afficere: pœnæ ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ: ergo illas eiſdem pueris infligit. Cur igitur non poſſint ex- » communicatione irretiri? Nec enim iuriſ- » dictio ſine coercitione conſiſtit. ff. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio. l. poſtrema, & cap. paſtoralis, de officio iudicis delegati.

Nona. Præceptum annuæ confeſſionis, ex omnium ſententia Theologorum, vt ſcribit Victoria, in libello, de Sacramentis, quæſito 139. omnes obligat, quũ vti ratione cœperint ad mortiferam culpam confitendam, & ita certa fide tenendum eſſe ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 8. ſed qui contemnunt Concilij Lateranenſis ſanctionem de annua confeſſione, ingreſſu Eccleſiæ viui, & mortui ſepultura Eccleſiaſtica carere debent, quare vt has pœnas pueri iuſſum concilij contemnentes, experiri debent: ſic excommunicationis pœnam iidem ſentire poſſunt, ac debent; cùm eam pœnam eorum exiget delictum.

Decima ratio. Concilium Tridẽtinum ſeſſ. 25. cap. 5. monialium monaſteria ingredientibus, cuiuſcumque generis, ſexus, & ætatis fuerint, excommunicationem latæ ſententiæ infligit: ergo pueris etiam nouem & decem annorum, ſi culpa in eos mortifera cadere poterit. Ac nimirum ſi abſque cenſura excommunicationis pateret in monaſteria ſacrarum Virginum introitus, & domicilia monialium pueris & regularium virorum puellis referta eſſent; innumerabilibúſque obſcœnitatibus inquinarẽtur. Quod autem Cordubenſis opinatus eſt, in illa ſua q. 60. effugere excommunicationem eum, qui intra monaſterij ſepta immitteret puerum, non doli capacem, nec verum eſt, nec defendi poteſt: nam & Cardinalis ſanctæ Seuerinæ, dum ſummi pœnitentiarij munere fungeretur, literis, quas ego legi, ad Neapoleonem fratrem patruelem meum Peruſiæ Epiſcopum reſcriptum eſt, excommunicationis reſeruatæ Romano Pontifici laqueum non vitare eas moniales, quæ trimos, quadrimóſve pueros, ſeu puellas intra monaſterij ſepta recipiunt: palámque in conuentu Parochorum coram Archiepiſcopo Bononiæ, Alfonſo Paleotto, me audiente, dictum eſt, non ſecus à Romano Pontifice ea de re fuiſſe reſponſum. de quo à nobis quoque propria quæſtio inſtituetur: antequam hic liber de cenſuris abſoluatur.

QVÆSTIO XX.

Tatius, pugnis & calcibus contudit 1. Florentium clericum, quattuor tantùm ordinibus initiatum, habitu quidem, ſeu amictu, qui decet clericum, nec non tonſura inſignitum: verùm nullius Eccleſiæ obſequio, Epiſcopi mandato addictum, neque in vlla ſchola Academiáve Epiſcopi conceſſu verſantem, quo illi ad maiores ordines ſit tutior aſcenſus.

In quæſtionem ſæpe adduxere nonnulli, ſit néc ne Tatius vinculo excommunicationis adſtrictus, quod canon, ſi quis ſuadente diabolo, & alij non pauci, iniiciunt ei qui vim manu infert clerico. Cauſſam dubitandi, verba adferũt Concilij Tridentini, ſeſſ. 23. cap. 6. vbi à clerico primæ tonſuræ, minorúmve ordinum, ſi caret beneficio Eccleſiaſtico præter tonſuram & habitum, alia quædam exigit, quæ ſi non præſtat, fori eum ſpoliat priuilegio: & quia ſentiunt Doctores fori priuilegium difficiliùs amitti, quàm canonis,

nonis, probabiliter quiſpiam exiſtimare poſſet perempto priuilegio fori, nec canonis priuilegium einſmodi clero manere.

In qua dubitatione fateor me diu hæſiſſe, nec conſulentibus certam meam ſententiam aperuiſſe priùs, quàm ad Antonium Caraffam Cardinalem litteras darem; quibus ab eo petebam, vt controuerſiæ diiudicationem certo reſponſo, ac iudicio ſacræ Congregationis, me edoceret. quod ipſum humaniſſimè præſtitit.

2\. De tribus autem controuerſiis congregationis ſacræ iudicium eſſe optabam. Prima fuit; An ij clerici, qui Tridentinæ Synodi decreto priuilegio fori priuātur; priuati eo ſint, licèt non fuerint antea ſui officij commónefacti. Secunda. Vtrùm adempto priuilegio fori, eodem tempore ademptum ſit eiſdem priuilegium canonis, ſi quis ſuadente, 17. quæſt. 4. Tertia. Cùm permulta alia priuilegia data ſint clericis, à priuilegio fori & canonis ſepoſita, num illa retineant: quamuis non vſquequaque pateant decreto Concilij Tridentini, quod extat in illo 6. cap. ſeſſionis 23.

3\. Primæ quæſtioni reſponderunt Patres ampliſſimi, clericum minoribus ordinibus præditum, niſi beneficium obtineat Eccleſiaſticum, ſine habitu, & tonſura incedentem, omni prætermiſſa admonitione priuilegio fori exui. De ſecunda reſcripſerunt, quamuis iſtis clericis, de quibus agitur, pereat priuilegium fori, non propterea iiſdem interiiſſe priuilegium canonis Innocentij II. ſi quis ſuadente diabolo. De tertia iudicarunt, alia item priuilegia, canonis excepto, hiſce clericis conſeruata eſſe, quę permulta ſunt: eáque ipſi in primo noſtro libello de Parochorum officiis, copioſè perſecuti ſumus. Libuit hîc totam Cardinalis epiſtolam, qua meæ reſpondit, adſcribere: quamuis ea ſit conſcripta Italicè. nec enim dubito ab iis, qui Italicè ſciunt, me gratiam initurum, ſi incorruptæ fidei, optimum Cardinalem, litteris ſuis loquentem audierint.

Molto Reuerendo Patre.

SONO ſtati altre volte conſiderati, & riſoluti nella Congregatione del Concilio i dubi, che mi ſcriue la R. V. Quanto al primo è ſtato deciſo, che chi non ha beneficio, & non camina con habito, & tonſura, ſenza altra monitione, viene eſcluſo del priuilegio del foro. Quanto al ſecondo, la Congregatione hà ſentito, che i chierici, che mancando nelle coſe contenute nel cap. 6. ſeſſ. 23. non godono il priuilegio del foro, non per queſto ſi intendono priuati del priuilegio del can. ſi quis ſuadente diabolo. Da queſta ne ſeque la riſolutione al terzo queſito. Perche non togliendo il Concilio ſe non il priuilegio del foro, tuti queli altri priuilegij, che competono à chierici, rimangono nella diſpoſitione della ragione commune. con che imaginandomi d' hauer ſodiſfatto alle ſue dimande, & non dicendole altro del Caſo matrimoniale, che mi propone, del quale aſpetto d' eſſere informato, mi riccomando alle ſue ſante orationi, & le prego da Dio ogni bene. Di Roma, id di 22. d' Agoſto 1581.

D. V. R.

Come fratello amoreuoliſſimo.

Antonio Card. Carafa.

Ex his planè perſpicui poteſt, Tatium pœnam excommunicationis Romano Pontifici reſeruatæ incurriſſe.

QVÆ

QVÆSTIO XXI.

1. IN bulla Cœnæ Domini eſt canon 19. editus ad retinendam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in cauſſis criminalibus, & capitalibus: eſt autem his verbis perſcriptus. Item excommunicamus & anathematizamus omnes, & quoſcumque magiſtratus & iudices, notarios, ſcribas, executores, ſubexecutores, quomodolibet ſe interponentes in cauſſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica & expreſſa huius ſanctæ ſedis Apoſtolicæ licentia.

Genera perſonarũ, quas punit canon, aperta ſunt. Actiones principales omnes quinque, proceſſare, bannire, capere, ſententias proferre, exequi.

Capitalis cauſſa ea eſt, in qua agitur de diminutione capitis, id eſt, de morte, de mutilatione, deportatione, exilio, atque etiam infamia, vt placet Iaſoni, in l. transigere. C. de tranſact. Illud item puto eſſe extra controuerſiam non pertinere cenſuram hanc ad iudices Eccleſiaſticos, qui iuriſdictionem obtinent in ſuos clericos: neque ad laicos, quum ea vtuntur in clericos ſolemni ritu degradatos, aut in eoſdem poſtquam ad vitam exulum, aut prædonum demigrarunt, ſúntque in numero proſcriptorum, vt inquit Syluester, in verbo, Aſſaſſinus, quæſt. 4. ſeu num. 3.

2. Nonnullus recens auctor, qui non ineruditis commentariis euoluit canones bullæ Cœnæ Domini, putauit huius 19. canonis beneficio priuatos eſſe clericos prima tonſura decoratos, ſi non ſeruant ea quę Concilium Tridentinum præſcribit, ſeſſ. 23. cap. 6. qua de re conſulenda foret ſedes Apoſtolica: namque Concilium Tridentinum probabile eſt eius generis clericos non foro criminali, ſed ciuili ſubieciſſe. Sanè ex ſacræ Congregationis interpretatione, quæ in proximam ſuperiorem quæſtionem conięcta eſt, intellectum eſt, iſtos clericos priuilegio canonis potiri: quare qui capitali iudicio eos perſequeretur, laicáque auctoritate comprehenderet, comprehendíque iuberet, in excommunicationem canonis, ſi quis, ſuadente diabolo, ampliſſimorum Cardinalium iudicio incurreret, atque huius 19. canonis cenſuram minimè effugeret.

Sed nimirum illud perquam dignam quæſtionem habet. An Prælati, cæterique iudices ordinarij, qui iuriſdictionem habent Eccleſiaſticam, poſſint eam mandare laicis in cauſſa capitali clericorum ſuorum; ita vt laicus, qui delatam aut ab Epiſcopo, aut à Patriarcha accepit iuriſdictionem, eámque exercet aduerſus clericum, non teneatur pœna huius canonis. 3.
In hac dubitatione multos ab hinc annos ipſe hærere vidi virum vſu rerum præſtantem, & bene doctum. Hunc enim laicum, qui operá nauat in eo genere cauſſæ Archiepiſcopi ſeu Patriarchæ, non videtur contra canonem hunc committere has ob cauſſas. Primùm, quia ordinarius iudex poteſt iuriſdictionem ſuam alteri delegare. Reſpondeo, non cuilibet contra clericum, ſed cui iura decernunt: quapropter nullus igitur laico poſſit delegari iuriſdictio ab Epiſcopo, ſeu Prælato in cauſſa pecuniaria, in criminali tamen non poteſt, vt indicat Gloſſa in cap. 2. de iudiciis.

Secundum argumentum illud eſſe poteſt. Quòd cauſſa huius canonis condẽdi fuit, ne Eccleſiaſtica iuriſdictio violetur, aut perturbetur à laicis: at non violatur, nec perturbatur, quum profanus iudex non ſua ſponte irruit in cauſſam clericorum, ſed ab eorũ iudice legitimo ordinario vocatus & delectus. Reſpondeo, iuriſdictionem in clericorum ordinem vniuerſum eſſe maximè propriam Romani Pontificis, atque ab eo in hunc illúmve Prælatũ deriuari: nec ſecus exerceri illam poſſe, atque ipſe Roman. Pontifex conſtituerit: & quia is ad Pontificiæ iuriſdictionis tuendam maieſtatem, nec-

non ad clericalis ordinis dignitatem retinendam plurimùm valere exiſtimauit, ſi crimina clericorum nec cognoſcantur, nec iudicentur à laicis, idcirco interdixit, ne abſque eius conceſſu quis laicus capitalem cauſſam attingat clericorum.

Denique opponi poſſet pro laico, quòd quum is aſſumitur à Prælato: non ſeipſe interponit, ſed ab alio interponitur. Verùm neque id iuſtã excuſationis veniam dat laico: quoniam modos omnes interpoſitionis damnat Pontifex, cùm dicit quomodolibet ſe interponentes: nec fieri poteſt: vt, cùm quis voluntate alteri pareat, & nemo cogi poſſit ad iudicandam Eccleſiaſticam perſonam, quin voluntarius obtemperet, ſeque ipſe interponat. Quamquam non ſatis eſt ad pœnã committendam ſe interpoſuiſſe, niſi aliqua è principalibus actionibus ſequatur. Itaque, cùm ipſe cum viro illo egregio diſputarem, affirmaui, vno excepto Romano Pontifice, à nemine alio Prælato ſeu præſide Eccleſiaſtico, laicum iudicem conſtitui poſſe in capitali, criminalive cauſſa contra clericum: id enim planum
» faciunt verba illa ſine ſpeciali, ſpecifica,
» & expreſſa licentia huius ſanctæ ſedis
» Apoſtolicæ.

4. Huius veritatem ſententiæ Gregorij XIII. Pontificis Max. iudicium comprobauit. Quo enim tempore ego Laureti commorabar; illiúſque ſacroſanctæ ædis canonicis, ac noſtris Sacerdotibus, Chriſtiani officij tractationem explicabã, duo quidam clerici rei capitalis accuſati ſunt. Prætor oppidi, & auguſti illius fani præſul erat Robertus Saxatellus, religioſiſſimi autem ſacelli tutor, cunctique populi & cleri Lauretani patronus Iulius Cardinalis Vrbinas: qui in illos clericos quæſitorem ac iudicem profanum ſumpſit hominem, in rerum capitalium iudiciis exercitatum. Hic ſontium clericorum cauſſa iudicata, atque damnata, abiit.

De hoc toto genere certior factus Gregorius XIII. reſcripſit ad Saxatellum, quidquid iudex ille in cauſſa clericorum egiſſet, irritum eſſe, ac pro infecto habendum; pro ſuæ Pontificiæ poteſtatis apice pro rato haberi poſſe, quod irritum eſſet, ſed nolle. Ita de integro iuſſit cauſſam clericorum tractari, vniuerſámque ad Saxatelli cognitionem poteſtatémque reiecit. qui Saxatellus & ſacerdotio ornatus, & prætoria auctoritate Laureti pollebat. Prætoriſque munere in Lauretano clero, & populo regendo egregiè ſanctéq; perfunctus, Piſauri poſtea Epiſcopus eſt ab eodem Gregorio creatus. Cuius Pontificis litteras ad Saxatellum de clericorum cauſſa diligenter ſcriptas ego inſpexi.

QVÆSTIO XXII.

Solent ſæpenumero moniales, puerũ, puellámve infantem, aut lac ſugentem, intra monaſterij ſepta recipere: excommunicatæ necne ſint, quæſtio eſt: Quæ mihi crebrò propoſita fuit, ſempérque viſa eſt anceps. 1.

In eam tamen partem ſemper propendi; vt excommunicationis pœnam ſubirẽt moniales, niſi iis iuſtæ aliqua inſcientiæ excuſatio ſuffragaretur. Primùm, quia Romani Pontif. concilium, vnde ſanctio illa manauit de introitu, & de intromiſſione virorum, ſeu mulierum, in monialium ſacra domicilia, ea fuit; vt omnis materia prolapſionis religioſis viris ac mulieribus, quæ ſe à profanæ multitudinis conuictu ſegregarunt, ſubtraheretur; è quo conuictu & conſuetudine muris oſtiiſque concluſa ea flagitia excitantur, quæ aut à ſacris viris cum mulieribus, aut à ſacris mulieribus cum viris concipi ſolent. At hæc materia non tolleretur, ſi infantes puellas in Monachorum, & infantes pueros in Monialium ædes fas eſſet introferre. Cum illa enim ætatula, ſermonis ac vitij ignara, peccatur impuniùs. Neque enim vim ſcelerum, quam patitur, aut repellere, aut viribus vlciſci, aut voce prodere, aut iudicio perſequi poteſt.

reſt. Et quoniam à voluntate excommunicantis vires ſumit excommunicatio, vt Doctores affirmant, idcirco perquam probabile eſt, moniales, de quibus eſt quæſtio, nexu excommunicationis in Gregor. XIII. conſtitutione, Romano Pont. reſeruatæ, vinciri.

2. Deinde, quia ſi horum infantium intromiſſio permiſſa eſſet, tempus ſeruandæ legis, ſubeundæque pœnæ, incertum eſſet, ac varium: & vnuſquiſque ſuo illud fingeret arbitrio. Hic enim negabit infantibus poſt duos completos annos patere in ſacra Virginum domicilia aditum, & moniales, quæ eos intra ædes recipiunt, excommunicatione affici. Alius largietur monialibus, vt ducant intrò etiam trium & quattuor annorum pueros, ac puellas; quinque & ſex annorum ætatem excludet. Quiſpiam cum hac etiam ætate comiter aget, arcebit puerum, puellámve ſeptennem. Nonnullus affirmabit rationis compotes dumtaxat prohiberi, & admitti non poſſe. Alij id ipſum negabunt, ideo quòd punctum illud, quo lux rationis atque conſilij oboritur puellis & pueris, ſcientia aliqua teneri non poſſit. Deinde, quia ſequeretur, ſi quis infans duorum annorum intra monaſterij ſepta receptus eſſet; atque in iis vſque ad decimum, aut etiam quartumdecimum annum commoraretur, neque illum in commorando, neque moniales in eo retinendo Gregorianæ conſtitutionis pœna implicari: quoniam nec commorari, nec retineri in aliquo loco, eſt in eum ipſum ingredi, ſeu intromitti. At quis tantæ abſurditati aſſentiatur?

3. Denique non ſecus hac de re ſentire, ac nos ſentimus, eſt cuiquam nunc integrum. Nam à Napoleone Comitolo, fratre meo patruele, Peruſiæ Epiſcopo, de hac ipſa controuerſia conſultus illuſtriſſimus Cardinalis ſanctæ Seuerinæ ſummus pœnitentiarius & inquiſitor, reſpondit, quæ huius ætatis, de qua eſt initio poſita quæſtio, infantes intra ſuorum monaſteriorum ſepta recipiunt, excommunicationem eas nequaquam vitare; litteráſque Cardinalis Peruſiæ ego vidi, & legi, atque in conuentu Parochorum ciuitatis Bononienſis Archiepiſcopo palam dictum eſt idem eſſe à Clemente VIII. reſponſum.

Nonnulli crediderunt, monialibus obſtare Concilij Tridentini decretum ſeſſ. 25. de regular. cap. 5. vbi cuiuſuis ſexus & ætatis excommunicantur, qui ſine legitima cauſſa ab Epiſcopo approbanda, in monaſteria ſacrarum Virginum ingrediuntur. Verùm nec decretum illud moniales, quæ præbent ingreſſum, tangit: neque quamlibet ætatem punit, ſed quæ legi parere cogatur, & pœnam legis ſuſtinere: cujus ætatis non ſunt duorum, trium, quattuórve, atque adeo quinque annorum pueri, ſeu puellæ. Neque amentes, ſi ingrederentur, eſſent excommunicati, neque qui vi, aut vinclis constricti intro abriperentur: at moniales, quæ hæc hominum genera ſponte intromitterent, quis non diceret excommunicatione irretiri?

QVÆSTIO XXIII.

EVlogius Archipreſbyter ruris, Bebio Parocho præcipit, ne ad ſuæ Eccleſiæ celebranda diuina officia ventitet: ruſticíſque edicit, ne illum ipſum ad funeris exequias, aliáve diuini cultus iuſta ſoluenda inuitent.

Bebius ferens perquam dolenter ea remulta ſibi perire lucella & mercedes, quę tum in Archipreſbyteri Eccleſia, tum alibi Eccleſiaſtica officia celebrantibus Parochiis diſtribuuntur, iracundia in Eulogium Archipreſbyterum ſuum vehementer exarſit; ſcriptíſque ad eum minacibus litteris, vetuit ad ſuæ parœciæ fines accedere, atque ab ſuis parœcis, ſeu colonis decumas frumenti ac vini exigere: ac ne eas Eulogio, vt antea ſoliti erant, darent, ruſticis ſuadebat. Verùm

Eulogius nihil impudentia Bebiani vetiti deterritus, in agros proficiſcitur, qui in Bebij parœcia ſiti erant: ſuáſque ratas decumas colonos poſcit: quas nec obnitente Bebio; nec ruſticis reclamantibus, percipit.

2. Hæc in cauſſa. Bebius conſcientiæ ſcelere agitatus, ſcire cupit, inciderit necne in excommunicationem ob hanc iniuriam ſuo Archipreſbytero factam: quam excommunicationem, qui eiuſmodi facinus audent, iis irrogare videtur Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 11. & ſeſſ. 25. cap. 12. de reformatione.

Petenti Bebio hac diſtinctione ſatisfieri poſſe arbitratus ſum. Aut eius litteræ effecerunt, vt quo tempore Eulogio debebantur decumæ, conſequi eas nequiuerit; aut hoc non effecerunt: ſi effecerunt; Bebius in excommunicationis laqueum ſe ſe induit; quo à Romano ſolùm Pontifice poterit expediri, ſic Tridentino Concilio decernente, ſeſſ. 22. cap. 11. ſi id Bebij litteræ non effecerunt ſnon eum puto excommunicatum, nec vllam latæ ſententiæ cenſuram à Tridentinæ Synodi decretis irrogatam Bebio eſſe. Quamuis enim ſeſſ. 22. cap. 11. excommunicationis telo feriat eos, qui alicuius Eccleſiæ, vel cuiuſvis beneficij ſecularis vel regularis, montium pietatis, aliorúmque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in miniſtrorum & pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe, vel per alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios vſus conuertere, illóſque vſurpare præſumpſerit; ſeu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur: quamuis, inquam, in hos animaduertat Concilium: nihilominus ex formula etiam animaduerſionis intelligi poteſt, Bebium animaduerſione minimè contineri: nam eum, qui delinquit, his verbis coercent patres Tridentini. Is anathemati tamdiu ſubiaceat, donec iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, Eccleſiæ, eiúſque adminiſtratori, ſeu beneficiato, integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit.

Huius cenſuræ prohibitæ actiones ſunt, occupare, in ſuos vſus conuertere, impedire ne percipiantur fructus, ſeu emolumenta, ab eo ad quem pertinent. At Bebius fructus qui ſpectabant ad Eulogium, non occupauit, nec vſurpauit, nec in ſuos vſus conuertit; nec impediuit, quominus ab eo perciperentur: ergo non tenetur pœna excommunicationis huius decreti: neque ea pœna, qua ſancitur decretum ſeſſionis 25. cap. 12. quod eſt de decimis perſoluendis: nam cùm pœnam addit his verbis: Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, non obſcurè declarauit, pœnam eſſe excommunicationis non latæ, ſed ferendæ: id quod cuique explotatum eſſe poterit ex ea, quæ ſequitur quæſtione.

Quibus notis & documentis internoſci poßit excommunicatio lata ſententia ab ea, quæ eſt ferenda.

QVÆSTIO XXIV.

IN noſtris libris de Eccleſiaſticis cenſuris diligenter huius rei, de qua acturi ſumus, eſt à nobis explicata tractatio: illinc huc, quæ maiorem pollicentur vtilitatem, contrahemus. 1.

Sit ergo hoc primum documentum.

Si conſtitutio ſeu lex, aut decretum, interdictúmve iudicis, poſt excommunicatio

nicationis pronunciatam ſententiam adiungat: Eo ipſo, ipſo iure, ipſo facto, auctoritate noſtra, auctoritate huius conſtitutionis, canonis vel decreti, nulla alia exſpectata ſententia ſeu declaratione, ſine miniſterio iudicis aut hominis, quum de cenſura excommunicationis agitur, continet latam ſententiam: imò verò, quum aliæ irrogantur cenſuræ, idem eſt iudiciũ faciendum. Regula recipitur ab omnibus in genere cenſurarum.

Alphonſus autem à Caſtro, in 2.l. de lege pœn.c.*6*.& alij nonnulli valere contendunt eamdem regulam in aliis pœnis: id quod inficiatur Caietanus, in 2.2.q.*62*. art.3.& Sotus, in 1.de iuſt.& iur.q.*6*.ar.*6*. & Couarr.in 1.volum. ſuarum relectionum, in 4.Decretal.par.2.c.*6*.nu.10. vbi diſputat aduerſus Caſtrum, quem à communi opinione diſſentire probat: ſuámque confirmat auctoritate Caietani, & Soti locis citatis, & Adriani quodlib.*6*. art.1. illat.3. nam permagnum diſcrimen volunt hi Doctores conſtitutum eſſe in ſubeundis pœnis ſpiritualibus ac temporalibus: quæ diſcrimina nos in iis libris ſedulò perſecuti ſumus.

2. Secundum documentum. Sententia excommunicationis eſt latæ ſententiæ, quando ſeu conſtitutio, ſeu auctor ſententiæ vſurpat quaſdam dictiones, quæ temporis omne interuallum excludunt: vt ſunt hæ, *ſubitò, ſtatim, confeſtim, continuò, in continenti, è veſtigio, repente, ſine mora, incunctanter, indilatè, immediatè.* Id quod diligenter probat Caſtrus, in 2.lib. de poteſtate, leg.pœn.cap.7.§.6. in quo adiutum ſe eſſe confirmat ſtudio Iuriſconſultorum: quare citatis legibus & canonibus cuncta confirmat. Sed dubitationem habet aduerbium, *mox*, exprimátne latam ſententiam, an ſignificet ferendam. Caſtr. loco cit. ſecutus Simonem neſcio quem, ait indicare ſententiam ferendam: propterea quòd non abiicit omne tempus: atque in id ſumit Eraſmi teſtimoniũ in annotationibus in Matthæum, egregium verò teſtem & adiutorem quæſiuit ſuæ opinionis Caſtrus: quem refellit in hac parte magnorum Doctorum auctoritas.

Felinus, in cap. Rodulphus, de reſcriptis, num.33. affirmat aduerbium, *mox*, latam ſignificare ſententiã: eiuſdem ſententiæ comitem citat Baldum, in l. iubemus, 2. §. ſanè, C. de ſacroſanctis Eccleſiis. Andreas Tiraquellus doctiſſimus Iuriſconſultus, in commentario legis, ſi vmquam, C.de reuocan.donat. plurimos numerat eiuſdem opinionis auctores: & addit præter Simonem illum, quem ſecutus eſt Caſtrus, nullum ſe reperiſſe, qui non idem ſentiret, communíque opinioni faueret. Concludítque Tiraquellus licèt pro ſubiecta materia varia notio ſit huius aduerbij, tamen hác eius vim propriam eſſe, vt accipiatur pro *confeſtim, & ſine interuallo:* probat ex Gloſſa in c. quia propter, de electione, & ex Bartolo, & Saliceto, in l.1.ff.ſi certum petatur. Eódem accedit ratio.

His aduerbiis, *ſtatim, confeſtim, mox*, ex quotidiani ſermonis conſuetudine non excluditur omne tẽpus, ſed tempus tantùm ſignificatur breuiſſimum. Ita dicimus, *ſtatim adero, confeſtim adero, mox adero*: ergo, ſi priora aduerbia cõtinent ſententiam latam, tertium quoque continebit. 3.

Probatur hoc ipſum argumento à minori ad maius: nullum aduerbium temporis minùs redolet tempus diuiſibile, quàm ipſum *nunc*, quod non eſt tempus, ſed terminus temporis præteriti & futuri: & nihilominus ſumitur ſæpe pro tempore, quòd proximum eſt inſtanti, atque præſenti, vt Ariſtotel. docet in 4.Phyſic. tex.121. quare dicimus, *nunc venit, nunc veniet*: maneat ergo, *mox*, inter ea eſſe aduerbia, non quæ tempus omne perimunt, ſed quæ cunctationem morámque abrumpunt.

Hoc autem loco illud mihi neceſſariò admonendum videtur, ſuperiores particulas dupliciter inſeri poſſe in legẽ, pœnam excommunicationis alteriúſve cenſuræ irrogantem: vel ita, vt ſolam cuncta- 4.

rionem ſubeundæ pœnæ præcidat; nec nouæ ſententiæ locum relinquat, vt cùm dicit, *ſtatim*, vel, *mox nouerit ſe incurſurum vel ſubiturum*: vel ita tollit tarditatem, & moram irrogãdæ pœnæ, vt relinquat locum nouæ ſententiæ, imò verò, vt præcipiat nouam ſententiam, cui ſtatim comitetur pœna; vt cùm dicitur *ſtatim*, vel, *mox erit excommunicandus: nouerit ſe ſtatim excommunicandum eſſe*: quo genere loquendi præcipitur ſententiæ celeritas in reum ferendæ: priori modo conſtitutio, ſeu decretum, continet ſententiam latam: altero verò modo ſententiam ferendam: & hoc memoriæ eſt diligenter mandandum.

5. Tertium documentum in Tractatione excommunicationis ſanctio, ſeu decretum, ſeu iuſſam pœnam infligens excommunicationis, intelligitur habere latam ſententiam, quum verbis vtitur, quæ nullam functionem, munúſve iudicis, hominíſve declarant ad pœnam luendam: nec refert huiuſmodi verba, quo tempore, quóve caſu efferantur: niſi, ſi quid adderetur, quod interpretationem ad ſententiam ferendã deflecteret. Nimirum verbum, *ſum*, quod verbum eſt exiſtentiæ, hanc habet poteſtatem, vt quocumque modo, vel tempore efferatur, nullam actionem paſſionémve ſignificet: ſed rei tantùm exiſtentiam. Quapropter, cùm legiſlator vel iudex dicit, *ſit vel erit excommunicatus*, de lata ſententiæ excommunicatione dubitandum non erit. Hoc intellige quando verbo ſubſtantiuo non additur aliquod participium, quo ſignificatur res facienda, non facta: vt cùm dicitur, *eſt excommunicandus: erit excommunicandus*. Nam vera eſt ſententia Nigidij doctiſſimi & vetuſtiſſimi grammatici, apud Gellium, lib. 17. cap. 7. eſt, & erit, quando per ſe ponũtur, retinere tempus ſuum: cum verbo, quibus participiis aut præteriti aut futuri temporis iunguntur, vim ſuam amittere: & in aliud tempus concedere: nam ſi *eſt*, quod eſt temporis præſentis, addas *excommunicandus*, verbũ præſens detruditur in futurum, & traducitur lex ad ſententiam ferendam.

Eamdem vim reſidere in verbo *ſubiaceo*, viſum eſt: quoniam nihil indicat, quod per alium exerceri debeat.

Et quamuis verbum hoc in futuro tempore enuncietur, conſeruabit nihilominus ſententiam latam, contra quam nonnulli iuriſperiti opinati ſunt. Probat quod nos dicimus Alphonſus à Caſtro, in 2. lib. de leg. pœn. cap. 7. §. 7. ex can. ſi quis ſuadente diabolo. 17. q. 4. vbi Pontifex infligens pœnam excõmunicationis ei, qui violentam manum iniicit in clericum, vſurpat verbum, *ſubiaceat*: canonem autem illum continere ſententiam latam excommunicationis nemini eſt dubium, qui contulerit eum canonem cum his aliis, cum cap. quod tranſlationem, de officio legati, & cap. vlt. de officio iud. ordinarij, & cap. non dubium, & c. in audientia, & c. relatum, de ſentent. excommun. in quibus omnibus capitibus oſtenditur, canonẽ, ſi quis ſuadente, eſſe latæ ſententiæ: quod ipſum omnium Doctorum eſt conſenſu firmatum. Verbum *ſubdo, ſubdimus, ſubdatur*, eamdem prorſus vim habet, quam verbum, *ſubijcio*: quamquam Oſtienſi & Ioanni Andreæ, ſecus ſit viſum, in cap. præterea de iure patronatus: quibus eo loco contradicit Alphonſus à Caſtro. Eamdem naturam tuentur hæc verba, incurrat, incidat, ſubeat, ſuſtineat. 6.

Quartum documẽtum. Verbum præſens indicatiui modi, vel etiam præteritum pœnã infligens ſecum trahit ſententiam latam, non ferendam: nam ſi legiſlator, inquit, *excommunicamus*, iam ipſe infligit pœnam: ſi dicit, *excommunicatus eſt*, iam inflixit. Hanc regulam fermè omnes iuriſperitorum ſcholæ amplectuntur, vt loco proximè citato teſtatur Alphonſus. §. 8. De participio præteriti temporis, Felinus in caput, Rodulfus, de reſcriptis, num. 30. ſentit, cùm iungitur futuro, alienari à natura ſua, & verti in naturam futuri. Ita hæc omnia genera loquendi, *nouerit ſe ſuſpenſum: nouerit ſe excommunicatum*: ait ſententiam ferendam, 7.

non

non latam continere. Verùm à ſeipſo diſſentit, & à Gloſſa, & ratione, vt rectè probat Alphonſus in eod. cap. & §. in extremo enim illius num. 30. ſcribit his verbis Felinus. *Noueris te anathemate percuſſum, eſt lata ſententia*, quod confirmat auctoritate Gloſſæ penult. in cap. quoniam, de officio ordinarij, & doctorum in illud caput: idipſum contra Felinum docet Gloſſa, in cap. poſtremo de hæreticis, in cap. 2. de ſolutionibus, & in c. ſi quis, de ſimonia.

Quare in eiuſmodi legis ſentētiis ſpectandum potiùs eſt participium, quàm futurum: nam participium conuertit in ſuam naturam vim futuri temporis: ſicut participium præteritum additum præſentis temporis verbo, illud ducit ad preteritū: vt cùm dicimus, locupletatus eſt. Atque, vt id planiùs intelligatur, addo; ſi participia hæc cum verbis futuri temporis ſignificant perfectam rem eſſe quæ lege ſtatuitur, vt erit excommunicatus, ſuſpenſus, conficient ſententiam latam: ſi verò ſignificant rem, quæ ſtatuitur, eſſe faciendam, vt *excommunicandus erit, vel eſt*, continent ſententiam ferendam.

8. Quintum documentum. Cùm lex, ſeu conſtitutio vtitur verbis indicatiui modi, quibus vti ſolet iudex, cùm ſententiam pronunciat in reum, vt cùm dicit, *excommunico, interdico, ſuſpendo*, ſine dubio ſententia eſt lata, vt probat idem Caſtrus, in 2. de leg. pœn. cap. 6. §. 4.

9. Sextum documentū. Verba, quæ non tam actum condemnationis ſignificant, quàm actum declarationis, vt *declaramus, decernimus, definimus, cenſemus, indicamus, credimus*, & alia eiuſmodi, tunc latam ſententiam oſtendunt. Legalem probationem huius regulæ diſce à Caſtro, in eo §. qui illud etiam perſcienter ſcripſit in l. 2. de poteſt. leg. pœn. c. 7. extremo folio. Quamuis multa verba ſuapte vi latam ſententiam declarent, quibuſdam tamen additionibus, & impedimentis duci, & flecti ad ferendam ſententiam: qua de re ſubtiliter is diſſeruit in cap. 1. lib. 2. de poteſt. leg. pœn. Aliud admonet ad cognoſcendum valde neceſſarium. Quamuis conſtet, legem quampiam pœnalem latam continere ſententiam, numquā tamen aliquem ſententiam pœnámve ſubiturum, niſi crimen, cui pœna conſtituta eſt, conſummauerit & abſoluerit: nam etſi in grauibus & atrocibus delictis puniatur conatus proximus delicto, ac ſi delictum eſſet conſummatum, vt Gloſſa, & Doctores affirmant in l. ſi quis. C. de Epiſcopis & Clericis, & l. is qui cum telo. C. de ſicar. hoc tamen non fit in pœnis, quæ ſunt ipſo iure, aut per legis ſententiam impoſitæ: ideo numquam aliquis incidit in excommunicationem à iure latam, quamuis conetur facere id propter quod impoſita eſt excommunicatio, niſi verè perfecerit illud, id eſt, læſerit, vel præceperit, vel conſilium dederit. Hoc animaduertit, & dixit mente ſemper tenendum, Abbas, in c. cùm in cunctis, §. clerici ſanè, de elect. in 2. notab. num. 3. illic Panormit. præter Ioannem Andr. citat Bartolum in l. 1. ff. de ſicariis. Verùm hunc locum in alia quæſtione huius libri nos executi ſumus aliis teſtibus citatis, quos hîc nominare non duximus neceſſarium.

Sequitur vt nonnullas nunc præceptiones & regulas colligamus, quibus latam ſententiam vlciſcentium legum, ac iudicum, internoſcamus. 10.

Hæc igitur prima regula conſtituta ſit. Quoties lex, quæ pœna afficit, vſurpat comminationem pœnæ, ſentētiam habet ferendam. Verba autem minas intentantia ſunt, ſub pœna, ſub interminatione, ſub anathemate. Regula eſt certa, & generalis: probat Caſtrus in l. 2. de poteſt. leg. pœn. c. 1. §. 1. docet Gloſſa in cap. 1. de ſagittariis, vbi ponit ſuperiora verba, admonens illis enunciari ſententiam ferendam: cùm enim minemur futura, non præſentia, nec præterita, ratio neceſſaria perſuadet eiuſmodi verba nō poſſe conficere ſententiam, quæ iam ſit lata. Exceptio regulæ eſt: niſi in verba comminantia

tia incurrant illi modi, qui ſententiam pateſaciunt latam: de quibus in prioribus documentis diſſeruimus: tunc enim minitantia verba ad ſententiam latam transferuntur. Vt ſi lex, aut homo dicat: Præcipio hoc ſub pœna excommunicationis, quam, qui contra fecerit, ipſo facto, aut ipſo iure, aut eo ipſo, aut ſtatim, aut ex nunc, aut continuò poſt factum incurrat: aut nouerit ſe ſtatim excommunicatum.

11. Secunda regula. Lex omnis, quæ pœnam irrogat per verbum futuri, aut participium futuri, aut per verbũ, quo ſignificatur aliqua actio, continet ſententiam à iudice ferendam. Recipiunt regulam cuncti Iuriſperiti: illam docet Abbas in cap. ſi diligenti, de foro competenti. Felinus in c. Rodulfus, de reſcriptis. Caſtrus, loco, & cap. nuper citato. §. 2. Fallit autẽ regula, quando copulatur cum ſuperioribus modis, quibus diximus diſcerni latam ſententiam. Quidam excipiunt eas leges & conſtitutiones, quæ duplici aut geminato verbo futuri temporis vtuntur: vt cùm legiſlator diceret, *excommunicabitur, caſſabuur, & irritabitur electio.* Hoc cõmentus eſt Felinus, in cap. Rodulfus, de reſcriptis, num. 35. & citat pro hac ſententia Baldum, in tit. de pace Conſtantiæ, & Ludouicum in l. ſi verò, §. de viro. ff. ſoluto matrimonio. Sed aliter viſum eſt Decio in l. poſteaquam, C. de pactis, & aliter Caſtro in §. citato, & non fallens ratio ea eſt: quoniam futurum, etiam ſi centies iteretur, futurũ eſt: & rem futurã ſignificat; niſi extrinſecus illis modis impediatur, quibus ſentẽtia lata declaratur. Hæc verba, *à communione habeantur extranei*, ex ſententia Panormit. in cap. ſi diligenti, de foro compet. num. 5. commentarij ſententiam innuunt ferendam.

12. Tertia regula. Quando verbo imperatiui modi lex, ſeu legiſlator, vel iudex pœnam imponit, quia ſemper alteri imperatur aliquid agẽdum, vel patiendum, ſententiam præcipit ferendam, vt Gloſſæ teſtimonio Caſtrus probat in illo 1. cap. 2. libri de poteſtate leg. pœn. §. 3. exceptio. cùm in modum imperatiuum incidunt ea verba, quæ nullum officium iudicis oſtendunt, ſed pœnæ tantùm perpeſſionem: è quo genere ſuprà diximus eſſe, *incido, incurro, ſubiaceo, ſubeo*: quæ ſententiam habent latam. Deinde excipiuntur modi illi, qui additi imperatiuæ ſententiæ flectunt illam ad latam.

Oritur hîc altercatio vtrùm tempus vtrumque imperatiui modi tempus futurum ſignificet. Aiunt Iuriſconſulti, vt colligi poteſt ex Gloſſa, in c. quiſquis de electione, ex Panormit. in cap. clericis, ne clerici, vel monachi, ex Felino, in c. Rodulfus, de reſcriptis, num. 26. ex Baldo in l. fin. C. de ſeruo communi manumiſſo: ex Andrea Tiraquello in commentario, l. ſi vmquam, C. de reuocandis donationibus. Alphonſus autem à Caſtro vbi Grammaticæ inſcitiam obiecit tam claris doctoribus, decipi ait eruditiſſimos iuris interpretes, cùm docent, verba imperatiui modi eſſe futuri temporis: in quo meo quidem animo hallucinatus eſt Alphonſus, nec philoſophicè videtur locutus: nam tam præſens quàm futurum imperatiui modi tempus futurum ſignificare nemo Philoſophus addubitauerit. Namque modus imperandi, ſiue præſens, ſiue futurum ſit, Grammaticè, ſemper aliquid quod faciendũ perpetiendúmve eſt, imperat: ſed imperata actio vel paſſio, hactenus, vt imperata eſt, ſemper futura eſt: ergo totus modus imperatiuus ſemper vim retinet futuri temporis.

Vtrumque tamen tempus, quantum ipſe meditando cõſequi poſſum, duabus ſeiungitur differentiis. Altera eſt, quòd præſens futuram actionem, vel paſſionẽ habet propinquiorem: futurum verò, paullò longinquiorem. Altera eſt, quòd grauius imperium, & magis cogens præ ſe gerat tempus præſens, quàm futurum.

Quarta regula nuncupari poteſt Innocentiana: quoniam ab Innocentio excogitata eſt in explanatione capitis, extirpandæ, de prædendis: quæ à magnis multiſque Doctoribus vehementer commendata 13.

mendata

mendata eſt. Vbi pœna ponitur negatiuè, ſine appoſitione certi temporis, requiritur monitio: quia nobis occultum eſt, an is, qui omiſit, iuſtam cauſſam habuerit prætermittendi id, quod lex ſtatuit: vt ſi dicat, ***excommunicationi ſubdantur non reſidentes***, nullo tempore præfinito. Quando verò pœna ponitur affirmatiuè, vt, ***quicumque percuſſerit clericum, vel ſepta monaſterij ingreſſus fuerit ſit excommunicatus***, nulla opus eſt admonitione: quia licèt negata lateant, facta tamen patent. Ergo regula Innocentij omittentibus ſuccurrit; committentibus non item. Felinus doctrinam hanc Innocentij auream appellat, in cap. 1. de conſtitut. num. 12. & in 2. cap. de magiſtris, nu. 4. in hoc autem ſecundo loco, ſubtili & pererudito commentario regulam hanc illuſtrauit: pluriméſque & doctiſſimos nominat viros, qui eam arripuerunt, vt Oſtienſem, Ioannem Andream, Diuum Antonium, Imolam in idem caput, Cardinalem in conſ. 56. quod incipit, Dum reuerendus. Baldum in varias leges tum digeſtorum, tum codicis. Bartolum in conſ. quod incipit, teſtator, & in conſ. quod incipit, pro primo proponitur. Archidiaconū in cap. propter. diſt. 18. Petrum Ancharanum in conſil. 61. quod incipit, pro clariori: in horum numero adſcribit Abbatem: cui tamen conſtat non vſquequaque probatam hanc eſſe præceptionem Innocentij: nam quamuis in commentario capitis, extirpandæ, §. qui verò, nu. 10. teſtetur Theoricam hanc Innocentij (vt is loquitur) allegari per omnes, is tamen in repetitione illius, §. qui verò, nu. 20. ab illa receſſiſſe videtur: quum cenſuit non facta, vt facta puniri à Deo: quare, licèt is, qui non fecit, apud militantem Eccleſiam nō ſit pœnę obnoxius, re ipſa tamen & apud Deum pœnam non effugit: quāuis nulla anteceſſerit monitio, & num. 19. illius repetitionis auctoritate Gloſſæ ciuilis in l. 1. C. de his, qui vt indig. & Bartoli in l. in cognitione. ff. ad Syll. probat pœnam cōſtitutam aliquid non facienti, nullo adiecto tempore, committi à non faciente tunc, cùm facultas data eſt faciendi, & non fecit quod lege iubente faciundum fuit. Gloſſa in Decretalem Concilij Lateranenſis, excommunicationi, fauet Innocentio, interpretans illa verba, ***niſi ablata reddiderint, excōmunicationi ſe nouerint ſubiacere***. Subiacere, inquit Gloſſa, poſt admonitionem, vel poſtquam fuerint in mora, cùm poſſent reſtituere, & non reſtituunt. Regula Innocentij placuit Syluestro, in verbo, Excommunicat. tit. 7. num. 53. & Ioanni Tabienſi, in verbo, Excommunicatio, 5. caſu 25. num. 3. qui aiunt, Innocentij opinionem eſſe communem; & Tabienſis addit eſſe ſequendam. Placuit item Roſellæ, in verbo, Excommunicat. 1. excommunic. 21. vbi ait, » opinio tamen Innocentij eſt communis, » & ideo tenenda. Angelo tamen non placuit, in verbo, Excommunicat. 7. §. 6. caſu 10. nec Caietano, in verbo, Excommunicat. cap. 23. Nec Nauarro, in Summa, cap. 27. num. 118. Sed quid tam parua manus effectură ſe ſperet, tot tantorúmque ducum inuicto agmine reſiſtente? Præſertim cùm vnus Innocentius IV. qui Romanum Pontificatum gerens in volumen decretalium tam doctos elimauit commentarios, tum in Romanæ curiæ tribunalibus, tum in cunctis iuriſperitorum gymnaſiis ſumma polleat auctoritate.

Nos igitur quod à tanta auctoritate approbatum eſt, improbare ne audeamus, iis adhibitis cautionibus & obſeruationibus, quas prudenter Felinus in commentario illius cap. 2. de magiſtris, eſt meditatus? quarum prima eſt: vt ſententia iuris, vel hominis non habeat certi temporis præſcriptionem. Secunda, vt quamuis definitum habeat tempus, non poſſit ab eo, cuius intereſt, aut remitti, aut prorogari: verbi cauſſa, ſi imperatum ſit iudici pœna propoſita, vt tanto ſpatio temporis de re tota cognoſcat inter litigantes: ſi voluntate litigantium ſit illud elapſum, vitabit iudex pœnā: probátque 14.

XXXX Felinus

Felinus auctoritate Gloſſæ ſing. in cap. fin. de reſcriptis, & Angeli in conſil. 138. quod incipit, ſtatuto ciuitatis Caſtelli. Tertia, vt is, qui non facit, non facti probabilem habeat defenſionem. Ceſſat autem illi ius omne defenſionis, cùm fuit illi poteſtas faciendi, & non fecit: tunc enim mora illi incipit eſſe ad ſufferendã pœnam perniciosa.

Quaſdam alias in hanc regulam Innocentij Felini prætereo obſeruationes minimè neceſſarias.

15. Quintam igitur & poſtremam regulam addamus. Quando doctores de genere ſententiæ, cenſuræ, vel pœnæ controuerſantur, ſit ne lata an ferenda: & paria vtrimque ſunt rationum momenta, tamquam de ferenda cenſere debemus: quia *in dubiis benignior interpretatio facienda eſt*, per regulam iuris, lib. 6.

QVÆSTIO XXV.

DVbitatum eſt inter viros doctos, vtrùm ordinatus ab excommunicato occulto ordinis recipiat executionem.

1. Paludanus negauit, quem citat & ſequitur Archiepiſcopus Florentinus, in 3. par. tit. 24. cap. 76. effectu 14. Angelus, in verbo, Irregularitas. 1. §. 30. Syluester, in verbo, Excommunicatio. 3. effectu. 14. & Gloſſa, in cap. ab excommunicatis. 11. quæſt. 1.

Verùm Innocentius in cap. 1. de ſchiſmaticis, putat, ſi ij, qui ordines conferũt, ſint excommunicati, ſecreti & tolerati, non impedire executionem ordinum in iis qui illos ſuſcipiunt. Ratio Innocentij eſt: quia dignitas in toleratis non eſt præciſa. Placuit hæc Innocentij opinio Panormitano, in cap. veritatis, de dolo, & cõtumacia à num. 41. & Alphonſo à Caſtro in 2. lib. de poteſtate leg. pœn. cap. poſtremo, & Ioanñi Tabienſi, in verbo, Excommunicat. 1. §. 13. cui fauet Richardus, in 4 ſent. diſt. 17. art. 7. q. 2. in reſp. ad 2. & multò magis conſtitutio Concilij Conſtantienſis, ad euitanda: nec ipſe in hac conſultatione dubitarem: quando ordinato ignorata eſſet ordinantis excõmunicatio.

Quòd ſi obiicias. Nemo id dat, quod non habet: ſed ordinans non habet ordinis executionem: ergo ordinato dare non poteſt. Reſpondeo tripliciter. Primum argumentum non valere in phyſicis. Calor enim cæleſtis multas formas largitur materiæ, quas in actu non habet, ſed tantùm, virtute, atque efficacitate. Aſtra calefaciunt corpora hæc mortalia, cùm ipſa non ſint calida. Deinde reſpondeo, cum Innocentio & Panormitano in toleratis, & occultis reſidere dignitatem, & iuriſdictionem. Poſtremò, quamuis ordinati executionem ordinis non recipiant ab excommunicato, illam tamen ab Eccleſia obtinent: quæ innocentes pari pœna non multat. 2.

3. Illud tamen hoc loco ex Innocentio & Panormitano addendum eſt: ſi ordinator non erat toleratus: quamuis ignorarit ordinatus, hunc egere diſpenſatione, & eam conſequi poſſe: ſi verò ſcienter ordinatus eſt, non poſſe eum eo diſpenſari ſentit Innocẽtius, ſed tu intellige niſi à Romano Pontifice: illi autem dicuntur non eſſe tolerati, vt docet Panormitanus, in cap. veritatis, de dolo & contumacia, qui depoſiti ſunt: qui dignitatis inſignibus ſpoliati ſunt: qui ſunt excommunicati publicè; vel quorum excommunicatio eſt notoria.

QVÆSTIO XXVI.

1. POEnitentiæ & abſolutionis ſacramentum impartitum excommunicato, ratum ſit necne, quæſtionem habet cognitione perquam dignam.

Irritum eſſe aiunt Paludanus in 4. diſt. 17. q. 6. art. 3. D. Antoninus in 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4. caſu 5. de iteranda confeſſione. Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 1. aliquid

quid tamen detrahit opinioni communi: nam alij huius ſententiæ defenſores volunt ſacramentum pœnitentiæ ei etiam inane eſſe, qui irretitus eſt excommunicatione minore:at Sotus putat huic valere, excommunicato autem excommunicatione maiore non item. Adrianus, in 4. in tractatu de matrimonio, q.1. quamuis hic non planè diſſentiat ab noſtra quam ſequemur opinione. Syluester, in verbo, Confeſſio.1.§.5. refutans Summam Angelicam & Supplementum. Tabiena, in verbo, Confeſſio.1.§.26. Armilla, in verbo, Abſolutio, communiorem & tutiorem hanc ait eſſe ſententiam.

2. Nobis videtur valde ad æquitatem accedere: vt valeat ſacramentum excommunicato collatum, cùm bona fide illud ſuſcipit. Cui ſententiæ patrocinantur hi omnes. Richardus in 4.diſt.18.artic.10. q.4. ſed magis ad rem facit art.7.q.1. Angelus, Confeſſio.5.§.20.& Confeſſio.1.§. 20. Caietanus in Summa, verbo, Abſolutionis impedimentum, & verbo, Confeſſionis iteratio,& in opuſculo de qualitate confeſſionis. q.1. Nauarr.cap.9. Couarruuias, in commentario, cap. Alma mater, par.1.§.6. Petrus Sotus, in inſtitut. ſacerd. ſect.4. de excommunicatione.

Huic ſententiæ ea ratio Caietani ſuffragatur: quòd nullo iure cautum eſt, abſolutionem ſacramẽtalem, de qua loquimur, eſſe nullam:& quia difficile eſt credere ſolum ſacramentũ pœnitentiæ collatum excommunicato caſſum eſſe, cùm reliqua omnia nõ ſint irrita. Salua tamen ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XXVII.

1. Nihilo minùs dubitationis habet, Vtrùm excommunicatus ſentẽtia iudicis, vel ob notoriam percuſſionem clerici, in mortis articulo, præbere poſſit verum ac validum pœnitentiæ ſacramentum moribundo.

Negauit Nauarrus in antiquioribus codicibus, num.26. cap.26. ſed palinodiã cecinit in recentioribus, cap.27. nu.272. oblitus decreti Concilij Tridentini: de quo nos poſtea. citauit Gloſſam in cap. præterea, § per manus, diſt.32. cuius dixit opinionem eſſe communem:& adiunxit Panormitanus in cap. non eſt, de ſponſal. Fautorem eſſe volunt huius ſententiæ D. Thomam in 4.diſt.17.q.3.art.3. quem ego articulum ſæpius perlegi: nec quidquam eiuſmodi in eo reperi.

Hoc tantùm habet D.Thomas in reſponſione ad quintam quæſtiunculam, excommunicatum,& degradatũ impediri ab audiendis confeſſionibus propter impedimentum executionis ordinis, aut propter defectum iuriſdictionis, cùm aliquis impeditur ab iiſdem cõfeſſionibus: illic autem non diſſerit de articulo mortis: citant eumdem Doctorem in 3.par. in additionibus, q.8.art.7.ad 3. in quo articulo ne verbum quidem de propoſita quæſtione. Syluester tuetur eamdem ſententiam, in verbo, Confeſſor, 1.num.16. quem miror à Soto citari tamquam cõtrariæ ſententiæ defenſorem: idem retinet Piſanella, in verbo, Confeſſio, 3.§.9.

Et quamuis Couarruuias in commentario, Alma mater.1.par.§.6. concluſ.8.& Nauar. loco citato, ſcribant communem hanc eſſe opinionem: ipſi tamen contrà affirmare poſſumus, nec veram, nec communem hanc eſſe opinionẽ: nam in contrariam ſententiam non obſcurè iſſe videtur D.Thom. in 4.ſent.diſt.20. q.1.art. 1.ad 3. quæſtiunculam. quum enim hoc dubitanter propoſuiſſet, poſſétne in articulo neceſſitatis quilibet à quolibet ſacerdote abſolui, nimirum abſolui poſſe iis rationibus probauit, quibus probaremus ipſi poſſe ab excommunicato etiam publico, & per ſententiam præciſo abſolui. 2.

Namque prior D.Thomæ ratio in eo articulo hæc eſt: neceſſitas ſpiritualis eſt maior, quàm corporalis: ſed aliquis in neceſſitate vltima poteſt aliorum rebus vti etiam inuito Domino: ergo & in articulo

 mortis,

mortis, ad ſubueniendum ſpirituali neceſſitati, poteſt à non ſuo ſacerdote abſolui. Eodem modo argumentatur Almainus in tractatu de poteſtate clauium, citátque Paludanum.

Poſterior D. Thomæ ratio in reſponſione ad quæſtiunculam. Quilibet ſacer-
» dos, quantum eſt de virtute clauium, ha-
» bet poteſtatem indifferentem in omnes,
» & quantum ad omnia peccata: ſed quòd
» non poſſit omnes ab omnibus peccatis
» abſoluere; hoc eſt, quia per ordinationẽ
» Eccleſiæ habet iuriſdictionem limitatã,
» vel omnino nullam habet: ſed quia neceſ-
» ſitas legem non habet; ideo quando arti-
» culus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ
» ordinationem non impeditur, quin ab-
» ſoluere poſſit. Hæc illic ſanctus Doctor.

Paludanus in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2. ſentit, omnes ſacerdotes iure diuino habere iuriſdictionem quoſlibet abſoluendi. Idem tenet Capreolus, diſt. 19. idem Archiepiſc. Florent. in 3. par. titu. 14. cap. 19. condict. 16. Caietanus, in verbo, Abſolutio, dicit in articulo mortis poſſe quemlibet à quolibet abſolui.

3. Sotus hanc ſententiam tuetur in 4. d. 18. q. 4. ar. 4. Canus in relectione de pœnitentia parte tertia. Tabiena, in verbo, Abſolutio, 1. num. 32. Angelus, in verbo, Confeſſio, 3. num. 2. qui eiuſdem ſententiæ propugnatorẽ laudat Aureolum grauem Theologum in 4. ſent. diſtin. 17. ex cuius placitis docet, poteſtatẽ clauis, quæ eſt poteſtas abſoluendi à peccatis, & ex conſequenti à pœna æterna, eámque in temporalem commutandi, & actiuè conferendi gratiam per modum applicantis actu meritum paſſionis Chriſti, (hiſce verbis illi philoſophantur) fundatam eſſe in charactere ſacerdotali, qui eſt indelebilis: & quamuis ab Eccleſia in excommunicato & præciſo ſit ligata, neceſſitate tamen mortis impendente, vinculũ ſolui credunt: propterea quòd non eſt humanæ legi ſubiecta neceſſitas, ex cap. quod non eſt, de regul. iur. Hac ipſa ratione vtitur Armilla, in verbo, Abſolutio, num. 12. Rentúrque magna auctoritate Theologi facultatem in articulo mortis à culpis abſoluendi, non poſſe ab humana auctoritate adimi ſacerdotibus. Victoria, in libello de Sacram. quæſt. 159. ſimpliciter enunciat in mortis articulo, vbi proprius non adeſt ſacerdos, quemlibet à quolibet poſſe abſolui. Nauarrus quoque, vt ſuprà diximus, victus auctoritate verbíſque Concilij Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 7. quod eſt de caſuum reſeruatione, quod ipſi defendimus, palam profeſſus eſt, in Summa, cap. 27. num. 272. in recentioribus: & argumentis confirmauit: ſuæque memoriæ erratum accuſauit, quòd immemor Tridentini decreti ſecus ſcripſerit in ead. Summa, cap. 26. num. 16. Concilij verba in ſeſſ. 14. cap. 7. hæc ſunt: Verumtamen »
piè admodum, ne hac ipſa occaſione ali- »
quis pereat, in eadem Eccleſia Dei custo- »
ditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio »
in articulo mortis. Atque ideo omnes ſa- »
cerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſ- »
uis peccatis, & cenſuris abſoluere poſ- »
ſunt. »

Huius opinionis non leuia argumenta hæc eſſe poſſunt. 4.

Primum. Nullius hominis quamlibet facinoroſi, mortalem in terris vitam viuentis, vult Deus æternum interitum, ſed ſempiternam eius ſalutem: neque inſtrumenta ad eam conſequendam ab illo inſtituta vult cuiquam eripi: ergo cùm ſacramentum pœnitentiæ diuinitus comparatum ſit ad æternam ſalutem adipiſcendam, in eo hominum genere, qui poſt baptiſmum in lethalem culpam prolapſi ſunt: hoc ſubſidiũ non vult cuiquam eſſe negatum: negaretur autem, ſi excommunicatus pœnitenti illud in mortis articulo tribuere non poſſet. Ergo voluntate Dei, & voluntate iuſta Eccleſiæ, quæ à Dei voluntate, & decreto diſcrepare nec poteſt, nec debet, quilibet excommunicatus cuilibet morienti peccatori illud largiri poteſt.

Secundum argumentum ductum ex neceſſitate ſacramenti pœnitentiæ: quam neceſſi

Digitized by Google

neceſſitatem Concilium Tridentinum teſtatam reliquit, his verbis, in ſeſſ. 14.
» cap. 2. in extremo. Eſt autem hoc Sacra-
» mentum pœnitentiæ lapſis poſt Bapti-
» ſmum ad ſalutem neceſſarium, vt non-
» dum regeneratis ipſe Baptiſmus. Sed in articulo neceſſitatis excommunicatus & præciſus poteſt baptizare, ergo poterit etiam abſoluere: aut à Deo ſibi conceſſa, aut ab Eccleſia permiſſa iuriſdictione.

5. Tertium argumentũ pene germanum ſecundi. Peccator quocumque articulo neceſſitatis tenetur diuina lege de ſuis ſceleribus confitendi: ergo humana lege diuinam impediri & perturbari non decet: impediretur autem, ſi, quando nullius Sacerdotis niſi excommunicati, & præciſi, habetur copia, ei ſua peccata exceſſurus è vita aperire non poſſet: quare, &c.

Quartum. Quilibet homo cuilibet homini de vita corporis periclitanti ſubuenire diuina naturalíque lege debet: ergo multò magis de animæ ſalute periclitanti, cogitur opitulari: igitur excommunicatus, & præciſus, extremis remediis ad animæ ſalutem egenti, qualia ſunt humanæ ſalutis Sacramenta, negare illa nec poteſt nec debet: nam ſi ſecus ageret, immani ſe ſcelere alligaret: id quod ex quinto argumento concluditur.

Quintum autem hoc pacto confirmatur. Excommunicatio diuini naturaliſque iuris officia, quæ debentur aliis, non perimit. Namque excommunicatus neceſſaria lege cogitur alendæ familiæ, creditoribus ſatisfaciendi, pauperibus ſuccurrendi: ergo cùm quis in extremum animæ ſalutiſque ſuæ adducitur diſcrimen, cùm alius non eſt, qui opem ferat laboranti, ipſemet ferre cogitur: fertur autem ſalutis Sacramento adminiſtrando: adminiſtrare igitur cogetur; neque eiuſmodi obligatio Eccleſiaſtica lege delebitur.

Sextum libuit mutuari à Durando, in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 3, num. 8. ad 1. arg.
» vbi ſic Durandus. Ad primum argumen-
tum dicendum, quòd nullus, de cuius ſa- »
lute non deſperatur, tradendus eſt in ma- »
nus hoſtis tamquam ab eo exterminan- »
dus: ſed poteſt tradi quaſi flagellandus, vt »
à culpa reſipiſcat: & ſic fit per excommu- »
nicationem, & non ampliùs. Ergo ſi ex- »
communicato non obeſt ſua excommunicatio quin poſſit in articulo mortis à quouis Sacerdote abſolui, tum ab excommunicatione tum à qualibet culpa: nec obeſſe debet excommunicatio Sacerdotis.

Poſtremò, ne tam multas rationes 6. coaceruemus, cùm perpaucorum ſit contritio caritate formata: Deúſque & Eccleſia cunctorum ſalutem, fideliúmque præſertim, vehementer expetat, credibile non eſt nolle à quouis eam quæri pœnitentiæ Sacramento, à quouis Sacerdote ſuppeditando, quocumque tandem is ſcelere, quacumque ſit cẽſura obſtrictus.

Nauarrus autem tantopere mortis articulo fauit in Summa, cap. 27. num. 272. in recentiore editione, vt ex verbis concilij argumentetur, cunctis Sacerdotibus, nullo excepto, datam facultatem eſſe non ſolùm à peccatis etiam reſeruatis abſoluendi, verumetiam cenſuras in vtroque foro tollendi, & ab excommunicatione non confeſſum abſoluendi, ſi tamen ſigna contritionis dederit.

Verùm, quod affirmat Nauarrus de abſolutione excommunicationis in foro exteriori, impartita quoque ei, qui de ſuis peccatis confeſſus non eſt, mihi eſt ambiguum. Nec dum mihi erepta eſt dubitatio ab iis, à quibus maximè cupiebam; & vt conſulerentur, dedi operam diligenter.

Mihi probabile eſt, Concilium in foro conſcientiæ tantùm, pœnitentibus in mortis articulo conſulere voluiſſe; nec quidquam iis contra conſuetudinem Eccleſiæ noui in exteriore foro tribuere voluiſſe.

De Excommunicatione minore.

QVÆSTIO XXVIII.

1. IN noſtro volumine de cenſuris Eccleſiaſticis, extat libellus de Excommunicatione minore, permultos ab hinc annos à nobis Romæ conſcriptus: inde nonnulla ſumam, quæ mihi viſa ſunt magis controuerſa, & dubia in opinione magiſtrorum, & quorum ſæpe à multis expetita eſt, & quæſita notitia. Sed artis huius ſtudioſis gratum me facturum non dubito, ſi in auctorum, & præſertim Theologorum, libris loca indicaro, vbi multa ab iis præclara de minore excommunicatione ſubtiliter diſſeruntur.

De hoc igitur cenſuræ genere diſputauit D.Thomas, in 4.ſentent. diſtin. 18. quæſt.2. art.4. & quodlibeto 4. quæſt.8. art.14. & quodlib.11. quæſt.8. art.9. D. Bonauent. in 4. ſentent. diſtinct. 18. 2. par. diſtinct. quæſt.5. Paludanus, in eamdem diſtinct. quæſt.6. artic.1. & 2. Durandus, in eamdem quæſt.5. Richardus, in eamdem, artic.6. quæſt.2. & Albertus, in eamdem diſtinct. artic.2. & Gabriel, quæſt.3. & Maior, quæſt. vnica, in antiquioribus, & Almainus, quæſt.1. art.3. in eam ipſam diſtinctionem, & Sotus, diſt. 22. quæſt.1. art.4. Alexand. Halen. in 4. par. quæſt. 22. memb.1. art. 6. in recentioribus codicibus. D. Antoninus, in 3. par. tit.25. cap.1. 2. & 3. Adrianus, q. 3. de clauibus, quæ incipit. Tertiò principaliter videndum, & quæſtione prima quodlibetica, artic.3. in reſponſ.ad quintum argumentum, de vitatione excommunicatorum, & in 6.quodlib. art. 2. ad 2. ſed in quæſtionibus quodlibeticis perfunctoriè agit de communione cum excommunicatis excommunicatione maiore, Victoria, in libello de Sacramentis, tractatu de excommunicatione, à quæſt. 10. Petrus Sotus, in lib.de inſtitutione Sacerdotum, quæſt.3. de clauibus non longè ab extremo. Caietanus, in Summa, in verbo, Excommunicatio, extrema parte à particula quæ incipit, Circa tertium præmiſſorum. Summa confeſſorum, cuius teſtimonium in hoc genere tractationis crebrò reliqui ſcriptores Summarũ vſurpant, in 3. lib. tit.33. à quæſtione 121. ad 194. ceterarum numero comprehenſam. Supplementum, in verbo, Excommunicatio, 6. Roſella, in eodem verbo, & tit. Angelus, in verbo, Excommunicatio, 8. Syluester, in verbo, Excommunicatio, 5. Armilla, eodem verbo, à numer.44. Nauarrus, in Summa, cap.27. à numer.24. Couarruuias in caput Alma mater, par.2. relectionis. §.3.

Sileo de ſacrorum canonum explanatoribus, quorum ſententias & dicta paſſim obſeruare quiſque poterit, ſi canones decreti & decretalium cõſulere velit, qui de cenſura excommunicationis perſcripti ſunt, & quæ ab interpretibus inuenta ſunt, inueſtigare.

Commonſtratis ſedibus, & quaſi domiciliis, vnde quæſtiones de minore excommunicatione earúmque explicationes ſunt eruendæ, paucas, quæ magis neceſſariæ videantur eſſe ad cognoſcendum, breuiter attingamus.

Primùm ſcire auebis, Quid ſit excõ- 2.
municatio minor. Reſpondeo, ex iis, qui rectiùs hac de re ſcripſerunt, Eſt cenſura » priuans perceptione Sacramentorũ: » huius cenſuræ effectus tres ſunt: primus, qui tantùm eſt ſubſtantialis, ius adimit percipiendi Sacramẽta: ſecundus, in culpam trudit eum, qui confert: tertius, ſi quis eſt electus, eius electio eſt irritanda eo modo, qui pòſt dicetur. Quos omnes effectus Gregorius IX. expreſſit in c. ſi celebrat, de clerico excommunicato.

Sed in ſecundo effectu exiſtit grauis 3.
dubitatio. Cùm certum ſit peccare eum, qui miniſtrat Sacramenta in excommunicatione minore, quodnam peccatum peccet, mortale ne, an veniale? Mortale crimen admittere ait Syluester, excom.4. num.1. & hanc ſententiam amplecti videtur

detur

detur Tabienſis, in verbo, Excom. 8. nu. 1. vbi eamdem rationem peccati agnouit in participatione paſſiua & actiua Sacramẽtorum, propter excommunicationem minorem: addidit inter vtramque hoc intereſſe, quòd paſſiua tollat effectum illum Sacramentorum, quem poteſt Eccleſia tollere: id eſt, ne excommunicato proſit ad ſalutem: ne, ſi recipiat ordinem, eius recipiat executionem: ſi Sacramentum ſuſcipiat pœnitentiæ, illud ſit nullum. Actiua verò collatio Sacramentales effectus & Sacramenta non irritat.

Quorumdam autẽ aliorum humanior eſt ſententia: nam aiunt venialiter peccare tantùm huiuſmodi excommunicatum conferendo Sacramenta: ita Sotus, in 4. diſt. 22. quæſt. 2. artic. 3. col. 1. in quam ſententiam propendet Caietanus & Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 24. qui illud etiam addit, minore excommunicatione excommunicatum conferre poſſe Sacramenta, modò ne ſumat ipſe conferendo.

4. Haud minor eſt quæſtio in tertio effectu huius cenſuræ. Vtrùm electio paſſiua excommunicati minoris ſit ipſo iure nulla. Diſtinguitur à nonnullis: Aut ſcienter huiuſmodi electio facta eſt, aut ignoranter: ſi ſcienter, aiunt eſſe irritandam, vt dicitur in textu Decretalis, ſi celebrat, de clerico excommunicato: ſi ignoranter facta, volunt validam & firmam eſſe electionem, atque collationem contra Gloſſam in illam Decretalem. Hoc defendit Syluester, in verbo, Excommunicatio, 4. num. 4. idem placuit Petro à Soto, lectione vltima de Excommunicatione. verùm hiſce auctoribus communis reſiſtit opinio, quæ docet, ipſo iure nullam eſſe electionem excommunicati excommunicatione minori. Hoc contra Gloſſam probat Panormitanus, in c. extremum de clerico excommunicato, ſuæque ſententiæ ducem profert Innocentium in idem caput. Idem, Oſtienſis explanans verbum illud; irritanda, id eſt, irrita nuncianda, vtriúrque auctoritate Innocentij. Idem perſuaſum eſt Ioanni Andreæ explicanti caput poſtremum de clerico excommunicato, num. 5. & 10. nititúrque auctoritate Innocentij & Oſtienſis. Idem viſum eſt Burrio in commentario eiuſdem capitis, vtenti teſtimonio eorumdem Innocentij & Oſtienſis. Sanè Innocentius in caput, ſi celebrat, de clerico excommunicato, num. 5. commentarij, electionem indigni iure poſitiuo ait eſſe nullam. Sententiam hác Cardinalem citans communem eſſe ſcribit Couarruuias in cõmentario capitis, Alma mater, priore parte. §. 8. num. 3. Felinus hac de re variè locutus, & ſenſiſſe videtur in c. cùm dilectæ, de exceptionibus.

Quærat quiſpiam in quibus caſibus minor contrahatur excommunicatio. Reſpondet Innocentius, in caput primum, de ſententia excom. in octo, quos numerat. Sed quoniam, vt admonet Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 25. non veram excommunicationem minorem in iis caſibus agnoſcunt Doctores, idcirco caſum vſitatum hunc dicit eſſe: participationem cum excommunicato excommunicatione maiore in caſibus prohibitis: de quibus D. Thomas, in 4. diſt. 18. quæſt. 2. ar. 1. ad 1. quæſt. qui caſus comprehenduntur hoc verſu, *Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* Quorum interpretationem legere potes apud D. Thom. citato loco, & apud D. Antoninum, in 3. part. tit. 25. cap. 2. apud Sylueſtrum, in verbo, Excommunicatio, 5. & apud alios in præmonſtratis locis: ſed ſatis concinna videtur mihi Caietani explanatio. In ea quæ conſequetur quæſtione nonnullæ aliæ enodabuntur dubitationes, quarum cunctis pervtilis futura eſt notitia. 5.

QVÆSTIO XXIX.

Qvinque eſſe tempora conceſſa cum excommunicatis agendi, conſtat inter omnes tum antiquos tum recentes Doctores, quæ hoc verſu ab iis ſignificari 1.

conſue

conſueuerunt, *Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe:* cuius verſus vox prima ad vtilitatem refertur tam eius qui communicat, quàm eius, cum quo communicatur, id eſt, non excommunicati & excommunicati: ſecunda, ad ius connubiale: tertia, ad legem ſubiectionis, & obſequij debiti: quarta, ad ignorantiam facti probabilem, non craſſam, non ſupinam, non affectatam: quinta, ad vitæ neceſſitatem.

2. Diſceptari igitur ſolet, an extra hæc quinque tempora iure permiſſũ, non vitare eos, quos ſua ſententia Eccleſia, à fidelium Chriſtianorum cœtu ſemouit, letale ſit crimen; an potiùs culpa leuis. Grauis in primis, nec vllo modo contemnenda quæſtio; quæ tractatur à D. Thoma, in 4. ſentent. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 4. ad quæſtiunculam 3. & quodlib. 11. quæſt. 8. art. 9. Diuo Bonauent. in 4. ſent. diſtinct. 18. poſteriore parte diſtinctionis, quæſt. 5. num. 76. in eadem diſtinct. à Durando, quæſt. 5. num. 8. à Paludano, quæſt. 6. ar. 3. à Richardo, art. 6. quæſt. 2. à Maiore, in antiquis, quæſt. vnica, col. poſtrema. A Soto, diſtinct. 22. quæſt. 1. art. 4. concl. 2. 3. & 4. ab Adriano, in 3. quæſt. de clauibus, quæ incipit, tertiò principaliter videndum, exceptione octaua. §. ex dictis oritur quæſtio & quodl. 1. art. 3. in reſp. ad 5. argum. & quodlib. 6. art. 2. ad 2. à Gabriele, in 4. diſtinct. 18. quæſt. 3. art. 1. vbi profert Doctores non paucos, in quibus eſt Ocham, in 7. lib. ſui dialogi, cap. 55. & art. 2. ab Almaino, in eamdem diſt. quæſt. 1. art. 3. qui tamen in §. reſolutio, lapſus eſt, quum ſcripſit, eum, qui in crimine, vel in diuinis communicat excommunicato, culpam contrahere mortiferam, & excommunicationem maiorem incurrere: nam quod ad excommunicationem maiorem attinet, ea non afficitur, quia participat in diuinis, vt poſtea intelligetur. ab Alexandro Halenſi, in 4. part. quæſt. 22. memb. 1. artic. 6. §. 2. à D. Antonino, in 3. part. tit. 25. cap. 1. ante §. 1. à Victoria, in libello de Sacramentis tractatu de Excommunicatione, quæſt. 10. in Summma confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 165. à Summarum ſcriptoribus, in verbo, Excommunicatio. à Roſella, tit. 6. in principio ante §. 1. ab Angelo, tit. 8. num. 4. a Syluestro, tit. 5. num. 6. à Tabiena, tit. 8. num. 11. ab Armilla, in verbo, Excommunicatio, num. 49. à Nauarro, in Summa, cap. 27. num. 28. à Couarruuia, in relectione, cap. Alma mater, p. 2. §. 3. num. 7. Verùm à nemine hac de re in vtramque partem, nec ſubtiliùs, nec pluribus argumentis diſſeritur, quàm à Gabriele & ab Adriano, ab hoc, in 3. q. de clauibus, exceptione 8. ab illo, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 1. & 2.

3. Hi omnes & alij complures, quos ſtudio præterij, fatentur & probant, communicare cum excommunicatis, per ſe culpam eſſe leuem, mortiferam autem, in nonnullis caſibus: quos alij plures, alij faciunt pauciores. Diuus Thomas, tum in 4. ſentent. tum in quodlibetis, locis citatis, tres tãtùm numerat. Primus eſt, quando communicatur cum excommunicato in crimine, ſeu in cauſſa excommunicationis: ſecundus, quando in diuinis: tertius, quando in Eccleſię vel clauium contemptum. Ad hos tres facilè reuocantur nonnulli alij, vt cùm quis contra præceptum ſuperioris: vt, cùm eius exemplo ceteri ad contemnendam Eccleſiaſticam cenſuram adducuntur: vt, cùm perinde cum excommunicato verſatur vt cum ceteris qui non ſunt excommunicati. Hi enim caſus non obſcuram habẽt ſpeciem contemptus. Durandus & Almainus locis citatis dixerunt, etiam in humanis & politicis actibus criminosè participari, quando effrenatè, ſic illi loquuntur, participatur, ſecus, quando aut verecundantes, aut reuerẽtes, aut etiam cum animi ægritudine participamus, & in paucis. Alexander, in 4 par. q. 22. memb. 1. art. 6. §. 2. ex decretalibus, probat tunc culpam ſuſcipi mortiferam in communicando cum hoc hominum genere, cùm pertinaciter, præſumptuosè & in contemptum Eccleſiæ, communicatur.

Sotus,

Sotus, in 4. diſt. 22. quæſt. 1. artic. 4. concl. 4. colligit tres caſus qui excommunicatione afficiunt maiore communicantem cum excommunicato. Primus, quando communicat in crimine, propter quod in illum Eccleſia anathematis gladium diſtrinxit. Secundus, cùm communicat cum eo quem nominatim excommunicauit Romanus Pontifex. Tertius, quando pronunciata eſt ſententia in omnes participantes.

4. Sed primus & ſecundus caſus indigẽt interpretationis. Namprimus non irrogat excommunicationem participanti, niſi poſtquam alter in eam incidit, & poſtquam incidit, in eodem crimine fauet excommunicato, aut ope aut conſilio, vt rectè admonet Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 32. refellens Roſellam, Syluestrum, Tabienam, Ancharanum & Panormitanum. Stat à Nauarro Cardinalis Toletus, in Summa, de inſtruct. Sacerd. lib. 1. cap. 13. & Antonius Butrius, in cap. ſi concubinæ, de ſententia excom. Vnum addit Toletus, in eo c. non longè à principio: alterum Nauarr. in Summa, cap. 27. num. 112. in recentioribus. Toletus ait ad ſubeundam cenſuram capitis, ſi concubinæ; & capitis, nuper, de ſententia excom. participandum eſſe cum excommunicato nominato: quod item ſatis approbat Nau. cùm ſcribit num. illo 112. poſt extrauagantem Concilij Conſtantienſis, ſcientiam requiri denunciationis. Alterum verò, quod adfert Nauarrus, illud eſt, eum qui criminis ſocietatem coit cum excommunicato, toties excommunicationem contrahere, quoties cum eodem in crimine participat.

Verumenim, quod Toletus & Nauarrus aiunt, iudicis ſentẽtia damnatum eſſe debere excommunicatum, quîcum in crimine participatur, ob quod excommunicatione multatus fuit, nõ eſt vſqueadeo certum. Quamuis enim canones, nuper, & ſi concubinæ, intelligi videantur de excommunicato ab homine, nihilominus ex interpretatione Butrij & Panormitani, atque exemplis, quæ ex aliis ſanctionibus ſumunt, de excommunicato quoque à iure idem videtur dicendum. Hoc voluit Syluester, in verbo, Excommunicatio, 8. num. 10. & Angelus, eodem verbo, & tit. Nec Conſtantienſis Concilij conſtitutio in hac cauſſa locum videtur habere, in qua cauſſa agitur de excommunicato maiore excõmunicatione vtrinque. hac autem excommunicatione excommunicato nulla ſe Concilium voluit ſubuenire, vt ipſummet teſtatur.

Secundus caſus abſolutè poſitus à Dominico Soto, ſed non expoſitus eſt in cap. ſignificauit, de ſententia excommunicationis, vbi Clemens III. excommunicat omnes clericos, qui participant ſcienter & ſponte cum iis qui ſunt excommunicati à Papa, & eos ad officia recipiunt. Cenſura eſt maioris excommunicationis; quæ vt ſubeatur, quinque requiruntur ex ſententia Oſtienſis, Ioannis Andreæ & Panormitani, caput illud, interpretantium. 5.

Primum, vt participantes ſint clerici. Secundum, vt ſcienter. Tertium, vt ſponte. Quartum, vt in diuinis participent. Quintum, vt cum excommunicatis à Papa. Quæ omnia ex illa decretali eliciũtur.

Hanc interpretationem communem eſſe ait Panormitanus & Ioannes Andr. admonet ita tenendum eſſe. Itaque laici, ſi cum huiuſmodi excommunicatis participauerint, excommunicationem incurrunt tantùm minorem. Syluester, in verbo, Excommunicatio, 5. numer. 6. §. ſciendum eſt tertiò, luculentis verbis ſcribit, clericum, qui excommunicatum à Papa iudicialiter, ſcienter & ſponte ſuſcipit ad diuina, incurrere maiorem excommunicationem: ſi laicus ſit, minorem: affirmátque communem hanc eſſe Doctorum opinionem.

Victoria, in tractatu de Excommunicatione, quæſt. 10. in extremo, duos caſus nominat, in quibus iure diuino à conſuetudine & communione excommunicati declinandũ ſit. Primus, ſi communicatio,

aut fidem lædit, aut mores. Secundus, quando ex mea communione ad ſuum delictum, ſeu errorem, defenſionem, opémve compatat excommunicatus. Ocham, vt refert Gabriel, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. credidit iure quoque diuino interdictam eſſe communionẽ cum excommunicatis in diuinis, ad quem Gabriel accedit dubit. 4. & Almainus, in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3. in calce.

6. In communione verò ciuili ineſſe tantùm leuem culpam extra ea tempora, quę patefacta ſunt, communem ſcribit eſſe Theologorum & canoniſtarum ſententiam. Eandem, opinionem appellat Theologorum Paludanus, in 4. diſt. 18. quæſt. 6. art. 3. Adrianus, in 3. quæſt. de clauibus, exceptione, 8. §. pro huius ſolutione. Hác ſententiam aſſignat cunctis Theologis Sotus, in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. art. 4. concl. 1. Opinioni Diui Thomæ de participatione cum excommunicatis in actibus humanis, dicit aſſentiri omnes Theologos, & ſapientiores canoniſtas, quibus illam adſcribit Panormitanus, in cap. ſacris, de iis quæ metus cauſſa.

Non deſunt huic Theologicæ ſententiæ argumenta minimè imbecilla.

Primum eſt illud Diui Thomæ, in 4. diſt. 18. quæſt. 2. artic. 4. quæſtiuncula 3. Etenim ſi propter verba, quæ cum excommunicatis fiunt, & ſalutationes, crimina flammis ſempiternis digna contra„herent homines Chriſtiani, Multis ex„communicantes (verba ſunt D. Thomæ) „laqueum damnationis iniicerent, quod „in ipſos retorqueretur. Quæ ſequuntur, Gabrielis ſunt in 4. diſtinction. 18. quæſtion. 3. articulo 1. & aliorum. Sit ergo ſecundum argumentum. Nec vult, nec ſolita eſt Eccleſia pro vnius flagitioſi & contumacis ſalute inſontes quamplurimos æternæ damnationis, & mortiferæ noxæ periculo offerre: id enim nec communis boni ratio, nec lex caritatis permittit: ergo cùm tam procliues ſint homines ad colloquendum, & inter ſe conſalutandum, nulla ratione credendum eſt ob iſthæc humanitatis, ciuiliſque communionis officia diuina amicitia, æternáque felicitate eos velle priuare. Confecit eandem argumentationem ante Gabrielem Alexand. Hal. in 4. par. q. 22. memb. 1. art. 6.

Tertium. Pro quolibet peccato mortali quis poteſt ab Eccleſia excommunicari; ſed non poteſt maioris excommunicationis pœna coerceri, qui cum excommunicato participat in humanis, niſi fuerit ter admonitus: ex cap. ſtatuimus, & cap. conſtitutionem, de ſententia excom. lib. 6. ter, inquam, aut diſtinctis monitionibus à iudice adhibitis, aut tribus interuallis vni admonitioni adiectis. Igitur argumento eſt communicationem ciuilem ſine contemptu iudicis non cenſeri excommunicatione dignam, nec exitialem, ab Eccleſia. Vtitur hoc ipſo argumento Maior, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. Quamquam Adrianus, in 4. ſent. de clauibus, quæſt. 3. exceptione, 8. propoſitione ſecũda, dicit, perſuaſionem hanc, quæ in hoc 3. argum. ſita eſt, non quadrare: nam ad euitandum animarum pericula, inquit Adrianus, pòſt conſtitutum eſt, vt niſi fuerint nominatim excommunicati, excommunicatio in eos lata non teneat. 7.

Quartum argumentum. Milites Chriſtiani, qui in caſtris erant Iuliani Apoſtatæ, qui cum Chriſto, eiúſque Eccleſia ſocietatem omnem diremerat, nauabant in præliis operam nefario Imperatori, ſed non aduerſus Chriſtianos: quemadmodum eſt in canone Diui Ambroſij, 11. q. 3. Iulianus: multóſque conſtat viros recti iuſtique amantes non ſecernere ſe in conuictu omnino ab excommunicatis: quæ exempla fidem faciunt non placuiſſe Eccleſiæ vt communio ciuilium officiorum vſque eò periculoſa foret ſuis alumnis, ac filiis.

Quintum, eſt his verbis à Gabriele explicatum. Modica, vel nulla eſſet diffe„rentia inter excommunicationem maio„rem & minorem, quantùm ad damnum „animæ: nam vtraque haberet eundem „effectum,

„ effectum, quantùm ad damnum illatum
„ animæ: quia vtraque induceret extremũ
„ malum, ſcilicet ſeparationem à corpore
„ Chriſti myſtico, priuationem gratiæ &
„ gloriæ, & damnationem mortis ſempiter-
„ næ: non eſt autem hoc præſumendum,
„ quòd Eccleſia pia mater tantum malum
„ filiis ſuis inferret pro leui actu commu-
„ nionis cum excommunicato ſine perti-
„ nacia & contemptu.

8. Sed nonnulla quæ obſtant, dimoueamus. Hæc opinio, vt inquit in Summa Goffr. blanditur peccatoribus; ideo parũ tuta. Reſpondeo, tutam eſſe; quia maiora pericula propulſat animarum: & Eccleſię benignitatem tuetur.

Secundo loco obiicies. Eccleſiæ præcepta violare criminoſum eſt. At lex à congreſſu, collocutione & conſuetudine excommunicatorum ſecedendi cogẽtem habet præceptionem: ſine ſcelere igitur contemni nequit.

Reſpondet Diuus Thomas, in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula 3. in reſp. ad 2. agere contra præceptum eum qui communicat in diuinis, præter præceptum, cùm in aliis rebus; & quodlib. 12. quæſt. 8. art. 9. per excommunicationem ſcribit quempiam ſeparari à communione fidelium, per ſe; à communione verò hominum, per accidens: quare indirectè & non per ſe, contemni Eccleſiæ præceptum, aut contra illud fieri, ſi verbo, aut cibo, aut iis rebus, quæ ciuilem continent conuictum, cum excommunicato quis communicet.

Quam rationem expediendæ difficultatis ſecutus eſt, & enucleauit Durandus, in 4. diſt. 18. quæſt. 5. num. 7. cùm enim excommunicatio communionem tollat fidelium; fideles autem ideo fideles ſint, quia in diuinis communicãt; idcirco ſententia excommunicationis eiuſmodi genus communionis per ſe adimit, non illud, quod eſt hominum, non vt fideles ſunt, ſed vt ciues. Almainus totam hanc Durandi ſententiam atque interpretationem trãſtulit in ſuam illam quæſtionem, vbi diſſerit, de excommunicatione. §. de altero. videlicet participare in ciuilibus, & Gabriel, diſt. 18. 4. quæſt. 3. art. 1. reſponſionem arripuit Diui Thomæ, in 4. ſent. diſtin. 18. de ſuo verò etiam addit, non omnia Eccleſiæ præcepta, ea præſertim, quæ pœna afficiunt, culpa mortifera contaminare eos qui non parent. Adrianus quoque in 4. illa quæſt. de clauibus except. 8. tamquam rem minimè dubiam ſumit non omnia Eccleſię præcepta obligare ad mortale peccatum, ſicut nec cuncta diuina; vt eſt pręceptum de non mentiendo, de non decipiendo, de non dicendo verbo otioſo: & in hoc genere præceptorum locat præceptũ de vitanda communione in humanis. Equidem maluiſſem, Gabrielem & Adrianum vſos eſſe nomine legis, quàm præcepti: nam vinculum eſſe mortiferæ noxæ in præceptorum violatione fermè cuncti ſentiunt, ac docent, in legis non item.

Conficiunt etiam, qui contra pugnãt, 9.
argumentationem, tum ex lege Chriſti in Euangelio promulgata, Matth. 18. cap. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, tum ex can. Innocentij III. ſacris, de iis quæ vi metúſve cauſſa fiunt: vbi decernit, eum, qui excommunicatis communicat inuitus, mortale peccatum incurrere, verba ſunt Pontificia, & excommunicationis labe inquinari. Sed nimirum argumentum ex illa ſententia Chriſti, non modò ad fidem contrariæ opinionis directò non ſpectat, ſed etiam ad communem, quam ipſi tuemur, ſe planè inflectit. Nam & ipſe Chriſtus familiariter cum publicanis verſabatur: quod etiam probroſum crimen ei volebant eſſe Phariſæi, vt perſpicuum eſt ex verbis Chriſti eoſdem obiurgantis, Lucæ cap. 7. Ad hæc Apoſtolus in priore ad Corinth. cap. 10. ad menſas & conuiuia accedere Ethnicorum permittit fidelibus, loquens his verbis: *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam*: parémque ſententiam in eadem epiſtola

expreſſit, cap. 5. Quare exemplo Chriſti, & Apoſtolorũ, potiùs eſſet cum excommunicatis verſandum, quàm ab eorum conuictu fugiendum.

Itaque locus ex Euangelio lædit aduerſarios in hac cauſſa, non iuuat.

Porrò de canone Innocentij, & de illo ipſo Chriſti, *ſit tibi ſicut ethnicus, &c.* in ea quæ ſequitur quæſtione iterum atque iterum conſiderãdum erit. Itaque ad eam omnino lectorem reiicio, nec non ad quartum caput noſtri Apologetici, quo Pauli V. decretum tutati ſumus.

QVÆSTIO XXX.

1. EST illud in graui contentione poſitum à Doctoribus: num criminoſa, & animæ letalis communicatio ea cenſenda ſit, quæ ob vehementem metum iniuſtè illatum cum excommunicato ſuſcipitur. & in eo præſertim rerum genere, quæ diuinæ ſunt. Vt cùm vel Tyrannus, vel quiſpiam conſceleratus Chriſtianus ſtricto pugione necem minitatur Sacerdoti, niſi coram ſe diuinam rem faciat.

De hoc propoſito duæ pugnantes inter ſe, & non leuium auctorum diſſident opiniones.

Vna, eſt eorum qui nulli metui iuſtam excuſationis veniam dandam eſſe putauerunt: ſed iſto modo communicantem & ſcelere & pœna minoris excommunicationis condemnant. In horum cœtu doctorum maior pars eſt Pontificij iuris explanatorum, maximè in caput, ſacris, de iis quæ vi, metúſve cauſſa fiunt; vt Oſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius Butrius, Panormitanus: Cum his ex Theologis ſe conſociarunt Alex. Hal. in 4. par. q. 22. memb. 1. art. 6. Durand. diſt. 18. quæſt. 5. ad 3. Adrianus, in 3. quæſt. de clauibus; & quodl. 1. art. 3. ad 5. arg. exceptione, 8. Ocham, vt teſtis eſt Gabriel, in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. dubio 4. Gabriel, qui ſequitur Ocham, citato loco. Caietanus, in Summa, in tractatu de participatione cum excommunicatis, cap. cuius eſt initium, Circa tertium præmiſſorum, non longè ab extremo, & in 1. 2. quæſt. 96. artic. 4. Summa confeſſorum, in 3. lib. tit. 33. quæſt. 173. nam ſecutus Oſtienſem reſpondet quæſtioni, de qua nunc propriè agimus, in quæſt. autem 165. loquitur de communicatione extra diuina; quod nonnulli, vt Supplementum, & Couarruuias, qui huius Summæ teſtimonio ſunt vſi, non videntur animaduertiſſe.

Ad ſic opinandum adducuntur huius 2. opinionis auctores, primùm auctoritate Chriſti, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut ethnicus & publicanus:* ergò cùm eiuſmodi auctoritas diuina ſit, ab ea recedere nullo timore cõceſſum eſt: tantúmque momenti in hac ipſa auctoritate conſtitutum eſſe crediderunt nonnulli, vt neque Romano Pontifici permiſſum eſſe ſcripſerint, agere cum excommunicato; quamuis communicãs cenſuram excommunicationis nõ incurrat. hoc falsò prodidit Almainus, in 4. diſtin. 18. quæſt. de excommunicatione, art. 3 quem errorem didicit à Panormitano, in cap. cùm deſideres, 1. de ſententia excomm. numer. 3. commentarij, quem Panormitanum citat etiam Sylu. in verbo, Excommunicatio, 5. num. 10. niſi horum ſenſum defendamus, cùm temere, vel cum offenſione ceterorum communicaret.

Secundam auctoritatem ſumunt ex canone ſacris, de iis quę vi metúſve cauſſa fiunt. Illic enim his verbis decernit Innocentius III. de eo qui communicat
excommunicatis inuitus. Licèt metus ar- »
tenuet culpam, quia tamen nõ eam prorſ- »
ſus excludit, cùm pro nullo metu debeat »
quis mortale peccatum incurrere, ex- »
communicationis labe credimus inqui- »
nari. »

Tertius locus ab auctoritate eſt, quia Doctores, vt inquit Gabriel, culpæ mortiferæ, & excommunicationis reum faciunt eum, qui communicat in diuinis cum excõmunicato, nec tempus vllum, cauſsámve

cauſsâmve excipiunt. Deinde ratione idē concludunt, quod per ſe malum eſt, nulla formidine perfici poteſt, ſed ad diuina recipere excommunicatum, vel ei ſe ſocium in eiſdem rebus adiungere eſt per ſe malum: non igitur propter aliquem metum id fieri poteſt. Confirmatur. Actus virtutis eſt in eo, quo de agitur, parere Eccleſiæ: ergo actio virtuti contraria ſecus agere.

3. Contrariam ſententiam ſectati ſunt multi nec ſapientia, nec auctoritate, nec numero inferiores: imò rebus his omnibus fortaſſe ſuperiores. Vt Innocentius in caput ſacris, de iis quę vi metúſve cauſſa fiunt, dum his verbis ſcribit in extremo: Littera ſonare videtur de metu, qui cadere debet in conſtantem virum, & de eo, qui communicat in crimine: hic autem tantus vir, & Pontifex, pro multis nobis eſſe debet. Gulielmum, Hugutionem, Veruerenum citant alij.

Venio ad Theologos, in quibus eſt Franciſcus Victoria, in Tractatu de excommunicat. q. 12. Sotus in 4. ſent. d. 22. q. 1. art. 1. concluſ. 5. caſu 5. vbi affirmat, nullum Theologorum tenere, legem de vitandis excommunicatis, etiam in diuinis, cum amiſſione vitæ, eſſe ſeruandam: in Decretali autem ſciſcenda hanc mentem Pontifici fuiſſe, vt is metus defenſione careret, qui ob fidei odium & legis contemptum incutitur. Diuus Antoninus in 3. par. tit. 25. cap. 1. ante §. Supplementum, in verbo, Excommunicat. 5. col. 2. Syluester, in verbo, Excommunic. 5. nu. 6. in fine, & nu. 23. vbi affirmat opinionem omnium fauere communicanti cum excommunicato propter metum, eúmque à culpa & pœna eximere: Oſtienſem verò ſingularem appellat ſecus in hac cauſſa ſentientem.

Verùm nec Sotus, nec Syluester, opinionem hanc ſecundam facere omnium debebāt, cùm tam multi in cōtraria acie ſuprà fuerint collocati. Roſella, in verbo, Excommunicat. 8. col. 1. & Angelus, eod. verbo, ac titulo, §. 18. caput, ſacris, interpretantur de eo, qui communicat in diuinis, aut leni metu adductus, vel in crimine, aut cùm cenſura lata eſt pro fidei defenſione.

Eamdem interpretationē attulit Syluester, num. 23. & num. 6. quando participatur aut in crimine, pro quo fuit alteri ab Eccleſia irrogata excōmunicatio, aut in iis, quæ ſuapte natura ſunt peccata mortifera: idque colligi ait ex D. Thoma. Armilla, in verbo, Excommunicat. nu. 59. Maior, in 4 diſt. 18. q. 4. quem citant & ſequuntur Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 36. & in cap. inter verba, præludio 3. num. 4. & Couarruuias in cap. Alma mater, par. 2. relectionis. §. 3. num. 9.

Sententiæ huius certiora & tutiora ſubſidia hæc ſunt. Primum, quia cuncti fatentur excommunicationis pœnam ab Eccleſia inuentam eſſe, & legem vitandi excommunicatos ab eadem conſtitutam eſſe: & quoniā cunctæ Eccleſiæ leges mira humanitate & benignitate temperatę ſunt; nullam adhuc ſanxit, vt rectè obſeruauit Sotus loco quem ſuprà memorauimus, quam cum pernicie & interitu corporum ſeruari vellet: poſſit autē eiuſmodi aliquam ferre, pro qua mors eſſet neceſſario oppetenda, in dubium vocatur à multis. 4.

Ochamus poteſtatem eſſe in Eccleſia eius generis leges condendi, & populo Chriſtiano imponēdi, negauit in ſuo dialogo, par. 1. lib. 7. c. 57. cùm ſcripſit vniuersè non poſſe Eccleſiā onera, quæ ſunt valde grauia, Chriſtianis imponere, niſi fortè ex diuina lege eadem onera ferenda eſſent. Gabriel confirmat ſententiam Ochami in 4. ſent. d. 18. q. 3. art. 3. dub. 4. Syluester, in verbo, Excommunicatio. 5. num. 23. ſcribit his verbis: Non tenetur quis obedire Prælatis præcipientibus ſubire mortem, aut verbera, vel aliquid facere, ad quod iſta ſequuntur, vt ſupr. caritas, §. 2. & inf. relig. 6. §. vlt. Idem quod Syluester anteà docuit Angelus, in verbo, Excommunicat. 8. num. 18. & Roſella, in verbo, Excommunicat. 6. col. 2. niſi, ad-

dunt Angelus & Roſella, cùm præcipit Prælatus id, quod ad communem ſalutẽ, & ad fidem ſpectant. Sed Caietanus in 2.2.q.96.artic.4 erroneam vocat opinionem, quæ Eccleſiæ adimit ius condendi leges, pro quarum obſeruatione ſit etiam vita neceſſariò deſerẽda: quod ipſum ius in Eccleſia reſidere ait Sotus, in 4.diſ.22. q.1.art.1.concl.5.caſu 5.& Couarr.citato loco, & à nobis probatũ eſt in noſtro Apologetico, cap.4. num.2.haud leui argumentatione.

Sed fac poteſtatem hanc eſſe permiſſam Eccleſiæ, inficiamur tamen ad hanc diẽ illa vſam eſſe, vt inquit Sotus eo loco.

5. Secunda ratio. Quando duo præcepta eodem tempore concurrunt, minus concedere debet maiori: ſed præceptum vitandi excommunicatos in diuinis, eſt humanum, & minus, præceptum verò conſeruandæ vitæ eſt naturale & diuinum: ergo huic illud cedere debet.

Reſpondet Adrianus in ea quæſt.3.de clauibus, exceptione 8. dupliciter: Primùm, maiorem ſyllogiſmi propoſitionẽ locum nõ habere in iis præceptis, quamuis minimis, quæ prauitatẽ exuere numquam poſſunt, vt eſt præceptum de vitando mendacio, etiam leui; in quo vita potiùs dimittenda eſt, quàm obedientia præcepti, ſeu legis deſerenda. Deinde, nõ vult locum eſſe eidem propoſitioni, cùm caritas non quidẽ præcipiens, ſed ſuadẽs, elidit vim maioris præcepti: facitque vt pro honeſto, & vita, & omnia contemni poſſint.

Verbi cauſſa inuaditur quis à ſuo aduerſario: nec ſuam tueri poteſt vitam, niſi ea priuet aduerſarium: poteſt ſuam eligere necem, ne alteri eam adferat. Cùm ergo lex, quâ interdicitur communicatio cum excommunicato minitãte mortem, niſi ſecum communicetur, maximè in diuinis, prætermitti non poſſit ſine ſcelere, quia res prohibita eſt per ſe mala: & quãuis non eſſet per ſe mala, virtutis tamen eſſet mortem pro obedientia legis pergeti: ſequitur vires concidere argumenti.

Modum hunc diſſoluendi argumenti nõ vtcumque probabilem eſſe, ex refutatione contrariorum non multo pòſt intelligetur.

Tertia. Neceſſitas famis depellendæ largitur, vt communicare cum excommunicato poſſimus, ſine vlla culpa: ergo neceſſitas gladij vitandi, diſtricti ad necem noſtram, ius idem concedere debet.

Huius argumenti redarguendi, ab aduerſariis huius ſentẽtiæ, multi ſunt modi excogitati: quos recitat Panormitanus, explanans caput, ſacris, de iis, quæ vi metúſve cauſſa fiũt: cunctóſque reiicit, ſextum ille fabricauit.

In iis modis eſt quartus Antonij Butrij, ſeruiendũ neceſſitati famis eſſe: quoniam eius principium eſt intrinſecum, & qui illi non ſubueniret, ſibi ipſe mortem conſciſceret, quod nullo modo licet. At neceſſitas gladij oblata à Tyranno, ſeu à quouis alio certum periculum capitis oſtentante, cauſſam habet extrinſecam: quare ſi neceſſitati huic non pareatur, & occidamur, non ipſi noſtram, ſed alter cædem efficiet, ipſi verò dumtaxat ſuſtinebimus.

Panormitani modus, quem Adrianus in 3.q.de clauib. & quodlib.1. citatis locis probauit, hic eſt: In propulſanda fame in nullius ſceleris & iniquitatis ſocietatem venimus: nam & ego ſi panem petam ab excommunicato, rem æquam poſtulem: &, ſi ille det, rem item iuſtam & neceſſariam tribuat: at ſi me terrenti minis, vt coram eo ſacrificium faciam, morem geſſero, eius flagitio & iniquitati aſſentior. Addit illud etiam Adrianus in 3.q. de clauibus except.8. Famis quoque pellendæ curam abiiciendam eſſe, quando excommunicatus metum famis iniiceret.

Poſtrema ratio. Tum iura tum cunctorum Doctorum ſentẽtiæ propter noſtram, atque excommunicati vtilitatem permittunt, vt cum eo agere poſſimus: quantò igitur magis ad mortem fugiendam? Diceret eius vtilitatis tantùm cauſſam eſſe legitimã, quæ nullius turpitudi-

nis

nis contagione fœdatur: eiuſmodi non videri, quæ ex ea communicatione de qua eſt quæſtio, comparatur.

6. Sequitur, vt, quæ in contraria ſententia ſunt, frangamus. Sumebatur, legem abſtinendi à conuictu, & commercio excommunicatorum, eſſe diuinam; cui argumẽto per inficiationem, & per conceſſionem reſponderi poteſt.

Primùm ergo inficiamur legem hanc eſſe diuinam: ab Eccleſia enim inuentam & conſtitutã eſſe fermè fatentur omnes. Sed fac eſſe diuinam: dicemus nihilominus ex eo genere legum eſſe, à quibus ob vitæ conſeruationem recedere fas eſt: ſicut recedi poteſt à lege integrè confitendi, reddendi depoſiti, crediti æ pecuniæ reſtituendæ, rei alienæ nõ contrectandæ, quas omnes diuinas eſſe conſtat, & tres poſteriores etiam naturales. Præterea verba illa, *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, non tam valent ad prohibendum commercium (quandoquidem à Chriſto & Apoſtolis cum ethnicis & publicanis humanitatis & caritatis officia cuncta & munera communicata eſſe non ignoramus, atque eoſdem præſertim in recenti Eccleſia ex gentibus conflata Iudæis antelatos) quàm ad iſtorum hominum, qui Eccleſiam non audiunt, odioſam & deteſtabilem conditionem ſignificandam: magno enim erant apud Hebræos odio ethnici & publicani: & tãquã probroſum genus hominum auerſabantur. At ſacrarum actionum communicatio cum excommunicato per ſe mala eſt: ergo nullo tempore permiſſa.

Probandum eſſet antecedens huius enthymematis. Si enim res eſſet ſemper mala, non potuiſſet Concilium Conſtantienſe, & Martinus V. innocẽtibus Chriſtiãnis poteſtatem facere, in diuinis, & extra diuina communicãdi cum excommunicatis etiam publicis, iis dumtaxat exceptis, qui vel denuntiati ſunt, vel qui ſacrilegas manus clerico palam miecerunt, vt tergiuerſationi non ſit relictus locus.

Poſtremo loco opponebamus. Diſiungere ſe ab excommunicato, per vim & metum extorquẽte miſſæ ſacrificium, virtutis laus eſt: ergo ſecus agere vituperandum, & vitioſum eſt. Reſpondeo, virtutis eſſe non imperatæ, ſed voluntariæ: vt qui illud virtutis officium prætermittere velit, in nulla ſit culpa: eſſet autem ſi in eo articulo temporis, quo nõ audienti Tyrãnum, vel certam perniciem denunciantem, mors impenderet, non ſopita eſſet lex, communionem cum excõmunicato vetans in diuinis. Nec conſequens eſt, te, niſi ſequaris conſilia Euangelica, facere improbè, quia ea ſequens rectè, & ex virtute agis. 7.

Itaque in hac duarum opinionũ conflictione dicerem, in priore Chriſtiani officij perfectionem ineſſe, omni ſublata neceſſitate præcepti: in poſteriore, ius æquum tuendæ vitæ reperiri: quod ius tunc tamen euaneſceret, cùm Tyrannus, aut alius excommunicatus, aut propter fidei, aut Eccleſiæ, aut clauium, aut iudicis contemptum diuina communicari ſibi iuberet: tunc enim & illius minæ, & metus mortis, & mors ipſa contemnenda foret. Denique quoties præcepti omiſſio, aut Eccleſiam, aut Romanum Põtificem, ſeu Prælatum, inſigni afficit iniuria; aut grauiter offendit alios, nullo modo cenſenda eſt licere: ſed mors eſt potiùs oppetenda.

Quod autem Gabriel aiebat, in caſibus nõ conceſſæ communionis cum excommunicato poni à doctoribus eã, quæ eſt in diuinis, nec eos vlla vti exceptione: reſpondendum eſt, quamuis eius exceptionis multi non meminerint, non idcirco excluſam eſſe: à multis item incluſam, vt liquet ex catalogo auctorum ſecundæ ſententiæ. Nec dubitandum eſt, D. Thomam, & alios, neceſſitate imminentis mortis communionem in diuinis cum excommunicato excuſaturos fuiſſe: ſi ea de re ſingillatim & propriè diſputauiſſent. Nobis in 4. cap. noſtri Apologetici placuit prior opinio, quia tunc agebatur

batur de participantibus cum iniuria, non legis Eccleſiaſticæ tantùm, ſed iudicis, & ſententiæ ab eo iuſtiſſimæ contra eos pronunciatæ.

QVÆSTIO. XXXI.

1. Tres nodos habet propoſita conſultatio.

Primus eſt, an ego, qui certum habeo, Petrum Mediolani ſententia iudicis condemnatum, & excommunicatum eſſe, meo Prælato id ignorante, præcipienti Prælatò, vt coram Petro rem diuinam perficiam, aut diuina celebrem officia, parere illi debeam.

Secundus. Vtrùm excommunicato in ſacellum templi ſe recipiente, non orandi cauſſa, verùm vt illic latitet; & ne ab inſequentibus ſatellitibus cõprehendatur; vel qui alia de cauſſa illò acceſſit; ſacerdos, qui ad ſacram aram ſacrificium facit, & alij, qui ſacrificanti interſunt, ex illius conſpectu ſe eripere debeant.

Tertius. Num excommunicato aſſurgere, honoriſq; ſigna illi impartiri liceat. Loquimur autem de excõmunicato, qui vitandus eſt ex iure Concilij Conſtantienſis, Martiníque V. conſtitutione ad euitanda.

2. De prima controuerſia Petrus Peruſinus, cuius ſententiam D. Antoninus in 3. par. tit. 25. cap. 2. §. 2. refert, nec refellit, in cap. inquiſitionis, de ſententia excommunicationis ſic iudicauit: Prælati imperio obtemperandum eſſe: conteſtante tamen ſacerdote rem diuinam nequaquam cum excommunicato, ſed cum cæteris, qui excommunicati non ſunt, communicaturum. Additque Petrus, ſi quiſpiam ſit, quem publicè deuitare debeam, cum eo vſu me coniungi nõ poſſe, etiam præcipiente Eccleſia; potiúſque excommunicationem ſuſtinendam eſſe, quàm cum eiuſmodi homine habendam conſuetudinem vel communionem.

Vtraque pars huius ſententiæ meritò reprehendi poteſt, ac debet. Prior explodenda eſt: quia ſi excommunicatus ſit ex eo genere, cuius conſortionem Concilium prohibet Conſtantienſe, conſortionem in diuinis iubenti Prælato nullo modo obediendum eſt, ſi mihi eius excommunicatio minimè dubia eſt. cùm enim ab ipſis Apoſtolis lex perlata ſit de vitandis excõmunicatis, & ad hanc diem ab Eccleſia retenta, contra hanc legem mihi præcipere Prælatus non poteſt: nec quiſquam inferiori poteſtati obedire debet, cum iniuria maioris poteſtatis, vt probat D. Thom. in 2. 2. q. 104. art. 5. teſtimoniúmque Gloſſæ adducit, in ea verba, ad Rom. cap. 13. *qui poteſtati reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Si quid, (verba » ſunt Gloſſæ) iuſſerit curator, numquid » eſt tibi faciendum, ſi contra proconſulem » iubeat? Rurſum, ſi quid procõſul iubeat, » & aliud imperator, nũquid dubitatur illo » contempto, illi eſſe ſeruiendum. & q. 105. » artic. 2. Magis eſt debitum, quòd homo » obediat ſuperiori, quàm inferiori poteſtati: cuius ſignum eſt, quòd præceptum » inferioris prætermittitur, ſi ſit præcepto » ſuperioris contrarium. Et quia voluntas » præcipientis explorata, ac nota per ſe obiectum eſt obedientiæ, vt ipſemet D. Th. docet in ead. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 3. & q. 104. art. 2. ad 2. ideo, qui certam habet excommunicationem Petri, & de voluntate Eccleſiæ illius commercium vitantis, pro Prælato contra Eccleſiam ſtare non poteſt.

Nec minùs erratum eſt in altera parte ſententiæ à meo ciue Petro: cùm enim Eccleſiæ præcepta iuſta ſint, & eiuſdem præcepto vitandi ſint excommunicati, ſi iubeat me cum excommunicato quicumque ſit ille, verſari, facinus ſit Eccleſię nõ obtemperare: nec quidquam horum crediderim à pio Catholico addubitari.

3. De ſecunda difficultate Oſtienſis in cap. nuper, de ſententia excommunicat. aliique nõnulli opinati ſunt, ingrediente Eccleſiam excommunicato, quamuis nõ cauſſa precationũ, cæteris egrediendum eſſe.

eſſe. Sed Innocentio in idem caput, nu. 3. commentarij ſecus eſt viſum: cui ſunt hi omnes aſſenſi, Durandus in 4. ſent. d. 18. q. 5. num. 7. Palud. in eamd. diſt. q. 6. art. 1. Summa confeſſorum, lib. 3. tit. 33. q. 171. Supplementum, in verbo, Excommunic. Roſella, excommunicat. 6. num. 14. Tabiena, excommunicat. 8. num. 4. Armilla, eod. verbo. num. 39. Nauarr. in Summa, cap. 27. num. 33. Huius magis communis & veræ ſententię ratio perſpicua eſt: quia cùm prohibita ſit communicatio, huius natura exigit, vt qui in re quapiam communicant, eamdem velint, eiúſque ſint aliquo modo conſortes, ſeu participes, ſiue imperio, ſiue conſilio, ſiue ope, ſiue effectione, aliáve ratione qua factum cõſociari queat: at excõmunicatus qui precationem non eligit in Eccleſia, ſed aut perfugium, aut rem aliam ab actione orandi Deum, remotam, communionem habêre cum iis qui intra Eccleſiam orant, dici non poteſt: quare nec cæteri cum eo communicare dici debent.

4. De tertia quæſtione Paludanus in 4. ſent. diſt. 18. q. 6. artic. 2. & Syluester, in verbo, Excommunic. 5. num. 3. à quo citantur nonnulli canonum ſacrorum interpretes, ſed raci ſunt, cõtra legem committere eos, qui excõmunicato aſſurgũt, aliòve honorifico geſtu eum proſequuntur: hanc enim ſpeciem honeſtæ ſalutationis eſſe arbitrantur: ídque, vt inquit „ Paludanus, plus eſt, quàm ſalutare. Poſſet huc illud etiam addi, quòd Eccleſiæ hoſtibus, hominibúſque ſumma ignominia atque infamia ab eadem Eccleſia notatis, indignum eſt vlla reuerentiæ & honoris arguméta deferre: tales autem ſunt palam excommunicati, & iudicis ſententia damnati: nam nec eos tamquam ſuos commilitones, ſed tamquam rebelles aduerſarios agnoſcit Eccleſia, tantáque ſunt infamia, vt nec contrahere cum reliquis ciuibus queant: quod ipſum aliis infamibus hominibus minimè eſt denegatum.

Sed tamen à non minùs multis bonarum malarúmque rerum diſceptatoribus longè aliter exiſtimatum eſt: vt à D. Antonino in 3. par. tit. 25. cap. 2. vt à Summæ confeſſorũ auctore, qui etiam citat Gloſſam, in 3. lib. tit. 33. q. 145. vt ab auctore Supplementi, in verbo, Excommunic. 6. quæſt. quæ incipit, quid ſi aliquis aſſurgat, à quo comites eiuſdẽ opinionis proferuntur Gul. Summa confeſſorum, Directorium, lib. 3. §. 146. ab Angelo, in verbo, Excommunicat. 8. num. 4. citante quoque Rodonem: à Roſella, in verbo, Excommunicat. num. 14. à Ioanne Tabienſi, in verbo, Excommunic. 8. num. 5. à Soto, in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. concl. 2. qui affirmat ore fieri ſalutationem, & nimirũ apud Latinos genera illa loquendi, *meo nomine Ioannem ſalutabis, ſaluere iubebis, ſalutem dices, nuntiabis, imperties:* non externa ſigna honoris muta, ſed verba deſiderant. Ad hæc ſalutamus filios, filias, ſeruos, opifices, nullo ſigno iis delato honoris ſeu reuerentiæ: contrà magiſtratibus, principibus, maximis Pontificibus cuncta honoris argumenta præbemus aſſurgendo, capita detegendo, genibus flectendis: quos ipſos non dicimur conſalutare, ſed honore tantùm afficere.

Quare hęc opinio cùm & numero auctorum, & ratione, & humanitate ſit cõmendatior, eſt ſuperiori anteponenda: & quoniam Syluester quæſtionem hanc diiudicatam eſſe ſcribit à Roſella ſimiliter, vt is opinatur, quemadmodum lapſus ſit in ſententia Roſellæ, Syluester, ex eiuſdem auctoris verbis cuiuis facile fuerit intellectu. Sic igitur Roſella in verbo, Excommunicat. 6. num. 14. in extremo. 5.
Si autem excommunicatus eſt in Eccleſia, non cauſſa orandi, ſed pro alio negotio; non video quare in eadem Eccleſia orare nõ poſſim, ſecundùm Innocẽtium, extr. eo, cap. nuper, licèt aliis contrà: quibus magis conſentit Oſtienſis. Quis autem non videat in hac oratione, & ſententia Roſellæ, ab eo antelatam opinionem Innocentij opinioni Oſtienſis, & aliorum?

QVÆSTIO XXXII.

1. VArus publico iudicio crimine damnatus, & anathematis ignominia in ore & oculis ſuorum ciuium Pariſiis affectus, illinc exceſſit; Bononiam ſe contulit: vbi eſt eius excommunicatio ignorata: de ea certum habet Paulus, qui illi Pariſino, & damnatorio iudicio, quo è Chriſtianorum cœtu eiiciebatur Varus, interfuit.

Quæritur, an Paulus in conuictu vitare debeat Varum Bononiæ commorantem.

Quæſtionis explicationi præmunienda eſt diſtinctio in hoc genere apud Doctores percelebrata. Excõmunicatio aut in ſacramento confeſſionis, aut extra ſacramentum eſt patefacta: ſi in ſacramento, omnium rectè ſentiẽtium diiudicatio eſt, nec priuatim, nec publicè vitandum eſſe excommunicatum: ne fortè ex ea re vllam inuidiam, ſeu odium, confeſſionis ſacramentum ſuſcipiat. Si extra confeſſionem mihi de cenſura excommunicati certum eſt, aut huius non fallentis notitiæ me ipſum auctorem, & teſtẽ habeo; aut ipſum excõmunicatum; aut famam; aut viros, & teſtes fide dignos. Si talis eſt notitia, conuenit inter omnes à priuato conuictu excommunicati omnino fugiendum.

2. A publico quoque abſtinendum ſit, necne, ſi nulla fama, vel publicus ſermo, aut epiſtola condemnationem excommunicati Bononiam attulit, inter doctores concertatur: diuiditúrque tripartitò ſententia.

Nonnulli enim arcent Paulum à congreſſione Vari non ſolùm clandeſtina, ſed etiam publica. Horum princeps eſt Innocentius, in cap. inquiſitioni, de ſententia excommun. num. 2. Panormitanus, in cap. cùm non ab homines, de ſententia excommunicationis conſentit Innocentio, facitque Innocentianæ ſententiæ adiutricem Gloſſam, in cap. ad noſtram, 3. de iureiur. num. 7. ſui commentarij. Couarruuias in relectione, cap. Alma mater, de ſententia excommunicat. lib. 6. par. 2. §. 3. nu. 2. in Innocentium ferè alios concedere doctores, illiúſque communem eſſe opinionem auctoritate cõfirmat Nauarri, in cap. inter verba, 11. qu. 3. quam item opinionem adſcribit Maiori in 4. d. 18. q. 8. & Almaino in eamd. d. q. 1. art. 3. Alij, vt Durandus in 4. diſt. q. 5. in calce, & Paludanus in eamd. diſt. q. 6. art. 1. & 2. & Gabriel, in eamd. diſt. q. 3. artic. 1. litt. G. communionem priuatam negãt Paulo cum Varo, publicam concedunt.

Quidam, & horum maior eſt cuneus, ſic decernunt: ſi excommunicatio Vari probari Bononiæ poteſt, eſſe vitandum in publico; ſi probationum facultas non detur, non eſſe vitandum. Sic D. Antoninus, in 3. par. tit. 25. c. 1. §. 1. idipſum probans, auctoritate Gul. ſic Summa confeſſorum, in 3. l. tit. 33. q. 191. vbi ad Innocentij opinionem aggregat Gloſſam, & Hug. ſic Supplementum excommunic. 5. q. incipiente, quid, ſi audiui. Syluester. nu. 26. excommunicat. V. Armilla, in verbo, Excommunicat. num. 61. Roſella, in verbo, Excommunic. 6. num. 39. vbi tamen valde propendet in ſententiam Innocentij, & Panormitani, tum in cap. ad noſtram, 3. de iureiur. tum in cap. cum non ab homine, de ſententia excommunicationis, & quod dicunt, admonet eſſe notandum: & item ipſi monenti Roſellæ pareamus; animúmque ad Innocẽtij, & Panormitani dictum attendentes, ad quod tam multi alij attenderunt, quanti ſit, & quantum ponderis ad veritatem habeat, ratiocinando videamus. 3.

Septem igitur ſunt, quæ ad Innocentio aſſentiendum, animum meum impellunt.

Primum eſt auctoritas tanta doctoris, 4. quem reliqui Pontificij iuris explanatores, qui eum ſunt conſecuti, vti magiſtrũ agnoſcunt & colunt; cùm enim vtriuſque iuris ſcientia ſummè excelleret, luculentum, & eruditionis refertiſſimum

appara

apparatum in Decretalium volumen in maximis curis Pontificatus elucubratus eſt:& , quod in hac controuerſia, quæ in manibus eſt, tamquam doctor cenſuit, idem quãtum coniectura augurari licet, Pontifex decreuiſſet.

Secundum eſt, tot tantorúmque auctorum concurſus doctrinã in hac cauſſa Innocentij comprobantium : nam neque ab ea ſunt tertiæ opinionis patroni alieni : cùm velint neque poſſe in publico, cum excommunicato, de quo agimus, miſceri ſermonem, ſi eius excommunicatio probari poſſit. Quis autem ambigat non defuturas Paulo aduerſus Varum probationes Bononiæ, ſi Antiſtitem ciuitatis conſulat, qui de tota cauſſa, & condemnatione Vari, & nõ mentientibus litteris, & non adulterinis tabulis, Pariſiis mittẽdis Bononiam, celeriter doceri poterit : neque enim defenſores tertiæ ſententiæ excludunt à congreſſu Vari Paulum poſt probationem, ſed poſt facultatem probandi. Quamquam, quod hi auctores de neceſſitate probationis futuræ commenti ſunt, docet Innocentius eſſe ridiculum.

Sequitur tertium. Lex Eccleſiæ excommunicatum non toleratum vbique à fidelibus vitari præcipit; ergo in omni loco: ergo tam occulto, quàm publico.

5. Quartum. Quinque tantùm caſus excepti ſunt, qui cum excommunicato cõſuetudinem congreſſúmque permittunt: quos illo hexametro concluſerunt : *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.*

Verùm nullus ex his Paulo ſuffragatur, vt poſſit ad publicam Vari congreſſionem aſpirare: quare, &c. Dices opitulari vtilitatem & neceſſitatem tuendæ famæ Varianæ : ſed hoc ipſum ſeptimo redarguemus argumento.

Quintum. Si Rex Galliarum Varum hominem Gallum proſcripſiſſet, capitalíque pœna propoſita vetuiſſet, ne quis ſuæ obnoxius iuriſdictioni: aut intra, aut extra Galliarum fines illum ad congreſſum reciperet, quis obſecro, tam proiecta audacia reperiatur, aut tam impudenti actu, vt non minùs in publico, quàm in operto ſe à Varo ſecernat? Ergo quod in homine proſcripto ab Rege Galliarum non licebit, licebit in eo, quem more ſuo proſcribit Chriſtiana Eccleſia, & in quo diri anathematis mucronem figit?

Sextum. Ergo Paulo, ſi ſacerdos ſit, licebit coram Varo aliis præſentibus, qui non ſunt excommunicationis conſcij, & miſſas, & diuina alia officia celebrare: & quod nullo modo faciendum eſſet coram Iudæo vel Sarraceno, ſi is ignotus aliis, ſacerdoti cognitus, in cætera fideliũ multitudine verſaretur; fiet cotã excommunicato, quîcum eſt Eccleſiæ diſſidium conſtitutum; & cum quo ſeueriùs, quàm cum Iudæis & Sarracenis agit: nam cum hoc hominum genere, vt contrahatur, permittit : quod vt ne fiat cum excommunicato, quem palam anathemate perculit, ſeueris ſanctionibus interdicit.

6. Septimum. Si publica Pauli cum Varo communio legitimæ excuſationis ſpeciem, ſeu cauſſam haberet, ea foret, quòd nefas eſt homini nulla infamia notato Bononiæ infamiæ labem adſpergere : quod eueniret, ſi palam ſe Paulus à conſuetudine Vari abiungeret.

Tribus modis huius defenſionis vis eliditur. Primùm, quia Paulus occaſiones, ſiue cauſſas non congrediendi palam cum Varo, aut ab eo digrediendi, multas reperire poteſt, ſine vlla eiuſdem Vari offenſione, atque ignominia. Deinde, qui neceſſariæ legi paret Eccleſiæ, nõ debet de eius fama laborare, de qua nec ipſa laborat Eccleſia : imò cuius eſt ab eadem Eccleſia fama iuſtiſſimè iugulata. Denique, quia non videtur ius Varo relictum, aut famæ defendendæ, aut infamiæ propulſandæ contra iuſtam Eccleſiæ ſententiam, quæ in excommunicatũ, qualis eſt Varus, acerbiore pœna, quàm infamia ſit, animaduertit, deterioréque conditione eſſe decernit, quàm reliquos infames, & dedecore commaculatos, qui cæterorum hominum cõgreſſione atque

Digitized by Google

ſermone minimè prohibentur: multáque adminiſtrare queunt, quæ ſunt excommunicatis interdicta.

Nō igitur Paulus Varo infamiã infert, ſi eum publicè vitet, ſed ipſe, quocumque ſe defert, vitæ ſuæ ab Eccleſia, iuſtiſſimam anathematis infamiam inuſtam ferre cogitur: cuius infamiæ non ſecus abſtergere maculam poteſt, quàm pœnitentia facti & criminis, ac contumaciæ deteſtatione. Nam quoad excommunicatus in proteruitate & ſcelere perſeuerat, eum Eccleſia cuncto Chriſtiano populo execratũ vult eſſe, ac deteſtabilem.

QVÆSTIO XXXIII.

IN dubio nō ſemel eſt animus, hic illéve ſit nécne, ex eo excommunicatorum genere, quod ex Concilij Conſtantienſis, Martinique V. decreto eſt vitandum omnino.

1. In hac ancipiti mentis diſtractione, quid conſilij capiendum ſit, ignorant plerique.

Diſceptatur, & finitur hæc controuerſia à D.Thoma quodlib.4.q.8. artic.14. vbi his verbis ab eo proponitur quæſtio.
» Vtrùm debeant vitari illi excommunica-
» ti, de quorum excõmunicatione eſt apud
» peritos diuerſa ſentẽtia: quamquam forma quæſtionis allata à nobis eſt paullo latior, magíſque diffuſa.

Quæſtioni ad hunc modum reſpon-
» det ſanctus Doctor. Reſpondeo, dicen-
» dum, quòd dubitatio de excommunica-
» tione aliquorum, aut præcedit ſentẽtiam
» iudicum, aut ſequitur; ſi præcedit, pura
» cùm nondum eſt declaratum per iudicũ
» conſenſum aliquos eſſe excõmunicatos,
» non ſunt vitandi, quouſque certo iudicio
» terminetur: in hoc enim caſu certum eſt,
» quòd in mitiorem partẽ interpretari de-
» bemus. Vnde, & Deuter.17. dicitur: Si
» difficile & ambiguum apud te iudicium
» eſſe perſpexeris, & iudicum intra portas
» tuas videris verba variari, venies ad ſa-
cerdotes & iudicem, quæréſque ab eis »
& facies quodcumque dixerint: ſed ſi »
ambiguum oriatur poſt concordem »
iudicum determinationem, magis ſtan- »
dum eſt ſententiæ iudicum, duplici ra- »
tione. Primò quidem, quia iudices ſol- »
licitiùs diſcutientes negotiũ, pleniùs poſ- »
ſunt percipere veritatem, etiamſi ſint mi- »
nùs periti, quàm alij, qui perfunctoriè »
conſtituuntur & extraordinariè. Secun- »
dò, quia hoc eſſet magnum nocumen- »
tum vtilitatis communis ſtatus homi- »
num, ſi ſententiæ non ſtaretur: ſed quili- »
bet pro ſuo libito vellet ſententiæ ca- »
lumniam ingerere: quia ſic litigia eſſent »
interminabilia: & ideo in tali caſu magis »
ſtandum eſt ſententiæ iudicum, niſi fortè »
ſit per appellationem ſuſpenſa. Hæc D. »
Thomas cum quo de hoc ſuo iudicatu neminem vidi diſſentire, conſentire autem animaduerti paucos, vt D. Antonin. in 3.par.tit.25.cap.1.§.1. vt Adrianum in 3.q.de clauibus except.7. §. ſed quid ſi »
dubius: vbi ſe ipſe citat in quodlibeto, »
quod ſcripſit de dubio. Syluestrũ, in verbo, Excommunic.5. num.2 Roſellam, in verbo, Excommunicatio, 6.num.34. Angelum, in verbo. Excommunicat.8.num.15. Nauarrum, in Summa, cap.27.nu.27. redditque rationem: nam qui dubitans de alterius excommunicatione eum coram aliis vitaret, inferret ei iniuriam. cõcluſionis & rationis laudat auctorẽ Maiorem in 4.diſt.18.q.2.col.2.

Huius ſentẽtiæ comites habemus Auctorem Supplementi, in verbo, Excommunicat.6.quæſt. quæ incipit, quomodo »
vitandi ſint illi. Auctorem ſummæ con- »
feſſorum, lib.3.tit.33.q.194. à quibus duobus auctoribus totidem verbis recitatur ſententia Diui Thom. quot eſt à nobis deſcripta.

Verùm, quia propoſita à nobis quæſtio, amplior eſt, quàm eſt Diui Thomæ explicatio, enodationem magis dilatatam adferamus, eámque in aliquot enunciata conferamus.

Primum enuntiatum. Si dubitatio de

crimi

criminoſa inſcitia nota ſit iuris, vel facti, vel quia fidem abrogat famæ, aut teſtibus idoneis, hominibúſque fide dignis; aut ipſimet excommunicato de ſua excommunicatione teſtificanti, quæ omnia, & ſingula perſuadent excommunicatum vitandum eſſe; dubitatio abiicienda eſt: quia vitioſa eſt, nec excommunicandum cum excommunicato.

Secundum enuntiatum. Si illa ipſa, quæ in primo enuntiato numerata ſunt, oſtendunt homini cauto & prudenti vitari non oportere eum, de quo temerè dubitatur; ex animo pellenda eſt dubitatio; nec vitandus excommunicatus.

Tertium enuntiatum. Quando dubitatio eſt eiuſmodi, vt etiam ſapientis viri animum occupare poſſit, & iniurioſa eſt vitatio ei, de quo ambigitur excommunicatus ſit nec ne, hæſitatione reiecta communicandum eſt.

Quartum enuntiatum. Si is, quem hodie certò ſcis eſſe excommunicatum, poſt annum, vel tempus longius, aut breuius ſe tibi offerat, nec vides eum ſe gerere tamquam excommunicatum, vel dicit ſe ab Eccleſia abſolutum, ſi vir frugi ſit & Eccleſiæ reuerens leges, credi poteſt abſolutionem & veniam ab eadem Eccleſia impetrauiſſe; contrà putandum eſt cenſura nequaquam exſolutum eſſe, ſi homo ſit nequam, & flagitioſus.

Omnia hæc enuntiata è communi ſuperiorum doctorum doctrina deprompta ſunt; quos iis in locis, & ſcriptis conſulere potes, vbi de excommunicatione minore, vel de participatione cum excõmunicatis, copioſè ac ſedulò diſſerunt.

QVÆSTIO XXXIV.

1. IN præſentem conſultationem nonnulla genera perſonarum veniunt, quarum commercio, num, vel quando excommunicatio obſtet, diſceptari ſolet. Mihi in animo eſt Doctorum ſententias varias perſequi: &, quæ mihi videatur ad veritatem propius accedere, ſine vlla diſputatione aperire.

Quæritur de vxore innocente, an connubiale debitum reddere cogatur viro, cui non propter vitium matrimonij non iure contractum, ſed propter aliud delictum eſt ab Eccleſia inflicta excommunicatio.

Gloſſa, in cap. quoniam multos 11. q. 3. citans Hug. negat virum excommunicatum poſſe ab vxore debitũ petere, quamuis reddere debeat. idem affirmat Syluester, in verbo, Excom. 3. effectu, 14. & Ioannes Tab. in verbo, Excommunicatio, 1. num. 17. ſed ſi ambo putant, non peccari à viro mortiferum peccatum, ſi exigat: ergo ſi vir non habet ius exigendi: vxor nõ habebit onus reddendi. Contraria ſententia vera eſt, à Theologis defenſa, atque etiam à Syluestro, in verbo, Excommunicatio, 5. num. 4. & à Tabiena, Excommunicatio, 8. num. 9. retenta, quam auctoritas Innocentij III. ſua Decretali canonem Gregorij, quoniam multos, interpretantis, planè confirmat.

Declarat enim, eas perſonas, quæ excommunicatis ante excõmunicationem obnoxiæ erãt, poſt excommunicationem quoque manere obnoxias, & ad familiare teneri obſequium (verba ſunt Decretalis) & ita per conſequens ad communionem teneri ſine qua illud nequeunt exhibere. Prætere a non minore vinculo ſeruitutis in iis quæ ad matrimoniũ pertinent, obſtricta eſt viro vxor, quàm ſerui dominis ſuis: ſed ſerui munera & obſequia, quæ ante excommunicationẽ præſtabant dominis, præſtare quoque debẽt eiſdem poſt excommunicationẽ ex Decretali Gregor. VII. quoniam multos, 11. quæſt. 3. & ex Decretali Innoc. III. inter alia de ſententia excommunicationis: quare, &c. è multis Theologis videre potes, ſi voles, Paludanum, in 4. diſt. 18. quæſt. 6. art. 2. Adrianum, in 3. quæſt. de clauibus, exceptione, 6. Gabrielem, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 1. notab. 3. Nauar. in Manueli, cap. 27. num. 26. & 27. 2.

3\. Quæritur ſecundò loco, vtrùm filiis emancipatis ſit legitima communio cum parentibus: nam illis, qui in patria ſunt poteſtate, eſſe nemo inficiatur. Paludanus, in 4.ſent. diſt. 18. quæſt. 6. art. 2. ad communionem hanc admittit emancipatos; ſed reliqui omnes eos excludunt. D.Thom. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. ad quæſtiunculam 1. D. Bonau. in eamdem diſt. parte 2. quæſt. 5. num. 75. Alexand. Hal. in 4. par. quæſt. 22. memb. 1. art. 6. Durand. diſtinct. 18. 4. quæſt. 5. num. 9. Gloſſa, in cap. quoniam, 11. quæſt. 3. Oſt. in Summa, lib. 5. tit. de Excommunicatione, folio proximo, à poſtremo, in §. humile, nec aliter ceteri docuerunt. Dictum autem Paludani verum eſt, quando filij emancipati, paternæ menſæ & domus participes eſſent, ſeu, vt alij loquuntur, quando ſunt commenſales.

4\. Tertiò dubitatur. Poſsítne Pater non excommunicatus communicare filio excommunicato, & dominus ſeruis & vir vxori. Alexander Hal. in 4. par. quæſt. 22. memb. 1. art. 6. vult, virum communicare poſſe vxori, ſed non poſſe patrem filiis, nec dominum ſeruis: nam hæc pœna iuſta debetur illorum incuriæ, & negligentiæ: qui à tanto malo non auerterunt eos, qui in ipſorum ſunt poteſtate & fide. Gloſſa, in cap. quoniam, 11. quæſt. 3. idem quod Alexander: affirmátque Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 27. Gloſſam communiter eſſe receptam: ſed affingit Gloſſæ, quòd idem ſenſerit de viro, cum vxore. Supplementum, in verbo, Excommunicatio, 6. quæſt. quæ incipit, ſed numquid patres, & domini, eiuſdem fautores ſententiæ citat, Guil. Goff. Oſtien. Ray. Summa confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 131. profert etiam Hugonem & Innoc.

5\. Sed Theologi ſecuti Diuum Thomã, æquiorem ſententiam attulerunt, vt poſſint patres cum filiis excommunicatis communicare, & cũ ſeruis domini, cùm illis ipſis prouidentiã & gubernationem debeant. D. Thomas, in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. Durandus, diſt. 18. quæſt. 5. numer. 9. Turrecremata, in cap. quoniam multos. Driedo, de libert. Chriſtiana, quos citans ſequitur Couarr. in relect. cap. Alma mater, part. 2. §. 2. num. 8. Adrianus, in 3. quæſt. de clauib. except. 6. §. ſi petas ſecundò, in cuius §. » fine, his verbis ſcribit, ex his patet pro » ſcrupuloſis, quòd nec pater familias re- » pellere tenetur ſuos commenſales, poſt- » quam inciderint in excommunicationẽ. » Sotus, in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. concl. 5. caſu 2. Summa confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 131. & 132. Angelus, Excom. 8. num. 8. Tab. Excom. 8. num. 9. Sylueſt. Excommunicatio, 5. num. 17. Nauar. in Man. cap. 27. numer. 27. D. Antoninus, par. 3. tit. 25. cap. 1. §. 1. ſententiam Diui Thomæ, atque Oſtienſis, quæ contrariæ videntur, ſic inter ſe concinere arbitratus eſt, vt Diuus Thomas locutus ſit de filiis, & ſeruis, qui pro ſua abſolutione laborãt. Oſtienſis de iiſdem, cùm eam negligunt. Verùm Sylueſter defendit ſententiam Diui Thomæ eſſe ſimpliciter veram.

Quarta difficultas in eo genere verſatur perſonarum, quæ Sacramento fidelitatis ſunt ſuis dominis obligatæ, quas *vaſallos* nuncupant. Numnam propter excommunicationem dominorum, obſequiorum, & munerum, quæ præſtabant dominis, poſt excommunicationem, immunitatem adipiſcentur? Richardus, in 4. diſt. 18. art. 11. quæſt. 1. bis dat immunitatem: probat eam ex cap. nos ſanctorum, & ſequenti, 15. quæſt. 6. & ex cap. grauem, de pœnis, in textu, & in Gloſſa. & canones ſunt valde perſpicui. Fauent Richardo Hugo, quem citat Gloſſa, cuius etiam opinionem dicit eſſe tutiorem. Roſella, in verbo, Excommunicatio, 6. num. 6. Supplementum, in verbo, Excommunicatio, 6. quæſt. Sed numquid vaſalli. citat Summam confeſſorum, & Guil. cuius eſt ſuperior Gloſſa. Diuus Antoninus, in 3. part. tit. 25. cap. 1. §. citans Hugonem. Ad hanc opinionem magis propendere videtur Sylu. nam Sacramento fidelitatis eos non teneri affirmat, excom. 5. num. 8. 6.

Contra

Contra ſuperiorum Doctorum opinionem certant hi. Paludanus, in 4. diſt. 18. quæſt. 6. art. 1. & 2. Gabriel citans, & ſequens Paludanum, in eamdem diſtinct. quæſt. 3. art. 1. litera F. Angelus, in verbo, Excommunicatio, 8. num. 11. vbi teſtatur hanc veriorem eſſe ſentētiam. Syluester, Excommunicatio, 5. numer. 18. vult ab hoc hominum genere conferri debere tributa, ſolui penſiones, reliqua tis munera remitti. Summa confeſſ. lib. 3. tit. 33. quæſt. 136. & Syluester, in verbo, Excommunicatio, 5. num. 18. fatentur, Innocentium & Oſtienſem, in cap. veritatis, de dolo & contumacia, de hac controuerſia ambiguè ſenſiſſe. Et conſequenter, inquit Syluester, ſecundùm eos eligenda eſt tutior, id eſt, præcedens. Sine dubio prior opinio eſt ſacris ſanctionibus magis, quàm poſterior, conſentanea.

7. Quinta & poſtrema quæſtiuncula. Poſsintne monachi ſuo Abbati excommunicato communicare. Richardus, in 4. diſt. 18. artic. 11. quæſt. 3. & Palud. in eamdem diſt. quæſt. 6. art. aiunt non poſſe: ſententia hæc videtur Gloſſæ, in cap. Sacerdotes & reliqui, 2. q. 7. his enim verbis eſt in Gloſſa. „Si Prælati ſunt hæretici, vel excommunicati, vel non ſeruant „canones, vel Simoniaci, vel notorij fornicatores, tunc recedi poteſt ab eis ante „ſententiam, 19. diſtin. nulli, 16. quæſt. vlt. ſanè, 32. diſtin. nullus. In contrariam ſententiā itum eſt ab his omnibus, ab Adriano, in 3. quæſt. de clauibus, exceptione. 6. §. petes fortaſſe tertiò, vbi ſcribit, multos alios conſentire cum Richardo & Paludano, atque his verbis ſextam illam exceptionem claudit. „Sed verum eſt, quòd „ei, in iis quæ ſuperioritatem reſpiciunt dignitatis, obedire non tenentur. Sotus, d. 22. quæſt. 1. art. 4. concl. 5. caſu 2. Supplementum, Excom. 6. quæſt. ſed quid de Monachis, citátque Guil. & Summam confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 140. D. Ant. in 3. par. tit. 25. c. 1. §. 1. citans eundem Guil. Tabienſis, Excommunicatio, 8. num. 9. Syluester, Excom. 5. num. 4.

Poterunt igitur Monachi ſuo Abbati operam nauare in rebus neceſſariis: ſed, ſicut nec vxori, nec filiis permittunt Doctores communem menſam cum viro, & patre, & præcipiūt, vt quoad fieri poteſt, pareant cenſuræ excommunicationis, & à conſortione abſtineant: ſic & multo magis, id facere debent Monachi, quos cum ſuo Abbate non ita arctum vinculum, & ius neceſſitudinis adſtringit.

QVÆSTIO XXXV.

QVam ordimur quæſtionem, haud 1. docci faciēda eſt: ſanctionem enim Martini V. Conſtantienſis Concilij aſſenſu comprobatam cum decreto Concilij Baſilienſis, de vitandis excommunicatis conferemus: &, vtri ſtandum ſit, anquiremus.

Principio igitur ignorare illud nullo modo licet, duas formulas, ſiue rationes vitandi excōmunicatos in duobus Conciliis compoſitas, editáſque eſſe. Prior cōfecta eſt in Concilio Conſtantienſi Martino V. confirmante: poſterior, in Baſilienſi, ante diſſidium, eiúſque abrogationem, vt teſtes ſunt multi, vti Nicolaus auctor Supplementi, in verbo, Clericus, 3. quæſt. poſtrema. Adrianus, in 3. q. de clauibus, except. 1. mentionem facit Baſilienſis: ſed illam antequam diſcinderetur Concilium promulgatam fuiſſe non addit: imo verò ex eius verbis cōtrarium apparet: teſtantur tamen alij ante ſchiſma promulgatam eſſe, vt Maior, in 4. diſt. 18. quæſt. vnica, in vetuſtioribus, 2. prop. ad 4. argum. columna, 3. à poſtrema. Vti, Roſella, in verbo, Excommunicatio, 6. num. 44. Vti Syluest. in verbo, Excommunicatio, 5. num. 7. Vti Diuus Antoninus, in 3. par. tit. 25. c. 2. §. 2. & cap. 3. & Supplementum quidem addit ab Eugenio IV. approbatam fuiſſe.

Prior autē multis annis antè in Concilio Conſtantiæ habito, Pontifice Martino V. vt dictum eſt, edita fuit. Baſilienſem 2.

ſem auctor Supplementi, in verb. Clericus, 3. non longè ab extremo, narrat Florentiæ ſe deſcripſiſſe à Iuliano Cardinali intra eius cubiculum; qui Baſilienſi Concilio præfuit: deſignátque tempus, quo conſtitutionem à Cardinali ſibi oſtenſam tranſcripſit, 2. Decemb. 1440.

Erat autem conſtitutio his verbis digeſta: *Ad vitandum ſcandalum, ac multa pericula, ſubuenendum quoque conſcientiis timoratis, ſtatuit, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum adminiſtratione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra prætextu cuiuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare; niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura huiuſmodi fuerit vel contra perſonam, collegium, vel vniuerſitatem Eccleſiaſticam, aut locum certum, aut certam à iudice publicata, vel denunciata, ſpecialiter, & expreſſè: aut ſi aliquem ita notoriè excommunicationis ſententiam conſtituit incidiſſe, quòd nulla poſſit tergiuerſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari: nam à communione illius abſtineri vult iuxta canonicas ſanctiones. Propter hoc tamen huiuſmodi excommunicatos ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

Couarruuias, in relectione cap. Alma mater, par. 2. §. 2. num. 7. ſupponit etiam ipſe Baſilienſis conſtitutionis exemplum, quod ex ipſomet Concilio profitetur ſe expreſſiſſe ſeſſ. 20. Kal. Febr. 1435. quod exemplum in multis partibus diſcrepat ab exemplo, & deſcriptione Supplementi. Quod autem dicit Couarr. ab Archiepiſcopo Florentino idem exemplũ proditum eſſe, longè aliter ſe res habet: vt non multò pòſt intelligetur: cùm exſcriptum exemplar à Diuo Antonino ſubiiciemus.

3. Baſilienſe decretum, quàm Conſtantienſe, ſequi maluerunt Panormitanus, in Clem. 2. de ſententia excom. & qui eum citant, & ſequuntur, Felinus, in cap. Rodulfus, de reſcr. numer. 39. & Sylueſt. in verbo, Excom. 5. num. 10. & Couarruuias loco, quem iam indicauimus; quamquam ipſe Couarruuias qui conſtitutionem Baſilienſem interpretatur in relect. cap. Alma mater, par. 2. §. 2. à num. 7. non ita firmum veſtigium figit in ſanctione Baſilienſi: firmiſſimum autem ponit Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 35. & in cap. 1. §. laboret, de pœnit. diſt. 6. teſtatúrque Nauarrus, eamdem conſtitutionem reperiri in ſtatutis Eccleſiæ Gallicanæ, in tit. de excommunicat. non vit. & renouatam eſſe in Concilio Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 11. & in concordatis inter eum, & Franciſcum Galliarum Regem.

Illud autem lectorem admonitum volo exemplum à Nauarro deſcriptum ab iis omnibus longè diſcrepare, quę reliqui omnes ſcriptis conſignarunt. Eſt hoc Baſilienſis decreti proprium, quo à Conſtantienſi ſeiungitur: quod Baſilienſe vult vitari quemlibet notoriè excommunicatum: id quod de notorietate facti Couarruuias interpretatur: at Conſtantienſe vitari præcipit duplex excommunicatorum genus dumtaxat. Primum, eſt eorũ quos iudicis ſententia condemnauit, ac denuntiauit; alterum, eorum qui tam perſpicuè & manifeſtò violẽtas manus in clericum iniecerunt, vt factum nulla poſſit tergiuerſatione, iuriſve ſuffragio excuſari: & de primo genere cum Conſtãtienſi Concilio conuenit Baſilienſe.

Eſt igitur Conſtantienſis conſtitutio à Diuo Antonino his verbis perſcripta, in 3. par. tit. 25. cap. 3. *Inſuper ad euitandum ſcandalum, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus: quòd nemo deinceps à communione alicuius in adminiſtratione Sacramentorum, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis intus & extra prætextu cuiuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, à iure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia vel cenſura huiuſmodi fuerit illata con* 4.

ta con

ta contra perſonam, collegium, vniuerſitatem, Eccleſiam, communitatem, vel locum certum, vel certam, à iudice publicata, vel denuntiata ſpecialiter: & expreſsè conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis in contrarium facientibus, non obſtatibus quibuſcunque: ſaluo ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in clericum ſententiam latam à canone adeo notoriè conſtiterit incidiſſe, quòd factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à communione illius licèt denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri iuxta canonicas ſanctiones, in Concilio Conſtantienſi ſub Martino V.

Et quia iactabant nonnulli, conſtitutionem, nec ab omnibus receptam maximè à natione Italica, & eſſe quinquennalem, addit ſe à duobus egregia doctrina & auctoritate viris, qui Synodo interfuerunt Conſtantienſi, accepiſſe ſanctionem ipſam à patribus Synodi propoſitá, à cunctiſque receptá, & probatam eam, alterique illorum, quem nominat D. Antoninus, confirmaſſe Romæ Martinum V. perpetuam eſſe conſtitutionem: idémque Iulianum Cardinalem, qui cameræ Apoſtolicæ auditor erat, reſpondiſſe. & concludens tertium illud cap. D. Anton. Non fuit, inquit, reuocata, ſed in Concilio Baſilienſi confirmata ante ſui diſſolutionem.

Ex hac narratione perſpicimus, coniectura deceptum eſſe Couarruuiam: qui in 2. part. relect. cap. Alma mater. §. 2. num. 7. ſcripſit ideo, quia ſibi ſæpe Conſtantienſis Synodi acta perlegenti, conſtitutio hæc numquam occurrit, putare ſe à Martino V. tempore Concilij ſine decreto Concilij conditam eſſe: nam duo illi præſtantes viri coniecturam opinationémque refellunt Couarruuiæ: exempla etiam multorum Conciliorum eandem coniecturá redarguunt: ideo, quòd multa decreta, actáque Conciliorum, non ſolent euulgari, interdum etiam nec excipi, nec in codicem referri.

5. Octauam Synodum habemus Græcè & Latinè, mirè mutilatam: plenam ipſe vidi in Diui Marci Bibliotheca in libro quodam Beſſarionis, ab Anaſtaſio, Vaticanæ Bibliothecæ præfecto, in Latinum conuerſam: quæ, vt typis excuderetur, literis ad ampliſſimum Cardinalem Caraſam datis ipſe auctor fui, iſque ad me reſcripſit, quando generalia Concilia imprimenda forent, ita prorſus factum iri. Rei conſiliũ, & euentum tanti viri acerbus præuertit interitus. Quid in Cõcilio Florentino, quod opera Abrami Cretenſis Latinum habemus, quàm multa deſiderantur, quæ quinque & viginti ab hinc annis ego in Græco Romæ reperi? quod vtinam numquam manaſſet: nam illius ſcriptorem hominem Græcum ſchiſmate corruptum extitiſſe mihi certis coniecturis Græcam illam Synodum peruoluenti cognitum fuit.

6. Sed ad Conſtantienſis Concilij & Martini V. conſtitutionem redeamus. Cuius exemplum à Diuo Antonino deſcriptum non pauci ſecuti ſunt, atque in ſuos libros tranſtulerunt, vt Roſella, in verbo, Excommunicatio, 6. num. 44. Angelus, Excommunicatio, 8. §. 3. Tabiena, in verbo, Interdictum, 3. num. 10. Caietanus, in verbo, Excommunicatio, extrema parte tractatus: in qua agit de Excommunicatione minore. Gabriel, in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 1. notab. 3. Sotus, in 4. diſtin. 22. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 1. Toletus, in Summa caſuum, lib. 1. cap. 13. Syluester, in verbo, Excommunicatio, 5. num. 7. Felinus, in capite, Rodulfus, de reſ. nu. 39. qui omnes, Syluestro & Felino exceptis, Concilij Conſtantienſis exceptioné de notorio tantùm percuſſore clerici amplexi ſunt: quã item amplexi ſunt Adrianus, in 3. quæſt. de clauibus except. 1. & 9. quæſt. de confeſſione. §. in oppoſitum, in 3. verò quæſt. de clauibus except. 1. conferens Concilij Conſtantienſis conſtitutionem cum decreto Baſilienſis Synodi, ſcribit ad hunc modum.

Sed quia de illius auctoritate plures »
dubitant; & communiter ei pondus au- »
ctoritatis non defertur, poſſumus ſtare »

„ Concilio Conſtantienſi, & eſt pro con-
„ ſolatione timoratorum. & paulò antè di-
„ xerat. Concilium Baſilienſe excepit ge-
„ neraliùs, vt in forma authentica ſub ſigil-
„ lo Concilij in archiuiis noſtræ Eccleſiæ
„ reperi, cùm aliquem ita notoriè conſtite-
„ rit ſententiam excommunicationis inci-
„ diſſe, vt nulla poſſit, &c. quam tamen ex-
„ ceptionem is ſemper contempſit, conten-
„ tus ea, quam Conſtantienſe præſcribit:
quam ſolam probat etiam Victoria in tractatu, de Excommunicatione, quæſt. 18. & Sotus, in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 1. vbi poſt deſcriptam conſtitutionem, eo modo, quo exſcripſit D. Antoninus, refutatis Panormitano, Syluestro & Felino, qui in Baſilienſi exceptione, quæ amplior eſt, hæret, ſubiungit hæc
» verba: Et ideo iam more & vſu Eccleſiæ
» receptiſſimū eſt, vt nō euitemus niſi duas
» illas excommunicatorum ſpecies, quas
» prædictum Concilium iuſſit. Eadem exceptione vtitur Armilla, in verbo, Excōmunicatio, num. 50. & in verbo, Abſolutio, num 30. Toletus, in Summa, de inſtruct. Sacerdotum, lib. 1. cap. 3. recitata tota conſtitutione, quemadmodum reci-
» tat D. Anton loquitur his verbis: Viſum
» eſt mihi ſtare prædictis doctoribus gra-
» uiſſimis, & fide digniſſimis: quibus ad-
» hæſit communis vſus: fideles enim tam
» Romæ quàm alibi non vitant conuerſa-
» tionem cum excommunicatis, niſi nomi-
» natim excommunicati & denuntiati ſint,
» aut publici percuſſores clericorum. Ne-
» que Couarr. loco citato auſus eſt diſce-
» dere ab exceptione Conſtantienſi.

7. Neque Nauarrus aliò ob ea quæ adferr, debebat mente abduci: poterat enim prudens ſenex facilè animaduertere conſtitutionem illam ſiue Concilij Lateranenſis, ſiue Leonis X. coniectam eſſe in concordiam, quæ inter Leonem X. & Franciſcum I. Galliarum Regem tunc fiebat: quæ Leonis conſtitutio quamuis contractior ſit, quàm extrauagans Martini V. ad vitanda, nihilominus cùm vetus Martini conſtitutio reuocata non ſit, exiſtimandum eſt, eam in iis omnibus regionibus valere: propter quas non fuit edita Leonis Conſtitutio, qui tunc leges tantùm ferebat Galliarum Regi in ſuis prouinciis ſeruandas.

Ac licèt Leonis conſtitutio generalis eſſet, in qua pro notoria manus iniectione eſt quælibet publica excommunicatio, vſu tamē abrogata eſſet, recepta verò ſola Conſtantienſis cum exceptione tantùm ſacrilegæ & notoriæ manuum iniectionis in clericum. Profectò Caietanus, qui in Concilio Lateranenſi interfuit, ſemper in ſanctione Conſtantienſi commoratur, vt in Summa poſtrema parte de excommunicatione, & in verbo, Abſolutio, cap. Abſolutionis impedimenta. §. ex extrauaganti.

Neque ratio hæc reſpondendi, quæ in noſtra diſputatione de minore excommunicatione ſeptem & viginti ab hinc annos meditata fuit, viros latuerit multò nobis ſapientiores, qui poſt Concilium Lateranenſe ſunt morati in terris, Franciſcum Victoriam, Sotum, Cardinalem Toletum, alióſque non paucos.

Verumtamen ſeptem quædam alia 8.
poterant ad publicam doctrinam & perſuaſionem animum ſapientis ſenis adducere. Primum. Martini V. & Concilij Conſtantienſis, quando cum Romano Pontifice de vitandis excommunicatis legem ſanciebat, certa poteſtas. Secundum. Concilij Baſilienſis obſcura, atque incerta auctoritas. Tertium. Romanæ ciuitatis, & Curiæ conſuetudo, quam in ſuis ſcriptis Nauarrus identidem pro lege habendam eſſe inculcat. Quartum. Mos qui in Italia, & quàmplurimis exteris prouinciis vitandorum excommunicatorum ex ſanctione Conſtantienſi inueterauit. Quintum. Quòd nullus ex tanto numero magnorum Doctorum eius conſtitutionis meminit, quam profitetur Nauarrus ex Concilio Lateranenſi poſtremo prompſiſſe: quæ, ſi ad propoſitam quæſtionem feciſſet, de ea minimè ſiluiſſent. Sextum. Tot tantorúmque doctorū

ad

ad Martini V. conſtitutionem prouocantium conſpirans ſententia. Septimum. Sacerdotum ſacras pœnitentium confeſſiones excipientium quotidianus vſus, atque in Conſtantienſis Synodi ſanctione retinenda mira conſenſio.

QVÆSTIO XXXVI.

1. IN diſquiſitione ponitur, quiſnam poſſit à minore excommunicatione abſoluere: atque hæc nobis poſtrema erit diſceptatio de excommunicatione.

Communis eſt Doctorum opinio cenſuram hanc non poſſe niſi ab eo tolli, qui iuriſdictionem habeat; quare non à ſimplici Sacerdote carente iuriſdictione. Videto, ſi placet, Diuum Antoninum, in 3. par. tit. 25. cap. 2. §. 2. Richardum, in 4. diſt. 18. artic. 9. quæſt. 3. Durandum, in diſt. 19. quæſt. 4. Roſellam, in verbo, Abſolutio, num. 1. Angelum, eodem tit. 1. num. 1. Armillam, eodem tit. num. 37. Caietanum, in verbo, Excommunicatio, tractatione poſtrema de excommunicatione. Victoriam, in Summa, de Sacram. quæſt. extrema de clauibus. Sotum, in 4. diſt. 22. quæſt. 2. artic. 3. Petrum Sotum, lectione poſtrema de excommunicatione. Didacum, in relectione, cap. Alma mater, par. priore. §. extremo, num. 6. Ratio aperta eſt: cùm enim abſolutio actus ſit iudicialis, ab eo qui nó habet iuriſdictionem, excommunicatus minore excommunicatione non poteſt abſolui.

2. Sed tamen cùm hæc cenſura ob culpam venialem contrahitur à ſimplici Sacerdote, remoueri poſſe aiunt hi omnes, Ioannes Tabienſis, in verbo, Abſolutio, 2. num. 5. Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 25. & in cap. placuit de pœnitentia, diſt. 6. num. 25. Felinus, in cap. 2. de exceptionibus, numer. 8. vbi abſolutè ſcribit tolli poſſe excommunicationem minorem à quolibet Sacerdote; quod multo antea ſenſerat Altiſiodorenſis, in ſua Summa, lib. 4. quæſt. 4. quæ eſt de excommunicatione, ſeu cap. 4. D. Thomas, in 4. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 1. quæſtiunc. ſcribit his verbis: Reſpondeo » dicendum ad primam quæſtionem quòd » à minore excõmunicatione quilibet po- » teſt abſoluere, qui poteſt abſoluere à pec- » cato participationis; ſed à peccato venia- » lis participationis quilibet poteſt abſoluere ex ſententia Diui Thomæ, cùm peccatorũ venialium remiſſio ſequatur poteſtatem ordinis, vt is affirmat in ead. diſt. & quæſt. art. 3. in reſponſione ad primam quæſtiunculam, ad 3. argum. quare ex eiuſdem doctoris ſententia quilibet Sacerdos poterit abſoluere ab excommunicatione minore, quando in eam cum peccato veniali incurritur.

Quòd ſi obiicias caput, nuper, de ſententia excom. vbi minoris excommunicationis abſolutio permittitur Epiſcopo ac proprio Sacerdoti; reſpondebunt huius ſententiæ patroni, id verum eſſe, cùm quis eam cenſuram ob mortiferam culpam ſubit. & quamuis abſque iuriſdictione remoueri nó poſſit, cùm ſit vinculum Eccleſiaſticum, & abſolutio actus iudicialis ac iuriſdictionis, dici tamen appoſitè poteſt, ſiue à Deo, ſiue ab Eccleſia cunctis Sacerdotibus tribui poteſtatem abſoluendi, tum à leuibus culpis, tum à minore excommunicatione cùm eius ſubeũdæ pericula ægrè perrumpi poſſint: quando cum leui culpa ſuſcipitur in actibus humanis, atque politicis, ſine vlla cenſuræ clauiúmque contemptione.

De ſuſpenſione.

QVÆSTIO XXXVII.

CRebrò conſultus ſum de iis clericis, 1. qui vel extra tempora ſacræ Ordinationi præſtituta à iure, vel ante legitimam ætatem, vel ſine legitima facultate ſuſcipiunt ordines, ſint ne ipſo iure ſuſpenſi per extrauagantem Pij II. Cum ex ſa-

crorum, vbi ſuſpenduntur illi qui ſine legitima facultate, vel ætate, vel extra tempora à iure ſtatuta ordinem ſacrum accipere præſumpſerint; efficitúrque irregularis is, qui accepto ordine vtitur.

Afficit igitur pœna ſuſpenſionis conſtitutio eos tantùm, qui cum præſumptione ad ordines accedunt: quare ignorantia probabilis, & bona fides excuſat: vt rectè admonet Nauarr. in Summa, cap. 27. nu. 155. eſſet autem pœna ipſo iure eiuſmodi clericis inflicta nécne in controuerſiam vocarunt Summarum diſceptatores: & vno excepto Nauarro, crediderunt primam hanc ſanctionem non fuiſſe vſu receptam: atque ideo iſtiuſmodi clericos non ſuſpenſos, ſed ſuſpendédos eſſe: quibus omnibus contradicit Nauarrus loco citato.

2. Ego cùm triginta ab hinc annos eſſem Peruſiæ, illicque in noſtro templo de Chriſtianis officiis ſcholas explicarem, Romam ſcripſi, vt de tota controuerſia erudirer. Reſponſum eſt, illam Pij II. extrauagantem reuixiſſe: ac nimirum eſſe ipſo facto ſuſpenſos, qui ſic recipiunt ordines. Quam conſtitutionem renouauit Xiſtus V. in ſua conſtitutione contra clericos malè promotos, & Clemens VIII. iſtorúmque clericorum in ordinibus ſuſcipiendis peccantium pœnas Xiſtus auxit. Verùm Xiſtinam conſtitutioné, quòd nimiûm acris eſſet, ad hunc modum Clemens VIII. moderatus eſt, atque leniuit:

Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſupradictas literas ad terminos ſacrorum canonum, ac conſtitutionis fœl. mem. Pij Papæ II. etiam prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, cùm ex ſacrorum Ordinum, ſub Dat. Romæ apud S. Petrum 15. Kal. Decemb. anno Incarnat. Dominicæ, 1461. Pontificatus ſui anno 4. eiuis tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus: & ad diſpoſitionem decretorum ſacri Tridentini Concilij, reſtringimus, & reducimus. Necnon cenſuras, & pœnas in eiſdem Xiſti literis contra quoſcunque, præterquam contra Simoniacè ordinantes & ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere, aliis etiam pœnis, & cenſuris per eoſdem canones, ac conſtitutionem Pij II. Conciliumq́; Tridentinum iniunctis, ſaluis & firmis, remanentibus moderamur, & abolemus. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, 1595. prid. Kal. Martij, Pontificatus noſtri, anno 5.

In hac quæſtione prætereundæ non ſunt Concilij Tridentini ſanctiones: namque ordinatos ſine expreſſa licentia ſuorum ordinariorum ipſo iure ſuſpenſos eſſe decernit ſeſſ. 6. cap. 5. & ſeſſ. 14. cap. 2. & ſeſſ. 23. cap. 8. quamquam cap. illud ſeſſ. 14. propriè loquitur de Epiſcopis titularibus, & de iis, qui non ſolùm ordinibus maioribus & minoribus, ſed etiam qui prima tonſura initiantur.

QVÆSTIO XXXVIII.

1. PAnurgus ementito titulo beneficij, ſeu patrimonij, à ſuo Epiſcopo, quem decipit, ordinem ſacrum ſuffuratur.

Quæritur num ſuſpenſus ſit: & num ei alimenta ab Epiſcopo debeãtur, ſi aliunde viuere non poſſit.

Reſpondeo, quod ſæpe cenſui, & reſpondi, hunc mendacem clericum eſſe ſuſpenſum propter canonem Concilij Chalcedonẽſis, neminem, qui ſextus eſt, act. 15. ſi retineamus antiquam verſionem & Doctorum interpretatiõnem: quem Gratianus retulit in diſtin. 70. & propter canonem Vrbani II. in Concilio habito Placentiæ, qui habetur in eadem diſt. his verbis. Sanctorum canonum ſtatutis con- » ſona actione decernimus, vt ſine titulo » facta ordinatio irrita habeatur: Conci- » lium verò pro irrita ordinatione poſuit » vacuam manus impoſitionem. »

Vtriúſque locutionis vis ea eſt; vt, qui ordinem ſacrum ſunt malè adepti; & contra ius horum canonum, eundem exercere non poſſint, etiam quamuis horum canonum vim, ſua ſanctione, cùm

ſecundùm

ſecundùm Apoſtolum,de præben.ſuſtuliſſe videatur Innocentius III. decreto tamen Concilij Tridentini, ſeſſ.21.ca.2. iterum conualuerunt, vbi decretum his
» verbis claudit: Antiquorum canonũ pœ-
» nas ſuper his innouando.

Nec dubium eſt innouationem ad ſanctionem Concilij Chalcedonenſis & Vrbani II.referri. Primùm,quia hi propriè antiqui ſunt canones:deinde, quia canon Innocentij, quòd ad pœnas attinet ordinatorum clericorum, cum decreto Concilij Tridentini diſſentiebat. Poſtremò, quia canones generalium Conciliorum priorum libenter à poſterioribus vſurpantur, renouantur, comprobantur. Canon autem ille,neminè, conſtat in Concilio Oecumenico ſexcentorum Epiſcoporum conditum eſſe. Iure quoque conſtitutionis Xiſti V. Panurgus ſuſpenſus eſt:quoniam hâc pœnam conſtituit ſecularibus, qui ſine titulo ſufficientis beneficij vel patrimonij;ordinibus initiantur: in qua parte à Clemente VIII. non eſt emendata conſtitutio: quia, cum ſacris canonibus cõſentit,& cum Concilij Tridentini decretis:reducit autem Xiſti cõſtitutionem ad terminos ſacrorum canonum,& Tridentinę Synodi.Quare etiam conſtitutio Clementis VIII. eumdem Panurgum ſuſpendit.

Sed ante Concilij decreta, & horum recentium Pontificum conſtitutiones, nonnulli,in quibus eſt Ant.Butrius,vt refert Panormit.in cap.non liceat, de præbendis,num.3.dixerunt iura antiqua non fuiſſe correcta, quando is, qui poſcit ordines, fallit eo modo Epiſcopum,vt fecit Panurgus. De illius igitur ſuſpenſione dubitandum non eſt.

2. Alterum in quæſtione erat:iuréne cogi poſſet Epiſcopus victum præbere Panurgo. Reſpondeo, non poſſe cogi: nec enim decet, vt improbo ſit ſua emolumento improbitas. Vnde ergo cibaria petet?ex aliquo honeſto artificio,ne cum dedecore ſacri ordinis ſit ei neceſſe ſtipem cogere oſtiatim. Neque Epiſcopus præſtare in hac parte clericorum culpas debet. Huc enim facit diſtinctio illa Oſtienſis in Summa, lib.3. tit. de præbendis & dignitatibus, §.illud quoque. ad quem §. reiicit Turrecremata lectorem, in commentario, cap.neminem, diſt.70. in extrema q.4.nam ſi Epiſcopus Eccleſiam, aut beneficium dedit clerico, pro titulo, quod beneficium aut euictione, aut chaſmate, ſiue hiatu, aut paupérie, amiſſum eſt, iterum prouidebit illi Epiſcopus, licèt ſecus nonnulli cenſuerint. Quòd ſi Prælatus aſſignauit pro titulo beneficium alieni iuris, & euictum eſt, atque in eo dolo, peccatum eſt tam Prælati quàm clerici,nõ cogitur clerico Prælatus nouum beneficium dare:cùm dolo dolus compenſetur.ff.de dolo.l.ſi duo,& de compenſ.ſi ambo. At ſi ambobus beneficij cõditio erat ignorata:neque onus prouidendi imponitur Epiſcopo,vt ff.ad redhib.act.ad res donatas, & l.1.§.ſi intelligatur,& l.quæritur,§.vlt. Sin autem ſciat recipiens, & non conferens, tunc à ſe ipſo decipitur: nec ſuæ culpæ pœnam ab Epiſcopo repetet:leges profert Oſtienſis,proximam, & l.liberi de contrahenda empt. & ff.de act.empt. & vendit.l.1. in fine. Demum ſi rei conſcius ſit conferẽs, non clericus,omnino prouidebit Epiſcopus, non diſſentit Gloſſa in cap. cum ſecundùm Apoſtolum,de præben. & in c. cum iamdudum,eod.nec Panormit.in c. inter cætera,eod.tit.num. poſtremo: vbi nullum omittit membrum ſuperioris diſtinctionis:quã indicat eſſe ex communi ſenſu Doctorum. Nauarrus tamen lib.1. conſiliorum,conſ.14. de temp. ordinat. cenſet cùm ſolus ordinatus adhibet dolum,ex cap.neminem,& ſanctorum, puniendum, eſſe. cùm ſolus delinquit ordinans, pœnam capitis,cùm ſecundum, ſuſtinere debere:cùm vterque eſt in culpa, ordinatum pœnam luere canonum, neminem,& ſanctorum;ordinatorem verò, capitis,cum ſecundùm Apoſtolum: quæ diiudicatio eſt perquam probabilis.

A quibus Doct.item anquiritur,an cle- 3.

Digitized by Google

ricis ab ordinatore deceptis præſtare alimenta debeāt demortui Prælati heredes potiùs quàm ſucceſſores in dignitate. Tractatur hæc quæſtio à Panormitano in cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præben.num.11. commentarij, atque his » verbis reſpondet. Oſtienſis, & communiter Doctores ſequentes, dicunt, quòd ſic ſiue dicamus ordinatorem fuiſſe obligatum ex quaſi cōtractu, ſiue ex delicto: nam obligatio deſcendens ex contractu, tranſit in heredem, l.veteris, C. de contrahen.& committ.ſtipulatione. De iure canonico tenetur heres ex delicto, vt in cap.fin.de ſepulr. Dicit etiam Oſtienſis, quòd ſi iſte ordinator viueret,& haberet patrimonium, compelleretur ipſe de ſuo prouidere, & tantùm aſſignare ordinato pro ſe, vnde viuere poſſet: quod dicit procedere, etiamſi ordinator eſſet depoſitus, vel qualitercumque amotus ab Epiſcopatu.

Et quamuis Panormitanus addat ſe in horum Doctorum dictis hærere: id dubitari non debet, eum, qui in dignitate ſuccedit Epiſcopo, pro defuncto ſatisfacturum clerico,ſi victus ab heredibus ei ſuppeditari non poſſit: nam Decretalis Innocentij III. cùm ſecundùm Apoſtolum, certum onus ſucceſſori imponit clerico ſubueniendi.

4. Dubitari ſolet etiam: vtrùm ius exigendi victus, ab eo qui ordinem ſine titulo vitio ſuo impertiuit, detur omnibus clericis;an iis tantùm,qui ſunt in maioribus conſtituti. Cunctis clericis iſtud ius conuenire, & cunctis ſuum largiendum titulum ait Gloſſa in cap. non liceat, de præbendis,& Gloſſ.in cap.neminē,d.70. idem affirmat Innoc.in cap.non liceat,de præben.vide Panormitanum in idem caput,& Turrecrematam,in cap.neminem, qui à Gloſſis,& Innocentio non recedit, & Oſtien.in Summa,lib.3.tit.de præben. §. cui ſit conferendā. Subiungit tamen Innocentius in illud caput,nō liceat, hæc » verba. Sed Romana Eccleſia non cogit » prouideri niſi conſtitutis in ſacris ordinibus. Cuius conſuetudinis meminit Gloſſa in illud ipſum caput & Panormit. in idem caput,& Turrecrem. in cap. neminem, diſt.70.q.4. quam conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ recitat quoq; Oſtienſis,in Summa,lib.3.tit.de præbend.§. cui ſit conferenda:eſtque valde conſentanea rationi ea conſuetudo:nam qui in ordinem ſacrum adſciti ſunt, illum deſerere non poſſunt, nec ab Eccleſiaſtica militia diſcedere: id autem licet iis qui minoribus ſunt ordinibus initiati. Verùm iura, quæ fauent etiam minoribus ordinibus, magna æquitate nituntur: nam cùm clerici ſint, id eſt, ad hereditatem Chriſti ſpectantes, debent eiuſdem patrimonio ſuſtentari:nec occaſio prębēda ad profanam vitam, mundanúmque conuictum remigrandi. Verùm ſi ſacra congregatio Concilij declarauit, vt teſtis eſt Toletus in ſua ſumma,lib.1. c.48.ſuſpenſione 18. à Tridentino Concilio renouatum eſſe canonem antiquum,cùm ſecundùm,non antiquiorem, neminem, vtriuſque difficultatis explicatio ad eam explanationem dirigenda eſt.Sed Nauarrus in 1.lib. ſuorum conſ. conſ. 14. de temporibus ordinationum, probat, canones, neminem,& ſanctorum,à Concilio innouatos eſſe: quod non puto eum dicturum, ſi à ſacra congregatione ſecus iudicatum eſſet.

QVÆSTIO XXXIX.

IN Peruſina ciuitate, ac Diœceſi lex erat ante trigeſimum annum ab Epiſcopis ſancita (vigeat etiam nunc néc ne, me latet) quæ lex vetat, ne parochus ſponſi, miniſter ſit contrahendi benedicendique matrimonij, (nam id munus ad parochum ſponſæ etiā refert conſuetudo) accidit vt ſponſi parochus ſponſos benediceret. 1.

Ab eius vrbis Epiſcopo dubitatū eſt, an is qui cōtra legem & conſuetudinem eam benedictionem impertitus fuerat, in.

in cenſuram ſuſpenſionis incidiſſet, quæ à Tridentino Concilio, ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. irrogatur ei, qui alterius parœciæ ſponſos, ſine illorum parochi facultate, aut matrimonio coniungere, aut benedicere, auſus fuerit. Sanctiſſimi Epiſcopi, qui Peruſinæ Eccleſiæ eo tēpore præerat, animus in eam partem mouebatur, vt vinculo ſuſpenſionis constrictū ſponſi parochum arbitraretur: me verò, qui cōſulebar, reclamante, ſuas partes eſſe duxit de toto genere Romam ſcribere, vt inde, quid in hac cauſſa ſequendum foret, perdiſceret.

2. Reſponſum allatum eſt, parochum illum in legem Concilij Tridentini minimè peccaſſe, nec laqueo ſuſpenſionis, de qua loquitur Concilium, implicatum eſſe: quod ipſum vt ipſe antea crederem, duo efficiebant. Primùm, quòd cùm viri potiora iura, & maiora decora ſint, quàm mulieris, ſic à Synodo ea potiùs cum parochis virorum quàm mulierum communicari decebat. Deinde, quoniam ſi è verbis Concilij cōiectura capienda erat, magis illud viri parocho quàm mulieris, fauiſſe ſuſpicari poteramus: nam cùm dicit, *ſine illorum parochi licentia*, veriſimiliùs illis verbis viri quàm mulieris parochus deſignari videbatur: quandoquidem, illorum, magis ad ſponſi, quàm ad ſponſæ parochum, animum tum lectoris tum auditoris inflectit.

Quare Nauarrus, in Summa, cap. 22. num. poſtremo, teſtatur congregationem Concilij Tridentini ſub Pio V. interpretatam eſſe, parochum mulieris ſatis eſſe, cùm matrimonium contrahitur in parœcia mulieris, & eamdem ſub Gregorio XIII. cenſuiſſe ſatis eſſe parochum viri, cùm matrimonium initur in parœcia viri: quarum interpretationum eſt item teſtis in 4. lib. conſiliorum, tit. de ſponſal. conſ. 52. vbi addit ſe item audiuiſſe declaratum eſſe ab eadem congregatione alterutrius ſponſi parochum cōtrahendo matrimonio in quauis parœcia intereſſe poſſe: à qua declaratione poſtrema recedit Nauarrus in eo Concilio; ego diſcedere nullo modo auderem.

Ergo ſi ex declarationibus ſacræ congregationis contrahendarum nuptiarum iuſtus miniſter eſt alteruter parochus ſiue ſponſi, ſiue ſponſæ, multò magis legitimus miniſter cenſendus erit earumdem nuptiarum benedicendarum: cùm minus ſit benedicere matrimonium, quàm contrahere: nam contractus nuptiarum ſacramentum eſt apud Chriſtianos, benedictio autem ſacramentale; at multò præſtantiora ſunt ſacramentalibus ſacramenta.

QVÆSTIO XL.

PEr idem tempus, in eadem ciuitate, concionator nec ſecundarum, nec poſtremarum partium, in primario templo, clara voce, ſplendida oratione, probabilique argumentatione, ſanctiſſimæ Virginis conceptionem labis omnes expertem populo commendauit: ſuiſque explicatis argumentis, quemadmodum infirmari contraria poſſent, ſubdocuit: quāuis eorum commemorationem prudens ſubterfugiſſet. 1.

Delatum eſt nomen Concionatoris: quòd Pij V. legem perfregiſſet: pœnámque commiſſam iudicio per eius ciuitatis Vicarium, ab eo concionatore delatores perſequi omnino volebant. Eius rei iudicio conſtituto multorum Theologorum Concilium conuocauit: éſtque concionator citatus, atque in eum cœtum, in quo ipſe quoque verſabar, adductus, à quo cœtu ſua cauſſa dicta concionator abiit in aliud cubiculum: dum is iudicij expectat euentum: ſingulorum Theologorum exquiruntur ſententiæ: mea hæc fuit.

Primæ conſtitutionis mulctam non fuiſſe ab illo concionatore commiſſam. In argumentatione autem, & comprobatione ſententiæ verba ſumpſi ex Pij V. ſanctione quæ incipit ſuper ſpecula Domini, 2.

mini, promulgata anno Domini 1570. prid. Kalend: Decembr. Pontificatus ſui anno 5. Verba autem conſtitutionis hæc
» ſunt. Perpetuò ſtatuimus & ordinamus,
» ac per Apoſtolica ſcripta mãdamus, qua-
» tenus nemo cuiuſcumque ordinis, gra-
» dus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in
» popularibus cõcionibus, vel vbicumque
» promiſcua virorum, & mulierum multi-
» tudo cõuenire ſolet, de huius contro-
» uerſiæ alterutra parte diſputare rationi-
» bus, vel doctorum auctoritate aſſerendo
» propriam ſententiam, & contrariam re-
» fellendo aut impugnando, vel de hac ipſa
» quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſſita-
» tis prætextu vulgari ſermone ſcribere,
» vel dictare præſumat. Qui contra fece-
» rit, ſuſpenſionis pœnam à diuinis abſque
» noua declaratione ipſo facto incurrat, ſi
» modò fuerit in ſacris conſtitutus, & quo-
» cumque prætereà gradu, ſiue dignitate,
» vel adminiſtratione fungatur, illis omni-
» bus ſit ipſo iure priuatus: & ad eadem,
» vel ſimilia munera obtinenda vel obeun-
» da perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo
» etiam facto ſit obnoxius: ſuper quibus
» niſi à Romano Pontifice pro tempore
» exiſtente diſpenſari, ſiue abſolui non
» poſſit.

Hoc eſt caput legis: quo non quælibet diſputatio prohibetur: ſed ea quæ confirmatione conſtat noſtræ ſententiæ, & refutatione aduerſariæ: ergo in alterutram partem de hac quæſtione differere lex permittit, in vtramque non ſinit. Illud item cauet ſanctio, ne rationibus & auctoritate Doctorum confirmemus ſententiam noſtram, & contrariam infirmemus. At iſte concionator ſua tantùm argumentis, & Doctorum ſententiis confirmauit: illa ipſa ad contraria redarguenda non aſſumpſit.

3. Oppones: at qui teſtimoniis Patrum, & rationibus, probat beatam Virginem ſine parentali labe eſſe conceptam: eodem tempore & ſuam ſententiam firmat, & contrariam oppugnat.

Reſpondeo, ſemper cõfirmatione alterius partis quæſtionis, poteſtate contineri alterius partis cõfutationem: in conſtitutione tamen Pia aio rationes probandi & improbandi, ſeu refellendi, debere eſſe diuerſas, & à confirmatione diſtinctam eſſe refutationẽ. Neque is propriè refutare, ſeu refellere dicitur; qui aut aduerſarij argumenta diſſimulat, aut non percenſendo diſſoluit. Itaque Marc. Tull. in hoc genere doctrinæ maximè meditatus Rhetor, atque exercitatus orator, poſt præcepta confirmandi, ea ſubiiciens, quæ valent ad refellẽdum, ſic præcipit in oratoriis partitionibus, *Accedere autem oportet ad ſingula, ſic vniuerſa frangentur.*

Probat hoc ipſum, quod ipſi ſentimus, quotidiana de puriſſimæ matris conceptione concionantium conſuetudo: licet enim iis alterutram partem, argumentis, & patribus teſtibus, tractare quæſtionis, modò alteram intactam relinquant: neque ea conſuetudo apud Chriſtianæ fidei iudices concionantibus vlli fraudi eſſe conſueuit.

Dictis omnium ſententiis, in conſeſſum Theologorum reductus concionator fuit: cui Vicarius coram illis patribus, hæreticæque prauitatis inquiſitore, confirmauit noſtro ſuffragio, cui non pauci aſſenſi erant, abſolutum fuiſſe.

QVÆSTIO XLI.

Argyrius in obtinendo Eccleſiaſtico beneficio ſimoniacam fraudem admiſit. 1.

Quæritur, an ſit ipſo iure ſuſpenſus: nam quod in excommunicationem Romano Pontifici reſeruatam inciderit, & ex Pontificiarum conſtitutionum iure, atque ex omnium Doctorum conſenſu eſt planè compertum. Nauarrus, in Summâ, cap. 23. num. 111. negat ſimoniacum in beneficio eſſe ipſo iure ſuſpẽſum: profitetúrque ſe diſcedere à Diuo Thoma, in 2. 2. q. 100. artic. 6. & à Caietano, & à Soto,

Soto,lib.9.de iuſt.& iur.q.8.artic.2.

Verùm contra Nauarrum pugnat ſententia communis, & opinio ſummorum Doctorũ, quos ipſi in diſputatione vbertima noſtra de ſimonia percenſuimus:in quorum numero præter D.Thomã, Caietanum,& Sotum,quos nominat,ac deſerit Nauarrus,reperimus Paludanum in 4.diſt.25.q.5.art.1. concl.2. qui eamdem ſententiam Innocentio tribuit:Maiorem in eamd.diſt.q.7.Gabrielem in eamd.q.3. Turrecrematam, in cap.ſtatuimus.1.q.1. num.4.ſuarum qq.qui eiuſdem ſententię comitem profert Goffredũ. Diuum Antoninum, in 2.par.tit.1.cap.5.§.vlt. & in 3.par.tit.27. cap.2. Dionyſium Carthuſianum, in 4.diſt.25.qu.2. Angelum, in verbo,Simonia,ſexto,num.2.à quo citatur Panormitanus: Roſellam, in verbo, Simonia, 6.à num.1.ad 4.Syluestrum,in verbo,Suſpenſio, num.7. Tabienſem, in verbo, Simonia, nu.68. Panormitanum, in cap.tanta, & cap.per ruas,de Simonia, quem alij Scriptores ſummarum citãt, & ſequuntur. Quare fruſtra Nauarrus nititur contra tantum numerum, pondúſque Doctorum.

2. Archiepiſcopus Florentinus in 3.par. tit.27. cap.2. hæc omnia, quæ continuò ſubiicientur, affirmat haberi in ſacrorum canonum voluminibus, & per Doctores eſſe nota: quæ ipſi in quinque propoſitiones contraximus.

Prima propoſitio. Omnes, qui ſimoniacè ordinantur, quamuis ſimoniæ crimen occultùm ſit,ſunt ipſo iure ſuſpenſi, non ſolùm ab actu ordinis ſimoniacè ſuſcepti,ſed etiam cæterorum,ſolúſque Papa diſpenſat.

Secũda propoſitio.Si ordinatus ignorat admiſſam ſimoniam ab eo, qui contulit ordinem, & conſanguineo, ſeu propinquo eius, qui ordinem ſuſcepit: cum ordinato non poterit ordinator diſpenſare,ſed eius ſucceſſor,vel alius ordinarius, in cuius Eccleſia habere poſſet [illegible] beneficium ſeu domicilium.

Tertia propoſitio. S[illegible]

commiſſum eſt ab ordinato,non ab ordinante, ordinator poterit diſpẽſare cum ordinato, vt miniſtret in alio ordine ritè ſuſcepto, non autem in eo, quem per ſimoniæ labem recepit:neque vt poſſit ad alios ordines aſcendere. Sed neque ea diſpenſatio permittitur Epiſcopo,ſi ordinatus ante abſolutionem cenſuræ ordine functus eſſet.

Quarta. In minoribus, & prima tonſura iure ſuo diſpenſat Epiſcopus.

Quinta. Simoniacus in beneficio eſt ſuſpenſus, quamuis cõtradicat Nauarrus.

Placet etiam mihi prudens diſtinctio 4.
Syluestri: vt qui ſimoniacè adeptus eſt beneficium curatum, perinde ſuſpenſus ſit,vt qui ordinem ſuſcipit.Si verò ſit beneficium ſimplex, aut occultum eſt crimen, aut notum eſt;ſiue rei confeſſione, ſiue iudicis ſententia,ſiue facti euidentia, quæ tergiuerſationem reſpuit: ſi occultum fuerit crimen, ſuſpenſus eſt quo ad ſe, quoad alios autem,ſuſpendendus, adde tu,ſi probatum erit:& ſi abdicat ſe ſacerdotio per flagitium ſimoniæ adepto, agátque pœnitentiam, vti poterit poſt pœnitentiam ſuo ordine,aliíſque beneficiis legitimè impetratis. Quòd ſi crimen manifeſtum ſit,tum quoad ſe,tum quoad alios ſuſpenſus erit. Verùm cum eo diſpenſare poterit Epiſcopus, dummodo eiuſdem ſceleris contagio,ad eum non pertineat. Quòd ſi ignoráte beneficiario ſimoniæ fraus concepta ſit, à beneficio per eam obtento ſuſpenſus erit.

Atque hæc de ſimplici beneficio intelligi debere probat eodem loco Syluester, auctoritate Diui Thomæ,Oſtienſis, Archiepiſcopi Florent. Piſanellæ, Supplementi, Roſellæ, Goffredi,Raymundi. Verumenim,quæ ad totum locum de ſimonia ſpectant, ipſi in illa noſtra diſputatione de ſimonia copiosè & ſedulò ſumus omnia exſecuti.

QVÆSTIO XLII.

1\. PHilogynus ſacerdos è pellice filiam ſuſcipit: cum filia & matre filiæ ætatem degit: neutram ab ſe dimitti poſſe negat; ideo, quòd ſua opera, & ſua præſentia filiæ; ſibi verò concubinæ præſentia, & opera ſit neceſſaria: & quia multos annos matrem filiæ integram à ſe narrat Philogynus, æternæ ſalutis ſuæ rationes in tuto ſibi eſſe arbitratur: contemptáque omni religione diuina Sacramenta præbet aliis, & is recipit: impunéque viri & mulieres ad eius ſacrificia, diuináque officia commeant.

Duo ſunt huius cauſſæ capita præcipua. Vnum, quod Philogynum, alterum quod populum ad eius ſacra cõfluentem attingit.

In Philogyni capite quattuor inſunt quæſtiones. Prima, an is ſit ſuſpenſus. Secunda, an irregularis. Tertia, an iure fructus percipiat beneficij. Quarta, an moriens ſepulturæ honore affici poſſit. In ſecundo capite duæ ſunt poſitæ quæſtiones: prior eſt, num, qui ad ſacra Philogyni accedunt, peccent: poſterior: quòd ſi non peccent, rectiùs facturi ne ſint ſi iſtam Chriſtiani ſacerdotij impuram labem vitent omnino.

2\. A prima quæſtione, quæ Philogynum tangit, ordiamur, ſit ne ipſo iure ſuſpenſus. Scotus in 4. ſent. diſt. 13. q. 2. artic. 1. non longè ab extremo, cenſet non eſſe irregularem presbyterum, qui palam tenet concubinam, & interim celebrat: quamuis mortiferã culpam ſuſcipiat ſacerdos. Ergo ex ſententia Scoti non erit publicus, ſeu notorius concubinarius, ſi ſit ſacerdos, ſuſpenſus: nam, ſi ipſo iure foret ſuſpenſus, celebrando contraheret irregularitatem.

At verò Cardinalis Turrecremata in cap. præter hoc, diſtin. 32. art. 1. ſuæ quæſt. hoc ſyllogiſmo frangit opinionem Scoti. » Quicumque (verba ſunt Turrecrematæ) » ſuſpenſus à canone à diuinis, ſiue ab officio, celebrans incurrit irregularitatem: » ſed clericus notorius fornicator eſt à ca- » none ſuſpenſus ab officio: ergo talis cleri- » cus celebrans incurrit irregularitatem: » iſta conſequentia, inquit, eſt bona: eſt » enim formalis. Maior patet tam ex cap. » cùm æterni de ſententia, & re iud. quàm ex cap. cum medicinalis, de ſententia excommunicat. lib. 6. qui canones ſunt Innocentij IV. in Concil. Lugdun. quibus docet, eum, qui ſuſpenſus celebrat, iuxta Eccleſiæ conſtitutiones incurrere irregularitatẽ, in qua ſolus Pontifex Romanus diſpenſet. Minor etiam, inquit, » patet tam ex cap præſenti, quàm ex præ- » cedenti, & ex cap. vlt. de cohabit. cleri- » corum, & mulier. eamdémque conclu- » ſionem approbat auctoritate Innocentij, Oſtienſis, aliorúmque Pontificij iuris interpretum: additque, communi aſſenſu Doctorum firmatum eſſe, irregularem eum eſſe qui ſuſpenſus celebrat: & item ipſe aio, in hunc ſenſum fermè omnes coire Doctores ſuſpenſum ipſo iure eſſe notorium concubinarium, qui eſt ſacerdos, vel etiam non ſacerdos, modò ſit clericus. Legito Gloſſam, in cap. poſtremum, de cohabit. cleric. & mul. & in cap. præter, diſt. 32. Archidiaconum in idem caput. Cardinalem Alexandrinum in illud ipſum cap. & in id, quod antecedit, incipit, nullus. Turrecrematam, in idẽ ca. » præter, diſt. 32. Panormitanum, in cap. veſtra, de cohabit. cler. & mul. num. 6. & in cap. extremum, eod. tit. num, 2. Innocentium, in cap. veſtra, de cohabit. cleric. & mul. in calce commentarij, vbi ſic: Noto- » rij fornicatores ſunt ſuſpenſi ipſo iure: » probátque ex §. verum, diſt. 32. & ex c. ſi qui ſunt miniſtri, diſt. 81. Oſtienſem, qui in cap poſtremum, de cohabit. cleric. & mul. id ipſum confirmat auctoritate canonis, præter, & can. nullus, diſt. 32. Ioannem Andream in cap. veſtra, de cohabit. cler. & mul. num. 5. cuncti Summarum auctores de quolibet notorio clerico fornicatore idem affirmant. Diuus Anton. in 3. par. tit. 27. cap. 3. qui huius ſententiæ

patronos laudat Inuocentium, & Archidiaconum. Syluester, in verbo, Concubinarius, q.4. vbi citat D. Antoninum, & qui ab eo citantur. Roſella, in verbo, Clericus 3. num. 2. Angelus, in verbo, Concubinatus, num. 2. Tabiena, in verbo, Clericus 2. nu. 13. Armilla, in verbo, Clericus, nu. 13. Nauarrus, in Summa, cap. 25. num. 76. & 77.

3. In qua quidem ſuſpenſione diſpenſat Epiſcopus, vt inquit D. Antoninus loco, qui indicatus eſt, & Nauarrus, in illo cap. 25. num. 77. à quo adducitur etiam Imola. Sed contraria ſententia placuit Cardinali Alexandrino in cap. præter, diſtin. 32. num. 5. ſuæ explanationis. Quòd ſi hi notorij concubinatij celebrauerint, irregularitate afficiuntur; in qua ſolus Romanus Pontifex diſpenſat, vt liquet ex decretalibus illis duabus Innocent. IV. de quibus ſuprà. Quare & ſecundæ quæſtioni ſatisfactum eſt; qua quærebatur: eſſet nécne irregularis iſte Philogynus.

Hoc loco animaduertendum eſt, clericum vel ſacerdotem notorium haberi concubinarium, aut propter eius confeſſionem in iudicio, aut propter ſententiam iudicis, aut propter rei euidentiam, quæ tergiuerſatione tegi nequit, vt Gregorius IX. decernit in cap. poſtremo, de cohab. cler. & mulierum: quam tripartitam rationem notorii in 4. diſt. 13. ſecuti ſunt Theologi, vt D. Tho. q.1. art.3. quæſtiunc. 3. D. Bonauen. art.1. q.4. Scotus, q.2. art.1. Richardus, art.1. q.4. Gabriel, q.1. art.3. dub.4. Alex. Halenſ. in 4. par. q.11. art.3. §.2. nemóque Theologus, aut ſacrorum canonum interpres, ab hac triplici ſpecie notorij diſcedit: & illud quidem notoriũ, quod efficit aut ſontis iudicialis confeſſio, aut ſententia iudicis, notorium dicitur iuris: quod verò adfert criminoſi facti euidentia, vocatur notorium facti, vt Gabriel admonet eo loco, & ante eum D. Anton. in 3. par. tit. 27. cap. 3. ex Diuo Thoma, & Raymundo.

4. Tertia quæſtio cum perſona connexa Philogyni erat: an ei ius eſſet percipiendi fructus è beneficio.

Cui quæſtioni ſic reſponderi oportet: ſi ſuſpenſio collationem antegreſſa eſt beneficij, collatio fuit nulla: quare Philogynus, vt malæ fidei poſſeſſor, relinquere debet beneficium, fructus omnes præceptos reſtituere, atque eos, etiam qui à diligẽtiore poſſeſſore percipi potuiſſent: & ſi qua re ſua culpa beneficij peculium aut diminutum, aut deterius factum eſt, id omne præſtabit. Quòd ſi ſuſpenſio eſt collatione poſterior, mercedes ſacerdotij, ſeu beneficij non pertinere ad ſuſpenſum, probatur auctoritate canonis, ratione, & ſententia grauium auctorum. In canone præter, diſt. 32. cauetur his verbis: Neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat. »

Huc adde pondera rationum. Si enim qui canonicas preces omittit, fructus nõ facit ſuos: ergo multo minùs, qui nõ præſtat Eccleſiaſtica munera, quæ debet: datur enim beneficium propter officium, » quod Eccleſiæ præſtari oportet ex cap. vlt. de reſeru. lib. 6. ſed, qui eſt ſuſpenſus, eſt Eccleſiaſtica lege impeditus, quominus fungatur iis munerib⁹, quę Eccleſiaſtica neceſſitas requirit: ergo nõ fungens muneribus, mercedes capere non poteſt.

5. Ad hæc. Qui non reſidet, non iure tamquam ſuos vendicat fructus beneficij ex decreto Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 2. & multò planiùs ex ſeſſ. 23. cap. 1. Atqui reſidere, vt ipſi magnorum Doctorum teſtimonio in diſputatione de reſidentia probauimus, nõ tam in manſione, quàm in ſacrarum actionum adminiſtratione conſiſtit: ergo cùm Philogynus earum adminiſtratione prohibitus ſit, fructus è beneficio vti ſuos colligere non poteſt.

Huius ſententiæ cõprobatrix eſt Gloſſa, in cap. Paſtoralis, de appellationibus, » in verbo, ſubtrahantur: ſic enim loquitur, ſuſpenſus ab officio nihil debet de bene- » ficio Eccleſię attrectare, aliàs eſt deponẽ- » dus: & in hoc æquiparatur excommuni- » cato. Vide parem Gloſſam, in cap. quia ſæpe de elect. lib. 6. & in c. in præſenti, de offic. ord. & Paludanum, in 4. diſt. 18. q. 7.

Digitized by Google

art.3.qui ſentit cum Gloſſis.Eiuſdem opinionis ſunt approbatores Innocentius,in cap.ſicut, de cohabit.cleric.& mulier.& Turrecremata, & Cardinalis Alexandrinus,in cap.præter,diſt.32. & ille in art.3. ſuæ quæſtionis:qui ambo cum aliis Doctoribus Gloſſæ ſententiam probant: quando ſuſpenſus cõtumaciter in ſuſpenſione perſeuerat; neque abſolutionem quærit. Videto Angelum, in verbo, Suſpenſio,num.3. prope finem, & Tabienſem,eod.tit. num.5. & Syluestrum, eod. tit.& num. At Philogynus contumaciter in ſua perſiſtit cenſura; neque de abſolutione eſt ſollicitus: namque ſi de ea laboraret,neque impetrare tamen poſſet, permittunt Doctores tantum fructuum ſuſpenſo quantum ſuſtinendæ vitæ foret neceſſarium: idémque beneficiũ tribuit excommunicato.

6. Sed cui reddendi ſunt fructus Eccleſiaſtici à ſuſpenſo,ſeu ab excommunicato percepti? Turrecremata & Præpoſitus ſecuti Gloſſam,in Clement.2. de vita & honeſt.cler. aiunt, ſi fructus pepererunt quotidianæ diſtributiones,accreſcere iis, qui diuinis officiis interſunt: ſi è beneficio exiſtunt,accreſcere Eccleſiæ,atque in eius vtilitatem conuerti debere.Nec non Turrecremata ſapienter ad eam inquiſitionem differendo delabitur in c.præter, diſt.32.q.ſuæ, art.3. num notorij concubinarij beneficia illico poſſint aliis conferri. Reſpondet ex Innocentij ſententia, in c.ſicut, de cohabit. cler. & mulier. ſi ſuſpenſio ſit à canone, ſententia iudicis ſuſpenſum ſuo beneficio priuandum eſſe: ſententia verò non eſſe opus,ſi ſit ab homine;nam ſentit Innocent. ſtatim vacare Eccleſiam.

7. Verumenim idem Turrecremata diſſerendo longiùs progrediens, quærit in art.4.eiuſdem quæſtionis,vtrùm ſuſpenſus ab officio,ſit quoque à beneficio ſuſpenſus:tandem poſt multas adhibitas diſtinctiones,concludit, publicum,ſeu notorium concubinarium, nam de notorio eſt ſermo, à beneficio etiam ſuſpenſum eſſe. Nota etiam,inquit ille,quòd diſtinctio Oſtienſis,de ſuſpenſo ab homine,& de ſuſpenſo à iure, non placet. Vnde ei contradicit Ioannes in pręſenti cap.quod etiam tangit Ioan.Andr.in Gloſſ.cùm æterni,de ſententia & re iudic. lib.6. & in Clement.cupientes de pœnis. Sed tamen Innocentio,& Oſtienſi,& Archidiacono, in cap.cùm æterni,de ſententia & re iudicara,probatur ſuperior diſtinctio,atque diſcrimen inter ſuſpenſionem à iure, & ab homine. Hîc ego nullam meam ſententiã ſtatui interponere.Quare ad quartam quæſtionem tranſeamus.

8. Vtrùm moriens hic concubinarius notorius Eccleſiaſtica ſepultura humandus ſit. Sine hæſitatione reſpondendum eſt, ſacerdotem, & quemlibet clericum qui in pellicatus ſcelere Philogynum imitatur,nõ eiecta cõcubina,mortuum in terram ſacram nullo modo inferẽdum eſſe. Accipe Turrecrematæ in cap.præter,diſt. 32.art.2.quæſtionis concluſionem ſecundam.Secunda,inquit,concluſio eſt:quòd clericus notoriè concubinarius viuens, & ſic perſeuerans vſque ad mortem ſine pœnitentia, non eſt cum aliis fidelibus ſepeliendus.Profértque ad huius ſuæ cõcluſionis approbationẽ varios canones, vt canonem,quæſitum, cap.pro obeuntibus,cap.quibus 13.qu.2.& cap. placuit, 23.qu.5. nec non alios canones, ſed vis maior confirmandi eſt in iis,quos ipſi ſignificauimus.

Alij eamdem concluſionẽ perſuadent ex can. Concilij Lateranenſis, omnis vtriuſque ſexus, extr.de pœnit. & remiſſ. vbi ei,qui ſingulis annis ſacramẽtũ confeſſionis,atque Euchariſtiæ neglexit,morienti Eccleſiaſtica negatur ſepultura. Nauarrus, in Summa, cap.25. num.80. mirificè effert ſententiam hanc Turrecrematæ, tantóque viro perquam dignã prædicat. Quod notandum eſt, (ſic loquitur religioſiſſimus ſenex) contra eos, quibus morientibus candelam in manu tenendam tradunt concubinæ.Ita ſenſim diſceptando ad ſecundi capitis quæſtiones

nes peruenimus,quæ ad eos affectæ ſunt, qui ad iſtorum concubinorum ſacra itare non verentur.

8. Primùm igitur dubitatur: peccent an non, qui iſtorum Sacerdotum nec ſacrificia, nec diuina vitant officia.

Reſpondeo: ſi non ſolùm non vitant, ſed etiam iis aut imperio, aut conſilio, aliόve modo auctores ſunt ad illa celebranda, mortiferè peccare: nam alterum ad flagitium impellere, eſſe perflagitioſum, certum eſt in Theologia dogma: eſt enim res per ſe mala, iure diuino, naturalique vetita. Poteris id diſcere ex D. Tho. in quodl. 11. art 8. vbi diſputat an concubinarij Sacerdotis qui palã eſt talis, miſſam liceat audire Idem peccatũ peccant, ſi ſua itione, & auditione animaduertunt, aut animaduertere debent, euidem concubinarium in vitæ turpitudine permanſurum, aut verò alios eodem exemplo corruptum iri. Neque hi vllam ſui criminis excuſationem petere poſſunt à conſtitutione Martini V. edita in Conc. Conſtantienſi, ad euitanda; fauet enim illa tantùm innocentibus: at qui iura diuina & humana, & leges caritatis perfringunt, innocentes eſſe non poſſunt; ſed profligati ſunt, & execrãdi. Ea igitur conſtitutio iis tantùm viris, ac mulieribus opitulatur, qui concubinario parato ſua ſponte, & expedito ad celebranda diuina, interſunt: neque peccati, quo celebrando commaculatur ſacerdos, vllo modo ſunt cauſſæ. Nec ſecus ius Conſtantienſis Synodi de vitandis excommunicatis & ſuſpenſis intelligendum eſſe obſeruarunt ante nos viri perdocti, vt Adrianus, Caietanus, Syluester, quos citat, & ſequitur Franciſcus Victoria, in libello de Sacram. quæſt. 60. de clauibus. Illud autem ſcito, ſi concubinarius notorius eſſet propter ſententiam & denunciationem iudicis, quoquo modo in diuinis vitandum eſſe, niſi tempus, ac neceſſitas noſtræ ſalutis aliud flagitaret.

9. Altera quæſtio erat. Rectiúsne Chriſtiani populi facturi eſſent Conſtantienſis Concilij beneficio repudiato, ad horũ Sacerdotum ſacrificia, & diuina officia non ventitare: quamuis dies eſſet Dominicus: nec copia aliorum haberetur Sacerdotum.

Id eſſe melius multis argumentis confici poteſt. Primum. Multis ac ſeueris legibus Chriſtianis populis interdixit Eccleſia ne concubinariorum, de quibus diſſerimus, diuina officia audiant; neque eorũ ſacrificiis interſint, vt liquet ex can. nullus; & ex can. præter, d. 32. & ex c. ſi qui, d. 81. & ex c. veſtra, & ex cap. poſtremo de cohab. cler. & mulierũ: qui omnes canones ſunt Pontificij, & noxa mortifera affici eos, qui has leges contemnunt, perſpicuum eſt ex can. ſi qui, diſt. 81. qui eſt Gregorij VII. his verbis minitantis: » qui verò huic ſaluberrimo precepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit. » Cùm ergo ab Eccleſia ſancitæ ſint » leges de non adeundo ad ſacra concubinariorum notoriorum, nec vlla adhuc ab eadem Eccleſia ſit perlata de adeundo, quamuis ſint feſti dies: quis non videat religioſiùs facturos eos, qui non adierint, quàm qui adierint?

Secundum argumentum. Dubium non eſt, fornicarium Sacerdotem immani ſacrilegio pollui, quum rei diuinæ dat operam: ecquis igitur non intelligat multò melius eſſe ſuas cũ eo preces non coniungere, quàm eas communicare? communicat autem, qui ei ſacrificanti adeſt.

Tertium. Sicut melius eſt quemlibet excommunicatũ publicum vitare, quàm non vitare, etiam poſt Concilium Conſtantienſe: ſic melius hos concubinarios in diuinis deſerere, quàm ad eos accedere. Confirmatur. Quamuis Eccleſia non ſemper id, quod perfectius eſt, præcipiat; numquam tamen prohibere ſolet: eſt autem perfectius ab his peſtibus ſe ipſum ſecernere quàm ad eas propiùs accedere: ergo Eccleſia hoc numquam iubebit, illud verò nullo tempore prohibebit.

Quintum. Præceptum Eccleſiæ antiquum de vitandis ſacris concubinariorũ

Digitized by Google

publicorum, poſt concilium Conſtantienſe non eſt mutatum in contrarium præceptum de communicando cum illis vllo tempore, ſed pœna tantùm ſublata, & ſæpe etiam culpa communicantium: ergo cùm liberum relinquatur fidelibus, ad iſtos Sacerdotes accedere, & non accedere, ſine dubio idem concilium iudicaret, conſultiùs facere eos, qui non accedunt, quàm qui accedunt.

10. Poſtremum tribus æquiſſimis rationibus Eccleſia ſacra concubinariorum interdixit, quas breuiſſimè exſequitur D. Bonauentura, in 4. ſent. diſtinct. 13. art. 1. » quæſt. 4. Prima eſt, inquit, in pœnam » peccati eorum. Secunda, vt confuſi de » culpa, redeant ad gratiam. Tertia, vt alij » retrahantur ab eorum imitatione. Vnde » hîc eſt opus iuſtitiæ, miſericordiæ & prouidentiæ. Cùm igitur hæc tria bona maneant etiam poſt Conſtantienſe concilium: vt iis impedimento vllo tempore poſſint eſſe Chriſti fideles, Eccleſia numquam præciperet, nec præcipere poſſet.

Quocirca quando nulla impellit neceſſitas, in diuinis ſe ab his facinoroſis Sacerdotibus ſegregare, quouis tempore optimum factu eſt, & par eſt audire Innocentium ſacrarum ſanctionum interpretem, & auctorem multarum his verbis monentem in cap. veſtra, de cohabit. » cler. & mulierum. Hoc dicimus generale, » quòd omnium ſuſpenſorum à iure » etiam ſine ſententia hominis, ſi crimina, » pro quibus ius eos ſuſpendit ab officiis, » vel quocunque alio actu, ſint notoria per » facti euidentiam, quòd cuique licet eos » vitare in iis quæ interdicta ſunt: licèt » adhuc ipſi ſuſpenſi tolerentur à ſuis Prælatis. Quam ſententiam Innocentij totidem verbis recitat Turrecremata, & ſequitur in cap. nullus, diſtinct. 32. & Ioan. Andr. in c. veſtra, de cohab. cler. num. 5.

QVÆSTIO XLIII.

1. PHiletus, cùm nõ id eſſet ætatis, quam Eccleſiaſticæ præſcribunt ſanctiones; Sacerdos creatur; primúmque ſacrum ex Eccleſiæ ritu cum Epiſcopo facit.

Duo quærebantur, num Philetus fuerit ipſo iure ſuſpenſus, & cum Epiſcopo celebrans, notam ſubierit irregularitatis.

Reſpondeo nunc illud ipſum, quod multos ab hinc annos reſpondi, ac ſenſi, Philetum, ob Sacerdotij ordinem in ætate non iuſta ſuſceptum ſuſpenſionis cenſura irretitum fuiſſe; verùm propter eam celebrationem irregularem nequaquam extitiſſe.

De ſuſpenſionis cenſura nefas eſt hoc tempore dubitare, cùm illam infligat Pij II. conſtitutio, cùm ex ſacrorum: quam Clemens VIII. noua quadam ſua conſtitutione, quą Xiſti V. extrauagantem moderatus eſt, confirmauit & innouauit. Quare cùm Pius II. eos omnes ipſo iure ſuſpendat, qui ſine legitima ætate, vel facultate, vel extra tempus legitimum ſacrum Ordinem accipere præſumunt, pœna ipſa fixa & rata manet. Fuitque eadem conſtitutio Pij II. ante Clementis VIII. Pontificatum cõſuetudine Romanæ Curiæ redintegrata: quę res minimè Nauarrum latuit, qui ſolus è Summarum ſcriptoribus, in Manuali, cap. 27. num. 155. teſtatus eſt, eos, qui contra Pij II. legem committunt, ipſo iure eſſe ſuſpẽſos: quos ſuſpendendos eſſe ſentiunt, qui ante Nauarrum de hoc genere controuerſiarum ſummas elucubrati ſunt; propterea quòd Piam ſanctionem vſu contrario abrogatam eſſe arbitrabantur.

Maneat igitur Philetum propter Sacerdotium ante iuſtã ætatem ſuſceptum in ſuſpenſionem incidiſſe.

Verùm hunc ipſum irregularitatem 2.
vitauiſſe mihi multis argumentis perſuaſi.

Primum fuit. Quia ea Miſſa, quam cum Epiſcopo in collatione ordinum celebrãt noui Sacerdotes, non tam eorum, quàm Epiſcopi cenſeri ſolet actio: nec quiſquam primam ſuam Miſſam dicit eam, quam cum Epiſcopo obit.

Secundum. Quòd Sacerdotes Miſſæ

ſacrifi

ſacrificium cum Epiſcopo peragentes, nixi genibus id faciunt, neque iis vtuntur ceremoniis, ritúque ſolemni, quo diuina hæc actio à ſacrificantibus adminiſtrari ſolet: vt iſte modus celebrandi non is videatur qui hominem, qui ſuſpenſus eſt, conſtituit irregularem.

Tertium. Cùm ſacrificij partes ad eius ſubſtantiam pertinentes, quattuor ſint, vt ipſi in quodam noſtro libello de ſacrificio noui teſtamenti oſtendimus, conſecratio, oblatio, fractio, conſumptio, Sacerdos cum Epiſcopo celebrans, tres poſtremas prætermittit: primam etiam omitteret, id eſt, conſecrationem, ſi Epiſcopus ante initiatum Sacerdotem verba formæ abſolueret.

Quartum. Actum celebrandi poſt ſuſpenſionem liberum & voluntarium eſſe oportet: At is, qui exercetur cum Epiſcopo conferente ſacros Ordines, videtur neceſſarius, non quidem neceſſitate coactionis, ſed ea quæ partem voluntarij, partem inuolũtarij adſciſcit. Neque enim leuiter offenderetur Eccleſia, nec parua ſociorum Sacerdotum, quando adeſſent, foret offenſio, ſi vnus aliquis non præſtaret, quod in ea celebratione, Eccleſiæ lex & conſuetudo imperat fieri.

3. Quintum ac poſtremum. Ea, quæ nos cenſuris obnoxios faciunt, abſoluta eſſe oportet, vt conuenit inter Doctores: ergo Philetus ante totam & abſolutam Sacerdotalis ordinis poteſtatem non fit irregularis; ſed tota non conceditur, neque totius ordinis poteſtas accipitur, niſi Sacerdoti manus ab Epiſcopo imponantur, in quarum impoſitione poteſtas datur remittendi peccata, quum id apertiſſimè verba imponentis manus ſignificent: his enim verbis vtitur Antiſtes: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta ſunt:* ergo Philetus poſt poteſtatem collatam remittendi peccata ſuſpenſus manebit. Sed collatio eius poteſtatis eſt poſterior Miſſæ ſacrificio: & cunctis eius partibus expletus ſuſcipitur: ergo celebratione vniuſcuiuſque, qui cum Epiſcopo celebret, eſt poſterior. Quod ſi ita eſt, irregularitatem ob eam celebrationem nõ patit. Nam celebratio ſequi debet ſuſpenſionem, non antecedere.

4. His conſentanea adfert Paludanus, in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 8. art. 3. concl. 2. vbi duo conſtituit: alterum eſt, ſi Epiſcopus ediceret eſſe, qui ſine ipſius venia in tali Eccleſia celebraret, excommunicatum propter primam Miſſam, ob quam in excommunicationẽ Sacerdos incurrit, non fieri irregularem: fieri autem propter ſecundam, quam celebrat iam excommunicatus. Alterum eſt, Miſſam, quæ celebrantem efficit irregularem, debere eſſe perfectam: &, vt is loquitur, finitam.

Fauent etiam huic eidem noſtræ ſententiæ verba, quibus Epiſcopi admonent Sacerdotes poſt manus eis impoſitas. Ad hunc enim modum eos alloquuntur. Quia res, quam tractaturi eſtis, ſatis periculoſa eſt, fratres chariſſimi, moneo vos diligenter, vt honeſtè totius Miſſæ ordinem, & hoſtiæ conſecrationem, atque communionem ab aliis iam doctis Sacerdotibus diſcatis, priuſquam ad celebrandum Miſſam accedatis. Quæ verba indicant, quam cum Epiſcopo celebrarunt, nec eorum propriam, nec primam eſſe. Salua ſemper, &c.

QVÆSTIO XLIV.

Venetæ diœceſis clericus, quo tempore peſtilenti cœlo ciuitas laborabat, in aliam ſe vrbem contulit; illic ſine ordinarij ſui literis ad ſacros Ordines ab Epiſcopo non ſuo promouetur: promotus, celebrat.

1. Cùm de ſuſpenſione, & de irregularitate cõſtet: quæſitum eſt, vtrùm Patriarcha Venetus clericum hunc ſuſpenſione atque irregularitate liberare poſſet.

De ſuſpenſione reſpondi, poſſe eam tolli Synodi Tridentinæ conceſſu, vt liquet ex cap. 8. ſeſſ. 23. vbi his verbis decernitur:

» cernitur: Vnuſquiſque autem à proprio » Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio » promoueri petat, nullatenus id ei etiam » cuiuſuis generalis, âut ſpecialis reſcripti, » vel priuilegij prætextu, etiã ſtatutis tem- » poribus permittatur, niſi eius probitas, ac » mores ordinarij ſui teſtimonio commen- » dentur: ſi ſecus fiat, ordinans à collatione » ordinum per annum & ordinatus à ſu- » ſceptorum executione, quamdiu proprio » ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpen- » ſus. Quod attinet ad irregularitatem; ſi ea narratur ex delicto occulto, aio, & tunc etiam dixi, ab Epiſcopo proprio tolli poſſe, vt planum eſt ex decreto Tridentini Concilij, ſeſſ. 24. cap. 6. liceat Epiſcopis.

2. Hoc loco non videtur aliena Nauarri animaduerſio in Summa, cap. 27. num. 255. Is enim obſeruat in eo loco Concilij Tridentini, qui nunc indicatus eſt, & in Romanæ pœnitentiariæ litteris, nonnullorúmque legatorum diplomatibus, in quibus vel de abſolutionibus cenſurarũ, vel irregularitatum diſpenſatione agitur, » occultum idem valere, quod non pu- » blicum. Publicum verò partitur in tria; » in notorium, in manifeſtum, & famoſum: » Notorium definit, quod nititur ſcientia » maioris partis prædictarum communita- » tum. Manifeſtum, quod nititur fama eiuſ- » dem partis maioris orta à ſcientibus. Fa- » moſum, quod nititur fama maioris partis, » orta ex vno ſciente, vel ex indiciis, vel » præſumptionibus illi æquipollentibus, iuxta Gloſſ. cap. manifeſta, 2. quæſt. 1. & cap. veſtra, de cohabit. cleric. Illud item ſapienter idem Nauarrus tradit, non vocari delictũ publicum; ideo, quòd actio, in qua delinquitur, eſt publica. Philoſophi ac Theologi dicerent non eſſe ſatis, vt actio publica ſit in eo, quòd actio, ſed hactenus, vt vel mala, vel prohibita, vel » vt delictum. Miſſa enim, verba ſunt Na- » uarri, facta coram populo ab excommu- » nicato occulto, actus publicus, & deli- » ctum eſt, non tamen delictum publicum: » quia neſcitur publicè eſſe delictum.

Hæc Nauarri doctrina ſi nobis ex vſu eſſe debet, dicemus, huius clerici, quo de agimus, tum ſuſpenſionem, tum irregularitatem occultam eſſe cenſendam, ſi vel in ciuitate, vbi ordines ſuſcepit, vel alibi, de ſuſpenſione publicè ignoratur; vel, quòd ſuſpeſus celebrauerit, publicè quoque ignoratur. Quare iure Tridentinæ Synodi poſſet vtrumque vinculum à clerici Epiſcopo in foro conſciẽtię abrumpi.

Veruntamen hoc prætereundum non eſt: Si, quo tempore vigebat Xiſti V. conſtitutio contra clericos malè promotos, clericus hic in eiuſmodi cenſuram ſuſpenſionis, & in irregularitatem incidit, eum nõ potuiſſe neque in foro conſcientiæ abſolui, quamuis res vtraque eſſet occulta, niſi à ſolo Romano Pontifice. Sed Clemens VIII. ſic Xiſtinam moderatus eſt, vt nunc illius pœnæ teneant tantùm Simoniacos in ordinum collatione, ſeu ſuſceptione.

QVÆSTIO XLV.

QVo tempore hac noſtra recenti memoria ciuitas Veneta graui lue conflictabatur, multíque ne eiuſdem morbi ſe contagione contaminarent, in longinquas terras fugiebant, nonnullus eius vrbis incola, iuráque ciuitatis adeptus, in auitum ſolum ſaluris cauſſa tranſmiſit, patriúmque larẽ reuiſit. Interea, dum hic in paterno cõmoratur domicilio, ab eius loci Epiſcopo ſacris Ordinibus initiatur: ſacerdotiúmque obtinet Eccleſiaſticum: ſed neque proficiſcens à Patriarcha Venetiarum petiit, vt per illum liceret ſibi vrbem relinquere, ſacróſque Ordines à paternæ ciuitatis Epiſcopo accipere. 1.

Hîc tria dubitata ſunt: Primùm, num iſte clericus ſuſpenſus ſit iure Concilij Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 5. & ſeſſ. 23. cap. 8. Deinde, diuinis muneribus fungendis euaſeritne irregularis. Poſtremò, vtrùm beneficij Eccleſiaſtici collatio rata fuerit.

Alter quidam cum matre Venetias aduehi

aduehitur: illic decem annos reſiſtit: à Patriarcha prima tonſura decoratur: Indidem cum matre, ac ſorore ſe ſe commouens, aliam deligit vrbem, vt illic figat ſedem. Hanc vrbem poſtquam tres annos familia eius cuncta incoluit, omnes ſacros ordines ſine aliqua Veneti Patriarchæ conceſſione ſuſcepit.

2. De hoc item quæſitum; num in ſuſpenſionis, & celebrando in laqueum irregularitatis ſe ipſe induerit. Homines non defuerunt, qui etiam literati, probique viri habebantur, quorum ſuffragiis amborum clericorũ videbatur cauſſa damnata; quibus ipſis ſuccurri cenſui oportere: quòd nihil ab iis neque contra frugi clerici officium, neque contra Tridentini Concilij iura peccatum eſſe arbitrabar.

Duo noſtræ defenſionis firma fundamenta fuere. Primum illud fuit. Quòd aliquis plura poteſt habere domicilia: id quod certarum legum auctoritate, firmatiſque Doctorum ſententiis facilè comprobatur. Docet id lex 3. 4. 5. 6. 7. ff. ad municipalem, & de incolis. Lex item, Senatores, C. vbi Senatores, & lex ciues, C. de incolis, lib. 10. Digeſtorum leges ad » hunc modum loquuntur. lex 3. Placet » etiam filium familias domicilium habere » poſſe. Nimirum lex intelligit domicilium » à paterno ſeiunctum. & lex 4. Non vti» que vbi pater habuit, ſed vbicunque ipſe » conſtituit: quibus verbis magis tertiæ le» gis ſententia illuſtratur. & lex quinta. » Labeo iudicat, eum, qui pluribus locis ex » æquo negotiatur, nuſquam habere do» micilium: quoſdam autem dicere refert » pluribus locis eum incolam eſſe, aut do» micilium habere, quod verius eſt. 6. §. » filius. Filius ciuitatem, ex qua pater eius » naturalem originem ducit, non domici» lium ſequitur. Iuris prudentibus placuit » duobus locis poſſe aliquem habere do» micilium, ſi vtrobique ita ſe inſtruxerit, » vt non ideò minùs apud alteros ſe collo» caſſe videatur. Septima, ſi quis à pluribus » manumiſſus ſit, omnium patronorum originem ſequitur. Lex verò codicis, Se- » natoribus, viriſque illuſtribus domicilium non ſolùm Romæ, verumetiam in prouinciis, vbi larem fouent, aut maiorem partem bonorum poſſident, & aſſiduè verſantur, perſpicuè concedit. in l. verò, ſi ciues. C. de incolis, eſt his verbis: In eodem loco ſingulos habere domici- » lium non ambigitur, vbi quis larem, re- » rúmque ac fortunarum ſummam conſti- » tuit: vnde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi » nihil auocet; vnde cùm profectus eſt, pe- » regrinari videtur: quòd ſi rediit, peregri- » nari iam deſtitit. Gloſſa interpretationem » faciens illius verbi, *Summam*, ait ad con- » ſtituendum creandúmve domicilium, al- » terutrum eſſe ſatis, aut larem conſtituere, » aut ſummam rerum in aliquo loco habe- » re. Innocentius, *larem*, familiam inter- » pretatur, in caput ex parte, de foro competenti, num. 1.

Haſce leges ſecutæ ſunt tum Gloſſæ ciuiles, & Canonicę, tum ij qui ab vtriuſque iuris voluminibus ſapientiam compilarunt. A quibus neque ij, qui in ſuis ſummis ac libris Chriſtiani officij rationes ſedulò perſecuti ſunt, auſi ſunt diſcedere. Vti Aſtenſis libro ſexto, titulo tertio, articulo octauo, vti Angelus, Syluester, Tabienſis, in verbo, Domicilium. Vti Nauarrus, in commentario capitis, placuit, de pœnitentia, diſtinct. 6. num. 77. vbi probat, eum, qui hyeme vnam incolit parœciam, alteram, æſtate, ambarum parœciarum parochos ſuos, ac legitimos facere: cui rei fidem adiungit ex cap. cum quis, de ſepulturis, lib. 6. in quod caput his verbis commentatur Gloſſa: Nota, quòd quis poteſt ha- » bere plura domicilia. Baldus, in legem » primam, Cod. de municipiis, & originariis, lib. 10. vult in ſuſtinendis publicis muneribus conſiderari originem etiam auitam, nedum paternam: atque locum domicilij præferri origini auitæ, & ſuperiorum graduum, non item propriæ, & paternæ. Idem Baldus explanans legem tertiam, Cod. Quomodo, & quando

iudex, num. 14. bipartitò diuidit domicilium: nam vnum hominis, alterum iuris appellat: iuris eſt, quale mulieris in domo viri, & clerici in Eccleſia, vbi reſidet; citátque Innocentium, in cap. aduerſarius, de eo qui mittitur in poſſeſſionem.

3. Felinus, in caput, poſtulaſti, de foro competente, Baldi, multorúmque Doctorum auctoritate docet clericum ibi habere domicilium, vbi habet beneficium: beneficium autem Doctores intelligunt, cui cura eſt animarum adiuncta: &, ſi plura huiuſmodi obtineret beneficia, plura item obtinere domicilia; iterátque id ipſum, interpretans caput, dilectus filius. 2. de reſcriptis concluſ. 2. & 3. nec paucos, nec leues, huius ſententiæ profert approbatores. Concluſione verò 5. hæc addit: » Quamuis clericus dicatur » habere domicilium in loco beneficij requirentis reſidentiam, non tamen per » hoc definit habere domicilium in aliis » locis, in quibus aliàs de iure habet domicilium, puta ſi alibi patrimonium habe» ret; vel alibi de facto reſideret.

Concluſione autem ſexta affirmat illud clerici præcipuum eſſe domicilium, vbi ſuum obtinet beneficium. Idque Innocentij, Butrij, Ioannis Andr. & Abbatis teſtimonio confirmat. In caput, poſtulaſti, de foro comp. affirmat idem Fe» linus paternum domicilium (verba ſunt » eius) cauſſare domicilium in filio alibi » nato: eſſéque domicilium originis im» mutabile, niſi aratro ſubiiciatur. Citat Ioann. Andr. Dom. Anton. & Bal. nec non legem, omnis, C. de Epiſcopis & cler. Petrum item Anchar. Bartolum, in l. 1. ad municipalem. Ergo tum legum, tum auctoritate Doctorum primum fundamentum ſatis tutum firmúmque relinquitur: quo ſolo præclarè ſuſtinetur ac defenditur prioris clerici cauſſa: qui in paterni domicilij oppido, tum ſacris Ordinibus initiatus, tum beneficio eſt Eccleſiaſtico affectus.

4. Secundum fundamentum, quo primum ædificatur diſtinctiùs. Modi quibus acquiritur ius domicilij, & ſi plures ſunt à legibus, earúmque explicatoribus indicati, tamen qui rerum malarum, nec non bonarum præceptionem ſunt ſuis ſummis complexi, vt Syluester, Angelus, Tabienſis, Armilla, in verbo, Domicilium, contrahendi domicilij rationem ab Innocentio ſumunt in cap. ex parte, de foro competenti. Domicilium, inquit In» nocentius, poteſt haberi in pluribus lo» cis, ſi vtrobique plenè inſtructus ſit: idem » eſt ſi haberet ibi magnam partem ſuo» rum bonorum: vel, ſi larem, id eſt, fa» miliam. Vel, ſi nihil ibi haberet, aſſiduè » tamen conuerſaretur ibi. Tamen ſola do» mus non conſtituit domicilium: legibus » iſthæc confirmat omnia.

Oſtienſis, in Summa, lib. 2. de foro compet. num. 10. multos exponit modos inueniendi domicilij, & in caput ſignificauit, de Parochiis, & alienis Parochianis, num. 2. loquitur his verbis. Dicitur » quis habere domicilium, vbi inhæret. & » num. 5. teſtatur legem codicis, quæ ſtudiorum cauſſa aliquò ſecedentibus poſt decimum annum ius tribuit illic domicilij, nequaquam ſeruari: nec eiuſdem legis Gloſſa obſcurè indicat decem annorum ſpatium coniecturam tantùm probabilem afferre adepti domicilij. Etenim » ſi quis alienam regionem, locúmve petiſ» ſet, non illic commorandi, ſed negotio» rum ſuorum conficiendorum cauſſa, » quamuis in eo loco duodecim, quinde» cim, pluréſve annos conſumpſiſſet; ius » tamen veri domicilij minimè aſſecutus » eſſet. Quocirca ſapiens eſt illud Syluestri » monitum, qui iudicium pronuntians de modis adſciſcẽdi domicilij è legum Doctorúmque ſententiis. Omnia prædicta, » inquit, intellige dicta præſumptiuè. Ve» raciter autem rationem conſtituit domi» cilij intentio habitationis perpetuæ de» terminata, quando eſt vnum tantùm; vel » ſub diſiunctione, quando ſunt plura. An» gelus, in verbo, Domicilium. Statim, in» quit, quòd hoſpitium conſtituit in aliena » Parochia

Parochia cum animo ibi remanendi, ſtatim fit Parochianus illius: huius dicti probationem accerſit ex cap. poſtremo de Paroch. & ex cap. Apoſtolicæ, de Decimis. Eiuſdem dicti adſcriptores ſunt, Tabienſis, citans eaſdem Eccleſiaſticas leges; & Oſtienſis: & hoc ſecundum fundamentum haud eſt infirma poſterioris clerici defenſio.

5. Sed ex ambobus his firmamentis ad hunc modum ratiocinemur. Quilibet ſacros Ordines ab eo Epiſcopo petere poteſt, qui præeſt loco, vbi qui petit, habet domicilium: At vterque Sacerdos, quo de agitur, verum ac legitimum domicilium illic habuit, vbi ſacris eſt inſignitus ordinibus: ergo rite vterque ordinatus fuit.

Minor propoſitio perſpicuam habet confirmationem. Namque primus Sacerdos in loco paterni domicilij eſt ordines beneficiúmque adeptus. Secundus verò, in ea ciuitate, ad quam cum ſuis domeſticis ſemigrauit: vt illam ipſam perpetuò habitaret. Nihil eſt igitur ab iis contra Eccleſiæ iura commiſſum.

Sed nimirum incidit hoc loco dubitatio. Num is, qui Venetiis à Patriarcha primam tonſuram acceperat, potuerit eius iniuſſu aliò demigrare, nouúmque ſibi quærere domicilium.

6. Dubitationem hanc remouet Panormitanus, in commentario capitis, fraternitati, de clericis non reſidentibus, num. 4. Clericus, inquit ille, ſæcularis, vel laicus, non ſunt ita ſubiecti proprio Epiſcopo, quominus poſſint transferre domicilium, & acceptare alibi beneficium ſine licentia Prælati, & in caput, ſignificauit, de Parochiis, num. 2. Nota quòd ius incolatus, ſeu domicilij, tollitur Epiſcopo eo ipſo, quòd quis ſe transfert ad alium locum. Nam domicilium poteſt quis ex libera voluntate mutare: & abſoluit ſe à nexibus prioris Domini, vt hîc patet apertè. At Ioannis Andreæ verba, illud ipſum caput, ſignificauit, explanantis, num. 1. hæc ſunt: Si parochianus domicilium transfert, primus Prælatus in eo Parochialia iura non vendicat. & Oſtienſis, in idem cap. num. 1. Tranſlato domicilio tranſlata eſt iuriſdictio.

Verùm quid attinet verbis ſententiiſque Doctorum rem hanc agere, cùm ea graui Romani Pontificis decreto ſit diiudicata? Namque Cæleſtinus III. ad eum referente Aconenſis ciuitatis Epiſcopo, de ſuis incolis, cùm accepiſſet Hieroſolymitanum regnum in Saracenorum poteſtatem redactum eſſe, & Aconenſium vrbem à Chriſtianis receptam eſſe; in quam complures è ſuis ciuitatibus, quæ ſeruitutem barbarorum perpetiebantur, confugerant, illícque domicilium delegerant; intellexiſſet etiam recentium incolarum priores Epiſcopos, ac Prælatos vetera iura in eos exercere velle, tamquam in ſuos parœcos, velléque ab eiſdem decimas exigere: idem Romanus Pontifex his verbis reſpondet.

Fraternitati tuæ mandamus, quatenus prædictorum locorum Prælatos, vt ſibi nullam in prædictos Aconenſes habitatores iuriſdictionem vſurpent: nec ab eis temporalia exigant, quibus ſpiritualia non miniſtrant, diſtrictione qua conuenit, compellatis. In quam decretalem extat Gloſſa in qua in ea verba, *habitatores, iuriſdictionem*, ſcribitur his verbis. Quia tranſlato domicilio ſubtracti ſunt eorum iuriſdictioni ſuprà de foro compet. propoſuiſti 13. quæſt. 1. Eccleſias §. quia ergo. & ibi dicitur quis habere domicilium, vbi habitat. ff. ad munic. municeps. §. miles. Sed videtur contradicere quædam lex. ff. de ſenat. ſenatores, vbi dicitur, quòd licèt ſenatores domicilium habeant in vrbe, retinent tamen ius in prouinciis, vnde ſunt oriundi. Sed illud verum eſt quoad honores, non quoad onera. ff. ad municip. municeps.

Sed neque lex, quam ſibi Gloſſa opponit, neque Gloſſæ reſponſio obeſt noſtrorum Sacerdotum cauſſæ, imò verò

vehementer fauet: præſertim illi, qui ad ſuam prouinciam, & paternam ciuitatem terrore periculóque contagionis compulſus remigrauit.

QVÆSTIO XLVI.

1. IN hac poſtrema quæſtione de ſuſpenſione quærimus: numnam labi quis poſſit in cenſuram ſuſpenſionis ſine vlla ſua culpa.

Inficiantur Caietanus & Armilla, in verbo, Suſpenſio, & Nauarrus, in Summa, cap. 27. numer. 151. ad iſtam autem ſubeundam cenſuram conſtituunt ſatis eſſe leuem culpam. Cuius opinionis firmamentum illud eſſe videtur. Quòd pœna comes eſt culpæ: nam vt eſt apud Lyricum, Latinæ poëſeos, lib. 4. Carminum Ode 5. *Culpam pœna premit comes:* cùm igitur ſuſpenſio pœna ſit Eccleſiaſtica, non eſt ab innocentibus petenda. Imò, qui diceret non niſi ob mortiferam culpam eam ſubiri, non prorſus abſurdè loqueretur. Nam, cùm magna ſit pœna, non poſſe nec ſacra conficere, neque in Eccleſia diuina muneta colere, & efficere, neque Eccleſiaſtica ſacerdotia poſſe adipiſci, nimirum iſthæc docent tantum pœnarum non dependi, niſi ob magnam culpam. Accedit eòdem, quòd omnes in iure vetere Eccleſiæ ſuſpenſiones percurrenti, vix vna occurret, quæ non ſit propter letalem noxiam irrogata.

Cùm igitur, vt inquit M. Tull. in » primo officiorum, cauendum ſit, ne ma- » ior ſit pœna, quàm culpa: atque vt idem ſcribit in 3. de leg. *Noxiæ pœna par eſto: vt in ſuo quiſque vitio plectatur: vis, capite; auaritia, mulcta; honoris cupiditas, ignominia ſanciatur:* ſanè æquum videtur, vt nec tanta pœna, quanta eſt ſuſpenſio, ſine culpa, nec ſine graui culpa irrogetur: nec ſecus mihi olim iudicatum fuit.

2. Me tamen de priſtina ſententia nonnulla Tridentini Concilij decreta deduxerunt. Seſſ. enim 6. cap. 5. ſic decernitur; Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis pri- » uilegij prætextu Pontificalia in alterius » diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci » expreſſa licentia: & in perſonas eidem » Ordinario ſubiectas tantùm: ſi ſecus fa- » ctum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pon- » tificalium, & ſic ordinati ab executione » ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi. Quid ſi » in aliena diœceſi quiſpiam Pontificalia exerceat, contra hanc legem concilij, idémque initiandis mendaciter dicat ſe, quæ agit, iure agere, nec non loci Ordinario aſſentiente? Ecquis non extra omnem culpam arbitretur eſſe eos, qui ordines ab eo Epiſcopo ſuſcipiunt, cùm ei affirmanti fidem abrogare turpe ſit?

Nihilominus concilium ordinatos ſuſpenſione multat: neque enim vlla exceptione legem mitigat. & ſeſſ. 14. cap. 2. extat decretum quo tum titulares, & clero carentes Epiſcopi percelluntur, ſi in aliquo loco exempto, nec vllius diœceſeos commorantes, aut ad ſacros Ordines, aut ad minores, aut ad primam tonſuram vllos promouent abſque expreſſo ſuorum Prælatorum conſenſu, vel literis dimiſſoriis. Contrafaciens, verba » ſunt concilij, ab exercitio Pontificalium » per annum; taliter verò promotus, ab » executione ordinum ſic ſuſceptorum, » donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iu- » re ſint ſuſpenſi. At iſte Epiſcopus poſſet » mentiri ad ſe venientibus, ſibi ius eſſe vnumquemque in ordinem Eccleſiaſticum cooptare; quoſvis clericali charactere inſignire: quamuis literarum teſtimonio, qui petunt ordines, careant: cuius affirmationi multi præſertim pueri ſine vllo errore fidem habere poſſent: qui tamen ab eo promoti ſuorum ordinum exequi officia nequirent.

Ad hæc idem concilium, ſeſſ. 23. c. 8. vetat quempiam cuiuſuis priuilegij prætextu poſſe ab Epiſcopo non ſuo promoueri, niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur, Si ſe- » cus fiat, verba ſunt Concilij, ordinans à » collatione ordinum per annum, & ordi- »

natus

natus à ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire,ſit ſuſpenſus.At fieri poteſt vt in eiuſmodi promotione vetita nihil à clerico peccetur, ſed is optima fide ad ordinem accedat. Sed tamen innocentis ſuſpenſio pars eſt eius pœnæ, quam Epiſcopo delinquẽti irrogat Tridentina Synodus.Quod vt credere poſſimus, faciũt hæ,quæ ſequuntur, probationes.

5. Prima probatio. Quia ſapientum legiſlatorum eſt, quum lege & pœna vniuersè quidpiam ſanciunt, excipere eos, quos nolunt pœna teneri: id non faciunt Tridentinæ Synodi Patres, cum iis qui bona fide ordinantur ab Epiſcopis, qui in ordinatione delinquunt:ergo,&c.

Secunda. Prudentis legiſlatoris eſt,errandi licẽtiam ſeu occaſionem,iudicibus præcidere:quorum maximè intereſt,non de lege,ſed ex lege iudicare:quandoquidem,vt ſcribit Ariſtot.1.Rhetoric.cap.1. *amore, odio priuatáque vtilitate cæcatus non ſatis queat veritatem perſpicere: ſed voluptate, aut dolore iudicia ſua peruertat.* Quare, ſubiungit Ariſtot. *Aliarum rerum,vt dicemus, quàm pauciſſimarum iudici poteſtatem tribuimus. Factum verò eſſe, aut non factum,& fore, aut non fore: eſſe quoque vel non eſſe, hæc omnia, cùm non poſſit legiſlator prouidere, iudicibus relinquenda neceſſariò ſunt.* Si ergo de facto, aut non facto, quærendum eſt iudici:is de eo erit ſollicitus maximè,fuerit ne clericus à ſuo, an ab alieno Epiſcopo ordine initiatus: &, ſi contra legem Concilij recepiſſe ordinem conſtiterit, ſuſpenſum pronunciabit:nec de bona fide clerici magnopere laborabit.

Probatio tertia. Pœna iis adhibenda eſt, quibus lex imponitur: at imponitur lex Epiſcopis,vt planũ eſt ex ipſis decretis Tridentinæ Synodi, & ex aliis compluribus, tam Conciliorum quàm Romanorum Pontificum, quæ mox commemorabuntur: ergo eiſdem Epiſcopis pœna tribuetur:quare ſuſpenſio,qua clerici in hoc genere plectuntur, ad vltionem Epiſcoporum referenda eſt.

Quarta probatio. Concilium Nicenũ, cap.16. irritam decernit eſſe ordinationẽ eius Epiſcopi, qui alienæ diœceſis clericum ordinat ſine conſenſu ſui Epiſcopi, habetúrque, diſtin.71. can. ſi quis auſus: idémque ſtatuitur in Concilio Chalcedonenſi,actione,15.cap.6. quod caput in decretum item retulit Gratianus,diſt.70. can.neminem:idipſum conſtituit Concilium Antiochenum,cap.13.& 22. quæ capita extant in decretis, 9.q.2. prius caput in canone,nullum: poſterius in cap.Epiſcopum. 4.

Eamdem ſanctionem ſubſcripſit Concilium Sardicenſe, vt cuiuis promptum eſt ex can.1. diſt. 71. in quo canone hæc leguntur:

Oſius Epiſcopus dixit,& hoc vniuerſi conſtituimus: vt quicumque ex alia parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius, & ſine voluntate ordinare,non ſit rata ordinatio eius. Horum Cõciliorum Patres irritam eiuſmodi aiunt eſſe ordinationem, non quia non ordinis imprimatur character in miniſtris:ſed quia ordinis adminiſtrandi nõ eſt iis permiſſa poteſtas.

Confirmat hos canones Vrbanus Papa ad Lugdunenſem Archiepiſcopum, can. Lugdunenſis parochiæ, & Gregor. X. in Decretali, eos qui, de temporibus ordinationum, lib.6. pœnam à ſacris canonibus conſtitutam in eos, qui ab Epiſcopis non ſuis ordinantur,renouat. Pœna autem ea eſt, vt irrita ſit ordinatio, id eſt,vt rectè exponit Gloſſa illius Decretalis,in verbo,*ſtatuunt*,vt rata non habeatur quo ad executionem:recipiunt enim, vt iam dixi,ordinis characterem, ſed ordinis functione priuantur: neque in tot ſacris ſanctionibus tollentibus executionem ordinis ab alieno Epiſcopo dati,vlla vmquam exceptio bonæ fidei ſuſcipientium reperitur: quod magno eſſe poteſt argumento,eos propter dolum,& malam fidem (cui parem eſſe affectatam ignorantiam, aut craſſam, ſupinámque negligentiam ſæpius in his noſtris reſponſis

5. demonſtrauimus) conferentis ordinem puniri.

Quinta probatio. Quod opinamur ipſi, duo canones minimè obſcuris verbis perſuadere poſſunt, canon, inquam, Concilij Chalcedonenſis, neminem, diſt. 70. & canon Vrbani, Lugdunenſis parochiæ, 9.q.2. canon Concilij Chalcedon. ſumptus ex actione, 15. cap. 6. duo præcipit, vt in ſua paraphraſi in illum canonem indicat Gratianus: alterum eſt, ne quis abſolutè ordinetur, id eſt, ſine titulo: alterum, ne ab alieno Epiſcopo ordinetur:
» ſi ſecus ſit factum, decreuit ſancta Syno-
» dus, ſic loquitur canon, vacuam haberi
» manus impoſitionem, & nuſquam poſſe miniſtrare ad ordinãtis iniuriam. Viden', vt maximum illud Concilium Chalcedonenſe iniuriam & culpam contra fas ordinantis Epiſcopi plectat? velitque clericos ordinatos non poſſe vſquam terrarum accepti ordinis muneribus fungi? huc enim pertinent verba Græca, μηδα-μοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν. Canon verò Vrbani eſt his verbis conſcriptus:
» Lugdunenſis parochiæ clericos, quos
» contra ſtatuta canonum ab alterius paro-
» chiæ Epiſcopis ordinatos litterarum tua-
» rum ſignificatione monſtraſti, cum gra-
» duum ſuorum honore recipere, religio-
» nis tuæ prudentia poterit, ſi eos aliàs ca-
» nonicè, & ſine prauitate aliqua ordina-
» tos conſtiterit: ſi tamen eorum probabi-
» lem vitam id indulgẽtiæ perſpexeris promereri. En omnem ab ordinatis amouet prauitatem, & tamen ſuſpenſionem eos ſubiiſſe oſtendit: & nihilominus vult eiſdem pœnitẽtiam iniungi: quia ipſo facto videbantur Eccleſiam offendiſſe, quamuis nulla in eorum animo prauitas verſata eſſet.

6. Sexta probatio. Sicut, inquit Gloſſa,
» in cap. eos qui, de tempor. ordin. in ver-
» bo, *Statuit*, non tenet ſententia data à non
» ſuo iudice, adde tu, quamuis illa abſoluatur reus, & is optima fide ſit: ita vt eadem Gloſſa, non tenet ordinatio; intelli-
» ge, ratione executionis: nam qui ordinare non poterit, qualiter iudicabit? inquit »
Calliſtus can. nullus Primas, 9. q. 2.

Septima probatio. Poſtulat id poteſtas, & iuriſdictio cuiuſlibet Epiſcopi Catholici, & non impediti, vt ipſe ſuos clericos beneficiis & officiis præficiat. Quid enim rationis habet, vt tu meum clericum me non aſſentiente obeundis Eccleſiaſticis muneribus præficias, præſertim ſi in mea diœceſi ea erit obiturus? Ergo quamuis integra & religioſa fide ordinatus ſit aliquis ab Epiſcopo, non ſuo, iure canonum ordinationi aduerſante, ſine venia ſui Epiſcopi agere quæ ordinis ſunt, ei minimè licebit.

Hæc me de priore ſententia deiecerunt. Poſſe verò quempiam culpę expertem ſuſpẽſione coërceri iampridem ſcripſerat his verbis D. Thomas, in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. artic. 3, quæſtiunc. 2 ad 1. Ali- » 7.
quis ſine peccato proprio ſuſpenditur: »
ſicut & totum regnum ſupponitur inter- »
dicto pro peccatis Regis. Itaque definitio »
illa ſuſpenſionis ad hunc modũ explicata »
à Nauarro in ſua Summa, cap. 27. nu. 151. »
Suſpenſio eſt cenſura, qua alicui perſonæ »
Eccleſiaſticæ prohibetur exercitium ſui »
officij vel beneficij Eccleſiaſtici, in totũ »
vel in parte, in certũ tempus, vel in per- »
petuum, quoad partem ob ſuam culpam, »
à iudice vel à lege: hæc inquam definitio magis abſoluta fuiſſet, ſi poſt illa verba, *ob ſuam culpam*, adiunxiſſet, *vel alienã*: »
quam culpam mihi credibile eſt debere »
eſſe grauem atque mortiferam.

Quod autem in contraria argumentatione aſſumebatur: comitem culpæ eſſe pœnam, cõcedendum eſt: verùm culpam non eſt neceſſe ſemper eſſe noſtram, poteſt enim eſſe aliorũ. Eius verò Tullianæ ſententiæ: *vt in ſuo quiſque vitio plectatur:* duplex eſſe poteſt interpretatio. Prior eſt hæc: Vt peccanti ſua pœna conſtituatur: »
neque ideo à Cicerone negatur, quin pro alieno quoque flagitio puniri quis poſſit. Poſterior, quam ipſemet Cicero indicauit, ea eſt: Vt genus pœnæ genus »
quoque & naturam culpæ imitetur. Huc »
enim

enim pertinent verba, quæ protinus attexit. *Vis,capite;auaritia,mulcta;honoris cupiditas, ignominia ſanciatur.* Denique perduellium, inceſtorúmque parentum ſcelera, in liberis ac poſteris vindicari humanæ diuinæque leges reſtantur. Paternorúmque ſcelerũ à poſteris pœnas repeti à Deo eius diuinæ voces declarant, in Exodo, cap. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quam ſententiam iterat Moyſes in eod. lib. cap. 34. *Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem.*

Quid? Parentis omnium ſcelus, quod infelix Adamus ſuę vxoris perſuaſu conſciuit, an non Deus in cunctis eius poſteris, adhuc punitus eſt, atque in ſingulos dies, & ſingula momenta punitur? neque vno, ſed multiplici ſupplicij genere vlciſcitur?

De interdicto.

QVÆSTIO XLVII.

1. MVlier in templo duos quoſdam conſpicata, herum & famulum, quibus ab ſuo Epiſcopo templi aditu & ſacris interdictum erat: propterea quod Concilij Lateranenſis, & Innocentij III. ſanctioni de annua peccatorum confeſſione non omittenda, & de Euchariſtia in Paſchate ſumenda, minimè paruiſſent: eos ſacerdoti rem diuinam facturo indicat.

Sacerdos indici mulieri credit: famulum continuò è templo eiicit: retinet dominum: vel quòd dubitaret, num eius nomen in album interdictorum relatum eſſet: vel quia crederet Eccleſiæ ſatisfieri ab eo, qui ſacra confeſſione peccata expiaſſet, quãuis ad corporis Chriſti communionem non acceſſiſſet. Ita abſente ſeruo, præſente Domino, rem diuinam inchoat ac perficit. Facto ſacrificio pergit ad locum, vbi publica interdictorum tabula propoſita erat: in ea etiam nomen heri agnoſcit. Cogitare ſecum cœpit eſſet ne vlla ab eo Eccleſiæ lex violata; atque ob eam ipſam cauſſam in cenſuram aliquam pœnámve prolapſus.

Conſilij cauſſa conuenit Theologum: hic reſpondit, ob fidem bonam, quæ fuit in ſacerdote, videri ſibi eum extra culpã, omnémque cenſuram fuiſſe, & eſſe: præſertim cùm caput Epiſcoporum, de priuilegiis lib. 6. eos dumtaxat coërceat, qui præſumunt. Cui opinioni opitulatur Nauarrus, qui in Manuali, cap. 25. num. 94. pœnam illius Decretalis Epiſcoporũ affirmat impoſitam iis, qui à iuriſdictione ordinaria ſunt exempti: fretique ſedis Apoſtolicæ priuilegiis, contra eam legem committunt: quam ſententiam affingit Archidiacono, & Ioanni Andreæ; & eſſe communem, ſcriptum reliquit in eodem Manuali, cap. 27. num. 157. 2.

Mihi ſecus eſt viſum, has ob cauſſas. 3.

Primùm, quia bona fides, rectáque conſcientia, nihil agit cum ancipiti cogitatione recti, vel æqui: id quod non ſolùm noſtrates Theologi, verumetiam Theologiæ Chriſtianæ expertes Philoſophi, multis ſeculis ante noſtra gymnaſia conſtituta tradiderunt: quorum ſententiam his verbis M. Cicero, in 1. lib. officiorum explanauit. Quocirca bene pręcipiunt, qui negant quidquã agere; quod dubites æquum ſit an iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ. A nobis etiam eſt in diſputatione de præſcriptione oſtenſum, cum dubitatione bonam fidem non poſſe conſiſtere. Iraque hic ſacerdos cùm animo fluctuarit & æſtuarit, bona fidę caruit. Deinde, ignorãtia craſſa & ſupina æquatur cum dolo, nec quęquam liberat pœna cenſurarum ex communi ſententia Doctorum, & ex cap. vt animarum, de conſtitutionibus, libro 6. iſte ſacerdos fœdiſſima laborauit inſcitia: cùm credidit præcepto ſatisfieri Eccleſiæ, ſi quis ſemel in anno confeſſus de Chriſti corpore tẽpore Paſchatis ſumendo non laboret: ignorauit enim, quod tenent

nent pueri, qui noſtræ fidei rudimenta diſcant. Ad hæc: ſicut ignorantia facti non iuſta nequaquam cum excommunicato participantes excuſat, cùm non vitant eum, quem ſcite eos oporteret excommunicatum eſſe, ac à fidelibus vitãdum: minorem enim excommunicationem ex omnium ſententia non effugiũt: ſic iſte ſacerdos, cui turpe fuit ignorare, quod muliercula ſciebat, illius heri & ſerui nomina in album interdictorum fuiſſe conſecta, cùm à ſacris, quæ conficiebat, non repulit, in laqueum interdicti ſe ipſum induit.

4. Ad extremum, nullum eſt huic ſacerdoti in Decretali Epiſcoporum honeſtũ perfugium: ſiue verba ipſa legis, ſiue legiſlatoris finem, & conſilium conſideremus; ſiue Doctorum auctoritatẽ ſequamur. Verba legis hæc ſunt: Præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne aliqui ſeculares, aut regulares, quantumcunque exemptionis, ſeu libertatis ſedis Apoſtolicæ priuilegiis communiti, cuiuſcumque ordinis, religionis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, &c. Aduerbium illud, quantumcumque, quis ignorat vim habere coniungendi non exemptos cum exemptis? nam huic aduerbio paria ſunt hæc: *etiamſi, quamuis*: quæ ſine dubio diuerſa genera, & qualitates rerum, ſeu perſonarum copulant. Deinde, quid rationis habet, ac probabilitatis; vt quod nec filiis Principum, Regum, & Imperatorum liceret, nec eorũ propinquis (nam his ferè concedi priuilegia ſolent) liceat per Decretalem cerdonum, laniorum, cetariorum filiis, ac propinquis? Præterea debent leges cunctis eſſe ſalutares: at ſi, lex, Epiſcoporum, præciperet priuilegiatis tantùm, non priuilegiatis minimè eſſet ſalutaris: relinqueretur enim iis facultas non rectè agendi cum excõmunicatis, & interdictis nominatim. Denique odia vitare debent legiſlatores in condendis legibus: hæc autem minimè vitarentur, ſi lex, Epiſcoporum, priuilegiatos, & ſplendidos multaret; non priuilegiatis autem atque obſcurioribus faueret.

Porrò Doctorum, qui legem hanc perꝗuè valere aiunt in omnes, tam priuilegiatos quàm non priuilegiatos, tantus eſt numerus, vt mirum ſit, ſententiam ſuam Nauarrum voluiſſe eſſe cõmunem, eámque Archidiacono, & Ioanni Andreæ affinxiſſe. Cùm totum ſit contra. namque legem latam in eo cap. Epiſcoporũ, communem eſſe exemptis & non exemptis, verbis planiſſimis teſtatur Archidiaconus, eam interpretans: nec aliam Archidiacono ſententiam fuiſſe, ait Ioannes Andreas eiuſdem Decretalis interpretationẽ faciens: quam ſententiam addit ſibi videri veram, quamuis is cuperet, vt contraria vinceret: eam ipſam Gloſſa docet in extrema explanatione illius Decretalis, his verbis: Sed contrarium credo, ſcilicet hanc Decretalem, & eius pœnam, habere locum etiam in non exemptis per litteram, quæ ſuprà dicit, quantumcumque, &c. quaſi dicat Decretalis iſta: quòd vult etiam exemptos ne dum non exemptos hac conſtitutione ligari ad idem. ſuprà de præben. cap. 1. cum ſimi. Hactenus Gloſſa.

Eamdem ſententiam ſubſcripſerunt hi omnes; Petrus Paludanus, Theologici Pontificiíque iuris ſciẽtiſſimus, in 4. ſent. diſt. 18. q. 8. §. quantum ad principale, quę ſit pœna interdicti. Concluſ. 2. D. Anton. in 3. par. titu. 26. cap. 2. §. 2. & cap. 4. §. 1. Aſtenſis, lib 7. tit. 11. art. 1. q. 4. Syluester, in verbo, Interdictum, ſect. 6. num. 2. dicto 3. & num. 4. & in verbo, Suſpenſio, num. 23. Angelus, in verbo, Interdictum, ſect. 4. num. 1. & ſect. 7. nu. 5. & in verbo, Suſpenſio, §. 23. Tabiena, in verbo, Suſpenſio, num. 38. & Interdictum, 6. nu. 2. Roſella, in verbo, Interdictum, 3. §. 1. Armilla, eod. tit. num. 61. Supplementum, in verbo, Interdictum, 4. q. penult. à Caiet. in verbo, Interdictum, in extremo. Itaque hæc mihi vna maximè communis videtur eſſe opinio.

Neque illud inficiandum vllo modo eſt: ſæpenumero Romanos Pontifices culpæ

culpæ eorum, qui priuilegiis abutuntur, ſuccenſentes, generali lege ea ſuſtuliſſe; & ea ſtatuiſſe, quæ non ſolùm eos, qui priuilegiis præditi erant, ſed etiam cunctos tangunt.

Ita Gregorius XIII. iniuriis commotus eorum virorum ac mulierũ, quæ priuilegiis fretæ, regularium ſacra domicilia ingrediebantur, conſtitutione, quæ incipit, Vbi gratiæ, edita anno incarnationis Dominicæ 1575. Idibus Iunij, Pontificatus ſui anno 4. excommunicationis propoſita pœna Romano Pontifici reſeruata, extinxit ea priuilegia, ingreſſúque interdixit: quam conſtitutionem à principio, etſi nonnulli, in quibus fuit Nauarrus, opinarentur non porrigi ad eos, qui ſine priuilegio ingrediebantur: vſus tamen diuturnus, & eiuſdem Gregorij cunctorúmque qui eum conſecuti ſunt, Pontificum interpretatio, planum fecit, ius conſtitutionis nulli omnino parcere viro, ſeu mulieri. Idem de decreto dicere poſſumus, quo Clemens VIII. excommunicationis cenſura, & aliis pœnis conſtitutis reuocauit priuilegia abſoluentium à caſibus reſeruatis.

QVÆSTIO XLVIII.

1. THraſeas ſacerdos, eius cõfeſſionem, cui Eccleſiæ ingreſſus ab iudice nominatim interdictus erat, in quodam ſacello auctoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi erecto, & in quo ſacrum fieri ſolet, audiuit: verùm abſolutionẽ eidem impertiri noluit.

Quæſitum eſt vtrùm hic ſacerdos interdictum violauerit, atque eam ob cauſſam cenſuram quampiam incurrerit; & poſt celebrationem effectus fuerit irregularis.

De hoc ſuo facto ſæpius mecum Thraſeas egit: & quid mei eſſet iudicij, poſtulauit: variè enim de re inter Doctores diſceptatum eſſe narrabat. Quoſdam pronunciaſſe eum ipſo iure ſuſpenſum: & quia ſuſpenſus celebrauit diuina, irregularem euaſiſſe. A nonnullis nulli eum cenſuræ, ſeu pœnæ Eccleſiaſticæ addictum fuiſſe.

His poſterioribus is planè ſe dedit: & cur dare ſe poſſet, hæc ſuadebant. Primùm, quòd nemo cenſuris illaqueatur Eccleſiaſticis, qui non perficit actionem, quæ cenſura multatur. At Thraſeas, cùm confeſſionem hominis interdicti audiuit, ſacramentum inchoauit, non abſoluit: nam prætermiſit præcipuam partem, quę in abſolutione conſiſtit: ergo laqueum cenſuræ vitauit. Deinde, quoniam tempore interdicti nõ ſolùm ægris, ſed etiam valentibus ſacramentum conceditur pœnitentiæ ex cap. Alma mater, de ſententia excommunicat. lib. 6. Tum, quia etiã nominatim excommunicati, & interdicti, poſſunt extra diuinorum officiorũ tempus templa ingredi ad concionẽ audiendam, atque ad ſuam ipſorum priuatam precationem adhibendam: cur ergo non poterit ingredi interdictus poſt diuina officia Eccleſiam conſilij cauſſa, quod conſilium ab ſacerdote petit, ſacra confeſſione ſua peccata apud eumdem deteſtans? Poſtremò (verba ſunt Thraſeæ factum ſuum purgantis) nullus Theologus, nullus iuriſperitus, docuit hanc nouam doctrinam, nimirum ſacerdotem incurrere aliquam cenſuram, quando inſtituit pœnitentem in ipſo cõfeſſionali extra tempus diuinorum officiorum in ipſa Eccleſia, quo modo pœnitens ſe debeat liberare ab interdicto. Hæc ille.

Quæ omnia mihi ſubtiliùs conſiderati, 2. neque ad opinionẽ, neque ad veritatem perſuaderi poſſunt. Thraſeam enim cenſuræ eius, quæ interdictum vocatur, laqueo captum eſſe, & poſt diuinorum celebrationem irregularitatem contraxiſſe, hac neceſſaria argumentatione videtur poſſe concludi.

Quicumque ad diuina officia interdictum admittit, ingreſſus Eccleſiæ ei interdictus eſt ex Decretali Bonifacij VIII. Epiſcoporũ, de priuilegiis: l. 6. & ſi ab in-

greſſu Eccleſię interdictus in ea celebret, ſit irregularis, ex alia Decretali eiuſdem, is cui,de ſententia excommunic.lib.6.in
" qua eſt his verbis: Is cui eſt Eccleſiæ in-
" terdictus ingreſſus, cùm ſibi per conſe-
" quens cenſeatur in ipſa diuinorum cele-
" bratio interdicta, irregularis efficitur, ſi
" contra interdictum huiuſmodi diuinis in
" ea ſe ingerit. Sed Thraſeas ad diuina officia admiſit nominatim & à iudice interdictum: ergo in pœnam incidit interdicti, & poſt celebrationem irregularitatem incurrit.

3\. Maior huius ſyllogiſmi propoſitio Pōtificiis ſanctionibus probata eſt. Minor confirmatur definitione diuini offi-
" cij, quam cuncti Doctores cōplexi ſunt:
" nam functio certo ordini ſacro ſiue minori, ſiue maiori attributa propriè diuinum officium eſſe dicitur: quam definitionem reperies apud Innocentium ſæpe in explanatione cap.Tanta,de exceſſibus prælat.& apud Panormitanum in cap.ſecundum,de clerico excommunic.miniſt. ſemel iterum & tertium, & in cap.illud, eod.titu. num.8. commentarij: & apud alios canonum explanatores,quos ſuperuacaneum eſt commemorare. apud D. Anton.in 3.par. titu.26. cap.4.§.1. apud Summam confeſſ.lib.3.tit.33.q.251. apud Supplementum, in verbo, Interdictum, 4.q. quomodo clerici, & q.quid de ſimplici clerico. Apud Roſellam, in verbo, Interdictum 2.fermè in princip.& interdictum, 3.num.7. à quo citatur Ioannes Calder. apud Angelum, interdictum, 5. num.4. apud Sylueſtrum,interdictum, 5. q.6.& interdictum,6.q.2.apud Ioannem Tabienſem, interdictum,6.num.1. apud Nauarrum,in Summa,cap.27. num.172. in recentioribus.

Sit ergo peruagatiſſima hæc diuini officij definitio pro maiore propoſitione ſyllogiſmi: minor eſt hæc, ſed audire ſacramentalem cōfeſſionem à pœnitente, eſt functio diuina, ſacerdotij ordini aſſignata:& hanc exercuit cum pœnitēte intra Eccleſiam Thraſeas cum interdicto: ergo Thraſeas interdicti pœna irretitus eſt, & irregularis effectus, cùm poſtea rem diuinam perfecit.

Electa autem argumenta ad excuſandam culpam, pœnámque Thraſeæ, molli brachio depelluntur:nam licèt ſacramentum pœnitentiæ inchoatum fuerit,& imperfectum,quia ei abſolutio defuit,tamē auditio ſacramentalis confeſſionis perfecta fuit: in qua auditione tota ſpectatur diuini officij ac muneris vis,atque natura. Tempore verò interdicti conceditur quidem ſanis ſacramentum pœnitentiæ per cap. Alma mater, verùm hoc beneficium idem caput adimit iis,propter quorum fraudem,dolum, & culpam data eſt ſententia interdicti: è quo genere fuit is, qui ad diuina à Thraſea intra Eccleſiam, ſeu ſacellum,receptus eſt. Poſſunt quidem excommunicati,vt nonnullis placet, & interdicti item, ex communi ſententia Doctorum,extra tempora diuinorū officiorum priuatæ precationis cauſſa inire templum,& illic conſiſtere:excipiunt tamen eos, quibus propriè aditus in templum Eccleſiámve interdictus eſt. Scio hanc exceptionem reiici à Couarruuia, quem ipſum in hac re minùs rectè ſenſiſſe exiſtimo,vt liquebit ex ea,quæ hanc ſubſecutura eſt,quæſtione. 4.

Sed ſac permitti aditum interdictis omnibus in Eccleſiam orationis cauſſa extra diuina officia, cauſſa conſilij, ideóne conſequens eſt, vt cum interdicto ſacerdos ingredi poſſit ad diuinum officiū exſequendum, eo modo quo exercuit Thraſeas cum illo ſuo interdicto? minimè verò:id enim & ſacri canones,& Doctores omnes aduerſantur,& prohibent.

Atqui,clamat Thraſeas,nullus iuriſperitus,nullus Theologus condemnat eum ſacerdotem, qui in templo,interdicto,ſiue excommunicato conſilia præbet ſalutis, & qui extra diuina officia erudit interdictum, quemadmodum laqueo cenſuræ expediri poſſit. 5.

Ratio hæc Thraſeæ præciſa fuit: ea enim acceſſio deſiderabatur:neque vllus

ſeu

Digitized by Google

ſeu iuriſperitus, ſeu Theologus, negauit poſſe officium diuinum ſacerdotali ordini attributum vſurpari illius cauſſa, quem Eccleſiaſticæ ſanctionis ſacramentis, diuiniſque officiis, & ſepultura priuant. Ergo cùm Eccleſiæ conſtitutiones, & cunctorum ſuffragia Doctorum interdicto multent clericum, qui excommunicatum & interdictum à iudice ad diuina officia admittit, de ſua cenſura, & irregularitate Thraſeas dubitare non debet.

QVÆSTIO XLIX.

1\. Adocimo iudicis ſententia damnato, Eccleſiæ ingreſſu, & Eccleſiaſtica ſepultura interdictum eſt.

Dubitatum eſt inter viros doctos, num extra Eccleſiam poſſint Adocimo diuina ſacramenta ſuppeditari, & is intra Eccleſiam extra tempus diuinorum officiorum priuatam orationem vſurpare.

De priore quæſtione ita iudicatum fuit à nonnullis, extra Eccleſiam iſtum ſuſcipere poſſe ſacramenta, & audire diuina.

Magnum huius opinionis firmamentum hoc eſſe poſſet. Quòd clericis, qui ingreſſu arceantur Eccleſiæ, quamuis in ea diuina officia celebrare non poſſint, eadem extra Eccleſiá permittuntur; vt non obſcurè intelligitur ex verbis Decretalis, Is cui, de ſententia excommunicat. lib. 6. & Gloſſa obſeruauit in verbo, in ea: obſeruarunt etiam Archidiaconus, & Ioannes Andreas, & ante iſtos Innocentius, & Oſtienſis in cap. ſacro, de ſententia excommunicat. ſic autem Innocentius, in eam Decretalem, num. 2. explanans verbum, Ingreſſu.

» Per hoc, inquit, intelligo eum priuatú » ingreſſu Eccleſiæ, vt non ſolùm nó liceat » ſibi miniſtrare in Eccleſia in ordine ſuo: » ſed etiam non licet ei in Eccleſia intereſ- » ſe diuinis, ſiue cum aliis pſallendo, ſiue » non pſallédo, ſed tantùm audiendo. Imo » plus videtur, quòd etiam ſi ibi ſit, non li- » ceat orare, & ſi moreretur, non deberet in Eccleſia ſiue in cœmeterio ſepeliri: non » negamus tamen, quin per Eccleſiá tranſi- » re poſſit, extra Eccleſiam autem poteſt » diuina officia celebrare etiam in officio » ſuo non obſtante tali interdicto: & hæc » ſatis probantur ex propria verborum ſi- » gnificatione. »

Largitur eiuſmodi clerico hoc ipſum Speculator, titu. de leg. §. iuxta. ver. quid » ſi quis ſuſpenditur: vt poſſit extra Eccle- » ſiá celebrare: atque hi omnes, quos ſubiiciam, Paludanus, in 4. diſt. 18. q. 8. art. 6. quem citat & ſequitur Tabienſis, in verbo, Interdictum, 6. num. 2. in fine, & Armilla eumdem citans Paludanum, in verbo, Interdictum, num. 60. & Roſella, in verbo, Interdictum, 3. num. 11. Syluester, in verbo, Interdictum, 6. num. 5. & D. Anton. in 3. par. tit. 26. cap. 2. §. 2. Couarruuias, in cap. Alma mater. par. 2. relect. §. 1. num. 3. proferens Gloſſam, in cap. is cui, quam ait communiter eſſe receptam. Verùm non licebit iſti clerico, cui interdictus eſt ingreſſus Eccleſiæ, celebrare in cœmeterio, vt eadem Gloſſa & Paludanus admonent. Si ergo clerico, quo de loquimur, facultas eſt celebrandi diuina extra Eccleſiam, vt in tentorio, vt domi, cur extra eamdem non concedetur laico diuinorum & ſacramentorum participatio?

Hæc pro iſto Adocimo: cui ipſe nihil eorum, quæ cæteris interdictis auſert Eccleſia, præbere auderem: nec vlli, vt præberet, auctor eſſem. 2.

Porrò decem ſunt, quamobrem ita agi oportere exiſtimem. Primum, quòd in tenore cenſurarum Eccleſiaſticarú argumentandi ratio à maiori, aut minori, aut pari, parú eſt tuta. Secundum, quòd diſpar ratio eſt clerici & laici: qualis eſt hic Adocimus. Quum enim clericus, & præſertim ſacerdos, perſona ſit ſacra, ſacris functionibus addicta, multo ei turpius & periculoſius eſt ab iis ſeſe abſtinere, quàm homini profano. Tertium, quia multo acerbior eſt pœna eius, qui Eccleſiæ interitu, & Eccleſiaſtica priua-

tur ſepultura (qua pœna multatus eſt A-
docimus)quàm clerici,cui tantùm Eccle-
ſia templi aditum claudit. Cùm enim A-
docimo negata ſit Eccleſiaſtica ſepultu-
ra,quam diuina officia ſiue intra,ſiue ex-
tra Eccleſiam comitari ſolent, eadem di-
uina officia extra aditum templi vidétur
ei eſſe interdicta. Quartum, quoniam
facilè illuderetur cenſuris Eccleſiæ: quæ
cùm infligit pœnam interdicti ab ingreſ-
ſu Eccleſiæ, propter diuina officia præci-
puè id facit, vt planum eſt ex Decretali,
is cui, de ſententia excommunicat. in 6.
Ecquis igitur credat, vt laico, à quo non
videt audiri diuina in Eccleſia, nec intra
eã ſuſcipi ſacramenta,hanc facultatẽ eidẽ
extra templum tribuat? de clerico alia eſt
ratio,vt paullò antè diximus. Quintum,
vidit hoc abſurdum Ioannes Andreas:
cuius additio ad Gloſſam, cap. is cui, de
ſententia excommunic.ad verbum, Cœ-
» meterio,eſt huiuſmodi:& talis illuſio re-
» probatur,ſup.eod.tit. & lib. ſi ſententia,
§.vlt.& cap.ſeq.1.reſp.cum concor.& in
cap.eos,qui. Sextum,quia verba Decre-
talis,is cui,& ſententiæ Doctorum fauẽt
clerico extra Eccleſiam, laico non item:
neque enim memini legere me apud gra
uem vllum auctorem, qui quod largitur
clerico, deferat laico. Septimum, quia
non puto vſpiam conſuetudine impetra-
tum eſſe, vt iſti generi interdictorũ ho-
minum impunè extra Eccleſiam dentur
ſacramenta,& iidem ad diuina officia re-
cipiantur. Octauum, quia ſine dubio
hanc mẽtem credere debemus eſſe Præ-
latorum ac iudicum,tum intra,tum extra
Eccleſiam à diuinis ſeparandi eos, quos,
de laicis loquor, tam aditu templorum,
quàm Eccleſiaſtica prohibent ſepulura.

3. Nonum,quia duo Romani Pontifices,
Clemens VIII. in duobus ſuis Iubilæis,
& Xiſtus V. item in ſuo beneficio, quod
toti orbi Chriſtiano dabant, excluſerunt
excõmunicatos, & interdictos vniuerſè;
nõn excipientes vllum nominatim inter-
dictum: ergo noluerunt ſuorum Iubilæo-
rum tempore adminiſtratione ſacramen-
torum, & condonatione culparum o-
mnium, & pœnarum,opitulari ſeu intra,
ſeu extra templum,iis,quibus eſt ab iudi-
ce templorum aditu interdictum.

Decimum ac poſtremum: quoniam in
iis,quæ in diſciplina cenſurarum addubi-
tantur, durior interpretatio, ſi tutior ſit,
præferenda eſt, vt Panormitanus in cap.
latores,de clerico excommunicato mini-
ſtrante,num.7.ſuæ explanationis his ver-
bis præcepit: Oſtienſis tenet opinionem »
Gloſſæ, vt in iſtis ſpiritualibus ſit abſti- »
nendum ab vtroque: quia iſtæ ſententiæ »
cenſuræ magis dependent ab intentione »
proferentis, quàm à verbis. Item in eis »
exiſtente dubio fienda eſt tutior inter- »
pretatio, licèt ſit durior, vt in c.ſequenti, »
& not. in c. vnico de ſerutinio. Contra- »
ria procedunt in temporalibus. »

Quapropter in hac controuerſia,quod 4.
nonnullus Theologus arbitratus eſt, A-
docimum iure diuinorum extra templũ
potiri poſſe: ideo quòd interdictum, quo
priuatur aliquis ingreſſu Eccleſiæ, non
eſt propriè interdictum, probare nullo
modo potui: cùm nec concluſio ſit vera,
& ratio cõcludendi ſit meo quidem ani-
mo perſpicuè falſa. Ecquis ſibi perſua-
deat interdictum Eccleſiaſticum in per-
ſonam certam, quæ eam ingreſſu priuat
Eccleſiæ, non eſſe verum & proprium
interdictum? Si enim eſt ſpecies veri in-
terdicti,quod diſtribuitur in generale,&
ſpeciale,& vtrumque in generale & ſpe-
ciale aut loci, aut perſonæ, quis ignorat
interdictionem ingreſſus Eccleſiæ in ſin-
gularem perſonam,vt eſt Adocimus,illa-
tam, verè & propriè eſſe interdictum?
Etenim vera & propria ratio rei, quæ di-
uiditur, in ſingulis membris diuiſionis
& ſpeciebus reperiri debet. Deinde, ſi
huius interdicti violatio efficit irregu-
larem violatorem, vt quoduis aliud pro-
prium, verùmque interdictum, quum
violatur; quis ambigat illud propriè, &
verè interdictum & eſſe,& cenſeri debe-
re? Poſtremò fateor huius recẽtis Theo-
logi opinatum nuſquam me vel in Ec-
cleſia

cleſiaſticis ſanctionibus, vel in vllius ſapientis ſcriptis monimentis inueniſſe.

5. Quare ad ſecundam quæſtionem aggrediamur: &, vtrùm Adocimo precationis priuatæ cauſſa in templū patere poſſit aditus, quo tempore Eccleſiaſtica in eo officia minimè celebrãtur, videamus. Couarruuias, in c. Alma mater, 2. p. relectionis, §. 1. n. 3. vbi Ioannem Calderinū, & duos alios profert ſuæ opinionis fautores, credit huic homini interdicto in templum priuatæ orationis ergô aditum eſſe; cùm illic diuina non exercentur officia.

Ad contrariam ſententiam meum animum defert tum ratio, tum multorum Doctorum auctoritas. Quum enim ei, qui Eccleſiæ priuatur ingreſſu, propria ſit pœna non ingredi Eccleſiam, hanc ſufferre debet quolibet tempore, ſiue in ea celebrentur, ſiue non celebrentur Eccleſiaſtica officia. Deinde, cōuenit diſcrimen eſſe inter eum qui vniuersè interdictus eſt, & qui propriè interdicitur, ne ſe in Eccleſiam introferat. Sed ratio diſcriminis id oſtendit, cum, cui propriè Eccleſiæ aditu non eſt interdictum, in eam poſſe ob priuatam precationem accedere; eum verò, cui eſt nominatim interdictum, non poſſe.

Et quia in hanc partem multi & graues Auctores concurrunt, ab ea diuelli non poſſum: namque eam probarunt Innocentius, in cap. ſacro de ſententia excom. num. 2. Summa confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 260. citans Oſtienſem & Monaldum; Supplementum, in verbo, Interdictum, 4. quæſt. ſed numquid laici interdicti: à quo eiuſdem ſententiæ defenſores nominantur Guil. Mon. & Sum. confeſſ. Syluester, in verbo, Interdictum, 5. quæſt. 6. vtens auctoritate Monal. & Veruec. Roſella, in verbo, Interdictum, 8. num. 7. teſtem adhibens Rodonenſem Guillelmum.

QVÆSTIO L.

Controuerſia hæc è tribus eſt quæſtionibus iuncta. 1.

In prima quæritur: An, qui ſacrificio, vel diuinis interſunt officiis, ad ea illo ipſo tempore, ſi interdictum recipiat Sacerdos, egredi templo, vel ſacello debeāt innocentes, qui interſunt.

In ſecunda pœnæ interdictum violantium exquiruntur.

In tertia anquiritur: an is, cui Eccleſiæ ingreſſu interdictum eſt, ſi pœniteat, aut ſigna contritionis dederit, aut ab ſacerdote abſolutus ſit, intra Eccleſiam humari poſſit.

De prima quæſtione ſic ſentiunt, qui ea de re agunt, inſontes, qui Sacerdoti, ſeu clerico diuina celebranti adſunt, nulla culpa inquinari, ſi in aduentu interdictorum, non diſcedunt à ſacris. Confirmat id Diuus Antoninus in 3. par. tit. 26. cap. 4. §. 1. prope finem. Caietanus, in Summa, verbo, Interdictum, §. ſed ſi clericis, Summa confeſſorum, lib. 3. tit. 33. quæſt. 255. ex Gloſſa & Monaldo: Supplementum, in verbo, Interdictum, 4. quæſt. quid ſi Sacerdos recipiat: citátque Guil. & Sum. confeſſ. Roſella, in verbo, Interdictum, 3. num. 10. citátque Monaldum. Angelus, Interdictum, 7. num. 10. Syluester, in verbo, Interdictum, 6. num. 4. Huius ſententiæ ratio hæc videtur eſſe: quia Eccleſia nōn impoſuit legem omnibus vitandi interdictos in diuinis, ſed tantùm clericis. Laicorum autem ea cautio eſſe debet, ne quouis modo interdictorum delicto, dum violant cenſuram Eccleſiæ, faueant, eiuſdémque delicti ſint cauſſa.

Secunda quæſtio fuit: quibus pœnis conſtringerentur qui non ſeruant interdictum, ſalua moderatione capitis, Alma mater, de ſententia excom. lib. 6. 2.

Reſpondeo, tum à nobis in noſtro Apologetico, cap. 4. num. 16. multas numerari, tum ab iis, qui in huius loci per-

tractatione verſantur, colligi has pœnas. Clericus interdictus, quocunque tandem loco ſacra conficiat, aut diuina celebret, & qui non eſt interdictus, eadem in loco celebrans interdicto, fit irregularis. de priore clerico ſic decernitur in Decretali, is qui, de ſententia excom. lib. 6. Is verò, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto, niſi ſuper hoc priuilegiatus exiſtat, aut à iure ſit conceſſum eidē, irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium quàm per Romanum Pontificem liberari: & adeo efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti. De poſteriore eſt in Decretali, is cui, de ſententia excom. lib. 6. Verùm ſi clericus non interdictus celebret in loco non interdicto coram interdictis, incidit in pœnam interdicti: nam ei Eccleſiæ interdicitur ingreſſu, per cap. Epiſcoporum, de priuilegiis, lib. 6. nequit etiam poſtulari, qui non ſeruat interdictum ex Decretali prima Innocentij III. de poſtulat. prælat. Eſt item clericus, vt inquit Syluest. in verbo, Interdictum, 6. num. 3.
» violans interdictum modo dicto in §.
» priore, ſuſpenſus ab officio & beneficio
» & iuriſdictione; ſecundùm veriorem in-
» tellectū, de exceſſ. prælat. Tanta, in textu,
» & in Gloſſa, & ſequuntur communiter
» Doctores, & eſt beneficiis ſpoliandus,
» de clerico excommunicato miniſtrante.
Hæc ille.

Clericus religioſus, quamuis exemptus, violans interdictum poſitum per ſedem Apoſtolicam, vel ordinarium loci, aut etiam generalem ceſſationem diuinorum factam per prouinciale conciliū, vel eum, qui hoc poſſit, ſeruatam à cathedrali, vel matrice Eccleſia loci, excommunicatus eſt ipſo facto, per Clementinam ex frequentibus, de ſentētia excommunicationis. Qui etiam tempore interdicti extra caſus permiſſos à iure ſepeliūt in cœmeterio defunctos, vel qui nominatim interdictos, aut publicè excommunicatos, vel manifeſtos vſurarios ſepeliunt, excommunicationem ſubeunt per Clementinam primam de ſepulturis.

Libuit hîc adſcribere locū quemdam Panormitani, qui etiam deſcribitur totus à Syluestro, in verbo, Interdictum, 5. quæſt. 4. ſeu numer. 6. & à Ioanne Tab. verbo, Interdictum, 6. num. 1. ſic igitur ille in explanatione capitis poſtremi de exceſſibus prælat. num. 5.

Quoad tertium principale conclude »
poſt Innocentium & Doctores: quòd illi »
incidunt in irregularitatem non ſeruan- »
do interdictum, qui exercent aliquid de- »
putatum alicui ordini Eccleſiaſtico: & »
hoc faciunt tamquam clerici, quod pro- »
cedit, ſiue ſint preſbyteri, ſiue inferiores »
clerici. & aliquot interiectis ſententiis »
ſubiungit.

Conclude ergo breuiter, quòd iuriſ- »
dictionalia non ſunt prohibita tempore »
interdicti: nec exercens ea tempore ex- »
communicationis, efficitur irregularis; »
idem, ſi non ſunt deputata certo ordini, »
vel ſi ſunt deputata, tamen ex conſuetu- »
dine exercentur per quemcunque. refer- »
tur ergo interdictum ad ordinem, &c. «

In hac explanatione Panormitani, cùm dicit iuriſdictionalia permitti tempore interdicti, non intelligit ea permitti clerico poſt violationem interdicti: nam in eodem commentario notab. 4. ad hunc modum ſcribit. Nota quartò ibi poſt interdicti violationem, &c. Tene menti »
iſtam literam: quòd per interdictum non »
ſuſpenditur iuriſdictio prælati etiam cir- »
ca ſpiritualia: hîc enim irritatur dumta- »
xat ſententia excommunicationis & in- »
terdicti, & collationes beneficiorum, & »
inſtitutiones attentatæ poſt violationem »
interdicti: facta ergo ante interdictum »
tenent. Virtus ergo interdicti Eccleſiaſti- »
ci refertur dumtaxat ad exercitium or- »
dinis Eccleſiaſtici, non autem ad iuriſdi- »
ctionem. & ex hoc, & ex litera infer- »
tur, quòd per violationem interdicti quis »
perdit iuriſdictionem, vnde ſuſpenditur »
eo ipſo ab omni poteſtate. & hæc eſt li- »
tera iſta ſingularis ſecundùm verum in- »
tellectum. »

Singula.

Singula hæc Panormitani dicta eruta ſunt ex Innocentij commentario in cap. Tanta, de exceſſ. prælat. vbi nu. 3. admonet abſoluere ab excõmunicatione ſicut excommunicare non eſſe ordinis, ſed iu- » riſdictionis, Sed abſolutionis, inquit, ſo- » lemnia exhibere ſicut eſt dicere oratio- » nes cum ſtola, & Pſalmum pœnitentia- » lem, & in Eccleſiam introducere ordinis » & officij eſt art. 1. de ſententia excomm. nuper in fin. 11. quæſt. 3. dicuntur & cap. ſeq.

Quare qui ad ea quæ ſunt iuriſdictionis tempore interdicti adhiberet ea quæ ſunt ordinis, non effugeret irregularitatem. Hoc ipſum monitum eſt Panormitani, Oſtienſis & Laudunt. & num. 6. in » verbo, Inſtitutionem, nota, inquit, poſt- » quam ſuſpenſus eſt, non poteſt donare » præbendas: nec deſtituere aliquem. & » idem fortè dicendum in aliis ſpirituali- » bus, ſicut nec ipſi conferri poſſunt. & di- » cunt hoc eſſe verum etiam ſi ſit occulta » ſuſpenſio: in aliis autem non ſpiritualibus » ſecus. numer. autem 7. moderatur hanc pœnam, vt eum afficiat tantum, qui celebrat in loco interdicto ab homine, non à canone.

4. Eódem accedit auctoritas Gloſſæ, in cap. extremum, de exceſſ. prælati, in verbo, Irritas & inanes: ad hunc enim mo- » dum ſcribit. Nota, quòd qui non ſeruat » ſententiam interdicti, beneficia, vel di- » gnitates, conferre non poteſt, tamquam » ſuſpenſus ſecundùm de Cóceſſione præ- » bendæ, quia diuerſitatem. & hîc patet » manifeſtè. Item nec talis poteſt aliquem » excommunicare: cùm quantum ad Sa- » cramenta Eccleſiæ excommunicatus re- » putetur: quia ex eo quod dicit irritas, pa- » tet, quòd inſtitutiones, & excommuni- » cationis ſententiæ nullæ fuerunt, 24. q. 1. audiuimus.

Hæc Gloſſæ verbis perſpicuis confirmat Greg. IX. in illa ſua Decretali, Tanta, » de exceſſ. prælat. his verbis: Auctoritate » Dei Omnipotentis, omnẽ inſtitutionem, » deſtitutionem, collationem præbenda- » rum, beneficiorum, ac dignitatum præ- » ſumptas per eundem Epiſcopum, & ex- » communicationis ſeu interdicti ſenten- » tias in quoſcumque hac occaſione prola- » tas ab eo, poſt interdicti violationem » eiuſdẽ decernimus irritas, & inanes eſſe. »

Illud quoque addunt Doctores, ſi religioſus nullo ſit ordine initiatus, & violet interdictum, quamuis in irregularitatem non labatur, quia non eſt id iure cautum, iis tamen pœnis quæ in eiuſmodi ſtatum cadere poſſunt, irretiri; vt nec eligi, nec eligere poſſit, nec ea diuina celebrare, quæ ex officio ſolet: quas pœnas etiam agnoſcunt in femina religioſa. Vide D. Anton. in 3. par. tit. 26. cap. 4. § 1. Syluestrum, in verbo, Interdictum, 6. quæſt. 3. & alios Summarum auctores, in ea parte interdicti, in qua agunt de pœnis illud violantium: neque vllum reperies Doctorum, ſiue qui ante, ſiue qui poſt concilium Conſtantienſe ſcripſerunt, qui in pœnis violantium interdictum non hanc numerent, nec eligere, nec eligi poſſe, contra quàm harum controuerſiarum diſceptator quidam opinabatur.

Atque hę ferè pœnę ſunt clericis ſpernentibus interdictum Eccleſiaſticũ conſtitutæ. Laicis autem in iure non eſt certa pœna decreta: ſed arbitraria puniuntur, vt tradũt Doctores: culpam autem quam ſuſcipiunt, grauem & mortiferam eſſe credo: quod item credunt ij, qui hoc de genere rectiùs ſentiunt: niſi ſi aut materiæ leuitas, aut quæpiam alia cauſſa peccatum extenuaret. Laicorum violantium interdictum præſertim in aliquo loco ab ſede Apoſtolica collocatum, eſſe culpam letalem probauimus in confutatione ſeptem Theologorum in prop. 17. pag. 121.

Tertia quæſtio continebat. An is, cui 5. eſt Eccleſiæ interdictum ingreſſu, ſi pœniteat, poſſit in Eccleſia humari. Quæſtio diſceptatur à Couarruuia, in cap. Alma mater, par. 2. relectionis §. 1. num. 3. ſed fortè potuiſſet hæc quæſtio præteriri; cũ res certæ, & lege definitæ in quæſtionem adduci non ſoleant: nam in Decretali Bonif. VIII.

niſ.VIII. is cui,de ſententia excommun. lib.6. conſtitutum eſt, ſi hunc pœniteat, poſſe in Eccleſia vel cœmeterio ſepeliri. Fateor illud eſſe in hac quæſtione cognitione dignum, quod idem Couarr. ex ſententia Ioan.Andr. & aliorum Doctorum in eam Decretalem ſcribit,poſſe hoc interdictum à quouis ſacerdote remitti: aut ſatis eſſe, vt cum ſignis contritionis & pœnitentiæ quis ſic interdictus deceſſerit.

QVÆSTIO LI.

AB hac cenſura abiero, vbi, quæ in manibus eſt, quæſtionem enodaro: quæ iampridem mihi fuit allata.

1. Aſynetus parochus narrabat in quoſdam ſe excommunicationis, in alios interdicti cenſura animaduertiſſe, ſed neutram ſententiam, vel cenſuram ſcriptis mandaſſe. Sciſcitabatur; num is eam ob rem in cenſuram quampiam inciderit: & vtrùm celebrando irregularitatem contraxerit.

Propoſitæ quæſtioni tribus propoſitionibus reſpondendum cenſui.

Prima propoſitio. Certum eſt è peruulgata doctrina Doctorum eos tantùm excommunicationes,quæ ſunt à iure,ferre poſſe, quorum eſt poteſtas iuris condendi: & illas, quæ ſunt ab homine, ab iis tantùm poſſe inferri, qui iuriſdictionem exercent in foro contentioſo.

Huius propoſitionis conſectarium eſt, nec ſimplicibus Sacerdotibus, nec nudis parochis vim eſſe excommunicandi. Cuius conſectarij magiſtri, & defenſores ſunt Diuus Thomas, in 4.ſent. diſtin.18. quæſt. 2. artic.2. ad quæſtiunculam 1. D. Bonau. in eamdem diſt. 2. part. diſtinct. quæſt.3. vbi caſtigat iuriſperitos. Paludanus in eamdem quæſt. 2. art.1. Richard. in eamdem artic. 4.quæſt.1. Gabriel, in eamdem quæſt.2. art.2. concl.3. qui profert, & probat D.Bonauenturam. Sotus, in 4. diſtin. 22. quæſt.2. art.1. concluſ. Alexand.Hal. in 4. par.quæſt.22. memb. 1.art.4. §.1. à quo ſumpſit D. Bonauentura,Turrecremata,in Summa de Eccleſia,lib.1. cap.96. D.Anton. in 3. par. tit. 24. cap.75. non longè à principio: à quo citantur D. Thom. Albert. Goffredus & Ioan.de Lig.in tract.de cenſ. cuius etiam recitat verba.Petrus Sotus,in inſt.ſacerd. lect.4. de excommunicatione. Roſella, in verbo,Excommunicator,num.2. Supplem. eodem tit. Syluetter,in verbo,Excommunicatio, 1. numer. 5. Angelus,in verbo,Excommun.1. num.3. Tabien. in verbo,Excommunicatio,3. Nauarrus,in Summa, cap.27. num.5.

Secunda propoſitio. Sicubi conſuetudo largitur parochis, vt excommunicare poſſint; ea vti poſſunt: nam conſuetudo iuriſdictionem largitur: vt colligitur ex Decretali Innoc.III. dilecti,de arbitris, & ex cap.conqueſtus, 9.quæſt.3. qui canon eſt Nicolai Papæ, & ex C. de emancipan. lib. l. vlt. Quamquam hanc conſuetudinem vix vſpiam in Latina Eccleſia vigere arbitror, dare etiam ius videtur, parochi in nonnullis caſibus ſontes excommunicandi, vt in furto & rapina, vt aiunt D.Thom.Richar.& alij. Verùm loco citato,ait Richardus de parochis loquens: Conſuetum eſt autem quòd excommunicăt Parochianos ſuos committentes furtum vel rapinam in generali. Et quamuis in ſua Decretali, ab Eccleſiarum, de officio iud. ord. Alexand. III. approbator ſit ſententiæ excommunicationis latæ à plebano,dicendum eſt illum ipſum plebanum Prælatum Epiſcopo inferiorem fuiſſe, quod non obſcurè indicat Gloſſa. Innocentius, in eamdem Decretalem agnoſcit in eo plebano iudicis ordinarij auctoritatem. Panorm.in idem cap. not.1. affirmat in illo plebano iuriſdictionem fuiſſe, quod intellige, inquit, de iure ſpeciali, puta ex præſcriptione, vel priuilegio, non autem de iure communi. Itaque non attinet confugere ad interpretationem quamdam Soti. Secundam propoſitionem hanc reperies 2.

apud

apud eoſdem auctores: quos numerauimus in prima propoſitione & in eiſdem locis.

5. Tertia propoſitio. Iſte Aſynetus, quia non protulit ſententias excommunicationis & interdicti in ſcriptis, pœnam conſtitutionis Innocentij IV. cùm medicinalis, de ſententia excommunicationis, ſubiit: vt per menſem illi ſit Eccleſiæ ingreſſus interdictus. & quoniam hac cenſura vinctus diuina celebrauit, eſt irregularis eff.ctus per Decretalem Bonifacij VIII. Is cui, de ſententia excomm. vt autem quis his pœnis teneatur, non opus eſt dolo, vt docet Gloſſa, in c. 1. de ſententia excommunicationis: ſatis eſt fatuitas, ſtultitia & negligentia: & item ignorantia craſſa, ex omnium ſententia. de quo genere ignorantiæ ipſi multis verbis, & ſententiis Theologorum in quinto libro diſſeruimus. Ignorantia craſſa & ſupina, inquit Panormit. in cap. Apoſtolicæ de cler. excommunicato miniſtr. num. 3. dicitur, quando de facili potuit ſcire, & non curauit. Quam definitionem multi ante eum graues Theologi attigerunt. & in eodem commentario: Ignorantia, inquit, craſſa & ſupina, & latiſſima culpa, æquiparantur ſcientiæ etiam in pœnis delictorum. pro hoc eſt textus, in cap. 1. in fin. de ordinato ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciauit. Ignorantiam craſſam & ſupinam æquipollere ſcientiæ dixit Sotus, in 4. ſentent. diſtinct. 43. quæſt. 1. artic. 2. concluſ. 3. Supinam quoque craſsámque negligentiam à nō contemnendis Theologis cum dolo æquari alibi eſt à nobis oſtenſum.

De Irregularitate.

QVÆSTIO LII.

1. Pius Sacerdos, doctoriſque laurea ornatus, atque in Chriſtiani officij euoluendis rationibus exercitatus, hominem in via iacentem conſpicatur; comitiali morbo arreptum ſuſpicatur; oculos ceruicéſque inflectens, cruore reſperſum illum videt; ferro ſauciatum fuiſſe ſuſpicatur; ad IESV nomen promendum, eum hortatur. Hortantis Sacerdotis vocibus commoti non pauci ad corpus vulnerati accurrunt. Sacerdos iis, qui auxilio venerant, ſuadet, vt iacentem erigant. Miſer ille, qui vulneribus confectus erat, dum ſuſtollitur, agit animam.

Quæſtio fuit, Sacerdos ille irregularis fuerit, néćne, ideo, quòd ſuo conſilio celeris interitus cauſſa extitiſſe videretur.

In quinque Theologorum cœtu, in quo ipſe interueram, cōtrouerſia diſceptata eſt; vno excepto, omnes cenſuimus in irregularitatem, quæ eſt ex homicidio non voluntario, lapſum eſſe Sacerdotē. 2.

Huius noſtræ opinionis duo fundamenta præcipua fuerunt. Vnum, quòd hominem illum vulneratum propter eam ſublationem ocyus obiiſſe credidimus; alterum, quòd celerioris obitus cauſſam Sacerdos minimè conſiderarit: quam tamen ipſi diligenter animaduerſam eſſe oportebat. In ea namque erectione, atque complexu, potuit is, qui ſauciatus erat, extremum halitum efflare; vel quòd anima, quæ reliqua erat, intercluſa fuit, vt reſpirare nequiuerit: vel quòd vapor ille vitalis, quo vigebat etiam corpus, fuit omnis extruſus: vel quòd pars quæpiam concreti ſanguinis ſpiritus vias obſepſit, ſeu in pulmones defluxit. Atqui doctor ille, nec Philoſophiæ, nec Theologiæ expers, potuit ac debuit haſce præproperæ mortis cauſſas haudquaquam ignorare.

Quantum enim tum è ſacris ſanctionibus, tum è Doctorum præceptionibus didicimus, duo neceſſariò vitanda ſunt ei, qui irregularitatem, quæ oritur ex inuoluntario ac fortuito homicidio, cupit effugere. 3.

Primum eſt, vt ne rei non licitæ, nec ſibi permiſſæ det operam; ſecundum, ne culpam ſubeat negligentiæ, ſeu inconſiderantiæ, ſeu inconſultæ rationis.

Ac primum quidem frugi huic ſacer-

doti obeſſe non potuit; qui in Chriſtianæ pietatis, eximiæque caritatis officio fungendo verſaretur. Secundum illi nocuit, culpa, inquam, & negligentia inconſiderantis: quia non id proſpexit, quod eiuſdem generis accurati diligenteſque Sacerdotes, ac Doctores prouidiſſent.

Verùm cùm in tria genera legalis culpa (nam de Theologica hic nó loquimur) diſtribuatur, in latam, leuem & leuiſſimá, quænam harum gignat irregularitatem, inter Doctores anquiritur. Armilla, in verbo, Irregularitas, nu.12. in culpa etiam leuiſſima irregularitatem conſtituit, ſi illa ſit in committẽdo; ſin eadem ſit in omittendo, non parere irregularitatem. Nam iura, inquit, plus tolerant culpam omiſſionis, quàm commiſſionis. Sacerdotis culpa, quoniam cum culpa eorum connexa eſt, qui ſaucium hominem erexerunt, potiùs in committendo quàm omittendo fuit. Nam & erectio actio fuit, & quæ cauſſæ propter erectionẽ illum ægrè ſpirantem citò interimere potuerunt, efficientiam naturalem cohibuerunt.

4\. Quod ait de leuiſſima culpa Armilla, dicit quoque Bartolus in l. quod Nerua. ff. depoſiti. eſt illud tamen poſitũ in communi opinione Doctorum, culpam, ſiue committendo, ſiue quid omittendo ſuſcipiatur, aut latam, aut leuem eſſe debere: nec ad contrahendam irregularitatem ſatis eſſe leuiſſimam. Quas culpas Bartolus legem explanans, quod Nerua. ff. depoſiti, num. 27. ſuæ explanationis ad hunc modum definit.

» Leuiſſima culpa eſt deuiatio incircumſpecta ab ea diligentia quam homines diligentes & diligentiſſimi habent eiuſdem conditionis & profeſſionis: & per hoc differt à leui, quæ eſt deuiatio ab eo quod faciunt diligentes: item per hoc differt à lata culpa, quæ eſt deuiatio ab ea diligentia quam communiter habent homines. Quas Bartoli definitiones in noſtris libris de contractu, in diſputatione de dolo & culpa ſecuti ſumus: à quibus nec ij recedunt, qui de Chriſtiano officio libros conſcripſerunt: ergo probus ille Sacerdos, quum mortis euentũ, quem diligentes Sacerdotes & Doctores conſideraſſent, non cogitarit ipſe, in leuem culpam, atque irregularitatem offendit.

Nec non illud libenter iterabo. Quando quis operam nauat rei ſibi non conceſſæ, ſi mors conſequatur, fieri irregularem, quamuis circumſpexerit omnia, quæ prouidentiſſimus homo attendiſſet. Aliorum Doctorum hæc exemplis illuſtrabo.

Ad venatum Sacerdos à profano homine incitatus contra Eccleſiaſtica iura proficiſcitur: eminus conſpiciunt animal, quod aptum eſſe ſibi certò perſuadent; cunctáque adhibita diligẽtia, priuſquam, quæ gerunt, tormenta, diſplodant, in aptum intenta exonerant: globulo appetitum animal concidit: tandem intelligunt pro fera hominem eſſe interemptũ: ſtatuunt Doctores, clericum in irregularitatem incurriſſe, profanum hominem non item, ideo, quòd hic rem non ſibi vetitã geſſerit; clericus ille, nequaquam. 5.

Rem eamdem hoc altero exponunt exemplo. Arborem ſuam incîdit clericus: &, ne caſu quempiam opprimat prætereuntem, omnem adhibet cautionẽ: fortè, ea dum concidit, puellam occidit. Hæc interfectio irregularitatem nullam adfert Sacerdoti, adferret autem, ſi arborem nõ ſuam cecidiſſet, atque ea ipſa in tranſeuntẽ puellam incidiſſet, licèt nulli prorſus aut negligentiæ, aut iniuriæ culpæ Sacerdos affinis fuiſſet. Quoniam res ipſa ſola tunc ei obeſſet, quòd rei non licitæ operam dediſſet. Ac licèt Sotus exempla iſthæc non probet in 5. de iuſt. & iure, quæſt. 1. artic. 9. probant tamen alij, atque ea defendit Toletus, in 1. lib. inſtruct. Sacerd. cap. 80. & 81.

QVÆ

QVÆSTIO LIII.

1\. QVam nunc explicaturi ſumus quæſtionem, ad eam, quæ proximè explicata eſt, adiungitur, vt genus ad ſpeciem: nam quæritur:

Vtrùm homicidium, cuius cauſſa eſt caſus, afficiat irregularitate eum, qui in alterius interfectione culpam contraxit tantùm leuem, nec vllo modo mortiferam. Sotus, in 5. de iuſtitia & iure, quæſt. 1. art. 9. fermè in extremo, eò propendet, vt culpam velit eſſe mortiferam.

Hanc eius opinionē multa redarguunt. Primùm auctoritas ſacrorum Canonum; deinde, grauiorum Doctorum doctrina communis: poſtremò, ratio. Etenim, qui ratione & cura perſpexerit caput, 8. 9. 12. & 14. de homicidio voluntario, & caſuali, facilè intelliget, Romanos Pontifices ad infligendam irregularitatem homicidio caſuali culpam leuem, & quæ exitialis non ſit, ſatis habuiſſe. Nec alium mentis ſenſum habuiſſe videtur quicumque ſeu Theologi, ſeu iuris Pontificij interpretes, qui de hoc genere irregularitatis, quæ de homicidio caſuali, vel fortuito naſcitur, tam multa pręcepta in ſuos libros contulerunt. eſt enim in illorum præceptione caput, irregularitate teneri eum, qui aut rei non licitæ dat operam, quamuis nihil diligentiæ, ſeu cautionis omiſerit, ſiue, cùm rei licitæ eamdem nauat, in conſiderando delinquit, in re, aut genere: & negligentiæ culpam, quæ animæ pernicioſa ſit, haudquaquam requirunt.

2\. Imò D. Thomas, in 2. 2. quæſt. 64. art. 7. ad 3. apertè ſcribit, irregularitatem oriri ex ipſo homicidio, quamuis careat culpa. Sed tamen in caſuali culpam exigit in art. 8. eiuſdem quæſtionis. nam & Eccleſiæ ſanctiones eamdem neceſſariam ducunt. Scotus, de irregularitate caſualis homicidij ad hunc modum ſcribit in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. litera F. in calce. » Si autem eſt caſuale, & dedat operam » rei licitę, & adhibuit debitam diligētiam, » nullam pœnam incurrit: altera illarum » conditionum prætermiſſa incurrit pœnā. nec vllum diſcrimen conſtituit inter minorem maiorémve culpam eius, qui ſine conſilio caſu occidit. Sotum refellit Nauarrus, in Summa, cap. 27. num. 222. & num. 227. illatione 13. loquitur his verbis. Decimo tertiò infertur, quòd eſt ir- » regularis huius ſpeciei, qui illicitè rixa- » tur, aut certat cum alio, ſi eius amici ſu- » peruenientes eum deforment, etiam ſi » abſque aliquo eius conſenſu id faciant, » iuxta Ioann. Andr. in cap. Petrus, de homicid. receptum à Panormitano & Felino, & communi, quia ex eius opere illicito in id aliquo modo ordinato ſequuta eſt deformatio. & in lib. 5. ſuorum conſiliorum, de ſententia excommunicationis conſ. 67. num. 2. apertè fatetur, ſi in homicidio caſuali interceſſit culpa leuis, & ſatis leuis, contractam fuiſſe irregularitatem.

Ac licèt in Summa, cap. 27. num. 252. à Soto ſtetiſſe videatur, cum eo tamen non facit: illic enim Nauarrus loquitur de homicidio ex delicto, non ex caſu. Caietanus ſententiam opinioni Soti contrariam perſuadet in explanatione, art. 8. quæſt. 64. in 2. 2. hoc ipſum facit in Summa, in verbo, Irregularitas. & Franciſcus Mayro Theologus non ignobilis, ſed in Franciſcanæ familia clarus, in 4. ſent. diſtin. 18. quæſt. 4. 5. notandum, perſpicuè ſcripſit in homicidio ex ſubreptione, & veniali culpa contrahi irregularitatem.

Id ipſum confirmatius argumentis faciamus. & illud quidem Caietani, in 3. Summa, in verbo, Irregularitas, non flocci eſt faciendum: Si enim excommunicatio minor, quæ priuat participatione paſſiua Sacramentorum, ſubitur propter veniale peccatum, cur nō irregularitas, quæ non tantùm habet pœnæ?

Huius enthymematis antecedens negat Nauarrus, in Summa, c. 27. num. 252. & 253. pugnat enim grauiora eſſe incom-

moda irregularitatis, quàm minoris excommunicationis;tum quia priuat collatione Sacramentorum, & vſu ordinum, quod maius eſt: tum quia difficiliùs ſoluitur: tum quia eſt genus medicinæ excommunicatio minor.

Sed nimirum quantò ſint infirmiora, quæ contra Caietanum commentus eſt Nauarrus, hinc perſpici poteſt. Bonum gratiæ vnius, inquit D.Thomas, in 1. 2. quæſt.113. art.9. ad 2.arg. eſt maius,quàm bonum totius vniuerſi: ergo priuari tanto bono eſt maximum malum, ſed irretitus excommunicatione minore priuatur receptione gratiæ Sacramentalis, quæ ſuſcipienti Sacramentum confertur ex opere operato; qua non priuatur irregularis: ergo leuior eſt pœna irregularitatis.

At faciliùs tollitur excommunicatio minor, quàm irregularitas. Reſpondeo primùm, id eſſe extrinſecum, & non immutare debere, quæ vtrique rei ſunt damna domeſtica. Deinde, eadem ratio probat excommunicationem maiorem, ne dum minorem,leuius quid eſſe, quàm ſit irregularitas:nam multæ excommunicationes maiores faciliùs remoueri ſolent,quàm pleræque irregularitates:conſtat tamen inter omnes, omnium pœnarum quas infligit Eccleſia,maximam eſſe cenſuram excommunicationis. ad hæc peccatum mortiferum faciliùs etiam tollitur,quàm irregularitas, quod propè infinitis partibus peius eſt, & magis noxium, quàm irregularitas: itaque locus argumentandi eſt fallax.

4. Quod verò ait Nauarrus, excommunicationis minoris pœnam eſſe medicinalem,non item irregularitatis:Primùm, id inficiari poſſemus: neque enim, quia ſacræ ſanctiones docent excommunicationẽ eſſe medicinalem, irregularitatem negant eſſe eiuſmodi. Cunctæ namque cenſuræ, & depoſitio, & ceſſatio à diuinis, & irregularitas, inuenta ſunt ab Eccleſia aut ad corrigendos, aut ad ſanandos errantes, aut ad prohibenda & arcenda delicta. Deinde, eodem argumento probatur minus malum in irregularitate quàm in maiore excommunicatione ineſſe:nam Decretalis Innocentij IV. Cùm medicinalis ſit excommunicatio non mortalis,de ſententia excom. lib. 6. de excommunicatione loquitur maiore,non minore.Gloſſa verò,quemadmodum medicinalis ſit,in verbo, Medicinalis, his verbis explanat (Medicinalis) quia plures rubore confuſi,quòd ſe videnr vitari ab aliis, & priuari legitimis actibus, reuertuntur ad bonum obedientiæ: & ſic excommunicatio retrahit excommunicatum à peccato ad bonum obedientiæ. Non igitur attinebat Caietani argumentationem à Nauarro iſto modo alleuari.

5. Ad rationem Caietani hanc ipſi addimus. Si occiſio hominis iuſta efficit auctorem cædis irregularem, cur non efficiet iniuſta, quamuis caſu, & cum leui culpa effecta ſit? Fatendum tamen eſt,in hoc genere homicidij,cuius cauſſa eſt caſus,cùm abeſt culpa, irregularitatem non induci. Quid ſi culpa abeſſet Theologica, adeſſet iuridica? non puto eam vitatum iri, ſi vera ea ſunt quæ de leui & leuiſſima culpa à Doctoribus diſſeruntur: quamquam dici poſſet in hac ſpecie irregularitatis culpam iuridicam cum Theologica coniunctam eſſe debere.

Quod autem ait Sotus; rem illicitam debere eſſe periculoſam: id neque cum Canonum,neque cum Doctorum auctoritate conſentit.Satis enim eſt,rem,è qua naſcitur homicidium, non eſſe occidenti permiſſam: nam ſi ad illicitum addas periculum, quod ſine dubio deberet eſſe probabile, & quod proſpici oporteret, homicidium admiſſum à caſuali in voluntarium transferretur, nec culpa tantùm in genere & obiecto reſideret, ſed etiam in agente:& qui caſu hominem interficit, & propter rem illicitam, cui dabat operam,& propter negligentiam, ſeu diligentiam non adhibitam, damnandus foret.

QVÆ

QVÆSTIO LIV.

1\. Dianirus Diaconus, domum rediens, ab inimico cum ferro inuaditur: Ille, vt vitam tueretur ſuam, adorientem interficit.

Quæſitum eſt an in irregularitatem inciderit nécne Dianirus. Quæſtionis enodationem in certa membra diſpertiã.

Primum hoc eſt: Si Dianitus, aut fuga, aut clamore, aut quauis alia ratione vitæ ſuæ conſulere potuit, occidens peccauit, atque irregularis euaſit.

Secundum membrum: Si neceſſitate impellente cæcîdit aduerſarium: quoniã alia via expediendæ ſalutis non oſtendebatur, antiquorum canonum auctoritate, omniúmque veterũ Theologorum, Pontificiíque iuris interpretum conſenſu irregularitate ſe Dianitus impediuit. Ita docuit D. Thomas in 2.2.q. 64. art. 7. ad 3. ita Scotus in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. loquens enim de homicidio inuoluntario ſecundùm quid, ſcribit his verbis: Si autem inuoluntarium ſecundùm quid, vtpote non potuit euadere mortem, niſi occideret, irregularis eſt, ibidem, diſt. 50. de his: ſed facilis eſt diſpenſatio. Richardus idem omnino quod Scotus in eamd. diſt. art. 5. q. 3. Paludanus, in eamdem, diſt. q. 4. ar. 2. concl. 3. egregia ratione probat eamdem opinionem. Quia iudex, qui maiore neceſſitate adductus, hoc eſt, vt crimen vitet mortiferum, reum interficit, irregularitatem tamen vitare non poteſt.

Verùm Paludanus ei, qui iure pro neceſſaria vitæ defenſione occidit alterum, irregularitatem ait impedimento eſſe ad noui dumtaxat ordinis ſuſceptionem, nõ autẽ ad eius, quo iam initiatus eſt, vſum, & executionem. Quod ante Paludanum dixit Gloſſa, in cap. de his clericis, diſ. 50. ſic enim Gloſſa. Vnde dicas, quòd ſi eſt neceſſitas ineuitabilis ſine omni diſpenſatione poteſt celebrare in ordine habito. Sed non debet promoueri ſine diſpenſatione, vt extra de homicidio, cap. Cõtinebatur. Henricus Gandauen. quodlib. 6. q. 20. irregularem facit eum, qui alterum interimit, vt ſuam vitam ſeruet, quamuis à modo, quem præſcribũt iura, minimè receſſerit: & ſuperiores quidem Theologi in ea, quæ expoſita eſt, opinione fuerunt, quia ante Clementinam vnicam de homicidio, ſcripſerunt.

3\. At quorum ætas fuit Clementis V. conſtitutione poſterior, aliter docuerunt: ea enim ſeueritatem priorum canonum in hac parte leniuit: eſt autem Clementina illa tota his verbis perſcripta. Si furioſus, aut infans, ſeu dormiẽs, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valẽs, ſuum occidit, vel mutilat inuaſorem: & hoc quidem beneficium, & ius occidendi abſque irregularitate cunctis datum eſſe in libello de reſeruatione caſuum, teſtimonio grauiũ auctorum planum fecimus.

Tertium membrum. At Dianiro obeſſe videntur verba Concilij Tridentini, ſeſſ. 14. cap. 7. vbi eſt his verbis: Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſſam etiam ad ſacrorum ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque ac dignitates, iure quodaminodo diſpẽſatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex cauſſa Metropolitano, aut viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſſa cognita, & probatis precib⁹ ac narratis, nec aliter diſpẽſare poſſit. Quo decreto antiquorum canonum ſententia & priſcorum Theologorum reuixiſſe videtur opinio, præſertim ſi de nece neceſſaria facta à clerico ſit controuerſia; nam illud decretum propriè tangit clericos.

4\. Fateor me diu in his verbis hæſiſſe Concilij. Verùm vbi legi, quæ tum à Nauarro, in Summa, cap. 27. num. 211. & 239. & à Cardinali Toleto, in Summa caſuum, lib. 1. cap. 74. §. Hæc dicta ſunt,

de neceſſitate ineuitabili doctè ſcripta ſunt,qui & poſt Concilium Tridétinum multos annos vixerunt: & in Romana curia conſenuerunt, & recitatum decretum diligenter & accuratè conſiderarũt: nec vlla ex parte ius Clementinæ abrogatum eſſe crediderunt: cunctationem omnem ex animo dimoui:mihíque illud ipſum, quod duobus illis excellentibus magiſtris probatum eſt, perſuaſi,Concilium illic de eo tantùm, qui neceſſitate, quæ ſine alterius nece vitari poterat, ſtatuiſſe:nam ſi nullo modo vitari potuiſſet, non vult ius Clementinæ illi eſſe ereptũ.

Quare ſi iſte Diaconus vim vi illatam defendit,vt vitam ſuam conſeruaret, nec vlla præterea ratio eius cuſtodiendę iniri poterat, niſi inuadenti nece adferenda, eum necando nec deliquit,nec vlla ſe irregularitate illigauit.

QVÆSTIO LV.

1. POſſitne ſurdaſter ad ſacros ordines promoueri, dubitationem nonnullis minimè abſurdam poſſit obiicere: præſertim cùm nonnullus recens ſcriptor morbum hunc aurium, è numero irregularitatum excerpſerit, quòd eiuſmodi impedimentum toto in volumine Eccleſiaſticarum ſanctionum nequaquam reperiatur.

At ipſe tum ſacrarum, tum philoſophicarum, tum grammaticarum legum auctoritatem ſecutus, ad cõtrariam opinionem abij: cenſuíque, cùm duo ſint prima irregularitatis genera, quorũ primum culpã, ſecundum indecori ſpeciem comitem habeat, ex hoc altero genere eam irregularitatem, qua de agimus, exiſtere.

In noſtro enim libro de irregularitate,demonſtrauimus, ad genus illud irregularitatis, quod indecorũ appellari poteſt, reuocari vitia animi, ſeu corporis, quamuis culpa qualibet careant, vt inſcitiam, amentiam, natalium defectum, bigamiam, iuſtum homicidium, infamiam nullo ſuo crimine inuſtam: quæ vitia, ſeu notæ quædam, & animi maculæ exiſtimari ſolent.

In corporis autem defectibus ſeptem collocauimus ſpecies, monſtrum, membrorum diminutionem, eorumdem prauitatem ſeu deformitatem, morbũ, ætatem, ſexum, conditionem, id eſt, ſeruitutem. 2.

Vitium autem ſurdaſtri, irregularitatem eſſe nunc demonſtrandum erit.Clemens,ad Iacobum fratrem Domini,epiſt. 2. præcipit his verbis. Tales ad miniſterium eligantur clerici, qui dignè poſſint Dominica ſacramenta tractare:relatáque eſt hæc lex in diſtinctione. 23. can. tales: ſed ſurdaſter non poteſt dignè Dominica ſacramenta tractare: nam cùm ad ſacram aram rem diuinam faciet, oportebit miniſtrum cum cachinno eorum qui interſunt, vocem effundere: ac dum ſacras & arcanas excipiet cõfeſſiones, maiore ſonitu vocum obſtrepent ſurdaſtri auribus pœnitentes non ſine ſigilli probabili iniuria, atque iactura.

Extat Innocentij III. Decretalis in generali Concilio Lateranenſi probata, incipit, cùm ſit ars artium, extra de qualitate,& ord.præficien.iubens,officiis diuinis, & Eccleſiaſticis ſacramentis eos præfici, qui ea ritè celebrare valeant. At quis dicat à ſurdaſtro ritè celebrari poſſe diuina officia,& Eccleſiaſtica ſacramẽta?

Canon Priſcis, qui eſt Gelaſij Papæ, diſt.55. luculentis verbis ad clericorum munera eos promoueri vetat qui ſunt vitiati corpore. Sit ergo ſyllogiſmi maior propoſitio lex ſancita à Gelaſio; minorẽ addamus ipſi. Verùm ſurdaſter eſt vitiatus corpore: ergo ad munera clericorum promoueri non poteſt:ergo non ad ordines,qui propter ſacras functiones & cõferuntur, & ſuſcipiuntur in Chriſti Eccleſia.Minor ad hunc modum probatur. Is eſt vitiatus corpore, qui corporis vitio aliquo laborat:verùm ſurdaſter corporis vitio laborat:eſt enim, vt ita loquar, ſurdaſtritas 3.

daſtritas vitium auditus ſeu aurium, & quilibet ſurdaſter auditu eſt vitiato: ergo eſt corpore vitiatus.

Alio arguméto hoc ipſum premamus. Morbus corporis eſt vitium corporis: at ſurdaſtri affectio eſt morbus corporis: ergo eſt vitium eiuſdem. Maior propoſitio ſita eſt in l. 1. ff. de ædilitio edicto: poteſtque eadem propoſitio hac firma argumentatione concludi. Virtuti vitium opponitur; & virtuti quidem naturali vitium naturę, morali autem virtuti vitium morale. Virtus autem, quæ vtrumque genus tum naturæ, tum moris amplectitur: ad hunc modum ab Ariſtotele definitur in 7. Phyſico, text. 17. *Virtus eſt quædam diſpoſitio perfecti, quod eſt diſpoſitum ſecundùm naturam.* Quam definitionem Diuus Thom. in 1. 2. q. 100. art. 3. aliique Theologi complexi ſunt: ad quam de ſuo D. Thomas hæc adiũxit. Ex quo patet, quòd virtus vniuſcuiuſque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam prçexiſtentem: quãdo ſcilicet vnumquodque eſt ſic diſpoſitum, ſecundùm quod congruit ſuæ naturæ. Si igitur virtus eſt diſpoſitio perfecta ſecundùm naturam: diſpoſitio imperfecta ſecundùm naturam vitium erit: ſed talis diſpoſitio, & affectio eſt morbus: morbus igitur vitium erit: itaque poſt allatam virtutis definitionem, ſubiunxit in eod. lib. tex. 19. Ariſtot. *Vitium autem corruptio horum, & remotio eſt.* Verùm ſurditas, atque, vt iterum hoc verbum vſurpemus, ſurdaſtritas, corrumpit, ac remotio eſt, perfectã illam naturalémque diſpoſitionem tollens, quæ naturæ congruit auditus: quare morbus, ac vitium eſt: vitiatúſque auditu & corpore dicitur is, qui eo morbo, ac vitio affectus eſt.

4. Ad hæc morbum ex ſententia Galeni definiunt medici, affectum præter naturam lædentem operationẽ: ſed ſurdaſtri affectio eſt affectus lædens operationem auditus: eſtque affectio præter naturam: ergo morbus, ergo vitium, ergo qui ſic affectus eſt, dicitur corpore vitiatus. Quod ipſum ex ea definitione intelligi poteſt, quam de eo qui corpore eſt vitiatus, in Summa explicauit Syluester, in verbo, corpore vitiatus, ex ſententia Aſtenſis, & Canoniſtarum.

Eſt item hoc loco perappoſita Iuriſconſulti definitio, in ead. l. 1. de ædilitio edicto, ſic morbũ definientis: Sciendum, morbum apud Sabinum, ſic definitum eſſe, habitum cuiuſque corporis contra naturam; qui vſum eius ad id facit deteriorem: cuius cauſſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit: id autem aliàs in toto corpore, aliàs in parte accidere.

Ad eamdem cauſſam hanc adfero argumentationem. Si neque paterfamilias ſuæ domui, neque magiſtratus iuriſdictioni, nec quiſquam muneri, quod ſine aliorum conſortione adminiſtrari non poteſt, ſurdum, ſurdaſtrúmve præficeret; ampliſſimorum & maximè diuinorum munerum functioni Eccleſia præficiet ſurdaſtrum? Longiſſimè id quidem abeſt. Quocirca Tridentinum Concilium, ſeſſ. 14. cap. 4. Epiſcopis dat poteſtatem clericos ad diuina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrãda, minus idoneos, à ſuſceptorũ ordinum exercitio ſuſpendendi: quod decretum indicat irregularem eum ab Eccleſia cenſeri, qui ſacrorum ordinum munera ritè exequi nequit.

Quare ſic conſtituẽdum de ſurdaſtro videtur: ſi eius inſigne ſit vitium, ſacrorũ ordinum muneribus valde incõmodans, irregularem eum cenſeri debere: talem verò putandum non eſſe, ſi leue ſit vitium cum incommodo paruo coniunctum: eſt enim in illa ipſa lege de ædilitio edicto, Non quodlibet quàm leuiſſimum efficere, vt morboſus vitioſúſve habeatur. Proinde leuis febricula, aut vetus quartana, quæ iam ſperni poteſt, vel vulnuſculum modicum nullum habet in ſe delictum, quaſi pronunciatum non ſit: contemni enim hæc potuerunt. Hæc Iuriſconſultus loquitur de venditoribus, qui mancipia cùm vendunt, certiores facere debent emptores, quid morbi vitiive cuique ſit

QVÆ

QVÆSTIO LVI.

1. Genus controuerſiæ, quod nunc inducitur, eſt ad hunc modum comparatum.

Phonius clericus quemdam ad locum proficiſcens, vt illinc ſuſtat decumas auferret, ad duos profanos homines ſe in itinere applicat, quorum alter iunior erat alterius ſenioris nepos.

Hiſce de duobus vnus hæc iniicit in ſermone, clerico: Quid inquit Phoni, ſi in noſtrum incideremus inimicum? manúne rem gereres? ſcilicet, non exſpectarem, reſpondit Phonius, dum malè mulctarer ipſe. Aliquantum viæ cùm proceſſiſſent, ad quodpiam domicilium diuertunt, vbi eorũ aduerſarium commorari ſuſpicabãtur: miſer ille ratus inſidias, inde ſe foras eiicit; ac fuga ſaluti conſulit: nepos fugientem inſequitur: hunc cutrẽs ſubſequitur clericus: clerici curſum excipit auunculus, ſiue patruus adoleſcentis: qui cum fugiente præcipuas inimicitias gerebat. Phonius clericus ſimulat ſe quamdam velle tranſilire foſſam; quò eum, qui in fugam ſe coniecerat, conſequeretur. Et quidem foſſam ſaltu ſuperat: vt autem eam tranſcenderet, duo ſuadebant; alterum, vt in poteſtatem tardiùs currentis ſenis calamitoſus ille redigeretur: alterum, vt ne cædi is intereſſet. Nepos ſenis aſſequitur inimicum in terram deiicit, actum præcipitem vulnerat: vulnera cùm videret Phonius iacentis capiti infligi, ſaucientem hortatur, vt non cæſim, ſed punctim ſuum petat aduerſarium: ſed negat clericus ſuas hortantis voces auditas eſſe: quamuis vociferatio, qua cædẽtis animus confirmabatur, ad interfectoris aures perlata eſſe credi facilè poteſt. Interea adeſt ſceleſtus ſenex, illique afflicto homini vita crudeliter exhauritur.

2. Quærebatur, Phonium ea cædes irregularem effecerit, an non. Reſpondi, & reſpondeo, huius clerici fœdiſſimam & grauiſſimam eſſe irregularitatem, multis nominibus ei irrogatã. Iniquiſſimæ enim occiſioni fauit auxilij promiſſione; comitatu, inſecutione, tranſcenſu foſſæ, vociferatione, hortatione: Vt me penè puduerit mei, qui quæſtionem explicatu perfacilem ad eas adiunxerim, quæ ſunt à nobis adhuc pertractatæ. Sed tamen non duximus contemnendam, quia eam nec alij contempſerunt, qui ad nos detulerunt.

QVÆSTIO LVII.

Inuidioſo & probroſo crimine acceſſitur Demochares; de quo fatetur in iudicio. Verùm, ne ſontis confeſſionem condemnatio ſecuta ſit, principis viri ope atque rogatu perfectum eſt. 1.

Dubitatum eſt, infamiæ irregularitatẽ, quæ iuris dici ſolet, Demochari crearit ea confeſſio, nécne.

De tota controuerſia quod meum iudicium ſit duplici enunciatione docebo. Prima enunciatio. Si Democharis flagitium eſt multitudini notum, vel grauium honeſtorúmque virorum ſermone, atque opinione damnatum, is notatus eſt infamia facti, quæ niſi mutatione vitæ, & ad bonam frugem traducta vita, non eluitur: neque huic propoſitioni quiſquam aduerſatur.

Secunda enunciatio. Doctores nomine, & memoria digni, negant confeſſione delicti in iudicio quempiam infamiæ labe, quæ iuris eſt, aſpergi: id viſum eſt Bartolo in l. infamem. ff. de publicis iudiciis: cuius ſententiam commendat & ſequitur Panormitanus, in commentario Decretalis, At ſi, de iudiciis, num. 27. eamdem ſecutus eſt Sylueſter, in verbo, Infamia, nu. 13. ſeu quæſt. 7. & Angelus, nu. 6. eod. tit. 2.

Quam tamen opinionem explodit auctoritas Gloſſæ canonicæ, in cap. At ſi, de iudiciis; vult enim infamiam ex eius criminis confeſſione oriri, cuius criminis

condem

condemnatio eamdẽ efficeret. Eamdem opinionem reiicit Gloſſa ciuilis in l.ictus fuſtium. ff. de iis qui notantur infamia.
» Verba Gloſſæ hęc ſunt. Si in iudicio con-
» fiteretur ordine iudiciario conuentus, vel
» accuſatus, ipſa confeſſione eſſet infamis.
Ad Gloſſatum ſententiam videtur abiiſſe Innocentius, in cap.ſuper his, de pœnis. Primam ſententiam non vſquequaque veram ſcribit Felinus in capur, cum te, de ſententia, & re iudicata, nu.5.comment.
» Caue etiam, inquit, quia non eſt abſolutè
» verum, quòd confeſſus in criminali non
» incurrat infamiã, vt ſignificatur per Car-
» dinalem in d.cap.at ſi clerici. Ad concordiam adducere vtramque opinionem conatus eſt Panormitanus eo loco, qui indicatus eſt. Quòd in cauſſa ciuili confeſſio haberi ſolet pro conuictione & condemnatione: quare comitem habere poteſt infamiam.

Ratio hæc contrarias opiniones conciliandi quanti facienda ſit, viderint in hoc genere ciuilium controuerſiarum peritiores.

3. Quot autem, & quæ confeſſio exigat, vt noceat confitenti, exequitur Gloſſa in explanatione capitis, ex parte de confeſſis.

Ego iſti Demochari auctor eſſem, vt in re controuerſa, & magni momenti, de infamiæ irregularitate, valde anxius eſſer, præterquam quòd valde probabile eſt, ex illa ſua iuridiciali confeſſione natam eſſe infamiam facti, quæ ab honoribus dignitatibúſque infamem repellit. Quocirca & conſcientiæ, & rationibus ſuis prudenter proſpiceret, ſi ad ſedem confugeret Apoſtolicã: vt ſuam omnem infamiam abſtergeret. Qui enim de ſua vel irregularitate, vel ſuſpenſione, vel de excommunicatione dubitat probabiliter, in animæ foro irregularem, ſuſpenſum & excommunicatum exiſtimare ſe debet.

QVÆSTIO LVIII.

COmmodior fortaſſe locus huic poſtremæ quæſtioni eſſe poterat in primo libro horum reſponſorum moralium, in ea inquam parte libri, in qua de iis, quæ ad pœnitentiæ ſacramentum referuntur, à nobis diſceptatum eſt. 1.

Facti genus, quo de in præſentia diſputaturi ſumus, eſt huiuſmodi.

Sacerdos quidam irregularis, de ſua irregularitate ſilens, ab Epiſcopo, de eius doctrina facto periculo, impetrauit; vt ſacras confeſſiones audire poſſet. Multorum virorum, ac mulierum hic confeſſiones excepit, eóſque abſoluit.

Quæſitum eſt, valeréntne eiuſmodi confeſſiones, atque abſolutiones; an potiùs irritæ eſſent.

Reſpondi, confeſſiones quidem valere propter bonam fidem eorum qui cõfeſſi ſunt, & iterandas non eſſe, quamdiu in eadem perſeuerant: abſolutiones autem nullius eſſe momenti: quia irregularis ille nullam eſt in ſacramento pœnitentiæ iuriſdictionem conſecutus. Neque enim credi poteſt velle irregulari, Epiſcopum, poteſtatem pœnitentes audiendi & abſoluendi, largiri: cùm id & Epiſcopo concedenti ſit criminoſum, & irregulari ſacerdoti perquam flagitioſum. Potuiſſet quidem Epiſcopus remouere antea irregularitatem, & poſtea poteſtatẽ audiendi confeſſiones in eumdem conferre: quod ipſum quia nec fecit, nec fortaſſe ius erat illi faciendi, poteſtate abſoluendi caruiſſe irregularem ſacerdotem dicẽdum eſt. 2.

Diuus Thomas, in 4.ſent.diſt.17.q.3. art.4.quæſtiunc.5.ſcribit, dupliciter poſſe contingere, vt quis alterius confeſſiones audire non poſſit; aut quia caret iuriſdictione; aut quia ordinis non habet executionem: iuriſdictionem petere poteſt ab eo, qui immediatam in ſubditos iuriſdictionem habet, hoc eſt, vel à proprio parocho, vel ab Epiſcopo, vel à Romano Pontifice. Impedimenti verò amo-

tionem ab eo neceſſe eſt eſſe qui poteſt illud amouere:verùm impedimentum irregularitatis non fuit amotum:quia toto tempore, quo confeſſiones audiuit, fuit irregularis, & etiam nunc manet irregularis: quare idoneus miniſter ſacramenti nec fuit antea,nec nunc eſt.

3. Probatur hæc ipſa ſententia firma ratione. Sine ſuperioris auctoritate nõ poterat hic irregularis ius audiendi confeſſionis obtinere: ſed ſuperior, ſi ſciuiſſet eum irregularitate irretitum eſſe,ius tale eidem numquam conceſſiſſet:quare,&c. Ad hæc, errantis non eſt voluntas: ergo cùm Epiſcopus errauerit,& quidem per inuitus, approbando ſacerdotem illum tamquam idoneum miniſtrum confeſſionum, nihil fecit. Antecedens probatur multis legibus,& ratione. In lege, nihil conſenſui. ff. de regulis iuris, eſt his verbis:Non videntur,qui errant,conſentire: & in l. ſi per errorem.ff.de iuriſdictione omnium iudicum:dicitur non conſentire eos, qui errant. Quid enim, inquit lex, tam contrarium conſenſui quàm error? & in l.ad probationem. C. de locato, & conducto, dicitur inſcientiã errantis non habere conſenſum:& in l.cum teſtamentum.C.de iuris & facti ignorãtia,dicitur, errantis nullam eſſe voluntatem: & in l. non idcirco,eod.tit.habetur,errantis nullum eſſe conſenſum. Gloſſa leges ex digeſtis allatas de facti ignorantia & errore interpretatur non inris.Ratio id ipſum peruincit.Quia cõſenſus eſt quid voluntarium: ſed voluntarium ab Ariſtotel. in 3.Ethicor. cap.1. & Damaſceno, in 3. de fide orthodoxa, c.24. & Gregorio Nyſſeno in 5.lib.cap.3.definitur id eſſe,cuius principiũ eſt in aliquo cognoſcente ſingularia,in quibus eſt actus: quod erranti non conuenit: ergo cùm Epiſcopus non cognouerit circumſtantiam perſonæ, in qua per errorem deceptus eſt; non cenſetur voluntaria fuiſſe conceſſio iuriſdictionis. Quare nulla putari debet.

4. Confirmatur eadem opinio hac ratiocinatione:Prælati,irregularibus,quos tales eſſe cognoſcunt, poteſtatem adimunt audiendi confeſſiones,& ſacramenta adminiſtrandi:&, ſi ſecus agant,in eos animaduertunt. Quis ergo cogitare poſſit, iuriſdictionem vllam à peccatis abſoluendi à Prelato in hunc irregularem manaſſe? & quamuis Caietano, in Summa,verbo,Abſolutionis impedimenta,& Sylueſtro,in verbo,Confeſſor,1.q.19.ſeu num.15. citanti Panormitanum, in cap. nihil de electione, alia atque nobis videatur fuiſſe ſententia; nam ſentiunt occultum impedimentum eius,qui vel beneficium,vel prælationem,vel aliud officium auctoritate ſuperioris adeptus eſt, non nocere ſubditis, nec infirmari illius acta,cùm publicus error facti accedit: id quod probant ex l.Barbarius Philippus. ff. de officio prætoris: quamuis inquam hæc illi arbitrentur, nihilominus opinioni noſtræ aduerſi eſſe non debent. Primùm,quia non loquuntur de ſacerdote, de quo nos: ſed de eo, cui vel commiſſum eſt beneficium Eccleſiaſticum, vel dignitas cum iuriſdictione:neque de impedimẽto loquuntur quod antecedit inſtitutionem:nam eorum,qui intruſi ſunt, non tenere acta idem Sylueſter affirmat, ex eodem Panormitano.

5. Nam de intruſis his verbis loquitur Alex.Halenſ.in 4.par.q.22. memb.2.art. 2.vbi quærit,an excommunicatio iniuſtè lata ſit timenda: huiuſmodi ſunt intruſi, ſuſpenſi à iuriſdictione, qui ſimiliter excommunicare non poſſunt· loquitur de eo qui non habet canonicam iuriſdictionem.Neque intruſis fauet lex Barbarius: iſtum autem perditũ ſacerdotem in claſſem intruſorum coniiciendum eſſe ex iis demonſtrabimus, quæ doctè de vario genere intruſorum ſcripſit Felinus,in caput in noſtra,de reſcriptis, num.11.& 12. & in caput veniens, de accuſationibus, num.2.In explanatione igitur capitis veniens,quinque modos, ſeu genera intruſorum à principio ſignificat, ſed deinde ſeptem exequitur.Verba eius recitabo.

Quinque modis quis intruſus dicitur. Primò

Primò, ſi non habet aliquem colorem ſuæ intentionis, cap.eum,qui,de præbend.in 6.C.ad aures,de exceſſ.prælat. Secundò omnis qui habet beneficium ſine auctoritate ſuperioris. Innoc.notab. in C.nihil eſt,in verſu,admiſerunt de elect.Gloſſ.in verbo,metuebant,in fine,in cap.bonæ el. l.3̄.de elect.in cap.2.in fine,cap.cum pridem, §. propter de renunciat. in Gloſ.1. Tertiò,qui depoſitus remanet in beneficio, dicitur intruſus. Innoc.in c.qualiter el.2.in fin.4.col.j̄.eod. Quartò, electus adminiſtrans ante confirmationem,in c. 2.& ibi do.Abb.in 1.col.5.de reſtit.in integr.& cap.auaritia,de elect.in 6. Quintò, qui cõmiſit crimẽ dignum depoſitione,Gloſſ.2.in c.cùm ſuper,de cauſſ. poſſ. & prop. Vltimò ille,qui habet beneficiũ ablatum alteri iniuſtè,cap.tanta.j̄.de exceſſ.prælat. & ibi Dom. Ant.in fin.1.col. Septimò dicitur eſſe intruſus: ſecundùm Ioannem And.in c.dudum,el.2.de elect. adeo, quòd litteræ ſuper beneficio non valent, ſi quis tacet ſe intraſſe poſſeſſionem etiã auctoritate Principis.Ita no.do. Abb. in C.ad aures, de reſcr. in 6.c.cum iamdudum,in 2.col.de præbend.in cap. præterea,in vlt.notab.de iure patronatus in c.per venerabilem,qui fil.ſint legitim. Pet.Anchar. & do.Cardin. in Clem. per litteras, in fine, de præbend. & ideo ſis cautus,vt de hoc facias mentionem.

In caput,in noſtra,de reſcriptis, pauciora pluribus verbis tradidit: illud autẽ admonet, & probat auctoritate Doctorum, & Canonum, eum quoque vocari intruſum,qui ſe ingerit,ex cap.cùm iamdudum,vet.intruſori,iuncto verbo ſe ingerit & ingeſſit,de præben.& in cap.dudum,2.de elect. & illos duos textus, inquit,nota:quia paucos inuenies ſimiles.

6. Hi modi intruſionis tria nobis minimùm ſuppeditant argumenta contra iſtũ irregularem, qui dolo ad confeſſiones obrepſit, & ſe ingeſſit: ergo ſe intruſit. Poteſtatem audiendi accepit ab eo, qui dare non poterat,id eſt,à Diœceſano:qui contra Eccleſiaſticos canones non poteſt in irregularem poteſtatem conferre audiendi confeſſiones ſacras pœnitentium: id enim ſolius eſt Romani Pontificis:ergo ſine iuſto titulo, & ſine iuriſdictione audiuit:& tamquam verè intruſus audiuit:ergo nullæ fuerũt abſolutiones. Præterea in eo,quod geſſit, facinus grauiſſimum dignum depoſitione admiſit: ergo intruſus,audiuit & abſoluit:ergo ex communi & vera ſententia Doctorum nihil effecit.

7. Quæ autem crimina ſint depoſitione digna diſce ex Panormitano in caput,tuę de pœnis: vbi quadripartitò diuidit crimina, in leuia, grauia,grauiora & grauiſſima. Hæc tria poſtrema genera depoſitione ſtatuit eſſe digna; grauiora verò,& grauiſſima etiam aliis pœnis præter depoſitionem. Delicta, inquit, grauia ſunt, in quibus exigitur dolus, & tendunt in graue præiudicium alterius,ſeu Reipubl. Delictum huius nefarij ſacerdotis miro dolo fuit inſtructum:inſignem contumeliam Epiſcopo quem decipiebat,& ſacris Eccleſiæ ſanctionibus impoſuit: falſas etiam abſolutiones, pro veris pœnitentibus obtruſit: ergo ipſe intruſus fuit, & depoſitione, ac qualibet atroci pœna ſe digniſſimum præbuit. Quis ergo huius impudentiſſimi abſolutiones defendere audeat?

8. Porrò autem lex Barbarius, non tam noſtram infirmat, quàm confirmat, ſententiam. Nam factũ,in quo verſatur lex illa,eſt huiuſmodi: Barbarius Philippus, plerique interpretes, legunt Barbatius, ſeruus fugitiuus venit Romam: illic occultata ſeruili conditione, pro libero ſe geſſit:cúmque eius vitæ ratio probata eſſet populo Romano, præturam petẽs eſt adeptus. Geſta prætura dubitatum eſt, vtrùm illius edicta,ſententiæ,acta coram eo valerent: quandoquidem iuriſdictio & imperiũ in alios ſeruos conuenire non poteſt. Vlpianus ex ſententia Pomponij antiquioris Iuriſconſulti reſpondet ſeruitutem Barbario minimè obfuiſſe: illius dicta,decreta, acta vim habere ob publi-

» cam vtilitatem: & quia populus Romanus decernere ſeruo potuit hanc poteſtatem: & quia ſi ſciuiſſet eſſe ſeruum, liberum effeciſſet. Hæc eſt tota ſententia legis.

At reſponſum, quod excogitauit Iuriſconſultus, nihil conuenit in iſtum ſacerdotem: nam dicta & facta huius priuata & arcana fuerunt: neque publicam continebant vtilitatem, ſed priuatam. Deinde, non vt populus Barbario decernere potuit poteſtatẽ; ſic irregulari Epiſcopus. Poſtremò, quia ſi ſciuiſſet eum irregularem, non ſolùm irregularitatem ab eo nõ abſtuliſſet, verùm etiam pœnas alias addidiſſet. Adde, quòd Gloſſa, Bartolus, & alij nonnulli Barbarium ea dignitate ornatum verè liberum euaſiſſe contendũt: nam populus Romanus, & Imperator, alieno ſeruo impartiri libertatem poteſt. At certum eſt ſeruitutem irregularitatis, ſeu vinculum ab Epiſcopo ſublatum non fuiſſe: in ſua enim irregularitate perſeuerauit ille ſacerdos.

9. Colligunt etiam ex ea lege Doctores communem errorem cum ſuperioris auctoritate coniunctum ob publicam vtilitatem transferre poſſe auctoritatem in eum, qui illa eſt indignus, idque ne controuerſiæ diremptæ, ne documenta publica, ac tam multa, quæ pro tranquillitate Reip. conſtituta ſunt, pereant cum maximo priuatorum, & totius communitatis incommodo. At ſacramentũ pœnitentiæ non parit iſta incommoda, & rei, vtilitatiſque communis perturbationem.

Baldus in legis illius repetitione quædam obſeruat, quæ ad rem noſtram plurimùm faciunt: & quamuis repetitio habeatur in Bartoli commentariis, eſſe tamen Baldi conſtat teſtimonio Iaſonis, & aliorum magnorum auctorum: num. igi» tur 3. illius repetitionis tradit, errorem » populi pro veritate haberi: ſecus de erro» re priuato. Et num. 4. Priuatæ perſonæ » errorem pro diſſenſu haberi, & errorem » populi ius facere in iudice maximè ordinario, cui ſubditus nihil poteſt opponere, » num. 7. citatque Innocentium, in c. cum ſuper, de officio ordinarij: & Archidiaconum, 8. q. 4. nónne, & num. 15. legem loqui de iure, quod publicum eſt auctoritate, & vtilitate. At in cauſſa noſtra non eſt aliquis iudex confeſſionum ordinarius: & in confeſſione ius dicitur priuatum priuato homini: & factum non eſt publicum, ſed maximè occultum: ita, vt iudex euulgare illud numquam poſſit.

Ad hæc error populi nullam poteſtatem habet in Euangelicos iudices ſacrarum confeſſionum: neque populus creare eos poteſt. Præterea, quæ ſunt in ſacramentis diuinitus inſtituta, populi poteſtati ſubiecta eſſe non debent. Prætetea, ſicut in ſacramentis vera requiritur forma, & vera materia, ita verus non opinatus miniſter. Denique lex, Barbarius, locum in adminiſtratione habere poteſt rerum ciuilium; in ſpiritualium, & ſacramentorum non item: ideo, quòd hoc rerum genus populi arbitrio, & errori multitudinis permiſſum non eſt, nec eſſe debuit. 10.

Et ſanè reſponſum iuriſconſulti, hominis ethnici, & à ſacris noſtræ religionis abhorrentis, quo is in controuerſia politica diiudicanda eſt vſus, in quo controuerſiarum genere populi; & Imperatorum auctoritas valet, ad res ſpirituales, & Sacramenta transferre, nõ videtur hominum eſſe ſpiritualia à temporalibus ea, qua opus eſt, ratione ſecernentium.

Quòd ſi excommunicatus, quamuis occultus, ſententiam ferre excommunicationis nõ poteſt, quæ ipſa valeat; quamuis ea ſpectare poſſit ad publicam vtilitatem; valebunt ſententiæ abſolutionis in Sacramento pœnitentiæ irregularis Sacerdotis, qui per mendacium perniciosum poteſtatem non veram quæſiuit abſoluendi? 11.

Dices, primùm, diſparẽ eſſe rationem excommunicati & irregularis. nam excommunicatus cùm ſit eiectus ex Eccleſia, alios eiicere non poteſt; nec ipſe vinctus

ctus vincire alterum poteſt. At irregularis eſt intra Eccleſiam; nec ſimili eſt laqueo impeditus. Verùm id quodcumque eſt, facilè propulſatur. Sic enim videtur irregularis eſſe extra claſſem legitimorum miniſtrorum Eccleſiæ, vt excommunicatus extra numerum fidelium, & in diſſimili genere ſimile videtur vinculùm, quo vtrique Sacramentorum adminiſtratio eripitur.

Deinde oppones, ſumi non verum in argumentatione: propterea quòd occulti excommunicati cuncta quæ gerunt ratione publici, rata ſunt. Id enim nō pauci defendũt, vt videre potes apud Felinum, in caput ad probandum, de ſententia, & re iud. num. 7. & in cap. ſi verè, de ſententia excom. eod. num. nam vtrobique diſputat, an num excommunicare poſſit occultè excommunicatus; ad eámque ipſe ſe partem dat, vt poſſit.

Reſpondeo, plurium maiorúmque auctorum eſſe ſententiam, non valere: eſt Diui Thomæ, in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. eſt Paludani, in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 3. vbi valde ſubtiliter & copioſè diſputat hac ipſa de re; atque huius opinionis fundamenta conſtituit in illa lege, Barbarius: eſt Gloſſæ in cap. audiuimus, 24. quæſt. 1. eſt Gratiani, ſiue ſummariæ Gloſſæ in illud ipſum caput: vbi ſæpius repetitur, excommunicatum poteſtatem ligandi vel ſoluendi non habere, atque id auctoritatibus multorum probari dicitur in fine eiuſdem Gloſſæ. eſt item Gloſſæ, in cap. 2. de ordinatis ab Epiſcopo qui, &c. Addit Felinus, in cap. ſi verè, de ſententia excom. ad eamdem ſententiam. Oſtienſem, Ioannem Andr. in cap. pia, de exceſ. in 6. Calderinum, in diſputatione incipiente, excommunicatus, qui Dom. Antonium, in c. 2. de ordin. ab Epiſcopo, & in c. ad probandum col. 3. de re iudicata, & in c. ſi ſciſcitatus in poſtrema col. de reſer. & Dom. in c. ſi is cui, vlt. col. de officio delegati in 6. & Paulum de Leazarpis, in commentario cap. ſi celebrat. de clerico excommunicato min.

Panormitanus autem in cap. ab excommunicato de reſcr. docuit opinionem hanc eſſe communem. Quamquam hac de re is inconſtanter ſcripſit: nam contrariam ſententiam probaſſe videtur in c. cum clericis, de ordin. ab Epiſcopo qui Epiſcopatui ren. & in c. veritatis de dolo & contum. à numer. 41. ad eamdem ſententiam communi contrariam delatus eſt Felinus locis ſuprà citatis, aliíque nonnulli. Richardus viſus eſt ex antiquis Theologis ſecundæ opinionis aſſectator extitiſſe in 4. ſent. diſt. 18. art. 7. quæſt. 1. Verùm illic Richardus loquitur de abſolutione, qua indiget Prælatus, vt plura poſſit retinere beneficia: cuiuſmodi non eſt abſolutio à peccatis.

Priorem ſententiam Alexand. II. approbaſſe ſolā videtur in can. audiuimus, 24. quæſt. 1. cùm, inquit, verùm quia ex- »
communicatus te excommunicare non »
potuit: ídque ſine vlla adiunctione pro- »
nunciauit: vt quiuis intelligere poſſet, manare ex natura huius cenſuræ, vt, qui ei eſt obnoxius, eidem alterum ſubiicere nequeat. Itaque Baldus, in illa ipſa ſua repetitione num. 10. citans Innocentium, in c. nihil de elect. ſcribit, excommunica- »
tum quoad ſpiritualia haberi pro mor- »
tuo: at mortuus nullius eſt capax iuriſdi- »
ctionis. & num. 3. ex Archidiac. diſt. 61. c. nullus. ait excommunicatum non reci- »
pere titulum dignitatis maximè ſpiritua- »
lem. & irregularem beneficij capacem »
non eſſe nos alibi demonſtrauimus.

Quòd ſi gratia obreptitia, mendacio, 12.
& dolo impetrata, nulla eſt, neque in adeptione beneficij vllum largitur titulum: gratia, ſeu facultas audiendi confeſſiones ab homine irregulari, & per fraudem petita, rata exiſtimari poterit. minimè verò. Sed enim conciliū Cōſtātienſe in extrauaganti, ad euitanda, tulit, vt in adminiſtratione, ſeu receptione Sacramentorum non teneremur vitare quemquam, niſi eum, in quem nominatim ſententia Eccleſiaſtica vel cenſura fuerit promulgata.

Reſpondeo, cùm lex de euncto populo Chriſtiano caueat, eius legis hanc vim eſſe, vt ſiue cùm miniſtramus ipſi aliis, ſiue cùm ab aliis ſuſcipimus Sacraméta, eos, qui adſunt, vitare ne cogamur. Ad hæc, non quidquam tulit concilium de iis, qui nullum conſecuti ſunt verum titulum officij, ſeu poteſtatis, ſed de iis, qui adepti ſunt verum titulum; & quorum non eſt perempta iuriſdictio. Quid ergo, dicat quiſpiam, fiat iis, qui non ſunt verè à peccatis abſoluti? Reſpondeo, illud ipſum præſtent, quod præſtare eos oporteret, ſi vel à non Sacerdote vero, vel ab imperito eſſent abſoluti, quod accidit non ſemel, contritione & ope diuina imploranda ſibi proſpiciant.

Neque hoc loco incommodum erit duo admonere lectorem: alterum eſt, cùm quis per communem erroré, & ſuperioris auctoritaté, aſſequitur poteſtatem, qua eſt indignus, populi vel principis eam debere eſſe auctoritatem. Princeps autem ſpiritualium in terris ſolus eſt Romanus Pontifex: vel generale concilium cum eodem. Quæ auctoritas iſti irregulari defuit Sacerdoti. Alterum eſt, conuenire inter omnes Doctores, vt teſtis eſt Felinus in Decretalem, ad probandum, de re iudicata, num. 7. qui ſciret, eum, quícum communicat, excommunicatum eſſe, quamuis ignotus eſſet aliis, non prodeſſe ei, quidquid eius cauſſa ageret excommunicatus.

Ergo iſti irregulari Sacerdoti ſuadendum erit, vt eos, qui apud eum de ſuis peccatis confeſſi ſunt, admoneat, vt iterum eadem idoneo Sacerdoti apeiant. nam cùm ſecum ipſe prudentiùs conſideraſſet, intellexiſſe non potuiſſe pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare. Pluríſque apud eum ſalus debet eſſe multorũ, quàm ſua fama: præſertim cùm rara ſit apud homines contritio; & attritio ſine vero Sacramento non proſit ad ſalutem.

Atque hæc mihi, & tutior, & verior videtùr eſſe ſententia.

QVÆSTIO LIX.

Ciuis cuiuſdam Bononienſis filius, à duobus ruſticis hominibus fratribus eſt interfectus. Horum ſicariorum vnus eſt fuga ſeruatus: alter ab iudice condemnatus, ſuſpendio pœnam luit: eſt importuniſſimæ huic, quæ euaſit, belluæ frater tertius, qui ſe fugitiuo & exſuli fratri ſocium futurum profitetur ad ædem ciuis Bononienſis incendendam, eiúſque fortunas diripiendas & euertendas. 1.

Quærit nunc ab Sacerdote Theologo hic ciuis, liceátne ſibi in hunc facinoroſum, & fugitiuum à magiſtratu præſidia poſtulare eiuſmodi, vt eorum fratrum vterque comprehendatur, & legum pœnis coerceatur. Nam conditio pacis, quæ à nonnullis ſequeſtris quæritur inter ciuem & ruſticos, à ciue ideo non accipitur, quia ruſtica fides eſt illi vehementer ſuſpecta: ac parum cauto calamitati poſſet eſſe, atque exitio. Petenti igitur huic bono ciui concilium, quid reſpondebit Theologus, vt omnem vitet irregularitatem, ſi quid funeſti accidet ruſticis fratribus?

Theologus qui me hoc de genere conſuluit, putabat, vt eodem tempore vitæ, ac bonis ciuis proſpiceretur, omne remedium contra ſcelus, atque imprudentiam ruſticorum comparari, & ſuaderi poſſe, tum exilij, tum necis, tum omnis exitij: propterea quòd credebat conſtitutione ſua, quam Xiſtus V. in facinoroſos homicidas, & proſcriptos edidit, omnes ex irregularitate ereptos eſſe, quicumque illud genus hominum profligatum auctoritate, conſilio, opibus, & quacumque ratione perſequuntur, atque ex Eccleſiaſticæ ditionis finibus exterminant. In quo tamen ipſo Sacerdos ille errabat vehementer. 2.

Siquidem Xiſtus V. ab iis tantùm remouet irregularitatem, quorum eſt in iure dicendo, in Romanæ Eccleſiæ prouinciis, ciuitatibus, oppidis maior auctoritas,

ritas, quàm iudicū, vt legatorū, rectorum vrbium, atque ceterorum præfectorum, qui inferiores iudices cogere poſſunt, ac debent, ad ſententiam pronuntiandam de capite, ac vita illorū hoſtium peſtilentiſſimorum. His enim verbis loquitur lex.

„ Et nihilominus, vt præmiſſa ſuum de-
„ bitum, prout ex intimo cordis noſtri af-
„ fectu exoptamus, conſequantur effectū,
„ dilectis filiis eiuſdem S. R. E. camera-
„ rio, vrbis gubernatori, cauſſarum Curiæ
„ cameræ prædictæ generali auditori, nec
„ non prouinciarum noſtrarum legatis, de
„ quibus plurimùm confidimus, ac Vice-
„ legatis & Præſidibus, ciuitatúmque &
„ aliorum locorum prædictorū rectoribus
„ & officialibus, ac ceteris omnibus ſingu-
„ larum conſtitutionum, & literarum præ-
„ dictarum executoribus, ſimiliter in vir-
„ tute ſanctæ obedientiæ ac ſub indigna-
„ tionis noſtræ pœna, per Apoſtolica ſcri-
„ pta mādamus, vt quiſque pro ſe ad omni-
„ modam præſentium, & aliarum literarū,
„ & conſtitutionum prædictarum, nec non
„ pœnarum omnium in eis contentarum
„ executionem, omnino procedentes, illas
„ omnes, & in eis contenta quæcumque
„ ſemper, & vbique per omnia loca prædi-
„ cta, ac omnibus ſub illis comprehenſis,
„ inuiolabiliter obſeruari, capitaléſque ſen-
„ tentias prædictas à iuſtitiæ miniſtris abſ-
„ que vllius irregularitatis incurſu exequi
„ mandent & faciant. Quæ verba quis non videat ad priuatos Sacerdotes, religioſos, ac Theologos, haudquaquam pertinere?

4. Imò, ſi meam mihi ſententiam, & opinionem affirmare liceat, verba illa legis, „ ſine vllius irregularitatis incurſu, non ad iudices, qui de nece, & exitio exſulum, & homicidarū ſententias ferunt, ſed ad maiores dumtaxat magiſtratus, qui iudicibus imperant, referuntur. Neque id mirum videri debet, ſi non iudicibus, ſed iis, quibus parent iudices rerum capitalium, cauet Romanus Pontifex. Cùm enim, qui præſunt prouinciis & ciuitatibus Romanæ Eccleſiæ, nec non iudicibus (qui numerus eſt maximus) aut Sacerdotio prædici ſint, aut certè è ſacro ordine delecti, debuit iis legiſlator pœnam, ac metum adimere irregularitatis, ne ab ſentium nece retardarentur. Eadem cautio minimè neceſſaria videbatur reliquis iudicibus, qui in reorum ſuppliciis, & ſanguine nihil exhorreſcunt: quippe qui profana, non ſacra tractare, & tranſigere debeant.

Quid ergo à Theologo Sacerdote par erat reſponderi ciui illi conſulenti? Conſule peritos: nobis Eccleſiaſticis ſacriſque hominibus in hoc genere rerū aut conſilium dare, aut ſententiam dicere, iura Eccleſiaſtica minimè permittunt. Neque enim is extra irregularitatem eſſet, qui ſuo reſponſo cauſſam adferret alieri, aut ſuum aduerſarium interimendi, aut mutilandi, quamuis is iuſtè interimeretur, ſeu mutilaretur. 5.

Ita mihi Paulo Comitolo tunc Bononiæ viſum eſt, in itinere cùm eſſem: neque nunc ſecus cenſeo.

QVÆSTIO LX.

QVæſtio à ſuperiore non multùm diſiuncta negligi à nobis nullo modo debet: nam & de ea ſæpe conſulti fuimus, & ab Sacerdotibus, qui ad reorum ſacras excipiendas confeſſiones quotidie euocantur, ignorari valde periculoſum eſt. 1.

Etenim cùm ſontes, de quorum ſalute agitur in iudicio, de maleficiis ſuis confiteri nolint, nec Sacerdos viter laqueum irregularitatis, ſi ſuo imperio obiecta crimina confiteantur, atque ob id ipſum vltimo ſupplicio afficiantur: neceſſariç præceptionis eſt, videre, quid Sacerdoti agendum cum hoc hominum genere ſit, quum vel ex Sacerdote quærunt, quid rerum capitalium iudici reſpondere debeant, vel etiam veritatem facti inficiari volunt, quum iure ab iis extorquetur, quam abſque ſcelere ab ſe reiiceri non poſſe

poſſe minimè dubitant. Paucis propoſitionibus rem totam tranſigam.

2. Prima propoſitio, ſi dubitatio probabilis incidat, num iure reum interrogationibus iudex vrgeat, haud à Sacerdote cogi poteſt reus de ſuo crimine conſiteri. propoſitio eſt Soti, in lib. de ratione tegendi ſecreti memb. 2. quæſt. 7. §. at vero. Sic enim Sotus: in dubio declinandũ eſt in fauorem rei maximè in cauſſa mortis: quia peius eſſet in tali caſu occidere hominem, quàm non parere iudici: & iura præſertim in cauſſa capitis permultùm fauent reis.

Secunda propoſitio. Quando intelligit reus ſine mortifera culpa delictum ſe inficiari non poſſe, eique certum eſt in eadem inficiatione perſeuerare, à Sacerdote abſolui non poteſt: dicereque ei poſſet, nihil hoc tempore confieri poſſe video: ad te, cùm de tota tua cauſſa iudicium factum fuerit, redibo: interim ad diuinam opem, lucémque confugito.

Tertia propoſitio. Si iſte ipſe reus dubitat, atque hæſitat, vtrùm neceſſaria ſit ei lex impoſita apud iudicem facti aperiendi, nullóque mendacio, tergiuerſationéve occulendi; & quid ſibi faciundum ſit, velit diſcere à Sacerdote; ſi Sacerdos cognoſcit, rem, quæ ſonti in dubium venit, ab eo ſine æternæ ſalutis interitu ignorari poſſe (id enim interdum poteſt accidere) non cogitur eo tempore poſtulanti ſonti, quam poſcit doctrinam tradere: nam ea carere non eſt illi exitioſum, ſed mortiferæ prolapſionis periculum ob dubiam conſcientiam ab eodem propulſet: nimirum magnæ, atque arduæ cognitionis hic locus indiget.

3. Quarta propoſitio. Cùm conſtat, rem, quæ reo eſt dubia, ad veritatem vitæ, vt loquuntur Theologi, pertinere, nec ſine animi pernicie ab eo poſſe ignorari; veritatem doceri cupienti negare non poteſt Sacerdos; quamuis ex ea præceptione in laqueum ſe ſe irregularitatis induceret: namque propter neceſſaria quædam officia, virtutis, atque honeſti irregularitatem ſuſcipi neceſſum eſt, vt iudicibus contingit, qui nece animaduertiſt in conſceleratos ac facinoroſos.

Quinta propoſitio, qua corrigitur, vel 4.
exponitur quarta; ſi ſacerdos cautè poſſet in aliam perſonam non ſacram præceptionem, quam reus expetit, transferre: eique denuntiare, vt aliunde erudiatur, poſſet hac cautione à ſe metum irregularitatis auertere. Scio, Richardum, in 3. quodlibeto, quæſt. 22. quintam hanc propoſitionem non adiunxiſſe, ſed quartæ aſſentiri, quamuis de irregularitatis periculo ſileat. Altiſiodorenſis in 3. lib. Summæ, tract. 25. cap. 2. modum docendæ veritatis hunc probat, vt nihil imperando reſpondeat iudici Epiſcopus, qui in cauſſa ſanguinis conſulitur: ſed indicãdo legem ei dicat, Lex dicit, maleficos non patieris viuere. Facit ab Altiſiodoro Gloſſa, in capur extremum diſtinctionis 3. nam ad hunc modum quærit: Vtrùm iudex Eccleſiaſticus in cauſſa ſanguinis poſſit dictare ſententiam: atque his verbis quæſtioni reſpondet. Sed dic, quòd iudex Eccleſiaſticus poteſt dicere ius interrogari, ſed non poteſt illud præcipere, vel conſulere, ſic, 5. quæſt. vlt. delatori, 35. quæſt. vlt. peſſimam, ſed videtur hodie correctum ex literis, de exceſſibus prælat. Hæc in Gloſſa. Nec dubitandum, canonem illum, delatori, qui eſt Adriani, correctum eſſe: illic enim præcipitur, vt delatori lingua capuletur, & conuicto caput amputetur, niſi cum Hugone, Bernardo & Turrecremata, in illud caput dicamus, à Romano Pontifice non imponi pœnam, vel præcipi, ſed tantùm indicari.

Canon verò Innoc. II. peſſimam, qui 5.
habetur, 23. quæſt. 8. vbi dicitur, Sanè regibus & principibus faciendæ iuſtitiæ facultatem, conſultis Epiſcopis & Archiepiſcopis, non negamus, correctione non eget: cùm de conſilio intelligi poſſit, necis mutilationíſve cauſſa excepta. In quẽ canonem Turrecremata quum commentaretur, duas Doctorum opiniones expoſuit.

Digitized by Google

fuit. Priorem tribuit Raymundo, quæ
» plurium eſt, hiſce verbis. Debet reſpon-
» dere clericus iuxta Raymundum, hoc
» non pertinet ad me, conſulatis peritos,
» caueat ſibi clericus, ne propter ſuam re-
» ſponſionem directam, vel indirectam, iu-
» dex intelligat, quòd eum debeat pœna
» ſanguinis punire. Dicunt tamen quidam
(hic Turrecremata poſteriorem indicat
» opinionem) quòd poteſt ei dicere, quòd
» puniat eum ſecundùm quod ius dictaue-
» rit: dum tamen non exprimat, quòd pu-
» niat eum ad ſanguinem, vel ad mortem,
» vt dicit hîc Hugo, & etiam notatur diſt.3.
» omnis lex. Hactenus Turrecremata. Ac
licèt, quæ ab his Doctoribus dicuntur de
conſilio, quod in cauſſis capitis à clericis
petunt iudices, non vſquequaque conue-
niant in controuerſiam conſulentiũ reo-
rum, qua de à nobis agitur, non ſunt ta-
men aliena.

6. Ipſe in eo perſiſto. Cùm Sacerdoti probabile eſt reum propter ancipitem conſcientiam in culpam letalem caſurũ, niſi ab eo de re, quam neceſſariò ſcire debet, doceatur, docere debere; quamuis docenti impendeat irregularitas, cui alterius ſalutem debet anteferre.

QVÆSTIO LXI.

1. TRes fratres germani, quòd à nouerca tractarentur indignè, eius interficiendæ commune conſilium capiunt: cùm ſe iam ab eiuſdem conuictu remouiſſent. Pòſt aliquanto maior natu frater domum reuenit: nouercam occidit. Natu minor è tribus quærit, num ex ea cæde contraxerit ipſe irregularitatem: quandoquidem cùm ſcelerata illa conflaretur conſpiratio, verè & ex animo non is nouercæ optabat interitum: quamuis ore fuerit meditati facinoris, & necis conſciſcendæ approbator.

2. Reſpondi iampridẽ, atque etiam nunc reſpondeo, fratrem hunc natu minimum, in vtroque foro irregularem cenſeri oportere. De exterioris fori iudicio dubitare non attinet: namque in eo eius, qui rem quampiam tranſigit, mens, & conſilium ex verbis, nutibus, aliiſque geſtibus, ac factis ipſis colligitur: in foro quoque animæ irregularis habendus eſt: nam licèt interiorem conſenſum à morte nouercæ ſeiunxerit; illum tamen cum cauſſa mortis, id eſt, cum externa illa deliberatione coniunxit: nam eius voluit ipſe particeps eſſe.

Deinde, non ſatis hæc duo cohærent, 3.
mortem noluiſſe nouercæ, & cauſſam eius necandæ elegiſſe. Deinde, ſi animo ab interfectione nouercæ abhorrebat, cur tanto temporis interuallo non admonuit duos alteros fratres maiores, ſe pœnituiſſe conſilij, nec eius ſe vllo modo velle eſſe conſortem: imò nouercæ ſuæ mortem acerbam ſibi futuram? Sanè cùm nihil horum præſtiterit, planum fit ſe in improba voluntate ſponte perſeueraſſe.

Nec eius cauſſam adiuuat: quòd, vt 4.
minor aiebat, eius frater maior etiam abſque eius conſilio atque conſenſu percuſſor nouercæ fuiſſet. Primùm, id eſt ariolari. Deinde, ad contrariam potiùs coniecturam, & perſuaſionem minoris animus duci debuerat, fratri maiori animum ad efficiendam cædem ab ea conſpiratione additum eſſe. Poſtremò, credere conſentaneum erat, maiorem fratrem tantum facinus non auſurum fuiſſe, ſi ſibi perſuaſum eſſet reliquis duobus perodioſum futurum; aut certè, ſi ſuſpicatus eſſet odio illis futurum, in eo obeundo plus cunctatus eſſet.

Ita mihi nuntiatum eſt, cùm irregularitatis ſuæ diſpenſationem iſte minor frater à Romana curia exſpectaret, impetrare nequiuiſſe.

In quo Romanæ Eccleſiæ factum fuit commendatione & imitatione digniſſimum.

QVÆSTIO LXII.

1. Dominnus clericus apud iudicē Eccleſiaſticū graui crimine accerſitur, verùm nec is de crimine confitetur: nec ſceleris conuincitur; nec ſententia condemnans, aut abſoluens ab Iudice, vt clericus affirmat, pronunciatur. Verumtamen criminis delationem eiuſmodi condemnatio, ſeu pœna ſecuta eſt, vt tres annos Domninus ciuitate careat: vt de conſequendo Eccleſiaſtico beneficio, quemadmodum concilium Tridentinum præſcribit, cum nomine certare queat: nec per idem trium annorum ſpatium ad ſacrum ordinem aſcendat.

Percunctabatur clericus num ea condemnatio, ſeu ſententia infamiæ notam illi inuſſerit: atque ea re eidem irregularitas contracta ſit.

2. Iudicaui quandoquidem ſententia definitiua non fuit, quia nec abſoluit, nec condemnauit, infamiæ pœnam clerico non inflixiſſe, ſed triennalem tantùm ſuſpenſionem intuliſſe: quare poſt tres annos eum in integrum reſtitutum eſſe: & tùm Domninus neget ſuum crimen eſſe conuictum, par erat eundem reorum numero eximere, quandoquidem non probante actore reus, vt iura præcipiunt, debet abſolui: éſtque ea auctoritas nota Diui Bernardi, non eum, qui accuſatur, ſed qui conuincitur, reum eſſe: & Nicolai Papæ ad conſulta Bulgarorum reſcribentis: Non ſtatim, qui accuſatur, reus eſt, ſed qui conuincitur, criminoſus. Habetúrque diſt. 15. canone poſtremo.

De Irregularitate.

QVÆSTIO LXIII.

Alexander inimici ſui cædem factam à Pomponio, ratam habet.

Quærebatur; num ob ratihabitionem illam ſit Alexander irregularis.

Diuerſis ſententiis inter Doctores certatur. Inter quos tamen ipſos conuenit, duplicem diſtingui poſſe ratihabitionem, vnam minùs propriam; alteram, propriam. Minùs propria eſt, cùm quis verbi cauſſa inimici ſui interfectionem probat; atque de ea interfectori gratias agit; quamuis nec ſuo nomine nec ſua cauſſa occiſus fuerit: quæ homicidij approbatio & ratihabitio nullam inurit notam irregularitatis, licèt non graui culpa vacet: neque ratihabitionem hanc nomine ratihabitionis dignatur regula iuris, lib. 6. his verbis perſcripta: Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum: quæ regula pene totidem verbis repetitur à Bonifacio VIII. in Decretali, cùm quis, de ſententia excommunicationis. 1.

Propria ratihabitio eſt, cùm quis rem quampiam, ſiue malam ſiue bonam, tamquam nomine ſuo geſtam, approbat: de qua eſt regula iuris decima ad hunc modum tradita. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari: quæ eadē habetur in illa Decretali, Cùm quis: quam regulam in contractibus, ac delictis valere oſtendit Dynus explicans illam.

Conuenit etiam ſecundo loco inter Doctores, ratihabitionem non mereri pœnam, niſi ambo extrema ſint, vt loquuntur, habilia, id eſt, vt ego mandarē potuerim & ratum habere. Quare, ſi me puero infante patris mei interfectorem occidiſti meo nomine; quia non dubitabas mihi mentis compoti futurum gratum: ſi eam necem ad metas conſilij & rationis progreſſus, ratam habeam, & probem, non incurro irregularitatem: quia eo tempore, quo ipſe illam non poteram ob naturæ & infantiæ infirmitatem imperare. Monitum eſt hoc Panormitani, in cap. 1. de conuerſione infidelium, commentarij num. 10. quod probatur à cunctis, qui de ratihabitione locuti ſunt.

Tertium item ferè omnes Doctores reci

recipiunt: in eo delictorum genere verſari propriè ratihabitionem,quæ per alios admittere poſſumus, & noſtra facere, vt ſunt vulnera, cædes, mutilationes: at in peccatis libidinis, vt ſunt adulteria, ſtupra,& alia ex eodem genere, non habere locum. Id Panormitanus in caput,mulieres,de ſententia excomm.num.8.ſuæ explanationis, auctoritate probat Cyni, Gloſſæ canonicæ,ac ciuilis,& Dynus non aliam mentem eſſe Doctorum tradit in regulam, ratihabitionem.

2. Illud denique concedi debet ab vnoquoque; quum animo dumtaxat ratum habeo homicidium meo nomine factum, neque vllo ſe ſigno prodit animus, laqueum vitari irregularitatis: nam, vt inquit D.Thomas, cui cuncti ſapientes aſſentiuntur,in 4.ſent. diſt.25.quæſt.3. art. 1. quæſtiunc.1.ad quartum argumentum,
» Homicida voluntate,verba ſunt eius, in-
» currit reatum pœnæ æternæ, ſed non ir-
» regularitatem, vel excommunicationem,
» vel aliquid huiuſmodi.

3. Illud igitur vnum controuerſum eſt, dignámque habet diſquiſitionem, An is, qui aut verbo, aut ſigno minimè fallaci probauit ſcelus homicidij ſuo nomine facti, verè ſit irregularis. Nolunt irregularem eſſe hi omnes, Angelus, in verbo, Homicidium,2.tit. §.7. Tabiena, in verbo, Irregularitas, tit.2. num. 8. Armilla, eodem verbo,num.22. Cardinalis Toletus, in Summa caſuum,lib.1.cap.81. Couarruuias, in relectione, de Homicidio, par. 2. §.1. numer. 4. & recens quidam Theologus,lib.14. cap.16. moralium inſtitutionum. Affingunt eamdem ſententiam Archidiacono,in can. omnes, 17. q. 4. & Oſtienſi, in Summa,tit.de Homicidio, §. qua pœna feriatur. Sed reuera Archidiaconus, in explanatione illius canonis, loquitur dubitanter: & Oſtienſis non de ea agit ratihabitione, quæ mandato comparatur, ſed qua clericus comprobat necem latronis iuſta ſententia legitimi iudicis factam, atque in ea ſibi placet: ita neuter hic Doctor fauet huius primæ opinionis auctoribus.

A duobus argumentis fidem accipit hæc tamen opinio. Primum eſt huiuſmodi: Non contrahitur irregularitas niſi in caſibus, qui nominantur in iure Pontificio,vt inquit Bonifacius VIII. in ſua Decretali, is cui, de ſententia excommunicationis, lib. 6. ſed nullo iure cautum eſt, irregularitatem contrahi propter ratihabitionem,quare,&c. Secundum argumentum. Qui nomine homicidij eſt irregularis, eum cauſſam homicidij fuiſſe oportet: ſed ratihabitio conſequitur homicidium, & eo eſt poſterior: ergo illius cauſſa eſſe non poteſt: neque enim id natura effectus, veráque Philoſophiæ ratio patitur,vt effectus ſit ſua cauſſa prior.

In contrariam partem tranſgreſſi ſunt 4.
hi auctores haud obſcuri. Speculator,in tit.de legatis §. iuxta propoſitionis, verſu,ſed quid. Turrecremata,in cap.ſi quis, 17. quæſt.4. art.2. num.23. Roſella, in verbo, Homicidium, part. 2. num. 5. & particula 4. num.13. Syluester, in verbo, Homicidium, 1. quæſt. 7. dicto 5. Nauarrus,in Manuali, c.27. num. 153. in recentioribus codicibus, & in tract. de Iubilæo notab.34. num.6.

Duo ſunt huius poſterioris opinionis præſidia:

Vnum in Decretali Bonifacij VIII. cùm quis, de ſententia excomm. lib.6. in qua his verbis reſpondet: Cùm quis abſ- »
que tuo mandato manus iniicit in cleri- »
cum tuo nomine violentas; ſi hoc ratum »
habueris, excommunicationem latam à »
canone incunctanter incurris; cùm rati- »
habitio retrotrahatur,& mandato debeat »
comparari. Hæc Romanus Pontifex,ſine »
dubio idem de irregularitate reſpóſurus, ſi de ea conſultus fuiſſet. Primùm, quia illic Pontifex non condit ius nouum, ſed conditum interpretatur, vt ex ratione liquet reſpondendi. Deinde, quia reſponſionis confirmatio peræquè imò multò magis in irregularitatem, quàm in excommunicationem transfertur: quum de homicidio agitur, ſiquidem nõ quod-

liber homicidium excommunicationem habet annexam, ſed illud tantùm, quod iniuſtum eſt, & vitam perſonæ ſacræ adimit. At irregularitatem quælibet hominis interfectio, vna excepta; quæ pro ſua ſalute ſuſcipitur abſque culpa, parere ſolet.

Secundum præſidium. Quicumque eſt reus homicidij, eſt irregularis: ſed qui illud factum ſuo nomine ratum habet, eſt homicidij reus: ergo eſt irregularis: probatur minor propoſitio. Qui mandat homicidium, eſt reus homicidij, ſi ſequatur; ſed, qui ratum habet, æquatur cum mandante: ergo, minor eſt nota tum ex ſanctione, cùm quis, de ſententia excom. lib. 6. tum ex regula iuris, ratihabitionē. quam regulam multarum legum argumento probat Dynus, in ſua explanatione. in regula verò iuris ciuilis, ſemper. ff.
„ de regulis iuris, eſt his verbis. Sed & ſi
„ quis ratum habuerit, quod geſtum eſt,
„ obſtringitur mandati actione. Oppo-
„ nes.

5. At enim cauſſam attuliſſe homicidio neceſſe eſt, eum, qui propter illud futurus eſt irregularis: Probatum eſt autem ratihabitionem eſſe poſteriorem homicidio, ideo nec eius poſſe eſſe cauſſam. Reſpondetur dupliciter, primùm indirectè, deinde directè. Reſponſio minùs directa hæc eſt: vt quis incidat in excommunicationē ex ratihabitione violentæ manus iniectæ in clericum, illius violentiæ cauſſam eum eſſe oportet: quòd ſi nullo modo eſt cauſſa, quomodo incidit?

Reſpondent primæ ſententiæ patroni, hoc accidere in excommunicatione, quia ſic ſtatutū eſt, & iure expreſſum. Verùm ipſi iam docuimus, cùm Pontifex reſpondit ob ratihabitionem in excommunicationem incidi, non reſpondiſſe vt ius nouum inſtituentem, ſed vti antiquum interpretantem, illáque regula iuris, Ratihabitio retrotrahitur, reſponſum ſuum comprobantem.

Directa autem reſponſio tribus modis nititur dicendi.

Primus modus hic eſt: Ratihabitio tuo nomine commiſſi maleficij eius cauſſa, eſt non Phyſica, ſed moralis, ſeu legalis, auctoritate legum, & populorum aſſenſione inſtituta: quæ cauſſa, vt valet ad firmandos contractus initos: ſic ad facinora confirmanda, & punienda: & hæc cauſſa dici poteſt confirmans maleficium, ſed non gignens maleficium.

Secundus modus. Poteſt eadem ratihabitio in ordinem redigi cauſſarum naturalium ad hunc modum: Ratum habere propriè eſt quidpiam nomine meo geſtum factúmve comprobare: & is quidem, qui meo nomine faciebat, hoc ſpectabat, vt mihi ea re ſatisfaceret, gratúmque faceret: meam gratiam, fauorémque aut etiam præmium aliquod adipiſceretur. Igitur aut ego fui finis, aut aliquid meum finis fuit illi, qui meo nomine rem gerebat: & illud meum nomen, aut res quæpiam mea ad agendum impulit facientem: eiúſque facinori, nec non illi tamquam finis præfuit, & tamquam cauſſarum reliquarum princeps anteceſſit.

Sed tamen æquum non eſt, cauſſam 6.
illam, qua commotus eſt animus agentis, mihi vllo modo obeſſe, aut ad culpam aut ad pœnam ſubeundam priùs quàm à me ſit comprobata. Finem verò numerari in cauſſis Phyſicis minimè dubium eſt ex Ariſt. in 2. Phyſico, tex. 28. vbi cauſſarum genera perſequitur.

Quæ igitur factum conſequitur approbatio, cauſſam, quæ præcucurrit tamquam finis, conuertit in maleficium, ſi id, quod factum fuit maleficium, meo nomine factum fuit. Atque ob id ipſum poſt approbationem, is, qui ratum habuit delictum ſuo nomine admiſſum, finis eius delicti verè fuiſſe dicitur; & finis quidem vitioſus non ſolùm vitio facientis, ſed etiam approbantis.

Poſtremus modus. In maleficio duo ſpectari debent: alterum, eſt factū ipſum, ſeu natura, genúſque maleficij: alterum, eſt communio, commercium, coitio, ſocietas maleficij: ſocietas poteſt antecedere,

dere, qualis eſt mandantis, ſuadentis, auxiliantis; poteſt etiam ſequi, qualis eſt recipientis, & occultantis furtum iam factum. & vtraque res minimè culpæ eſt expers pœnam merentis.

Huius ſecundi cauſſa eſt ratihabitio, cauſſa, inquam, non in conſciſcendo perficiendóque maleficio, ſed in conſociando, communicando, conciliando.

Vtraque probabilis eſt opinio, & tuta: ſed poſterior probabilior meo quidem animo, ac tutior, quam ſequor.

QVÆSTIO LXIV.

1. MÆuius, per fraudem ſimoniacam, ſciens, beneficium erat Eccleſiaſticum adeptus: illud dimiſit, ab excommunicatione & culpa abſolutus fuit: poſt annum ab Epiſcopo ſuo aliud obtinuit.

Quæritur, num primæ ſimoniæ labes ſecundi beneficij adeptionem irritam fecerit.

Duo in hac quæſtione tamquam certa relinquuntur: tertium magis videtur ambiguum. Primum, tamquam certum ſumitur, Mæuium liberationem tantùm à culpa, & ab excõmunicatione impetrauiſſe. Secundum eſt, irregulari & ſuſpenſo, ſi beneficium tribuatur Eccleſiaſticũ, collationem eſſe nullã. Vide Nauarrum, in Summa, cap. 25. num. 133. vbi tribus ſacris canonibus probat, eum, qui ſciens, aut ſcire debens ſe eſſe excommunicatũ, vel interdictum, vel irregularem, vel ſuſpenſum, ſacerdotium ſi capit Eccleſiaſticum, mortiferi peccati reum eſſe, nec vllum accepti beneficij eſſe titulũ. Haud me latet aliam ſententiam Antonio Butrio fuiſſe explanãti Innocentij III. Decretalem, Cùm noſtris, de conceſſione præbendæ, col. 5. cõmentarij: credit enim non fieri irritam ipſo iure collationem beneficij factam irregulari: profértque ſententiæ ſuæ patronos Compoſtellanũ, & Innocentiũ, in cap. ſi celebrat, de clerico excommunicat. miniſtr. Verùm ſententiam Butrius hac exceptione temperauit, vt dicat: veram eſſe in conſequendis beneficiis, non in dignitatibus: addítque opinionem Compoſtellani & Innocentij communem eſſe Doctorum.

Sed nimirum noſtris temporibus poſt 2. tot Romanorum Pontificum conſtitutiones, & Tridentini Concilij decretum, nemo huic opinioni aſſentiri poteſt. Satis enim ſunt illa verba Concilij perſpicua, ſeſſ. 22. cap. 4. in extremo. „Nec aliis in poſterum fiat prouiſio, niſi iis, qui iam ætatem, & cęteras habilitates integrè habere dignoſcãtur: aliter irrita ſit prouiſio.“ At irregularis non habet integras, & omnes habilitates: illícque Concilium non ſolùm de dignitatibus, ſed etiam de præbendis, & beneficiis collegiatarum & cathedralium, necnon regularium Eccleſiarum decernit.

Tertium igitur in hac quæſtione po- 3. teſt eſſe controuerſum: vtrúmne ſimonię crimen in beneficio contractum, tum irregularitatem, tum ſuſpenſionem inferat. Non inferre irregularitatem multis conatus eſt probare Nauarrus, in 5. lib. conſiliorum, conſ. 35. de ſimonia: ſuſpenſionem verò non inducere probauit antè in Manuali, cap. 23. num. 111. dicto 3. At nobis potior debet eſſe ſentẽtia multorum, & principum Theologorum, quos ipſos in noſtra diſputatione de ſimonia ſecuti ſumus, qui verbis minimè obſcuris docent, ſimoniacum in beneficio eſſe ipſo iure ſuſpenſum, vt D. Thom. in 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. his verbis: „Si verò ſit ſimoniacus, quia obtinet ordinem ſimoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium ſimoniacè, vel fuit mediator ſimonię, ſi eſt publicum, eſt ipſo iure ſuſpenſus, & quoad ſe, & quoad alios: ſed, quando eſt occultum, eſt ſuſpenſus ipſo iure, quoad ſe tantùm, nõ autem quoad alios. Quamquam poſt extrauagantem Martini V. ad euitanda, promulgatam & approbatam in Concilio Conſtantienſi, non cogimur vitare ſuſpenſos, niſi poſt iudicis ſententiam aduerſus eos pronunciatam.“ In Diui

Thomæ ſententiã pedibus conceſſerunt hi omnes, Alex.Halenſ. in 2.par.q.167. memb.2.Paludanus, in 4.diſt.25.q.5.art. 1.concl.2,vbi citat D.Thomam, eiúſque verba deſcribit, tribuitque eamdem ſententiam Innocentio Turrecremata, in c. ſtatuimus, 1.q.1. num.4. ſuarum quæſt. eiuſdémque opinionis ſuffragatorem nominat Goffredum. Maior in 4.ſent. diſt. 25.q.7.vbi quęrit de pœna Simoniacorũ. Gabriel, in eamdem, diſt. q.3. Caietanus eamdem ſententiam indicat in illum articul.q.100.§. in reſponſione ad 1.Sotus in 9.de iuſt.& iur.q.8.art.2.col.1.Dionyſius Carthuſianus idem prorſus, quod D.Thomas ſcribit in 4.diſt.25.q.2. Diuus Anton.in 2.par.tit.1. cap.5.§.vlt.& in 3. par.tit.28.cap.2. ſed in 3.par. loco citato credit,ſi beneficium ſit ſimplex,& crimẽ ſimoniæ occultum, non eſſe ipſo iure ſuſpenſum, ſed ſuſpendendum.

Verùm Gloſſa vniuersè ſcribit in cap. vltimum de ſimonia, ſimoniacum non ſolùm in ordine, ſed etiam in beneficio, ſi ſciens ſimoniam commiſit, ſuſpenſum eſſe, & ſolùm à Romano Pontifice diſpenſationem impetrare poſſe: aítque ſe idem dixiſſe in caput, de ſimoniacè,eod. tit.Innocentius in caput, Tanta labes,de ſimonia, de eo qui aliquid dedit ad conſequendum beneficium, non aliter ſentit ac D.Thomas. Oſtienſis,in Summa,lib.5. & de ſimonia, §.qua pœna feriatur, totã complexus eſt D.Thomæ ſententiam,dicítque apertiſſimè ſimoniacum in dignitate,& curato beneficio eſſe ipſo iure ſuſpenſum, in beneficio autem ſimplici, eſſe quoad ſe ſuſpenſum. Panormitanus in cap. de ſimoniacè, extra de ſimonia, communi adhibita diſtinctione de eo,qui per ſcientiam, vel inſciẽtiam beneficium aſſequitur Eccleſiaſticum, in nu.7. commentarij ſcripſit, eum, qui beneficium etiam ſimplex per ſimoniam adeptus eſt, eius ſceleris gnarus,eſſe ipſo iure ſuſpenſum, nec poſſe ab Epiſcopo diſpenſari: idque probat ex cap.nobis,eod.tit.Gloſſa in idem cap. nobis, planis verbis ſcribit, cum eo, qui ſciens commiſit ſimoniam,ſolum Papam diſpenſare: ergo vel quia irregularis, vel ſuſpenſus, vel quia vtrumque,quod eſt mihi probabilius.

4. Accedamus ad iura, eſſe ſuſpenſum eum,de quo quæritur, intelligi poteſt ex capitibus, accuſatus, tanta, nobis, de ſimoniacè,tit.de ſimon.in eo enim extremo cap.citato eſt his verbis:Per prauitatem ſimoniacam reprobatus ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de iure non poteſt.Ergo vel quia eſt irregularis, vel quia ſuſpenſus, vel quia vtrumque; & 1.q.1.can. erga, inquit Nicolaus Papa, Erga ſimoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſeruanda habendam eſſe decernimus; & ead.cauſſa, q.7.can. requiritis,& qu.5.can.1. qui canones videntur non magis ſuſpenſionem quàm irregularitatem irrogare. Itaque antiqui Theologi abſolutè de ſimoniacis loquentes, eos tum irregulares, tum ſuſpenſos faciunt: ídque tamquam rem à cunctis conceſſam relinquunt.Sed litem finit Pij V. cõſtitutio,quæ incipit:Cùm primùm, edita anno 1566. ſui Pontificatus primo, ſexto Kalend.April. Nam eum, qui beneficium,vel officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus eſt, vult iis ipſo iure priuatum eſſe, & perpetuò inhabilem ad ea, verba ſunt conſtitutionis, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.

Ac licèt Nauarrus, lib.5. conſiliorum ſuorum, conſ.34. de ſimonia, in omnem partem ſe verſet, vt huic cõſtitutioni occurrar, fruſtra tamen viſus eſt laborare. Nam,quod ait, loqui de ſimoniaco conuicto, hoc verò minùs dici videtur probabiliter: nam in pœnis dumtaxat corporis conuincentem probationem exigit Pius,in pœnis verò priuationis, & inhabilitaris nequaquam. Illud item, quod ſcribit,non videri ſibi apud multos receptum ius Piæ conſtitutionis,Nauarro aſſentiri non poſſum: vel quia is iam ſumma ſenectute,in ſuíque cubiculi ſolitudine deliteſcens ægrè diſcere potuit Piæ

legis antiquationem:vel quòd non adeo
facilè ius Pontificiæ legis extinguitur:
nam & à maiore parte Chriſtiani populi,
& ipſomet Romano Pontifice,aut aſſen-
tiente, aut certè non diſſentiente, neceſ-
ſe eſt improbari:vel etiam quòd lex ipſa,
cùm ſit iuſtiſſima,æquiſſimáque ſanctio-
ne munita,ac tot ſacrorum canonum,qui
ſimoniacis vehementiſſimè indignantur,
circumſepta, à ratione valde alienũ erat
illam repudiare.

Exiſtimo igitur,Mæuium,tum irregu-
larem tum ſuſpenſum poſt liberationem
ab excommunicatione manſiſſe, eáque
re noui beneficij adeptionem irritam ex-
titiſſe.

QVÆSTIO LXV.

1. QVæſtioni enodatæ hæc altera ag-
glutinari poteſt: An is, qui per ſi-
moniacam largitionem ſacrum ordinem
mercatur,ſit ipſo iure irregularis:nam de
excommunicatione nemo addubitarit,
qui aut Martini V.conſtitutionẽ in Con-
cilio Conſtãtienſi cõtra ſimoniacos pro-
mulgatam, aut aliam ab eodem Mantuæ
ſui Pontificatus anno ſecundo editam vi-
» derit:prior incipit, multæ, poſterior, da-
» mnabile: quam ipſam pœnam infligunt
etiam extrauagãtes aliorum Pontificum,
» vt Xiſti I V. quæ incipit, & ſi Dominici
» gregis, vt Eugenij I V. cùm deteſtabile:
» vt Pauli I I. quæ incipit, eodem modo,
vt Eugenij. De quibus extrauagantibus
conſule Roſellam, in verbo, Simonia 6.
num.12. & 13. & Syluestrum, eod.tit.q.
19.& Sotum in 9.de iuſtitia,& iure, q.8.
art.2. éſtque excommunicationis cenſu-
ra Romano Pontifici reſeruata.De pœna
quoque ſuſpenſionis non diſcrepant Do-
ctores,vt Nauarrus innuit in Summa, c.
» 23. num. 115. §. ad decimum quartum:
elicírque hanc cenſuram ex ſecunda ex-
trauaganti de ſimonia, & ex cap. tanta,
eod.tit. Sotus loco citato haberi ait in ex-
trauagantibus Eugenij I V.& Martini V.
Porrò Simoniacis in ordine, ſeuero de-
creto ſuſpenſionẽ irrogat Romano Pon-
tifici reſeruatam Xiſtus V. in ſua conſti-
tutione contra clericos malè promotos,
incipiente, Sanctum & ſalutare: quam »
conſtitutionis partem Clemens V I I I.
confirmauit quadam alia ſua, qua Xiſti-
nam leniuit. Panormitanus in cap.de ſi-
moniacè, de ſimonia, num. 4. commenta-
rij,ita ſcriptum reliquit. Diſtingue ergo; »
quòd quis aut adipiſcitur per ſimoniam »
ordinem aut beneficium: primo caſu aut »
ſimonia fuit cõmiſſa eo ſciente, & con- »
ſentiente tacitè,vel expreſsè;vel ipſomet »
pecuniam dante; & tunc ſecundùm o- »
mnes ſolus Papa diſpenſat:nec etiam Pa- »
pa ſolet diſpenſare, 1.q.1.erga,& in cap. »
penult. j.eod. Quæ Panormitani verba
non ſolùm ſuſpenſionem, verùm etiam
irregularitatem præ ſe ferunt.

Quam quidem irregularitatem & ſi 2.
inficiatus ſit Nauarrus in 5.lib. conſilio-
rum conſ.35.de ſimonia,num.6. & pœna
irregularitatis, vt loquitur Sotus in q.de
iuſt.& iur.q.8.art.2.col.1.non reperiatur
in iure hoc nomine expreſſa aduerſus ſi-
moniacos, nihilominus cuncti Theologi
antiqui,qui de ſimoniacorum pœnis diſ-
ſeruerunt, de irregularitatẽ teſtati ſunt
apertiſſimè:vt Altiſiodorenſis in 3.libro
Summæ,tractat.21.in calce; ſic enim ille:
Circa tertium capitulum nihil aliud dici- »
mus niſi quòd ſimoniacus ſit irregularis »
ſecundùm inſtitutionem Eccleſiæ:intel- »
ligimus autem de ſimonia, quæ ſubiacet »
iudicio Eccleſiæ, quæ eſt in opere exte- »
riore,non de ſimonia,quæ tantùm in vo- »
luntate. Alexander Halenſ. in 2.par.qu.
167.membr.2.Scotus in 4.diſtin.25.q.1.
artic.1. vbi de pœnis ſeptem Eccleſiaſti-
cis agit. Richardus in eamdem, diſt.art.
2.q.3. his verbis: Reſpondeo, quòd ſi-
moniacus, ſiue ſit ſimoniacus propter
ordinis ſuſceptionem ſimoniacè ſuſce- »
pti, ſiue propter beneficij Eccleſiaſtici »
conſecutionem, irregularis eſt: quia tales »
iura decernunt ſine diſpenſatione pro- »
moueri ad ordines non poſſe: probat ex »
cap.

cap.meritum, diſt.33. Credit tamen parcendum eſſe ignoranti ignorantia inuincibili,quādo ab alio eſt data pecunia. Paludanus in eamd. diſt. q.5.art.1. Approbator eiuſdem ſententiæ videtur eſſe D. Thomas in 2.2.q.100.art.6.ad 7.

3. Sed duo huius opinionis fidem videntur poſſe & eleuare.

Primum eſt,quòd non inuenitur in ſacrorum canonū voluminibus certis verbis præſcriptum irregularem eum eſſe, qui ſimoniaco pretio ſacrum ordinem nundinatur. Reſpondeo, quamuis non reperiatur nomen irregularis,ſiue irregularitatis, rem tamen ipſam, & vim eius extare. Nam cùm ſacræ vociferātur ſanctiones,ſimoniacos in ordinibus eſſe,honoribus,dignitatibus,beneficiis & priuādos,& prohibendos,& nō promouēdos, an nō,quod irregularitatis eſt,deſignant?

Secundum eſt illud: quòd in Xiſti V. conſtitutione contra clericos malè promotos non habetur niſi pœna ſuſpenſionis: qua ſola Romanus Pontifex poteſt eximere, hac adiecta admonitione: Si poſt ſuſceptionem hi malè promoti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare præſumpſerint, futuros irregulares: ergo non ſunt irregulares ſimoniaci Xiſti V.iudicio,atque ſententia.

Negatur conſequentia, quia Xiſtus non propriè ſancit de ſimoniacis, quos minimè dubitaſſet eſſe irregulares, cùm ſui ordinis clariſſimus Doctor Scotus id luculentis verbis affirmet;ſed ſua conſtitutione eos percellit, qui contra ſacros canones,& præſertim Tridentini Concilij decreta promouentur. Poſſet etiam quis argumentari ex Decretali Pij V. euulgata anno poſt Chriſtum in terris natum 1566. Idibus Aprilis, cuius in ſuperiore quęſtione meminimus:illic enim ſimoniacos in ordine non perinde punit, vt eos, qui ſimoniaci ſunt in beneficiis:hos enim non obſcurè ignominia afficit irregularitatis, vt in ea, quæ antecedit, quæſtione docuimus: ergo nec ſententia Pij V. ſunt irregulares.

Reſpondeo, nullam hanc eſſe conſecutionem. Reticet Pius pœnam irregularitatis:ergo ſimoniaci non ſunt irregulares. Nam pariter colligere poſſemus, nec excommunicatos nec ſuſpenſos eſſe huius flagitij reos, ideo quòd in eadem conſtitutione de vtraque cenſura ſileret. Præterea conſentaneum eſſet, ei qui ſic argumentatur, dicere ab eodem Pio acriùs in ſimoniacos ob beneficia eſſe animaduerſum, quàm in eos,qui ſunt in ordinibus ſimoniaci: illos enim ad omnia beneficia impetranda inhabiles in perpetuum eſſe decernit.

LIBER SEPTIMVS,

DE TESTAMENTIS ET LEGATIS.

QVÆSTIO I.

De teſtamento non ſollemni.

1. QVOTIDIE, vel potiùs in ſingulos dies multa componuntur teſtamenta, obſignâtúrque, coram duobus tribúſve teſtibus, iis prætermiſſis ſollemnibus, quæ à lege imperatoria iubentur, Hac conſultiſſima, C. qui teſtamentum facere poſſunt. Quæ lex in teſtamento nûcupatiuo vult adhiberi ſeptem teſtes, eoſdémque rogatos. A pleriſque autem hæc ſolet præteriri ſollemnitas, vel quia ignoratur; vel quia non eſt in manu eius, qui teſtatur: vel, quia licèt ſeruari poſſit, nec ignoretur, putant tamen eius prætermiſſionem ſuæ ſupremæ voluntati minimè officere.

Igitur permulti diuerſis locis, ac temporibus meam de eiuſmodi teſtamentis exquiſierunt ſententiam, firma, nécne iure conſcientiæ ea haberentur, ac rata.

2. Firma ac rata reſpondi, quamuis duobus Hiſpanis Doctoribus nec abiectis, nec contemnendis, ſecus viſum ſit, Soto in 4. lib. de iuſtit. & iur. q. 5. art. 3. & Couarruuiæ, in 1. volumine ſuarum relectionum, in expoſitione cap. cùm eſſes, de teſtamentis: contra quos à nobis omni genere argumentorum acriter pugnatû eſt fermè triginta ab hinc annos, extátque in noſtris libris de contractibus perlonga diſputatio hac ipſa de re, quæ nunc in quæſtionem vocatur. Illiúſque diſputationis erit hæc tâquam ἀποσπασμάτιον, & fortaſſe retractatius. Eſt autem mihi conſtitutum quidquid iudicij de hoc genere controuerſiæ habeo, nonnullis enunciationibus teſtari.

Prima enunciatio. Teſtamentum ob 3. piam cauſſam factum præſentibus duobus teſtibus fixum & ratum habent omnes vtriuſque legis Doctores, vt affirmat Nauarrus priore volumine ſuorum conſiliorum, lib. 3. de teſtamẽtis, conſ. 11. num. 6. idque decreuit Alex. III. in cap. relatum. 1. de teſtamentis, vt id inficiari hominis ſit nec religioſi, nec de Pontificiæ legis auctoritate bene exiſtimantis.

Secunda enunciatio. Si quis in pote- 4. ſtate ſua non habet iuris ſollemnia: quia nec reperire poteſt tabellionem, nec numerum illum teſtium, quem lex præfinit,

HHHHH firmo

firmo iure conſcientiæ poteſt ſuum condere teſtamentum cum duobus teſtibus, aut tribus: hunc enim numerum, & ius naturæ & diuinum, & Pontificium probat, cui ciuile, & profanum officere non poteſt, nec debet. Quæ prima poteſt eſſe ratio huius enunciationis. Secunda ratio. Non tenet eos lex, qui legem ſeruare non poſſunt. Tertia. Non poteſt in humanis legibus plus eſſe roboris, & auctoritatis, quàm eſt in diuinis & naturalibus: ſed diuinæ & naturales, quæ aut puram probitatem non iubent, aut puram improbitatẽ non vetant, admittunt tempora, cùm quis non ſolùm poteſt, ſed etiam debet aliter agere, atque illæ conſtituunt; qualis eſt lex de non occidendo homine, de reſtituẽda alterius re, de fraterna correctione, de vitandis ſeditioſis & cõtumacibus: ergo hæc tempora multò magis admittere debet humana lex: vti eſt illa imperatoria de teſtamentis: ſed ſi tempus eſt vllum æquitate definitum, quo poſſit à lege diſcedi, eſt illud, quum nec tabellio, nec ſeptem teſtes poſſunt occurrere. Hoc igitur tempus non excludet. Quarta. Legis & Principis auctoritas tanta eſt, quantam eſſe vult populi voluntas, à quo eligitur Princeps, & poteſtatem accipit: ſed populus voluntate iuſta numquam creabit Principem, hoc eſt, communem parentem, qui iugulaturus ſit teſtamẽta firmata duorum triúmve teſtium præſentia, cùm plures haberi non poſſunt: quare legem huic populi æquæ voluntati cõtrariam Princeps condere nequit: quæ quidem ratio cuilibet prudenti exiſtimatori, vim eſt allatura.

Quinta. Princeps perinde debet agere cum multitudine quam regit, vt ſecum vellet agi, ſi vnus eſſet de multis: ſed, ſi is eſſet vnus de multis, vellet poſſe teſtari ſine iuris ſollemnitate, quando ea vti non liceret: ergo idem concedere debet populo: quæ ratio valde facilis eſt, & naturalis.

5. Tertia enunciatio. Qui per probabilem, & iuſtam iuris ignorantiam in condendo teſtamento à ſollemnitate legali recedit, teſtamentum eius valet, nec vlla lege iuſta infirmari poteſt: nam iuſta, & probabilis ignorantia, par eſt impotentiæ: ſiquidem humana volũtas nec optare, nec eligere, nec efficere poteſt id, quod non cognoſcitur: quî igitur pareat legi, quæ ignoratur?

Quarta. In qua cardo vertitur totius controuerſiæ, ſiue quis ſciat, ſiue ignoret legis ſollemnia, ſiue ſeruare, ſiue nõ ſeruare poſſit, teſtamentum quod facit, dum à iure naturæ, DEI, vel gentium non recedat, quaſi legitimum, & perfectum iure conſcientiæ tuendum erit. Primùm canonum auctoritate, deinde Doctorũ, qui de conſcientiæ iure, & de quæſtione hac ſcripſerunt, conſenſione. Poſtremò rationibus hanc enuntiationem perſuadebimus.

Alexander III. in ſua Decretali, cùm 6. eſſes, de teſtamentis, improbat conſuetudinem reſcindendi teſtamenta ſine ſubſcriptione ſeptem, aut quinque teſtium, tamquam à diuina lege, à ſanctorum Patrum inſtitutis, à generali conſuetudine Eccleſiæ alienam: & ideo contra legem ciuilem & humanam ſtandum eſſe iuri diuino, in quo ſcriptum eſt: In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum, vel, ſtet omne verbum. Matth. cap. 18. 2. Corinth. 13. Deuter. 19. & ideo vbi quis incola parœciæ coram ſuo parocho, ac duobus tribúſve teſtibus teſtamẽtum facit, eiuſmodi teſtamentum valere decernit. Ac nimirum adeò plana ſunt verba Pontificis, vt ridiculæ ſint omnes interpretationes Gloſſæ, Soti, & Couarruuiæ.

Ad canonem reſpondent nonnulli, Valet in ditione Pontificis Romani. contra. 7. Nititur iure diuino, & naturali, & Patrum inſtitutis, quibus obſequi oportet cunctos Reges & Imperatores: ergo quouis tempore, & loco, & apud omnes nationes vim obtinet. Deinde cauſſa condendi canones, non ea fuit, quòd teſtamenta ſine ſeptem, aut quinque teſtium ſubſcriptione

ptione irrita pronuntiarentur in ditione Pontificis, ſed quia contra diuinã legem, contra patrum inſtituta, contra Eccleſiæ generalem cõſuetudinem irrita pronunciarentur. Quàm igitur latè diffuſa eſt ratio canonis, tam quoque canonis ius & auctoritas peruagatur, id eſt, ad omnem ætatem, tempus, locum & gentem.

8. Quidam comminiſcuntur ſic. Loquitur canon de teſtamentis ad pia legata. Verùm interpretatio hæc nomen teſtamenti coanguſtat, & alienat à propria & natiua ſignificatione: legum autem verba, ſi ſunt propria, propriè quoque intelligi debent. Iam verò illud, quod addit Gloſſa, cui Sotus fauere videtur, fortaſſe non poſſe Papam abrogare eorum leges, qui non ad ipſius pertinent iuriſdictionem: ſic enim loquitur Gloſſ. Nec fortè poſſet tollere leges quantùm ad eos, qui non ſunt de ſua temporali iuriſdictione: hoc inquam plenum eſt temeritatis (ne grauiùs dicam) argumentum. Nam Romanus Pontifex, vbi videt Principum leges à diuina naturalíque lege abhorrentes eſſe, eas poteſt, & debet etiam caſtigare, & ſanctionibus ſuis emendare. Canon igitur Pontificis generalis eſt, & vbique vim eamdem obtinet: & beatus Gregorius, Vltima voluntas defuncti omnibus modis conſeruari debet, & habetur, 13.q.2. vltima, quo canone opprimitur opinio aduerſaria omnino. Nam teſtamentum eſt vltima voluntas, ſiue adſit, ſiue abſit ſollemnitas.

9. Teſtimonia nunc ſubiiciamus Theologorum. Diuus Anton. in 3. par. Sum. titu. 10.c.3.§.14. hæc ſcribit: Item nota, quòd cùm quis ſanus vel infirmus, qui eſt ſanæ mentis, vltimò diſponit de bonis ſuis, de quibus poteſt diſponere, per ſimplicem ſcripturam, vel verba ſolùm, non violentatus vel circumuentus, ſed liberè ſine notario, & teſtibus debitis, ſtandum eſt eius tali diſpoſitioni in foro conſcientiæ; & heredes, quibus hoc conſtat certitudinaliter, tenentur ad obſeruandum illud, etiamſi priùs per ſollemne teſtamentum aliter diſpoſuerat. Executores etiam tenentur ad hoc, ſi certi ſunt de vltima voluntate, in quantum poſſunt: & ſtatim ſubiicit canonem Gregorij, D. Antonini verba exſcribit, & ſequitur Syluester, verbo, Teſtamentum, 1.q.5.notab.4. & in verbo, Alienatio, §.13. vide eumdem in verbo, Reſtitutio.5.§.8. Adrianus in quodl.6.art.1.concl.2. egregiè hoc probat. Angelus, in verbo, Teſtamentum, §.5. & in verbo, Alienatio, 14. Ioannes Tabienſis, in verbo, Alienatio, §.15. Armilla, in verbo, Legatum, §.51. Vtriuſque iuris interpretes, qui ſunt in Principibus, multos ipſi protulimus in illa noſtra diſputatione, & communem hâc eſſe, quam nos defendimus, Doctorum ſententiam, teſtes ſunt iidem duo, qui contradicunt, Sotus & Couarruuias. Nos igitur pro communis cauſſæ defenſione argumentorum arma ſumamus.

Primum argumentum eſt Adriani 10.
quodlib.6.art.1.concl.2. his verbis ab illo explicatum. Lex iuſta, ſeu præceptum iuſtum, ſuperioris laici, aut etiam Eccleſiaſtici, ligat in foro conſcientiæ ſolùm ad metas rationis, ſeu cauſſæ finalis, quæ prætenditur: ſed cauſſa finalis ſollemnitatum poſitiuarum hæc eſt, vt doli, ac fraudes vitentur: ergo cùm hæ ſublatæ fuerint, non valde ſollicitos nos in foro conſcientiæ ſollemnia iuris humani habere debent. Ad metas cauſſæ finalis obligare præceptum auctor eſt S.Thom. in 4.diſt. 17.q.3.art.4.quæſtiunc.1.ad 5. Præcepta, inquit, iuris poſitiui non ſe extendũt vltra intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti: hæc autem eſt caritas ſecundùm Apoſtolum. Vtuntur eadem ratione penè reliqui omnes huius opinionis patroni.

Secundum. Sicut lex humana & poſitiua, famulatur legi naturali: ita obligatio ciuilis ſeu humana, apta ex iuris ſollemnitatibus ſeruire debet obligationi naturali. Ergo ſi in aliquo humano actu eſt obligatio naturalis, illam nullo modo tollet, vel minuet defectus obligationis

poſitiuæ, ſicut defectus legis poſitiuæ non minuere nec tollere poteſt legem naturalem.

11. Explano magis argumentum. Lex naturalis ſine poſitiua obligat conſcientiá: ergo obligatio naturalis ſine poſitiua eamdem deuinciet. Itaque Panormit. in cap. cùm contingat, de iureiurando, nu. 26. propoſita quæſtione de ſollemnitate ad publicam vtilitatem pertinéte, oſtendit ea ſollemnitate non ſeruata tolli quidem probationem, obligationem non item. Bartolus verò, Ripa & Alciatus, quos citat Couarruuias, rectè ſenſerunt, ſollemnitatem teſtamentariam ad probationem quidem pertinére teſtamenti, nequaquam autem ad illius ſubſtantiam.

Tertium. Iudicium coniecturale & præſumptum, cedere debet iudicio veritatis, certæque ſcientiæ: ſed cùm lex poſitiua propter defectum ſollemnitatum, pronuntiat teſtamentum eſſe nullum, id pronuntiat ſæpe ex fallaci coniectura: qua ſuſpicatur fraudem, vel dolum: ergo cùm dolus abfuit, in foro conſcientiæ, & veritatis ratum iudicabitur teſtamétum.

Quartum. Tribunal conſcientiæ, cui principali auctoritate præeſt DEVS, miniſteriali verò iuriſdictione ſacerdos, eſt ſupra omnia alia humana tribunalia: ergo & iudicia, & iura huius tribunalis ſunt ſupra reliqua omnia humana iudicia & iura: vbi ergo ab hominibus, qui ad hoc tribunal accedunt, non erunt in ſuis actis iura diuina, nec naturalia, ipſorum acta non infirmabuntur. Quare ſi teſtamentum nullum nec DEI, nec naturæ, nec Eccleſiæ ius perſtringat, in foro conſcientiæ fixum & ratum erit.

12. Quintum. Cùm perſonarum, quæ factionem non habent teſtamenti, complura ſint genera, quæ à Sylueſtro memorantur in verbo, Teſtamentum, 1. q. 3. & in nullo eorum generum reperiatur, qui ſine ſollemnitate teſtantur: ſatis nobis eſſe debet argumenti, ſi quis teſtamentum fecerit non adſcitis iuris ſollemnibus, factionem teſtamenti habuiſſe: &, quod fecit, legitimè facere potuiſſe.

Sextum. Lex eſt, inquit Panormit. in cap. ratio nulla, de præbendis, quidquid » in ratione conſiſtit: vbi ait nos poſſe ar- » gumentari à ratione naturali ſine allegatione iurium; quem ſequitur Felinus in cap. tua nos, de iureiur. & Gloſſa in cap. ego ſolis, diſt. 9. Ratio, inquit, æquiualet » canoni: & Baldus in cap. cum dilectus, de » reſcript. 1. ait rationem efficere ius: ſed ſæpe ratio nó ſolùm probabilis, ſed etiam neceſſaria ſuadet, vt teſtamentú ſit arcanum, & penè nulli cognitum ad vitanda maxima, quæ oriri poſſent, incommoda: ergo huic teſtamento, & rationi, lex imperatoria obeſſe non debet. Nam ſi ad eſſentiam legis ſpectat ratio, & ratio rationi aduerſari non poſſit, nec item lex aduerſari poterit.

Septimum. Duo Petrus condidit teſtamenta, vnum ſollemne, ſed non vltimum: alterum vltimú, ſed non ſollemne: quæro vtri ſtandum putes? ſi non ſollemni, quia ſupremam habet defuncti voluntatem, & ſolùm eſt teſtamentum, non imperitè iudicabis: ſi ſollemni, perperam ſtatues: illud enim vocem tantùm retinet inanem teſtamenti ſine re: quia voluntatem nó gerit vltimam teſtatoris: ſi dices, neutri: hoc nimiùm eſſet inhumanum, & ab æquitate diſiunctum.

Quinta & poſtrema enuntiatio. Re- 13.
ſponſum hoc noſtrum, nec noſtrum tantùm, & recens, ſed antiquum & Imperatorium eſſe, ex iis quæ M. Tull. & Plinius Secúdus prodiderút, ſciri poteſt. M. enim Tull. in orat. pro Aulo Cæcinna, de iure Teſtamenti, verba faciens ad iudices, ad eius firmitatem ſatis eſſe demonſtrat teſtatoris voluntatem habere perſpectam: *Quæ*, inquit, *ſi tacitis nobis intelligi poſſet, verbis omnino non vteremur: quia non poteſt, reperta ſunt: non quæ impediant, ſed quæ indicent voluntatem.* Plinius verò, in epiſt. ad Caluiſium, quæ ſeptima eſt in 5. lib. epiſt. eius, loqués de teſtam. non ſolemni. Hoc, » inquit, ſi ius adſpicias, irritum; ſi defun- » cti voluntatem, ratum, & firmum eſt: »

mihi

» mihi autem defuncti voluntas (vereor
» quam in partem, quod dicturus ſum, iu-
» riſconſulti accipiant) antiquior iure eſt, &
» in 2. lib. Epiſt. epiſtola 16. quæ eſt ad
» Annium, hoc ipſum planiùs effert. Tu
» quidem pro certa tua diligentia admo-
» nes me codicillos Aciliani, qui me ex
» parte inſtituit heredem, pro non ſcriptis
» habendos: quia non ſunt confirmati te-
» ſtamento; quod ius nec mihi quidem
» ignotum eſt; cùm ſit iis etiam notum qui
» nihil aliud ſciunt. Sed ego propriam
» quamdam legem mihi dixi, vt defuncto-
» rum voluntates, etiamſi iura deficerent,
» quaſi perfectas tuerer: conſtat enim co-
» dicillos iſtos Aciliani manu ſcriptos: li-
» cèt ergo non ſint confirmati teſtamen-
» to, à me tamen, vt confirmati obſerua-
» buntur.

14. Ad Traianum verò Imperatorem Plinium de maximis controuerſiis retuliſſe ex epiſtolis Traiani ad Plinium, & Plinij ad Traianum perſpici poteſt, quæ extant in 10. lib. ex quibus epiſtolis apparet prouinciam Bithyniam Pontúmque pro conſulari iudicio à Plinio adminiſtrata eſſe, forúmque Niceæ egiſſe: vt facilè iudicari poſſit Plinij ſententiam de teſtamento non ſolemni Imperatoris reſponſum extitiſſe.

Rationem hác Plinij laudabiliter imitantur Veneti, qui ſibi inſtituta, leges & Remp. mira æquitate conſeruarũt. Quotidie enim apud eos teſtamenta, quæ ſola teſtatoris manu eſſe conſtat, Principis auctoritate, confirmantur, & conualeſcunt.

QVÆSTIO II.

1. H. Puer tredecim annos, & quattuor menſes natus, cupit ſuorum bonorum certum inſtituere heredem.

Quæſitum eſt, facere ne id ei liceat: &, ſi fecerit, valiturúm ne ſit teſtamentum. Conſultus reſpondi id ætatis puero nullam factionem eſſe teſtamenti, niſi Principis auctoritate: Nam, vt eſt in l. 3. de teſtamentis primo.
Teſtamenti factio »
non priuati, ſed publici iuris eſt: ideòque »
forma eius priuatorum pactis non lædi- »
tur. »
Cùm igitur ex lege, Qua ætate, de teſtamentis primo, & ex l. ſi frater patruelis C. eodem, & lex ſecunda, C. quando prouocare non eſt neceſſe, & in inſtitut. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum, §. præterea, in eo, qui teſtaturus eſt, 14. annorum ætas qui completi ſint, exigatur, conſequens eſt, ius faciendi teſtamentum ei non eſſe, qui non 14. annum exegerit.
Non poſſunt, inquit Impe- »
rator in eo §. præterea, impuberes teſta- »
mentum facere, quia nullum eorum ani- »
mi iudicium eſt. »

Eadem de re eſt ab Vlpiano lex perſcripta huiuſmodi:
Qua ætate teſtamen- »
tum, vel maſculi, vel fœminæ facere poſ- »
ſint, videamus. Et verius eſt, in maſculis »
quidem quartumdecimum annum ſpe- »
ctandum; in fœminis verò duodecimum »
completum. Vtrùm autem exceſſiſſe de- »
beat quis decimum quartum annum, vt »
teſtamentum facere poſſit, an ſufficiat »
compleſſe? Propone aliquem Calendis »
Ianuariis natum, teſtamentum ipſo natali »
ſuo feciſſe quatuordecim ann. an valeat »
teſtamentum? Dico valere. Plus arbitror, »
etiamſi pridie Calendarum fecerit poſt »
ſextam horam noctis, valere teſtamẽtum. »
Iam enim compleſſe videtur annum »
quartumdecimum, vt Martiano videtur. »

Sed nimirũ quod Vlpianus ſentit de eo, qui natus eſt Calendis Ianuarij, & pridie Calendarum poſt ſextam horam noctis teſtamentum fecit, teſtamentum ipſum valere, non ſatis cohæret cum codicis legibus, quæ recitatæ ſunt: nam hæ quatuordecim annorum numerum abſolutum perfectúmque requirunt.

Et tamen Vlpiani ſententia mihi improbanda nõ videtur, cùm magna æquitate nitatur, quam in Dei, & conſcientiæ foro ſolemus collineare, & ſequi. Quid enim ſi reliqui ſpatij 14. annorum, horas aut dormiendo, aut in popinis, lu-

ſtriſque conſumpſerit? idcircóne plus iudicij in teſtando fuerit aſſecutus?

QVÆSTIO III.

1. AVir nobilis, linguæ manuúmque orbatus muneribus, cupiebat vxori ſuæ quinque millia aureorũ nummûm legare, quod ſibi credit lege haudquaquã permitti. Hic antequam voce & motu manuum priuaretur, teſtamentum inchoauit, illúdque vſque ad heredis inſtitutionem perduxit; illícque ſcribendo ſubſtitit.

Ex hoc genere hæ tres exiſtunt difficultates. Prima. Num teſtamentum hoc nondum perfectum verè ac iure conſcientiæ valeat. Secunda. Vtrùm ſummam illam pecuniæ queat vxori relinquere. Tertia. Quam rationem ſua bona diſpenſandi, ac de iis ſtatuendi inire poſſet, quæ rata, ac legitima foret. De prima quæſtione dicendum eſt, teſtamentum non fuiſſe irritum: propterea quòd teſtator, dum ius retinebat teſtandi, teſtamentum conſcripſit: Deinde, quia licèt imperfectum videatur teſtamẽtum, quia caret quibuſdam rebus extrinſecis, & ſolemnibus minimè neceſſariis. Nihilominus perfectũ exiſtimari debet, quia quod ad intimam teſtamenti rationem pertinet, quæ eſt heredis inſtitutio, in teſtamento nequaquam deſideratur.

2. Atque hoc noſtrum reſponſum eò verius eſt, quòd res, de qua quæritur, Venetiis contigit: in qua ciuitate quotidie eiuſmodi teſtamenta auctoritate Principis conualeſcunt. Namque eius ciuitatis Patricius Benedictus Georgius, vir honeſtiſſimus, atque excellenti virtute præditus, mihi confirmauit, clarum in illa republica aduocatum & oratorem, cui nomen erat Philippus III. ſua manu ſcripſiſſe teſtamentum, ſolis his verbis contenium: *Albertus III. nepos mihi heres eſto*: nec verbum quidem addidiſſe. Vbi teſtatoris agnita eſt manus, hereditatem Philippi heredi adiudicatã eſſe. Quòd ſi donatio mille aureorum quamuis inſinuationem non habeat, non ideo tota eſt irrita: nam ex dimidio rata habetur, quoniam vtile per inutile non vitiatur: quantò magis teſtamentum, in quo heredis eſt inſtitutio, quæ intima forma eſt teſtamenti, valere debebit ſine ea parte, quæ extrinſeca tantùm, & non neceſſaria aſſumit?

Secundæ quæſtioni reſpondendũ eſt; 3. iure Ciuili & Pontificio donationem inter virum, & vxorem, ſi pura ſit, prohibitam eſſe, ne nimio capti amore, ſi inter ſe donant, alteruter ad inopiam redigatur: illæ verò permittuntur donationes, quibus neuter fit ditior, aut pauperior. Videnda eſt Decretalis Gregorij IX. quæ incipit, Donatio. de donation. inter virum & vxorem. & lex prima, ff. eodem. Panormitanus, in eam Decretalem commentarij numer. 7. eam donationem admonet dici puram, quæ à ſola manat liberalitate, à nulla præterea cauſſa honeſta, ac iuſta. Itaque donatio remunerandi & compenſandi cauſſa, nõ eſt interdicta. Id promptum eſt ex lege, Quod autem. ff. de donation. Quapropter ſi plebeius nobilem feminam in matrimonium duceret, poſſet ei ante inita fœdera nuptiarum conſtituere dotem, vt eidem donaret poſt contractum matrimonium. Id quod affirmat Bartolus, in l. ſi diuortio. ff. de verbo. obligat. quem ferè alij ſequuntur. Ergo ſi Patricius teſtator cauſſam idoneam reperire poteſt, quæ in compenſationem remunerationémve incidat, donare vxori poterit, quod is optat.

Præterea ſi cupit incommoda vitare 4. donationis, eidémque firmitudinem addere, iureiurãdo illã ſanciat: religio enim iuriſiurandi ratam facit. Et quamuis Bartolus, in l. 1. ff. de donation. neget iureiurando firmari eiuſmodi donationem: quia ad linquendum inuitarentur, nihilominus ad ea ſe refert quæ ſcripſit in legem, ſi quis pro eo. ff. de fideiuſſ. vbi concludit donationem hanc valere, idémque

docet

docet in legem Seius & Augerius. ff. ad legem Falcidiam. Syluester, in verbo, donatio 2. quæſt. 4. pro hac ipſa opinione alios citat Doctores. Panormitanus, in cap. donatio. de donat. inter virum & vxorem, num. 7. teſtatur hanc eſſe opinionem communem, quæ ipſa ſatis perſpicuè confirmari videtur ex Decretali, cùm contingat, de iureiurando, modò iuſiurandum præſtitum ſit ſine vi, & dolo, ſed ſponte, nec in alterius præiudicium redundet, ne vergat in diſpendium ſalutis æternæ: quæ exceptiones ſunt eiuſdem Decretalis. Neque obſtat illa regula iuris in 6. *Non eſt obligatorium quod contra bonos mores eſt præſtitum iuramentum:* quia ea regula locum habet in moribus naturalibus, nõ ciuilibus, vt ait Panormit. in illud cap. cùm contingat, de iureiurando, aliique Doctores non pauci. Panormitanum autem ad confirmandum hoc genus donationis, de quo ipſi diſputamus, adducit Syluest. in verbo, Donatio, 2. quæſt. 4.

5. Donatio item pura confirmatur morte donatoris, ſi is in eadem voluntate perſeueret. Poteſt etiam nobilis ille nomine legati, & fideicommiſſi relinquere vxori ſuæ, quantùm volet, legato ſeu fideicommiſſo annuens: Nam nutu legata, & fideicommiſſa, quæ omnino exæquat lex 1. ff. de legat. & fideicomm. inſtitui, & firmari certum eſt. Nutu fideicommiſſum relinqui poſſe adhibitis teſtibus nulla dubitatio eſt, inquit lex, & in epiſtola C. de fideicomm. vbi Gloſſ. nota legata nutu relinqui vt hic, & ff. de legatis 2. l. cùm proponebatur, in fine, & de legat. 3. nutu. Vbi ſic lex. Nutu etiam relinqui fideicommiſſum, dummodo is nutu relinquat, qui & loqui poteſt, niſi ſuperueniens morbus ei impedimento ſit: quoniam, vt interpretatur Gloſſa, à natiuitate ſurdus, & mutus non poteſt. At hic Patricius non ab ortu, ſed à morbo factus eſt mutus.

6. Baldus, in l. illam codicis, & in epiſtola numer. 4. hanc atque his verbis quæſtionem adfert. Modò quæro. Teſtator fuit interrogatus hoc modo: Relinquis tu bona tua vxori? Ipſe nutu conſenſit: an valeat; & videtur quòd non: quia iſta eſt heredis inſtitutio, quæ non poteſt fieri nutu: vt ff. de heredibus inſtituendis l. his verbis. Contrarium dico: quia per deficientem ſolennitatem reputatur fideicommiſſum relictum ab inteſtato; vt res valeat, & non pereat: vt eleganter notatur in l. quoties ſup. familiæ erciſcundæ.

Tertius nodus in expediẽdo propriam diligentiam non requirit: ideo quòd primis duabus quæſtionibus enodatiùs explicatis, tertia latere non poteſt.

QVÆSTIO IV.

N. Nonnullarum cohortium præfectus, per fines quarumdam communitatum iter faciens, earum agris & vicis damno fuit.

Moriturus eiſdem communitatibus certas pecunias legat ab heredibus quotannis ſoluendas: legaſſe idcirco creditur, vt ea re damna communitatibus data reſarciret: ſuæque animæ ſaluti proſpiceret. Illa ipſa communia, ſiue tempore legati, ſiue pòſt, à fide Christiana, nonnulli etiam ſui Principis, defecerunt. 1.

Quærunt heredes demortui præfecti, cùm eorum, qui ſunt perduellionis rei, bona ipſo iure ſint fiſco adiudicata, poſſintne cum Principe decidere, vt certa ſumma pecuniarũ contentus conſequentium annorum ſummas, quæ ſoluendæ Catholicis communitatibus fuiſſent, iis remittat. Illud etiam ſcire cupiunt heredes, num communitatibus redeuntibus ad diuini humaníque Principis fidem, onus reuiuiſcat, eaſdem pecunias, de quibus cum Principe tranſegiſſent, perſoluendi. Reſpondi, ſatis obſcurè proponi quæſtionem ab hæredibus, & multa ab iis eſſe præterita, quæ planiùs explicatori quæſtionis ſubiicienda erant. Nihilominus de tota controuerſia, quid mei iudicij ſit, paucis indicabo.

Sentio

2. Sentio igitur, eum, qui rectè iudicare hac de re volet, non ad culpam delicti, non ad leges, quæ perduellionis reis rerũ ſuarũ dominium adimunt, animum aduertere debere, ſed ad genus legati: quod quidem legatum ſi ad pietatem ſpectat, neque à ciuili, neque ab Eccleſiaſtico fiſco vindicari poteſt; ſin legatum politicum tantùm eſt, & à communitatibus propter hæreſis crimen auferendum, illud non ad Principem ſæcularem, ſed ad Eccleſiaſticum fiſcum pertinere (ſalua tamen contraria conſuetudine, ſi in nonnũllis locis vigeat, & ſit iuſtè pręſcripta.)

Quinam autem ſit hic fiſcus, copiosè & ſubtiliter diſputat Ioannes Tabienſis, in ſua Summa, verbo, Hæreticus, num.7. ſeu quæſt. 6. ex ſententia Doctorum, & ex recentibus Romanorum Pontificum ſanctionibus: quibus eſt antiquius ius canonum commutatum, & valde correctum. Si verò legatum nec eſt, nec dici poteſt pium, ſeu ad piam cauſſam, nec propter læſam maieſtatem diuinam, ſed humanã, illud communitates amiſiſſent, adipiſci poſſet princeps ſæcularis: ſiue autem id fiſcus ſæcularis ſiue Eccleſiaſticus conſequatur; communitates ad fidem reuertentes illud non recuperarent, niſi Principis ſæcularis, aut Eccleſiaſtici benignitate.

Illud etiam addiderim, ſi in bonorum hæretici hominis adeptione, fiſcus ſit ſolus inquiſitor, vt probat Tabienſis, partem huius legati non perinde heredibus remittere poſſe, vt poſſet princeps laicus: nam hic ſuorum bonorum, quæ iure ciuili cenſentur, Dominus eſt, inquiſitor non item. Atqui hæc dixerit, qui fraudem capitalem communium cogitarit.

3. Qui verò ſpeciem legati inſpexerit, in aliam ſententiam omninò ducetur, exiſtimabitque, quod item ipſi exiſtimamus, legatum à duce armatorum communitatibus datum, vt ea res ſibi apud Deum præſidio, ac ſaluti foret, ob læſam poſtea maieſtatem ſeu humanam, ſeu diuinam minimè interiſſe, caducúmve effectum eſſe, ſed etiam nunc vigere, nec à ſæculari Principe occupari poſſe, neque cum eo de legato tranſigi poſſe: verùm Romani Pontificis, vel Epiſcopi auctoritatem in vſum alium conuerti poſſe, ac debere, triplici hypotheſi eſt hæc ſubnixa ſententia.

Prima eſt, quòd huiuſmodi legatum in iis legatis, quæ ad pias cauſſas fiunt, numerari debet: ſtatuunt enim Doctores ea » legata dici propriè ad pias cauſſas, quæ » vel Dei, ſanctorúmve honorem, aut ani- » mæ ſalutem intuentur. Syluester, in ver- » bo, Legatum, 4. quæſt.1. Angelus, eod. tit. 2. quæſt. 1. Tabiena, eod. tit. 2. Armilla, eod. num. 44. Panormitanus, in c. relatum, 1. de teſtam. numer. 7. Dicuntur, » inquit, relicta ad pias cauſſas omnia, quæ » relinquuntur pro anima; citátque Gloſ- » ſam ciuilē, & Bartolum, in l. ſi quis Titio. ff. de legatis 2. Ad hæc concludunt Doctores, relicta pro malè oblatis eſſe relicta ad pias cauſſas. Syluest. legatum, 4. quæſt. 2. Ang. eod. tit. 2. quæſt. 1. Tab. eod. tit. 2. quæſt. 2. citántque Ioannem Andr. in additionibus ad ſpeculum, de inſtrumentorum editione, addúntque legatum etiam factum diuiti, poſſe re ipſa ſpectare ad pias cauſſas, ſi pro reſtitutione fiat malè ablatorum. At in noſtra quæſtione affirmatur militum præfectum illo legato perpetuo, quod heredibus impoſuit, & ſaluti ſuæ conſulere voluiſſe, & legi reſtituendi bona iniuſtè ablata ſatisfacere.

Secunda hypotheſis. Relicta ad pias 4. cauſſas, eodem priuilegio quo Eccleſiæ gaudent: ſic enim Panormitanus eo loco, quem indicauimus. Ex dictis Innocentij collige, quòd relicta ad pias cauſſas gaudent eodem priuilegio cum relicto facto Eccleſiæ. Sicut ergo nullus laicus interuertere poteſt, aut ſuo iure conſequi relictum Eccleſiæ, ſic nec quodlibet legatum pium vendicare. Quod docet Panormit. ex Innocentio. hoc ipſum tradunt Syluester, in verbo, Legatum in 4. num. 5. Angelus, in verbo, Legatum 2. nu. 4. Armilla, in verbo, Legatum, num. 48.

Tertia

Tertia hypothesis. Quando legatum, aut de facto, aut de iure impleri nequit, commutari debere Eccleſiaſtica auctoritate in alium vſum docent hi omnes, Sylueſter, in verbo, Legatum 4.q.10. Angelus, eod.tit.2. num.12. Tabiena, eod.2.q.10. Armilla, eod.num.54. qui omnes ſuæ ſententiæ auctorem dilaudant, & ſequuntur Angelum Peruſinum. Legatum à cohortium præfecto communitatibus delatum, impleri poſſet de facto: nam fingimus adeſſe pecuniam, & adeſſe, qui ſoluere poſſint. Sed obſtat ius, quod recipiendi legati ius adimit communitatibus, quæ à fide Chriſti, aut ſui Principis deſciuerunt. Ergo ſubeſt cauſſa cur auctoritate ſua poſſit Epiſcopus in vſum alium commutare. Quare heres cum ſuo Epiſcopo aut Summo Pont. de commutatione agat.

5. Sequitur vt nonnulla huc argumenta conferamus noſtræ opinioni ſanè contraria: &, quoad noſtri facultas feret ingenij, diluamus.

Prima ratio. Legatum, de quo diſputatum eſt, non habet pietatem: ergo non poteſt eſſe ad pias cauſſas. Probatur antecedens. Nam pietas propriè Dei cultus intelligi ſolet, inquit Auguſtinus lib.10. de ciuit. D E I, cap.1. ſed Dei cultus non dicitur ex comparatione ad homines, ſed ad Deum: ergo cùm legatum relatum ſit ad communitates hominum, non dicetur pium.

Reſpondeo pietatem dupliciter vſurpari, vno modo, more vulgi; altero, more Theologorum. More vulgi, ſcribit in eodem loco Auguſt. nomen pietatis etiam in operibus miſericordiæ frequentatum: quod ideo arbitror euenire, quia hæc præcipuè fieri mandat D E V S; eáque ſibi pro ſacrificiis, vel præ ſacrificiis placere teſtatur; ex qua cōſuetudine factum eſt, vt Deus ipſe pius dicatur. Et quia ſacri canones ſe ad familiaris ſermonis conſuetudinem demittunt, legata pia eſſe decernunt, quæ aut ſalutē animæ, aut egentium ſubſidium intuentur.

More Theologico, pietati duplex ſubiecta eſt notio: Nam & pietatem, quæ eſt virtus, & eā, quæ Spiritus ſancti donum eſt, ſignificat. Pietas, quæ eſt virtus, pars eſt iuſtitiæ, vt auctoritate M. Tullij probat D. Thom. in 2. 2. q.101. art.3. reſpicitque principium eſſendi, & gubernationis in iis, quos colimus, qui eſt D E V S, ſunt parentes & conſanguinei, & patria, ex eodem D. Thoma, & in ead. 2.2. q.121. art.1. ad 3. diſtinguens donum pietatis ab eadem, vt eſt virtus, ſic loquitur.

» Sicut per pietatem, quæ eſt virtus, homo officium & cultum non ſolùm patri carnali, ſed etiam omnibus ſanguine iunctis, ſecundùm quod pertinēt ad patrem: ita etiam pietas ſecundùm quod eſt donum, non ſolùm exhibet cultum, & officium D E O, ſed etiam omnibus hominibus; in quantum pertinent ad Deum: & propter hoc ad ipſam pertinet honorare ſanctos, non contradicere Scripturæ ſiue intellectæ, ſiue non intellectæ, ſicut Auguſt. dicit cap.7. in 2. de doct. Chriſtiana, ipſa etiam ex conſequenti ſubuenit in miſeria conſtitutis. Quare ex his verbis D. Thom. cognoſcimus legata ad pias cauſſas, quibus egeſtati aliorum ſuccurritur, ſpectare ad pietatem Theologicam, quæ eſt donum. Ac nimirum credendum eſt, præfectum, cùm reliquit eam vim pecuniæ communitatibus, pauperibus earundem communitatum relinquere præcipuè voluiſſe, quandoquidem id genus reſtitutionis requirebat; quæ, cùm eſſet propter incertorum bonorum ablationē, cui Chriſtus ſuccedit, pecunias ad egentes transmittebat.

Secundum argumentum. Nullus legare poteſt rem alterius, & non ſuam: ergo nec ille præfectus militum legare potuit ea bona, quorum non erat ipſe dominus. 6.

Dupliciter reſpondeo. Primùm dico falſum eſſe antecedens, in legatis bonorum incertorum, quorum ignoratur Domini: & cùm legans ab ſe dimouet onus reſtituendi: nam, quemadmodum qui

eleemoſynam facit, de ſuo facere debet; & nihilominus de non ſuo facere tenetur, cùm reſtituere debet incerta bona; ſic legare quis cùm volet, leget ſua, cùm verò legando reſtituere conatur, aliena legare ei licet. Deinde reſpondeo, antecedens de iure ciuili falſum eſſe, cuius auctoritate rem alienã legare permiſſum eſt. Namque ſui heredis rem legare teſtatori licitum eſt, vt Doctores probant ex l. vnum ex familia. §. ſi rem. ff. de legatis 2. in quem §. ſic Bart. ſi teſtator legat rem heredis, vt ſuam, valet legatum: nec ſolùm heredis rem, ſed planè alterius, dummodò teſtator alterius eam eſſe ſciat, legare poteſt: non poſſet autem, ſi putans rem eſſe ſuam, eam legaret, vt eſt in l. cùm rem alienam. C. de legatis. Cuius legis hæc ſumma eſt ex Alexandro iuriſconſulto, legatum rei alienæ ſcienter factum valet: ſed ignoranter factum non valet: niſi ſit factum coniunctæ perſonæ vel vxori, ſeu alij, cui veriſimile eſt teſtatorem voluiſſe legare, ſi ſciuiſſet.

7. Vtrùm autem valeat legatum de re aliena, iure Canonico diſputatur à Panormitano copioſiſſimè in cap. filius, de teſtamentis, tandémque concludit iure Canonico ac Theologico nõ valere, tametſi fatetur, penè omnes Doctores, aut nullum, aut exiguum diſcrimen conſtituere inter ius ciuile & canonicum, in hac forma legati, Quare, inquit ille, in iudicio multùm dubitarem, quæ opinio eſſet ſequenda, ſed in ſcholis audacter tenerem primam opinionem, quam ſenſit Gloſſa in principio, & eam publicè tenui in rep. c. cùm eſſes, inf. eod. Sed nimirum in Gloſſis non reperio opinionem Panormitani, ſed contrariam, niſi apud eum ſint Gloſſæ ſummæ capitũ, quæ ſemper Gloſſis antecedunt. Sanè Gloſſa can. ſi Epiſcopus, 12. q. 5. non reprobat ius ciuile, quod profert, ex inſtit. de legat. §. non ſolùm, niſi cùm res Eccleſiæ legatur, vbi Archidiaconus ſentit cum Gloſſa. item Innoc. in c. filius, de teſtam. & in idem cap. Oſt. qui tradit rem alienam, quæ legata eſt, tam iure Canonico quàm Ciuili, imò, addamus nos, naturali, & diuino, & omnium gentium, eſſe domino ſuo reddendam, quamuis æſtimationem huius heres præſtare debeat legatario. Ioann. Andr. citat, & ſequitur, quod dicit Oſt. Butrius, in idem cap. credidit illa Decretali Greg. IX. non fuiſſe ius ciuile reuocatum, ſeu ſublatum, aut correctum: admonétque duo, primùm placere ſibi opinionem Innocentij, qui rem Eccleſiaſticam legatam alteri dixit eſſe reſtituendam; nec ideo aliquam poſſe legatarium æſtimationem ab herede extorquere, quamuis hac de re ſecus exiſtimauerit Oſt. cui aſſentiri videtur Ioan. Andr.

Secundum monitum Butrij eſt, rei alienæ legatum ad pias cauſſas factum ab ignorante, & credente rem eſſe ſuam, eſſe nullum, ex ſententia Doctorum, neque piam cauſſam in hac parte iure exæquari cum coniuncta perſona. Ioan. Imola, in illud cap. num. 9. ſequitur opinionem Panormitani, quæ etiam eſt Gloſſæ ciuilis in l. cum rem alienam. C. de legatis: iure Canonico non valere legatum rei alienæ. Cynus, in l. cum rem alienam. C. de leg. ex ſententia cuiuſdam Petri, dixit legatum rei alienæ ſcienter factum à legante valere in præiudicium heredis, ſed non veri domini: & hanc quæſtionem vult à Greg. IX. tractari in cap. filius de teſtam. Baldus, in l. cum rem alienam, ſecutus eſt Oſt. vt teneat legatum rei Eccleſiæ, excepta Romana Eccleſia; quo caſu tenebitur heres ſoluere pretium rei legatæ: opinio tamen Innocentij eſt communior, vt res Eccleſiaſtica legari non poſſit, ſed rem alterius poſſe credunt etiam Principes Summarum conſcientiæ ſcriptores, vt Syluester, in verbo, Legatum, 3. quæſt. 2. vbi refellit Panormitanum, & quæ ab aliis Doctoribus contrà dicuntur, affirmat in omni foro indubitanter tenenda eſſe, & Angelus, in verbo, Legatum, 1. num. 24. quia credi debet, cùm rem teſtator legauit alienam, voluiſſe, vt heres, vel eam redimeret de domino: vel certè eius 8.

Digitized by Google

eius pretium ſolueret, ſi fuerit domino vero reſtituenda.

9. Summa Roſella, in verbo, Legare, idem ſequitur in principio narrátque factum, quod cùm ille hac de re ſcriberet, contigit. Nam quædam mulier veſtem ſoceri cuidam monaſterio pro animæ ſuæ ſalute legauerat: quærebatúrque, num valeret legatum. Ipſe reſpondit valere. Ioannes Tabien. in verbo, Legatum, tit. primo, num. 23. idem tenet quod Angelus iiſdem verbis. Quid ſi teſtator legaret fundum; quem per quinquennium conduxerat? Heres ſoluet legatario penſionem quinquennalem, nihil præterea. Quid, ſi legauit rem aut depoſitam, aut pignori oppoſitam, aut commodatam? Intelligetur locaſſe tantumdem iuris, quantum in ea re habebat. Quid, ſi rem ſacram vel Principis? legatum eſt nullum. Quid ſi rem alienam putans eſſe ſuam, extraneo? legatum nullum, niſi res eſſet heredis. Quid ſi coniunctæ perſonæ vt vxori, & alij conſanguineo, cui tantum de ſuo erat legaturus, ſi ſciuiſſet? valet. Quid ſi alienam ſciens eſſe alienam, cùm legat? valet legatum, & heres aut rem redimet à domino vero, aut pretium ſoluet pro legatario.

Hæc omnia valere in vtroque foro tradunt principes canonum interpretes, & quos citauimus ſummarum conſcientiæ auctores.

10. Quid ſi ad heredem ex redemptione rei alienæ, vel eius æſtimatione ingens damnum peruenturum eſſet, quo damno noluiſſet teſtator eum affici? non teneretur redimere, aut pręſtare æſtimationem, vt ſentit Oſtien. & alij permulti, & in hoc Decretalis fauet heredi. In qua Decretali illa verba, ſed quia lege Dei, non autem lege huius ſeculi viuimus, hanc vim habent ex interpretatione Innocentij, Oſt. Ioann. Andr. id eſt, quia res Eccleſiæ non eodem iure quo res prophanæ cenſentur. Neque voluit Gregorius hoc ſignificare, non eſſe viuendum iure Ciuili, quo tota Eccleſia vtitur, ſed in cauſſis rerum Eccleſiaſticarũ iure Canonico vtendum eſſe, vel potiùs iure recto, & vero, & ad normam iuſtitiæ naturalis, & diuinæ expreſſo, ſiue illud ſit Eccleſiaſticum, ſiue Ciuile. Ius autem vtrumque prohibet rerum Eccleſiaſticarum alienationem.

Atque hæc dicenda videntur, ſi communitates poſt legatum deliquerunt. Sed à conſulente hoc item additum eſt, ad cauſſam legati de quo adhuc diſputatum eſt.

Quid ſi communitates tempore legati 11.
tum à fide Catholica, tum à ſuo Principe deſciuerant? Vter fiſcus eorum bona occupabit, ſi legatum fuit caducum? & num dicendum ſit fuiſſe caducum? Reſpondeo, legatum factum hæretico eſſe caducum: ac, ſi loquamur de bonorum certorum dominio, quod ex legato ad communitates perueniebat, ſi fuiſſent Catholicæ, & in fide ſui Principis manſiſſent, illud occupatum iri à fiſco Eccleſiaſtico; propterea quòd iudex defectionis diuinæ iudici humanæ debet ſine dubio anteferri, ſicut læſio maieſtatis diuinæ, læſioni humanæ maieſtatis quouis iure debet anteponi.

Hoc planè ſentit Geminianus in c. cùm ſecundùm leges, de hæreticis lib. 6. quem ſequitur, & citat Tabienſis, in verbo, Hæreticus, quæſt. 7. ſic enim ille: Occupatio bonorum eſt acceſſorium ad ſententiam damnationis, quod eſt principale; & acceſſorium diiudicatur ſecundùm principale, c. acceſſorium, de reg. iuris, ſed illud crimen eſt merè Eccleſiaſticum. Vnde in d. c. vt inquiſitionis, prohibetur iudici ſæculari, ne iudicet ſuper hoc, nec quoquomodo cognoſcat: ergo occupatio iſtorũ bonorum pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum. Reſtitutioni autem incertorum bonorum quoniam ex Theologorum ſententia ſuccedit Chriſtus, & pauperes, parcere debet vterque fiſcus: neque enim quæ alio & proprio quodam iure Chriſti erant, poſſunt ipſi interuertere. Quare heredes ob legatum, ſeu reſtitutionem incertorum bonorum,

obnoxij ſunt pauperibus, atque iis legatas pecunias diſtribuere debent.

Ita mihi Paulo Comitolo de tota hac controuerſia videtur.

QVÆSTIO V.

IN his duobus legatis quid iuris ineſſet, è me cognoſcere voluerunt nonnulli.

1. Primum eſt huiuſmodi. Anus non obſcura, decedens, certæ domus ſuæ locandæ mercedes annuas legat feminis è ſua ſtirpe nupturis, agnatione & gentilitate extincta aliis extra familiam collocandis mulieribus. Quindecim ipſos annos conductæ domus fructibus dos eiuſdem familiæ feminis confecta eſt. At multis annis improbis artibus eius, qui demortuæ voluntati morigerari, eiúſque mandatum de dotalibus penſionibus diuidundis exhaurire debebat, deſitum eſt fieri partitionem aliquam. Vnica eſt familiæ ſuperſtes: quæ cupit nubere: petítque fructus pro dote omnes, qui annos multos collecti ſunt.

De iure acriter apud iudices diſceptatum eſt: duæque ab duobus iudicibus contrariæ manarunt ſententiæ.

Prima duorum annorum dumtaxat penſiones adiudicat mulieri. Secunda, omnes omnium annorum; quibus non ſunt cuiquam attributæ. Tertius delectus eſt iudex, & veluti arbiter, totiúſque controuerſiæ poſtremus diſceptator: hic nihil in alterutram partem ſtatuere ſe velle dicit, niſi de cuiuſdam Sacerdotis religioſi ſententia. Sacerdos conſilij capiendi cauſſa ad me accurrit. In dando autem conſilio hæc eſt à me explicata ſententia.

2. Primùm reſpondi hoc de genere in iudicio forenſium cauſſarum, & Dei non poſſe, nec debere diſcrepantes eſſe ſententias, cùm nō agatur res in alterutro foro coniecturis; ſed in vtroque foro exploratum ſit factum: nec iuſtitia diuidi poſſit, cùm ſit vna. Deinde admonui, legati ſpeciē mihi eam videri, quæ ad pias cauſſas pertinet: nam cauſſam eſſe piam dotem, & id, quod pro dotādis puellis relinquitur, conſenſione Doctorum firmatum eſt. Conſule ſummarum auctores, in verbo, Legatum, vbi diſſerunt de legatis ad pias cauſſas, qui ſequuntur & citant Bart. l. 1. ff. ſoluto matrimonio: & Doctores in c. vlt. de feriis. Poſtea docui id, quod iuris humani & diuini ſapientia viri excellentes præcipiunt, piorum legatorum interpretationem è mente, ac voluntate legantium petendam eſſe.

Tribus his iactis fundamentis primi iudicis quàm ſecundi multò magis cenſui laudandam eſſe ſententiam. Primùm, quia hominis fuit ſenioris, & in cauſſis diſceptandis ac iudicandis magis exercitati. Deinde, quia magis fauet vetulæ mulieris voluntati, ac ſaluti: quam ipſam exiſtimandum eſt magis de æterno animæ ſuæ bono, quàm de caduco viuentium in terris cogitaſſe, ac mereri voluiſſe: ſibique potiùs quàm aliis conſulere voluiſſe: quod non feciſſet, ſi locationis pretia non in multarum puellarum, ſed in vnius dotem collata eſſent. multo enim eſt melius, Deóque gratius, multis quàm vni, paucioribúſve benignè facere. Tum quia huic agnatæ non licet ſumere dotem ex fructibus domus niſi tamquam pauperi: quandoquidem ex ipſo legato apparet à legatrice rationem pauperum dumtaxat habitam eſſe: quod enim diuiti relinquitur, iam extra cauſſam piam eſſe affirmant magiſtri. Ac ſi vellet ipſa ſua dote omniū penſionum ſummam exorbere, non vti pauper, ſed tamquam locuples dotaretur. Poſtremò quia haud leuis iniuria multis eiuſdem gentis, ac nobilitatis virginibus fieri videtur, quæ multò minore dote, & fructuum portione contentæ fuerunt. Ad extremum, quia fraudem eius, qui defunctæ voluntatem iugulauit, exterminari oportet. Vereri enim poſſumus, ne hic, qui tantam vni mulieri curat pecuniam, id aliqua pactione, ſeu ſpe faciat partis eius pecuniæ interuertendæ, aut in quempiam ſuum domeſticum, vel familiarem transferendæ.

De

De hoc altero legato quid ſequeretur ad me retulit homo, nec indoctus, nec Chriſtiani officij immemor.

3. N. duos filios habet Perſium & Valerium: fingantur nomina in vero facto. Valerius mundanis negotiis nuntium remittens ſanctioris vitæ ſtatum deligit. Perſius, in vitæ communis rationibus permanet. N. bonorum omnium ſibi teſtamẽto heredem vult eſſe Perſium. Sed Valerius patre viuo tum ab ſua religione, cui ſe ſollemni voto obſtrinxerat, tum à ſacro ordine defecit leuiſſimúſque trãſfuga, neque in religioſorũ, neque in clericorum parte fidem vllam habens, in quamdam Italiæ ciuitatem eximiam cõfugiens, illic ſacrilego connubio coniunctus eſt, deceptis, vt credi poteſt, muliere, & iis, qui publico ſunt aſſenſi matrimonio, illinc ſe proripiens, non minùs ignobilem vrbem intra Italiam petiit, quam multos incolit annos, mutato nomine, veſtitu, genere vitæ, ſua ſalute, & anima deſponſa Orco. Huius infelicis filij conditionẽ miſeratus pater, cùm teſtaretur, noluit eum prorſus prætetire, ſed in patriam redeunti, ſi fortè reuertiſſet aliquando, quamdam pecuniæ ſummam quotannis ſoluendam reliquit.

Perſius ſcire auet pecuniam hanc legatam, numquam numeratam Valerio, qui domum non reuenit, poſſitne ſibi habere: & quid cum Valerio agendum ſit.

4. Hæc omnia à me reſponſa fuerunt. Huius monachi miſerrimam eſſe conditionem: ſalutem animæ illi in perditis, & deſperatis eſſe, dum vitam extra ſuæ ſodalitatis ſepta traducit. Nam cùm à D. Thom. in 2.2.q.12.art.1. aliíſque Doctoribus triplex apoſtaſia conſtituatur: vna, à fide: altera, ab obedientia: tertia, à religione: vel, vt explanatiùs diuidatur, cùm ſit eius quadripartita ratio, nam vel quis deſerit fidem Catholicam, vel obedientiam Dei, & Prælatorum Eccleſiæ & ſacrarum legũ, vel ſacri ordinis inſignia, quæ ſunt habitus, & tonſura, vel religionem.

Hoc ſcelus prima excepta apoſtaſia, tres reliquas ſubiit: & propter ſecundam infamia notatus eſt ex Decretali Pij: ſi quis, 3.q.4. & Clementis, ſi autem vobis, 11.q.3. Propter tertiam quoque infamis euaſit ex Decretali Innocentij III. tuæ, de apoſtatis. Quarta verò turpiore illum quàm aliæ duæ afficiunt infamiâ. Et quia quælibet infamia adiunctam habet irregularitatem, triplici hic irregularitate irretitus eſt: ſed adde quartam ob nuptias pluſquam inceſtas, contractam, ex can. conſanguineorum, 3.q.4. eſt item dupli excommunicatione cõſtrictus. Primùm, quia ſuæ religionis veſtes exuit, vt vitam profanam degeret. Ex Decretali, vt periculoſæ: ne clerici vel monachi. Deinde, quia poſt ſacrum ordinem, & ſollemne votum religionis ſuſceptum vxorem duxit contra Clementinam. Eos, qui, de cõſanguinitate, & affin. Huic nulla proſunt ſacramenta, nec recipere illa poteſt: quia ſemper eſt Dei hoſtis, & Eccleſiæ, & cũ Dei & Eccleſiæ iuſſis inimicitias gerit; quamdiu vitam viuit clerico & religioſo indignam: & ad habitum ſodalitiúmque ſuum non reuertitur: quamuis graues ab eo pœnæ eſſent expetendæ; quæ numquam ſuis ſceleribus pares eſſe poterunt.

Quæ cùm ita ſint, minimè dubitanter 5.
reſpondi legatum eſſe caducum & nullum, non ad piam, ſed ad impiam cauſſam pertinere: quum valeat tantùm ad monachi apoſtatæ exitium, æternúmque interitum: ad eúmque extra ſodalitatis ſuæ cancellos remorandum. Præterquam quòd legatum factum eſt reſiſtente Pauli IV. conſtitutione aduerſus religionum apoſtatas, quæ incipit; Poſtquam diuina bonitas: ſeueris enim pœnis plectit cuiuſuis conditionis homines, qui eiuſdem modi apoſtatam aut recipit, aut nutrit, aut quouis modo fauet, ne ad ſuum remigret domicilium. At legatum annuum apoſtatæ relinquere, eſt illum nutrire, illi fauere, quominus ad religioſam & Chriſtianam frugem ſe recipiat.

Itaque credo, cùm legatum, vt dixi, ſit

Digitized by Google

non ad cauſſas pias, ſed impias, habẽdum eſſe pro nullo, nec vlla commutatione egere; ſed à Perſio totius patrimonij herede tutiſſima poſſet conſcientia vendicari. Salua meliore ſententia.

QVÆSTIO VI.

1. HErus, quum animi corporiſque viribus valeret, ſignificat vxori ſuæ, vernaculæ ancillæ, velle ſe ducentos aureos relinquere: Vxor reſpondit, relinquas tu centum, nam alteros centum ego legabo ſeu relinquam. Ita centum ſoli vir legat ancillæ: cuius numquam remuneratus erat obſequia. Aliquo pòſt interiecto tempore in morbum incidit herus; morbóque ingraueſcente ſermonis vſu priuatur: rogatur num huic, vel illi quidpiã optet; abnutat: rogatur, vtrùm ancillæ dari velit ducẽtos aureos nummos: annuit; ídque agit extra teſtamentum.

Petierunt heredes, an mulieri ancillæ centum tantùm præſtare deberent: & illi quidem credebant, bis centum dare non poſſe cogi iure aliquo. Primùm, quia nec iure teſtamẽti, nec codicilli, legatum hoc peti poterat: cùm tempore morbi nihil horum fecerit: nec valere quidquam videtur legatum, quod nec teſtamenti factione, nec codicillorum iure vallatur. Deinde, quia dum ſic legauit defunctus, de mentis ſanitate dubitari potuit. Pòſt, quia dum ſuam herus teſtatus eſt voluntarem, ſacerdos parochus non interfuit. Tum, quia non videtur veriſimile plus relinquere voluiſſe ancillæ, quàm iam reliquerat ipſe, & vxor, id eſt, ducentos: nam trecenti ancillæ conditionem longè ſuperabant. Ad extremum, quia cùm res aliena relinqui poſſit, potuit herus in illis ducentis, centum vxoris ſuæ intelligere.

2. Sed cedant hæc omnia veritati, iuſtitiæ ac pietati: quæ nulla poſſunt æqua lege conuelli. Ad hunc igitur modum argumentemur.

Prima argumentatio. Nulla lex iuſta Spiritui ſancto humanam mentem ad meliora, & gratiora Deo impellenti, poreſt obſiſtere: ſed extra tempora teſtamenti, & codicillorum, poteſt quis à Spiritu ſancto incitari ad bona ſua relinquẽda, leganda, largienda, ea ratione, quæ eſt DEO cum primis accepta: ergo hæc ſatio iniecta diuinitus, nullo tempore humana conſtitutione poterit impediri.

Secunda argumentatio. Chriſti conſiliis debent humana iura morigerari: ſed in eius conſiliis, hoc eſt non poſtremum: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19. Ergo ſi quis poſt conditum teſtamentum, non habet in poteſtate ſua iuris ſollemnia, vel etiam ſi habuerit, voluerit moribundus ſua largiri pauperibus, & ſequi Chriſtum pia ſaltem voluntate, per quamuis legem id ei facere licebit.

Tertia argumentatio. Non lex humana imperat pietati, ſed hæc humanæ legi præſcribit ac præcipit: ergo ſi quis obſequens pietati legat ſua, humana lex & politica obmuteſcet, eo præſertim tempore, quo humanæ legi ſatisfacere non poteſt.

Quarta. Salutare eſt illud Diui Au- 3.
guſtini monitum, *Dona tibi de tuo, dum tuum eſt*: quibus verbis hæc eſt ſubiecta ſententia, vt noſtra, dum noſtra ſunt, in egentes conferamus: ea enim ratione noſtra nobis manebunt: ſed nullum eſt tempus quo magis audiẽdus ſit Auguſtinus, quàm vitæ ſupremo: ergo tunc maximè cogitandum eſt de piis legatis, & pauperum eleemoſynis.

Quinta argumentatio. Noſtræ ſalutis inſtrumenta, & purgandorum criminum materies, tunc nobis maximè comparanda eſt, cùm maximè periclitamur: ſed impendente morte ſaluti noſtræ ab improbo dæmone pericula maxima intenduntur, & actæ vitæ recordatio quatefacit animum: ergo, cùm teſte diuino oraculo Dan. c. 4. peccata eleemoſynis rediman- »
tur, & extinguãtur: piis legatis, & largitio- »
nibus id prorſus faciundum erit, nulla

æqua

Digitized by Google

æqua lege in eo nobis aduerſante.

Sexta. De humana lege, hæc veriſſimè atque his verbis tradit Diuus Thomas, in 1.2.q.95.art.2. Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit in 1. de libero » arbitrio, cap.5. non videtur eſſe lex, quæ » iuſta non fuerit. Addimus ipſi ex eodem Auguſtino, lib.19. de ciuit.Dei, cap.21. vbi probat Romanorum Rempublicam non fuiſſe Rempubl. ex definitionibus, quibus vtitur Scipio apud Ciceronem, in libris de Repubĺ. vbi, quod ſcripſit in 1. » de lib.arbitr. confirmat his verbis: Non » enim iura dicenda ſunt, vel putanda ini» qua hominum cõſtituta: cùm illud etiam » ipſi ius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte » manauerit. Pergit D.Thom. ibid. Vnde » quantùm habet de iuſtitia, tantum habet » de virtute legis. In rebus autem humanis » dicitur eſſe aliquid iuſtum ex eo quod » eſt rectum ſecundùm regulam rationis. » Rationis autem prima regula eſt lex na» turę, vt ex ſuprà dictis patet. Vnde omnis » lex humanitus poſita in tantùm habet de » ratione legis, in quantum à lege naturæ » deriuatur. Subiiciamus nos minorem propoſitionem. Sed rectæ rationis, hoc eſt, iuris naturalis, hæc eſt certa præſcriptio, vt famulorum & famularum, quæ ſeruitia, ſeu mancipia non ſunt, obſequia mercede compenſentur; & miſeris opitulemur: ergo, cùm illa ancilla, & diuturnæ ſeruitutis ſtipendium nullum receperit, & ſuæ calamitoſæ conditionis ſubſidium diu exſpectarit, vtrumque ei ab hero præſtari oportuit, præſertim in articulo temporis valde periculoſi ægrotanti ac neceſſarij.

4. Poſtrema argumentatio. Vltimam voluntatem defuncti quamuis non ſollemnem, quamuis nõ ciuili iure munitam, in conſcientiæ foro ſeruandã eſſe ſentiũt magni, & non pauci vtriuſque iuris Doctores ac Theologi multi, qui de caſibus conſcientiæ eruditè ſcripſerunt: id quod & in publicis noſtris diſputationibus, & in priuatis reſponſis nos ſæpiſſimè profeſſi ſumus, & quotidie profitemur: exploratum eſt enim ius à Diuo Gregorio magno conſtitutum, à Gratiano in Decretum relatum, ... qu.2.can.4. Vltima » voluntas defuncti modis omnibus ſer» uari debet.

Hæc autem omnia ex ſingulorum argumentorum reprehenſione dilucidiùs explicabuntur.

Primùm obiiciebatur, non apparere quo iure, quóve nomine agere poſſit ancilla ad obtinendos ducentos aureos ſibi ab hero relictos, cùm actum defuncti auulſum ſit à teſtamento, & codicillo. Reſpondeo, obtinere poſſe iure donationis inter viuos, quę duobus teſtibus contenta eſt: poſſet nomine donationis cauſſa mortis: ſed quia in hac requirit lex ciuilis quinque teſtes, C. de donat. cauſſa mort. l.extrema, & dum non eſt certum, vtra donatio ſit inter viuos, an cauſſa mortis, vt valeat & non pereat, ex ſententia Doctorum exiſtimari debet donatio inter viuos: poſſet etiam petere nomine vltimæ voluntatis, quæ licèt ſollemnis non ſit, in conſcientiæ foro ſeruari debet, vt ipſi ſæpe reſpondimus, & palam docuimus, ſecuti D.Antoninum in 3.par.tit.10. c.3.§.14. & Syluestrum, in verbo, Teſtamentum, tit.1.§.7.notab.4. vbi verba recitat D.Anton. & ſequitur & addit, veritatem eſſe: poterit petere iurę eleemoſynæ, ac iure ſtipendij, atque remunerationis: poterit denique eo iure omni petere, quo relinquere potuit herus: hic autem potuit iure codicis Euangelici, in quo ſunt hæc iuſſa. *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat.* Luc.3. *Et quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc.11. opes » autem nulli magis ſuperſunt, quàm mox » morituro. Et vendite, quæ poſſidetis, & » date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, » qui non veteraſcunt, theſaurum non de» ficientem, in cœlis, quò fur non appro» piat: neque tinea corrumpit. Luc.12. & » Luc.14. Cùm facis conuiuium, &c. Et » facite vobis amicos de mammona ini» quitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos »

in

» in æterna tabernacula. Luc.16. & Apo-
» ſtolus ad Hebr. cap.13. Beneficentiæ in
» pauperes nolite obliuiſci, talibus hoſtiis
» promeretur Deus. Atque hæc iura, & ve-
tuſtiſſima ſunt, & multo quàm Iuſtinianea
antiquiora, quibus reliqua iura omnia ab
hominibus condita morigerari debent:
quibus parere debent homines ante fa-
ctionem teſtamenti, in factione, poſt fa-
ctionem, ſiue cum iuris ſollemnibus, ſiue
ſine illis agant.

6. Poterat item herus iure naturæ relin-
quere ancillæ, cui nullam vmquam mer-
cedem perſoluerat. Poterat denique iure
legati pij, quæ in Dei, & conſcientiæ foro
teſtamentum, aut codicillum comitem
non requirit, vt ſentit Sylueſter, in verbo,
Legatum, ad pias cauſſas tit.3.q.8. cùm
etiam certum ſit ob teſtamentum iure
nullum, non vitiari legata ad pias cauſſas:
huiuſmodi autem cēſentur illa, quæ pau-
peribus, aut pro animæ ſalute fiunt. Illa
verò diſtinctio Panormitani, in cap. indi-
cante, de teſtam. valere legata ſine here-
dis inſtitutione, ſi quis voluit decedere
inteſtatus, non valere, ſi voluit teſtatus;
probatur fortaſſe iure ciuili, ſed non iure
conſcientiæ, vt ait Syluest. in ead. qu. &
forſitan nec iure ciuili, ad pias cauſſas,
cùm ſit legatum: nam eiuſmodi legatum
excipere videtur illic Panormitanus, his
» verbis: Non valuiſſent relicta ſaltem ad
» nō pias cauſſas, ſine heredis inſtitutione.

7. Secundo loco opponebatur: herum
ſuæ mentis compotem nō extitiſſe, cùm
ſuæ famulæ ducentos relinquebat. At il-
lum in poteſtate mentis fuiſſe illud non
obſcurè declarat, quòd legatorum, quæ
ſibi ſuggerebantur ab iis, qui aderant; nu-
tu quædam probauit, quædam improba-
uit: & ratione probari videbantur, quæ
probabat: conſilio item improbari, quæ
reiiciebat.

Tertium erat. Quia leganti teſtis non
adfuit parochus ſacerdos. Reſpondeo, in
teſtamentis, & legatis ad pias cauſſas, ſa-
tis eſſe, ſi duo adſunt teſtes, etiam nō ma-
res ambo: qua de re accuratè diſputat
Sylueſter, in verbo, Teſtamentum tit.1.
q.5. vbi concludit his verbis: Et ſic patet, »
quòd valet teſtamentum, & quælibet vl- »
tima voluntas ad pias cauſſas, licèt non »
inſtituatur ibi heres, vel non adeatur he- »
reditas, vel non fiat inſinuatio teſtamenti »
intra tantum tempus; vel vbi deficit alia »
ſollemnitas iuris poſitiui ciuilis, quæ re- »
uocata eſt quantùm ad hoc. Confirmát- »
que auctoritate D. Antonini, quem ipſi
ſuprà citauimus. Panormit. de hoc nume-
ro & qualitate teſtium aſſentitur in cap.
cùm eſſes, de teſtam. num. 7. in quibus
nō requirit presbyterum. Tabienſis ſub-
ſcribit ſententiam Sylueſtri penè totidem
verbis. Angelus idem quod Panormit. in
verbo, Teſtamentum, num.5. In quo ait
concordare Doctores. Panormit. in re-
petitione ad cap. cùm eſſes de teſtament.
num.17. in duobus teſtibus non requirit
parochum in teſtam. ad pias cauſſas.

Quartum adferebatur, quòd vxoris 8.
perſuaſu antea centum reliquerat: ergo
credibile eſt noluiſſe ſummam augere.
Imò verò multò eſt veriſimilius diuino
impulſu auxiſſe: tum ad remuneranda
ancillæ ſuę obſequia; tum ad eius egeſta-
tem, & orbitatem ſolandam; tum ad ſua
peccata expianda; tum ad Deum magis
ſibi propitium reddendum, eo præſertim
tempore, quo hæ opes caducæ non eius
futuræ erant amplius: & quo bonis ter-
renis cæleſtia commutanda erant. Illud
autem quintum, & poſtremum nihil erat,
potuiſſe defunctum cùm legauit ducen-
tos, illos etiā centum vxoris legaſſe, cùm
rei alienæ legatum valeat.

In hoc argumento diluendo tria mihi
dicenda ſunt. Primum eſt iure ciuili rem
alienam ab eo, qui ſcit eſſe alienam, lega-
ri poſſe: ſic enim eſt in l. Africanus, §.
conſtat. ff. de legar.1. Conſtat res alienas
legari poſſe, vtique ſi parari poſſint: etiā »
ſi difficilis earum paratio ſit. Non viden- »
tur autem ex iiſdem legibus parari poſſe
ea, quæ ſunt Principis, & res ſacræ, &
quæ ad communem vſum comparatæ,
inſtitutæque ſunt: & C. de legat. l. Cùm
alienam,

» alienam,eſt his verbis:Cùm alienam rem » quis reliquerit, ſiquidem ſciens, tam ex » legato quàm ex fideicommiſſo,ab eo qui » legatum,ſeu fideicommiſſum meruit,pe- » ti poteſt : quòd ſi ſuam eſſe putauit, non » aliter valet relictum, niſi proximæ per- » ſonæ, vel vxori,vel alij tali perſonæ da- » tum ſit,cui legaturus eſſet, etiam ſi ſciſ- » ſet rem alienam eſſe.

In inſtitutionibus autẽ de legat.§.non ſolùm,meliùs hæc enucleantur.

» Non ſolùm autem, verba ſunt Impe- » ratoris, teſtatoris,vel heredis res,ſed etiã » aliena legari poteſt, ita vt heres cogatur » redimere eam,& pręſtare:vel,ſi eam non » poteſt redimere,æſtimationem eius dare: » ſed ſi talis ſit res,cuius commercium nõ » eſt,vel adipiſci non poteſt,nec æſtimatio » eius debetur. Veluti ſi quis campũ mar- » tyrum,vel baſilicas, vel templa, vel quæ » publico vſui deſtinata ſunt,legauerit.Nã » nullius momenti legatum eſt. Quod au- » tem diximus alienam rem poſſe legari,ita » intelligendum eſt, ſi defunctus ſciebat » alienam rem eſſe,non ſi ignorabat:forſi- » tan enim ſi ſciuiſſet alienam rem eſſe,nõ » legaſſet. Hoc primum.

9. Secundum eſt illud. Vtrùm iure ca- nonum liceat, quod iure ciuili conceſ- ſum eſt inter magnos Doctores contro- uerti,& à Panormitano in cap. filius, & in ſollemni repetitione ab eo edita in c. cùm eſſes,de teſtamentis,à num.18. ſub- tili plenáque diſputatione anquiri · eúm- que in hanc ſententiam deductum eſſe, » vt, qui ius aliquod habet in re alterius, » poſſit idem ius legare;qui nullum habet, » non poſſe:in illa verò repetitione princi- pem ſuæ opinionis dilaudat Accurſium in l. Cùm alienam, C.de legat.in c.verò filius, nu.3. ſui commentarij enuntiatum » hoc effcụt. Vbicumque ius ciuile, verba » ſunt Panormitani, fouet lucrum proxi- » mo odioſum,aut rigorem quemdam,tũc » non eſt ſeruanda talis lex in foro cano- » nico,licèt expreſsè non reprobetur. Scio de legato rei alienæ ſecus ſentire penè omnes alios, valere nimirum in vtroque foro,tam hominum,quàm DEI,& con- ſcientiæ : quam opinionem defendit Syl- ueſter,in verbo, Legatum, titu.3.q.2. & Angelus, eod.tit.1. num.24. & Tabienſ. eod.tit.1.nu.22.quando conſtat de men- te defuncti,quòd voluerit eam relinque- re,& Armilla,eod.tit.num.16. his verbis loquẽs : Ideo in omni foro prædicta ſunt » tenenda vera:quia fundantur ſuper hanc » regulam:quòd volũtas teſtatoris ſeruan- » da eſt,quando ſcitur aut probabiliter per » coniecturas deprehenditur. »

Adde tu, quòd cùm quis relinquit, 10. ſciens ac prudens, rem alienam, non re- linquit vt alienam, ſed vt futuram iuſta ratione, & bonis artibus noſtrã, hoc eſt, noſtri heredis:quam ſi iure conſequi nõ poterit, à vero Domino rei,eius pretium præſtabit legatario. Quid obſecro genus hoc legati præ ſe fert iniquitatis ? Itaque à communi opinione diſcedere non au- derem.Quamquam (fatẽdum eſt enim) verba Decretalis Gregorianæ magis Pa- normitano fauent, quàm communi opi- nioni. Primùm, quia ob ius legandi rem alienam ſimpliciter, non rem Eccleſiæ, ciuilem legem appellat legem ſæculi,cui opponit legem Dei. Deinde,quia res Ec- cleſiæ de quibus illic Pontifex,neque per legem ciuilem relinquere poterat is qui reliquit, quia nec profanum commerciũ habebant : ita non poterat legi ſæculi eo nomine lex Dei opponi. Poſtremò, quia verba illa, Valde mihi videtur iniuſtum, » &c.quæ clauſula & concluſio eſt Decre- talis,manant ex ea propoſitione generali; Qui aliena reſtituere debuiſti : & ex ea, Res aliena legari non debet : cùm res aliena reſtituenda ſit, non leganda : ſed tamen communis ſententia vincat.

Tertium dictũ. Nullam veri ſpeciem 11. ſimilem habet, cùm donauit legauitve herus ancillæ, de pecunia vxoris alteram legati partem efficere voluiſſe. Primùm, quia nec honeſtas, nec æquitas ferebat vt pecuniam ab vxore relictam in ſuum legatum transferret defunctus. Deinde, quia legata rei alienæ puto eſſe perrara,

& ea leganti fuiſſe incognita. Poſtremò, quia credẽdum eſt, dum animæ ſuæ proſpiciebat, maluiſſe audire Auguſtinum, quàm Iuriſconſultum ſeu Imperatorem, » à quo Auguſtinus admonebatur, Vt de » ſuo, dum ſuum erat, ſibi donaret, hoc eſt, miſeris indigentibúſque impertiretur. Quare dubitandum non eſt, extremam opem ſuæ ſaluti non ex alienis, ſed ex ſuis ac propriis opibus quæſiſſe.

QVÆSTIO VII.

1. ADoleſcentes duo in ſacrum virorum ſodalitium cooptantur, quorum patrimonium eſt fideicõmiſſo vallatum: illud ſodalitati religioſi relinquũt.

Quæſitum eſt, licueritne hoc illis facere: & num religionis ingreſſu euanuerit fideicommiſſum. Pergrauis hæc eſt controuerſia, in qua certa ab incertis ſecernenda ſunt.

Primum illud ab vtriuſque iuris Doctoribus conceſſum eſt, in religionem recepto eo, cuius fiduciæ bona commiſſa ſunt, fideicõmiſſum extingui. In promptu eſt Decretalis Innocentij III. adeo percelebrata, quæ incipit in præſentia, de probationibus, nec ignota eſt Authentica ſanctiſſimis Epiſcopis, in §. ſed & hoc præſenti; & Authentica, niſi rogati, C. ad Trebellianum, à quibus ſanctionibus, quia ius continent exploratum, nemo Doctor clarioris nominis auſus eſt diſcedere.

Illud item ſecundo loco à Doctoribus datur: monaſterium ſeu religionem, pro filio ac legitimo herede haberi in genere ſubſtitutionis, quod planis verbis eadem Innocentij III. Decretalis con» ſtituit: ſic enim loquitur. Quia tamen in» telligendum non erat ſine herede dece» dere, qui monaſterium ſibi heredem in» ſtituit, hoc monaſterio nõ nocebat. Quæ verba eſſe Romani Pontificis, ſua ſponte quiſque intelliget; qui vel Grammaticè ſcit, vel Decretalis ſententiam collineare poteſt: auditis enim litigantibus quæſtionem dirimens iis verbis eſt vſus Innocentius. Vt mirandum ſit, Decium Decretalem illam interpretantem, num. 52. inducere animum potuiſſe, vt crederet, illa ipſa verba ab aduerſaria parte in iudicio prolata eſſe: ad quam interpretationem confirmandam duos quoſdam proferr Auctores. Quæ quidem interpretandi ratio eſt ab omni ſpecie veriſimilis quàm remotiſſima.

Primùm, quia vtriuſque partis litigantis momenta allata erant, quæ controuerſiæ conſtitutio ſubſecuta eſt: in qua diiudicanda ea verba ſunt à Romano Pontifices vſurpata. Deinde, quid rationis habet, ſententiæ fundamentum, in quam frequentes Doctores eunt, cùm docent, monaſterium, ſeu religionem heredis, ac filij locum obtinere, verba extitiſſe non iudicantis Pontificis, ſed controuertentis, & pro monaſterio diſceptantis ſyndici? Poſtremò, quia licèt ſyndici verba illa fuiſſent, Põtifex in diiudicando tamen ſua efficere potuit. 2.

Tertio, ex Gloſſa in illud cap. in præſentia, de probation. minimè dubium eſt, quando teſtatoris voluntate fideicommiſſum ad pium quempiam locum pertineret, ſeu ad pietatis opera conferendum foret, ingreſſu religionis minimè interire.

Quarto cõuenit inter Doctores fraude & dolo fideicommiſſum non concidere, vt ſi quis in religioſum ordinem adſcriberetur, vt hereditate ſpoliaret eos, qui in ciuili conuictu manent. Obſeruatio eſt hæc Ioannis Andr. in Decretalem illam, in præſentia, num. 35. à quo alij nominantur Doctores: Eſt Antonij Butrij in eamd. col. 18. citantis Oſtienſem: eſt Abbatis Panormit. in eamd. num. 46. qui alios profert Doctores, & canones: canonem, ſedes, de reſcript. in noſtra, de ſepult. officij, requiſiſti, & cap. extremum de teſtam. Et canon. poſtremum 20. q. 3. è quo ille perſubtile depromit argumentum. Eſt Felini in eamd. col. 16. vbi citat 3.

anti

antiquum & nouum Abbatem: nouus autem eſt ipſe Panormitanus: aitque opinionem eſſe communem. Eſt Decij in eamdem Decretalem, num.56. aientis: communem ſententiam Doctorum eſſe, fraude ingredientis monaſterium non extingui fideicommiſſum.

4. Quintum quod à Doctoribus admittitur, eſt illud, vt ei, qui monaſterium ingreditur, non ſit ius ad vitę profanę conſuetudinem remigrandi, ita Gloſſa in c. illud in præſentia, ita Innocent. in explanatione eiuſdem Decretalis, num.8. ita Ioan. Andr. in eamd. num.35. ita Abbas, num.44. ita Decius, num.55. qui id etiam requirit, vt ſit profeſſus: Nam ante profeſſionem, inquit, non dicitur quis propriè ingreſſus, vt notat Bartolus in dicta authentica: ſi qua mulier, col. fin. Quamquam in Societate IESV valet ingreſſus, & efficitur quis verè religioſus ante profeſſionem per multas recẽtium Pontificum conſtitutiones, Pij V. Gregorij XIII. & Gregorij XIIII. poſtquam tria vota ſimplicia nũcuparit, finito biennio nouitiatus.

Ex altera parte in hac ipſa cauſſa addubitari hæc poſſunt. Primùm, ſuccederéne poſſit in fideicommiſſum religio, quando teſtator diſertis verbis à ſucceſſione religionem ſemouit, vt cùm ita dixit: Relinquo mea bona Titio, dummodo religioſæ vitæ diſciplinam non complectatur. Rati ſunt nonnulli cùm ſic cauit teſtator ad fideicommiſſum capeſſendum religionem vocari nõ poſſe. Volunt in hac opinione fuiſſe Baldum: hanc tuetur Philippus Decius, in cap. In præſentia, nu.58. victus hoc argumento, cui ipſe credit obſiſti non poſſe, quoniam in conditionib. voluntas teſtatoris inſpicitur, l. in conditionibus primum locum, in princ. ff. de condition. & demonſtrat. facit, inquit, tex. in l. cùm quæſtio. in fin. C. de leg. in l. cum virum, C. de fideicom. & voluntas defuncti totum facit, vt dixit tex. in l. ex facto. *la grande*. ff. de hered. inſtituen. & priuilegium, quod conceditur monaſterio in d. §. *intende il.* §. ſed & præſenti, aut de ſanctis Epiſcopis intelligitur, dummodo voluntas teſtatoris nõ repugnet.

5. Verumenim contraria ſententia vera eſt, & maximè communes teſtamẽtorum conditiones, quæ à fideicommiſſorum ſucceſſione excludunt religiones, iiſdem non nocere, ſed haberi pro non adiectis, pro irritis & nõ ſcriptis. Hoc tradit Innocentius, Decretalem explanãs, in præſentia, num.8. Oſtienſis in eamd. Ioan. And. in eam ipſam, num.35. qui citat Goffredum. Anto. Butrius, col.19 commentarij: Abbas in illud ipſum cap. explanationis ſuæ, num.42. vbi teſtatur, opinionem hãc eſſe communem, vtitúrque Oſtienſis ratione, quam ipſi poſtea euoluemus: quam item rationem Oſtienſis & ſententiam ſecutus eſt Felinus, in cap. illud, in præſentia, col.13. & Franciſcus Aretinus, col. 19. contra Baldũ diſputans, eiúſque confutans argumenta.

Ab hac cauſſa iuriſperitorũ iuriſconſultiſſimus ſtat Bartolus, in 1. ſuo conſilio, cuius initium eſt, Parmenſis quidam, quod conſilium totidem verbis tranſtulit in expoſitionem legis, ſi ita quis, §. fin. ff. de legat. 2. Placuit hoc idem Baldo Decretalem enucleanti, in præſentia, nu. 18. comites eiuſdem ſententiæ proferenti Cynum & Bartolum: quàm ſententiàm ęquam appellat in authentica, niſi rogati.

Atque horum omnium Doctorum teſtimonia non paruo noſtro ſtudio & labore ex eorum ipſis ſcriptis depromſimus.

Is qui in Bartoli conſilia ſcholia edimauit, in primi conſilij à nobis recitati quodam ſcholio ad hanc ſententiam aggregat Baldum in quodam ſuo conſilio, & quemdam Papienſem in forma libelli, quę agitur ex ſubſtitutione, diciteque Bartoli opinionem magis eſſe communem, & approbatam: tribuitque eamdem Alexandro Imolæ, in conſ.35. volum.5. cuius eſt initium: ſuper contentis in dicto themate, & in conſ.121. 1. volum. cuius eſt 6.

principium: ſuper prædicto themate, col.
enim 4. prodidit opinionem Bartoli eſſe
magis communem pluribus, & fortiori-
» bus auctoritatibus munitam. Et per con-
» ſequens, inquit, in iudicando non eſt re-
» cedendum ab ea: necnon in aliis conſiliis
eamdem ſententiam inculcat Imola. In
hanc deſcendit Angelus Peruſinus, in
conſilio ſuo 80. vbi affirmat Bartoli opi-
nionem eſſe communem. Roſella ſtrenuè
pugnat pro hac ſententia in verbo, Le-
gare, num. 24.

7. Hæ huius opinionis poſſunt eſſe pro-
bationes. Prima. Quælibet conditio in
vltimas voluntates inſerta, quæ maiori ac
diuiniori bono aduerſatur, pro non ad-
iecta haberi debet. Verùm, qui hac con-
ditione aut inſtituit, aut ſubſtituit here-
dem ſuorum bonorum, vt illa religioni
largiri non poſſit, conditionem vſurpat
Chriſtianæ profeſſioni maximè contra-
riam: ergo pro non adiecta eſt habenda.

Neque huic rationi ſatis occurrunt
contrariæ ſententiæ Aduocati, cùm aiunt
eiuſmodi conditione perfectioris vitæ
ſtatum non impediri, cui non diuitiæ o-
péſve conuenient, ſed earum contemptus
& paupertas. Siquidem diuitiarum poſ-
ſeſſio ferè cum animi elatione videtur
eſſe coniuncta, quæ ab hominibus reli-
gioſis abeſſe debet quàm longiſſimè.

Quæ reſpondendi ratio multas habet
partes vitioſas. Primum vitium in eo hæ-
ret, quòd exiſtimant externorum bono-
rum tantùm cupiditate à religione auo-
cari eum, à quo fideicommiſſum poſſide-
tur: quia, ſi diuinitus impelleretur, nihil
ea res ſollicitum eum haberet. Falluntur.
Neque enim eſt neceſſe hunc angi amo-
re diuitiarum: ſed ideo cruciari, quia per-
quam durum videtur ſibi, cùm ſeipſum
in poteſtatem tradit religionis, non poſſe
etiam bona ſua tradere externa. Prætere-
ea, ſi quis fratres alióſve fideicommiſſi
ſucceſſores haberet flagitioſos, ſicarios,
adulteros, aliiſque facinoribus deditos:
an non huic, qui à Deo vocatur ad
perfectioris vitæ genus, magna eſſet cauſ-
ſa in vitæ ciuilis ſtatione reſiſtendi, ne
improbis ſucceſſoribus relicta bona ma-
teriam ſuppeditarent licenter peccandi,
atque apud Devm grauiter offendendi,
ſibique miſeris æternæ damnationis la-
queum inſerendi?

Secundum vitium in reſponſione eſt, 8.
credere obeſſe religionibꝰ diuitias; quod
eſſe falſum, inſtitutum earũ religionum
peruincit, quas cernimus eſſe opulentas,
vti eſt S. Benedicti religioſa ſodalitas, or-
dóque Carthuſianorum: quorum ordi-
num ob id ipſum diſciplina non eſt lapſa
procliuiùs, quia ſuis opibus ſuſtentatæ
non ſunt coactæ, nec coguntur ſupplices
eſſe ſæculi diuitibus. Quod cùm minimè
Tridentinæ Synodi Patres lateret in ſeſſ.
25. cap. 3. de regular. Cunctis religionibus
etiam mendicantium, Cappuccinorum,
& eorum, qui Minorum de obſeruantia
vocantur, excepta largiti ſunt, vt cõmunis
ſodalitij nomine bona poſſidere queant.

Quare hæc prima probatio, quæ O-
ſtienſis, Bartoli, Abbatis, Felini eſt, & a-
liorum, etiam nunc manet inuicta.

Secunda probatio eſt Felini, in cap. in
præſentia, de probation. col. 13. vbi non
ſolùm teſtatur cõſuetudine irritari con-
ditiones teſtamentarias, quæ ius ſucce-
dendi adimunt monaſteriis: verumetiam
id facit eleganti ratione illuſtre.

Omnis, inquit, diſpoſitio hominis, per 9.
quam impeditur libertas matrimonij eſt »
nulla: multò magis, quæ impedit liberta- »
tem ingreſſus religionis: neque enim, »
quemadmodum rectè ait Felinus, facta
eſt Chriſtianis hominibus poteſtas ſuas
teſtamentarias aliáſve tabulas iſto con-
ditionum genere inquinandi, aut liber-
tati ſtatus connubij, ſeu religionis in-
commodandi: Verùm, qui hac conditio-
ne legaret mulieri, modò ne nubat; irri-
ta ac nulla eſſet, ex l. quoties. ff. de con-
dition. & demonſtration. quam legem
adfert Bartolus, in conſilio, Parmenſis
quidam, in extremo; quæ lex propoſitum
magis concludit, quàm lex ſignificata ab
Oſtienſi, C. de indicta viduitate: verba
legis,

legis, cuius meminit Bartolus, hæc ſunt.
» Quoties ſub conditione mulieri legatur;
» ſi non nupſerit; & eius fideicommiſſum
» ſit, vt Titio reſtituat, ſi nubat: commodè
» ſtatuitur: &, ſi nupſerit, legatum eam pe-
» tere poſſe: & non eſſe cogendam fidei-
» commiſſum præſtare. Ergo multo minùs præſtabit fideicommiſſum, qui vniuerſas vitæ ſuæ rationes alicui ſacræ ſodalitati volet deſpondere.

10. Rationem hanc, quæ Oſtienſis eſt, Bartoli, & aliorum, dum Decius conatur labefactare, in errorem bis eſt lapſus Catholicæ doctrinæ contrarium, cùm dixit:
» Idcirco fauere leges matrimonio, quià
» retrahere, inquit, à matrimonio, & inui-
» tare ad viduitatem, eſt iure reprobatum. At diſcere eum oportuiſſet, viduarum ac cælibum ſtatum, ab Apoſtolo, & Catholicis Doctoribus, matrimonio anteferri, multò hæc appoſitior fuiſſet ratio reſpondendi, genus illud conditionum non perinde religioſo ſtatui, vt connubiali officere: quia cùm iuris naturalis conceſſu vnuſquiſque deligere poſſit ſibi vitæ ſtatum, ius hoc eripitur mulieri illius conditionis adiunctione: quandoquidē vxor indotata non ducitur, aut ferè non ducitur inter Chriſtianos: At religioſum ſtatum ſine dote adipiſcimur.

11. Addamus ipſi tertium hoc argumentum, cui hanc hypotheſim præmunimus, quam probat egregiè Felinus, in cap. in præſentia de probation. col. 21. legum, canonum, & rationum auctoritate. Hypotheſis autem eſt, meliore conditione religionem eſſe, quàm filios. Si enim tu alicui tua bona donas, tibíque naſcatur filius, eius ortu donationem ſcindi ob legem ſi vmquam C. de reuocandis donation. verùm ſi donatio facta ſit monaſterio ſeu religioni, non rumpitur, niſi quantùm ad legitimam ſuſcepti filij attinet portionem: citatur à Felino, Baldus, in l. 1. de inofficioſis donationibus, & Abbas, in cap. extremum de donation. quæ item ſententia eſt Gloſſæ, in cap. poſtremum, Quæcunque, 17. quæſt. 4. Ita-
que potior eſt cauſſa pia, quàm liberorū, »
inquit Felinus: Pia namque donatio ani- »
mæ, ac ſaluti proſpicit donatoris; quæ »
cuiuis rei caducæ longè eſt anteponen- »
da. Ad hæc, donatio Eccleſiæ, ſeu Mona- »
ſterio facta, dominium transfert ſine vlla traditione. l. fin. C. de ſanct. Eccl. Filio autem facta non transfert. ex l. 2. C. ſi quis alteri vel ſibi l. ſiue mancipati C. de donation. Præterea filius ſolo nutu heres inſtitui nequit l. diſcretis. C. qui teſtamentum facere poſſunt. Quamobrem Angelus Peruſinus clarus iuriſconſultus ſcripſit quod Peruſiæ in eius ciuitatis Epiſcopo contigit: Qui cùm parenti ſuggereret, vt ſi ſe heredem ſuorum bonorum vellet, compreſſione manus ſignificaret, manum quidem Epiſcopi pater aſtrinxit; ſed filius paterna hereditate caruit. Atqui teſtamentum ob piam cauſſam nutu factum valet: quod ipſum probat Felinus, Bartoli, Baldi, Imolæ & Ancharani auctoritate.

Hoc igitur fundamento, & hypotheſi 12.
iacta, hoc vtor argumento. Auctori fideicommiſſi non maiori emolumento fraus debet eſſe in ſpolianda religione, quàm religioni in ſpoliandis iis fideicommiſſis, qui in mundana vita commorantur: verùm ſi religio per fraudem auertit fidei commiſſum, quo prophani ſucceſſores frui deberent, illud iure canonum reddere cogitur, vt eſt in cap. extremo, 20. q. 5. ergo ſi fraudulenta odioſáque conditione teſtator ius ſuccedēdi fideicommiſſo eripit monaſterio, ſeu religioni; conditio illa tamquam pietati Chriſtianæ aliena repudiari debet, & pro non adiecta haberi. Perſuaſum enim habere debebat teſtator, ad ſalutem multò magis ſibi profutura bona in religionem collata, quàm toti ſuæ poſteritati, aut eius certæ ſtirpi tranſmiſſa, cùm perrara ſit virtus, in iis præſertim, qui Chriſtianæ vitæ documenta, & qui Chriſti & Apoſtolorum ſuorum veſtigia perſequantur: de iis loquor, qui labentis ſeculi commoda, & vitæ prophanæ emolumenta ſectantur.

Digitized by Google

13. Porrò Decij argumentatio non tanti erat, vt eum debuerit à veriore ſententia abducere. Teſtatorum enim tunc voluntatibus morigerari debemus, cùm eæ iuſtæ ſunt, nec legibus contrariæ: cùm igitur eiuſmodi iniquis conditionibus, quæ damno ſunt religionibus, vti teſtatori non liceat, ſi ab eo adhibeatur, tamquam ſi non eſſent adhibitæ, reiiciuntur. Conſule §. ſed & præſenti, collat. ſanctis Epiſcopis, nihil à nobis fingi comperies.

Illud quoque à Decio in contentione ponitur: an conditio, quæ non vniuersè religionum genus excludit, ſed ſpeciem quamdam, vt D. Franciſci, aut D. Benedicti, tamquam honeſta recipienda ſit in legatis, aut teſtamētis. Idem Decius quæſtioni reſpondens in cap. in præſentia, de probation. num. 53. cum Baldo conditionem exiſtimat eſſe honeſtam: de quo ipſo dubitat Felinus: verùm mihi pluſquam veriſimile eſt inhoneſtam talem eſſe conditionem. Primùm. Quia priuilegium ab Eccleſia & Imperatoribus religioni conceſſum, vt capere poſſit fideicommiſſum, vniuerſo generi religionum datum eſſe minimè dubium eſt: neque eiuſmodi priuilegij vna aliqua religio particeps eſt, quia hæc illáve eſt, puta D. Benedicti, vel D. Dominici; ſed ob id ipſum, quia religio eſt. Deinde: quia accidere poſſet, vt quis ſanctiſſimâ quampiam religionem, orbi Chriſtiano, quàm multas alias, vtiliorem, fideicommiſſo priuare poſſet: nec Dei, nec Eccleſiæ, nec Imperatorum legibus id permittentibus. Poſtremò: quia ſi quiſpiam id æternæ ſuæ ſaluti conducere arbitraretur, vt ſe, ſuáque bona alicui ſacræ ſodalitati dicaret, eius rei perficiendæ facultas ſibi eſſet erepta talis conditionis oppoſitione.

14. Bartoli eſt, quæ ſequitur dubitatio, in l. poſtremam C. de pactis, num. 6. valeátne ſtatutum, quo decerneretur, vt is, qui nondum ius habet ad rem, neque in re, bonorum, quæ poſſeſſurus eſt, dominus ſit, ſi in ciuili conuictu permaneat: eorumdem autem liberum dominium non nanciſceretur, ſi religionem foret ingreſſurus: cuiuſmodi ſtatutum vigere teſtatur Bartolus, aut certè ſuo tempore viguiſſe apud Aſſiſinates, illique iuſtum iudicatum eſt: ſi quidem ad laicos ſpectat, non ad clericos, ſeu religioſos. Nam, verba ſunt Bartoli, non diſponit circa clericum, ſed circa laicum: nam laicus eſt ille, qui ingreditur monaſterium; ſicut viuens moritur, vt l. qui duos in princ. ff. de manumiſſis teſtamenti: & huic non obſtat quod dicitur in authen. caſſa. nec obſtat authentica niſi rogati: quia ibi grauatur, ſi monaſterium ingreditur, ſic verò lucrum aufertur: non autem in ſibi quæſito grauatur. Si verò ſtatutum de iam ingreſſo per hæc verba: Si quis ingreſſus fuerit monaſterium, tunc non valet ſtatutum: quia non poteſt clerico auferre ius ſuum, & eſſet contra libertatem Eccleſiæ, vt dicta lege, Deo nobis, de Epiſc. & cler. ſed addit Bartolus; Hoc dico ſaluo iudicio & determinatione canonica, & Theologorum.

15. Decius, in cap. in præſentia, de probation. num. 53. teſtis eſt, Bartoli opinionem communi Doctorum iudicio condemnatam eſſe, idque iure optimo: ſi enim id ſtatuti genus valeret, vſu venire poſſet, vt priuilegium datum religionibus iis ſuccedendi, qui religionem ingrediuntur, prorſus eſſet otioſum, & inane. Nec dubitandum eſt genus iſtud ſtatuti libertati aduerſari Eccleſię, & qui eius ſunt auctores excommunicatione quæ eſt in bulla Cœnæ illaqueari, neque ab eo abſolui poſſe, niſi ſtatuto è tabulario amoto, & deleto: totáque de re Romano Pontifice certiore facto.

Cohæret cum hac diſputatione, illa etiam quæſtio, vtrùm cùm pater ita legat filiæ: mille relinquo Lucretiæ, ſi nubat: ducentos verò, ſi in ſacrarum virginum domicilium cooptetur, legatum valeat. Potior Doctorum pars credit non valere: ſed Lucretiam, ſi monialium numerum tenere volet, mille habituram. Vide Anton. Butrium, in cap. in præſentia, de probation.

bation. col. 9. Felinum, in idem cap. col. 19. §. Ex dictis remanet deciſa, à quo Felino citatur Speculator, Ioannes Andr. Bartolus: dicitque non recedendum ab ea: quamuis Baldo alia fuerit opinio: qui in legem, cùm ita legatum. ff. de condition. & demonſtr. affirmat, iudiciorum conſuetudinem opinioni ſuæ adſtipulari; quam opinionem & conſuetudinem ſentit cum naturali æquitate congruere: in quo is longè fallitur, quandoquidem non parum ab æquitate & pietate diſtet. Quis enim nõ videat, iſta legandi ratione, coniugij ſtatui magis quàm religionis fauceri? Quis neſciat, quàm multas virgines à vita religioſa abduci ob exiguam dotem, quæ monaſterio eſt aſſignanda? quæ ſi ampla eſſet, ſacra monaſterij ſepta non horrerẽt: quibus perſuaſum eſſet, & minore ſe rerum egeſtate, & paucioribus vitæ incommodis ſe conflictatum iri? Præterquam quòd vbi monaſterium copioſiorem dotem eſſet adeptum, tum rei familiatis difficultati meliùs ſubuenitet, religioſaque diſciplina, & viuendi ratio ſanctiùs coleretur: nec à laicis perſonis ſtipem cogere, vel vitæ neceſſaria auxilia expetere monaſteria cogerentur: ſublata quoque familiaritas eſſet & conſuetudo cum profano hominũ genere; quæ conſuetudo quàm ſit tam viris quàm religioſis feminis pernicioſa, atque exitialis, credibile non eſt.

Mitto paupertatem nimiam, qua premuntur religioſę ſodalitates, vitium ſępenumero procreare paupertati cõtrarium; cùm quælibet, aut fermè quælibet perſona religioſa, vt ſuis ſuccurrat neceſſitatibus, ſuum ac proprium ſibi parat peculium. Quæ omnia, ſi à Baldo conſideratiùs animaduerſa fuiſſent, numquam ab eo ſcriptum fuiſſet ſecundùm naturalem æquitatem eſſe formam illam legandi, quæ à nobis, aliiſque Doctoribus non paucis eſt improbata.

QVÆSTIO VIII.

B. Vir honeſtus, in reſpondendo iure, publiciſque iudiciis exercitatus, teſtamentum conſcribit ſolemne, quod à tabellione ad publicũ tabulariũ defertur.

Alterum poſtea ſua manu ſcribit teſtamentum nullis teſtibus munitum, quo cetera omnia teſtamenta reuocãtur. Repetit reſtator à tabellione primùm teſtamentum: illúdque concerpit: concerptum in arculam cum ſecundo teſtamento non ſolemni recondit. 1.

Aiunt, apud iudicem primum valiturum. In vtroque teſtamento varia ſunt legata, non eadem in ambobus. Iis, qui res à teſtatore mandatas gerere debent, incertum eſt, cui teſtamento obſequi debeant, primóne, an ſecundo: & vtriùs teſtamenti legata præſtare.

Reſpondi, legata præſtanda eſſe ſecundi, cùm illud ſit ſolum verum teſtamentum: quod vltimam demortui ſententiam, & voluntatem gerat: quæ cùm deſit priori teſtamento, teſtamentum nec dici, nec eſſe poteſt. Ac licèt poſteriori obligatio deſit ciuilis, non deeſt tamen obligatio deuinciens conſcientiam.

Reſponſum hoc non fuit noſtrum, ſed D. Antonini, cuius hæc ſunt verba atque ſententia, in 3. parte, ſuæ Summæ, tit. 10. cap. 3. §. 14. Item nota, quòd cùm quis ſanus, vel infirmus, qui eſt ſanæ mentis, vltimò diſponit de bonis ſuis, de quibus poteſt diſponere per ſimplicem ſcripturam, vel verba ſolùm, non violentatus, vel circumuentus, ſed liberè ſine notario, & teſtibus debitis: ſtandum eſt eius tali diſpoſitioni in foro conſcientiæ: & heredes, quibus hoc conſtat certitudinaliter, tenentur ad obſeruandum illud; etiam ſi priùs per ſolemne teſtamentum aliter diſpoſuerat. Executores etiam tenentur ad hoc, ſi certi ſunt de vltima voluntate, in quantum poſſunt. Vnde Greg. XII. quæſt. 2. vltima voluntas defuncti modis omnibus conſeruetur. Vbi dicit Gloſſ. 2.

Gloſſ. quòd intelligitur cùm voluntas eſt rationabilis. Syluester, in verbo, Teſtamentum, 1. quæſt. 5. notab. 4. ſententiam & verba D. Antonini, citans, inquit, ſecundùm Archiepiſcopum, & veritatem, ſi quis ſanus, vel infirmus ſanæ mentis, non violentatus, vel circumuentus, &c.

3. Eſt mihi nihilo ſecius probabile, quando iis, qui exhaurire mandata debent teſtatoris, ob ſecundi teſtamenti explenda legata, aut vitæ, aut famæ, aut honoris, aut fortunarum graue damnum impenderet, in Epiſcopum onus omne deonerare poſſe: omni tamen adhibita cautione, ne teſtamenti conſciſſi, nec veri, formula teſtamenti veri quamuis non ſolemnis ſententiam auctoritatémque opprimat. Neque verò in hoc genere legatorum ignorare vllomodo decet, quod tum à Theologis, qui de Chriſtiano officio ſummas ſcripſerunt, tum ab vtriuſque iuris Doctoribus eſt traditum, legata pia non vitiari, & caduca fieri ob teſtamentum, cui iuris ſolemnia abſunt. Sed ea regula, quam à nobili iuriſconſulto ſumptam in ſuam Summam tranſtulit Syluester, in verbo, Teſtamentum, 1. quæſt. vlt. concluſ. 8. qua vtendum eſt in teſtatoris mandatis conficiendis, eſt docto magiſtro digna, quam Syluester his verbis deſcripſit.

4. Quando ex caſu ſuperueniente colligitur præſumptio, quòd ſi teſtator cogitaſſet, ita diſpoſuiſſet, talis mens debet attendi, probat tex. in l. tale pactum in fin. & tex. cum Gloſſ. in l. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſis. & in l. generaliter C. de inſtitutionibus & ſubſtitutionibus ſub conditione factis. Addamus ipſi verba ex l. non aliter. ff. de legat. & fideicomm. 3. Non aliter, inquit lex, à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe teſtatorem. Si ergo à forma verborum ſcripti, vel ſolemnis teſtamenti, quæ teſtatam habet teſtatoris voluntatem, recedere licet, cùm contra verba aliquid certius habemus, quo defuncti ſententia declaratur: quantò magis à teſtamento non ſolemni contra ſolemne ſtandum erit: cùm ſolemne mentem omnem amiſerit teſtatoris, quæ in non ſolemni dumtaxat ſignificatur & integra conſeruatur?

QVÆSTIO IX.

Testator rem legauit cuidam templo, cui ſacra Diui Auguſtini familia diuina præſtat obſequia; qua nec templum ipſum, nec familia eget; imò, quæ inanem potiùs, & popularem quamdam teſtatoris præ ſe fert oſtentationem: teſtatoris filius, Epiſcopo Auguſtiniana aſſentiente familia in rem meliorem, atque vtiliorem, legatum conuertere vellet. 1.

Quæritur, num Epiſcopus ſuo iure eiuſmodi commutationi aſſentiri poſſit: &, vt quæſtio finita ad infinitam traducatur, quæritur, an legatum ad pias cauſſas, quod de iure, & de facto, vt loquuntur, impleri poteſt, queat ab Epiſcopo in rem meliorem commutari. Non poſſe duo hæc perſuadent. Primùm, quia vltimas teſtatorum voluntates firmas ac fixas eſſe decet: ideo enim vltimæ dicuntur, quia poſteriores non admittunt, quæ illis aduerſari queant. Quare nec voluntas heredis, nec legatarij, nec Epiſcopi eas infirmare poteſt, ſeu conuellere. Deinde concilij Tridentini decreto cauetur, vt vltimarum voluntatum commutationes nonniſi iuſtam & neceſſariam ob cauſſam fiant, in ſeſſ. 22. cap. 6.

Huius autem legati commutãdi etiam ſi iuſta cauſſa adferri poſſit, ea tamen non eſt neceſſaria. Quare commutationem conari nefas eſt. Sed verius multo eſt, eius commutandæ rei, & legatas res in meliores DEO que magis acceptas, poteſtatem permiſſam eſſe Epiſcopis. Id planis verbis affirmant hi principes caſuum conſcientiæ explicatores, Angelus, in verbo, Legatum, ſect. 2. num. 12. Sylu. eod. tit. ſect. 4. quæſt. 12. Tabiena, eod. 2.

tit.

tit. ſect. 2. §. 10. ſeu num. 11. & num. 16. Armilla, eod. tit. num. 55. & hanc ait eſſe veritatem. Præcipuum huius ſententiæ auctorem proferunt Petrum Peruſinum, in tractatu de Canonica portione Epiſcopi: adiuuant eandem ſententiam auctoritate Antonij Butrij, in cap. verùm, de condit. appoſ. qui ſcripſit, rem legatam in magis pium vſum poſſe mutari, quamuis alienationem teſtator prohibuiſſet. Ioan. Tab. idipſum probat auctoritate Ludouici Romani, qui dixit legatum factum, aut ad calicem coëmendum, aut ad Eccleſiam ſarciendam, ſi rebus his non indigeat Eccleſia, ab Epiſcopo poſſe in alium vſum conuerti.

3. Illud verò vtiliter admonent cōſcientiæ caſuum explanatores ex Bartolo, in l. liberto, §. Lucius. ff. de annuis legatis. Cùm teſtator ſignificat, quid de re legata fieri velit, vſu non impleto, ius commutandi ademptum eſſe Epiſcopo.

Sed quæ huic communi Doctorum obſtare videntur ſententiæ, remouenda ſunt. Iura omnia vltimis voluntatibus oppido fauere fatendum eſt, & à nobis in quadam diſputatione verbis & ſententiis magnorum auctorum demonſtratum eſt. Scio, à Suetonio, in Tiberio Cæſare, cap. 31. hiſtoriæ, mandatum eſſe, eum Imperatorem cùm cenſuiſſet pecuniam legatam in opus theatri, concedendam Trebianis, vt in munitionem viæ transferre poſſent, à magiſtratu obtinere non potuiſſe, quin rata voluntas legatoris eſſet: id tamen haud impedimento eſt, quin Epiſcopo liceat, quod ipſi probauimus.

4. Primùm, quia teſtatorum voluntas legibus obſequi debet: hæ autem cùm pia legata moderandi & commutandi poteſtatem permittant Epiſcopis, ea à teſtatoribus ſpoliari non poſſunt. Deinde: quia, qui pietatis ergò bona ſua relinquunt, id, quod eorum ſaluti vtilius, & DEO carius eſt, velle debent: quare ſi quod legatum eſt, non eſt in iure alterius, aut ſi eſt, in rem meliorem migrare rem ſibi legatam cupit, conceſſu Epiſcopi fieri poterit. In quo videas Prælatos in huiuſmodi commutationibus non infringere voluntates teſtatorum, ſed potiùs interpretari, & illi voluntati, quam verbo, ſcripto, alióve ſigno declararunt, eam præponere, quam iidem teſtatores potiorem, & religioſiorem duxiſſent, ſi de ea cogitaſſent. Seruatur igitur voluntas teſtatorum, non explicita, expreſſa, & formalis, ſed virtualis, & interpretatiua, vt Theologicè dicam.

Dices ergo, Voluntas teſtatoris, ſi mutetur, non erit vltima. Reſpondeo, vltima eſt, ſi comparetur cum ceteris teſtatoris voluntatibus, quas præ ſe tulit cùm viueret; non eſt vltima, ſi cum aliis voluntatibus, quas ſi cogitaſſet, non reſpuiſſet. Deinde vltima eſt, ſi ad perſonam referatur teſtatoris; non vltima, ſi ad perſonam, ſeu voluntatem commutantis. At concilium Tridentinum requirit in commutationibus iuſtam & neceſſariā cauſſam; atque neceſſitas non apparet commutādi legatum, de quo controuertitur.

Reſpondeo, particulam illam: *&*, vim habere disiungendi, non coniungendi, & huic parem eſſe, *vel, aut, ſeu*, quemadmodum apud Ariſtotelem in definitione naturæ ab eo explicata in 2. Phyſico, tex. 3. cùm dixit naturam principium eſſe aliquod mouendi, & quieſcendi; in quo eſt primùm, particula illa *&*, eſt pro, *vel*: neque enim in cunctis corporibus naturalibus natura eſt principium mouendi, & quieſcendi: ſunt enim nonnulla quæ numquam quieſcunt; vt corpora cœleſtia; nonnulla, quæ nunquam per ſe mutant locum, ſed immobilia ſunt, vt partes terræ, quæ centrum ambiunt.

In ſecunda item definitione animæ tradita ab eodem Ariſtot. in 2. de anima tex. 25. Anima eſt id, quo viuimus & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primo: *&*, pro, *vel*, vſurpari certum eſt. Illic enim definitur omnis anima, at non omnis anima præſtat illa omnia.

Eôdem accedit, quòd cōſuetudo quotidiana legata in res meliores commutandi, nulla cogente neceſſitate, cogit

nos non ſecus exponere verba concilij. Ad extremum obiici poſſet, falſum eſſe iura Epiſcopis facultatem vltimarum voluntates commutandi tribuere, imò ſummo Pontifici ius hoc reſeruant. Lex enim Eccleſiaſtica lata in Viennenſi concilio à Clemente V. loquitur his verbis: Cùm ea, quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalua quidem ſedis Apoſtolicæ auctoritate) conuerti: quæ verba habentur in Clementina, Quia contingit, de religioſis domibus. & in l. legatam municipio. ff. de adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium, eſt his verbis: Legatam municipio pecuniā, in aliam rem, quàm defunctus voluit, conuertere citra principis auctoritatem non licet. At nomen principis propriè conuenit inter Eccleſiaſticos ordines Romano Pontifici. Ob quas leges credunt nonnulli Epiſcopis non eſſe permiſſam vltimarum voluntatum commutationem, ſed Pontifici Maximo; vt Ancharanus, vt Imola, vt etiam Clementinæ, Gloſſa. Verùm, qui ſecus opinantur, reſpondēt, abſque cauſſa ſolum Papam in alium vſum pia legata poſſe conuertere, cùm verò cauſſa ſubeſt, etiam Epiſcopos.

Cui opinioni, quia plurium, & meliorum, & Theologorum eſt, pugnaciter reſiſtere haud eſt hominis cum Chriſtiana modeſtia diſputantis, & verum ſine contentione quærentis.

QVÆSTIO X.

1. FRanciſcus Ptochotrophio legauit centum; Ioanni quinquaginta, ad eiuſdem egeſtatem ſubleuandam; aliis alia: mandauit etiam, in quodam templo vt ſingulis annis pro ſua ſalute quadraginta fierent ſacrificia, totidémque diuina officia celebrarentur. At ad hoc extremum præſtandum, pecuniæ, qua opus eſſet, vix tertia pars ſuppeditat.

Quæſitum eſt: qua ratione demortui voluntati ſatisfieri poſſit: & num alia legata minuenda ſint, vt huic poſtremo de Eccleſiaſticis ſuffragiis, quæ optauit defunctus, locus ſit.

Reſpondi, ſi is, qui deceſſit, poſtremum legatum adeo reliquis prætulit, vt de eo nihil eximi voluerit; tantùm ab reliquis legatariis auferendum eſſe, quantùm ad ſuffragiorum numerum explendum fuerit ſatis. Quòd ſi defuncti voluntas dubia eſt, ſummam bonorum omnium, quæ reliquit, ea ratione diſpertiendam eſſe, vt Sacerdotibus pro ratione numeri ſacrificiorum, atque officiorum diuinorum, pars maior obueniat, & reliquis pro quantitate legati, ſua item tribuatur.

Duæ nos leges ad hanc quæſtionis ex- 2.
plicationem ducunt: lex, ſi pluribus, & lex, ſi quis teſtamento, ff. de legatis primo. Docet prior lex: Si res eadem pluribus legetur coniunctim: vt Petro, Ioanni, Franciſco lego meum fundum, partem illos habituros; & tu adde ex l. legata inutiliter, ff. eod. §. in legato, æquas partes habituros: ſic enim in illo §. in legato pluribus relicto, ſi partes adiectæ non ſunt, æquè ſeruantur. Quòd ſi ſeparatim res eadem relinquatur ad hunc modum: Lego meum fundum Petro. Deinde, lego meum fundum Paulo, Si quidem, verba ſunt legis, euidentiſſimè apparuerit, ademptione à priore legatario facta ad ſecundum legatarium teſtatorem conuolaſſe, ſolum poſteriorem ad legatum peruenire placet. Sin autem hoc minimè apparere poteſt, pro virili portione ad legatum omnes venire, ſcilicet niſi ipſe teſtator ex ſcriptura manifeſtiſſimus eſſet, vtrumque eorum ſolidum accipere voluiſſe: tunc enim vni pretium, alij ipſa res aſſignatur, electione rei, vel pretij ſeruanda ei, qui prior de legato, ſideive commiſſo litem conteſtatus eſt. Ita tamen, vt non habeat licentiam altero electo ad alterum tranſire. Hactenus lex, ſi pluribus. In lege verò ſi quis teſtamento. §. apud Iulianum, eſt his verbis. Apud Iulianum

„ Iulianum lib 32. digeſtorum, Marcellus
„ notat, is, qui ſola 30. reliquerat, Titio 30.
„ legauit, Seio 20. Mæuio 10. Maſurius Sa-
„ binus probat, Titium, 15. Seium, 10. Mæ-
„ uium, 5. conſecuturum, ita tamen vt ex
„ his pro rata portionis Falcidiæ ſatisfiat.

3. Verùm magni auctores tradunt in piis legatis non eſſe locum Falcidiæ; idque communiter à Doctoribus teneri tradit Panormit. in c. Raynaldus de teſtamentis; quem conſcientiæ caſuum explicatores ſequuntur. Vide Syluestrum, in verbo, Legatum, 4. quæſt. 6. Ioannem Tab. eodem tit. 2. num. 6. Angelum, eod. tit. 2. numer. 5. qui Doctores idem cenſere videntur de Trebellianica, in iiſdem locis, vbi ſententiæ huius patronos citant Bartolum & Baldum, quamuis ſecus viſum ſit Ioanni Andreæ & aliis nonnullis: Bartoli autem & Baldi opinionem ait Syluester eſſe magis piam, & tenendam; nec ſecus docuit Syluester, in verbo, Legitima portio, quæſt. 12. & Angelus eodem num. 13. & Tab. eod. num. 6. de diſceptata autem à nobis quæſtione aſſentiuntur iidem Summarum ſcriptores, Syluester, in verbo, Legatum, 3. quæſt. 5. Angelus eodem 1. num. 35. Tab. eodem tit. 1. num. 33.

4. Nonnullus cenſuit in iis legatis habendam eſſe rationem ordinis, vt priora poſterioribus anteponantur: In quo magnopere hallucinabatur, primùm quia eius ſententia à lege is cui, §. ſi plures. ff. vt in poſſeſſione legatorum, palam rece-
„ dit. Sic enim lex. Inter legatarios enim
„ nullum ordinem obſeruamus, ſed ſimul
„ omnes æqualiter tuemur: quam legem ſequuntur omnes conſcientiæ caſuum diſceptatores. Angelus, in verbo, Legatũ, 1. §. ſeu numer. 57. Ioannes Tab. eodem tit. 1. num. 54. Syluest. eodem tit. 1. q. 16. ſeu num. 20. Armilla eodem tit. num. 41. in quo pro, *tenemur*, quod corruptè legitur, debet eſſe, *tuemur*. Deinde fieri poteſt, vt legatorum omnium digniſſimum, & quod teſtatori maximè cordi fuit, poſtremo loco nominetur, & collocetur. At nulla ratio ſuadet, vt huiuſmodi legatum intereat propter minora, minúſque digna quę prius à teſtatore indicata fuerũt.

QVÆSTIO XI.

Migraturus è vita Statius, Proculo fratri, quem ſuorum bonorum heredem relinquit, denunciat, Lucretiam paruulam ſibi filiam eſſe, ex aliena muliere ſuſceptam: eam apud matrem educari: mandátque eidem, vt matri ereptam puellam domum ſuam deducat: eámque alat commodè, liberalitérque inſtituat: ac nubili parem cum reliquis neptibus dotem conficiat. 1.

Proculus, in fraternis mandatis perſequendis nil cunctatus, ad matrem puellæ tunc grauiter ægrotantem, Sacerdotem allegat; cuius ſuaſu è gremio matris faciliùs infantem puellam auelli poſſe arbitrabatur. Verùm illa audacter pernegare ſuæ natæ patrem Statium eſſe, aut quidquam ad eum pertinere: ita recedit à muliere re infecta Sacerdos.

Lucretia iam annos viginti nata, nuptias optat: Proculum dotem poſcit, tamquam Statij filia.

In hac cauſſa quid iuris neceſſarij, quídve officij ſui ſit, Proculus ſciſcitatur.

Reſpondi cauſſæ ſtatum eſſe coniecturalem, nec magis ad Theologũ, quàm ad iuriſconſultum, ſapientémve iudicem pertinere: rem totam veriſimilibus coniecturis inueſtigandam eſſe: idémque iudicium in vtroque foro fieri oportere. Sed ſi ſignis, ac coniecturis facti veritas illuſtranda foret, eſſent illæ capiendæ ex perſona mulieris, ſi viuit; ex perſona filiæ; ex perſona Sacerdotis, ſi is ſit ſuperſtes: ex fama viciniæ; ex ſermone eorum virorum, earúmque mulierum, quibuſcum agebat Lucretiæ mater familiariter: ex eorum quoque collocutione, quorum conſuetudine & amicitia vtebatur Statius. Iure etiam iurando vrgerem mulierem ad veri confeſſionem, nec nõ nimis. 2.

ſi opus foret, perterrefacerem: item iureiurando omnes, qui à matre Lucretiæ, vel à Statio, quod ad genus cauſſæ pertinet, quidquam accepiſſent, interrogarem, cogerémque aperire.

Hæc omnia ſi ipſe legitimus iudex eſſem, & quæſitor in hac cauſſa, perquirerem diligenter. Lucretiæ quoque formam corporis, oriſve habitum perſpicerem, num quæ facies Statij erat, imitetur. E matre quærerem quo menſe filiam conceperit, & quo pepererit: vt, ſi fortè fateretur à Statio ſe cognitam eſſe, viderem num tempus concubitus, conceptus, & partus, ex iis quæ hoc de genere à peritis Phyſicis, Medicíſque traduntur, congrueret. Harum enim ſimiliúmque rerum cognitione imbutus prudentis iudicis animus haud à vero iudicio aberraret.

3. Quòd ſi hæc omnia veri cognoſcendi cupidum deficerent, tunc ambas coniecturas contrarias contenderem: illam, inquam, quam Statij confeſſio, & eam, quam ægrotantis mulieris ſuppeditauit inficiatio. In quarum contentione mihi ſanè verior illa videtur eſſe mulieris. Primùm, quia de prole multò certiùs ſcit mater, quàm pater. Notum enim eſt illud Telemachi reſponſum apud Homerum, in 1. Odyſſeæ, qui interrogatus à Minerua, filiúsne eſſet Vlyſſis, his verbis reſpondit:

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πω τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Mater quidem ait illius me eſſe: at ipſe non noui:
Nondum enim quiſquã ſuũ cognouit patrem.

Vel ſic.

Illo me genitum genitrix ait: aſt ego verè
Neſcio. Nullus enim proprium ſe nouit habere
Patrem.

Deinde quia mulieres gliſcente amoris voluptatíſque illecebra multa amatoribus ſuis mentiuntur: multa iiſdem imponunt affirmando, inficiando, annuendo, abnuendo. Tum quia Statius teſte dumtaxat muliere diſcere potuit Lucretiam ex ea tuliſſe: at muliebre teſtimonium perleue eſt, & fallax, maximè verò talium mulierum.

Nam de mulierum vanitate, leuitate, atque perfidia eſt illud vulgatum diſtichon à Gloſſa recitatum in cap. forus, de verb. ſignif. 4.

Quid leuius fumo? flamen. quid flamine? ventus.
Quid vento, mulier. quid muliere? nihil.

Licuítque veram ſententiam enuncianti in ſecundo verſu à veris ſyllabarum interuallis diſcedere: cùm pro *mulĭere, mulīere* dixit: *nam varium* (verba ſunt canonis) *& mutabile teſtimonium ſemper femina producit.*

Quòd ſi ex iſta muliere ſcintilla veritatis excuti potuit, multò eſt probabilius verbis eã Sacerdotis excuſſam eſſe, quum morbo corporis periculosè decumberet libidinis facibus extinctis; quàm tunc exiliſſe ſcintillam veri, quum animo ſaucia inſani amoris ardentibus tędis ambureretur. Pòſt credibile eſt, tum mortis impendentis, tum æterni apud inferos cruciatus metu mulieri extortam eſſe veritatem, quam in cœnum libidinis inhoneſta amicitia demerſerat.

Ad extremum. Cur Lucretia tot annos poſt matris ſuæ inficiationem petitionem dotis neglexit? Cur non ante vigeſimum annum ſe Statij eſſe filiam & profeſſa eſt, & probauit? Mitto hominis eſſe leuiculi, mulierculis proſtratæ pudicitiæ, & quæ lucri cauſſa amatores conſectantur, de prole facilè credere.

Quoniam igitur Lucretiæ flagitanti dotẽ materna inficiatio nocet; non video quî cogi poſſit Proculus eam dotare, niſi maiora quædam quæ non exponuntur à conſulente, negationẽ matris elidant. Faciléque patiar hominis ingenioſioris, & acutioris, vincere opinionem, meliora & probabiliora, quàm ſunt hæc noſtra, colligentis: ſed ne genus cauſſæ ea ſuppeditaturum non ſit, valde vereor.

QVÆ

QVÆSTIO XII.

1. Accipit in matrimonium Silius Zenobiam:inter quos ſecundus & tertius propinquitatis gradus intercedit. Ante nuptiale fœdus propinquitatis impedimentum Romani Pontificis auctoritate remouetur.Mortuæ vxori iure municipij ſuccedit heres Silius.Hic poſt aditam hereditatem intelligit inter ipſum & Zenobiam quartum item propinquitatis gradum interiectum fuiſſe: qui,quoniam ignoratus fuit ante obitum Zenobiæ, in ſupplici libello ad Apoſtolicam ſedem miſſo præteritus fuit.

Quum igitur huius quarti gradus reticentia,quamuis expers culpę matrimonium irritum fecerit,quęſiuit Silius:num ſuæ vxoris legitimus heres eſſe potuerit: poſſitque iure conſcientiæ in bonorum poſſeſſione permanere.

2. Conſulenti Silio duo reſpondi. Alterum eſt, quando ſedis Apoſtolicæ conceſſu in conſanguinitatis affinitatiſve interdictis gradibus eſt ineundum coniugium,magis neceſſariū eſſe remoti quàm propinqui gradus facere mentionē: imò ſatis eſſe Romano Pontifici remotū dumtaxat ſuggerere:ideo,quòd remotior gradus propinquiorem ad ſe trahit: licèt in more curiæ ſit illud poſitum: vt litteræ propinquiorem etiam gradum declarantes dentur. Atque id omne,quod nos dicimus,dicit & confirmat Pius V. in quadam cōſtitutione, quæ in volumine bullarum inter ſuas eſt 23. qua contrariam quamdam Pij IV.abrogat conſtitutionē: qui decreuerat in matrimonialibus diſpenſationibus non tantùm remotum,ſed etiam propinquum gradum ſedi Apoſtolicæ indicari oportere:cęteroqui inanem & nullam gratiam futuram diſpenſationis:in quo à Romanæ curiæ conſuetudine receſſum eſſe contra fauorem matrimonij teſtatur in illa ſua conſtitutione Pius V. Quæ conſuetudo, nec Dominicum Sotum latuit in 4.ſent.diſtin.40.qu. vnica,art.2.in extremo.

3. Sequitur alterum:Iure Silium vxoriā creuiſſe hereditatē: iuſtúmque eius poſſeſſorem videri. Etenim ſi quoduis impedimentum matrimonium dirimens, quum aut vtrique, aut alterutri coniugi ignoratum eſt, non officit proli, quominus legitima cenſeatur:ſitque iuris hereditarij, ac ſucceſſionis particeps; id quod liquet tum ex Decretali,Cùm inhibitio, de clandeſtina deſponſatione; tum ex cap.ex tenore, qui filij ſint legitimi: non video,cur vereri debeat Silius ne nō captam retinere poſſit hereditatem. Siquidem non minùs is ſuæ vxoris vir legitimus habendus eſt,quàm legitima haberetur proles,ſi ex eo aut fuit, aut fuiſſet ſuſcepta.Nam ſi bona fides fauet proli: fauere etiam parentibus debet innocentibus,ſeu innocenti parenti. Vim huius probationis infregiſſe ſe crediderunt nonnulli:quòd in hac cauſſa non par ratio videatur eſſe filiorum ac parentum: cùm aut de veritate matrimonij, aut de legitimo iure ſuccedendi agitur. Nam proles non cogitur credere parentibus contra ſeipſam: parentes quos impedimenta dirimentia non latent, contra ſeipſos credere coguntur.

4. His ego contrà obieci. Quid cùm impedimenti notitia,quæ vim adfert parentibus, adfert etiam filiis? vt, cùm poſt contractum matrimonium aut conſanguinitatis, aut affinitatis gradus aliquis retegitur diſſoluens matrimonium,quem nec parentes, nec liberi queunt vlla ratione inficiari? Sanè Eccleſia, quando id beneficium dat proli,vt ſit legitima:quæ è connubio procreata eſt vtriuſque ſponſi,vel alterutrius bona fide in facie Eccleſiæ celebrato; quamuis poſtea impedimentum quodpiam dirimens opponatur, illud non tribuit proli,quia illi fas ſit impedimentum pernegare, aut parentibus non credere:ſed ob ſolam bonam parentum fidem,aut amborum, aut verò alterius,vt dictum eſt.

Multo acriùs vrgere poſſet hoc noſtrum

ſtrum argumentum è Clementis VIII. reſponſo petitum. Is enim conſultus de matrimonio quodam, cui primaria mulier non erat aſſenſa, aſſentiente tamen viro, & de vxoris diſſenſu nihil ſuſpicãs, reſpondit, matrimonium non ſolùm fuiſſe nullum, verumetiam prolem ſuo reſponſo, & poteſtate effecit legitimam: quum minimè legitimã iudicaret ex eo matrimonio extitiſſe.

Hoc reſpõſum ex ore Põtificio prompſit pater Stephanus Tuccius ſodalitatis noſtrę ſacerdos religioſus, idémq; Theologicis artibus egregiè imbutus: eidémque Pontifici intimus: atque ad me illud ipſum reſponſum Venetias miſit; vt incommodis matrimonij ac mulieris, & filiorum ex præſcripto Clementis VIII. medicinam adhiberem. Verùm hoc argumentum non minùs ius infirmat parentum, quàm liberorum: nam liberos facit legitimos. Itaque reſponderi poſſet: quod cum prole à Romano Pontifice factum eſt, magis factum eſſe ad pacandas conſcientias magiſque ad confirmãdum ius filiorum, quàm ad rem vllam contra antiquorum canonum iura innouandam; nec non eam fortaſſe ob cauſſam, ne quiſquam ſacrorum canonum imperitus ſua inſcitia proli obeſſet: quòd non eſſe legitimam, nec ciuilis ſucceſſionis capacem falsò arbitraretur. Salua veriore ſententia.

QVÆSTIO XIII.

1. CVm vellet herus, teſtamento, famulo ſuo relinquere ducentos aureos nummos; à famulo eodem admonitus legat centum quinquaginta: ſubiecerat enim teſtatori famulus ſe minore legato contentum fore, illis inquam centum quinquaginta. Porrò famulo deceſſionis quinquaginta aureorũ faciendæ ea cauſſa fuit, quòd tantumdem pecuniæ multis minutis furtis à ſe fraudatæ hero deberet.

Quæſtionis fuit an ea diminutione legati onere reſtituendi quinquaginta ſolutus ſit famulus.

Nauarrus ante nos hoc de genere diſputauit, lib. 3. ſuorum conſiliorum, tit. de teſtament. conſil. 1. & contra famulum ſententiam hanc his verbis argumentiſque munitam pronuntiauit: 2.

» Reſpondetur, teneri famulum ad ſoluenda heredi 50. quæ clàm ſubtraxit, ſi receperit centum quinquaginta ſibi legata. Tum, quia velle teſtari, vel legare, non eſt teſtari, neque legare: & ita non fuerunt ei legata 200. Tum, quia licet mutare vltimã voluntatem vſque ad extremum vitæ exitum: & ita quamuis legaſſet, potuit mutare voluntatem illã vſque ad mortem, quod & fecit. Tum, quòd conſtat teſtatorem noluiſſe relinquere pluſquam centum quinquaginta tempore quo legauit: & ſi prædictus famulus acciperet 150. & retineret ea cum aliis quinquaginta ſubtractis, retineret 50. vltra contenta in legato, quod non licet. Tum, quia ſi famulus poſſet retinere illa 50. cum 150. legatis, cenſeretur teſtator reliquiſſe 200. 150. legando & remittendo 50. cùm remittere ſit dare, quod eſt abſurdum dicere. Nec prodeſt quidquã illud bonum propoſitum, quod habuit famulus: quia fuit occultum vti mentale ipſi teſtatori; & propoſitum in mente retentum patit abortum. Salua, &c. »

In hac ratione, totáque reſponſione Nauarri tria mihi viſa ſunt animaduerſione digna. 3.

Vnum eſt, ea, quæ dicuntur, non eam accurationem & diligẽtiam præ ſe ferre: quæ ferè ſolet in huius ſapientis ſenis ſcriptis elucere. Vt nõ ſemel veritus ſim, conſilia hæc, quæ poſt auctoris mortem foras prolata ſunt, ab extrema parentis ſui ſententia & voluntate quandoque diſcrepare.

Alterum eſt, argumenta, quæ explicantur, hoc vnum efficere, nomine legati famulum nonniſi 150. capere poſſe.

Tertium eſt, durum, præter æquum &

& bonum, famulo ſe præbuiſſe Nauarrum, qui nulla vſus, aut moderatione, aut diſtinctione, nexu reſtituendi 50. illum obligarit.

4. Si igitur in hac item cauſſa benignitari æquitatique locus eſſe debet, ad hunc modum ſententia commodè diuidi poſſet. Aut famulo certum eſt, vel certè valde probabile herum ſuum, cùm decedebat, & hortatu famuli legatum imminuebat, fraudatam pecuniam ei condonaturum fuiſſe, ſi eam ſibi deberi ſciuiſſet: aut verò credibile eſt nihil remiſſurum: ſi primum credit famulus, & legatum centum quinquaginta adipiſci poteſt, & tuta conſcientia quinquaginta non reddere: nam voluntate domini liberali, & remittente retinet: quamuis non ſit voluntas verbis patefacta: qui enim iuſta, ac recta voluntate domini etiam tacita quidpiam aut accipit aut retinet alienum, ex ſententia Doctorum fur non eſt. Sin famulo alterum eſt probabilius: quinquaginta heredi reſtituat oportet. Si etiam iſte famulus, aut propter ſua in herum officia & obſequia, aut propter mutuam beneuolentiam, atque egregiam diu perſpectã voluntatem, nequidquam dubitat ablatam illam pecuniam conceſſurum eſſe, ſi is rogaſſet, de ea reſtituenda anxius eſſe non debet: iure enim & aſſenſu Domini cenſendus eſt poſſidere: & quoniam ſerui, & ancillæ non ſolent, quæ ſibi à domino legantur, imminuere, ſed potiùs, vt augeantur optare & rogare, quæ conſuetudo minimè latet eoſdem dominos, ſanè mihi veriſimile eſt, huius famuli herum ſuſpicari facilè potuiſſe ob aliquam compenſationem rei, quæ ſibi à famulo deberetur, legati diminutionem poſtulatam eſſe.

Coniecturis autem non captioſis interpretandas eſſe voluntates teſtatorum confitentur Doctores, & non obſcuræ leges idipſum confirmant. Vide Sylueſtrum, in verbo, Teſtamentum, 1. qu. 13. concl. 8. Nauarrum in 3. lib. conſiliorum, conſ. 2. num. 4. de teſtamentis. Couarruuiam, in cap. cum tibi in extremo. Negántque ſi duo poſtremi, Bartolum ſecuti, ſtandum eſſe aſſertioni eius quem teſtator indicem ac teſtem ſuæ voluit eſſe voluntatis, niſi ea confirmari veriſimilibus queat coniecturis.

QVÆSTIO XIV.

Pius iam receſſurus è vita futuris heredibus mandat, vt tabellionem accerſant; à quo ſuprema eius voluntas accipi poſſit, & obſignari. Cùm tabellio, vel qui ad eum mittebantur, moram interponerent, vox deficit ægrum: ita nullum tabellionis manu cõſcriptum eſt teſtamentum: heredes tamẽ ipſi moribundo Pio ſua ſponte receperunt, quidquid is mandaſſet, conſtituiſſétque, ſe bona fide curaturos. Ergo illis ſcribentibus ac ſtipulantibus dictat Pius, iubétque pecuniam mille & octingentorum aureorum nummûm tribus piis religioſiſque ſodalitatibus credi: primo anno, ſexcentos vni ſodalitio ad duodecim annos: ſecundo anno, alteri ſodalitio alteros ſexcentos, ad vndecim annos: tertio anno, tertio ſodalitio ad annos decem, alteros ſexcentos. Vniuerſitatibus, quæ vſuræ ſunt pecunia, hoc onus imponitur, vt ſingulis annis, quoad fruentur pecunia, pridie idus Maias ſollemne officium pro vxoris anima celebrati curent: pro ſua verò anniuerſarium eo ipſo die quo migrauit è vita. Vtendæ verò pecuniæ conſumpto tempore, vt tota heredibus repræſentetur. 1.

De tota hac forma legandi veram ſententiam verúmque ius doceri cupiunt heredes, vt ne fortè grauiore quapiam culpa in poſterum prætermittant, quod per decem annos neglexerunt. 2.

Non defuit, qui omni cura præſtandi legati heredes liberaret, deceptus, quantum ipſe exiſtimare poſſum, duplici ratiocinatione, quæ ſpeciem veriſimilem oſtendit.

Prior

Prior fuit hæc. Quoniam imperfecta teſtatoris voluntas,ſeu imperfecta,vt iuriſconſulti loquũtur,diſpoſitio,nõ ſolùm teſtamenta,ſed etiam legata extinguit.At Pij voluntas fuit imperfecta,& inchoata: nam ideo tabellionem euocabat, vt illius manu,& teſtificatione ſuprema,eius voluntas firmaretur:ergo, cùm tabellio abfuerit, nec firma, nec rata potuit eſſe voluntas defuncti.

Idipſum ſeptem & decem Doctorum auctoritate comprobatur : qui nominantur omnes à Couarruuia in cap.relatum, 1.de teſtamentis,num.9.vbi quęſtionem, noſtræ, quam tractamus, germanam, his » verbis proponit. Teſtator graui affectus » morbo diſpoſuit plurima circa proprium » teſtamentum, dicens ita velle teſtari : &, » cùm eſſet notarius vocandus , & teſtes, » coram quibus omnia illa teſtator rata & » firma cenſeret,vti proprium teſtamentũ: » (iuſſerat enim ipſe,aut animo deſtinaue» rat,vt notarius,& teſtes vocarentur : quo » actus ille ſollemniter ageretur) tamdem » ante hanc ipſius voluntatis perfectionem » mortem obiit ipſe teſtator. Reſpondit » Oldradus conſ. 119. etiam quoad legata » pia hanc diſpoſitionem effectus non ha» bere:idem Alber.&c. ſubiicítque magnã turbam teſtium.Quam ipſam opinionem confirmàt verbis legis,fideicommiſſa, §. quoties.ff.de legat.3.Huius opinionis adſtipulatores ille ipſe auctor, qui noſtrum legatum ſcripto conuellit, non ſolùm dixit eſſe Couarruuiam in cap. relatum, de reſtam. ſed noſtrum etiam Ludouicum Molinam in volum.1. de iuſtitia & iure, diſputat.134.

3. Poſterioris ratiocinationis in eo vis ſita eſt:quòd legatum,quo de agitur, fœnoris labe turpificatum eſt : nam idcirco mutuam Pius pecuniam dabat ad certum annorum ſpatium locis piis, vt ſacrorum officiorum , & anniuerſariorum lucrum annuum tum ſua, tum vxoris cauſſa conſequeretur. Quòd ſi pro Pio contendas lucrum iſtud ſpirituale eſſe,quod ciuilem æſtimationem non habet:quare,eum qui mutuam pecuniã legat, exſpectare poſſe compendium illud ſacrarum precationũ, & ſacrificiorum:opponeretur fortaſſe ab eodem auctore , qui eſt legato huic infenſus , quamuis diuina officia ſpiritualia ſint,onus tamen illa quotãnis perſoluendi,eſſe ciuilem quamdam obligationem: atque ita nihil de argumenti robore imminutum eſſe. Quòd ſi legatum crimine vſuræ contaminatum eſt , non pium, ſed flagitioſum, atque impium cenſeri oportet : quare nulla indidem exiſtere poteſt obligatio,quę heredes ad ſatisfaciendum legato vrgere debeat.

Mihi tamen , nonnulliſque aliis non 4. contemptiſſimis Theologis de re vniuerſa ſecus eſt viſum:legatum & ſcelere vacare,& in eo genus pietatis eſſe, & caducum, ſeu irritum non dici debere : eique nullam iuris ciuilis præſcriptionem, aut omiſſam ſollemnitatem nocere : vt quàm mox ex iis, quæ ſubiungam , perſpici poterit.

Negant igitur Chriſtiani officij diſceptatores,legata pia vitiari,aut irrita fieri,quia vel teſtamentum eſt nullum : vel quia nulla conſecuta eſt, vel adiecta heredis inſtitutio. Vide Syluestrum, in verbo,Teſtamentum,tit.1.q.5.vbi ſuam ſententiam confirmat D.Antonini teſtimonio : is autem in 3.par.tit.10.cap.3.§.14. quamlibet voluntatem non ſollemnem in conſcientiæ foro ſcribit eſſe ſeruandã: & hâc veritatem eſſe affirmat. Idem Syluester,in eod.tit. de teſtam.§.7.notab.4. ſentit omnino:atque in illa quæſt.5. quæ è iure ciuili ſollemnia obiici poſſunt, ait reuocata eſſe. Conſule eumdem Syluestrum,in verbo,Legatum,tit.2.§.7.& 8. in calce.

Obiicies. At Panormitanus in cap.indicante de teſtamentis , ſcripſit , Si quis 5. » nolit mori inteſtatus,nõ valere legata ad » pias cauſſas,herede non inſtituto. Quod » Panormitani dictum ſequuntur, & recitant,Angelus,in verbo, Legatum, ſecundo,num.2. & Tabienſis in eod.verbo,& titu.num.7. Verùm Syluester, in verbo, Legatum

Legatum 4.q.8.opinionem Panormitani ait valere in foro cauſſarum, non item in foro conſcientiæ. At illi decem & ſeptem Doctores nominati à Couarruuia, idem affirmant.

Reſpondeo, eos quoque vel tamquam iuris ciuilis interpretes locutos eſſe; vel intelligendos in foro cauſſarum; vel imperfectam diſpoſitionem ab iis iudicatã eſſe, non cui deſit perfectio cõſenſus, ſed operis: vt interpretantur Angelus, Tabiena, Syluester, in verbo, Legatum, citatis titulis; vel dixerunt imperfectam ratione ſollemnitatum, non voluntatis: quæ ſola iure diuino, naturæ, & canonum ſequenda eſt in legatis piis. Eſt enim ſalutare ac neceſſarium monitum illud Couarruuiæ in commentario, cap. relatum, 1. de teſtamentis, num. 13. cauſſas pias iure Pontificio diiudicari debere.

Ergo ad ius Pontificium adeamus.
» Beatus Gregorius iubet his verbis: Vlti-
» ma voluntas defuncti modis omnibus
» conſeruari debet: & habetur 13.q.2.can.
4. & idem Gregor. lib.3. epiſt.9. ad Cara-
» litanum Epiſcopum. Admonere te volu-
» mus, ne piæ viuorum, aut defunctorum
» volũtates, tua, quod abſit, remiſſione eaſ-
ſentur: qui canon extat 16.q.1.cap. admonere. & Gregor. IX. in cap. Indicante,
» de teſtamentis, ſic ſancit: Cognouimus,
» R. referente, quòd moriẽs vxor Redem-
» pti concham argẽteam nudis verbis iuſ-
» ſit venundari, & ſuis dari libertis, & ſcu-
» tellam argẽteam cuidam monaſterio re-
» liquiſſe; in quibus voluntatem eius per
» omnia volumus impleri.

6\. Nec mirum nobis videri debet, ſi ſacræ ſanctiones Eccleſiæ, quibus, vt ancillulæ ciuiles leges præſto eſſe, & ſeruire debent alacriter, adeo piis teſtatorum, ſeu legantium voluntatibus famulantur: vt eas integras conſeruari velint, vel ſæculi repugnantibus legibus: id enim, cùm facit Eccleſia, ſuo iure facit: quia cùm pia legata ad diuinum cultum, & religionẽ, ad egentium calamitates neceſſitatéſque ſubleuandas, ad ſolatium & alleuamentum defunctorum, vt eorum animæ pœnis citiùs exſoluantur, inſtituta ſint, ea perire nulla ratione pati debet.

Pertinet enim ad Romanum Pontificem, qui in cunctos Principes Chriſtianos, vt in filios diuinitus ius obtinet, & imperium, remouere omnia impedimenta, quæcumque pietati, religioníque vltimarum voluntatum, & legatorũ vtrumque incommodare poſſent.

Quamquam illud inficiari non poſſumus ciuiles etiã leges in hac parte Eccleſiaſticis ſanctionibus multifariam morigeratas eſſe. Nam eum, qui conſcius eſt voluntatis defuncti, circa legata, vel fideicommiſſa, ſolo cõſcientiæ teſtimonio eidem voluntati parere debere perſpicuis verbis præcipit lex, non dubium, §. illud etiam, C. de teſtamentis, & lex, & ſi inutiliter, C. de fideicommiſſis, & lex poſtrema, eod. tit.

Falſóque Couarruuiæ & Molinæ opinionem ſuam aſſignat is, qui ſuo tecto 7.
nomine contrariam ſcripto prodidit ſententiam. Nam Couarruuias nobiſcum ſtat in commentario, cap. relatum, de te-
ſtament. num.9. verſu, Septimus huius »
capitis intellectus, & Molina in 1. volum. »
de iuſtitia & iure, diſputat.134. columna
extrema, verſu, Vtrùm verò diſpoſitio: »
Lege, ſi placet, quęſtionem noſtrã ſextam in hoc ipſo libro de teſtamentis, & legatis piis: cuius quæſtionis initium eſt, Herus: vbi ſeptem argumentis obtinere conati ſumus poſtremas decedentium voluntates pias non infringi ideo, quòd iuris ſollemnibus carent.

Præterea ſi legatum hoc negligitur ab heredibus, triplici ſcelere alligantur: vno, infidelitatis ſeu perfidiæ: nam in re non leui fidem defuncto datam fallunt: altero, iniuſtitiæ: quia, quod ſodalitatibus iure diuino & naturali debent, hoc eſt, pecunię vſum, non perſoluunt: tertio, impietatis: nam patris animæ, & bono felicitatis, quo anhelat, quantùm in ſe eſt, deſunt & obſunt. Necnon contra Chriſtianæ pietatis & miſericordiæ officium

Digitized by Google

faciunt; cùm eleemoſynas, quas largiri debet iuſſu domini, & legatoris, in præteritis habent: nam legata pia genus eſſe eleemoſynæ, quo & ſuæ animæ is, qui legat, & eorum, quibus legat, opitulatur neceſſitati, nemo credo intelligẽs Theologus dubitauerit.

8. Reſtat, vt videamus, ſit ne idem legatum nulla æſtimatione dignũm, quia fœnoris maculã præ ſe gerit inſignem: nam mutua conceditur ad aliquot annos pecunia, vt ij, quibus futura eſt vſui, certa tum Pio, tum ſuæ coniugi ſuffragia reddant quotannis. Quamuis ita ſeſe res habeat: cenſeo nihilominus illa conditione legatum pium non lædi. Primùm, quia recta mens, & conſcientia Chriſtiano homine digna, qua Pius prædirus erat, & qui ab iniuſtis contractibus in vita, vt ferunt, vehementer abhorrebat, omni culpa eum vindicare debet. Deinde, quòd nefas videtur ſuſpicari, nedum dubitare Pium, quo tempore religioni erga Deũ, ſuæque ſaluti pio legato cõſulebat, ſuum animum fœnoris crimine commaculare voluiſſe, æternique ignis pœnas, lucrari.

Tum, quia præcipuus finis, qui in animo Pij verſabatur, fuit nõ mercari ſuffragia à locis piis: illa enim vno, vel altero aureo nummo ſacerdotibus diuidundo in ſingulos annos poterat adipiſci: ſed is potiſſimè, vt pecunia credita tribus ſodalitiis piis, & egentibus ſubueniretur: quorum ſodalitiorum neceſſitates Pius percallebat: nam vnius ſodalitij curator, & moderator fuerat. Gratis autem pecuniã mutuam alteri dare, & ſecundariò aut amicitiam, aut grati animi ſignificationẽ, aut etiam remunerationem quampiam ſperare, nõ facit eum, qui pecuniam credit, fœneratorem.

9. Pòſt. Cùm pium ſit piè defunctorum voluntates interpretari; exiſtimare poſſumus onus ſpiritualium precationũ impoſitũm ſodalitatibus fuiſſe non ex vllo pacto, ciuilique obligatione, ſed ex vnius Chriſtianæ caritatis præſcriptione. Ad extremum. Quoniam conditio adiecta legato, qua conturbantur nonnulli, aut eſt turpis, aut honeſta: ſi honeſta, legatũ adiuuat, non labefacit: ſi turpis, pro non adiecta haberi debet: leges enim, conditiones aut à bonis moribus diſcrepantes, aut impoſſibiles, in teſtamenta legatáve inſertas, reſpuunt, tamquã inutiles: neque pro appoſitis haberi volunt: vt quiuis cognoſcere poteſt ex inſtitutionibus tit. de legat. §. poſtremo, & ex ff. de condit. inſtitution. lib. 1. & l. conditiones, 1. & 2. & ex l. filius: ergo cùm auctoritate legum repudiata ſit conditio turpis, quam nolũe teſtamentis legatiſve officere, relinquitur legatum purum ſolam habens erga Deũ, erga pauperes, & erga animam demortui, pietatem: illud ergo ſit exploratum heredibus Pij, non leui ſe ſcelere deuinxiſſe, quòd tot annos, & pia ſodalitia pecunia, & animam Pij, eiúſque vxoris, optatis, imperatiſque auxiliis fraudarint. Nec vlla eos iuſta ignorantia videtur poſſe excuſare.

Quòd ſi in eadem fraude permanere volunt, ad Chriſtiana ſacramenta abſque ſacrilegio admitti non poſſunt. Debent enim omnino & eiſdẽ ſodalitatibus eamdem pecuniam credere: & damna, ſi quæ eæ fortaſſe fecerunt, quia pecunia caruerunt, ſarcire. Suffragia verò, & preces, quas pro ſua, ſuæque cõiugis anima Pius optauit, Chriſtianadumtaxat caritate, miſericordia, mutua beneuolentia, & virtute grati animi hortante ac ſuadente impartient ſacra domicilia.

Et quoniam commutationem legati expetunt iſti heredes; ſcitantúrque ad cuius auctoritatem pro vltima voluntate commutanda confugiendum ſit: Reſpondeo, in hac cauſſa tutum fore ad Romani Pontificis tribunal adire. Verùm, ſi legitima ſubeſt cauſſa commutandi, poterit id ſuo iure facere Epiſcopus, conſentientibus iis, quorum intereſt capere legatum: ne fortè fraudi ſit commutatio religioſis communitatibus. 10.

Quare ad eam rem, ne erret Epiſcopus, ſapientes Theologos, atque in hoc genere

genere controuerſiarum exercitatos, adhibeat. Salua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XV.

1\. CAuſſam hanc, quæ ex ampliſſimi fideicommiſſi controuerſia conſtat, mihi decretum erat in præteritis relinquere: ſed quoniam nec tenuis, nec inops, ſed ſcriptione diſceptationéque digna viſa eſt quæſtio: ideo in reliquas huius libri addendam exiſtimaui.

Totidem autem verbis ponetur quæſtio, quot eſt à conſultore informata, nobiſque iampridem in florentiſſima Europæ ciuitate degentibus allata. Perſonarum nomina tantùm commutabimus: ne, quod nunc agitur, vllo tempore cuiquam fraudi eſſe poſſit. Eſt autem huiuſmodi.

Africanus teſtatur de omnibus ſuis bonis in fideicommiſſum per totam lineam maſculinam ex Lentulo filio propagatam: quæ ſi aliquando deficiat, mandat, vt filij filiarum eiuſdem Lentuli tamquam heredes legitimi ſufficiantur. Hanc ſuam voluntatem Africanus non quidem ſollemni teſtamento: ſed, quod multi in eius patria facere conſueuerunt, chirographo propria manu conſcripto declarauit. Qua de re illud eſt in ea ciuitate ſtatutũ: vt eiuſmodi chirographa, ſi manu propria teſtatoris ſcripta eſſe probentur, ita vt Principi teſtatoris diſpoſitio conſtet, vim habeant eamdem, quam habent ſollemnia publicáque teſtamenta.

Poſteaquam Africanus obiit, Lentulus filius omnia legata Patris ex chirographo perſoluit: vt autẽ vim publici teſtamenti obtineret, non fuit admodum ſollicitus: Verùm cùm grauiter ægrotaret, ſibique mortem animaduerteret imminere, accitis ad ſe Fauonio & Ventidio filiis, præcepit, vt aui chirographum ipſorum ſtudio vim publici teſtamenti more patrio obtineret. Quod illi cùm ſe facturos recepiſſent, primùm characteris comprobationem obtinuerunt, chirographúmque aui manu compoſitum iudicibus ad id conſtitutis demonſtrarunt. Qua probatione antegreſſa, facilè, quod reliquum eſt, in conſilio delectorum virorum ſolet obtineri.

Deinde verò Ventidius Lentuli filius inſcio Fauonio fratre, dum curat, vt chirographum à delectis viris in teſtamenti formam, ac vim redigatur, multa ex iis quæ requirebantur, omittit ac negligit: imò verò, vt ipſimet iudices teſtantur, valde laborat, vt chirographum omnino reprobetur: idque ita planè factum eſt.

Re poſtea à Fauonio fratre intellecta, & animaduerſa planè iniuria & iniuſtitia, quæ tum auo teſtatori, cuius voluntas ſpernebatur, tum ſufficiendis heredibus, quibus ius ſuum eripiebatur, ex ea ſententia fiebat, agitatus conſcientia de reficiendo chirographo, & denuo in vim teſtamenti redigendo, cœpit cogitare: id quod difficillimum ſibi viſum eſt: propterea quòd Ventidius re peracta originale chirographum vel lacerauit: vel ita abſcondit, vt ſublata prorſus notitia voluntatis teſtatoris, auus Africanus ab inteſtato deceſſiſſe videatur. Interim fortè accidit, vt exemplum, ſiue reſcriptum quoddam ab originali chirographo per notarium publicum manu propria deductum ſit, atque fideliter confectum. Quare Fauonius venit in ſpem fore, vt hoc ipſum exemplum non ſecus, ac ſi originale chirographum eſſet, in vim publici teſtamenti more patrio, ac delectorum patrum iudicio deducatur. Huius rei Ventidius frater ſe acerrimum oppugnatorem profitetur. Lis tamen conteſtatur, in qua, cùm chirographum originale nõ extet, quod maximè in hac cauſſa requiritur, verendum eſt maximopere, ne Fauonius, quod impetrare nititur, obtinere non poſſit.

Quæritur, vtrùm Fauonius ſalua conſcientia poſſit à conteſtata lite diſcedere: tum quod originale chirographum opera Ventidij fratris in iudicio delectorum 2.

virorum ſemel pro nullo habitũ fuerit: tum quòd non exiſtenti chirographo originali: ſed illius exemplo, quod à iudicibus non ſine difficultate admittetur, timeri poſſit, ne Fauonius cauſſa cadat: ex quo voluntas teſtatoris in omnem æternitatem ſepelitur. Quòd ſi proſequi teneatur, vt impleatur voluntas teſtatoris, num admitti poſſit aliqua compoſitio, vt ſcandala multa, quæ ex lite orirentur, omnino defugiantur: & voluntas teſtatoris, ſi non totaliter, ſaltem ex maiore parte impleatur: idque certò. Quòd ſi compoſitio poſſit admitti, num hæc admittenda videatur: vt exemplum, ſiue reſcriptum chirographi originalis, quod non extat, manu notarij confectum in archiuio Principis deponatur: ita vt ex eo teſtatoris voluntas omnibus deſcendentibus appareat: nec à quoquam abſcondi poſſit. Vnde, ſi caſu accidat, vt filij filiorum Lentuli ſuffici debeant, ius ſuum ad hereditatẽ adeundam depromere, & proſequi poſſint. Interim verò Fauonius & Ventidius fratres per publicũ inſtrumentum obligentur ad fideicommiſſi & legatorum executionem: ex quo planè tota teſtatoris volũtas impleta videretur.

3. Genus cauſſæ reique magnitudo multa cogit nos reſpondere. Primùm videtur nobis factum inconſtanter narrari: namque in eius expoſitione hæc ſunt: auitum chirographum iudicibus demõſtratum eſſe probatum, & tamquam aui agnitum: deinde dicitur ab iudicibus illud ipſum reprobatum: quæ minimè cõgruere poſſunt: niſi fingamus diuerſis temporibus, ac diuerſis iudicibus, iſtud ipſum oſtenſum fuiſſe chirographum: atque ab vnis approbatum, ab alteris reprobatum fuiſſe.

Dicitur quoque in eadem narratione compoſitionis remedio non prorſus impleri teſtatoris voluntatem: cõtrarium in extrema narratione affirmatur: quàm verè autem affirmetur, mox videbimus: niſi ſi fortè in hac verborum ſententiarúmque diſcrepantia referat ſe narrator ad varia compoſitionum ſeu tranſactionum genera.

Hoc igitur in noſtra reſponſione primum eſt. Secundum eſt illud: mihi non ſatis comprehenſum eſſe, quæ tranſactio excogitari poſſit æqua ac firma inter Fauonium, qui fideicommiſſum, & iura poſterorum ſarta tecta conſeruare debet, & inter Ventidium fratrem, qui omnia corrupit. Nam tranſactio (hanc enim puto ſignificatam eſſe nomine compoſitionis, licèt non me lateat diſcrimen conſtitui inter rem vtramque) fit de re dubia. At veritas fideicõmiſſi, & chirographi auiti neutri fratri eſt ignorata: ſed vtrique ſatis percepta. Deinde tranſactio cui dolus & fraus, & aperta calumnia cauſſam adfert: nullius eſt momenti, vt ex multis æquiſſimíſque legibus colligi poteſt: & præcipuè ex l. in Summa. ff. de condictione indebiti, vbi hoc ipſum colligit Baldus, & ex l. apud Celſum, §. Marcellus. ff. de doli mali, & metus exceptione. Cùm longè, inquit, in hac lege Iuriſconſultus, æquius ſit, ex eo quod perfidè geſtum eſt, actorem nihil conſequi.

4. Lex verò, præſes prouinciæ, C. de trãſactionibus, negat valere remiſſionẽ certi debiti factam ab adminiſtratore ciuitatis. Vbi commonefacit Gloſſa, quod lex cauet de ciuitatis adminiſtratore, idipſum intelligi oportere de quolibet ſimili adminiſtratore, vt Prælato, tutore vel curatore. At Fauonius, vti ex eius verbis perſpexi, quũ ſit maior natu frater: eſt veluti tam fideicommiſſi, quàm voluntatis auitæ & paternæ, omníſque iuris poſteritatis ex fideicommiſſo eidem tranſmittendæ cuſtos ac propugnator. Deinde, vt ſcribit Panormitanus, in caput, ſicut, de tranſactionibus, num. 4. commentarij. Tranſactio perimit omnia iura trãſigentium propria: at Fauonius eiúſque frater Ventidius, de iure poſterorum, quod illorum futurum eſt, non poſſunt tranſigere. Priuatis namque pactionibus non dubium eſt non lædi ius cæterorum, inquit lex, Imperatores. ff. de tranſactionib.

quor

Digitized by Google

quorſum igitur euadet caſſa illa tranſactio? Deinde, in l. de his. ff. eod. tit. eſt
» his verbis. De his controuerſiis, quæ ex
» teſtamento proficiſcuntur, neque tranſi-
» gi, neque exquiri veritas aliter poteſt,
» quàm inſpectis cognitíſque verbis teſtamenti. At verba teſtamenti auiti improbant omnem tranſactionem: luculentérque præcipiunt, quid inter heredes fieri conueniat.

5. Deinde, de futuris alimentis ſine prætore, ſeu præſide interpoſita tranſactio nulla auctoritate iuris cenſetur, inquit lex, de alimentis. C. eodem tit. quòd ſi de ſuis alimentis futuris quis tranſigere non poteſt, ſine prætoris auctoritate, quantò minùs de futuris alimentis aliorum, quæ alimenta fideicommiſſo continentur? ſed nec auctoritate iudicis, ſeu prætoris, de poſterorum alimentis contra teſtatorum voluntatem decidi poteſt. Denique quicumque tranſigit, aliquid donare videtur, ſeu remittere alteri. Atqui nemo, quod ſuum non eſt, largiri cuiquam debet. Illud item ex Panormitano, in cap. conſtitutus, de tranſact. notandum eſt, illicitam, vt is loquitur, tranſ-
» actionem non validari iuramento: nam
» iuramentum non debet eſſe iniquitatis vinculum, vt in cap. quanto de iureiurando.

6. Quare ad id quod in reſponſione tertium eſt, veniamus. & num ea pactio, idque conuentũ, quod à conſulẽte fabricatur, probandum ſit, breuiter anquiramus. Vt inquam principis tabulario auiti chirographi exemplum à tabellione de autographo expreſſum condatur: litigantéſque fratres Fauonius ac Ventidius cogãtur fideicommiſſum & legata exequi.

Mihi ſanè huius conuenti genus probari non poteſt: ideo, quòd nec facile, nec veriſimile, nec idoneum eſt ad tot ſananda vulnera, quæ fideicommiſſo, mentíque aui, & patris Ventidius ſua fraude inflixit. Non eſt inquam facile, non veriſimile, non probabilẽ vllum exitum pollicetur. Propterea quòd Ventidius, qui tantam, támque turpem, & nefariam labem fecit in fideicommiſſi tabella manu aui confecta; qui perfecit, vt in cœtu iudicum ea caſſa irritáque pronunciaretur; qui in auitis paternı́ſque bonis potiundis nullum ſibi vult obſtare fideicommiſſum; qui fiduciæ, qua illum auus, patérque alligauit, ius omne tabefecit; qui eorundem parentum mentem iugulauit; qui eorundem iuſſa legéſque obtriuit; atque etiam in eo vir bonus apud ſuos ciues videri voluit; hic inquam Ventidius tot ſcelerum conſcientia oppreſſus, tantarúmque fraudum cruciatu perterrefactus, numquam inducet animum inducere ea, quæ ab iudicibus malo dolo deceptis impetrauit: ne fortè in parentes impius, ne perfidus heres, ne periniquus fraudator, ne contra Fauonium fratrem improbus calumniator, ne iuris hereditatíſque poſterorum ſacrilegus direptor fuiſſe videatur. Neque idonea ea ſeu pactio, ſeu cautio videri debet. Nam voluntati decretíſque teſtatoris qua ratione ſatisfieri poteſt, ſi eius ipſius ſcheda aut conſciſſa, aut occultata à Ventidio eſt? ſi illa ipſa non eſt, quemadmodum mandato ſuo cauerat Ventidij pater, ad teſtamenti formulam accommodata? ſi non extat niſi chirographi exemplum à tabellione deſcriptum? quod ipſum ægrè in iudicio, eamdem, quam autographum, ſit fidem habiturum?

Quòd ſi Fauonius, dum is viuit, dum agunt in terris ij iudices, ad quos aui fideicommiſſi ſceda delata eſt, ab iiſdémque approbata; ſi dum eoſdem teſtes, qui Africani chirographum inſpexerũt, eiuſque manum agnouerunt, iterum adhibere poteſt, atque idoneorum iudicum interrogationi obiicere; ſi hic ipſe Fauonius, dum in numero eſt viuorum, dum ore, vultu, voce, virtutis ſuæ grauitate, impudentiam, & fraudem fraternam refutare poteſt, multorúmque ciuium ſuorum fauore, ope & auctoritate, à quibus is colitur, & quos ſuæ voluntati, & gratiæ addictos, deditos, obſtrictóſque ha- 7.

bet,haud magno negotio Ventidiũ frangeret: ſi dum Fauonio in hac cauſſa tot ſuppeditant adiumenta,is tamen cum audaciſſimo fratre congredi non audet, atque in iudicio diſceptare; ſibique & cauſſæ,quæ æquiſſima eſt, & veriſſima, diffidit; quid poſteræ proli ad ſuum recuperandum ius ſpei reliquum erit, ex eo tabellionis ſcripto,quod in publicis arculis principis aſſeruatur? ſcilicet conſequentibus heredibus id proderit, quod nunc Fauonio, reliquiſque ex eadem familia ſuperſtitibus prope cenſetur inutile.

8. Ergo quartum & poſtremum reſponſionis,ac ſententiæ noſtrę caput exſequamur: neceſſaria, inquam, Fauonij in hac controuerſia officia,cogitatione rationéque colligamus. Is igitur, niſi ſe ipſum fugere, atque ab officij ſui religione declinare velit, toto animo conniti debet, omníque labore, & ope contendere; vt patris voluntati ac mandato pareatur, auíque chirographo ſatisfiat:illiúſque teſtamentaria tabella,ſi reperiri poteſt, aut eius exemplum à tabellione exſcriptum ab iudicibus ratum habeatur, atque in ſolemnis teſtamenti formulam transferatur.

Multa verò ſunt, quæ perſuadent fideicommiſſum,& Africani ſcriptum,dolo Ventidij obrutum, atque extinctum, poſſe commodorum iudicum decreto reuiuiſcere. Primum, quia exiſtet cauſſæ patronus ipſe tabellio, qui de veritate auiti chirographi teſtabitur: Alterum, quia iidem teſtes, qui iurati confeſſi ſunt de veritate chirographi, etiam nunc libenter idem teſtimonium dicent. Tertium, quia illi ipſi iudices, qui ſemel adnitente & poſtulante Fauonio chirographum comprobarunt,perquam veriſimile eſt illud iterum ſuo grauiſſimo teſtimonio comprobaturos. Quartum,quia, vt narrabat Fauonius, numerus ille delectorum virorum ſeu iudicum, ad quos adiit Ventidius, altero tantò minor fuit, quàm eſſe ſoleat. Quare ſi expectabitur nouorum iudicum conſenſus, eorumdémque dum expletus, & abſolutus ſit numerus, magnopere de victoria ſperandum erit. Quintum, quia mira fides, egregia morum integritas, ſingularis vitæ innocentia,qua infinitis partibus à Fauonio vincitur Ventidius, multorum etiam nobilium erga Fauonium beneuolentia, & ſtudium nihil non ei in hac cauſſa pollicentur.

Quinque porrò cauſſæ ſunt,quamobrem Fauonius apud iudices de re minùs fortaſſe operoſa, ſed admodum neceſſaria, ceſſare minimè debeat: prima,in aui: ſecunda, in patris: tertia, in poſterorum: quarta, in Ventidij: quinta, in ipſius Fauonij perſona hæret. Aui perſona à Fauonio ſuo iure exigit, vt ſuam tabellam teſtamentariam, quantùm in ipſo eſt, perire ne ſinat: vt eam ſaluam toti familiæ repræſentet: nec quemquam bona ſua niſi fiduciæ iudicio poſſidere patiatur. Pater præcipit: vt, quandoquidem fiduciam Fauonius accepit, præſtet fidem: atque ad teſtamenti formulam chirographum aui reuocari curet omnino:id enim patri ſe facturum recepit:at in te maxima fidem patri datam fallere impium eſt, ac nefarium. Poſteris,nec dum in lucem ſuſceptis, hoc à Fauonio debetur; vt eorum ius natum, & ſucceſſione aliorum adultum vnius calliditate interuerti, bonáque quæ ad eos ipſos ſpectabunt,per fraudem à Ventidio occupari nullo modo ferat. Ventidius hanc Fauonio neceſſitatem imponit, vt homini ad æternum interitum ruenti voluntariò ſubueniat: vt ſuæ ſaluti,quam impia fraude mirum in modum afflixit,conſulat: vt conſcientiæ ſuæ vulneribus, acrioribus, ſi opus ſit, medicamentis ſuccurrat. Denique ſua Fauonium perſona impellit: vt, quoniam is nunc caput eſt,& familiæ princeps; quoniam eius nutu atque auctoritate bonum nititur poſteritatis; quoniam pietate propinquitatem ſemper coluit;quoniam,qui conſanguineum affinémve prodit,impius ſit neceſſe eſt; aui patríſque conſtituta ac iuſſa fraternis dolis configi nolit: neque 9.

vnius

vnius Ventidij fraudibus, agnationis & gentilitatis iura violari quoquo modo permittat.

10. At enim Fauonius ciuicam offenſionem, fraternámque inuidiam, atque odium, timere debet. Reſpondeo, timorem iſtum, inanem & contemnendum eſſe: contemneret enim ſapiens. Neque enim aut offenſionem vllam iuſtam, aut verò inuidiam habet officij defenſio, ſed violatio: neque in cuiuſquam viri boni irruit offenſionem, qui mortuis, qui viuis, qui victuris neceſſaria reddit officia: ſed qui oppugnat. Neque viri Chriſtiani animum conturbant offenſiones, quæ ex rectè factis, atque ex virtutis excipiuntur muneribus, ſed quæ ex maleficiis vitioſiſque actionibus naſcuntur.

Quare iſtarum rerum metus non in Fauonium, qui voluntates, & iuſſa defunctorum tuetur; qui viuorum proſpicit commodis, atque fortunis, qui futurorum gentilium iura defendit; ſed in Ventidium, qui ea omnia exagitat, & prodit, cadere meritò debet. Denique, iſtum, qui obiicitur metus, abiiciendum eſſe præclara docet Diui Thomæ ſententia, atque doctrina in 2. 2. quæſt. 43. art. 8. in quo articulo quærit: vtrùm propter ſcandalum ſint temporalia dimittenda. Quæſtioni his verbis reſpondet:

» Reſpondeo dicendum, quòd circa
» temporalia bona diſtinguendum eſt: aut
» enim ſunt noſtra; aut ſunt nobis ad con-
» ſeruandum pro aliis commiſſa: ſicut bo-
» na Eccleſiæ committuntur Prælatis: &
» bona communia quibuſcumque Reipub.
» rectoribus; & talium conſeruatio ſicut &
» depoſitorum imminet iis, quibus ſunt
» commiſſa ex neceſſitate, & ideo non ſunt
» propter ſcandalum dimittenda. Atqui
bona, pro quibus contendit Fauonius, non eſſe ſua, ſed communitatis, ſuæque gentis, atque familiæ vniuerſæ, eſt quàm notiſſimum.

* * *

De teſtamentarij cuiuſdam falſis tabulis.

QVÆSTIO XVI.

EMentiti cuiuſdam teſtamenti ſpurciſſimas & adulterinas tabulas contra veri & legitimi teſtamenti iura per nefariam fraudẽ confictas, atque confectas, ſubiiciam: quo de genere quid corruptori, & ſubiectori ſuadendum, præcipiendúmque ſit, is obnixè contendit. 1.

De controuerſię ſingulis capitibus copiosè diſſerui. Genus autem cauſſæ, de qua agetur, non verbis noſtris, ſed eius, qui nos conſuluit, ponetur à nobis. Ab eo verò hoc pacto, atq; his verbis eſt allata.

Sempronius habens Antiochum fratrem, & ex dicto fratre filium, cui modò expreſsè, modò tacitè innuerat ſe velle, quòd ipſius hereditas ad eum perueniret, ſuum tandem in hunc modum, qui
ſequitur, condidit teſtamentum: Iure le- »
gati, &c. Reuerend. fratr. &c. ſcutos »
quinque ſingulis annis per ſpatium de- »
cem annorum ſecuta morte ipſius teſta- »
toris exſoluendos cum onere celebrandi »
duo officia ſingulis annis pro anima »
ipſius teſtatoris. Item iure legati, &c. »
Dominæ Iuſtinæ ſcutos centum pro vna »
vice ei dandos pro eius ſeruitute dicto »
domino teſtatori facta. Item iure legati, »
&c. Dominæ Titiæ ſcutos centum pro »
vna vice tantùm ei dandos pro dote, & »
in cauſſam dotis, ſi, & cùm nupſerit, & »
viro tradetur. Item iure legati, &c. Do- »
minæ Mæuiæ libras ducentas pro vna »
vice ei dandas pro dote, & in cauſſam »
dotis, ſi, & cùm nupſerit & viro tradetur. »
Iſtæ erant tres ſorores, quæ teſtatori inſeruiebant, prima & ſecunda vt concubinæ ipſius, & prima erat coniugata: & ex ea orta fuit Berta à teſtatore filia appellata.

Facta ſunt præterea alia legata; quibus fuit ſatisfactum. In omnibus autem aliis »
ſuis

» ſuis bonis,&c. inſtituit,nominauit, ac eſ-
» ſe voluit heredem vniuerſalem Bertam
» eius filiam naturalem pupillam, dando ei
» facultatem & poteſtatem ſe legitimari
» faciendi à ſereniſſimo,ſeu ab alio haben-
» te auctoritatem & poteſtatem.

Hanc Bertam, quam teſtator filiam appellat, Iuſtina mater profitetur fuiſſe natam ex alio adultero, non ex teſtatore.
» Et caſu, quo dicta heres,vt ſuprà inſtitu-
» ta decederet in pupillari ætate, ſeu aliàs
» quandocumque abſque filiis aliquibus,
» tunc & eo caſu eidem ſubſtituit,reſpectu
» poſſeſſionis ſitæ, &c. Hoſpitale, &c. &
» reſpectu domus ſitæ,&c. Eccleſiam, &c.
» & reſpectu reſidui hereditatis ipſius Do-
» mini teſtatoris,Eccleſiam.

Secuta morte ipſius teſtatoris, Antiochus illius frater, & Antiochi filius,ſe deceptos ægrè ferentes, & fidem frangenti fidem frangi licere arbitrantes, ex ficto teſtamento ſe heredes fecerunt;& excluſis è domo teſtatoris illis tribus ſororibus, quibus tamen nonnihil pro imminenti neceſſitate alimentorum donarũt, Bertam ſpuriam à teſtatore nuncupatam filiam apud ſe retinuerunt,ac ſemper debita cum caritate habuerũt,tractauerunt, & tractant.Et cùm hoc factum confeſſori in confeſſione ſacramentali narraſſent, ſibi alia ſatisfactio non fuit impoſita, ſeu reſtitutio: ſed tantùm grauati fuerunt,vt bene dictam pupillam educari, & inſtrui curarent: & nubilem factam ſecundùm ipſius voluntatem aut nuptui conuenienter, aut monachatui traderent. Poſt quod confeſſoris reſponſum, ipſe Antiochus, & filius liberè de dicta hereditate diſponere incipientes, cùm haberent adoleſcentulam dicti Antiochi filiam, & prædicti filij ſororem,ipſam matrimonio collocauerunt, dote ipſi conſtituta 2400. aureorum, ac mille aureos de dicta hereditate impenderunt ſupra dotem; quam non conſtituiſſent, niſi hereditas prædicta ſibi obueniſſet.

At cùm Antiochi filius cum religioſis viris hoc negotium conferret,ſibi dictum fuit, ſe teneri ad reſtitutionem dictæ hereditatis, nec poſſe tuta conſcientia ea frui. Antè tamen, & dum cogitatur de modo faciendi dictam reſtitutionẽ, erogati ſunt de dicta hereditate paulò minùs alij mille aurei; adeo quòd hereditas redacta fuit ad illam domum,de qua in teſtamento: quæ tamen incendium paſſa, vix dimidia extat; & locatur mercede 16. aureorum. Item nonnulla mobilia, & reſiduum pretij illius poſſeſſionis, de qua pariter in teſtamento, quæ fuit vendita: & dictum reſiduum eſt mille aureorum.

Quæritur modò an facienda ſit prædicta reſtitutio? &, ſi facienda, quonam honeſtiori modo facienda ſit, & an legata turpibus perſonis relicta debeantur, & quo modo. 2.

Pro cuius quæſtionis faciliori explanatione ſubiungẽdum videtur, quaſnam poſſideat Antiochus facultates; & quo in ſtatu reperiatur. Habet ergo Antiochus nonnulla bona ſtabilia ex hereditate cuiuſdam ſibi obuenta communia pro indiuiſo cum filio ipſius, valoris ſcutorum 500. & nonnulla alia bona ipſius Antiochi, valoris aliorũ ſcutorum 500. & præterea aliquam ſupellectilem. Fruitur autem vno prædicto, & vna domo ipſius vxoris, in totum tamen computato prædio vxoris, & omnibus aliis non habet redditum annuum, qui ſuperet 150. aureos: & ſi iuxta ipſius ortum, & familiæ ſuæ conuenientiam ſibi viuendum eſſet, 200. aurei minimè ſufficerent. Verum equidem eſt,quòd ſi faueat Deus Omnipotens,filius, qui eſt iuris doctor, poterit in poſterum aliquod ſubſidium adferre: &, ſi res bene cedat, familiam ex ſe ſuſtentare.

Hæc eſt narratio tota Antiochi: hoc factum totidem ab eo verbis deſcriptum.

Ipſi, vt eodem tempore conſulentis 3. votis, eiúſque ſaluti, & noſtri officij religioni ſatisfaciamus,quinque in hac cauſſa diſſerere ſtatuimus. Primum eſt, an legata à fratre Antiochi turpibus perſonis facta,valeant. Secundum,num filiæ ſpuriæ inſti

tiæ inſtitutio iure ciuili, ac conſcientiæ, conſiſtat. Tertium, vtrùm ad loca pia hereditas perueniat teſtatoris, etiamſi nullum eſſet teſtamentum propter filiæ ſpuriæ inſtitutionem. Quartum, quæ quótve crimina ſint ab Antiocho in eo, quod per fraudem fabricauit, teſtamento contracta. Quintum, quænam tot tantíſque malis opportuna poſſent remedia inueniri.

Ad primam igitur quæſtionem aggrediamur: & iuſta ac rata eſſe debeant legata illa nécne, videamus. Iniqua videntur eſſe. Primùm, quia palam turpitudinem ferunt: quandoquidem ab homine adulterio inceſtuque corrupto perſonis iiſdem ſceleribus contaminatis fiunt. Deinde, quoniam nulla lex, nullum decretum, nullum iuſſum, nullum humanum actum poteſt eſſe iuſtum, ac ratum, quod peccatum aut gignit, aut nutrit:ſed id genus legati, quod ab amatore pellici fit, gliſcentem pellicatus libidinem non ſolùm non extinguit, ſed incendit: præteritarúmque voluptatum & facinorum nefariam memoriam renouat: ſimiliúmque futurarum illecebrarum appetitionem muliebrem inflammat: quare culpæ reprehenſione ea legata carere non poſſunt.

4. Verumenim de legatorum pietate & firmitate hæc, quæ nunc paramus, dubitare non ſinunt. Primùm, quòd eorũ, qui Chriſtiana fide imbuti decedunt, piè debemus mentes interpretari. Itaque ſenſu pietatis Chriſtianæ incitatũ credere debemus Antiochi fratrem legatam pecuniam tribus illis ſororibus reliquiſſe. Deinde, quia in legato Luciæ eſt obſequiorum merces, & neceſſaria quædam remuneratio. Legata verò, quibus reliquas duas ſorores proſecutus eſt, ad dotem fœminarum, ſi nupſerint, pertinent: titulum verò dotis, quæ egentibus mulieribus conſtituitur, à teſtatoribus, nemo ambigit eſſe cum pietate & religione coniunctum. Tum legata, quibus à flagitioſa vita pauperes, & infames mulieres reuocantur, aut reuocari poſſunt, pietate non carent: ſed eiuſmodi ſunt legata, de quibus diſceptamus: igitur de eorum pietate dubitandum non eſt. Pòſt, legatum, quo alterius indigentia, magnáque neceſſitas, ſubleuatur, doctores pium eſſe decernunt: tale eſt autem legatum, quo frater Antiochi ſubuenit iſtis mulieribus: pium igitur atque vtile cenſendum eſt. Ad extremum, quod foret ſuæ animæ profuturum, & quod Deus probaturus eſſet, rebatur Antiochi frater ſe facere, quum ſororibus illis pecuniam eam legabat: pietas ergo legato abeſſe non potuit. Bartoli enim definitio, qua legatum definit, eſt à magiſtris Theologiæ, Chriſtianíque officij diſceptatoribus, comprobata: Vt pium legatum ſit, & intelligatur, » quando quidpiam miſerabilibus perſo- » nis relinquitur, vt viduis, pupillis, pere- » grinis, pauperibus: piis item locis, nec » non xenodochiis, maritandis puellis: » nam dotem, piam cauſſam appellare Doctores conſueuerunt. Vide Bart. in l. 1. ff. ſolut. mar. col. 5. verſu, aliud eſt priuile- » gium. & in l. ſi ego. in princ. ff. de iur. » dot. & in l. 2. §. poſtremo de donat. Denique, vt inquit Angelus, in verbo, Legatum, 2. ante num. 1. Propriè dicitur re- » lictum ad pias cauſſas, quando relinqui- » tur pro honore Dei, vel Sanctorum, vel » pro ſalute animæ, ſiue id relinquatur Ec- » cleſiis, ſiue pauperibus, ſiue locis publi- » cis: quia pium eſt quod fit propter cul- » tum diuinum. Hæc ille; cum quibus con- » ſentiunt dicta reliquorum.

Nec difficilis eſt contrariorum argu- 5. mentorum diſſolutio: nec enim aut infamia perſonarum legantium, & quibus legatur, dedecus, ſiue etiam improbitas, improbum, ſeu turpe efficit legatum: modò id quod agitur, pietatis legibus adminiſtretur. Quid enim ſi ſceleratus Chriſtianus, Iudæo, Saracenóve, aut etiam meretrici grauiſſimè morbo faméve laboranti ſuccurrat? ideóne, quia turpitudo verſatur in perſonis, etiam ſubſidium ipſum, quod à Deo naturáque im-

NNNNN pera

peratur, turpificabitur? minimè verò. Adde, quòd nullus quamuis contaminatiſſimus, quamuis omnium ſcelerum libidinúmq; maculis notatiſſimus, in eo, quod aut Dei, aut naturæ, aut iuſtæ hominis legi paret, & rectam ſuapte natura ſuſcipit actionem, turpis infamíſve exiſtimari poteſt. Quintij frater, cùm mulieribus illis calamitoſis, magnáque inopia conflictatis, legabat, rem per ſe bonam, Chriſtianíque hominis officio conſentaneam agebat: non igitur turpitudine fœdabatur legatum, niſi prauam mentem fingamus extitiſſe in eo qui legabat. Atqui mentis improbitas, ſi ea, quæ ſuapte vi bona ſunt, fœda ac turpia reddit, nihil tam ſanctum, támque incorruptum erit in terris, quod ab humani ingenij labe nequeat commaculari, ſiue orationem dicas, ſiue ieiunium, ſiue eleemoſynam, ſiue ſacramentum, ſiue ſacrificium; quod per ſe conſtat eſſe ſanctiſſimum. At legata illa valebant ad renouandam libidinem anteactæ vitæ, & ad nouarum voluptatum potiendarum cupiditatem ſuſcitandam. Imò verò legatum ſpectans ad iuſtitiam, eò comparatum erat, vt iuſtitiæ legibus ſatisfieret: quæ verò ad duas alias ſorores referebantur, eò pertinebant, vt in legitimo matrimonio collocatæ, à fœdi quæſtus, turpíſque vitæ periculo abducerentur. Omne igitur ius fáſque violauit Antiochus; cùm iſtis infelicibus ſororibus tum legatam pecuniam, tum etiam ius illam ex teſtamento conſequendi facultatem omnem eripuit.

6. Plus difficultatis obiicere fortaſſe poſſet quæſtio ſecunda, in qua de iure teſtamenti à Sempronio facti quæritur, num iura illud admittant. Spurij autem & ſpuriæ inſtitutionem reſpui tum ab imperatorum, tum à Pontificum ſanctionibus, tum ex commmuni Doctorum ſententia, in quam eunt Theologi, extra concertationem eſt Spurij autem dicuntur, qui ex concubitu eorũ ſuſcepti ſunt, inter quos per Eccleſiæ leges iuſtum matrimonium iniri non poteſt. Gloſſa videnda eſt, extra, qui filij ſint legitimi, in cap. Tanta, in verbo repellendus: quæ quattuor genera diſtinguit filiorũ. Nota, verba ſunt Gloſſæ, quòd quidam filij dicuntur legitimi tantùm vt adoptiui, ſiue arrogati: de quibus habes ſup. de cogn. leg. cap. vnico. Alij dicuntur legitimi, & naturales, vt nati ex legitimo matrimonio vero, vel putatiuo, ſiue ab initio, ſiue ex poſtfacto: iſti ſuccedunt parentibus ſuis ſuprà eod. Cùm inter. & infrà eodem, ex tenore 5. eo. c. 1. C. de legitimis heredibus per totum. Alij dicuntur naturales, non legitimi, vt nati ex concubinis in domo: illi ſuccedunt in duabus vnciis ab inteſtato. C. de nat. lib. Authen. licet patri. Alij dicuntur ſpurij, vt nati ex adulterio, vel vulgo concepti. ff. de ſtatu hom. vulg. iſti in nullo ſuccedũt, nec inſtitui poſſunt à patre, vt in dicta Authen. licet patri, & 32. quæſt. 4. dicat aliquis, nec ali debent de bonis paternis. C. de inceſtis nuptiis, Authentica ex complexu.

Hactenus Gloſſa: quamquam, quod attinet ad alimenta, iis à patre ex æquitate canonica, legéque diuina ac naturali denegari non poſſunt.

Diuus Thomas, in 4. ſentent. diſtinct. 41. quæſt. 1. art. 3. ad quæſtiunculam 1. breuiùs diſtinxit ad hunc modum: Quadruplex eſt ſtatus filiorum: quidam enim ſunt naturales, & legitimi, ſicut qui naſcuntur ex legitimo matrimonio: quidam naturales, & non legitimi; vt qui naſcuntur ex ſimplici fornicatione: quidam legitimi, & non naturales, ſicut filij adoptiui: quidam nec legitimi, nec naturales, ſicut ſpurij nati de adulterio, vel de ſtupro: tales enim naſcuntur, & contra legem poſitiuam, & expreſsè contra legem naturæ. Richardus, in eamdem diſtinct. 4. art. 2. quæſt. 3. citat, & ſequitur Gloſſam, in cap. Tanta, qui filij ſint legitimi: quod faciunt Summarum ſcriptores.

Naturales filij auctoritate legum, ac iuriſperitorum cenſentur illi, qui ex concubina libera, non nupta, & vnica, & domi affectu minimè dubio retenta, procreantur; 7.

creantur; ſpurij verò qui ex damnato coitu, vel vago, orti ſunt. Porrò ſpuriis, qui ex iis mulieribus naſcuntur, quas eorum patres non potuerunt ſibi iuſtis nuptiis iungere, ius ſuccedendi parentum bonis lex adimit, quamquam à fratre patris, & ab alieno poſſunt inſtitui heredes. Conſulito Gloſſam in Authent. quibus modis nat. effic. ſui. §. vltimo, & Panormitanum, in cap. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, num. commentarij 11. & 13. quem ſequuntur Sylueſter, in verbo, Filius, numer. 4. dicto 2. Roſella, eodem tit. numer. 1. Angelus, eodem, in principio, num. 2. Imò verò Oſtienſis, in Summa, lib. 4. tit. qui filij ſint legitimi, §. qualiter, numer. 12. ſcriptum reliquit ſpurios non poſſe fieri legitimos: quod non veriti ſunt alij nonnulli monumentis mandare. Cùm ergo Sempronius ſuorum bonorum heredem ſcripſerit Bertam, filiam ſuam ſpuriam, eidem facta poteſtate benignitate Principis filiorum legitimorum ſtatum adipiſcendi, ſequitur nihil eum rati egiſſe, nullúmque teſtamentum fuiſſe. Eòdem accedit, quòd Lucia mater Bertæ negauit eam filiam eſſe Sempronij; ſed alteri eam addicit adultero: quo igitur iure hereditatem adire poteſt patris non ſui? Etenim cùm quis de ſuo naturali, ac proprio patre cognoſcere auet, eius rei certiorem fidem à nemine, quàm à ſua matre accipere poteſt.

8. Verùm huius rationis vis, quæ maximum videtur Soti argumentũ, quo is vtitur in 4. de iuſt. & iur. quæſt. 7. art. 2. ad 1. argum. intercidit: ſic enim ille. Si quis mihi legaſſet centũ, credens me eſſe ſuum filium; ſua tamen leuitate deceptus, vel ab alio citra meam culpam, ego poſſum iure optimo illa poſſidere. Vnde à ſimili videtur colligi, quòd licèt relatione matris ego ſciam me ſpurium, ſi pater mihi ſua bona relinquat, poſſum poſſidere.

Huius enthymematis ab ſe fabricati concedit antecedens Sotus, negat autem conſequentiam ob diſſimilitudinẽ quandam inter voluntatem, qua quis ad legandum, & ad teſtandum adducitur: ſed nihil erat, quod antecedẽti huius argumentationis Sotus aſſentiretur: cùm voluntas decepta, & errans, non ſit voluntas, vt nos in libro de contractu tot luculentis legibus & rationibus oſtendimus: nemo enim vult decipi ac falli, præſertim in eo rerum genere, quod patefactum reiiceremus omnino. quis autem à legato non reiiceret eum, quem alter leganti tamquam ſuum verum filium obtruſit? Sanè certè multo magis philoſophicè ac Theologicè ſcripſit Scotus, in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 3. nam cùm demonſtraſſet, contractum donationis, vt firmitatem obtineat, egere perfecta libertate, quæ coactioni & errori opponitur, hanc ſubiicit illationem. Et ideo, ſi alicui tamquam propinquo donet, qui tamen nõ eſt propinquus: non ſimpliciter donat: conſimiliter ſi alicui, vt egeno, qui non eſt egenus: quia in dante non eſt voluntarium propter conditionis ignorantiam.

9. Sed non minùs cenſeo cauendam alteram Soti opinionem in eod. l. q. eadem eodémque art. extrema columna: nam affirmat, Adulterum, qui certum ſcit prolem eſſe ſuam, ſi à patre non ſuo, ſed qui putatur ſuus, alatur, eiúſque fruatur hereditate, damna non faciente matre, iuſtitiæ lege non cogi illum ipſum quidquam compenſare; id quod eſt à veritate, à iuſtitia communíque ſenſu Doctorũ quàm remotiſſimũ. Quid enim rationis habet, vt cùm iure diuino, naturali & Eccleſiaſtico pater me meus alere debeat, ex alienis bonis mihi alimenta ſuppeditentur? ita meritò Nauarr. in Sum. c. 16. num. 49. nouum hoc Soti commentum tum auctoritate D. Antonini, & communi aſſenſu Doctorum, tum ratione præſtrinxit. Sed ſatis multa contra Bertam heredem, contra Sempronium, contra eius teſtamentum ſunt dicta. Quod autem iiſdem fauet, & inſtitutionem facit eſſe legitimã, eſt hoc non imbecillum argumentum.

Quod legis conceſſu, communíque

apientum aſſenſione agitur, legitimum ac rectum iudicari debet: ſed teſtamẽtum Sempronij eſt huiuſmodi: ergo, &c.

Huius ſyllogiſmi maior propoſitio approbationis non indiget: minor confirmatur auctoritate Authenticæ ſeu collationis ſextæ, quibus modis naturales filij efficiantur legitimi, cap.2. vbi Iuſtinianus Imperator ius largitur patribus, qui cum mulieribus coniugio copulari non poſſunt, ſua bona proli non legitimæ relinquendi, eo prorſus modo quo reliquit Sempronius.

Huius collationis ſecundum caput hac perbreui paraphraſi Angelus illuſtrauit.
» Vbi matrimonium non poteſt cum mu-
» liere cõtrahi aliqua ex cauſſis ſupradictis,
» & filij legitimi, & naturales nulli ſuper-
» ſunt, naturales legitimari poſſunt per re-
» ſcriptum principis, & patrem, qui eos in
» teſtamento appellando naturales volue-
» rit ſibi effici ſuos legitimos ſucceſſores.
In hac Summa Angeli, naturales omnes appellantur, qui non ſunt legitimi: nam loquitur de filiis ex matre natis, quę duci non potuit in matrimonium ab eorum patre. Ex ſententia quoque ſapientum Sempronius condidit teſtamentum: à quibus ea factio teſtamenti, quæ Sempronio placuit, minimè improbatur.

10. Quare Didacus Couarruuias, in epitome 4. Decretalium, p.2.c.8. §.5. conc.1. num.12. his verbis ſpurij patrẽ admonet.
„ Prætermittendum verò non eſt parenti
„ tutiſſimum eſſe, vt ſpurium heredem in-
„ ſtituat ſub conditione; ſi à principe fuerit
„ effectus legitimus: tunc enim ſecuta legi-
„ timatione, patris hereditatem abſque ani-
„ mæ periculo obtinebit: cùm inſtitui iure
„ poſſit incapax in tempus quo capere poſ-
„ ſit. l. in tempus. ff. de hered. inſtit. l. ſicut,
„ & ibi Gloſſa, in princ. ff. quibus mod. vſus
„ fructus amittatur. Baldus, Are. & Alex. in
„ lege Gallus. §. inſtituens. ff. de liberis, &
„ poſth. idem Aret. in l. ſi filius familias. ff.
„ de teſtamentis, ſubiicitque multos recentes inſignéſque iuriſperitos, qui opinionem hanc communem eſſe teſtantur.

Additque in eodem num.12. hoc idem
Couarruuias. Spurius hac conditione in- »
ſtitutus poterit, pendente conditione bo- »
na petere, & ea vt curator adminiſtrare »
ex bonorũ poſſeſſione ſecundũ tabulas. »
l. ſi quis inſtituatur heres in diem. ff. de »
hered. inſtit. vbi Baldus & Angelus. idem »
Bald. in l. fin. ff. de his qui ſunt ſui vel alie- »
ni iuris. Ioan. Lup. in rubri. de donat. inter »
virũ & vxor. §. 29. n. 4. Noſtræ item æta- »
tis nobilis Theologus, qui typis ſuas eruditas cogitationes mãdauit in 1. volum. de iuſt. & iu. diſput. 169. col. poſtrema, communem hanc ſententiam ſubſcribit. & Clari teſtimonio in q.31. §. Teſtamẽtum, Doctorum communem eſſe affirmat. neque illud ſibi Couarruuias in eod. cap. §. & num. omittendũ putauit, patrem ſpurij Hiſpanenſis regni lege cauſſa alimentorum poſſe ſpurio filio quintam bonorum partem relinquere: nam relinqui poſſe alimenta, & dotem ſpuriis, quia dos locum obtinet alimentorum, certum eſt: nec enim paſſa eſt Eccleſia priuari ſpuriam prolem alimentis, ne pereat: id reperies apud Panormitanũ, in cap. cùm haberet, de eo, qui dux. in mat. quam poll. per adult. num. 5. commentarij: eiuſdémque ſententiæ ducem laudat Bartolum in aut. ex complexu. C. de inceſtis nuptiis. Sotus verò in 4. de iuſt. & iur. q. 5. art. 1. col. penult. credit extra teſtamentum donari, & relinqui poſſe aliquid ſpuriis, quòd hoc ipſum facere, non ſit legibus interdictum.

Sequitur vt aduerſarias rationes depellamus. 11. Prima erat huiuſmodi, nec ciuili nec canonica lege factionem teſtamenti habet, qui ſpurium ſpuriámve ſcribit heredem: ergo teſtamentum à Sempronio compoſitum, nullum fuit. Reſpondeo, antecedens huius enthymematis tunc verum eſſe, cùm voluntate abſoluta ſolius teſtatoris ſpurius inſtituitur. Verùm cùm exſpectatur voluntas, & beneficium principis, iura legitimorum filiorum, legitimarúmque ſucceſſionum, in prolem ſpuriam transferentis, nihil contra

Digitized by Google

contra iura agitur. At Sempronius ad Principis clementiam inſtitutionem reiecit.

Secunda fuit. Quòd eiuſmodi proles non poteſt legitima fieri. Reſpondeo, qui ſcripſerunt non poſſe fieri legitimam, intellexerunt fieri id nõ poſſe cum damno, & iniuria, vel legitimorum liberorum, vel eorum, quibus eſt iam ius acquiſitum in bonis teſtatoris: quod non cadit in teſtamentum Sempronij; qui nec legitimos habebat filios, nec eius bona in cuiuſquã dominium migrarunt. Adulterinam autem inceſtámque prolem, & quamlibet aliam non legitimam Principis auctoritate legitimam euadere poſſe peruincũt, tum quotidiana Principum exempla beneficium legitimorum heredum ſpuriis largientium, tum Doctorum communis ſententia, tum D.Thomæ ratio ad hunc modum argumentantis in 4.ſent.diſt.41. q.1.art.3. Quod per legem, inquit, inducitur, per legem reuocari poteſt: ſed illegitimitas filiorum eſt per legem poſitiuam inducta: ergo poteſt filius illegitimus legitimari ab eo qui habet auctoritatem legis.

Couarruuias in 4.Decretalium par.2. cap.8.§.8.nu.8.probat habentem à Principe poteſtatem legitimam legitimandi ſpurios, poſſe legitimare eum qui ſimul adulterinus & inceſtus ſit, & num.9. oſtendit ex Alciato in l.2.ff.de verb.oblig. num.46. Bartoli communem eſſe opinionem, qui in eamd. l.ſcripſit, eum, cui facta eſt à Principe poteſtas efficiendi legitimos eos, qui nati ſunt ex adulterio, & qui ex inceſtu ſuſcepti ſunt, poſſe eodem tempore legitimos creare, qui ſimul ex adulterio inceſtúque generantur.

12. Tertium argumentum. In matris teſtimonio conſiſtit, quæ negauit Bertam filiam eſſe Sempronij, ſed alterius cuiuſdam adulteri. Reſpondeo, licere Bertæ illud ipſum quod licitum eſt filiis, quos pater ſuos ac legitimos agnoſcit, & alit, & educat: ſed matris teſtimonio adulterini ſunt: cuius teſtificationi iure ciuili, Pontificio, & naturali poteſt filius fidem abrogare. in l.filium.ff.de iis qui ſunt ſui vel alieni iuris, eſt his verbis: Non tamen ferendũ Iulianus ait eum, qui cum vxore ſua aſſiduè moratus, nolit filium agnoſcere quaſi ſuum: nam, vt inquit Gloſſa eiuſdem legis, nuptiæ probãt filium: imò verba ſunt Pauli iuriſconſulti.ff.de in ius vocando, l.quia ſemper. Pater verò, inquit Paulus, is eſt quem nuptiæ demonſtrãt: & C.de nuptiis, l.ſi vicinis, his verbis ſciſcit Imperator Probus: Si vicinis, vel aliis ſcientibus vxorem liberorũ procreandorum cauſſa domi habuiſti: & ex eo matrimonio filia ſuſcepta eſt, quamuis neque nuptiales tabulæ, neque ad natam filiam pertinentes, factæ ſint: non ideo minùs veritas matrimonij, aut ſuſceptæ filiæ ſuam habet poteſtatem. Cuius legis auctoritate iuriſconſulti permoti fatuum iudicauerunt eum, qui credens matri, adulterinum ſe eſſe affirmanti, regnum repudiauit. Imò, vt ſcribit Panormitanus in cap.per tuas, de probat.num. 4.commentarij, neque eſſet ambobus parentibus credendum: probátque ex cap. Trãſmiſſę, qui fil.ſint legitimi, in calce, & ex Gloſſa in idem cap.in verbo, Indiciis.

Veniamus ad Theologos, qui tribuunt 13.
filio, vt matrem non audiat contra ſuum legitimum ortum teſtimonium dicẽtem. D.Antoninus, qui ſubtiliter & copioſè hunc locum exequitur in 2.par.tit.2.c.7. §.4. Nec vir, inquit, nec filius, nec etiam publicus iudex mulieri hoc reuelãti credere obligatur, niſi probet dicta ſua per infallibilia ſigna, aut per violentas probationes, ſiue per idoneos teſtes. Sotus in 4.de iuſtit.& iur.q.7.art.2. ad 1. argum. Spurius (verba ſunt eius) non tenetur matri quamlibet iuranti adhibere fidem: ſed in iudicio exiſtimãdus eſt legitimus: vt eadem iubetur lege: neque ſuam alleganti turpitudinem vlla debetur fides. Vide Sylueſtrum, in verbo, Adulterium, num.4. Roſellam, eod.tit.nu.2. citantem Panormitanum in cap. officij, de pœnit. & remiſſ. Angelum, eod.tit. à quo citatur

Digitized by Google

idem Panormitanus, in cap. per tuas, de probat. Tabienam, eod. tit. nu. 7. Supplementum, eod. qui ex Raymundo, Innocentio, Oſtienſi, imperat matri ſilentium, quum à probationibus deſtituitur. Lege Nauarrum, lib. 1. conſiliorum, tit. de filiis presbyterorum, conſ. 1. num. 5. ſcribentem his verbis, ac reſponſum concludentis.

» Quarto, quòd conſules poteſt, ſi vult,
» iuſtè firmiter credere ſe eſſe verè legiti-
» mum, ſi habet iuſtum motiuum ad illud
» & quod habet tale. Tum, quia lex iuſta
» præſumit illud. Tum, quia quidquid ma-
» ter adultera ei affirmauerit, numquam
» tamen adulter nec viuens, nec moriens
» id ei dixit: & populus, vbi natus, & edu-
» catus fuit, in ſua infantia, & pueritia cre-
» dit eum eſſe legitimum. Tum, quia ma-
» tres ſæpe in ſimilibus caſibus decipiun-
» tur, & ſæpe mentiuntur ob multos re-
» ſpectus. Et denique quòd ſatis ſupérque
» motiuum habet ad iuſtè credendum id,
» cuius contrarium nec ſcit nec ſcire po-
» teſt, per auctoritatem illam grandem le-
» giſlatoris, & legis id præſumentiũ. Qua-
» re mea ſententia ſi ipſe adhæreret prædi-
» ctæ legi, & firmiter præſumeret & cre-
» deret, quod illa præſumit, benefaceret: &
» ſi ego eſſem ipſe ita facerem. Hactenus il-
le. Quæſtio autem, cui ſenex prudentiſſimus reſpondet, hiſce verbis ab ipſo pro-
» ponitur. Quid debeat facere filius natus
» in figura matrimonij: qui 12. annis credi-
» dit ſe filiũ mariti matris ſuę eſſe, & poſtea
» 14. credidit ſe filium adulteri dicto ma-
» tris viuẽtis, & morientis perſuaſus, ad hoc
» vt poſſit ordinari ſine diſpenſatione. Vi-
deto eumdem Nauar. lib. 5. conſiliorum, tit. de homicidio conſ. 21. nu. 2. eamdem ſententiam retinentem, & confirmãtem. Medina, C. de reb. reſtitut. q. 3. cauſſa 4.
» verſu. An autem filius, ait in conſcientiæ
» foro, non cogi filium credere matri, niſi
» cauſſam, inquit, ſufficientem ad creden-
» dum habeat. Subiicítque nõnullas cauſ-
ſas, quæ fallaces ſunt, nec neceſſariæ perſuaſionis efficientes. Sotus eam tantùm probat, quæ à temporis circũſtantia manat: cùm certum eſt tempore conceptionis non potuiſſe cum viro concumbere: quam ipſam lex indicat.

Verum enim dicat quiſpiam quod dant 14.
leges filio, cui iuſta fœdera fauẽt nuptiarum, non indulgendum eſt iis, qui ſine legitimo matrimonio orti naſcuntur. Inceſtam enim prolem non habere patrem ſcribit Gloſſa in l. quia ſemper, ff. de in ius vocando, & probat ex §. ſi aduerſus, inſtitut. de nupt. cùm ergo Berta ex adulterio atque inceſtu genita ſit, patre carebit: nec ſibi certum patrem licebit adſciſcere.

Reſpondetur niſi dictum Gloſſæ ciuilis commoda aliqua interpretatione leniamus, defendi & credi non poſſe. Primùm, quia naturalis, & homini percepta ratio neceſſariò cogit filium ſine patre nec eſſe, nec cogitari, nec definiri poſſe: nam ſine matre poteſt intelligi in ſanctiſſima Trinitate, & in adoptionibus: ſunt enim filius & pater ex eorũ genere, quæ inter ſe referuntur, quorum ea eſt vis ac natura, vt alterum ſine altero nec eſſe, nec intelligi queat. Deinde ciuili Gloſſæ opponimus canonicam, & imperatoris paragrapho, Romanorum Pontificum ſanctiones: in quibus extat titulus de filiis presbyterorum: obiicimus conſuetudinem ſcripturarum diuinarum, quæ ſpuriis patrem attribuit. Imò paſſim apud iuriſconſultos & legiſlatores ſpuriæ prolis patres nuncupantur.

Qua igitur ratione illius Gloſſæ ſententiam & imperatorium paragraphum exponemus? Hæc meo quidem animo non incommoda.

Duo ſunt parrum genera, vnum natu- 15.
rale, alterum ciuile. Pater naturalis is eſt, »
quicumque indiuiduum generat huma- »
næ ſpeciei, ſibi ſimile: ciuilis eſt, cui con- »
uenit patria poteſtas: quam pater exercet »
in filium. Eſt autem patria poteſtas vt »
definit Azo, ius quoddam, quod habent »
ij, qui ſunt de Imperio Romano, in libe- »
ros naturales & legitimos: quod alij non »
habent:

habent:inſtit.de patria poteſt.iureque ciuili introducta eſt. Vide Syluestrum, & Angelum, in verbo, Patria poteſtas. Ius autem eſſe Bertæ non credendi de alio patre, qui non ſit Sempronius, probari poteſt auctoritate canonis Gloſſæ & Panormitani. Innocentius III. in Decretali, per tuas, de probationibus, filium ſuſceptum ex concubina, quem primò mater ſuum dixit filium, & cuiuſdam T. Deinde verò iureiurando negauit non eſſe eiuſdẽ T. decernit habendũ eſſe pro filio illius T. nec matri perneganti credendũ: nec illic diſtinguit adulterinam, ſiue inceſtam prolem à non adulterina, neque inceſta, ſed promiſcuè de prole concubinæ loquitur. Gloſſa in c. Michaël, in verbo conſtituit de filiis presbyterorũ, cenſet his verbis: » Si natus fuit ex illa, quam » tenebat ſecum publicè in domo pro con- » cubina: præſumitur enim filius illius; ſic- » ut aliquis præſumitur filius, quia natus » eſt in matrimonio: quia pater eſt is quem » nuptiæ demonſtrant. ff. de in ius vocan- » do, quia mater: & ita præſumptiuè talem » dicimus filium, quem talis cohabitatio fi- » lium demonſtrat: quia fuit in poſſeſſione » filiationis. C. de ſuis, & leg. l. 3. Panormi- » tani ſunt, quæ ſequuntur, dicta in c. per » tuas, de probationibus. Nota primùm » quòd quemadmodum natus in domo ex » vxore, præſumitur filius mariti, l. ſi vicinis, vel aliis ſcientibus, C. de nuptiis. ff. de » in ius vocando, l. quia ſemper, quod in- » tellige, ſi tempore conceptionis maritus » erat præſens, ſecus, ſi abſens, l. filium. ff. de » his, qui ſunt ſui vel alieni iuris: ita natus » ex concubina in domo præſumitur filius » concubinarij, vt hic. Vide Gloſ. not. magis » claram in cap. Michaël, de fil. presbyt. & » plus probatur hic: quòd etiam præſumi- » tur filius, licèt multo tempore per prius » prolem ex ea habere non potuiſſet: & ab » eo quandoque diuertiſſet: quod nota, & » num. 2. ita etiam dicerem in concubina: » vt licèt illo tempore cognoſceretur ab » alio, ex quo etiam iacebat cum concubi- » nario, potiùs præſumatur filius concubinarij, quàm alterius: quia fauorabilius, & » honorabilius hoc eſt filio, quàm quòd » dicatur vulgo conceptus, & nu. 3. notab. » 111. quòd filiatio probatur præſumptiuè: verè autẽ ſaltem ex parte patris probari non poteſt. l. Lucius. ff. de condit. & » demonſtr. & ſatis patet ad ſenſum: mater » autem certa eſt. l. quia ſemper. ff. de in ius » vocando: & nota quomodo probatur filiatio; quia per communem reputationẽ, » & nominationem patris, & aliorum: de » quo in c. Trãſmiſſæ, qui filij ſint legitimi: » & hoc puto verum, quando non poteſt » probari de neceſſitate: aliàs autem, ex quo » quis natus eſt in domo mariti, ex vxore » ſua, adeo præſumitur filius mariti, vt non » admittatur volens illum dicere ſuum nõ » eſſe filium: niſi probet ſecum tempore » conceptionis filij non concubuiſſe: vel » propter abſentiam, vel propter infirmitatem, vel quid aliud. tex. eſt notabilis, in » l. filium. ff. de his, qui ſunt ſui, vel al. iur. facit lex, vicinis, vel aliis ſcientibus, C. de nupt. Idem puto in nato ex concubina » retenta in domo, vt eſt Gloſſa notabilis: » ſic infrà d. cap. Michaël, facit Gloſ. iuncto » tex. in l. Imperatores. ff. de probationib. »

Hactenus Panormitanus; in cuius cõmentario illud moderandum eſt, matri compertam eſſe prolem: namque ſit ne ſua, an alterius fœminæ, id ignorari non poteſt: ſit ne pater hic, vel ille, id certum ſemper habere non poteſt: nam ſi eadem die Lucretia à duobus tribúſve hominibus cognoſcatur, & concipiat, qui nam horum trium prolis ſit pater ſtatuere, & cum aſſeueratione affirmare non poterit. Sed nimiùm fortaſſe multa de ſecunda quæſtione.

Tertio loco diſquirendum erat, vtrùm 17. locis piis bona Sempronij obueniant, ſi eius hereditatem Berta tenere non poſſit. Mihi minimè dubium eſt, ad religioſa domicilia pertinere, quãuis heredis Bertæ inſtitutio nulla extitiſſet. Nam Bartolus in tract. minoricarum, concludit, ſi quis teſtamento ſua bona relinquit minoribus, ſine vlla ſubſtitutione, teſtamẽtum

tum eſſe nullum: eáque bona deberi iis, qui inteſtato ſuccedunt: ſi autem fratres eiuſmodi habent ſubſtitutum, valere teſtamentum, & ſuccedere ſubſtitutum: item ſi coheredem, & non ſubſtitutum, coheredi fratrum minorum portionem accreſcere. Quod Bartoli dictum recitat, & ſequitur Syluester, in verbo, Teſtamẽtum, 1. quæſt. 6.

Quare cùm in ſuo teſtamento Sempronius ſpuriæ filiæ ſubſtituerit locum pium, & Eccleſiam, teſtamentum valere, nec loca ſubſtituta priuari poſſe hereditate Sempronij, certum eſt.

Idem Bartolus in eo copioſiſſimo & doctiſſimo commentario, quem in primam legem cod. de ſacroſanctis Eccleſiis, elucubratus eſt, columna extrema inculcat, & probat, in iis quæ ad pias cauſſas relinquuntur, ceſſare omnem iuris ſollemnitatem, legibus tantùm naturalibus, diuinis, & canonicis iudicari illa debere: neque fas eſſe imperatoribus iura condere huic libertati contraria. Commentarium verò illum his verbis concludit. » Ex quibus concludo, quòd non obſtante » aliqua lege communi, municipali, vel » imperiali, facta, vel fienda relicta ad pias » cauſſas debeant iudicari ſecundùm » canones, & iura diuina, & naturalia, ſeu » gentium, & non ſecundùm leges, ſecundùm » quod ſuprà dictum eſt. Neque intereſt relinquatúrne iure teſtamenti, an iure legati, vt liquet ex eodem interprete, & ex aliis noſtris quæſtionibus in hoc libro de teſtamentis, & legatis piis propoſitis, & explicatis. Vltimam enim teſtatorum volũtatem, ſi iuſta ſit, quamuis non legibus ciuilibus munita, ſeruandam eſſe auctoritate ſacrorum canonum, & Doctorum à nobis demonſtratum eſt.

18. Cùm igitur ex teſtamento mens & voluntas Sempronij perſpici poſſit, vt ſuæ hereditatis ſint frater ac nepotes expertes, fruantur autem ea aut Berta, aut Eccleſia religioſáque ſodalitia, extremam hanc Sempronij volũtatem violare ſummum ſcelus eſt.

Nunc, quæ, & quot ab Antiocho in hac cauſſa criminosè ac nefariè ſuſcepta ſunt, videamus. Primum illud crimen fuit, quòd teſtamentum verum ac legitimum, dolo rupit ac rapuit. Secundum, quòd per eumdem dolum, & fraudem aliud falſum ſimulauit, & ſubiecit. Tertium, quòd ad idem ſcelus cõſciſcendum tabelliones & teſtes perpulit. Quartum, quòd per falſas tabulas ad magiſtratum, principémque obrepſit: vt ex tantis iniuriis & facinoribus, quæ moliebatur, iuſtis heredibus ius ipſe alieni peculij interuertendi conſequeretur. Quintum, quòd filiæ Sempronij ius petendæ paternæ hereditatis eripuit. Sextum, quòd iure adminiſtrationis eam ipſam, ſiue alium, qui pro ea adminiſtraſſet, deiecit: nam Antiochus non tamquam pupillæ tutor, ſed veluti verus dominus bona procurauit, procurátque, Sempronij. Septimum, quòd beneficium legitimationis, quam voto patris à Principe Berta impetraſſet, eidẽ eripuit. Octauum, quòd ipſam illam filiam bonorũ dominio priuauit. Nonum, quòd eam quoque, quæ filiæ Sempronij dos futura erat, furatus eſt. Decimum, quòd bona demortui alienauit, & vendidit. Vndecimum, quòd eadem bona, quæ ad ſubſtitutos, id eſt, ad xenodochium, & ad Eccleſiam teſtatoris aliquando peruenire potuiſſent, in perpetuum ademit: quod immane fuit, éſtque ſacrilegij genus.

Si quis pro Antiocho reſpõdeat, quod » tuum poteſt eſſe, & non eſt, non videtur » tuum: ipſe contra pro Eccleſia, & loco pio excipiam: at ius ſubſtitutionis, & adipiſcendæ alienæ hereditatis, ſine dubio eius eſt, qui ſubſtituitur, & quidem eſt ius ſacrum, & in peculio ſacro: cur igitur non fuerit ſacrilegium?

Audiat D. Hieronymum Antiochus in 19. epiſtola ad Nepotianum: Amico quidpiã » rapere furtum eſt: Eccleſiam fraudare, » ſacrilegium eſt: accepiſſe, quod pauperi- » bus erogandum ſit, & eſurientibus pluri- » mis, vel cautum eſſe velle, vel timidum, »

aut,

» aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid
» inde ſubtrahere omnium prædonũ cru-
» delitatem ſuperat. Exiſtátque ſentẽtia hæc grauiſſimi ſanctiſſimíque patris in canone, gloria Epiſcopi. 12.q.2. at quid aliud fecit Antiochus, quàm quæ tantopere in eo canone deteſtatur D. Hieronymus? Audiat Anacletum antiquitate & ſancti-
» tate Pontificem clariſſimum. Qui Chriſti
» pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert vel frau
» dat, homicida eſt: habetúrque in can. qui abſtulerit, eadem cauſſa: id verò quod Chriſto, ſeu pauperibus, & Eccleſiæ auffertur, ſi pecunia ſit publica forma percuſſa, an res, quæ pecunia æſtimari poſſit, nihil intereſt. Et quia hoc ſacrilegium à Tridentino Concilio, ſeſſ. 22. cap. 11. pœna excommunicationis Romano Pontifici reſeruatæ punitur, nec qui ius, bonáve Eccleſiæ ſeu pij loci, vſurpauit, abſolui poteſt, niſi quod ereptum eſt, reſtituat: ideo ſciat Antiochus ſe ea excommunicatione irretitum, nec potuiſſe, nec poſſe abſolui, niſi ius teſtamentariæ ſubſtitutionis Eccleſiæ, & Noſodochio reddat ſuum.

Duodecimum crimen eſt, quòd iis Eccleſiaſticis auxiliis, & diuinis præſidiis in perpetuum animam teſtatoris fratris ſui nudauit Antiochus: quæ præſidia Eccleſiæ, Noſodochiíque curatores pro caducis bonis ei retribuiſſent. Decimumtertium, quòd contra iuſtitiæ iura id legatum ſibi adſcripſit, quo Sempronius Luciæ ius ſeruilium munerum, & ancillarium laborum perſoluebat. Decimumquartum, quòd Titiam & Mæuiam legatam pecuniam celauit Antiochus, nec iis fortaſſe nupturis obtulit. Decimumquintum, quòd eo legato aut occultato, aut etiam negato, cauſſam iiſdem mulieribus attulit, vel in turpi quæſtu, vel in infami vita permanendi. Decimumſextum, quòd tres illas ſorores, alieni, vt credere poſſumus, domicilij indigentes: & quibus in domo fratris Antiochi ius habitandi, vtendíque fuiſſet, ſi in ædium poſſeſſione Betta manſiſſet, priuata auctoritate, atque iniuria inde exturbauit.

Crimine verò falſi polluiſſe ſeipſum Antiochum, & in falſariorum numerum coniiciendum eſſe, ex multis legibus. ff. ad legem Corneliam, de crimine falſi intelligi poteſt: nam lex, qui teſtamentum, his verbis loquitur:

Qui teſtamentum amouerit, celauerit, 20
rapuerit, deleuerit, interleuerit, ſubiece- »
rit, reſignauerit; quíve teſtamentum fal- »
ſum ſcripſerit, ſignauerit, recitauerit, do- »
lo malo, cuiúſve dolo malo id factũ erit, »
legis Corneliæ pœna damnatur. Pœna »
verò huic conſcelerato teſtamentario in proxima ſuperiore lege in poſtremo, §.
irrogatur his verbis. Pœna falſi, vel quaſi »
falſi deportatio eſt, & omnium bonorum »
publicatio: &, ſi ſeruus eorum quid ad- »
miſerit, vltimo ſupplicio affici iubetur: & »
leg. 6. eod. tit. Si quis legatum ſibi adſcri- »
pſerit, tenetur pœna legis Corneliæ: quá- »
uis inutile legatum ſit: nam & eum teneri »
conſtat, qui eo teſtamento, quod poſtea »
ruptum eſt, vel etiam quod initio non iu- »
re fiebat, legatũ ſibi adſcripſit. Lege, quæ »
Oſtienſis in Summa, de crimine falſi perſequitur, lib. 5. titu. de crimine falſi in §. qualiter committatur, & in §. & qualiter puniatur.

At enim ei, qui promiſſam religionem violauit, fides præſtanda non eſt. Sempronius ſuam hereditatem Antiocho fratri ſpoponderat: ergo cùm is à ſponſione diſceſſerit, licuit Antiocho acceptam iniuriam falſo teſtamento vlciſci. Nimirum hæc fuit ratio, quæ miſerum Antiochum, diabolo mendacij patre ſuadente, in tantam fraudem induxit. Primùm, conſiderandum fuit, Antiocho, mẽdacio, & fraude vti numquam licere. Deinde, potuiſſe Sempronium & ſapientum, & religioſorum virorum, ac ſacerdotum conſilio à promiſſo recedere. Poſtremò diſcere Antiochus, à filio doctore, & ab humani diuiníque iuris peritis accipere potuit, non hanc vim eſſe promiſſionis, vt rei, quæ promittitur, dominum eum faciat, cui promittitur. Quid enim ſi Thermus

mihi domum ſuam promiſiſſet: deinde commutata voluntate eamdem tibi iuſto pretio vendidiſſet? mihíne fas eſſet, eam tibi eripere? nullo modo.

21. Quæ igitur tantis malis, & tam afflictæ cauſſæ Antiochi remedia poterunt adhiberi? id enim poſtremum reſponſionis noſtræ caput fuit. Hæc mihi acriùs cogitanti, in mentem veniunt. Primùm ſi impunitatem delicti Antiochus à Principe impetrare poſſet, legitimum Sempronij teſtamentum reficere deberet ſuo adulterino combuſto: vnde iura liquerent legatorum inſtitutionis & ſubſtitutionis: deberétque à Principe contendere, omnibúſque apud eum viribus adniti, vt Bertam in legitimorum liberorum numero reponat, iúſque petendæ hereditatis, eiúſque adminiſtrandę eidē Sempronij filiæ reddere.

Quòd ſi ſceleris impunitatem deſperet Antiochus, ſecundum hoc ei remedium poſſet eſſe, atque perfugium. Vt neque is neque filius, de matrimonio, proléque ſuſcipienda cogitarent, ſed vitam cælibem vterque agerent, ſuíſque laboribus atque induſtria tantùm pecuniæ redigerent, quantùm eſſet ſatis ad bona, quæ diſtracta ſunt, redimenda, & ad legata, quæ neglecta ſunt, iis ſororibus ſoluenda; quæ mulieres cùm eò non videantur reſtitui poſſe, vnde vi ab Antiocho deiectæ ſunt: neque enim eas domum vmquam recipiet: arbitrio boni viri, quanti intereſt, illas mulieres domo teſtatoris extrudi, tantùm eiſdem ab Antiochi præſtari oporteret, iniuria damnóque compenſatis. Bertam verò aut heredem bonorum omnium relinquant, aut patrimonij, quod ſit par paterno, Eccleſia & noſcomio eadem ratione ſubſtitutis, quemadmodum à Sempronio ſubſtituta fuere. Domus verò ſemiuſta Sempronij prorſus reficienda foret, vt ex ea mercedes vberiores perciperentur: quæ mercedes in dotem Bertæ cōferendæ eſſent: ea quoque pars pretij conferenda, quæ ex vendito prædio exſpectatur: quam quam multò tutius eſſet venditionem illius prædij reſcindere emptore admonito, tabulas, ſeu ſcripturas repertas eſſe, quæ emptioni illi reſiſtant, eámque irritam faciant.

Quòd ſi hoc remedium ſecundum reſpuat Antiochus, ad tertium confugiat. De re tota nomine tacito ad ſedem referat Apoſtolicam: ad eam cauſſam, quam ad nos detulit, verbis totidem reiiciat: ab eadémque omne iudicium expectet: illámque ipſam obſecret, vt peccato, & cenſura excommunicationis, qua ob ius Eccleſiæ vſurpatum atque alienatum irretitus eſt, pro ſua benignitate abſoluat.

Ita mihi Paulo Comitolo videtur, ſalua ſemper veriore ſententia.

QVÆSTIO XVII.

De vſucapione, ſeu præſcriptione.

DVo quædam ſunt in vſucapione, ſeu præſcriptione, quę habent quæſtionem hominum ſocietati cum primis frugiferam, & ad cognoſcēdum ſummè neceſſariam. Primum eſt: an is qui legitimè cœpit rem alterius poſſidere, & ante impletam vſucapionem, ſit ne ſua an Petri, dubitat veriſimili coniectura permotus, quæ non magis illi, quàm Petro rem addicit, ius amittat poſſidendi, & interpellata ſit vſucapio. 1.

Secundum eſt, vtrùm expleta vſucapione legitima, ſi antiquus rei dominus ſeſe oſtenderit, qui nulla negligentia vſus intra tempus vſucapionis rem ſuam non recuperauit, repoſcere iure ea poſſit, nouúmque poſſeſſorem remouere.

In vtraque quæſtione enodanda nomen vſucapionis vſurpabo more veterum Romanorum, & Iuriſconſultorum, tam pro vſucapione, quàm pro præſcriptione.

De priore quæſtione viſum eſt non- 2.
nullis

nullis illa dubitatione vſucapionem minimè interrumpi, nec poſſeſſori nocere. Ita Sylueſt.in verbo, Præſcriptio 1.nu.3. à quo citatur Directorium:ita Tabienſis, eod.tit.num.10.ita Armilla,eod.tit.nu.4. Hiſce fauet Gloſſ. in cap. extremum, de præſcriptionibus, & Panormit. in illud ipſum cap.num.40. ſui commentarij,teſtimonio vſus tum Innocentij in id. cap. tum Bartoli in l.naturaliter.ff.de vſucap. & rem ait aptiſſimam promptiſſimámque eſſe ex cap.ſi virgo,34.q.1.quod caput eſt Auguſtini ex lib.de fide & oper.
» cap.7.vbi ſic Auguſt.In iure prædiorum
» tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor re-
» ctiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidere
» ignorat alienum. Verùm Auguſtinus non de ignorantia locutus eſt prauæ diſpoſitionis,quæ fidem bonam euertit,ſed puræ negationis, quæ nihil habet bonæ fidei contrariũ:quæ interpretatio eſt item Adriani,Soti,Medinæ, in iis, quæ ſtatim aperientur, locis. Hæc autem diſtinctio duplicis ignorantiæ ignorata fuit Panormitano,artis logicæ haud gnaro.

3. In contrariam igitur ac veriorem ſententiam viri,& auctoritate,& multitudine ſuperioribus præferendi diſceſſère. Ioannes Maior in 4. diſt. 15.quæſt.10.§.
» ſecundum requiſitum. Gabriel in eamd. diſtin.q.14.artic.1. Adrianus in 4.qq. de reſtitut. quæſt. cuius ſunt prima verba.
» Vtrùm certioratus, col.2. & 3.vbi egregiè refellit Panormitanum Sotus in 4.de iuſtit.& iur.q.5.art.4.Angelus, in verbo, Præſcriptio,nu.4. Roſella,eod.tit.nu.11. Supplementum apud Syluestrum, Ioannes Medina,C.de rebus reſtituend.q.17.

Huius ſententiæ rationes meo quidem animo neceſſariam vim adhibent perſuadendi. Prima.Qua fide vſucapio inchoatur,eadem continuari debet:ſed inchoatur fide, quæ dubitationem non habet: ergo. Secunda. Bona fides cum mortifera culpa conſiſtere nequit: ſed qui dubitat num quidpiam agere crimen ſit, agens crimen contrahit ex communi Theologorum ſententia: ergo qui dubitat, & qui ancipiti cogitatione diſtractus neſcit,vtrùm res ſua ſit,an alterius,illámque vſucapere poſſit, eum à poſſeſſione, & vſucapione probabilis dubitatio auellit. Tertia ratio.Poſt quamlibet præſcriptionem, aut vſucapionem, de qua mihi conſtare nequit,ſi dubitatio mihi probabilis incidit, ſit ne res mea, quam poſſideo,ius mihi perit poſſidendi, vt affirmat Alex. de Hales, in 4.par.Summæ, q.24. memb.5.art.3.§.4. & Adrianus, in qq.de reſtit.quæſt.quæ incipit. Aggredior ca- »
ſus ſpeciales,§.ſed cum ſimplicis: oſten- »
ditque hanc Theologorum omniũ mentem eſſe. Ergo multò magis ante exitum præſcriptionis vſucapere deſinet, qui de poſſeſſione legitima meritò veretur.Cui ergo res illa dubia attribuitur, ex æquo partiendam cenſet ſolus inter eum, qui vſucapiebat, & Petrum: iudicium non probo. Nam, qui intermittit vſucapere, partem retinere non poteſt:quia dubitare non deſiit.Petro altera pars non videtur deberi, & quia cum pari dubitatione illam caperet: & quia dubitatio non magis Petro fauet in parte,quàm vſucapienti fauebat in toto. Ita prudentiùs agat, ſi totum egentibus largiatur.

Multò magis nobis laborandum eſt in 4.
ſecunda quæſtione,in qua acriores habemus aduerſarios: qui pugnant completa præſcriptione legitimè ius poſſidendi nõ amittere eum, qui præſcripſit: quamuis in re ſua recuperanda priorem dominum negligentiæ accuſare non poſſit:opinatio hæc fuit Gabrielis, in 4.diſtin.15.qu.14. artic.2. Soti lib.4.de iuſtitia & iure, q.5. artic.4.Syluestri,in verbo,Præſcriptio 1. num.13. Angeli,eod.tit.num.47.Couarruuiæ,in 1.volum.ſuarum relectionum, par.3.§.2.num.3. vt taceam de nonnullis Põtificij iuris explanatoribus:nobis enim res eſt cum Theologis, quum de iure & officio conſcientiæ cum iiſdem nunc contendamus.

Quorum ipſorum opinationem conuellere atque euellere triplici genere argumentationum minimè captioſo ado-

rientur. Primum genus in iis verſatur, quæ aduerſarij concedunt. Secundum in iis rebus ſitum eſt, quas admittere eoſdẽ oportet. Tertium in eorum fundamentis euertendis.

5. Primum genus hæc ſuppeditat argumenta. Fatentur omnes, cõpleta, ad exitúmque perducta vſucapione quattuor annorum ſpatium dari ab iudice antiquo domino ad negligentiæ culpam purgandam: quam ſi purgauerit, legitimúmque impedimentum probauerit, in integrum reſtituitur: id quod declarat omnino non culpam plecti niſi negligentis, terúmque ſuarum poſſeſſioni indormientis. Corroboratur hæc ipſa ratio. Iudex à nemine poteſt auferre, quod iuſtè poſſidet, tamquam rem ſuam. Verùm antiquo domino rem vſucaptam reſtituit, ſi legitimum impedimentum docuerit: ergo ſi eum, qui vſuceperat, ſpoliat, ideo facit, quia nec verus, nec legitimus dominus erat rei vſucaptæ.

Secunda ratio. Concedunt ignoranti præſcriptionem non obeſſe, Syluester, in verbo, Præſcriptio, 1. num. 18. Angelus eod. tit. num. 27. Gabriel, vbi ſuprà: niſi fortè ignorantia foret craſſa & ſupina. Contra ignorantem autem non currere præſcriptionem probat Petrus Peruſinus in tract. de canonica portione, quem & & Summarum ſcriptores, & alij complures ſequuntur. Verùm, non minùs, imò magis ſuccurri impotentiæ debet, quàm ignorantiæ, cùm ſemper impotentiæ venia dari ſoleat, non item ignorantiæ: ergo ſi quis poſſeſſionem rei ſuæ non recuperauit, quia vel ignorauit, vel non potuit, vt illam ipſam in peculio ſuo non habeat, nulla æquitas, ratio nulla ſuadet.

6. In ſecundo genere hæ inſunt probationes.

Prima probatio. Recipiunt hoc omnia gymnaſia Theologorum, legès vniuerſas tam diuinas quàm naturales legibus iis exceptis, quæ actiones imperant probas, quæ nunquam in prauas conuerti poſſunt, vel prohibent prauas, quæ in probas nullo vnquã tempore migrare poſſunt; tempus admittere, cùm ab earum præſcripto non ſolùm poſſit, ſed etiam neceſſariò diſcedi oporteat; in quo genere eſt lex reddendi depoſiti, rem ablatam reſtituendi, nõ occidendi hominis: ergo multò magis admittere debet lex quælibet humana, quæ nec res bonas eiuſmodi iubet, nec res eiuſmodi malas vetat, à quibus ſæpe non queat aut bonitas, aut prauitas abiungi: igitur hoc ipſum tempus ferre debet lex vſucapionis: ſed tempus æquiſſimum eſt, cùm rei prior dominus in re ſua recuperanda nullam negligentię culpam ſuſcepit: quare huic præſcriptionis ius obeſſe non debet.

Secunda probatio. Princeps ciuilium dominiorum, quæ à ſuis ciuibus iuſtè poſſidentur, non eſt Dominus, ſed conſeruator, & tutor: neque ea aut ſibi vendicare, aut alteri tradere poteſt, niſi culpa domini adſit, aut communis ſalus, & publici boni tuendi ratio expoſcit: ſi ſecus faxit, quantùm à ciue abſtulit innocenti, reſtituat omne oportet. Ergo ob legem vſucapionis non poteſt meis me ſpoliare fortunis, niſi me culpa quæpiam tangat. Digna mihi videtur Henrici Gandauenſis doctrina ex 8. eius quodlib. quæſt. 22. quæ hîc deſcribatur: Principes, inquit ille, (ſubtiliſſimè enim de præſcriptione diſputat eo loco) ſunt non domini rerum ſubditorum, niſi eſſent ſerui: ſed tutores, ac defenſores habentes propria ſtipendia ſibi deputata in prima inſtitutione, non natura, ſed de populi voluntate: qui regem ſibi inſtituendo, non ſubiecit ſe ſeruituti eius, neque quoad perſonas, neque quoad res. Hoc in litera G. in extremo. in litera autem A. dixerat duobus modis quempiam re ſua priuari poſſe, vel eius arbitrio, qui præcipuus eſt rei dominus, & cuius conceſſu poſſidet: hîc autem ſolus eſt DEVS, vel quando ob delictum dignus eſt, qui ſuum amittat, atque ad hunc modum reuocat legem pręſcriptionis, ſiue vſucapionis.

7. Tertia probatio. Theologi, Iuriſconſulti,

ſulti, Canoniſtæ fateri coguntur non maiorem vim & poteſtatem eſſe legum, quas condit Princeps, quàm Principis; neque huius maiorem, quàm velint ij, à quibus eligitur; & in quem ſuam tranſferunt poteſtatem: Sed populus, cùm Principem creat, & poteſtate inſtruit, numquam volet à Principe ſibi res ſuas auferri non delinquenti; idque volet populus æquiſſimè: ergo nulla lege iuſta poteſt Princeps inuito populo, fortunas vnius inſontis alteri addicere. Quæ vnica ratio cogit, & efficit, quod conamur.

8. Tertium reſtat, & poſtremum argumentandi genus, quod poſitum eſt in contrariæ opinionis fundamentis diruendis.

Primum fundamentum. Lex vſucapionis iuſta eſt: ergo qui eius beneficio rem alterius poſſidet, iuſtè poſſidet. Nego iuſtam eſſe ſine prioris poſſeſſoris negligentia: nam cùm pœnam irroget negligētibus, neglectionem exigit omnino.

Secundum fundamentum Couarruuiæ. Vbi conſtat de facto, non diſcrepat forum conſcientiæ à foro ciuilium iudiciorum; ſed hoc forum relinquit ei, qui vſucepit poſſeſſionem primi poſſeſſoris: ergo reſpondeo. Primum retorquetur argumentum in ipſum. quid enim fiat ab iudice ciuilium ſubſelliorum, demonſtratum eſt à nobis in primo genere probationum. Et quia vt placet Ariſtoteli in 5. Ethic. cap. 4. iudex eſt ius animatum ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον ἔμψυχον δίκαιον. inquit ille, ſequitur vt cùm exacto tempore præſcriptionis pronunciet rem vſucaptam in poſſeſſionem primi domini redire debere, hoc ipſum velle legem.

Tertium fundamentum eſt Soti, vſucapionis finis non eſt ſolùm dominorum negligentiam multare, verumetiam bonum, & æquum. Sic enim prima lex. ff. de vſucap. Bono publico introducta eſt vſucapio. Vide quàm hoc ſit inane. Si æquum & bonum tantùm legem attulit vſucapiendi: ergo contra bonum & æquum peccat iudex, cùm aut ignoranti, aut non peccanti ſubuenit aduerſus eum, qui præſcripſit: atque id eſt reſpondere ad hominem: directè verò ad hunc modum. Cunctæ leges intueri debent æquitatem: hæc autem non patitur, vt quis ſine culpa fortunis ſuis ſpolietur.

Addo, æquum, & bonum, non tam 9.
pertinere ad finem legis & legiſlatoris, quàm ad legis ipſius eſſentiá. Finis enim eſt homines virtute præditos reddere, inquit Ariſt. in 7. polit. cap. 24. vbi confirmat eundem finem eſſe eorum, qui regunt, & qui reguntur, nimirum virtutem, & cap. 15. ſcribit eundem finem eſſe reipublicæ & ſingulorum.

Quartum eiuſdem Soti fundamentū. Præcipua vſucapionis, & præſcriptionis cauſſa non eſt, verba ſunt eius, quæ vulgo circumfertur, culpabilis domini negligentia; ſed, ſi iura, & rationes conſulas, bonum publicum; vt ſcilicet certa ſint dominia: & error longi temporis tollatur; & tranquilla ſit rerum poſſeſſio. Audi legem 1. ff. de vſucap. Bono publico introducta eſt vſucapio: ne ſcilicet quarumdam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent: cùm ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium. Nos verò, quia & leges, & rationes, & doctorum virorum volumina iampridem conſuluimus, à Soto diſcedere coacti ſumus. Ipſa lex ab eo allata annon illum arguit apertè? nam illa poſtrema verba, Cùm ſufficeret dominis, &c. Quid ergo, cùm definitum ſpatium ſufficere non poteſt? quid eùm dominis res ſuas inquirendi facultas non fuit? hos repellet à ſuarum poſſeſſione rerum lex? minimè verò, nam deſides & ſocordes punit.

Audiat aliam legem Sotus. ff. de ac- 10.
quirenda vel amittenda poſſeſſione. Rerum mobilium neglecta, atque omiſſa cuſtodia, quamuis eas nemo alius inuaſerit, veteris poſſeſſionis damnum adferre conſueuit: idque Nerua filius lib. de vſucapionibus retulit. l. ſi rem mobilem. Animaduertis quemadmodum lex coer-

ceat hominum in rebus ſuis tutandis, negligentiam? Itaque Gloſſa, in c. vigilanti, » de præſcription. Introducta, inquit, fuit » præſcriptio contra deſides, & ſui iuris » contemptores. Imola verò in illud ipſum cap. non veritus eſt dicere, legum ciuilium quæ ſunt de præſcription. finem non eundem eſſe, qui eſt canonum: hos enim bono, ac vitæ animæ conſulere; illas vitæ politicæ dumtaxat, vt perturbatio, & confuſio tollatur dominiorum, & dominorum negligentia plectatur.

Quintum fundamentum Dominici Soti. Lex vſucapionis non eſt pœnalis, ſed conſultiua. Hoc ille gratis ſumit: nos enim dicimus, & conſulere bono publico, & priuatis rerum dominis negligentibus pœnam infligere.

Poſtremum fundamentum. Clamat » Sotus, omnes Theologos, eius partis, pro » qua certat ipſe, eſſe. Mira hominis confidentia: qui id nullo appellato Theologo loquatur; & cùm maxima & nobiliſſima eorum pars contrariam opinionem confirmet: dicántque, vſucapionem valere in negligentes, atque eorundem punire deſidiam; D. Thom. quodlib. 12. artic. 24. Scotus, in 4. ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. col. 3. Henricus Gandauenſis, quodlib. 8. quæſt. 22. Gerſon. tract. 36. de ſimonia, attentione 9. citans Scotum. Adrianus, in » qq. de reſtitut. quæſt. oſtenſo, quòd le- » ges. 5. mihi autem ſine præiudicio. Maior, in 4. diſt. 15. quæſt. 11. penè in calce. Almainus in eamdem diſt. quæſt. 2. Dionyſius Carthuſianus, in eamdem, quæſt. » 4. 5. quæritur etiam, quo tempore: vſurpáque teſtimonium Argentinæ. Corradus, in lib. de contractibus, tract. 1. q. 15. concl. 3. & 4. Ioannes Medina C. de reb. reſt. quæſt. 18. Hi omnes iuſtitiæ vſucapionum & præſcriptionum cauſſam hanc eſſe exponunt, culpam res ſuas negligenter curantium. Hac ergo culpa ſublata vſucapioni non eſt locus relictus: nec quiſquam ſine hac dominorum culpa in poſſeſſione vſucaptæ rei tuta conſcientia permanere poteſt.

Nec ab re fore ratus ſi ex illa quæſt. 22. Henrici Gand. in hanc meam poſtremam diſputationem tria effata tranſcribam. Primum eſt, in lit. Y. eorum conſilium à quibus vſucapionum iura conſtituta ſunt, & mentem fuiſſe, vt quan- » tùm poſſibile eſt (verba ſunt Henrici) » indemnis innocẽtia conſeruetur. Secun- » dum, ius ab humana poteſtate impoſitum tripartitò diuiſum eſſe: nam valere de- » bet, inquit, hic pernobilis Doctor, aut ad » iuris naturalis declarationem; aut ad eius » efficaciorem obſeruationẽ; aut ad tranſ- » greſſionis eius punitionem. Ex hoc ge- » nere legum, humanarum legum fluxiſſe ait iura præſcriptionum.

Tertium enuntiatum Henrici eſt, legem ciuilem, quæ aduerſus 40. annorum præſcriptionem omnem actionem ſuſtulit, cum aliis ad eamdem materiam ſpectantibus ſacrorum canonum auctoritate abrogatam eſſe.

11. Ad huius poſterioris ſententiæ auctores certum eſt accedere omnes, qui crediderunt, poſt præſcriptionem; ſi inuentus ſit prior dominus, ei ſemper reſtituendam rem præſcriptam. Id tuentur Gerardus, Anton. Butrius, Raymundus, Roſella, in verbo, Præſcriptio, num. 14. affirmans opiuionem hanc eſſe Theologorum: cui fauere videtur Turrecremata, in c. 1. 14. quæſt. 6. numer. 43. quamquam contrarium conſtituat in c. 1. 16. quæſt. 3. ſed non loquitur, quando prior dominus vacat culpa. Nobis id fixum eſt, quod adhuc defendimus.

* * *

Deo Jeſu Chriſto laus & gloria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google